THEOLOGICA

DOGMATA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU, GRAND'PLACE, 7.

DOGMATA
THEOLOGICA
DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVA

DISSERTATIONIBUS AC NOTIS F. A. ZACHARIÆ, ALIORUMQUE, NECNON ADRIANI LECLERC SELECTIS NOTIS, ALIISQUE NONNULLIS NUNC PRIMUM EDITIS ILLUSTRATA ET ORNATA, CUI ACCESSIT INDEX GENERALIS TUM VERBORUM, TUM RERUM LOCUPLETISSIMUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS, CURANTE

J.-B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HONORARIO INSIGNIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ALBIENSIS, OLIM MINORIS SEMINARII CASTRENSIS MODERATORE.

TOMUS TERTIUS

IN QUO PRIMUM DE TRINITATE, POSTEA DE ANGELIS AGITUR

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

Via vulgo dicta Delambre, 9

M DCCC LXV.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER QUARTUS.

CAPUT IX.

De personæ trita illa definitione, qua dicitur rationalis naturæ individua substantia; Richardi Victorini de illa judicium, et ejus supervacua correctio. Veterum opinio de differentia usiæ et hypostasis, capite octavo proposita, tractatur et exponitur. Mira Gregorii Nysseni et aliorum sententia de unitate substantiæ in pluribus individuis, adeo ut plures homines haud satis recte dici putaverint. Et obiter de natura humana, quam Christus assumpsit, disseritur, ecquid universalis, an individua sit; quo sensu universalem esse Patres asserant, individuam negent.

I. Sed unus ex antiquorum nobis decreto superest scrupulus, quod illorum plerosque dicentes audivimus, οὐσίαν, sive *naturam*, commune quiddam esse multis, quod universale vocant; hypostasim vero idem, atque individuum, sive singulare. Qua imbutus opinione Boetius[1], tritam illam, ac celebrem personæ, quæ hypostasi, tanquam genere continetur, definitionem condidit, ut sit « rationalis naturæ individua substantia, » uti prorsus idem sit, quod prima substantia; cui etiam subscribit Anselmus[2] in *Monologio*. Sed huic definitioni contradicunt aliqui, imprimisque Richardus Victorinus[3], qui contra eam opponit, substantiam divinam, cum non sit nisi una sola, individuam esse, neque tamen esse personam. Quocirca in sequentibus capitibus alias personæ definitiones instituit, maxime divinæ. Ab hac enim substantiæ vocabulum idcirco removet, quod id significet subesse accidentibus; qualia Deo inesse nulla possunt. Proinde personam divinam ait esse « Naturæ divinæ incommunicabilem existentiam. » Existentiæ vero nomen eo sensu accipit, qui est a nobis expositus in superiori capite, ut sit substantiale quiddam cum originis proprietate, hoc est res aliqua substantialis vel ab nullo, vel ab alio trahens originem. Cum autem existentia alia communis sit, etiam in divinis personis (in his enim una divinitatis est substantia), alia singularis; hæc proprie intelligitur cum incommunicabilis dicitur, quia pluribus nequit esse communis. Idem[4] personam paulo aliter ita definit, ut sit « existens per se solum juxta rationalis existentiæ modum. Etenim persona nunquam recte dicitur, nisi unus aliquis solus a cæteris omnibus singulari proprietate discretus. »

Expenditur trita personæ definitio.

Verum Richardus[5] postea Boetii definitionem sic explicat, ut et sola sufficiat, nisi quod in Deo magis «existentiam, quam substantiam» usurpari velit. Igitur « si dividuum, inquit, dicamus tam illud, quod per plures personas, quam illud, quod per plures substantias potest distribui, et a pluribus communiter, et a singulis integraliter possideri : illud vero dicamus individuum, quod non nisi soli uni possit aptari, si, inquam, juxta hunc modum

1 Boet. lib. *de Duabus nat.* — 2 Ans. *Monol.* cap. LXXVI. — 3 Rich. lib. IV *de Trin.* cap. XXI. — 4 Cap. XXIV. — 5 Cap. XXIII.

dividuum, et individuum velimus accipere, poterimus fortassis non inconvenienter dicere, quoniam quam verum est, quod quælibet creata persona est rationalis naturæ individua substantia, tam verum est, quod quælibet persona increata est rationalis naturæ individua existentia. » Quamobrem *individuum* in illa definitione non solam divisionem, vel partitionem excludit, sed etiam communicationem, sive communis alicujus in subjectas, ac singulares partes, sive partis unius in alteram partem, quacum in unius compositionem totius conjungitur; uti forma cum materia; sive quis alius modus est, qui a perfectæ, ac separatim existentis substantiæ conditione abhorrere videtur. Nam quod in substantiæ nomine conflictatur Richardus, et in divinis rebus existentiam dici magis approbat, sane id levissimum est. Non enim vocabulorum usus, et acceptio semper origini congruit; cumque ab humanis, et creatis sint petita rebus omnia nomina, quibus ad divina declaranda humana imbecillitas utitur, necesse est, quantumvis illa selecta, et exquisita capias, cum ad altiora ista transtuleris, quodam velut infimorum pulvere sordescere. Igitur ἄτομον, quod est *individuum*, non id solum significat, quod in plura distribui, ac multiplicari non potest, cum sit una res, eademque numero; qua ratione substantia, vel natura divina merito *individua* censetur; sed hoc imprimis, quod convenire pluribus, deque iis prædicari nequit. Ejusmodi enim, ut nomen interpretando sic dicam, sectio ac divisio, ab dialecticis præsertim attenditur; qui commune, ac singulare metiuntur prædicandi, enuntiandique vi ac formula, et quod de pluribus dicitur, id *universale* nominant, quod de uno tantum, *individuum*, ut in *Isagoge* Porphyrius docet, capite *de Specie*. Quare frustra hanc hypostasis personæque definitionem emendare Richardus instituit.

Aliqui veteres divinam essentiam specie unam non numero censent.

II. Hac confecta quæstionis parte, superest altera, quæ ad οὐσίαν, naturamque pertinet, quid hæc intersit ab hypostasi, et quomodo οὐσίαν dixerint antiqui generale esse quiddam, et commune pluribus. Qua in re quorumdam oratio sane difficilem habet explicationem; qui universe de quacumque natura id asserunt, etiam divina. Et ut disceptari res tota melius possit, communitas illa, sive ut trito jam verbo utar, unitas essentiæ ac naturæ duobus modis intelligitur. Quædam enim naturæ dicuntur unius, quod sub una forma, vel specie continentur, ut sunt homines duo, Socrates, et Plato, quorum est una specie natura, sed numero diversa. Singuli enim naturam habent propriam, quæ et substantia dicitur, non tamen κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est definitione distinctam. Alia vero *unitas* est, quæ singularitas vocatur, efficitque, uti res una numero et individua sit, atque hæc unum proprie constituit. Nam quæ priore modo unum appellantur, magis multa sunt, quam unum; quippe multiplicia sunt ex se, et in unum sola ratione, et ἐπινοίᾳ confluunt. Utro ergo genere τοῦ ἑνὸς personarum plurium una, et eadem natura dicatur, adeoque divinarum, hic a nobis inquiritur. Complures antiquorum, ut jam supra demonstravi, generatim loquentes, naturam docuerunt communem sic esse, ut est quælibet species individuis communicata pluribus; imo οὐσίαν nihil aliud esse, quam speciem ultimam. Hinc autem consectarium hoc esse sane παράδοξον ostendimus, uti plures homines numero unam, et eamdem habeant essentiam, ideoque ne homines quidem plurativo numero dici debeant, sed unus homo. Quod etsi perabsurdum videtur, et abhorrens a consuetudine communi; multi hoc tamen asseverare non dubitant. Imprimis autem Gregorius Nyssenus in eo libello, cujus argumentum, et inscriptio est, *Cur non sint tres dii*, quem ad Ablabium scripsit. Cum enim quæsisset, cur non similiter deos tres nominamus, atque homines tres, cum sit utrobique plurium eadem natura; primam ponit quam non probat, vulgarem et indoctam rationem, ideo fieri, ne cum gentilibus deorum multitudinem videamur asciscere. Sed eam propterea rejicit, quod nondum causam explicet, cur cum divinitatem tribus esse communem fateamur, non tamen deos tres appellemus ejusdem divinitatis, naturæque participes.

Unitatis.

Paradoxum.

Mira Gregorii Nysseni de unitate substantiæ in pluribus individuis.

III. Exponit deinde, quid ipse sentiat, ac non uno modo respondet. Primum enim communis sermonis reprehendit usum, quo, qui natura divisi non sunt, iis naturæ nomen ipsum plurali accommodamus numero, cum dicimus *homines multi*. Id enim non multo secus est, ac si *plures humanas naturas* dixeris. Nam inest in multis hominibus eadem natura, in quam conveniunt invicem; etsi proprietatibus divisi sunt, quæ hypostases vocantur. « Hypostaseon, inquit, ratio, propter eas proprietates, quæ in unoquoque considerantur, partitionem recipit, et per compositionem spectatur in numero. Natura autem una est, secum ipsa conjuncta, et indi-

vidua, exacteque unitas; quæ nec accessione crescit, nec subtractione minuitur, sed id, quod est, unum cum sit, vel in multitudine sectionis apparet expers, et continuata, et integra, neque cum singularibus, qui ejus sunt participes una dividitur. Atque uti plebs, populus, exercitus, concio, singulari vocabulo nuncupantur, cum eorum quodlibet in multitudine intelligatur; ita, si accuratius loqui velimus, homo itidem unus proprie dici poterit, tametsi, qui in eadem natura demonstrantur, multitudo sint[a].» Quæ cum sic habeant, multo quidem fore consultius asserit, si consuetudinis illius pravitas emendetur, u non plures appellemus homines, quos eadem natura continet. Sed quoniam id est difficile, nec mutari potest, quod se diuturno usu corroboravit, reliquum esse, ut in creatis, et inferioribus istis usurpari sinamus illud ipsum; a divinis vero repellamus, ubi periculo majore peccatur. Ex his Gregorii Nysseni verbis, ea fuisse mens ejus ostenditur, naturam illam, quæ individuis communis est pluribus, velut est humana, exacte unam esse, imo unitatem, nec pro singularium numero divisam, sed velut ἐν ἀτόμῳ consistere; denique collectione hanc unitatem confici, quemadmodum multi homines unum populum, vel exercitum facere dicuntur. Quod si par esse divinitatis ratio existimetur, reipsa videbitur idem, quod Joachimus abbas asserebat, sequi, unitatem naturæ, essentiæ, vel substantiæ divinæ «non esse veram, ac propriam, sed quasi collectivam; quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia.» Sic enim in concilio Lateranensi [1] Joachimi error exponitur. Certe non alio genere unitatis divina essentia constare ex ista sententia videtur, quam quo natura hominis, ac quælibet alia species, quæ ratione tantum, et ἐπινοίᾳ unum aliquid est, cum sit reipsa multiplex.

n individuo

IV. Subjicit huic, quam explicavimus, rationi alteram Gregorius, ex ἐνεργείας, id est *actionis* singularitate sumptam, de qua paulo post. Tum velut alteri isti diffidens, ad priorem revertitur, et in eo commorari se dicit, ut communis natura non recte usurpetur numero multitudinis, cum plures homines dicuntur: «Nam ea, inquit, sola composita, et collecta numerantur, quæ in propria circumscriptione spectantur; porro circumscriptio in superficie corporis, et magnitudine, ac loco, et figuræ, ac coloris differentia comprehenditur; quod autem extra hæc consideratur, circumscriptionis est expers, quæ talibus rebus efficitur. Jam quod minime circumscribitur, ne numeratur quidem; quod autem non numeratur, in multitudine considerari non potest[b].» Affert ad hoc probandum ex auro petitum exemplum. Hoc enim si in plures figuras, formasque dividitur, unum aurum dicitur; nec aura plura, sed aurei solidi plures. Ita cum multi in eadem demonstrantur hominis natura, uti Petrus, Jacobus, et Joannes, eos non plures homines appellari convenit; tametsi aliter consuetudo fert, quæ in istiusmodi, ubi nullum est periculum, dissimulari potest, in divinis autem idcirco tolerari non debet; ne si deos multos nominemus, naturarum in iis diversitas inesse credatur. Hæc fere Gregorius, quibus plane id affirmat, quod supra posui, sic unam esse divinitatem et naturam Dei, quomodo una est hominis, vel auri, vel formæ alterius; quarum singulæ per sese consideratæ, et ab singularibus abstractæ, cum neque loco, neque tempore, neque quantitate, vel alia re circumscribantur, neque in numerum, neque in multitudinem cadunt, sed singulariter efferuntur. Quoniam autem individua sola, sive hypostases, iis ipsis loci, ac temporis, cæterarumque rerum notis, et qualitatibus prædita sunt, hisque circumscribuntur; ideo sola hæc differentiam accipiunt, et numero ac multitudine continentur.

V. De eodem argumento scripsit et libellum alterum Gregorius idem, qui *De commu-*

a Greg. Nyss. tom. II. Ἀλλ' ὁ μὲν τῶν ὑποστάσεων λόγος, διὰ τὰς ἐνθεωρουμένας ἰδιότητας ἑκάστῳ, τὸν διαμερισμὸν ἐπιδέχεται, καὶ κατὰ σύνθεσιν ἐν ἀριθμῷ θεωρεῖται. ἡ δὲ φύσις μία ἐστὶ, αὐτὴ πρὸς ἑαυτὴν ἡνωμένη, καὶ ἀδιάτμητος, ἀκριβῶς μονὰς, οὐκ αὐξανομένη διὰ προσθήκης, οὐ μειουμένη δι' ὑφαιρέσεως· ἀλλ' ὅπερ ἐστὶν ἓν οὖσα, κἂν ἐν πλήθει φαίνηται, ἄσχιστος, καὶ συνεχὴς, καὶ ὁλόκληρος, καὶ τοῖς μετέχουσιν αὐτῆς τοῖς καθ' ἕκαστον οὐ συνδιαιρουμένη. καὶ ὥσπερ λέγεται λαὸς, καὶ δῆμος, καὶ στράτευμα, καὶ ἐκκλησία μοναχῶς πάντα, ἕκαστον δὲ τούτων ἐν πλήθει νοεῖται· οὕτω κατὰ τὸν ἀκριβέστερον λόγον, καὶ ἄνθρωπος εἷς κυρίως ἂν ῥηθείη, κἂν οἱ ἐν τῇ φύσει τῇ αὐτῇ δεικνύμενοι πλῆθος ὦσιν, etc.

b Μόνα γὰρ κατὰ σύνθεσιν ἀριθμεῖται, ὅσα κατ' ἰδίαν περιγραφὴν θεωρεῖται· ἡ δὲ περιγραφὴ ἐν ἐπιφανείᾳ σώματος, καὶ μεγέθει, καὶ τόπῳ, καὶ τῇ διαφορᾷ τῇ κατὰ τὸ σχῆμα, καὶ χρῶμα καταλαμβάνεται. τὸ δὲ ἔξω τούτων θεωρούμενον, ἐκφεύγει τὴν διὰ τῶν τοιούτων περιγραφήν. ὃ δὲ μὴ περιγράφεται, οὐκ ἀριθμεῖται. τὸ δὲ μὴ ἀριθμούμενον, ἐν πλήθει θεωρηθῆναι οὐ δύναται.

1 Cap. II.

nibus notionibus inscribitur; ubi similia tradit, ac disertius etiam, et uberius ea de re loquitur. Primum enim Dei nomen ita singillatim accommodari personis tribus ait, ut etsi harum quamcumque nominemus Deum, non dicamus tamen Deum, et Deum, et Deum, eo quod unus sit Deus, hoc est natura una, quam vox illa *Deus* significat[a]. Cum igitur natura ipsa per hypostases minime dividatur, ne nomen quidem ipsum plurali efferri numero debet. Siquidem non plures sunt οὐσίαι; et ut Pater est οὐσία, Filius est οὐσία, Spiritus sanctus est οὐσία, non sunt tamen οὐσίαι tres, sed una; ita Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen tres sunt dii, sed unus Deus[b]. Et hactenus quidem recte. Sed addit mox quiddam, quod perplexam rem facit: « Neque enim, inquit, Petrum, et Paulum, et Barnabam tres usias, id est substantias dicimus, sed unam. Et unam dicentes substantiam, cujus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, consentanee dicimus unum Deum[c]. » Ad hæc, quod cujusvis animo statim occurrit, id sibi objicit Gregorius: « Quinam igitur Petrum, et Paulum, et Barnabam tres nominamus homines, cum sint unius essentiæ, quam vocabulum hominis indicat[d]? » Respondet huic inquisitioni, id abusione quadam sermonis fieri, et consuetudine vulgi, non propria, et exacta ratione; propterea quod personæ illæ quibus hominis vox attribuitur, non sunt sempiternæ, sed oriuntur, et occidunt adeo, ut nunc his, nunc illis nomen hominis, et natura conveniat[e]. « Ideo et plures, et pauciores homines dicere cogimur, quia mutatio ipsa personarum, et varietas communem loquendi extorquet usum, etiam præter ipsam essentiæ rationem, ita ut cum personis essentias quodammodo numeremus[f]. » At vero in sacrosancta Trinitate nequaquam id usuvenit, quia nulla in personas cadit mutatio, nec earum augetur, aut minuitur numerus. Deinde quod personæ omnes humanæ non ab una, eademque proxime oriuntur, sed ex aliis aliæ. At in Trinitate ab uno principio proxime oriuntur cæteræ. Ad hæc personæ creatæ variis modis a se mutuo dirimuntur, tempore, loco, animi proposito, actione, perpessione, et cæteris ejusdem generis, cujusmodi nulla inest in Deo diversitas. Quare non perinde, atque tres personas divinas, sic tres essentias dicimus; at propter illam rerum, quæ accidunt homini, varietatem, eo labimur, ut non modo personas hominis tres, sed tres etiam homines dicamus². « Est igitur, inquit, Petrus, et Paulus, et Barnabas, secundum id, quod est homo, unus homo; et secundum hoc ipsum, quod est homo, plures esse nequeunt. Dicuntur autem multi homines abusione quadam, et non proprie. Quod vero abusione loquendi usurpatur, nemo prudens ei præferat, quod proprie dicitur[g]. » Huic communis usui locutionis Scripturam servire, et tanquam cum infantibus balbutire, ibidem Gregorius docet, quoties plurativo numero homines pronuntiat. Plura eodem spectantia ad usque libri finem pertexit, uti singulos homines, quia οὐσίᾳ sunt unum; non plures esse, sed unum proprie hominem demonstret.

VI. Cyrillus Alexandrinus libro nono *Commentariorum in Joannem* non aliter judicat, qui personarum divinarum naturam eamdem similitudine approbat hominum plurium; quos quidem homines natura negat esse distinctos. « Petrus, inquit, est Petrus, et non Paulus, et Paulus non est Petrus; verum tamen indistincti manent natura. Una est enim in ambobus ratio substantiæ, et eadem citra varietatem ullam habent, quæ ad naturalem unitatem colligantur[h]. » Quod apertius, Eidem sententiæ accedit Cyrillus Alexandrinus.

a Nyssen. lib. ΠΕΡΙ ΚΟΙΝΩΝ ΕΝΝΟΙΩΝ. Τὸ δὲ Θεὸς ὄνομα, ἀπολύτως, καὶ ὡσαύτως κατηγορεῖται ἑκάστου τῶν προσώπων ἄνευ τοῦ, καὶ συνδέσμου· ὥστε μὴ δύνασθαι ἡμᾶς λέγειν Θεὸν, καὶ Θεὸν, καὶ Θεὸν.

b Ibid. Μὴ διαιρουμένης δὲ τῆς οὐσίας ἐν ἑκάστω τῶν προσώπων, ὥστε καὶ τρεῖς εἶναι οὐσίας κατὰ τὰ πρόσωπα, δῆλον ὅτι οὔτε τὸ ὄνομα διαιρεθήσεται, ὅπερ σημαίνει τὴν οὐσίαν. οὔτε τὸ Θεὸς εἰς τὸ εἶναι τρεῖς Θεούς.

c Ib. Οὐδὲ γὰρ Πέτρον, καὶ Παῦλον, καὶ Βαρνάβαν τρεῖς οὐσίας φαμὲν, ἀλλὰ μίαν. καὶ μίαν λέγοντες οὐσίαν, ἧς ἐστι πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἕνα ἀκολούθως φαμὲν θεόν.

d Ibid. Τί οὖν λεκτέον πρὸς ἐκεῖνο, ὅτι Πέτρον, καὶ Παῦλον, καὶ Βαρνάβαν τρεῖς φαμὲν ἀνθρώπους, etc. Αὐτοὺς μιᾶς οὐσίας ὑπάρχοντας, ἧς ἐστι τὸ ἄνθρωπος δηλωτικόν.

e Ibid. Τοῦτό φαμεν, ὅτι καταχρηστικῶς, καὶ οὐ κυρίως τοῦτο λέγομεν διὰ τινὰ συνήθειαν, etc.

f Ibid. Ἀναγκαζόμεθα καὶ πολλοὺς λέγειν ἀνθρώπους, καὶ ὀλίγους, τῇ τροπῇ, καὶ ἀλλοιώσει τῶν προσώπων ἐκκρουσθείσης τῆς κοινῆς συνηθείας, καὶ παρὰ αὐτὸν τὸν τῆς οὐσίας λόγον. ὥστε συναριθμεῖν τοῖς προσώποις τινὰ τρόπον καὶ οὐσίας.

g Idem. Ἔστι δὲ καὶ Πέτρος, καὶ Παῦλος, καὶ Βαρνάβας, κατὰ τὸ ἄνθρωπος, εἷς ἄνθρωπος, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ τοῦτο, κατὰ τὸ ἄνθρωπος, πολλοὶ οὐ δύνανται εἶναι· λέγονται δὲ πολλοὶ ἄνθρωποι καταχρηστικῶς, καὶ οὐ κυρίως. τὸ δὲ καταχρηστικῶς λεγόμενον οὐκ ἂν τοῖς εὖ φρονοῦσι τοῦ κυρίως προτιμηθείη.

h Cyril. lib. II *in Joan.* Ὁ Πέτρος γὰρ Πέτρος ἐστι, καὶ οὐ Παῦλος, καὶ ὁ Παῦλος οὐ Πέτρος. μένουσι γεμὴν ἀδιάκριτοι κατὰ τὴν φύσιν. εἷς γὰρ ἐπ' ἀμφοῖν τῆς

et sane mirabilius in primo *de Trinitate* dialogo declarat, dum unam itidem Patris, et Filii naturam ex exemplo asseverat hominum plurium : « Quinam, inquit, eadem essentia tua et una intelligatur esse ? Non enim fas est in hominibus, qui unam, et eamdem consubstantialitatis nacti sunt rationem, unam et unam dicere substantiam, et unicuique rei tribuere veluti propriam quamdam, ac peculiarem rationem eam, quæ ad communitatem pertinet [a].» Ergone unam et unam singularium hominum naturam nefas est dicere, sed unam omnium et eamdem, et ad eum modum in personis divinis sese res habet? Id quidem Cyrillus docet. Et non minus perspicue Maximus martyr in primo dialogorum *de Sancta Trinitate* , qui sub Athanasii titulo cusi sunt. Ibi enim « Petrum, Paulum, et Timotheum tres esse hypostases ait, et humanitatem unam [b].» Tum instanti Anomœo, si sic tres personæ divinæ sunt, ut homines tres, sequi tres esse deos, respondet Petrum, Paulum, et Timotheum non esse tres homines ; quia fideles unum cor, et una anima dicuntur esse, ac, nonnisi ubi dissidia sunt, ibi tres nominari. Sed hæc ratio ad similitudinem tantummodo valet, non ad proprietatem ; qua usos esse scimus Hilarium, Augustinum, et alios Patres, non ut ejusdemmodi in divinis personis unitatem adstruerent, sed ut comparatione hujus, quæ tam diversis in individuis cernitur, multo in illis certiorem, et arctiorem inesse monstrarent. Itaque missa illa voluntatum consensione, et, ut ita dixerim, unitate, redit ad naturæ identitatem Maximus; et, « quemadmodum, inquit, non sunt duæ humanitates Petri, et Pauli, sic non sunt divinitates duæ Patris, et Filii [c].» Tum longius progressus , « Alia et alia est , ait, hypostasis Patris, et Filii, sed non alia et alia immortalitas. Etenim nos aliam et aliam habemus hypostasim, sed non aliam et aliam humanitatem. Et hypostasis Petri homo est, et hypostasis Pauli homo est; duæ sunt hypostases, non duæ humanitates. Tum nos aliam et aliam habemus hypostasim, non autem aliam et aliam immortalitatem, quam per unum baptismum accepimus. Si enim alia et alia est immortalitas, etiam alius atque alius baptismus est, et alia atque alia fides ; nec, *est unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma* [1] [d]. »

VII. Huc pertinet quorumdam veterum illa comparatio cum auro, divinitatis; quam Eusebius, qui falso Emissenus appellari consuevit, in homilia prima *de Symbolo* sic reddit : « Sic complectitur unitas Trinitatem, quomodo, verbi gratia, si trium solidorum personæ uno ejusdem auri exprimantur metallo. Tres videntur in distinctione, sed unum probantur esse in genere ; tres videntur numero, sed unum cognoscuntur in merito. Triplex quidem substantia, sed (non) una materia est; numerari potest, sed distingui non potest. » Augustinus item [2], « Unde etiam in fide catholica contra venena quorumdam hæreticorum sic ædificamus, ut dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius substantiæ esse. Quid est unius substantiæ? Verbi gratia, si aurum est Pater, aurum et Filius, aurum et Spiritus sanctus. » Sic in libello compendiariæ fidei explicationis [3], qui Anastasio patriarchæ Antiocheno, et Cyrillo Alexandrino tribuitur , postquam expositum est personarum esse trium unam essentiam, et naturam, mox istud additur : « Et essentia quidem, sive natura id, quod commune est, designat; hypostasis autem, sive persona, quod singulorum proprium est, declarat. Ut exempli gratia sic dicamus, in homine : Omnes homines unius, et ejusdem naturæ sumus, una et eadem natura omnium est ; siquidem omnes homines ex anima intelligente, et corpore constamus; hypostasibus vero multis, et infinitis, et innumerabilibus [e]. »

Necnon alii quidam veteres.

οὐσίας ὁ λόγος, καὶ τῶν αὐτῶν ἀπαραλλάκτως ἔχει τὰ πρὸς ἑνότητά φυσικὴν συνδούμενα.

a Cyril. dial. I. Πῶς γὰρ ἂν ἡ αὐτὴ μία, καί τοι (for. καὶ) μία οὖσα νοηθείη ἄν ; οὐ γὰρ θέμις ἐπ' ἀνθρώπων, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν τῆς ὁμοουσιότητος λαχόντων λόγον μίαν καὶ μίαν οὐσίαν εἰπεῖν, καὶ ἑκάστω τῶν ὄντων, καθάπερ ἴδιόν τινα λόγον τὸν τῆς κοινότητος ἀπονέμειν.

b Maxim. Mart. in dial. I. Ὡς Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Τιμοθέου τρεῖς ὑποστάσεις, καὶ μία ἀνθρωπότης.

c Maxim. ibid. Ὡς γὰρ οὐκ εἰσὶ δύο ἀνθρωπότητες Πέτρου καὶ Παύλου, οὐδὲ δύο θεότητες πατρὸς καὶ υἱοῦ.

d Ibid. Ἄλλη καὶ ἄλλη ὑπόστασίς ἐστι Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, ἀλλ' οὐχὶ ἄλλη καὶ ἄλλη ἀθανασία. καὶ γὰφ ἡμεῖς ἄλλην καὶ ἄλλην ἔχομεν ὑπόστασιν, ἀλλ' οὐχί ἄλλην, καὶ ἄλλην ἀνθρωπότητα. καὶ ἡ ὑπόστασις Πέτρου , ἄνθρωπός ἐστιν, καὶ ὑπόστασις Παύλου, ἄνθρωπός ἐστιν· καὶ δύο εἰσὶν ὑποστάσεις, καὶ οὐ δύο ἀνθρωπότητες· καὶ ἄλλην, καὶ ἄλλην ὑπόστασιν ἔχομεν, οὐχὶ δὲ ἄλλην καὶ ἄλλην ἀθανασίαν , ἣν διὰ τοῦ ἑνὸς βαπτίσματος ἐλάβομεν. εἰ γὰρ ἄλλη, καὶ ἄλλη ἀθανασία, ἄλλο καὶ ἄλλο βάπτισμα, καὶ ἄλλη, καὶ ἄλλη πίστις, καὶ οὐκ ἔστιν εἷς Κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα.

e Anast. et Cyr. Καὶ ἡ μὲν οὐσία, ἤτοι φύσις τὸ κοινὸν χαρακτηρίζει, ἡ δὲ ὑπόστασις, ἤτοι τὸ πρόσωπον

1 *Eph.* IV, 5. — 2 Aug. in *Psal.* LXVIII. — 3 Editus est Græce et Latine a Beza.

VIII. Verum illa postremorum trium verba nihil perplexum continent, et de speciei ejusdem unitate interpretari licet, quod ad creatas res attinet, quæ divinæ singularitatem communione speciei unius imitantur. Deo sunt auctores, qui superiora illa, Nysseni præsertim Gregorii, paradoxa propius assecuti sunt, ut sub eadem hominis forma plures esse naturas individuorum, vel etiam homines negarent. Joannes Damascenus in libro tertio *de Fide orthodoxa*, capite octavo, « Sciendum est, inquit, numerum esse differentium rerum. Impossibile est enim ea numerari, quæ in nihilo differunt; ac secundum id, quod differunt, numerantur. Velut Petrus, et Paulus, secundum quod uniuntur, non numerantur. Quippe ratione naturæ uniti, duæ naturæ dici minime possunt : at hypostasi cum differant, duæ hypostases dicuntur[a]. » Meminit subinde naturarum in Christo duarum, quas ob id hypostases non esse duas asserit; quia hypostasi in unum conveniunt, cum alioqui naturæ sint duæ, quoniam in naturæ genere invicem distant. Et antea capite sexto, « numero, ait, non natura differre hypostases omnes[b]. » Tum in libro *de Duabus Christi voluntatibus*, « Alius est, inquit, Petrus, et alius est Paulus; alia hypostasis, et alia; non autem alia natura Paulus, alia et Petrus. Nam omnes homines unius sunt naturæ[c]. »

Alter est Theodorus Abucara, qui in opusculo secundo, Petrum, Paulum, et Joannem dici homines plurali numero vetat : « Ut si velimus, ait, numerare Petrum, et Paulum, et Joannem, non dicimus tres homines; quoniam horum quidem unusquisque homo est, sed homo non est ullus istorum. Nam minora de majoribus non prædicantur, sed majora de minoribus. Non enim dixeris, hominem ipsum esse Petrum, sed Petrum dices esse hominem. Igitur si Petrum, Paulum, Joannem dices esse tres homines, numerabis id, quod non proposueras numero subjicere. Jam enim diximus, hominem non esse ullum istorum[d]. » Quæ Theodori ratio satis est obscura, sed sic intelligenda videtur : In omni enuntiatione, quæ *subjecto* constat, et *prædicato* (sic enim vocant), quidquid inest prædicato, inest etiam subjecto; non autem vicissim, quod subjecto convenit, prædicato necesse est tribui. Cum igitur majus de minori, hoc est commune de singulari dicatur, non autem singulare de communi, ut homo de Petro, non Petrus de homine; proprium vero sit singularium, multiplicitas, eo quod hypostases, in quibus multitudo cernitur, individua sint; natura autem communis una sit; non debemus sic loqui : Petrus, Paulus, et Joannes tres sunt homines; quoniam ternarius numerus ex individuis petitur, quæ de homine non prædicantur; unde nec, quod illis inest, in hunc transit. At dicimus : Petrus, Paulus, et Joannes sunt homo; quoniam naturæ, ut ita dicam, unitas simul cum natura ipsa derivatur in singulos. Paulo post vero ad sanctissimæ Trinitatis personas dictum illud accommodat : « Eodem modo, inquit, demonstratur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non esse tres deos, licet horum quilibet Deus sit perfectus; quemadmodum unusquisque illorum homo perfectus est. Verum non dicuntur tres homines : igitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres sunt hypostases, sicut et illi[e]. »

Ex eodem fonte manavit, quod idem Theo

τὸ ἴδιον ἑκάστου σημαίνει· ὡς ἐπὶ ἀνθρώπου φέρε εἴπωμεν, ὅτι καὶ πάντες ἄνθρωποι μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς φύσεως ἐσμεν, μία καὶ αὐτὴ παρὰ πᾶσιν ἐστιν. πάντες γὰρ ἄνθρωποι ἐκ ψυχῆς τε νοερᾶς, καὶ σώματος συνεστήκαμεν, ὑποστάσεων δὲ πολλῶν, καὶ ἀπείρων, καὶ ἀναριθμήτων.

a DAMASC. lib. III, cap. VIII. Ἰστέον δὲ, ὡς ὁ ἀριθμὸς τῶν διαφερόντων ἐστι. καὶ ἀδύνατον ἀριθμεῖσθαι τὰ κατὰ μηδὲν διαφέροντα· καθ' ὃ δὲ διαφέρουσι, κατὰ τοῦτο καὶ ἀριθμοῦνται. οἷον ὁ Πέτρος, καὶ ὁ Παῦλος καθ' ὃ μὲν ἥνωνται, οὐκ ἀριθμοῦνται. τῷ λόγῳ γὰρ τῆς φύσεως ἑνούμενοι, δύο φύσεις οὐ δύνανται λέγεσθαι· καθ' ὑπόστασιν δὲ διαφέροντες, δύο ὑποστάσεις λέγονται.

b Id. lib. III, cap. VI. Ἀριθμῷ γὰρ, καὶ οὐ φύσει διαφέρειν λέγονται ὑποστάσεις.

c Idem, in lib. *de Duab. volunt.* Ἄλλος γάρ ἐστιν ὁ Πέτρος, καὶ ἄλλος ὁ Παῦλος. ἄλλη ὑπόστασις καὶ ἄλλη, οὐκ ἄλλη δὲ φύσις ὁ Παῦλος, καὶ ἄλλη ὁ Πέτρος. πάντες γὰρ οἱ ἄνθρωποι μιᾶς φύσεώς εἰσι.

d THEODOR. ABUC. Οἷον βουλοίμεθα Πέτρον ἀριθμῆσαι, καὶ Παῦλον, καὶ Ἰωάννην, οὐ φαμὲν γὰρ ἀνθρώπους· ἐπειδὴ ἕκαστος μὲν αὐτῶν ἐστιν ἄνθρωπος· ἄνθρωπος δὲ οὐκ ἔστιν οὐδεὶς τούτων. τὰ γὰρ ἐλάττω τῶν μειζόνων οὐ κατηγορεῖται, ἀλλὰ τὰ μείζω τῶν ἐλαττόνων. οὐκ ἔστι γὰρ ἂν εἴποις τὸν ἄνθρωπον εἶναι Πέτρον, ἀλλὰ τὸν Πέτρον εἴποις ἂν εἶναι ἄνθρωπον. εἰ τοίνυν Πέτρον, καὶ Παύλον, καὶ Ἰωάννην εἴποις εἶναι τρεῖς ἀνθρώπους, ἠριθμηκὼς ἔσῃ ὃ μὴ προέθου καθυποβάλλειν ἀριθμῷ. προέφημεν γὰρ τὸν ἄνθρωπον μὴ εἶναι μηδένα τούτων.

e Idem. Κατὰ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἀποδείκνυται μὴ εἶναι τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα τρεῖς Θεοὺς, εἴ καὶ τούτων ἕκαστον Θεός ἐστι τέλειος, ὥσπερ ἕκαστος ἐκείνων ἄνθρωπος τέλειος, ἀλλ' οὐ λέγονται τρεῖς ἄνθρωποι. ὁ πατὴρ τοίνυν, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τρεῖς εἰσιν ὑποστάσεις, ὥσπερ κἀκεῖνοι.

dorus subinde concludit, ex eo quod hypostasis, utpote particulare quiddam, de natura, quæ est commune aliquid, non dicitur, sed natura de hypostasi, sequi Patrem quidem esse Deum, vel Filium Deum, sed non vicissim « divinitatem, sive Deum esse Patrem. Si enim Deus esset Pater, prorsus Filius non esset Deus; non enim reciprocatur prædicatio, ut omnes intelligunt, quoniam Pater quidem est Deus, et Filius est Deus, similiter et Spiritus sanctus. Quare Deus non est ullum trium istorum; sed neque universa hæc tria sunt Deus. Nam si Deus Pater est, et Filius, et Spiritus sanctus; omnino quidquid est Deus, erit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Verum quilibet istorum ita perfectus est Deus, ut non sit universa tria[a].» Hæc Theodori ratiocinatio utcumque ferri poterit, si quis Dei vocabulum præcise, absoluteque consideret, qua est distractum quiddam ab individuis, et commune, vel si ὁλικῶς, et *ex toto* spectetur. Ita enim Pater, exempli causa, non est Deus confuse, universeque sumptus, et in statu illo, quem *logicum* idem Theodorus nominat, nostri *secundæ intentionis*, sive *formalem*, et ut tribus convenit. Non enim Pater cum Deo adæquatur; tametsi reipsa unum sit, et idem, hoc est una, et simplicissima res cum ipso. Si Pater Dei notionem exæquaret, esset idem personæ tres; quemadmodum paulo ante scripsit Theodorus, si homo esset Petrus, eumdem Petrum fore tres simul, quibus nomen hominis, et natura competit, Petrum, Paulum, et Joannem. Sic opusculo XXXVIII idipsum inculcat, unam in divinis personis inesse deitatem, sicut una in Petro, et Paulo, cæterisque inest humanitas, imo et in renatis, ac baptizatis immortalitas. Quæ totidem verbis enarrat Maximus in dialogo primo, qui inter Athanasii opera cusus est, cujus verba supra descripsimus. Theorianus quoque in *Disputatione cum Armeniis* « unam ait omnium hominum esse naturam; » et inde probat, quod una sit omnium definitio, quæ naturam explicat. « Nam individua propriam nullam habent definitionem[b]. »

Rejicitur hæc Græcorum supradicta sententia.

X. Hactenus Græcorum theologorum sententia, quibus favet Ambrosius in quinto *de Fide*, capite primo. Atque hoc illi freti principio, naturam esse commune aliquid, longius progressi sunt, ut in pluribus individuis unam esse crederent: ex quo consectarium istud effecerunt, non debere plures homines appellari eadem natura prædita hominis individua. Cui decreto publica philosophorum vox reclamat; qui singulares naturas, et individuas sub eadem specie plures esse numero sentiunt, quæ secundum hoc ipsum, in quo unum sunt, numerantur. Nam et una specie natura, sive unus homo specie, dicuntur homines omnes, et iidem numero plures homines, sive naturæ particulares humanæ plures numero vocantur. Neque vero similiter hoc habet atque populus, aut exercitus, et alia generis hujus, quæ *collectiva* nomina dicuntur. Hæc enim totius multitudinis e singulis collectæ vocabula sunt, et hujus integri componentes partes sunt individua quælibet; sicut partes ternarii sunt monades tres, quæ singulæ non sunt ternarii. Hominem vero cum dicimus, naturam quamdam significamus, non e singulis, tanquam partibus, coagmentatam, sed ab his omnibus sola ratione divulsam, et unam non re, ut ait Joannes Damascenus [1], sed cogitatione factam, quæ in unoquoque individuo tota consistit. Quo fit, ut singuli commune nomen hominis accipiant, quia sunt partes, non ἐνεργείᾳ, et συνθέσει, id est *actu*, et *compositione*, quas integri partes *integrantes* vocant, sed δυνάμει, quod est *potentia*, vel *subjectione*. Itaque communis illa natura hominis, quam universe animo complectimur, non velut membratim secta, per individua spargitur, cum ad ea consideratione nostra demittitur; sed reipsa, et simpliciter multæ sunt singulares naturæ, quæ similitudinem, vel communionem habent inter se proprietatum, ob

a Theodor. Abuc. Οἷον ἡ θεότης, ἤγουν ὁ Θεὸς, οὐκ ἔστι πατήρ· εἰ γάρ ἐστι πατὴρ, πάντως οὐκ ἦν ὁ υἱὸς Θεός. οὐ γὰρ ἀντιστρέφει ἡ κατηγορία, ὡς πᾶσιν εὔδηλον. ὅτι ὁ πατὴρ μέν ἐστι Θεὸς, Θεὸς δὲ οὐ πάντως ἐστὶ πατήρ. καὶ ὁ υἱὸς, Θεός ἐστιν. ὡσαύτως καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ὥστε Θεὸς οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν τριῶν τούτων. ἀλλ' οὐδὲ ὅλα τὰ τρία ἐστὶ Θεός. εἰ γὰρ Θεὸς πατήρ ἐστιν, υἱός τε, καὶ ἅγιον πνεῦμα· πάντως πᾶν ὃν Θεὸς, ἔστι πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα. ἀλλ' ἕκαστος τούτων Θεὸς ὑπάρχων τέλειος, οὐχ ἔστιν ἄλλα τὰ τρία (cor. ὅλα τὰ τρία).

b Theor. Ὁ οὖν ἄνθρωπος καθόλου ἐστι. κατὰ γὰρ Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ πάντων τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων κατηγορεῖται. διὸ καὶ μία φύσις λέγεται. πάντες γὰρ ἄνθρωποι ἐκ ψυχῆς λογικῆς εἰσι, καὶ σώματος, καὶ ὅρον τοῦ ἀνθρώπου ἐπιδέχονται, ὅς ἐστι, ζῶον λογικὸν θνητόν. ὁ δὲ ὅρος τὴν φύσιν τοῦ ὑποκειμένου πράγματος δηλοῖ. διὰ τοῦτο τὰ ἄτομα ἴδιον ὅρον οὐκ ἔχουσιν.

1 Damasc. lib. I *de Fide*, cap. XI.

quam velut una notio informatur ex omnibus; quæ, ut cogitatione duntaxat unum aliquid est, ita cogitatione ad singulas deinde partes applicatur.

XI. Hanc naturæ communitatem, et universalem statum, erudite declarat Otto Frisingensis, cum de Gilberti Porretani causa disputat in libro I *de Gestis Friderici*, cap. LIII. Cum enim dixisset, « In naturis proprietatem substantialem aliam universalem, aliam esse singularem, vel individualem, vel particularem, » de priore mox ita loquitur: « Universalem vero dico, non ex eo, quod in pluribus sit, quod est impossibile; sed ex hoc quod plura in similitudine vivendo, ab assimilandi unione universalis, quasi in unum versalia dicitur. » Ut hæc ridicula nominis est notatio, sic res ipsa verissima, et ad id de quo agimus, opportuna, *universalem* dici *naturam*, non quod una reipsa sit, et numero pluribus in individuis, sed quia propter similitudinem plurium inter se, quædam in animo contemplantis illorum unitas existit; quatenus in unam quodammodo notionem congregata coeunt. Atque ut laxior, vel contractior est illa communio, similitudoque multorum, eo magis minusve sunt unum; idque, in quo conveniunt, ac similia sunt, latius patet, aut angustius circumscribitur. Sic generalior est natura corporis, ac minus habet de illa similitudinis unitate, quam animalis; hæc minus, quam hominis. Hic vero ultimus est communitatis gradus, et similitudinis summus, quoniam deinceps non similitudo, sed dissimilis in individuis varietas occurrit. Idcirco Boetius, « Specie, inquit, est forma individuorum, et ultima similitudo. Post hanc enim non similitudo, sed dissimilitudo potius occurrit. » Quapropter naturam, id est φύσιν, et οὐσίαν Græci, ut supra memini, complures infimam speciem esse dixerunt, quod hæc infinitam superiorem amplitudinem, et similitudinis unitatem sic in se collectam, ac restrictam habet, ut proxime subjectam sibi inferiorum multiplicitatem effugiat.

XII. Hujus quæstionis appendicula quædam est illa altera veterum aliquot ex opinione nata, cujus antea meminimus: ecquid humana in Christo natura singularis fuerit, an communis? Communem fuisse nonnulli scripserunt. Ut Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium, codice CCXXIX, ubi Eutychianorum quorumdam calumniam propulsat, beati Leonis epistolam *ad Flavianum* imperite redarguentium, tanquam Deum, et hominem in Christo personas constitueret duas. Verba Leonis[1]: « Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est[a]. » Hæc verba Græce translata sic sunt, ut ob linguæ proprietatem articuli præfixi sint vocabulis, *Deus*, et *homo*, unde cavillandi ansam acceperunt hæretici, uti Leonis epistolam, quod Nestorianam redoleret hæresim, repudiandam dicerent. Siquidem articuli vim habent ejusmodi, ut singulare, ac definitum quippiam, adeoque hypostasim designent. At Ephræmius Athanasii, Gregoriorum, Epiphanii, et Chrysostomi auctoritate contendit, non hoc articulos efficere, ut diversæ in Christo habendæ sint personæ, sed naturæ; et, quod humanam spectat, constare, « nequaquam particularem, et individuum significari hominem, sed communem, et generalem[b]; » nec raro præfixis articulis vocabulo Dei, non tamen personas, sed naturam indicari communem. Ergo communis in Christo, non singularis homo exstitit. Cui et Joannes Damascenus accedit in tertio libro *de Fide orthodoxa* cap. VI. Nam, quod Apostolus scribit, *convivificatos esse* nos Christo, tum, *Et conresuscitavit, et consedere fecit in cælestibus*[2]; ita Damascenus exponit, « non ut omnes hominum hypostases surrexerint, et consederint a dextris Patris, sed quatenus tota nostra natura in Christi erat hypostasi, etc. Quinetiam istud affirmamus, ex communibus substantiis unionem esse factam. Omnis enim substantia communis est omnibus sub ipsa comprehensis hypostasibus; neque reperiri potest particularis et propria natura, sive substantia; alioqui necesse sit, easdem hypostases, et ejusdem substantiæ, et diversarum substantiarum dicere, itemque sanctam

An humana Christi natura fuerit singularis vel communis.

a Græca Leonis interpretatio apud Phot. Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ ἐλεεῖν ὁ Θεὸς τροπὴν οὐχ ὑφίσταται· οὕτως ὁ ἄνθρωπος τῷ μεγέθει τῆς θείας δόξης οὐκ ἀναλίσκεται. ἐνεργεῖ γὰρ ἑκατέρα μορφὴ κατὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, ὅπερ ἴδιον ἔσχηκε.

b EPHRÆM. Καὶ δηλοῦντες διὰ τῆς τοιαύτης προταγῆς τῶν ἄρθρων, οὐ τόν τινα ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸν ὁλικόν. οὐδὲ τὴν τοῦ πατρὸς, ἢ τὴν τοῦ υἱοῦ ὑπόστασιν, ἀλλὰ τὴν κοινὴν φύσιν.

1 Leo ep. x, cap. IV. — 2 *Eph*, II, 5 et 6.

Trinitatem, et ejusdem substantiæ, et diversarum secundum divinitatem asserere. Quare eadem natura in qualibet hypostaseon spectatur [a]. »

XIII. Hic locus Damasceni insignis est ad illam, quam dixi, Græcorum intelligendam opinionem; qui et rationem continet, quæ hoc persuasit ipsis, naturam generalem esse aliquid, non singulare. Veriti sunt enim, ne, si suam in unoquoque individuo substantiam, et essentiam agnoscerent, ut quot singularia sunt, totidem sint οὐσίαι, jam homines singuli non ὁμοούσιοι solum, sed etiam ἑτεροούσιοι inter se dicerentur; quod et specie eædem, et numero diversæ in ipsis constituerentur οὐσίαι. Hoc vero si in hominibus concederent, etiam in Deum rati sunt oportere transferri; quandoquidem ad declarandum Trinitatis mysterium, ejusque tribus in personis unitatem substantiæ, usu tritum, et commodissimum exemplum de hominum natura capi consueverat. Quare negandum hoc potius arbitrati sunt, plures in hominibus singulis οὐσίας inesse, quam hoc committendum, ut idem et affirmari de Deo merito posset, quod de homine faterentur. Sed nihil hoc erat, si animadverterent, multo esse majorem unitatem divinæ essentiæ, quam humanæ; hujus enim, nonnisi ἐπινοίᾳ, et fictione quadam animi et cogitationis, illius reipsa constare. Itaque naturam hominis non unam numero, sed specie, divinam autem numero unam esse; quod postea demonstrabitur. Redeundum enim est ad id, quod Damascenus ex Apostolo commemorat, in homine Christo singulos comprehendi homines. Cui similia passim apud veteres occurrunt, ut Athanasium [1], Hilarium [2], Leonem, et cæteros. Ac Marius quoque Victorinus [3] in libro tertio *adversus Arium*, « universalem et carnis, et animæ rationem » assumpsisse Christum asserit. « Sed cum carnem, inquit, sumpsit, universalem λόγον carnis sumpsit. Nam idcirco omnis carnis potestas in carne triumphavit; et idcirco omni subvenit carni, etc. Item et universalem λόγον animæ. »

Rationem.
Rationem.

XIV. Theodorus item Abucara [b] in opusculo secundo, pressius et limatius hanc quæstionem explicans, ostendit, quemadmodum Filius Dei rem communem assumpserit; ac plura de eorum statu, et conditione, quæ *universalia* vocantur, expromit: esse videlicet ἀσώματα, id est *minime corporea*, etiam illa, quibus subjecta individua corpora sunt; ut sunt genera omnia, speciesque rerum corporatarum. Ex quo hæretici catholicis insultabant. Si enim naturam communem hominis suscepit Filius Dei; communis autem natura corpus non est; sequitur ne carnem quidem, vel corpus induisse. Quod ut absurdum impiumque vitarent, cogebant fateri, corpus ab illo sumptum esse singulare, et individuum; id autem non aliud esse præter hypostasim. Theodorus vero respondet, corpus aliud esse natura, aliud definitum, ac determinatum proprietatibus suis: « Corpus igitur, et quæ subjecta corpori sunt communia, velut animatum, animal, homo, incorporea dicuntur; quoniam horum unumquodque sub sensus non cadit, sed mente percipitur. Non enim insunt ipsis proprietates determinantes, per quas subjiciantur sensibus. Porro individua, de quibus illa prædicantur, corpora sunt, ut quæ sub sensus cadunt; habent enim determinantes proprietates. Verum etsi corpus commune, et quidquid communi continetur, eo quod sensu nullo modo, mente vero sola comprehenditur, incorporeum vocatur, natura tamen corpus est [c]. » Paulo item postea docet naturas, quæ sunt in Christo, neque communes esse, neque particulares. Nam si communes constituas, instabunt hæretici, Christum

a Damasc. lib. III, cap. VI. Λέγομεν δὲ τὴν φύσιν ἡμῶν ἐγηγέρθαι ἐκ νεκρῶν, καὶ ἀνεληλυθέναι, καὶ κεκαθικέναι, ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, οὐ καθὸ πᾶσαι αἱ τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεις ἀνέστησαν, καὶ ἐκάθισαν ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ καθὸ πᾶσα ἡ φύσις ἡμῶν ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ὑποστάσει, etc. Καὶ τοῦτο δὲ φαμὲν, ὅτι ἐκ κοινῶν οὐσιῶν ἡ ἕνωσις γέγονε. πᾶσα γὰρ οὐσία κοινή ἐστι τῶν ὑπ' αὐτῆς περιεχομένων ὑποστάσεων· καὶ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν μερικὴν, καὶ ἰδιάζουσαν φύσιν, ἤ τοι οὐσίαν. ἐπεὶ ἀνάγκη τὰς αὐτὰς ὑποστάσεις καὶ ὁμοουσίους καὶ ἑτεροουσίους λέγειν· καὶ τὴν ἁγίαν τριάδα, καὶ ὁμοούσιον, καὶ ἑτεροούσιον κατὰ τὴν θεότητα λέγειν. ἡ αὐτὴ τοίνυν φύσις ἐν ἑκάστῃ τῶν ὑποστάσεων θεωρεῖται.

b Abuc. Εἰ δὲ κοινὸν πρᾶγμα προσειληφέναι τὸν υἱόν φαμεν, ἐπεμβαίνουσιν ἡμῖν.

c Abucara ibid. Τὸ σῶμα τοίνυν, καὶ ὅσα ὑπὸ τὸ σῶμά ἐστι κοίνα, οἷον ἔμψυχον, ζῶον, ἄνθρωπος, ἀσώματα καλοῦνται· ἐπειδὴ τούτων ἕκαστον αἰσθήσει μὲν οὐχ ὑποπίπτει, ἀλλὰ νοῒ καταλαμβάνεται· οὐ γάρ εἰσιν αὐτοῖς ἰδιότητες ὁριστικαί. καθ' ἃς αἰσθήσει καθυποβληθήσονται. τὰ μέν τοι ἄτομα, καθ' ὧν ταῦτα κατηγοροῦνται, σώματά ἐστι. ὡς ὑπὸ τὴν αἴσθησιν πίπτοντα. ὁριστικὰ γὰρ ἔχουσιν ἰδιώματα. πλὴν εἰ καὶ τὸ κοινὸν σῶμα, καὶ ὅσον ἐστὶν ὑπὸ τὸ κοινὸν, διὰ τὸ μηδαμῶς αἰσθήσει, ἀλλὰ νῷ μόνῳ εἶναι ληπτὸν, ἀσώματον λέγεται, ἀλλ' οὖν φύσει σῶμα καθέστηκεν.

1 Athan. lib. *de Incarn.* — 2 Hilar. lib. VIII *de Trinit.* — 3 Victor. lib. III *contra Arian.* col. 217. Tom. IV *Bibl. Patrum.*

esse omnes divinitatis hypostases; quod sit absurdum. Si particulares esse malis, totidem erunt hypostases. Neutrius ergo generis esse dicit, « sed communem rem quampiam, ut, quod utrinque dictu est incommodum, effugiat. Communem porro rem istam, neque esse hypostases omnes, nec unam hypostasim, sed id, quod spectatur, et reperitur ex toto in unaquaque suarum hypostaseon[a]. »

Natura quæcumque trifariam considerata

XV. Joannes vero Damascenus in libro tertio, capite undecimo, naturam quamcumque, velut humanam, trifariam considerat: « Aut enim simplici consideratione spectatur (nam per se non subsistit), aut communiter in omnibus speciei ejusdem hypostasibus, quas conjungit, et dicitur in specie considerata natura. Vel ex toto eadem in assumptione accidentium in una hypostasi, ac dicitur in individuo spectata natura, quæ est eadem cum ea, quæ in specie consideratur. Deus itaque Verbum incarnatum neque naturam assumpsit in sola consideratione spectatam; non enim hoc esset incarnatio, sed deceptio, et fictio quædam incarnationis: neque illam, quæ in specie cernitur; nam non omnes hypostases assumpsit, sed eam, quæ individuo inest, et est eadem cum ea, quæ est in specie[b].»

Et in capite XXX *Dialecticæ*, philosophos exteros ait triplicem veluti naturæ statum distinguere: primus est particularis, et individuæ, quam hypostasim appellarunt: secundus universalis naturæ, et hypostases comprehendentis, quam φύσιν vocarunt[c]: tertius ejusdem naturæ, qua simplex est, exstantia, et hoc modo substantiam ab illis esse dictam. Quæ philosophorum sententia hanc habet interpretationem: Οὐσία, sive *substantia*, aut *essentia* idem est ac τὸ ὂν absolute. Nam accidens proprie non est τὸ ὄν, sed τοῦ ὄντος affectio quædam. Sola vero substantia *esse* dicitur, et τὸ ὂν vocatur. Ac secundum generalem illam notionem, et, ut summum est

Ens. Entis.

Exstantia.

categoriæ genus, cum ὑπάρξει convenit, quæ est exstantia rei absoluta, universeque spectata, quæ per genera subjecta, eorumque species, et individua sive hypostases diffunditur. Sunt enim hæc omnia οὐσίαι quædam, quia *sunt*, et *existunt*, et ὄντα, id est *entia* proprie dicta, et primaria nominantur. At φύσις, ut ibidem Damascenus ait, est, quæ proxime continet hypostases, nempe species ultima, quæ communem, et infinitam τῆς οὐσίας rationem certa, et determinata notione definit. Hunc nos Damasceni locum, quem supra commemoravimus, hoc sensu capiendum arbitramur. Verum Damascenus, triplici illa neglecta ratione, in ea conquiescit, quam a sanctis Patribus adhibitam esse confirmat, ut species ultima promiscue dicatur οὐσία, et φύσις, et μορφή; individuum autem ὑπόστασις. Quod ex superiore ejusdem sententia conformandum est ita, ut species ista, naturaque communis non vaga, laxaque spectetur, qua individua continet omnia, sed ut in uno aliquo inest, in quo nuda proprietatibus iis, quibus individua constant, et absoluta cogitatur.

Natura.

Essentiæ.

Essentia et natura et forma. Hypostasis.

Declarat hoc erudite Euthymius in *Panoplia*, sub finem tituli septimi partis primæ, « Aut universalem, inquit, hominem, aut particularem, Verbum, ac Deus assumpsit. S universalem, non fuisset aspectabilis. Nam universalis natura videri non potest; quinetiam hypostases plures habuisset, siquidem de pluribus universale dicitur. Ac ne nobiscum quidem ejusdem foret substantiæ; quippe et nos individua sumus. Tum ejusmodi pleraque absurda sequerentur. Superest igitur, ut neutrum assumpserit, sed naturam particularis hominis, hoc est individui, ipse factus hypostasis ipsius. Cæterum natura particularis hominis est ipsa quidem communis, sed in individuo[d]. »

XVI. Sed de humana Christi natura alias,

a Theod. Abuc. Διὸ τοῖς τῆς ἁγίας συνόδου προμάχοις, καὶ ὑπερασπισταῖς ἀναγκαῖον ἀποδεῖξαι τὴν φύσιν μήτε κοινὴν, μήτε μερικὴν λέγεσθαι, ὡς ἐκεῖνοί φασιν. ἀλλὰ κοινὸν πρᾶγμα φεῦγον τὴν ἀτοπίαν ἑκατέρων· ὅπερ οὐκ ἔστιν οὔτε πᾶσαι αἱ ὑποστάσεις, οὔτε μία ὑπόστασις· ἀλλὰ τὸ θεωρούμενόν τε, καὶ εὑρισκόμενον ἐν ἑκάστῃ τῶν ἑαυτοῦ ὑποστάσεων.

b Damasc. lib. III, cap. II. Ἡ φύσις ἢ ψιλῇ θεωρίᾳ κατανοεῖται· καθ' ἑαυτὴν γὰρ οὐχ ὑφέστηκεν· ἢ κοινῶς ἐν πάσαις ταῖς μονοειδέσιν ὑποστάσεσι, ταύτας συνάπτουσα· καὶ λέγεται ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένη φύσις· ἢ ὁλικῶς ἡ αὐτὴ ἐν προσλήψει συμβεβηκότων ἐν μιᾷ ὑποστάσει. καὶ λέγεται ἐν ἀτόμῳ θεωρουμένη φύσις, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένῃ. ὁ οὖν θεὸς λόγος σαρκωθεὶς οὔτε τὴν ἐν τῇ ψιλῇ θεωρίᾳ κατανοουμένην φύσιν ἀνέλαβεν. οὐ γὰρ σάρκωσις τοῦτο, ἀλλ' ἀπάτη, καὶ πλάσμα σαρκώσεως· οὔτε τὴν ἐν τῷ εἴδει θεωρουμένην· οὐ γὰρ πάσας τὰς ὑποστάσεις ἀνέλαβεν. ἀλλὰ τὴν ἐν ἀτόμῳ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἐν τῷ εἴδει.

c Idem, cap. XXX *Dialect.* Ὥστε τὸ μὲν μερικώτερον, ἐκάλεσαν ὑπόστασιν. τὸ δὲ καθολικώτερον, καὶ περιέχον τὰς ὑποστάσεις, ἐκάλεσαν φύσιν· τὴν δὲ ἁπλῶς ὕπαρξιν ἐκάλεσαν οὐσίαν.

d Euthym. par. I, tit. VII. Τὸν καθόλου ἄνθρωπον, ἢ τὸν μερικὸν ὁ λόγος ἀνέλαβε, καὶ θεὸς. εἰ μὲν τὸν καθόλου, οὐκ ἂν ἦν ὁρατός· ἡ γὰρ καθόλου φύσις ἀόρατος.

si Deus dederit, agemus; de divinæ vero singularitate postea hoc in ipso libro. Nunc illud unum admoneo, aliam esse rationem naturæ communis, quam creatis ab individuis cogitatione sola secernimus, tum ad eadem applicamus; atque est divinæ, quæ personis tribus convenit. Hæc enim re est ipsa singularis, non tamen hypostasis, aut persona; quia proprietate caret ea, quæ personam constituit, quam esse τρόπον τῆς ὑπάρξεως, id est *modum existendi* perfecte, ut Græci loquuntur, αὐτοτελῶς, supra demonstravi. In quo turpiter lapsum esse Philoponum constat Tritheitarum hæresis architectum, qui idem prorsus divinæ, humanæque communis naturæ judicium esse statuens, quod in hac recte animadverterat, pessime ad illam transtulit. Nam apud Nicephorum Callisti de utraque Christi natura disserens, « naturam humanitatis cum Verbo copulatam esse dicit, quæ sit illa maxime particularis exstantia, quam solam ex omnibus Verbum assumpsit[a].» Et hactenus quidem quod erat philosophiæ, in qua plurimum excelluit, consentaneum, vidit, naturam hominis, quæ est in Christo, ut et aliam cujuslibet singularis hominis, μερικὴν, id est *particularem* esse, non communem. Itaque prius illud explicarat, naturam omnem id, quod est, bifariam dici; « primum cum uniuscujusque naturæ rationem ipsam per sese contemplamur, velut hominis naturam, vel equi in nullo individuorum exstantem. Deinde cum illam ipsam communem naturam in individuis existentem intuemur, et maxime particularem in quolibet illorum exstantiam capientem, neque cuiquam alteri, nisi illi, ac soli deinceps convenientem[b]. » Præclare Philoponus naturam hominis in quovis individuo singularem, minimeque communem inesse docet, sive communem quidem in sese; ut autem singularibus proprietatibus afficitur, particularem. Quod ad veterum sententiam illustrandam, et cum rei veritate conciliandam multum valet. Qui cum naturam sive in Christo, sive in cæteris hominibus, communem esse dictitant, eam per se, ac sola cogitatione ab individuorum proprietatibus abductam intelligunt, cum sit reipsa singularis, vel, ut brevius Euthymius, aliique colligunt, communis in quovis individuo. Cum autem μερικὴν, id est *individuam* eamdem esse negant, de perfecto naturæ statu, completaque ejus exstantia, vel subsistentia prorsus loquuntur, ut capite superiori vidimus. Verum quod ejusdemmodi in tribus divinis personis esse naturam, ac divinitatem asserit eodem in loco Philoponus, indignum non solum theologo, sed etiam christiano philosopho in errorem lapsus est, cujus etiam auctor fuisse perhibetur. Nam secus est de divina natura, sive substantia, ac de cæteris sentiendum, de qua re postea.

Perfecte.

XVII. Cæterum antiqui illi Patres, et imprimis Gregorius Nyssenus, a quo reliqui deinde philosophandi, loquendique de communi illa natura regulam sumpserunt, certis de causis eo abrepti videntur vi disputationis, uti suam cuique individuo negarent inesse naturam, adeoque dici non paterentur homines tres. Nam cum Ariani, et horum improbissimi Anomœi duplici in errore versarentur, quod et numero plures in personis divinis inesse naturas putarent, et specie diversas; priore dissimulato, qui minus habebat impietatis, ac periculi, posteriorem, in quo perfidiæ summa consistit, potissimum aggressi sunt. Quamobrem in id unum intenti animo fuerunt, ut τὸ ὁμοούσιον, hoc est essentiæ, sive substantiæ communionem, et æqualitatem statuerent; quæ, si vim spectes nominis, constat sibi etiam in iis, qui sub eadem specie comprehensa, solo numero discrepant. Hinc illud Augustini in secundo *contra Maximinum*, capite sexto: « Diversa quidem substantia est Deus Pater, et homo mater; non tamen diversa substantia est Deus Pater, et Deus Filius, sicut non est diversa substantia homo mater, et homo filius. » Itaque tum naturæ hominis

Qua ratione antiqui Patres abrepti sint ut suam cuique negarent inesse naturam.

ἀλλὰ καὶ ὑποστάσεις ἂν εἶχε πολλάς. κατὰ πλειόνων γὰρ τὸ καθόλου· καὶ οὐδ' ἂν ἡμῖν ἦν ὁμοούσιος· ἄτομα γὰρ ἡμεῖς. καὶ πολλὰ τοιαῦτα συνέβαινεν ἄτοπα. εἰ δὲ τὸν μερκιὸν, δύο εὑρεθήσεται ἔχων ὑποστάσεις. λοιπὸν οὖν οὐδέτερον ἀνέλαβεν. ἀλλὰ φύσιν μερικοῦ ἀνθρώπου, τουτέστιν ἀτόμου, γενόμενος αὐτὸς ὑπόστασις ταύτης. ἡ δέ τοῦ μερικοῦ ἀνθρώπου φύσις, κοινὴ μέν ἐστιν, ἐν ἀτόμῳ δέ.

a Niceph. lib. XVIII, cap. XLVII. Καὶ φύσιν πάλιν ἀνθρωπότητος λέγομεν ἡνῶσθαι τῷ λόγῳ τὴν μερικωτάτην ἐκείνην ὕπαρξιν, ἣν μόνην ἐκ πασῶν ὁ λόγος προσείληφε, δογματίζομεν.

b Ibid. ex Philop. Οὐκοῦν ἑκάστη φύσις οὐ μοναχῶς λέγεται τοῦθ' ὅπερ ἐστὶν, ἀλλὰ διχῶς· καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ὅταν τὸν κοινὸν ἑκάστης φύσεως λόγον, αὐτὸν ἐφ' ἑαυτοῦ θεωρῶμεν. οἷον τὴν ἀνθρώπου φύσιν, ἢ τὴν ἵππου ἐν οὐδενὶ τῶν ἀτόμων γινομένην. ἑτέραν δὲ, ὅταν αὐτὴν δὴ ταύτην τὴν κοινὴν ἐν τοῖς ἀτόμοις γινομένην κατίδωμεν, καὶ μερικωτάτην ἐν ἑκάστῳ λαμβάνουσαν ὕπαρξιν, καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ, πλὴν ἐκείνῳ, καὶ μόνῳ λοιπὸν ἐφαρμόζουσαν.

exemplo frequenter ad id usi sunt, ut unam in personis pluribus naturam posse esse monstrarent; unam, inquam, quod satis tunc habebant, specie, et æqualem, sic ut nulla esset alia præstantior ; tum ex Patris appellatione, ac Filii, generationis item, et similium argumenta sumpserunt, quæ ad hoc unum pertinebant, quod tum agebatur, ut dixi, ut naturæ cognationem, et æqualitatem, sive εἰδικὴν ἑνότητα, hoc est *speciei unitatem* probarent, quam solam præcise, et ex vi communis notionis τὸ ὁμοούσιον significat, ut dicam paulo postea. His præstructis disputationi suæ, quod adversarii identidem obstreperent, ex catholicorum dogmate, in quo tres sunt æquales invicem personæ ejusdem naturæ consortes, sequi, deos esse tres æquales invicem (cum ipsimet unum verum, ac summum, tres autem impares, et gradu diversos ponerent), uti se adversus illorum importunitatem defenderent, negare instituerunt, tres dici oportere non modo deos, sed ne homines quidem eo, quod una utrobique natura sit in pluribus. Unam porro cum dicerent, magis ad eorum, contra quos certabant, opinionem, ac mentem, quam ad philosophiæ præscriptionem sermonem suum dirigebant. Quare οὐσίαν ipsam et naturam communem, et eamdem esse dixerunt in omnibus individuis, quæ et ὁμοούσια idcirco forent, et natura distarent nihil, sed qualitatibus, et proprietatibus, quæ naturæ accidunt, ut et supra testibus iisdem veteribus probavi, et cum de divinæ naturæ singularitate disseram, rursus ostendam. Maxime autem divisione corporum inter se homines differre singulos, cum natura sint unum, iidem existimarunt; de quo Cyrillus Alexandrinus libro nono *Commentariorum in Joannem* capite primo sic scribit : « Non enim alii natura sumus ab iis, quos genuimus; neque porro naturali diversitate ab iis disjungimur, tametsi corporum varietate distamus. Itaque beatum Abrahamum videat is, qui natum ex illo filium aspexerit. Verum in homine forsitan magnum quoddam inest discrimen, cum unusquisque quodammodo contrahatur, et ad singularitatem conformatione sua se recipiat, nec alius in alio corporaliter insit natura ; etsi communis omnibus essentiæ ratio inesse videatur[a].» Quo fortassis illa nonnullorum opinio spectat, velut sancti Thomæ, quæ individuorum multiplicationem solam ad materiam, velut causam, et originem refert.

Ad extremum illud insuper tenendum est, οὐσίαν, et ὑπόστασιν ex Græcorum sententia, nonnisi ratione, et ἐπινοίᾳ, non autem reipsa differre. Quod Basilius in secundo *contra Eunomium* tradidit, necnon Maximus martyr in dialogo primo *contra Anomœos*, ut Demetrius Cydonius adnotat in libro *de Processione Spiritus sancti*. « Cum enim Anomœus dixisset (verba sunt Demetrii) : Aliud est substantia, et aliud hypostasis; sanctus Maximus respondet: Aliud et aliud sunt, non ut res. Illo vero objiciente : Igitur fiet compositio ; sanctus occurrit : Aliud, et aliud dixi, non ut rem ; sed ita, ut aliud significet substantia, et aliud hypostasis. Sicut granum frumenti dicitur, et est semen, et fructus. Porro aliud quiddam significat semen, et aliud fructus[b]. » Hæc Maximus in primo *Dialogorum*, qui vulgo Athanasio tribuuntur. Quod autem de discrimine οὐσίας, et ὑποστάσεως universe docet, id multo magis in Deo locum habet, ut in libro secundo tomi primi demonstravimus, cum de Dei simplicitate sermo nobis esset*.

a Cyril. lib. IX *in Joan.* Οὐ γὰρ ἕτεροι κατὰ φύσιν ἐσμὲν πρὸς τὰ ἐξ αὐτῶν γεννήματα· οὔτε μὴν εἰς ἀλλοτριότητα μεριζόμεθα φυσικὴν, εἰ καὶ τῇ τῶν σωμάτων ἑτερότητι διεστήκαμεν. διόπερ ἴδοι τις ἂν τὸν μακάριον Ἀβραὰμ ὁ τὸν ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα υἱὸν ἑωρακώς. ἀλλ' ἐπὶ μὲν ἀνθρώπου τυχὸν πολλή τις ἐστὶν ἡ διακοπὴ, συστελλομένου τρόπον τινὰ, καὶ ἀναχωροῦντος μεμορφωμένως ἑκάστου πρὸς τὸ ἰδίως ἔχειν, καὶ φαίνεσθαι, καὶ οὐκ ἐμπεφυκότος τῷ ἑτέρῳ σωματικῶς, εἰ καὶ κοινὸς ἅπασιν ὁ τῆς οὐσίας ὁρῷτο λόγος.

b Demetr. lib. *de Process. Sp. sancti*, cap. II. Τοῦ γὰρ Ἀνομοίου εἰπόντος· ἄλλό ἐστιν οὐσία, καὶ ἄλλο ὑπόστασις· ὁ θεῖος Μάξιμος ἀποκρίνεται· ἄλλο καὶ ἄλλο οὐχ ὡς πρᾶγμα. κἀκείνου εἰπόντος· οὐκοῦν σύνθεσις· ὁ ἅγιος ἐπάγει. ἄλλο καὶ ἄλλο εἶπον οὐχ ὡς πρᾶγμα, ἀλλ' ὡς ἄλλό τι σημαινούσης τῆς οὐσίας, καὶ ἄλλο τῆς ὑποστάσεως. ὡς ὁ κόκκος τοῦ σίτου λέγεται, καί ἐστι σπέρμα, καὶ καρπός. ἄλλο δέ τι σημαίνει τὸ σπέρμα, καὶ ἄλλο ὁ καρπός.

Hoc caput Petavii occasionem præbuit nonnullis eruditis viris, ex iis qui a Romana Ecclesia secessionem fecere, inquirendi in Patrum interpretationes hac de re. Illi autem multo plures locos Patrum congesserunt, quibus videntur confirmare unitatem in S. Trinitate esse specificam, non numericam. Inter eos eminent Steph. Curcellæus, et Rod. Cudiverthus. T. AL.

CAPUT X.

Ecquid personarum proprietates naturale quiddam, et substantiale sint. Id quatenus dici possit. Tum an formæ sint accidentes. Opinio de ea re Augustini expenditur. Easdem esse relativas, non absolutum quiddam significare ex antiquorum decretis asseritur.

I. Quæ de hypostasi universe moveri quæstio solet a philosophis, estque a nobis diligenter excussa superioribus capitibus, ea, cum de Deo agitur, peculiarem habet causam disputandi. Ibi enim personæ tres, vel hypostases, similiter ac creata, duplicem notionem continent; ac præter naturam ipsam communem, proprietates insunt iis aliquæ, quibus constituuntur, invicemque distant. De quibus hoc in capite investigandum nobis est, ut quid istæ sint proprietates, plenius, ac limatius explicemus; hoc est an substantivum aliquid sint, ut Ruffinus in *Symbolum* loquitur, an accidens : tum utrum absolutum quippiam, an σχετικόν. De eo itaque veterum indaganda sententia est.

...lativum.

An ...oprietates perso...rum sint aliquid ...turale et ...sentiale.

Ac videntur proprietates illas φυσικόν quiddam, et οὐσιῶδες, id est *naturale*, et *substantiale* constituere. Epiphanius hæresi LVII quæ est *Noetianorum* : « *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus ;* hæc vocabula, Ego, et, Pater, addito articulo ὁ, et interjecta copula, *et*, significant Patrem natura esse patrem, et Filium natura filium[a]. » Cyrillus item Alexandrinus dialogo secundo, dum adversus Anomœos probat Filium nequaquam libera voluntate a Patre esse genitum, argumentum ducit inde, quod quidquid οὐσιωδῶς, id est *substantive*, est Deus ac Pater, hoc non accessione quadam habet, aut voluntate; adeoque nec ut Pater sit, voluntate obtinet, quemadmodum neque ut bonus sit, et sanctus[b]. Quod ratione ista probat. « Si enim, inquit, negant substantive genitorem esse, funditus evertent exstantiam Filii, qui non citra generationem ut esset obtinuit[c]. » Ac si ideo, quia voluit, Filium genuit, ipse substantiam suam genitalem effecit.

Pressius instat in eo , et contra catholicam fidem disserit hæreticus apud Theodorum Abucaram. « Igitur Patris, inquit, nomen quanam ratione inest in Patre? Si quidem substantive, erit et in Filio. Sin tanquam adveniens aliquid substantiæ, poterit ergo cogitari aliquando non esse pater. Ac rursus, si quæ ita prædicantur, tanquam advenientia substantiæ, posteriora sunt substantiis; natura igitur Patri convenit, ut sit Pater, atque adeo Filius erit pater, necnon et Spiritus[d]. »

II. Hoc potissimum argumento catholicum dogma labefactare conati sunt Ariani, ut Dei Filium non e Patris substantia prodiisse monstrarent, neque ex natura sua genuisse Patrem, sed sola voluntate, et imperio, uti creatas res cæteras, ita Verbum suum edidisse; quod si id in natura sua insitum haberet Pater, ut gigneret alterum cuicumque eadem natura convenit, etiam in eo vim illam inesse genitalem oporteat; ac proinde Verbum ipsum, et Spiritum sanctum personas alias gignere, si eadem in illis natura cernitur.

Catholici autem ex adverso negare instituerunt, proprietates illas οὐσίαν esse, sed quiddam esse fassi sunt, quod naturæ additum sit, velut accidens. Quare nomina, quibus illæ significantur, « propinquitatis esse non naturæ, docet Augustinus[1]. Unde non ab eis rationabiliter dici, ideo Dei Patris, et Filii naturam esse diversam, quia iste Pater est, ille Filius. »

Cyrillus vero Alexandrinus libro XXXI *Thesauri*, objicienti hæretico, nomen *Ingeniti* quod personæ Patris proprietatem indicat,

a Epiph. hær. LVII, num. 3. Τὸ δὲ, ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ, ὄντος τοῦ ἄρθρου τοῦ ὁ, καὶ τοῦ, καὶ, ἀναμέσον, σημαίνει πατέρα φύσει πατέρα, καὶ υἱὸν φύσει υἱόν.

b Cyril. dial. II. Ὅσα ἐστὶν οὐσιωδῶς ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ, οὐκ ἐξ ἐπιδόσεως ἔχει τῆς κατὰ θέλησιν, τετραμμένης ἐπὶ τὸ ἄμεινον, οὐδὲ τὸ εἶναι πατὴρ, θεληματικῶς κεκτήσεται.

c Ibid. Εἰ μὲν γὰρ οὐκ εἶναί φασιν οὐσιωδῶς γεννήτορα, ἀναιρήσουσιν εἰσάπαξ τὴν ὕπαρξιν τοῦ υἱοῦ, οὐκ ἀγεννήτως τὸ εἶναι λαχόντος, etc. Εἰ δὲ φύσιν οὐκ ἔχων τὴν γεννητικὴν ἀληθῶς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ βουλήσει κεκίνηται πρὸς τὸ δύνασθαι γεννᾷν, ὥρα λέγειν ἤδη πῶς, ὡς αὐτός που τάχα τὴν ἰδίαν εἴργασται φύσιν γεννητικὴν ἀποφήνας.

d Theod. Abuc. Opusc. XXVIII. Αἱρετ. τὸ οὖν πατὴρ ὄνομα πῶς πρόσεστι τῷ πατρί; εἰ μὲν οὐσιωδῶς, ἔσται καὶ τῷ υἱῷ. εἰ δὲ ἐπουσιωδῶς ἔσται ἄρα ποτὲ ἐπινοούμενος πατὴρ μὴ εἶναι. καὶ πάλιν εἰ τὰ ἐπουσιωδῶς κατηγορούμενα, ὕστερα τῶν οὐσιῶν, φύσει ἔτι ἔσται τῷ πατρὶ τὸ πατήρ. καὶ ἔσται ὁ υἱὸς πατὴρ, ὁμοίως καὶ τὸ πνεῦμα.

1 August. epist. LXVI.

ejus significare substantiam, quia non significat accidens, quod in Deo nullum est; respondet, etsi revera nihil divinæ substantiæ accidit, necesse tamen videri, ejusmodi tanquam accidentia in Deo cogitare, quamvis reipsa non accidant[a]. Itaque κατὰ ἐπίνοιαν συμβεβηκὸς, id est *notione, ac cogitatione nostra*, quæ rem, ut est in se, non assequitur, inesse quiddam velut accidens, declarat paulo post; et qui istud negabant, Anomœos inextricabilibus sese implicare laqueis ostendit. Proinde nomina quam plurima, quæ in Deum cadunt, « non substantiam ipsam significare, sed aliquid eorum, quæ sunt circa substantiam[b]. »

III. Sed cum bifariam prior hæc pars quæstionis pateat, (nam et sit, necne personalis proprietas aliquid οὐσιῶδες, ac naturæ insitum, quæritur, et an sit inter accidentia numeranda) horum quod est primum, non magnam habet controversiam. Quippe certo illud constat, etsi reipsa idem sit cum substantia, vel natura Dei, hoc est una cum ea sit, et simplicissima res; tamen τῇ ἐπινοίᾳ, hoc est *cogitatione*, modoque intelligendi nostro ab illa differre. Itaque φύσις unica est, et singularis personarum trium, proprietates vero tres. Ideo proprietates istæ, uti ex se, ac revera sunt ipsa φύσις, et οὐσία, ratione tamen, et ἐπινοίᾳ non sunt, neque φυσικαὶ, vel οὐσιώδεις appellari queunt, nisi quatenus φύσις ei est opposita, quod adventitium est, et voluntate sola inditum alicui cum eoque connexum. Quemadmodum illa nescio quæ divinitatis affectio, (ita enim concipimus animo) qua pater hominum, vel creator omnium reipsa et est, et dicitur, non est φύσει. Non enim ex omni æternitate id Deus habuit, sed certo tempore. Quare, « multorum, ait Cyrillus Hierosolymitanus, Pater est Deus abusione vocis, unius solius natura, et ex rei veritate unigenæ filii, ac Domini nostri Jesu Christi Pater; non in tempore pater ut esset adeptus, sed semper Unigenæ Pater[c]. » Sic enim « natura, et usia id vocatur, quod cuique primum inest[d], » ut ait Aristoteles: nimirum quod non in tempore accidit, et nunquam non in illo fuit.

Personales proprietates a natura sola cogitatione differunt.

Natura vel usia. Naturales vel substantiales.

Verum est altera ratio propria magis, et erudita, ob quam et φύσει pater esse Deus dicitur, et οὐσιώδης, sive φυσικὴ proprietas ista personæ; quod ἐκ τῆς οὐσίας, vel φύσεως, ex natura et substantia sua filium gignat. Nam « sic tanquam e fonte, ait Cyrillus Alexandrinus, ex natura sua Filium emisit[e]. » Et « Non posset, ait idem, filius ex rei esse veritate prorsus intelligi, nisi ex genitoris effulsisset substantia. Ejusmodi enim est, nec alia in omnibus veræ filietatis definitio, ac ratio[f]. » Igitur quia generatio omnis proprie dicta est origo ex substantia, et natura, ut postea fusius edisseram, idcirco φυσικὴ, et οὐσιώδης est Patris appellatio, ut et Filii, necnon Spiritus sancti; qui et ipse, diverso licet modo, e Patris, Filique substantia procedit.

Naturalis et substantialis.

IV. Memorabilis est hac de re Cyrilli ejusdem Alexandrini locus in libro decimo nono *Thesaurorum*, dignusque, quem attente consideremus. Objicit apud eum Eunomius, videri Verbum, sive Filium Patri non esse ὁμοούσιον, quia, si ejusdem, atque hic, ille esset substantiæ Pater etiam Verbum diceretur. Huic Cyrillus respondet, constare ex Joannis *Evangelio*, Verbi appellationem propriam esse Filii, « eamque maxime ipsi convenire, et ejus imprimis significare substantiam. Ait enim: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Vides ut hoc nomen significandæ substantiæ vim habeat, et hoc ipsum, nominari Verbum, id, quod est secundum naturam, exprimat. Deus enim, inquit, erat Verbum. Quod si naturam, et substantiam minime significet in Filio Verbi vocabulum, plane aliud quiddam significat[g]. » Tum appellationes illas huic opponit, quæ non ipsam rei οὐσίαν, sed proprietatem, et affectionem denotant, velut studium, et institutum, ut cum Paulus vocatur Apostolus.

Consubstantialem.

Naturam.

a Cyril. lib. XXXI *Thesauri*. Ὁρῶμεν δὲ ὅτι πολὺς ἡμᾶς ἀναγκάζει λόγος, ὡς συμβεβηκότα τὰ τοιαῦτα νοεῖν ἐπὶ Θεοῦ, καὶ εἰ μὴ πάντως συνέβη.

b Cyril. ibid. Ἀλλὰ τούτων ἕκαστον οὐ τῆς οὐσίας ἐστὶ σημαντικὸν, καθάπερ ἤδη προείπομεν. ἀλλά τι τῶν περὶ τὴν οὐσίαν σημαίνει.

c Cyril. Hieros. *Catech.* VII. Ἔστι τοίνυν ὁ Θεὸς πολλῶν μὲν καταχρηστικῶς πατὴρ. ἑνὸς δὲ μόνου φύσει καὶ ἀληθείᾳ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πατὴρ, οὐ χρόνοις τὸ πατὴρ εἶναι κτησάμενος, ἀλλ' ἀεὶ πατὴρ τοῦ μονογενοῦς τυγχάνων.

d Atist. II *Phys*. cap. I, tex. 7. Δοκεῖ δὲ ἡ φύσις, καὶ οὐσία τῶν φύσει ὄντων ἐνίοις εἶναι τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον ἑκάστῳ.

e Cyril. Alex. lib. II *in Joan*. Καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τῆς οἰκείας φύσεως ἀνέντα τὸν υἱόν.

f Ibid. Ἀλλ' οὐδ' ἂν ὅλως υἱὸς ὑπάρχων νοοῖτο κατὰ ἀλήθειαν, εἰ μὴ ἐκ τῆς τοῦ τεκόντος ἐξέλαμψεν οὐσίας. τοιοῦτος γὰρ, καὶ οὐχ ἕτερος ἐν πᾶσιν ὁ τῆς ἀληθοῦς υἱότητος ὅρος τε, καὶ τρόπος.

g Cyril. Καὶ ποῦ τὸν Ἰωάννην, ὦ βέλτιστε, θήσεις λόγον ἀποκαλοῦντα τὸν υἱὸν, καὶ ταύτην αὐτῷ κυριωτά-

Verbi. ...aturam. At ejusmodi non esse contendit illam τοῦ λόγου. Itaque nihil, præter οὐσίαν, designare. Quæ omnia totidem verbis legantur in excerptis septimi, et octavi libri *Commentariorum in Joannem*. Cyrillus ergo personæ proprium *...turam et ...sentiam.* nomen naturam ipsam, hoc est φύσιν, et οὐσίαν significare putat. Atqui contra res habet. Nam si οὐσίαν, et nihil aliud declarat, erit communis personarum omnium appellatio, sicut est οὐσία communis; et, quod vult, obtinebit Eunomius. Quare mirificus est iste Cyrilli locus, ac tum cæterorum Patrum, tum ejus ipsius opinioni minime consentaneus, nisi prudenter explicetur. Etenim commune est illud antiquorum decretum, quod l. prim. tomi antecedentis exposui, nomina propria notionum, sive personalium proprietatum, non ipsam significare substantiam nisi ex obliquo, quamvis reipsa sint idem cum ea. Repetatur id, quod Cyrillus ipse libro *Thesauri* primo et tricesimo tam luculenter asseverat nomina ista personarum propria, non quid Deus sit secundum substantiam significare, sed ejus habitudinem, ac relationem [a]. Quocirca ne sibi, ac cæteris adversari Cyrillum existimes, sic a *Usiæ.* nobis mens ejus interpretanda videtur. Οὐσίας vocabulum nonnunquam substantiam ipsam, aut essentiam præcise, absoluteque significat, *...iddilatem* sive τὸ τί ἦν εἶναι rei; alias eamdem, ut per se reipsa individua, ac singularis existit; cujusmodi est primæ, ac secundæ substantiæ discrimen apud dialecticos. Igitur proprietas ipsa *Modus ...stantiæ.* subsistendi, sive τρόπος τῆς ὑπάρξεως, ratione differt ab οὐσίᾳ priore intellecta sensu, nec eam proprie, ac directe significat; posteriore *Usia. ...iddilatem* vero si sumatur οὐσία, ad ejus τὸ τί ἦν εἶναι pertinet proprietas. Ita candor ab corpore diversus est, nec ad ejus naturam, ac definitionem spectat; sed ejusdem tamen, ut candidum est, componit essentiam. Non enim sine candore intelligi, vel definiri candidum potest. *...ssentialis.* Hoc sensu candor οὐσιώδης est corpori candido. Sic proprietas personæ Patris, hoc est Paternitas; vel Filii, hoc est *filietas*, aut λόγος; non *Verbum.* ipsam Dei naturam, atque essentiam secundum se significat: sed ut certa persona est, ut puta hic, vel ille, Pater videlicet, aut Filius, οὐσιώδης est proprietas ipsa, et in illius definitione ponitur.

Atque huc forte pertinet, quod Paschasius Diaconus in libro primo *de Spiritu sancto*, capite x scribit: « Ad substantiam pertinet, quod subsistit; ad personas pertinet, quod proprie sibi unaquæque subsistit. » Etenim substantiæ absoluta notio hoc unum habet, ut res non accidentis instar inhæreat: hypostasis vero, sive persona, uti perfecte subsistat, de quo supra diximus.

Non vanam esse de Cyrilli mente conjecturam nostram, confirmat idem paulo post, dum nomina distinguit sic. Cum enim *substantiam*, id est οὐσίαν, omnia significent, id tamen non uno facere modo asserit. Nam alia magis universe res exprimere; alia communem notionem in plura, et singularia partiri. « Velut hominis vox simpliciter, absoluteque dicta, universum significat hominum genus, sive usiam ipsam. At nomina Pauli, vel Petri, Jacobi, aut Cephæ, in singulos humanitatem dividentia, plures homines efficere [b]. » Nimirum, communia vocabula, ut *homo*, οὐσίαν ipsam per se, ac solam indicant, singularia vero, et ὑποστατικὰ, eamdem in multis subsistentem, in eaque distributam. Quare cum particularia nomina differre ab communibus necesse sit; (non enim ταὐτότης, hoc est *identitas*, ut vocant, significationis in utrisque cernitur) nominum vero discrimen ex diversa eorum significatione, quam *formalem* dialectici appellant, peti debeat, necesse est *formalem* itidem amborum significationem esse diversam; non esset autem, si singularium appellationes naturam ipsam proprie, ac primario, sive directe, oblique vero, quæ sunt cujusque propria designent. Id enim communia ipsa faciunt. Ideo hoc, quod dixi, certissimum est, individuorum nomina proprietates ipsas exstandi per se, ac recta

τὴν ἀνατιθέντα τὴν ἐπονυμίαν, καὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ μάλιστα σημαντικήν; φάσκει γὰρ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. ὁρᾷς ὅπως τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ παραστικόν ἐστι τοὔνομα. καὶ τὸ καλεῖσθαι λόγον, ὅπερ ἐστι κατὰ φύσιν σημαίνει. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ λόγος, φησίν. εἰ δὲ μὴ φύσεως εἴη καί τῆς οὐσίας δηλωτικὸν ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τὸ, λόγος, ὄνομα σημαίνει τι πάντως ἕτερον.

a Cyril. lib. XXXI *Thes.* Ἀλλὰ τούτων ἕκαστον οὐ τῆς οὐσίας ἐστὶ σημαντικὸν, καθάπερ ἤδη προείπομεν· ἀλλά τι τῶν περὶ τὴν οὐσίαν σημαίνει.

b Cyril. ibid. Σημαντικὰ μὲν τὰ ὀνόματα τῶν οὐσιῶν ἐστι, τὰ πρῶτα δὴ μάλιστα, καὶ τὰ κυριώτατα· ἀλλὰ πολλὴν ἄν τις ἐν τούτοις ἴδοι τὴν διαφοράν. τὰ μὲν γὰρ καθολικώτερον τὰ ὄντα σημαίνει, καὶ γεννικὴν ποιεῖται τὴν δήλωσιν· τὰ δὲ εἰς τὸ καθ' ἓν τὰ καθόλου σημαινόμενα διατέμνοντα, πολλὰ τὰ ὄντα φαίνεσθαι ποιεῖ. οἷον φέρε εἰπεῖν, τὸ ἄνθρωπος ὄνομα ἁπλῶς τε, καὶ ἀπολελυμένως λεγόμενον, σύμπαν σημαίνει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἢ τὴν οὐσίαν αὐτὴν· τὸ δὲ Παῦλος τυχὸν, ἢ Πέτρος, Ἰάκωβος, ἢ Κηφῆς, εἰς τὸ καθ' ἕνα σχίζον τὴν ἀνθρωπότητα, πολλοὺς εἶναι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖ.

notione declarare, adeoque relationes in divinis, quibus illic personæ constant.

Huic est consentaneum, quod Cyrillus [1] in dialogo primo *de Trinitate*, nomina ista personarum, ut sunt Pater, et Filius, negat dignitatem, et excellentiam aliquam exprimere; alioqui omnibus tribuenda fore personis. Atqui, si οὐσίαν, naturamque significarent, profecto dignitatis, et præstantiæ alicujus illis notio subesset.

V. Sed jam alterum paucis itidem exponam an sit proprietas ipsa personarum; sive relatio, sive alterius forma generis est; substantivum aliquid, an accidens; postea vero an relatio sit, necne, viderimus. Ac primus in medium procedet Augustinus, qui de hac quæstione subtilius, quam cæteri, more suo disputavit [2].

Ex hujus vero decretis id primo loco constituendum est, quæ de Trinitate dicuntur, ea partim ad se, vel in seipsis, partim ad invicem, sive ad alterutrum dici. *Ad se* illa dicuntur, quæ absolute, ac citra ullam σχέσιν, et habitudinem ad alterum, affirmantur; ut Deus, bonus, verus, et id genus alia; *ad alterum*, quæ relativa sunt, et σχετικὰ, ut Pater, Filius, etc., quorum in notionibus rerum aliarum, quæ ex adverso respondent, est adjuncta significatio. Jam priora illa secundum substantiam dici, Augustinus asserit; posteriora non secundum substantiam, neque tamen secundum accidens. Itaque inter substantiam, et accidens medium quoddam genus est, quod *ad aliquid*, seu *relativum* vocatur. Cum enim Arianorum argumentum hoc attulisset

In S. Trinitate præter id quod natura et essentia est, nihil nisi relativum.

in quinto libro [3], « Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse Patri, secundum substantiam est, et genitum esse Filio, secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse. Diversa est ergo substantia Patris, et Filii, » huic ita respondet [4] : « In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens; quia et ille semper Pater, et ille semper Filius. » Tum nonnullis interjectis. « Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius. Sed quia et Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei filius; et filius non dicitur, nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur, neque tamen secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, æternum, atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse, et Filium esse, non est tamen diversa substantia; quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile. » Quamobrem personarum proprietates secundum substantiam dici negat Augustinus; non tamen accidentia putat esse, quoniam in Deo « nihil secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; nec tamen omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur. In rebus autem creatis, atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur, » ut idem antecedenti in capite scripsit. Medii ergo cujusdam erunt generis. Sed in vocabulo substantiæ nescio quid ambiguitatis latere mihi videtur, quod Augustinum in eam sententiam induxit. Nam substantia, quod Græcis οὐσία significat, alias pro essentia, et natura sumitur; alias id exprimit, quod non inhæret, ut accidens; sed aut subsistit, aut ipsa subsistendi forma est, eique ex adverso accidens opponitur. Ac priori modo intellexit Augustinus, cum πατρότητα, et υἱότητα, *hoc, quod est esse Patrem, vel Filium*, secundum substantiam negavit dici. Non enim ad essentiam spectat alterutra, vel utraque proprietas, alioqui tres personæ totidem singulæ proprietates obtinerent; quia singulis essentia tribuitur. Sunt tamen substantiale quippiam, hoc est substantiales modi, quibus personæ subsistunt, quæ cum essentia ipsa una sunt, eademque res, etsi invicem reipsa discrepant; quod in hoc mysterio singulare est, ac mirabile. Itaque substantia priori illa ratione, ut essentiam significat, opposita non est accidenti; sed posteriore tantum, secundum quam medii inter id, quod essentiale est, et quod ex accidenti; sed posteriore tantum, secundum quam medii inter id, quod essentiale est, et quod ex accidenti convenit, generis, conditionisque dicitur. Solent tamen ejusmodi a philosophis inter accidentia numerari, quæ *metaphysica* nominantur. Quo genere comprehendunt

1 Cyril. dial. I. — 2 Aug. V *de Trin.* cap. V et lib. VI, cap. II. — 3 Cap. III. — 4 Cap. V.

omne illud, quod non est ipsa rei essentia, sed eam consequitur, aut quoquomodo ad eam cogitatione saltem accidit. Nam in priori, proprieque dicto genere accidentis, paternitatem, verbi gratia, non esse collocandam, docet inter alios Arnobius in *Dissertatione cum Serapione*. « Deus est, inquit, immutabilis, et permanens : nihil in se recipit novum. Semper enim fuit et Deus, et Pater, nec illi hoc nomen paternitatis accessit; quoniam omne, quod accidens est ; recedere potest, etiam deficere potest. Divinitas autem, quæ immutabilis perseverat, nihil in se accidenti aliquo recipit. Hoc enim est hodie, quod semper fuit. »

VI. De his subsistendi modis, ac formis, quibus personæ tres constituuntur, a seque mutuo separantur, id in quæstionem venit, sintne relationes meræ, an etiam absolutum nonnihil habeant, et ex utroque complexæ sint. Posterius hoc paucissimi quidem e schola theologi vel opinati sunt, vel probabile judicarunt; a quibus merito dissentiunt cæteri, nec est omnino tolerabilis, aut theologi cujusquam patrocinio digna sententia. Imo imperitus potius error est, quem Latinæ, Græcæque pariter Ecclesiæ doctorum consensus abjudicavit. Omnes enim, qui quidem ea de re commentati sunt, sic existimant, quidquid in divinitate est absolutum, id esse commune personis tribus, minimeque distinctum. Solam autem relationem, et mutuam habitudinem, quam σχέσιν nominant, discrimen efficere. Præter hanc, indivisum, et communicabile id omne esse, quod in Deo spectatur, eique tribuitur.

Opinio [A]ugustini [ost]enditur.

Atque ut ab Augustino ordiar, cujus proxime mentionem fecimus, perspicuum est, solam ab eo relativam proprietatem definiri, quæ communi cum essentia composita personam constituat, nec absolutam rei ullius, formæve notionem in divinitate vel fingi cogitando posse, quæ non tribus ex æquo conveniat. Demonstrat hoc imprimis ille locus, quem adduximus, ac similes alii, in quibus ea, quæ de Deo prædicantur, ad genera duo revocat : alterum eorum, quæ ad se dicuntur, vel per se : alterum eorum, quæ ad aliud, et ad invicem dicuntur; prioris generis absoluta sunt omnia, quæ secundum substantiam, hoc est naturam, et essentiam competunt, adeoque communia sunt; posteriora relativa nominat; cujusmodi est quod Pater, aut Filius appellatur.

Itidem et in septimo ejusdem operis [1]: « Et propterea non eo Verbum, inquit, quo sapientia; quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum, cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem. Sapientia vero eo, quo essentia, et ideo quia una essentia, una sapientia. Quoniam vero et Verbum sapientia est; sed non eo Verbum, quo sapientia; Verbum enim relative, sapientia vero essentialiter intelligitur ; id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur, nata sapientia, ut sit Filius, et imago. Et hæc duo cum dicuntur, id est nata sapientia, in uno eorum, quod nata est, et Verbum, et imago, et Filius intelligatur, et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur; at in altero, quod est Sapientia, quoniam et ad se dicitur; seipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur. » Hic aperte, præter essentiam, et id, quod secundum naturam convenit, nihil in Deo, nisi relativum agnoscit Augustinus. Nam quidquid est, quo Filius constituitur, duobus istis continetur nominibus, *nata Sapientia ;* quorum hoc essentiam, vel ejus naturalem perfectionem indicat, illud relationem originis. Sic in sequente libro [2], quæ prius a se erant disputata, colligens : « Diximus, inquit, alibi ea dici proprie in illa trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem, sicut Pater, et Filius, et utriusque donum Spiritus sanctus. Non enim Pater trinitas, aut Filius trinitas, aut trinitas donum. Quod vero ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres, » etc. ac mox commune esse tribus ait, « quidquid non ad invicem relative, sed ad se singuli dicuntur ; hoc enim secundum essentiam dicitur. » Igitur quidquid essentiam non dicitur, relative dicitur. Ad hæc in libro XI [3] *de Civit. Dei*, « Sed ideo simplex, ait, dicitur, quoniam quod habet, hoc est; excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius ; et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est, quod habet; sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est. » Cum ergo id omne, quod absolute dicitur, habeat, et sit Deus, imo quælibet personarum trium ; consequens est relativa sola, et quæ ad alterum dicuntur, ab hac lege secerni, esseque singu-

1 Lib. VII *de Trinit.* cap. II. — 2 Cap. I. — 3 Cap. X.

larum propria. Tum in tractatu XXXIX *in Joan.* « Hoc solo, inquit, numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod a se sunt. » Et sermone LVIII *de Verbis Domini* secundum Joannem ; « Nec alia aliqua causa est, inquit, quæ divisionem faciat personarum, nisi quod hic ingenitus est, et ille genitus, id est, hic Pater est, et ille Filius : quia Pater semper Pater est, nunquam Filius, quia, ut diximus, non est genitus, sed ipse genuit. Et Filius semper Filius est, nunquam Pater, quia non genuit, sed genitus est. » Vide et epistolam LXVI ejusdem, necnon enarrationem *Psal.* LXVIII.

Proprietates relativas esse veterum placitis astruitur.

VII. Deinde illud inter omnes convenit, per id solum, quod proprium est, non commune tribus, personam quamlibet constitui, et ab alia distingui. At proprietas omnis relativam notionem habet, et ad alterum dicitur. Testatur hoc Hilarius, qui dum Patri coæternum esse Filium eo probat, quia et Pater auctor est, et natus est Filius ; utrumque hoc et esse proprium docet, et relativam habere rationem, seseque mutuo respicere. « Ubi enim Pater auctor est, ibi et nativitas est. At vero ubi auctor æternus est, ibi et nativitatis æternitas est ; quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æterna nativitas est ; » ac deinde ; « Quod ergo nisi ex utroque non consistit, id in omnibus nisi utrumque non permanet ; quia in aliquo alterum non relinquatur quod id ipsum alterum in aliquo non possit esse sine altero. » Tum ista subjicit : « Si itaque habes in cognitione, vel sensu Deum, in cujus cognitionis sacramento *Proprium est, quod Pater est,* non semper Patrem esse Filii unigeniti ; habes et in intelligentia, et scientia, non semper Filium esse, qui genitus est. » Postea interjectis pluribus, « Ut igitur, inquit, Deo Patri proprium est esse sine nativitate, ita et Filio debitum est, per nativitatem semper esse. Nativitas autem nihil aliud, quam Patrem, neque Pater aliud, quam nativitatem enuntiabit. » Demum sub libri finem, nullam nisi relativam, propriam esse personarum ambarum notionem, his verbis ostendit. « Solus itaque hic pius de Deo sermo est, scire Patrem, et cum eo eum, qui ex eo est Filius. Neque sane aliud de Deo, præterquam Patrem eum esse unigeniti Dei, et creatoris docemur. Ultra se itaque infirmitas humana non tendat et loquatur hoc solum, in quo solo ei salus est ; ante carnis sacramentum in Domino Jesu Christo hoc se semper scire, quod natus est. » Itaque nulla est alia peculiaris Filii nota, et proprietas, qua a Patre dignoscatur, ac separetur, quam Filii, nati, et geniti. Patris itidem nulla, quam Patris, auctoris, ac generantis ; quæ omnia secundum totum id, quod sunt, ad alterum referuntur. Faustinus in libro *cont. Arian.* cap. III. « Ostenditur, ait, unitas divinitatis in Patre, et Filio, sicut et omnipotentiæ, et quidquid omnino divinæ substantiæ est ; hoc solo differens a Patre Filius, quod ille Pater est, hic Filius ; id est quod ille genuit, et hic natus est. » Fulgentius in libro *de Trinitate* ad eamdem sententiam disertissimus est, « Pater, ait, non sibi est, sed Filio. Filius non sibi est, sed Patri. Spiritus alicujus est adspirantis ; ergo ad Patrem, Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt ; essentialia vero nullo modo triplicantur. » Item in libro *de Fide ad Petr.* cap. I. « Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque est procedere, quam genuisse, vel natum esse ; manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Trinitas itaque ad personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti refertur, unitas ad naturam. » Vide ejusdem fragmentum ex libro quinto *contra Fabianum* ; et ex libro *Quæstionum de processione Spiritus sancti.* Et in libro *Respons. adversus Arianos* sub initium, proprietatem personarum vocat id, quod Pater, et Filius appellantur. Tum, « Pater, inquit, et Filius relativa sunt nomina, quæ naturam gignentis, genitique non separant, sed unam sine dubitatione significant. Relativum vero illud dicitur, quod ad aliud agnoscendum referimus, ut dum unum nominavimus, alium demonstremus. » Ac subinde ait « illud nomen Patri semper esse Filioque commune, non quo relatio personalis ostenditur, sed quo substantialis proprietas demonstratur. » Et cum hominum exemplo demonstrasset, proprietates illas relativas Patris, et Filii nullum naturæ discrimem inferre, ita concludit : « In Patre ergo Deo, et Filio Deo personarum proprietate servata, impossibile non dicatur, quod documento etiam cujuslibet hominis comprobatur ; sed discernamus, quid ad relationem, quid ad substantiam pertinere noscatur. Relationis enim sunt nomina Pater, et Filius ; substantiæ vero nomen unum est, quod dicitur Deus. Relationis ergo nomina singula retinent ; substantiæ vero nomen unum communiter possident. » Boetius in lib.

1 Lib. XII.

de Trinit. « Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo, quod est prædicatio relationis; sed servata est substantiæ unitas in eo, quod est indifferentia vel substantiæ, vel operationis, vel omnino ejus, quæ secundum se dicitur, prædicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem; atque ideo sola singillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt. » Vide et opusculum ejusdem, utrum Pater, et Filius, ac Spiritus sanctus de Divinitate substantialiter prædicentur. Ruffinus in *Apologia ad Anastasium papam* initio: «Quod unius naturæ sit, unius deitatis, unius ejusdemque virtutis, atque substantiæ; nec inter Patrem, et Filium et Spiritum sanctum sit prorsus ulla diversitas, nisi quod ille Pater est, et hic Filius, et ille Spiritus sanctus : Trinitas in personis subsistentibus, unitas in natura. »

VIII. Isidorus Hispalensis libro *de Differentiis*[1], « In relatione personarum, inquit, Trinitas est; in substantia vero naturæ unus Deus est, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus. » Toletanum concilium XI idem copiose declarat, ut cum ita decernit : « In relativis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur ; quæ cum relative tres personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur. » Tum paucis interpositis, « in relatione personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent, quod in se sunt. » Albinus Flaccus Alchuvinus in libro primo *de Trinit.*, cap. VIII et XII, idem sentit, et « Habent, inquit, cap. XII, singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, quod inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem. Pater solus Pater, et Filius solus Filius, et Spiritus sanctus solus Spiritus sanctus. Et Pater hoc habet proprium, quod ex omnibus, quæ sunt, solus est, qui ab alio non est; ac per hoc solus est in paternitatis persona, non in deitatis essentia. Unigenitus vero Filius Dei hoc habet proprium, quod ex solo, id est Patre, consubstantialiter, et coessentialiter solus genitus est, et in hoc est personæ suæ proprietas. Spiritus sanctus itaque hoc habet proprium, quod ex Patre, et Filio æqualiter procedit. »

Anselmus in libro *de Processione Spir. sancti*, « Hæc itaque sola causa pluralitatis, inquit, est in Deo, ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus dici non possint de invicem, sed alii, sicut ab invicem : quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, et Spiritus sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, et processionis referuntur ad invicem, ut diversi, et alii ab invicem, et quando substantia habet esse de substantia, duæ fiunt ibi relationes insociabiles. » Paulo post vero clarius id explicat his verbis : « Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui. Sic ergo ejus unitatis, et hujus relationis consequentiæ se contemperant ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædictæ sonat simplicitas unitatis; nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur, quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio; nec relatio perdat, quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis. » Idem in sequentibus non minus perspicue demonstrat. Richardus Victorinus libro IV *de Trinit.*[2] primum docet tripliciter variari existentiam cujusque rei, qua persona constat; aut secundum solam rei qualitatem ; aut secundum utriusque concursionem. « Secundum solam rei qualitatem variatur existentia, quando pluribus personis est una eademque origo per omnia, singulis tamen singularis, propriaque substantia. Secundum solam rei originem est illa varietas existentiæ, quando pluribus personis est unum, idemque indifferens esse : inveniuntur tamen secundum originem mutuam ad invicem differentiam habere. Tam secundum rei qualitatem, quam secundum ejus originem variatur existentia, ubi singulis personis est substantia singularis, et propria, et origo diversa. » Deinde[3] hoc postremo modo variari asserit hominum existentias, et personas, quæ suas quæque qualitates habent, quibus discrepant; tum aut diversis parentibus, aut non eadem ex substantiæ portione gignuntur. Secundus modus angelis convenit, qui omnes eamdem nacti sunt originem, et sola qualitate differunt. Primus denique varietatis modus divinis personis tribuitur[4]; in quibus nihil omnino dissimile est, vel inæ-

1 Diff. II. — 2 Cap. XIII. — 3 Cap. XIV. — 4 Cap, XV

quale. Nam « quibus per omnia est unum, et idem, et summe simplex esse, nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia ab invicem distare. » Proinde sola origine vel originis modo invicem distant. Hæc Richardus, qui *qualitatem* nominat id, quod *absolutum* nos dicimus ; nempe quod habitudinem, ac σχέσιν non significat. Ex quo sequitur personas divinas sola σχέσει differre, et habitudine mutua, qua invicem referuntur. Hoc enim est originis modus. Atque idem alio in loco [1], « nihil aliud est, inquit, Patris persona, quam substantia ingenita ; nihil aliud Filius persona, quam substantia genita. » In quo consentaneus est Augustino [2], qui, ut supra demonstravi , Verbum nihil aliud esse dicit, nisi *natam sapientiam ;* quorum duorum nominum prius, quod est *nata*, relativum aliquid, posterius essentiam significat.

IX. Sanctus Bernardus, epistola CXC quam contra Petrum Abailardum scripsit, aperte personas sola vel origine, vel relativa proprietate distingui prædicat his verbis : « Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veracissime dicitur, personarum sane designatio est, non unitatis divisio. » Tum : « Alia illa sunt profecto vocabula, quæ non ad seipsos dicuntur, sed ad alterutrum, et ideo est cuique suum, et non commune cum altero. Nam qui Pater est, Filius non est ; et qui Filius est, Pater non est ; quoniam non quod ad se, sed quod ad Filium Pater est, Patris nomine designatur ; et item nomine Filii, non quod ad se Filius, sed quod est ad Patrem, exprimitur. Non sic potentia, non sic sapientia, neque alia multa, quæ ad se dicuntur Pater, et Filius, non singulariter alter respectu alterius. » Sic Bruno sermone primo *de Trinitate*, « Personalis proprietas hæc est, ut Pater genitor, Filius genitus ; Spiritus vero sanctus nec genitor, nec genitus, sed ab utroque procedens credatur, et intelligatur. »

Sic in Lateranensi concilio, Innocentio Tertio pontifice, decretum est contra Joachimum abbatem, divinitatem unam esse rem ; quæ res non est generans, neque genita, nec procedens ; sed est Pater, qui generat ; Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis , et unitas in natura. « Ita quidquid proprium est, et distinctum, tribus illis proprietatibus, personisque continetur.

Florentinum vero disertioribus verbis idem asseverat, dum in *Decreto fidei* ita statuit : « Omnia, quæ Patris sunt, ipsum Patrem unigenito Filio suo gignendo dedisse, præter esse Patrem. » Nihil autem, nisi σχετικὸν, ea vox Patris, significatioque complectitur, atque ideo nihil absolutum, et quod ad se dicitur, non utrique commune est. Plura ad eum sensum ab Joanne Latinorum theologo disputantur in eodem concilio, sessione præsertim XVIII ubi ita loquitur : « Persona ex substantia, proprietatibusque consistit. Nunc igitur, quoniam secundum intelligentiam, et ratione distinguitur, (essentia et proprietates) hæc essentia personis communicatur ; at proprietates nullo modo communicant. Atque hoc ex vi relationis oritur [a]. » Ejusdemmodi et alia pleraque deinceps explicat Joannes, et Bessario cardinalis, quæ nos missa facimus.

X. Post Latinos Patres, quos ideo primo loco recensuimus, quia nobis Augustini mentio primo inciderat, cujus testimonio cæterorum deinde ejusdem generis adjunximus, Græci omnes pari cum illis , et eadem in sententia versantur. Qui cum de sanctissima Trinitate, ac personis in ea tribus, et harum a se invicem discrimine loquuntur ; sic fere disputant. Duo illic esse ratione, intelligentiaque discreta ; quorum alterum commune tribus est, et unum, quod est natura, sive essentia, quam divinitatem vocant : alterum proprium, cujusmodi sunt ἰδιότητες, vel ἰδιώματα, hoc est *proprietates*. Ex amborum vero complexu, et copulatione πρόσωπον , et ὑπόστασιν existere. Iidem porro hoc posterius, quod ad communem accedit essentiam, σχετικὸν, ac *relativum* esse, non *absolutum*, prædicant ; nec aliud esse, quam πατρότητα, υἱότητα, et προβολὴν, *paternitatem*, *filietatem* , et *processionem*. Declarat hoc Basilius imprimis in epistolis illis, quas in primo libri hujus capite citavimus, cum de hypostasi sermonem faceremus, præsertim in CCCXLIX ubi cum οὐσίας ad ὑπόστασιν eam esse rationem dixisset, quæ est ejus, quod commune est, ad proprium ; « hypostasim ait in proprietate cerni paternitatis , filietatis, et virtutis sanctificantis [b], » quæ Spiritui sancto

a Ex Florent. Conc. Ὥστε ὑφίστασθαι τὸ πρόσωπον ἀπὸ τῆς οὐσίας, καὶ τῶν ἰδιωμάτων. νῦν οὖν ἐπειδὴ διαστέλλονται κατὰ τὴν ἐπινοίαν, ἢ κατὰ λόγον, αὕτη ἡ οὐσία κοινοῦται τοῖς προσώποις· ἀλλὰ τὰ ἰδιώματα κατ' οὐδένα τρόπον κοινωνοῦσι· καὶ τοῦτό ἐστιν ἀπὸ τῆς δυνάμεως τῆς ἀναφορᾶς.

b Basil. epist. CCCXLIX. Ὁ μὲν τῆς οὐσίας λόγος κοινὸς, οἷον ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ εἴ τι ἄλλο νοοῖτο·

1 Victorinus, *de Trinitate*. lib. VI, cap. XXII. — 2 August. *de Trinitate*, lib. VII, cap. II.

peculiaris tribuitur. Tum in epistola CCCXCI: « Commune, inquit, est deitas, proprium est paternitas; utroque ergo copulato, dicere oportet : *Credo in Deum Patrem* [a]. » Ergo ἰδιώματα, vel ἰδιότητες, hoc est proprietates, quæ personas constituunt, nihil aliud sunt, quam relationes paternitatis, filietatis, et sanctificationis, quas Basilius in epistola CCCXLIX « separatas personæ cujusque notas, et characteres nominat [b]. »

Gregorius quoque Nazianzenus multis in locis idem istud repetit, unam et communem personis tribus esse divinitatem, ac naturam; ἰδιώτητας vero, hoc est *proprietates*, esse distinctas, ex quibus appellationum diversitas oritur. Ut in oratione XXIII : « Commune est enim Patri quidem, et Filio, et Spiritui sancto, non esse factos, necnon divinitas ipsa; at Filio, et Spiritui sancto commune est produci a Patre. Proprium est autem Patris quidem, esse ingenitum; Filii vero generatio; Spiritus sancti processio [c]. » Et oratione sequenti admonet, cum legitur illud, « *Ego et Pater unum sumus*, essentiæ conjunctionem ob oculos habendam; cum autem Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomen auditur, proprietates tres esse cogitandas [d]. »

Item oratione XXIX : « Adoramus igitur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ita, ut proprietates distinguamus, divinitatem autem unam faciamus [e]. » Tum orat. XXXII « tres esse personas distinctas ait, non naturis, sed proprietatibus [f]. »

Sed disertius oratione XXXVII percontanti Ariano, quid tandem deesset Spiritui sancto, quominus esset Filius, « deesse nihil respondet; neque enim deesse rem ullam Deo; verum manifestationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, differentem et ipsorum fecit appellationem. Non enim (addit) Filius est Pater. Sed non defectus propterea ullus intelligitur, non essentiæ summissio, verum illud ipsum, non esse genitum, et esse genitum, et procedere, huic quidem Patris, isti vero Filii, illi Spiritus sancti appellationem indidit, ut inconfusa proprietas hypostaseon trium in una divinitatis natura, et dignitate servetur. Neque enim Filius est Pater, quippe unus est Pater, sed hoc est, quod Pater; neque Spiritus sanctus est Filius, quia ex Deo est; unus enim est Unigenitus; sed hoc est, quod Filius. Tria hæc unum divinitate sunt, et unum hoc proprietatibus sunt tria [g]. » Denique orat. XXXIX, hæc tria vocabula, *ex quo*, *per quem*, et *in quo*, quibus Pater, Filius, et Spiritus sanctus exprimuntur, « non naturas secare dicit, sed unius, et inconfusæ naturæ proprietates velut notis quibusdam, et characteribus ostendere [h]. » Ac subinde *gignere*, *gigni*, et *procedere*, proprietates *esse* ait, quæ moveri, et invicem permutari nequeunt.

XI. Sed Gregorii alterius Nyssæ episcopi, et utriusque amicissimi, illius etiam germani, luculenta de ea re est oratio in primo *contra Eunomium*. Nam ibi temeritatem hæretici illius redarguit, quod cum triplicem divinarum personarum appellationem Deus nobis in Evangelio patefecerit, iisque baptismum consignaverit, quæ sunt Patris, Filii, et Spiritus sancti nomina; alias iste, ac scriptis minime proditas appellationes usurpare audeat. « Atqui unaquæque, inquit, vocum istarum,

ἡ δὲ ὑπόστασις ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος, τῆς υἱότητος, ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται.

a BASIL. ep. CCCXCI. Κοινὸν ἡ θεότης, ἴδιον ἡ πατρότης· συνάπτοντας δὲ λέγειν· πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα.

b BASIL. ep. CCCXLIX. Ἀφωρισμένους περὶ ἕκαστον χαρακτῆρας.

c GREGOR. NAZIANZ. orat. XXIII. Κοινὸν γὰρ πατρὶ μὲν, υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, τὸ μὴ γεγονέναι, καὶ ἡ θεότης· υἱῷ δὲ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, τὸ ἐκ τοῦ Πατρός. ἴδιον δὲ, πατρὸς μὲν ἡ ἀγεννησία, υἱοῦ δὲ ἡ γέννησις, πνεύματος δὲ ἡ ἔκπεμψις.

d Idem, orat. XXIV. Καὶ ὅταν μὲν ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν ἀναγινώσκῃς, τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας ἐνοπτριζόμενος. etc. Ὅταν δὲ τὸ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὄνομα, τὰς τρεῖς ἰδιότητας.

e Orat. XXIX. Προσκυνοῦμεν οὖν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τὰς μὲν ἰδιότητας χωρίζοντες, ἑνοῦντες δὲ τὴν θεότητα.

f Orat. XXXII. Τὸ τρία εἶναι τὰ διαιρούμενα οὐ φύσεσιν, ἀλλ' ἰδιότησιν.

g Orat. XXXVII. Τί οὖν ἐστι, φησὶν, ὃ λείπει τῷ πνεύματι, πρὸς τὸ εἶναι υἱόν; οὐ λείπειν φαμέν. οὐ γὰρ ἐλλιπὴς θεός. τὸ δὲ τῆς ἐκφάνσεως, ἵν' οὕτως εἴπω, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκε.

MOX : Οὐ γὰρ υἱὸς ὁ πατήρ· ἀλλ' οὐκ ἐλλείψεως ταῦτα, πόθεν; οὐδὲ τῆς κατὰ τὴν οὐσίαν ὑφέσεως· αὐτὸ δὲ τὸ μὴ γεγενῆσθαι, καὶ τὸ γεγενῆσθαι, καὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι τὸν μὲν πατέρα, τὸν δὲ υἱὸν, τὸν δὲ τοῦθ' ὅπερ λέγεται, πνεῦμα ἅγιον προσηγόρευσεν· ἵνα τὸ ἀσύγχυτον σώζηται τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν τῇ μιᾷ φύσει τε, καὶ ἀξίᾳ τῆς θεότητος. οὔτε γὰρ ὁ υἱὸς πατήρ· εἷς γὰρ πατήρ· ἀλλ' ὅπερ ὁ πατήρ· οὔτε τὸ πνεῦμα υἱὸς ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ· εἷς γὰρ ὁ μονογενής· ἀλλ' ὅπερ ὁ υἱός· ἓν τὰ τρία θεότητι, καὶ τὸ ἓν, τρία ταῖς ἰδιότησιν.

h NAZIANZ. orat. XXXIX. Τοῦ, ἐξ οὗ, καὶ δι' οὗ, καὶ ἐν ᾧ μὴ φύσει τεμνόντων, ἀλλὰ χαρακτηριζόντων μιᾶς, καὶ ἀσυγχύτου φύσεως ἰδιότητας.

Locus Gregorii Nysseni eximius.

secundum nativam, et propriam notionem intellecta, christianis est regula veritatis, pietatisque lex. Nam cum multa sint alia nomina, quibus Deus significatur in historia, prophetia, et lege; cæteris omnibus relictis, Dominus Christus, qui ad ejus, quod est, fidem adducere nos poterat, has voces proponit, satis esse demonstrans, si in Patris, et Filii, et Spiritus sancti appellatione permaneamus, ad ejus, quod est revera, perceptionem; quod quidem et unum est, et non unum. Nam essentiæ ratione est unum. Ideo in unum nomen respicere Dominus lege sua constituit; sed secundum proprietates, quibus hypostases dignoscuntur, in Patris, et Filii, et Spiritus sancti fidem dividitur sine separatione partitum, et citra confusionem unitum. Nam cum Patris nomen audimus, hanc notionem animo concipimus; quoniam nomen istud non in se tantum intelligitur, sed etiam habitudinem quamdam ad Filium propria vi, et significatione declarat. Non enim separatus Pater, et per sese comprehendi animo potest, nisi simul et Filius in ipsa Patris appellatione jungatur. Quare dum Patrem discimus, eadem voce fidem etiam in Filium edocti sumus [a]. »

Hic Gregorii locus eximius est, et habet ejus, quod hactenus docemus, argumentum insigne : divinas hypostases et personas per σχετικὸν aliquid, non absolutum, constitui, invicemque distingui. Siquidem vocabula, quibus separatim personæ tres appellantur, quæ quidem a Deo in sacris Libris prodita sunt, relativa sunt omnia, nec absolutam notionem continent; velut illa Patris, Filii, et Spiritus sancti, quæ sunt præcipua, et κυριώτατα personarum nomina, quorum professione, vi, et efficientia christiani fiunt, ac cœlesti in baptismo satu generantur. Non enim aliorum appellatione nominum primum illud, et maxime necessarium constare sacramentum Christus voluit. Quamobrem ut ad unam, eamdemque Filii cum Patre substantiam approbandam magna vis inest in verbis illis, quibus legitimam baptismatis formam Christus adstrinxit; quod et personæ tres æquali invicem jure, et auctoritate junguntur, et in nomine Patris, ac Filii, quod ὁμοούσιον aliquid, et æquale significat, non ut Ariani garriebant, ingeniti, ac geniti, vel increati, et creati, baptismus tribuitur; ut adversus hæreticos istos argumentatur Athanasius [1]; sic ad divinarum personarum qualitatem, proprietatemque dijudicandam ista ipsa pertinere debet baptismi formula, ut non alterius illam conditionis habeamus, quam quæ Patris, Filiique nominibus significata traditur. *Consubstantiale.*

XII. Commendat hanc Patris appellationem et Filii pluribus is, quem dixi, sanctus Athanasius, et utramque maxime propriam, ac reliquis anteponendam omnibus, eodem quo usi sumus, argumenti genere demonstrat. Nam et Patris vocabulum sæpe, ac luculenter in sacris Litteris expressum legitur : « et eo fidei nostræ summam pertinere voluit, cum nos baptizari minime jussit in nomen geniti, et ingeniti, neque in nomen increati, et creaturæ, sed in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Hoc enim modo perfectionem adipiscentes et nos, qui e conditarum rerum numero sumus, deinceps in filios adoptamur. Quin et Patris nomen cum dicimus, ex hoc ipso nomine Verbum etiam, quod est in Patre, cognoscimus [b]. » Itaque merito tria illa vocabula κανὼν τῆς ἀληθείας et νόμος τῆς εὐσεβείας ab Gregorio Nysseno dicuntur; quibus personalium proprietatum τὸ τί ἦν εἶναι metiri, ac dijudicare nos oportet. Sic et reliqua Patris, ac Filii no- *Regula veritatis lexque pietatis. Essentiam.*

[a] Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Ἑκάστη γὰρ τῶν κλήσεων τούτων διὰ τῆς προσφυοῦς σημασίας νοουμένη κανὼν ἀληθείας, καὶ νόμος εὐσεβείας τοῖς χριστιανοῖς γίνεται. πολλῶν γὰρ ὄντων, καὶ ἄλλων ὀνομάτων, οἷς τὸ θεῖον διασημαίνεται, ἐν ἱστορίᾳ τε, καὶ προφητείᾳ, καὶ νόμῳ, πάντα καταλιπὼν ὁ δεσπότης Χριστὸς, ἡμᾶς προσάγεσθαι δυνάμενος τῇ περὶ τοῦ ὄντος πίστει, ταύτας τὰς φωνὰς παρατίθεται, ἀρκεῖν ἀποφηνάμενος παραμένειν ἡμᾶς τῇ τοῦ πατρός τε, καὶ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κλήσει, εἰς κατανόησιν τοῦ ὄντος. ὅπερ καὶ ἕν ἐστι, καὶ οὐχ ἕν. τῷ μὲν γὰρ λόγῳ τῆς οὐσίας ἕν ἐστι. διὸ καὶ εἰς ἓν ὄνομα βλέπειν ὁ δεσπότης ἐνομοθέτησε. τοῖς δὲ γνωριστικοῖς τῶν ὑποστάσεων ἰδιώμασιν, εἰς πατρός τε, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος πίστιν διήρηται, ἀδιαστάτως τε μεριζόμενον, καὶ ἀσυγχύτως ἑνούμενον. ὅταν γὰρ ἀκούσωμεν πατέρα, ταύτην ἀναλαμβάνομεν τὴν διάνοιαν· ὅτι τὸ ὄνομα τοῦτο οὐκ ἐφ' ἑαυτοῦ νοεῖται μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πρὸς τὸν υἱὸν σχέσιν διὰ τῆς ἰδίας ἐμφάσεως ἀποσημαίνει. οὐ γὰρ ἂν πατὴρ κεχωρισμένος ἐφ' ἑαυτοῦ νοηθείη, μὴ υἱοῦ συνημμένου διὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἐκφωνήσεως. πατέρα οὖν μαθόντες, τῇ αὐτῇ φωνῇ, καὶ τὴν εἰς υἱὸν πίστιν συνεδιδάχθημεν.

[b] Athan. orat. ii. Καὶ τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς πίστεως ἡμῶν εἰς τοῦτο συντείνειν ἠθέλησεν, οὐ κελεύσας ἡμᾶς βαπτίζεσθαι, οὐκ εἰς ὄνομα ἀγεννήτου, καὶ γεννητοῦ, οὐδὲ εἰς ὄνομα ἀκτίστου, καὶ κτίσματος, ἀλλ' εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. οὕτω γὰρ τελειούμενοι καὶ ἡμεῖς ἐκ ποιημάτων ὄντες υἱοποιούμεθα λοιπὸν, καὶ τὸ τοῦ πατρὸς δὲ ὄνομα λέγοντες, ἐπιγινώσκομεν ἐκ τοῦ ὀνόματος τούτου καὶ τὸν ἐν αὐτῷ τῷ πατρὶ λόγον.

[1] Orat ii.

mina, quæ in Scriptura divinitus patefacta sunt, relationem sonant, ut in sequente libro diligentius exponetur, ac præsertim λόγου, quod insigniter Filio tribuitur. Id enim σχετικὸν esse, ambo Gregorii Naz. [1] et Nyss. [2] ostendunt; tum *imaginis*, ἀπαυγάσματος, et, ut uno verbo colligam, quidquid nominum est, quod θεοπρεπῶς de Filio in sacris libris dicitur, hoc est quod divinam ejus personam proprie, et sine ulla ad externam in res creatas efficientiam, comparatione ac respectu significat, id plane est σχετικόν, ut erudite Gregorius Nyssenus [3] explicat; qui cum Filii vocabula cætera, quæ ad res creatas, earumque procurationem referuntur, velut sunt *pastor*, *petra*, *medicus*, et ejus generis alia, secrevisset ab iis, quæ « congruenter Deo tribuuntur, ac sine respectu ullo ad res infimas, quæ providentia ejus administrantur, sed quæ proprie ad unigenitum Deum accommodantur [a], » hujus posterioris generis vocabula commemorat his verbis : « At vero Filius, et dextera, et Unigenitus, et Verbum, et Sapientia, et virtus, et ejusmodi omnia, quæ ad aliquid dicuntur, tanquam in relativa quadam conjugatione una cum Patre omnium nominatus appellatur. Quippe Dei virtus nominatur, et Dei dextera, et Dei sapientia, et Patris Filius, et Unigenitus, et Verbum apud Deum, et quæcumque sunt ejusmodi [b]. » Quibus id ostendit, omnia nomina, quibus proprie, ac per se secundam Trinitatis personam exprimunt sacræ Litteræ, non absolutam habere notionem, sed relativam. Vide ejusdem Nysseni librum primum ex Gretseri editione. Et in libro *de Communibus notionibus*, « non enim tempore dividuntur a se invicem personæ divinitatis, inquit, neque loco, non voluntate, non studio, non instituto, non actione, non affectione aliqua ex iis, quæ in hominibus spectantur, sed hoc solum, quod Pater, Pater est, et non Filius; Filius est Filius, et non Pater; similiter et Spiritus sanctus, neque Pater, neque Filius [c]. » Chrysostomus quoque in priorem *ad Timotheum*, quæ sunt οὐσιώδη personis divinis, non aliam admittere differentiam ostendit, quam quæ mutua ex habitudine sumitur. Cum enim dixisset, Patrem et Filium ex æquo incorruptos esse; mox, in quo differentia posita sit, inquirit, et quod adversarii respondent, approbare se dicit, in eo differre, quod « ipse Pater a nullo alio talis, ut esset, accepit; Filius vero a Patre id habeat [d]. » Et in oratione v *contra Anomœos*, « Nominum, inquit, alia sunt communia, alia propria; communia quidem, ut eamdem sine differentia substantiam ostendant; propria vero, ut hypostaseon proprietatem certa notatione definiant. Igitur nomina Patris, et Filii propria sunt cujusque hypostasis : Dei vero, et Domini communia [e]. »

Verbi. Relativum.

Ut Deum decet.

Substantialia.

XIII. Epiphanius [4] passim Deum ita unum esse prædicat, ut sit personarum trinitas; unum autem secundum essentiam, divinitatem, et cætera, quæ communia sunt; tria vero eo ipso, quod Pater, Filius, et Spiritus sanctus vocantur. Et in *Ancorato*, nec non hæresi LXXIV [5], « Tria igitur ista sunt, aut ex ipso, aut ab ipso, aut ad ipsum, quæ in unoquoque digne intelliguntur, prout seipsas personæ illæ revelant [f]. » Ubi diversitatis, ac multiplicitatis in Deo rationem relativis istis adscribit originibus, ac proprietatibus, quas solas a Deo revelatas esse dicit. Tum in eadem hæresi [6] Trinitatem dicit esse Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, quemadmodum Christus apostolos docuit, cum eis baptismi formam tradidit. Apud eumdem Epiphanium [7] Basilius Ancyranus, et alii Semiariani præclare id

a GREG. NYSS. II *contra Eunom.* Ὅσαι δὲ τὸ θεοπρεπὲς ἑρμηνεύουσι, καὶ δίχα τῶν οἰκονομουμένων προσφυῶς, καὶ κυρίως ἐφαρμόζονται τῷ μονογενεῖ Θεῷ.

b GREGOR. NYSSEN. ibid. Υἱὸς δὲ, καὶ δεξιὰ, καὶ μονογενὴς, καὶ λόγος, καὶ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα, ὅσα πρός τι λέγεται, καθάπερ ἐν συζυγίᾳ τινὶ σχετικῇ, τῷ πατρὶ πάντων συνονομαζόμενον λέγεται. Θεοῦ γὰρ δύναμις ὀνομάζεται, καὶ Θεοῦ δεξιὰ, καὶ Θεοῦ σοφία, καὶ πατρὸς υἱὸς, καὶ μονογενὴς, καὶ λόγος πρὸς τὸν θεὸν, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

c NYSS. Οὔτε γὰρ χρόνῳ διαιρεῖται ἀλλήλων τὰ πρόσωπα τῆς θεότητος, οὔτε τόπῳ, οὐ βουλῇ, οὐκ ἐπιτηδεύματι, οὐκ ἐνεργείᾳ, οὐ πάθει οὐδενὶ τῶν τοιούτων, οἷάπερ θεωρεῖται ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· ἢ μόνον ὅτι ὁ πατὴρ ὁμοίως καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐδὲ πατὴρ, οὐδὲ υἱός.

d CHRYSOST. hom. IV in I *ad Timoth.* Τίνος οὖν ἕνεκεν ἡ διαφορά; ὅτι αὐτὸς μὲν, φησὶ, παρ' οὐδενὸς ἐγένετο τοιοῦτος, ὁ δὲ υἱὸς παρὰ τοῦ πατρός. καὶ ἡμεῖς τοῦτο ὁμολογοῦμεν.

e CHRYSOST. Τῶν γὰρ ὀνομάτων τὰ μέν ἐστι κοινὰ, τὰ δὲ ἴδια. κοινὰ μὲν ἵνα τὸ ἀπαράλλακτον δείξῃ τῆς οὐσίας· ἴδια δὲ, ἵνα τὴν ἰδιότητα χαρακτηρίσῃ τῶν ὑποστάσεων. τὸ μὲν οὖν πατὴρ, καὶ υἱὸς, ἴδιον ἑκάστης ὑποστάσεως· τὸ δὲ Θεὸς, καὶ κύριος, κοινόν.

f EPIPH. Οὐκοῦν τρία ταῦτα ὄντα, ἢ ἐξ αὐτοῦ, ἢ παρ' αὐτοῦ, ἢ πρὸς αὐτὸν, ἑκάστῳ ἀξίως νοούμενα, καθὼς ἑαυτὰ ἀποκαλύπτει.

1 Orat. VI. — 2 Orat. cat. c. VI. — 3 Lib. II *con. Eun.* — 4 Epiph. hær. LXII, n. 3 et 4 et hær. LXIII, n. 7 et hær. LXIX, n. 69. — 5 Num. 4. — 6 Num. 71. — 7 Hær. LXXIII, n. 17.

intellexerunt, ac declararunt, asserentes hypostases ab Orientalibus in Deo plures constitui, « ut personarum proprietates subsistentes, et existentes ostenderent[a]; »quas quidem proprietates subinde πατρικῇ αὐθεντίᾳ, *paterna auctoritate*, Filii, et Spiritus sancti vocabulis explicant. Theodoretus in primo dialogo, cum dixisset, hypostasim, personam, et proprietatem unum et idem esse, « Mox, ait, ea, quæ de divina natura dicuntur, communia esse Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut sunt Deus, Dominus, opifex, omnipotens, et id genus alia; quæ vero hypostases significant, non jam ea sanctæ Trinitatis esse communia, sed illius hypostasis unumquodque esse, cujus est proprium; velut nomen hoc Pater, et ingenitus, Patris utrumque proprium est : tum Filii nomen, et unigenitus, et Deus Verbum, non Patrem exprimunt, neque Spiritum sanctum, sed Filium; ac denique Spiritus sanctus, et Paracletus, hypostasim Spiritus sancti declarant[b]. » Ergo ἰδιότητες, quæ sunt hypostaseon propriæ notæ, relativis istis nominibus, ac notionibus continentur.

Cyrillus in fine dialogi primi *de Trinitate*, « Nam Pater, inquit, Pater, et non Filius, quia genuit; Filius autem iterum Filius, quia genitus est. Age enim, si placet, parumper a Patre, quod Patris est, per imaginationem, et sermonem amoveas, et iterum a Filio, quod Filii, o amice, quomodo nobis utriusque persona significari poterit? » Mox, « Solitarie autem, et vere Pater significatur, dum intelligitur, quod genuit; solitarie autem, et vere Filius, dum intelligitur, quod genitus sit. Itaque proprium alteri, quod ejus, et solius; quamvis alia indiscriminatim de eis dicantur[c].» In libro vero secundo demonstrat, nullum aliud nomen personam Patris proprie declarare, vel Filii, et Spiritus sancti, quam illud ipsum, in quod baptizari nos Christus voluit, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Proinde nec ingenitum, neque quodlibet aliud, quod usurpant hæretici, ad exprimendas personas idoneum videri.

XIV. Etenim eorum, quæ dicuntur de Deo, quædam ait esse communia, quæ naturam ipsam significant; alia propria cujusque personæ. « Ac si quis divinam naturam nominet, integram nobis, ut in uno significato, statim nobis expressit sanctissimam Trinitatem, quæ in una intelligitur deitate; sed nondum determinate unius privatim personam indicat. At vero, si quis Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum nominet, non ex iis, quæ sine ullo discrimine tota natura divinitatis est, declarationem facit; sed ex iis, quibus sanctæ Trinitatis eadem essentia in propriis hypostasibus dignoscitur, dum ista loquendi ratio eorum, qui intelliguntur, unicuique suum, ac proprium nomen attribuat, et quæ substantiæ sunt unita in propriis hypostasibus, constituat[d]. » Idem in libro septimo *Thesauri* apertissimis verbis idipsum declarat. « Est enim, inquit, Pater in sua proprietate; et est Filius in peculiari sua proprietate, hanc solam habens ab generante differentiam. Nam Pater per sese est, et non est Filius; Filius

a EPIPH. Διὰ τοῦτο γὰρ ὑποστάσεις οἱ ἀνατολικοὶ λέγουσιν, ἵνα τὰς ἰδιότητας τῶν προσώπων ὑφεστώσας, καὶ ὑπαρχούσας γνωρίσωσιν.

b THEOD. dial. I. Ὅσα τοίνυν περὶ τῆς θείας λέγεται φύσεως, κοινὰ ταῦτά ἐστι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· οἷον τὸ θεὸς, τὸ κύριος, τὸ δημιουργὸς, τὸ παντοκράτωρ, καὶ ὅσα τούτοις ἐστὶ παραπλήσια, etc. Ὅσα δ' αὖ τῶν ὑποστάσεων ὑπάρχει δηλωτικὰ, οὐκέτι ταῦτα τῆς ἁγίας τριάδος κοινά. ἀλλ' ἐκείνης ἐστὶ τῆς ὑποστάσεως, ἧς ἐστιν ἴδιον· οἷον τὸ πατὴρ ὄνομα, καὶ τὸ ἀγέννητος τοῦ πατρός ἐστιν ἴδια. καὶ αὖ πάλιν τὸ υἱὸς ὄνομα, καὶ τὸ μονογενὴς, καὶ τὸ θεὸς λόγος, οὐ τὸν πατέρα δηλοῖ, οὐδὲ τὸ πνεῦμα ἅγιον, ἀλλὰ τὸν υἱόν. καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, καὶ ὁ παράκλητος τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως ὑπάρχει δηλωτικά.

c CYRIL. in fine dial. I *de Trin.* Πατὴρ γὰρ ὁ πατὴρ, καὶ οὐχ υἱὸς, ὅτι γεγέννηκεν. υἱὸς δὲ αὖ πάλιν ὁ υἱὸς, καὶ οὐ πατὴρ, ὅτι γεγέννηται. φέρε γὰρ, εἰ δοκεῖ, βραχὺ τοῦ πατρὸς, ὡς ἐν ἐννοίαις, καὶ λόγῳ, τὸ, πατὴρ, ἀποστήσαντες, καὶ μὴν καὶ τοῦ υἱοῦ· τὸ υἱὸς, ἐννοῶμεν, ὦ τᾶν, τὸ ὅπως ἂν ἡμῖν ἀναμέρος τὸ ἑκατέρου τὸ πρόσωπον κατασημῆναι τις ἂν, etc. MOX : Μόνως δὲ, καὶ ἀληθῶς ὁ πατὴρ σημαίνεται, διὰ τοῦ νοεῖν ὡς τέτοκε· μόνως δὲ καὶ ἀληθῶς ὁ υἱὸς. διὰ τοῦ νοεῖσθαι γεγεννημένος, ἴδιον οὖν ἑκατέρῳ τὸ αὐτοῦ, καὶ μόνου, καί τοι τῶν ἄλλων οὐ διωρισμένως ἐπ' ἀμφοῖν λεγομένων.

d CYRIL. dial. II *de Trinit.* Κοινὰ γὰρ, ἵν' οὕτως εἴπω, τῆς ὅλης θεότητος λέγοιτ' ἂν τὰ τῇ οὐσίᾳ τῇ ἄνω προσπεφυκότα. καὶ τὴν θείαν μέν τις εἰ κατονομάσειε φύσιν, ὁλόκληρον ἡμῖν, ὡς ἐν ἑνὶ τῷ σημαινομένῳ, παρέδειξεν εὐθύς τὴν ἁγίαν τριάδα, τὴν ἐν μιᾷ θεότητι νοουμένην. πλὴν οὔπω διεσταλμένως τὸ ἑνὸς πρόσωπον ἰδικῶς. πατέρα δὲ, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον λέγων, οὐκ ἀφ' ὧν ἐστιν ἀδιακρίτως ἡ πᾶσα τῆς θεότητος φύσις, ποιεῖται τὴν δήλωσιν, ἀλλ' ἐξ ὧν τὸ τῆς ἁγίας τριάδος διαγινώσκεται ταὐτὸν εἰς οὐσίαν ἐν ὑποστάσεσιν ἰδικαῖς, ἑκάστῳ τῶν νοουμένων ἀποκρίνοντος τοῦ λόγου τὸ αὐτῷ προσῆκον ὄνομα, καὶ ἐν ἰδικαῖς τιθέντος ὑποστάσεσι τὰ οὐσιωδῶς ἡνωμένα.

vero per sese est, et non est Pater; verum in eo solo a Patre distans, ipsam quidem naturæ paternæ proprietatem gerit [a], » etc. Et libro nono ejusdem operis, « Quidquid de una persona, Patris, vel Filii, dicitur, in utramque competere ait, excepto solo Patris, et Filii, nomine, ac re [b]. » Tum libro XXIII : « Habet, inquit, naturaliter, utpote proprium ipsius Verbum, et splendor, omnia quæ sunt illius, excepto eo, quod est esse, dicique Patrem [c]. » Item in libro XI *Commentariorum in Joannem*, « Nihil esse dicit, quod Filium a Patre dividat, ac differre faciat, quominus in omnibus similis, æqualisque sit, præter hoc unum, quod Pater est [d]. » Idque ipsum sæpius repetit; ut in libro octavo, et decimo *contra Julianum*, et in libro *contra Anthropomorphitas*, capite VI et XVIII.

Maximus Martyr in primo dialogo *de Trinitate*, qui vulgo Athanasio adscribitur, interroganti Anomœo, « Nullane ergo differentia est Patris, et Filii, et Spiritus sancti ? » in orthodoxi persona respondet : « In natura, nulla ; in voluntate, nulla ; in eo, quod est gignere, et gigni, emitti et procedere, inest aliqua [e]. »

Joannes Damascenus libro *de Fide orthodoxa*, « In omnibus, inquit, unum sunt Pater et Filius, et Spiritus sanctus, excepto eo, quod est ingenitum esse, et genitum, et procedere ; cogitatione vero divisio constat. Nam unum Deum cognoscimus, sed in solis proprietatibus paternitatis, filietatis, et processionis, ac secundum rationem principii, et ejus, quod est ex principio, et perfecti hypostasis, sive modi existendi discrimen intelligimus [f]. » Eadem fere leges et in XIII capite, et libro tertio, capite V. Hoc ipsum docet et Emmanuel Calecas, libro *contra Græcos*, capite XXV et Demetrius Cydones libro *de Processione Spiritus sancti*, capite secundo. Vide et in sexta synodo tum Agathonis epistolam, actione IV, et Sophronii actione XI, necnon edictum Constantini Pogonati, actione XVIII, in quibus illud idem significatur. Auctor ille, qui sub Justini nonime *Fidei expositionem* scripsit, « Non igitur, ait, idem cum Patre Filius est, et Spiritus sanctus ; quoniam ingenitum, et genitum, et procedens non sunt essentiæ nomina, sed modi quidam existentiæ. Modus autem existentiæ nominibus istis velut notis distinguitur. At essentiæ notio Dei vocabulo significatur adeo, ut Patris a Filio, et Spiritu sancto differentia in existentiæ modo posita sit ; identitas vero in essentiæ ratione [g]. »

XIV. Hoc vero singulare est Zachariæ Mitylenæi elegantissimi scriptoris, quod relationes in solis rebus corporatis inesse putat ; in Deo vero, expertibusque corporis substantiis nullas esse, atque hoc modo conatur id, quod de æternitate mundi ab gentilibus objectum erat, solvere ; dum ex eo, quod Deus creator est, idque ex æterno, ne ulla fiat in illo mutatio, creatoris autem notio habitudinem quamdam habet ad res creatas, probare studebant, etiam creatas res ex omni fuisse æternitate. « Nam, quæ simul sunt, inquit, ex illorum genere sunt, quæ ad se mutuo referuntur. Quæ autem invicem referuntur, cum natura corporea implicantur. Est autem Deus res quædam expers corporis. Quare non est simul Deus, ac

a Cyrill. in VII *Thes.* Ἔστι γὰρ ὁ Πατὴρ ἐν τῇ αὐτοῦ ἰδιότητι. καὶ ἔστιν ὁ υἱὸς ἐν τῇ ἰδίᾳ ἰδιότητι, ταύτην ἔχων μόνην πρὸς τὸν γεγεννηκότα τὴν διαφοράν. ὁ μὲν γὰρ πατὴρ καθ' ἑαυτόν ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν υἱός. ὁ δὲ υἱὸς καθ' ἑαυτόν ἐστι. καὶ οὐκ ἔστι πατήρ. ἀλλὰ κατὰ τοῦτο μόνον, ὡς πρὸς τὸν πατέρα τὴν διαστολὴν ἔχων, φέρει μὲν αὐτὸ τῆς πατρικῆς φύσεως τὸ ἰδίωμα, etc.

b Idem, lib. IX *Thes.* Ἀλλ' ὡς ἐπ' ἀμφοῖν χωρεῖν δυναμένου παντὸς, ὅπερ ἂν ἐφ' ἑνὸς λέγοιτο, δίχα μόνης τῆς τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ προσηγορίας τε, καὶ πράγματος.

c Idem, lib. XXIII. Ἔχει γὰρ φυσικῶς ἴδιος ὢν αὐτοῦ λόγος, καὶ ἀπαύγασμα, πάντα τὰ αὐτοῦ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι, καὶ λέγεσθαι πατήρ.

d Idem, lib. XXI *in Joan.* cap. II. Διατέμνοντος γὰρ, ἤτοι διιστάντος οὐδενὸς εἰς ἀλλοτριότητα τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν, ὅσον ἦκεν εἰς τὸ κατὰ πᾶν ὁ, τιοῦν ὅμοιόν τε, καὶ ἴσον, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατέρα.

e Tom. II oper. Athan. AN. Οὐκ ἔστιν οὖν διαφορὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. ΟΡΘ. Ἐν τῇ φύσει, οὔ, ἐν τῷ θελήματι, οὔ. ἐν τῷ γεννᾷν, καὶ γεννᾶσθαι, καὶ ἐκπέμπειν, καὶ ἐκπορεύεσθαι, ναί.

f Damasc. lib. I, cap. II. Ὅτι κατὰ πάντα ἕν εἰσιν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, καὶ τῆς γεννήσεως, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως· ἐπινοίᾳ δὲ τὸ διῃρημένον. ἕνα γὰρ θεὸν γινώσκομεν· ἐν μόναις δὲ ταῖς ἰδιότησι τῆς πατρότητος, καὶ τῆς υἱότητος, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως, κατά τε τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, καὶ τὸ τέλειον, τῆς ὑποστάσεως, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον, τὴν διαφορὰν ἐννοοῦμεν.

g Justinus. Οὐ ταὐτὸν οὖν τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ὅτι τὸ μὲν ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ ἐκπορευτὸν οὐκ οὐσίας ὀνόματα, ἀλλὰ τρόποι ὑπάρξεως. ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπάρξεως τοῖς ὀνόμασι χαρακτηρίζεται τούτοις· ἡ δὲ τῆς οὐσίας δήλωσις τῇ Θεὸς ὀνομασίᾳ σημαίνεται, ὡς εἶναι τὴν διαφορὰν τῷ πατρὶ πρὸς τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον. τὸ δὲ ταὐτὸν, κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον.

mundus ; siquidem Deus non est corpus, quocum relationes conjunctæ sunt[a]. » Hoc nemo dubitat esse falsum. Non enim referri ad aliud corpora sola dicuntur ; et in Deo relationes inesse, fidei res est, non opinionis.

CAPUT XI.

Quid significet vox personæ, absolutum, an relativum aliquid. Prius Augustino, et aliis visum esse ; et id tamen minus esse probabile. Personam ergo proprie, et directe relativum quippiam significare ; neque notionem quamdam personæ, tanquam genus, de divinis personis prædicari.

I. Hujus, quam de personarum proprietatibus instituimus, disputationis consectaria sunt duo ; quorum ad illustranda superiora illa necessaria videtur enodatio. Nam hoc primum inquiri a nobis oportet, vox ipsa personæ quid significet, hoc est relativa, an absoluta sit ei subjecta notio. Deinde num, præter relativas proprietates tres, quibus hypostases constare docuimus, alia quædam communis tribus, et absoluta sit, quæ naturam ipsam per sese quodammodo, et ut captus fert nostræ cognitionis, afficiat. Est enim quæstio utraque celebris, deque ea theologorum in libris est magna certatio.

De priore uti primo loco dicatur, hoc ante omnia statuendum est, *personæ* vocem ex eorum esse nominum genere, quæ *concreta* dicuntur, hoc est e duobus complexa, quorum alterum subjecti instar est, alterum formæ, quæ subjectum afficit. Itaque quamvis reipsa nihil in Deo sit hujusmodi, nec ulla pars, aut compositio ; nos tamen sic eum cogitatione describimus, quasi quiddam insit in illo, quod subjecti vicem habeat, quiddam alterum, formæ. Quare persona divina ex natura, sive essentia, velut subjecto, et proprietate, quæ tanquam forma est relativa, componitur. Sed ambigitur, utram partem proprie, ac per se, directaque notione persona significet. Sicut cum *album* dicimus, vel *calidum*, etsi duo animo concipimus, corpus, quod ea qualitate perfusum est, et qualitatem ipsam ; magis tamen proprie qualitas, quam materia, significari dicitur. Nam hæc confuse tantum, illa distincte, et explicate isto vocabulo declaratur. Hoc ne idem in *personæ* nomine sentiamus, intercedit Augustinus, et cum eo theologi nonnulli, horumque dux Lombardus sententiarum Magister, qui personæ absolutam magis, quam relativam significationem tribuere videntur.

II. Etenim Augustinus in septimo *de Trinitate*[1] personam ad se dici, non ad alterum, docet ; quod ipsum est absolute, ac secundum essentiam, vel substantiam dici, non secundum relationem. « Non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, inquit ille, sed omnino idem. Nam si esse ad se dicitur, persona vero relative, sic dicamus tres personas, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad seipsum. Quapropter quilibet ex eis amicus est duorum cæterorum, aut propinquus, aut vicinus, quia hæc nomina relativam significationem habent. Quid ergo non placet, ut dicamus Patrem personam esse Filii, et Spiritus sancti ? aut Filium personam esse Patris, et Spiritus sancti ? aut Spiritum sanctum personam esse Patris, et Filii ? Sed neque persona ita dici solet, neque in hac Trinitate, cum dicimus personam Patris, aliud dicimus, quam substantiam Patris. Quocirca, ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est ; ita et persona Patris non aliud, quam ipse Pater est ; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum sanctum, sicut ad se dicitur Deus, et magnus, et bonus, et justus, et si quid aliud ejusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnum, quod bonum esse ; ita hoc illi est esse, quod personam esse. » Hic Augustinus manifeste personam *ad se* dici asserit ; hoc est absolutam habere significationem, et substantiam, sive essentiam sonare, non proprietatem. Nam alioqui Pater Filii persona diceretur, si persona Patris proprie relationem exprimeret.

Personam quid absolutum censet Augustinus idque minus probabile.

Atenim si ad se persona dicitur, et substantiam significat, uti *magnus*, *bonus*, non solum tres personæ dicentur, sed una persona, sicut unus magnus, et bonus. Imo tres personas

[a] ZACHAR. MITYL. lib. *de Opif. mundi*. Τὰ γὰρ ἅμα τῶν πρός τι. τὰ δὲ πρός τι τῇ σημαντικῇ συνέζευκται φύσει· ὁ δὲ θεὸς ἀσωματόν τι χρῆμα, καὶ νοερόν. οὐκ ἄρα ἅμα θεὸς, ἅμα κόσμος. ἐπεὶ μήτε σῶμα ὁ θεὸς, ᾧ τὰ πρός τι συνέζευκται.

1 Cap. VI.

dici nihilomagis licebit, quam magnos, bonos, vel deos tres. Hoc enim subinde sibi Augustinus objicit eodem in sexto capite; tum vero in antecedente quarto, ubi quærit, quid tres sint, et quid commune habeant. Nam si tres personæ dicantur, persona generale nomen erit, ut est revera, cum etiam homini sit cum Deo communis. Cur igitur, sicut tres personas usurpamus, quia persona communis vox est, ita non dicimus tres deos? aut, ut dicimus unum Deum, non unam itidem personam nominamus? Hæc ubi argute, ac subtiliter more suo disputavit Augustinus, ita denique respondet: Factum id esse loquendi consuetudine, ut tres personas potius, quam unam personam diceremus, et non unam personam, sicut unam essentiam, cum tam commune sit substantiæ, vel personæ vocabulum, quam essentiæ. Græcos enim substantiam id appellare putat, quod Latini personam vocant. « Quid igitur restat, ait [1], nisi ut fateamur loquendi necessitate partita (parta*) hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversum insidias, vel errores hæreticorum? Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet, de Domino creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresim lapsus est, » etc. Mox: « Quæsivit, quid tria diceret, et dixit substantias, sive personas; quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit, ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo, quod dicitur una essentia, sed et Trinitas, ex eo, quod dicuntur tres substantiæ, vel personæ. Nam si hoc est Deo esse, quod subsistere, ita non erant dicendæ tres substantiæ, ut non dicuntur tres essentiæ; quemadmodum, quia hoc est Deo esse, quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim, quia hoc illi est Deum esse, quod est esse, tam tres essentias, quam tres deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse: quod enim est, ad se dicitur; Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturam dicitur; relative ergo subsistit, sicut relative gignit, et relative dominatur. Ita jam substantia non erit substantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo, quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem, ut substantia relative dicatur. Omnis enim res ad seipsam subsistit; quanto magis Deus? » etc.

III. Hæc igitur Augustini sententia est, tam absolute, ac per sese usurpari posse personam unam, vel unam substantiam, quam dicitur una essentia, vel sapientia; sed usu loquendi aliter institutum esse, uti tres solummodo personæ, non autem una diceretur, quo scilicet in promptu vox esset aliqua, qua id, secundum quod tria sunt, explicari posset. Quam ad Augustini rationem Fulgentius [2] alludens, « Sed, cum quæreretur, inquit, a Patribus, et diceretur, Quid tria? nec essentias, nec substantias, nec naturas dicere ausi sunt, ne aliqua forte diversitas crederetur essentiarum, aut naturarum, aut substantiarum; sed dixerunt tres personas, unam essentiam, uti una essentia declararet Deum, tres autem personæ sanctam Trinitatem ostenderent. » Ibi tres substantias nominari vetat, contra quam Augustinus factum asserit, de qua re supra meminimus. Idem et ad Ferrandum scribens, inquisitione I docuit: « Vix autem unum (nomen singulare) reperiri potuit humani sermonis inopia, ut saltem tres diceret esse personas, ne, si vel hoc non diceretur, Trinitas esse nullatenus crederetur, et in illa omnimoda taciturnitate fidei periculum nasceretur. »

Lombardus item in primo *Sententiarum* [3] hanc Augustini doctrinam amplectens, et explicans, personæ nomen affirmat dici secundum substantiam, quod est secundum essentiam, vel ad se. Porro [4], cum quidquid ad se Deus dicitur, substantialiter dicatur; idque ipsum nunquam pluraliter efferatur, sed singulariter, etsi de unoquoque prædicetur, sicut dicimus, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen dicimus, tres sunt dii, sed unus Deus; ab hac communi conditione personæ nomen excipitur; hoc enim unum ex omnibus, quæ substantialiter dicuntur, et ad se, pluraliter, non singulariter in summa accipitur. « Dicimus enim, Necnon Petrus Lombardus.

* Aliqui manuscripti habent *partita*, sed plures et meliores habent *parta*, et hæc est vera lectio, ut subodoratus est doctiss. auctor. J.-B. F.

1 Lib. VII, cap. IV. — 2 Lib. *de Trin.* — 3 Dist. XXIII et XXV. — 4 Dist. XXII.

Pater est persona; Filius est persona; Spiritus sanctus est persona; nec tamen dicitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt una persona, sed tres personæ. » Hæc Magister sententiarum, qui varietatis hujus causam affert eam, quam ex August. supra posui; tum ex eodem alteram e quarto capite libri septimi depromptam: ideo tres deos non dici, quia Scriptura contradicit; quæ Deum *unum esse* prædicat [1]. Tres autem personas usurpari, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.

IV. Hugo Victorinus [2] eamdem, ac Magister sententiarum, quæstionem injicit; itidemque ut ille censet, « Hoc solum nomen esse, quod cum dicatur de singulis ad se, pluraliter, non singulariter accipitur in summa, » ac cætera ejusdemmodi. Sed rursus ambigit, cur « cum dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum tres esse personas, non possumus dicere tres rationales substantias. » Nec satis dilucide respondet. Ait autem, « quando per se dicitur, Pater est persona, Filius est persona, » sic exponi, « Pater est persona, id est rationalis substantia, sed per additionem restringi significationem, ut, Filius est alia persona, id est discretus per aliam proprietatem: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres personæ, id est discreti per tres proprietates. Sicut enim, cum dicitur, Filius est Deus, non distinguitur a Patre, sed cum additur, Filius est Deus de Deo, jam fit distinctio. Ita cum dicitur, Pater est persona, Filius est persona, nondum fit distinctio, sed cum additur alia persona, vel per pluralem tres personæ, jam distinctio notatur. »

Auctor etiam ille [3], qui sub Bedæ nomine vulgatus *Scholia* edidit in librum Boetii *de Trinitate*, similiter atque illi sentit, ac scribit. Tum hoc addit, « Quod Augustinus dicit, Persona dicitur ad se, sic intelligendum esse, id est non dicitur in respectu. Non enim ideo dicitur dici ad se, quod sit datum ex identitate essentiæ. » Quibus verbis docet personæ nomen absolutam habere significationem, non relativam; neque tamen propterea essentiæ nomen esse, vel substantiæ, sed hoc habere peculiare, ut cum ad se, non ad aliud dicatur, non tamen substantiam denotet. Quod non aliunde, quam hominum consensu, institutoque factum esse, cum Augustino censuit. Ac paulo post idem scriptor affirmare videtur, personæ nomen proprie non constare personali distinctione; hoc est non eam in notione sua involutam habere, sed hoc significare, quod *habet personalem distinctionem*, quasi dicat, vocabulum esse complexum, sive, ut vocant, *concretum*. Huic opinioni quidam de schola theologi suffragantur; quibus placet, relationem duo significare, essentiam, et habitudinem ad alterum. Qua igitur essentiam exprimit, per eam constitui personam; distingui vero ab alia, qua respectum, ac σχέσιν habet. Hæc enim diversa esse probat, qui sic sentit, Bellarminus [4] exemplo Adami, qui cum solus esset, prius ejus est constituta, quam ab illis distincta persona. Cujusmodi Adami exemplo utitur etiam Beda ille supposititius, et nescio quid inconditum, obscurumque ad eam sententiam expromit.

V. Equidem invitus facio, ut ab Augustini, aliorumque gravissimorum virorum sententia discedam. Sed me Græcorum, Latinorumque Patrum, nec non conciliorum auctoritas sentire aliter cogit; quæ id profecto dici non patitur, personæ vocabulo eam subjici notionem, quæ essentiam, hoc est substantiam, naturamque proprie exprimat, ut ad se dicatur, non ad alterum. In quo nominis *substantiæ* ambiguitas illa notanda est, de qua non semel admonui. Nam alias essentiam, naturamve significat; alias hypostasim, vel naturam eamdem singularibus proprietatibus affectam. Ac priore sensu illi omnes intelligendi sunt, qui *personam* ad se, et secundum substantiam dici voluerunt; quoniam ad se dicitur hoc solum, quod ad essentiam pertinet, ut supra demonstravimus. At hoc ipsum minime consentaneum est, personæ vocem proprie, ac directe secundum essentiam dici. Huic enim vel Augustinus ipse refragatur, a quo hæc tradita regula est in quinto libro *de Trinitate*, cap. VIII. « Quapropter illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicitur, præstantissima illa, et divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative; tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quemadmodum enim Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, quod secundum substantiam dici nemo dubitat, non tamen tres deos, sed unum Deum dicimus eamdem ipsam præstantissimam Trinitatem. Ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus sanctus; non tamen

Rejicitur prædicta sententia, statuiturque personam esse quid relativum.

1 *Deut.* VI. — 2 Hugo tract. I *Sum. sent.* c. IX. — 3 Tom. II operum Bedæ. — 4 Lib. II *de Christo*, cap. I.

tres magni, sed unus magnus. » Ac quibusdam interpositis, « Quidquid ergo ad seipsum dicitur, Deus, et de singulis personis singulariter dicitur, id est de Patre, et Filio, et Spiritu sancto; et simul de ipsa Trinitate; non pluraliter, sed singulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, et aliud magnum esse, sed hoc item illi est esse, quod magnum esse, propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam, et unam magnitudinem. »

Quare si *personæ* vocabulum ad se, et secundum substantiam, hoc est essentiam, dicitur, non potest evitari, quin Pater, Filius, ac Spiritus sanctus, perinde una persona nominentur, ac personæ tres. Siquidem non aliud est Deo esse, et aliud personam esse. Neque vero quominus ita loquamur, communis obstabit usus, quia nec impedire potuit, quin substantiæ tres, ut et hypostases, in sermonis consuetudinem aliquando venerint, quamvis initio ab utraque christiani Patres abhorrerent. At profecto vel unus ex his repertus est, qui unum Trinitatis personam, vel πρόσωπον usurparet; quod quia nemo fecit hactenus, hoc ipsum indicio est, non licere, neque personam dici substantialiter, sed relative.

VI. Etenim, quod ab illa generali regula nominum eorum, quæ secundum essentiam dicuntur, personæ vocabulum excipi Lombardus ait, hoc illi minime concedimus. Si enim hoc nomina significant, et in eo potestas iis subjecta consistit, ad quod proprie declarandum sapientum ea usus hominum, et auctoritas assumpsit; scimus, ex quo transferri ad divina vox ista personæ cœpit, nunquam pro eo sumptam esse, quod commune est tribus, sed pro eo, quod est multiplex, et distinctum. Atqui non recens est vocabuli istius usus in explicanda divinitate, sed antiquissimus, nulli ut ætate cedat illorum, quæ theologorum hac in re consuetudo detrivit; qualia sunt substantiæ, et essentiæ, quæ duo non diu esse, quod in usum venerunt, scribit Augustinus [1]. Tum apud Græcos ὑποστάσεως, quod postremum serius aliquanto in ea significatione fixum est, quam deinceps obtinuit, ut id quod in Trinitate proprium est, exprimeret. Nam perdiu pro natura, vel essentia usurpatum est a Patribus, ut [2] antea monstravimus. Personæ vero nomen, quod in libro *de Trinitate* exstat [3], qui inter opera Tertulliani Novatiano inscriptus legitur, et est vetusti non minus scriptoris, quam elegantis, et Latini, qui ita loquitur. « Christum secundam esse personam post Patrem; » hæc, inquam, *personæ* vox a nemine unquam mortalium, uti neque Græca προσώπου, aliter usu recepta est, quam ut, quod est in Deo singulare, ac distinctum, referret. Hoc docti pariter et indocti perpetua, et constanti sermonis lege sanxerunt *.

VII. Unde ergo suspicati sunt ii, quos contra disputamus, nomen hoc dici secundum essentiam, vel substantiam, sed consensu quodam eruditorum ad significandas proprietates esse restrictum? Ut ita credi posset, producendi essent, qui alio sensu, quam vulgo fit, nomen illud usurpassent, ac varietas in usu ejus aliqua notanda veterum, ut in substantiæ et hypostasis vocibus solet. At id nunquam poterunt. Itaque cur in nominum eorum numerum personam referant, quæ ad se, et secundum substantiam dicuntur, causæ nihil habent. Neque vero probare illud possumus, quod in illo Augustini loco legitur. « Non esse aliud Deo esse, aliud personam esse. » Nam etsi quidquid in Deo est, reipsa Deus sit, et una sit, eademque simplicissima res essentia Dei, atque persona, et quidquid aliud in illo est, ac de eo dicitur; tamen intelligentia, et, ut Græci Patres loquuntur, ἐπινοίᾳ, *cognitioneque* nostra quædam fit horum omnium distinctio, ut non idem sit prorsus esse Deo, quod personam esse, vel Patrem, aut Filium esse; quamvis idem sit Deo esse, quod magnum esse, vel sapientem, et si quid est aliud, quod ad se, absoluteque dicitur. Quod quidem Augustinus ipse nos docuit his verbis [4], « Quapropter, non quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideo non una essentia; quia his nominibus relativa eorum ostenduntur. Uterque autem simul una sapientia, et una essentia, ubi hoc

* Mirum est virum doctissimum non animadvertisse *personam* ab Augustino et Lombardo eodem modo intelligi ac a Boetio qui definivit : *Rationabilis naturæ individuam substantiam.* Quo sensu persona in se spectata est substantiale quiddam, imo substantia. Nam accidens aut adjunctum non potest dici *persona*. At *personalitas* abstracte sumpta est relativum quidpiam, quod puto Petavii animo adversatum fuisse. Verum non dicimus duntaxat *tres personalitates* esse in Deo, sed *tres personas*. Augustini autem sententiam intelliges ex iis quæ habentur cap. IX hujus libri.

T. AL.

1 Lib. VII *de Trin.*, cap. VI. — 2 Cap. I hujus libri. — 3 Cap. XXI. — 4 Lib. VII *de Trin.* cap. II.

est esse, quod sapere, non autem simul uterque Verbum, aut Filius; quia non hoc esse, quod Verbum esse, aut Filium esse; quia jam satis ostendimus ista relative dici. » Eodem modo neque idem erit esse Deo, quod personam esse, quia persona relative dicitur.

Huic consentaneum est, quod in libro quæstiuncularum *de Trinitate* inter Augustini opera legitur, qui liber, etsi Alchuini est, non Augustini, ex ejus tamen doctrina decerptus est. Ibi ergo ita scriptum est : « *Interrogatio.* Dum tres personas dicimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, quare non tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos dicere fas est? *Responsio.* Quia Deus, et omnipotens, et magnus, et bonus, et æternus substantialia nomina sunt, et ad se dicuntur; ideo non licet ea plurali numero dicere, sed singulari, et omne nomen, quod substantiam Dei, vel essentiam significat, semper singulari numero proferendum est. Pater autem, et Filius, et Spiritus sanctus relativa sunt nomina, et ideo tres personæ recte dicuntur. »

VIII. Nam quod Pater persona dicitur, et Filius persona, et Spiritus sanctus persona, ut sit tribus nomen commune personæ, non ideo generalis aliqua est ei vocabulo subjecta notio, quæ quidem distincta sit, ac de tribus ita dicatur, ut Deus, ut magnus; aut non personæ significatio singulare aliquid sonat, minimeque communicabile pluribus. Sed sic illa vox habet, ut hæc *individuum*, vel *singulare*. Nam et ita loquimur, Petrus est individuum, Paulus est individuum, neque propterea individui notio aliqua distincta, ac velut e pluribus collecta conficitur. Quinetiam sanctus Thomas tale esse quippiam existimat, quale est, quod individuum vagum a dialecticis vocatur, quod sola ratione commune est, reipsa vero singularem, ac definitum existendi modum significat, sicut persona subsistendi. Quocirca perinde est, cum dicimus : Pater est persona, Filius est persona, ut cum sic loquimur : Petrus est aliquis homo, Paulus est aliquis homo. Fit enim utrobique consequens. Igitur duæ sunt personæ Pater, et Filius, et duo quidam homines Petrus, et Paulus, non vero Pater, et Filius sunt una persona, vel unus aliquis homo Petrus, et Paulus.

Atque hæc Basilii omnino sententia est, non habere ὑπόστασιν, sive *personam*, communem aliquam notionem ab inferioribus abstractam, sed per se, ac suapte conditione circumscriptam, et singularem esse. Hic enim in epistola XLIII *ad Gregorium Nyssenum* fratrem, οὐσίας, et ὑποστάσεως discrimen exponens, quiddam ait esse commune pluribus, et infinitum, ut cum hominem dico; alterum privatum, et singulare, ut est Petrus, Silvanus, et cæteri, qui suis quique proprietatibus constant, ac secernuntur invicem. Jam vero οὐσίαν, sive essentiam illud generale esse, communeque multis ; ὑπόστασιν vero, quod singulare est, et proprium. « Nam qui hominem dicit, confusam quamdam, et in varia dispersam intelligentiam infinitate significationis auditui nostro subjicit ; adeo ut natura quidem vocabulo ipso declaretur, at res subsistens, et singulariter nomine isto significata neutiquam exprimatur. At qui Paulum dixerit, demonstravit in re per nomen significata subsistentem naturam. Hoc igitur est hypostasis, non illa essentiæ infinita notio, quæ nullam ex communitate significati stationem invenit, sed ea potius, quæ quod commune, minimeque circumscriptum est, in re aliqua singulari iis, quæ cernuntur, proprietatibus exprimit, ac definit[a]. » Hæc Basilius, cujus verba duabus de causis descripsi; tum ut quod agimus, planum facerem, hypostasim, ac personam per se suapte singularitate definitam esse, neque communem habere notionem, cujus modi generis est, aut formæ ; tum ut intelligeremus, falso ab nonnullis asseri, personam hoc in loco Gregorium Nyssenum (nam inter hujus opera epistola ista Basilii ponitur) affirmare idipsum, quod sanctus Thomas docuit, velut individuum esse vagum; quasi ibi Basilius agnoscat « indefinitam quamdam essentiæ subsistentiam, quæ nullam propter communionem ejus, quod significatur, stationem inveniat. » Verum nulla istic mentio fit *indefinitæ subsistentiæ*, quæ essentiæ tribua-

Essentiæ, et hypostasis.

a BASIL. epist. XLIII. Ὁ γὰρ ἄνθρωπον εἰπὼν, ἐσκεδασμένην τινὰ διάνοιαν τῷ ἀορίστῳ τῆς σημασίας τῇ ἀκοῇ ἐνεποίησεν· ὥστε τὴν μὲν φύσιν ἐκ τοῦ ὀνόματος δηλωθῆναι, τὸ δὲ ὑφεστὸς, καὶ δηλούμενον ἰδίως ὑπὸ τοῦ ὀνόματος πρᾶγμα μὴ σημανθῆναι. ὁ δὲ Παῦλον εἰπὼν, ἔδειξεν ἐν τῷ δηλουμένῳ ὑπὸ τοῦ ὀνόματος πράγματι ὑφεστῶσαν τὴν φύσιν. τοῦτο οὖν ἐστιν ἡ ὑπόστασις, οὐχ ἡ ἀόριστος τῆς οὐσίας ἔννοια, μηδεμίαν ἐκ τῆς κοινότητος τοῦ σημαινομένου στάσιν εὑρίσκουσα· ἀλλὰ τὸ κοινόν τε, καὶ ἀπερίγραπτον ἐν τῷ τινι πράγματι διὰ τῶν ἐπιφαινομένων ἰδιωμάτων παριστῶσα, καὶ περιγράφουσα.

definita essentiæ notio.

tur, sed est ἀόριστος τῆς οὐσίας ἔννοια; quæ vox ἔννοια in Græco, perperam omissa est in editione operum Gregorii Nysseni, idque fraudi fuit interpreti. Basilius vero infinitam essentiæ notionem appellat, quæ est naturæ communis, nullis adstrictæ singularibus, individuisque proprietatibus; quam idcirco nullam στάσιν habere dicit, hoc est in nulla certa, definitaque re singulari consistere.

Porro Dionysius, et qui ejus verba descripsit, Antiochus, homilia I quæ est *de Fide*, hoc ipsum suadent, nullam ex iis, quæ propria sunt, communem notionem informari posse. Quippe duo discernunt in Deo; quorum alia conjuncta sunt, et ἡνωμένα, hoc est communia tribus personis, alia divisa, et propria; tum ita scribit: « Porro de tota divinitate conjunctim ipsa dicuntur; superbonum, superdeum, supersubstantiale, supervivum, supersapiens, cumque iis omnia nomina, quæ causam, et efficientiam significant, ut sun bonum, honestum, ens, vivificans, sapiens, et id genus alia, quæ ex bono congruis petita donis, bonorum omnium causam, etorigitginem cognominant. At propria, et distincta sunt hæc, Patris supersubstantiale nomen; et res, nec non Filii, et Spiritus sancti; in quæ nulla omnino vel qualiscumque communicatio potest invehi[a]. » In his ergo, quæ sunt propria, cujusmodi personæ sunt, hoc est proprietates, et, ut Dionysius ait, in his omnibus, quæ in Deo distinctionem, ac diversitatem faciunt, nihil commune fingi potest, ac concipi.

Theodorus denique Abucara, nomen individui, cum λογικῶς usurpatur, hoc est secundum *intentionem*, ut vocant, « secundam, infinite dici ait de Petro, Paulo, hoc equo, hoc albo, hoc circulo, ac reliquis omnibus, quæ non dividuntur omnino, hoc est de nullo prædicantur[b]. »

IX. Jam vero personæ vocabulum directa, et, ut loqui solent, formali significatione, non essentiam, sed proprietatem relativam in Deo notare, illam autem obscure tantum assignificare, iisdem fere ex antiquorum testimoniis evincitur, quæ superioribus capitibus allata sunt, in quibus de hypostasi, ac persona disseruimus. Est enim, quod inter theologos omnes convenit, idem persona, quod hypostasis, nisi quod hæc latius patere, quam illa creditur; ut sit quasi genus hypostasis, ejusque species persona sit. Quod si est verum, necesse est, quod de hypostasi dicitur, id affirmari de persona. Generis enim natura, et proprietas derivatur in ea omnia, quæ sunt sub genere. Ita quod hypostasis habet, ut *propriam singulorum existentiæ notam* significet[c], id personæ conveniet. Atqui propria divinarum personarum nota ex antiquorum omnium decreto relativa est, non absoluta, ut capite antecedenti probatum est. Idem quoque Basilius diserte scribit in secundo *adversus Eunomium*, individuorum, et personarum appellationes, velut Petrum, et Paulum, « non substantias ipsas significare, sed proprietates, quæ singulos, velut propriæ notæ designant. Igitur cum, exempli gratia, Petrum audimus, non ejus substantiam intelligimus ex isto nomine, etc., sed proprietatum, quæ circa ipsum spectantur, notionem informamus[d]. » Quod subinde latius explicat, et Petri pronuntiato nomine, vel Pauli, statim occurrere nobis ait varias illorum proprietates; velut quod his orti parentibus, quod hujus vitæ, et instituti; quod his præditi moribus, et id genus alia, quam vocat τῶν ἰδιωμάτων συνδρομὴν, id est « *concursum propriarum notarum*[e], quarum nulla, inquit, substantia est ipsa. » Quin idipsum firmissimo, et sane necessario concludit argumento, Eunomii dictum refellens, qui ita scripserat; « Quorum nomina differunt, ea contrarias habere substantias. Id enim si verum foret,

a DION. *de Divin. nom.* cap. II, et S. Antiochus tom. I *Bibl. PP. Græcol.* Καὶ τὰ μὲν ἡνωμένα τῆς ὅλης θεότητός ἐστι, τὸ ὑπεράγαθον, τὸ ὑπέρθεον, τὸ ὑπερούσιον, τὸ ὑπέρζωον, τὸ ὑπέρσοφον, μεθ' ὧν καὶ τὰ αἰτιολογικά πάντα, τὸ ἀγαθὸν, τὸ καλὸν, τὸ ὂν, τὸ ζωογονοῦν, τὸ σοφὸν, καὶ ὅσα ἐκ τῶν ἀγαθοπρεπῶν αὐτῆς δωρεῶν ἡ πάντων ἀγαθῶν αἰτία κατονομάζεται δὲ· τὰ δὲ διακεκριμένα τοῦ πατρός· ὑπερούσιον ὄνομα καὶ χρῆμα, καὶ υἱοῦ, καὶ πνεύματος, οὐδεμιᾶς ἐν τούτοις ἀντιστροφῆς, ἢ ὅλως κοινότητος ἐπεισαγομένης.

b THEOD. ABUC. opusc. I, tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Εἰ δέ τις ἄτομον εἴποι ὄνομα περιθέον, καὶ περιφερόμενον; ἀορίστως παραδείκνυται ἐπὶ Παύλου, καὶ Πέτρου, καὶ τοῦδε τοῦ ἵππου, καὶ τοῦδε τοῦ λευκοῦ, καὶ τοῦδε τοῦ κύκλου, καὶ τῶν λοιπῶν ὁμοίως, τῶν μὴ τεμνομένων παντάπασιν, ἤγουν τῶν ἄλλων κατηγορουμένων.

c BASIL. Epist. XLIII. Ὑπόστασις τὸ ἰδιάζον τῆς ἑκάστου ὑπάρξεως σημεῖόν ἐστι.

d Id. lib. II *contra Eunom.* Ὅθεν καὶ αἱ προσηγορίαι οὐχὶ τῶν οὐσιῶν εἰσι σημαντικαί. ἀλλὰ τῶν ἰδιοτήτων, αἳ τὸν καθ' ἕνα χαρακτηρίζουσιν. ὅταν γοῦν ἀκούσωμεν Πέτρον, οὐ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ νοοῦμεν ἐκ τοῦ ὀνόματος, etc. Ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων, ἃ περὶ αὐτὸν θεωρεῖται, τὴν ἔννοιαν ἐντυπούμεθα.

e Ibid. Ὧν οὐδέν ἐστιν οὐσία.

ait, oportere omnino, Paulum, et Petrum, et omnes penitus homines diversæ ab sese invicem esse substantiæ.» Ac denique colligit sic : « Quamobrem ex dictis perspicuum est in Patre, ac Filio non substantiam ipsa significare nomina, sed proprietates exprimere, adeo, ut nullus jam locus relinquatur ei sententiæ, quæ ex nominum varietate substantiarum invehit oppositionem [a].» Egregia sane ratio, et id, quod volumus, præclare conficiens. Si enim personæ vox essentiam ipsam, ac substantiam directe significaret, sicut personæ tres dicuntur, sic essentiæ tres.

X. Sane Augustinus epistola LXVI non aliter Arianorum argumentum diluit, quo Patris, et Filii naturam probant esse diversam, eo quod *iste Pater est, ille Filius ;* nisi hoc una, quod Patris, et Filii nomina non substantiam significant. « Quis enim non videat, inquit, ista vocabula non in seipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum significare personas? Tale est etiam illud, quod simili loquuntur errore: Ideo Filium alterius esse naturæ, diversæque substantiæ, quia Pater Deus non est de altero Deo, Filius autem Deus est quidem, sed de Patre Deo. Et hic enim non indicatur substantia, sed origo, id est non quid sit, sed unde sit quisque, vel non sit. » Agitur autem hic de directa, et ut vocant, *formali* notione vocis, non obliqua, et confusa. Neque enim vel Augustinus, vel alii Patres negarent nomina Patris, et Filii naturam ipsam, et essentiam utcumque, et ex obliquo significare ; cum nemo Pater esse possit, nisi substantia aliqua constans, sed ea non distincte, cum dicitur pater, exprimitur. Sic igitur qui relationem, vel personam asserunt substantiam designare, de distincta significatione loqui debent, si quid efficere volunt; et iisdem tum ab aliis Patribus, tum ab Augustino contradicitur. Qui etiam *personam alterius ad alterum* comparari dicit; quod cum priori illius decreto non satis congruit. Cæterum personarum propria nomina non οὐσίαν significare docet Theodorus Rhaituensis presbyter in *Isagoge ad Anastasium*, « Nomen, inquit, Filii hypostasis significandæ vim habet, non substantiæ[b]. »

Auctor etiam ille, qui *Expositionem fidei* scripsit, quæ Justino adscribitur, pluribus demonstrat nomina propria personarum in Deo « non significare substantiam, sed vim habere separandarum personarum, ac præterea existendi modum indicare[c]. » Cui Damascenus assentitur, illa ipsa vocabula docens « non substantiam exprimere, sed mutuam inter se habitudinem, et existendi modum[d]. » Gregorius item Nazianzenus proprietates[1], quæ sunt ἰδιότητες, nihil aliud esse, quam ὑποστάσεις, ait, et πρόσωπα; quod et Theodoretus scribit[2], et alii passim. Proprietates autem personarum in Deo sunt relationes, ut caput antecedens docuit. Non enim iis assentior[3], qui cum *subsistentiæ* id est proprietati, quæ personas subsistentes facit, duplex officium assignent, alterum constituendi, distinguendi alterum ; relationem in Deo, qua essentiam includit, constituere personam putant, qua relationem, et habitudinem ad alterum, distinguere. Quod sic ab aliis exponitur : Relationem, ut ad se dicitur, constituere; distinguere vero, quatenus ad alterum dicitur.

XI. Verum eadem omnino res, ac forma utroque officio constituendi, ac secernendi fungitur ; estque id philosophorum in scholis usu tritum, eo quamlibet rem ab alia distingui, quo talis in se constituitur. Sic homo ab animante bruto non alio discrepat, quam quo homo sit, hoc est ratione; neque vel fingi cogitando forma, sive notio altera potest, qua ab reliquis separatur specie diversis, quam illa ipsa vis rationis, a qua rationabilis vocatur. At si relatio, qua includit essentiam, personam constituit; erit essentia forma ipsa, ratioque personæ. Itaque cum una sit essentia, necesse est

a Basil. Lib II *cont. Eun.* Καὶ τοί γε, εἴπερ ἀληθὲς ἦν, ὅτι ὧν τὰ ὀνόματα διενήνοχεν, ἐναντίως ἔχουσιν αἱ οὐσίαι, ἐχρῆν δήπου καὶ Παῦλον, καὶ Πέτρον, καὶ ἀπαξαπλῶς ἀνθρώπους ἅπαντας ἑτερουσίους ἀλλήλοις εἶναι.

b Ibid. Φανερὸν τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι καὶ ἐπὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ οὐχὶ οὐσίαν παρίστησι τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων ἐστὶ δηλωτικά· ὥστε μηδεμίαν εἶναι χώραν τῷ λόγῳ ἐκ τῆς τῶν ὀνομάτων παραλλαγῆς τὴν τῶν οὐσιῶν ἐναντίωσιν παρεισάγοντι.

c Theodor. tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Τὸ δὲ υἱὸς ὄνομα ὑποστάσεως ὑπάρχει σημαντικὸν, καὶ οὐ φύσεως.

d Justin. in *Exposit. fidei* Καὶ ταῦτα μὲν ἀρκεῖ πρὸς ἀπόδειξιν τοῦ μὴ τὴν οὐσίαν αὐτὴν δηλοῦν τὸ ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ εκπορευτὸν, ἀφοριστικὰ δὲ τῶν ὑποστάσεων εἶναι, πρὸς τῷ καὶ τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως διασημαίνειν.

e Damasc. lib. I *de Fide*, cap. XIII. Ἅ τινα οὐκ οὐσίας εἰσὶ δηλωτικὰ, ἀλλὰ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως, καὶ τοῦ τῆς ὑπάρξεως τρόπου.

1 Nazianz. Orat. XXXIX. — 2 Theodor. dial. I. — 3 Ut Bellar. lib. II *de Christo*, cap. XV.

unam esse personam. Nam causa, quæ *formalis* appellatur, una si est, et simplex, unum et simplicem communicatione sui habet effectum, ut quæ multiplex est, multiplicem. Deinde Pater eatenus persona est, qua est Pater. Non est autem Pater, qua essentiam habet; alioqui, cum essentia nihil sit aliud, quam ipse Deus, Pater esset, quatenus Deus est, et idem esset illi, Patrem esse, quod Deum esse. Hoc vero dictu nefas est, ut ex Augustino supra meminimus. Nam ex eo sequeretur Filium esse Patrem, et Spiritum sanctum. Hinc Cyrillus Alexandrinus in excerptis libri septimi, et octavi *in Joannem*, « Pater, inquit, non quia Pater est, miracula facit, sed quia Deus est natura. Similiter et Filius, non quia Filius, sed ut Deus ex Deo, potest ipse Patris opera facere[a]. » Atqui, si Patris vox substantiam significaret, et quatenus eam significat paternitatis relatio, personam constitueret, sine dubio Pater, qua Pater est, uti Deus esset, sic quæ Dei propria sunt, obtineret; quorum illud est unum, miracula facere.

Item hoc ipso persona proprie, præciseque constituitur, quod in Deo plurative dicitur. Nam pluralitatis ratio tota ex proprietate, personaque petitur, ut in superioribus animadvertimus; eadem porro « pluralitas relationem sequitur, ait Anselmus[1]; et unitas ibi est, ubi non obviat aliqua relationis oppositio. » Quo ille, quem ibidem adduximus, Boetii[2] locus pertinet: « Substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem; atque ideo sola singillatim proferuntur, atque separatim, quæ relationis sunt. » Hoc illi ab Augustino didicerunt; qui tractatu XXXIX *in Joannem* ita scribit: « Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. » Etenim « Numerus, ut ait Damascenus, eorum est, quæ differunt[b]. » Cum ergo persona per id constituatur, quod multiplicat, et singillatim, ac separatim proferri, numerarique facit: per relationem, qua relatio est, non ut eadem est cum essentia, constituitur. Hoc recte Fulgentius[3] agnoscens, Trinitatis, id est numeri, et multiplicitatis originem personæ tribuit, cum ita scribit ad Petrum: « Trinitas vera non esset, si una eademque persona diceretur Pater, et Filius, et Spiritus sanc. Si enim sicut est Patris, et Filii et Spiritus sancti una substantia, sic esset una persona, nihil omnino esset, in quo veraciter Trinitas diceretur. » Sic Isidorus lib. septimo *Originum* capite quarto, « essentialia vocabula ea dicit esse, quæ ipsam substantiam significant; appellativa vero, sive relativa, quibus hoc significatur, quod ad se invicem referuntur, non ipsa substantia, qua unum sunt. » Idem tradidit et Toletana synodus XI in *Professione fidei*, iisdemque Augustini verbis.

XII. Cæterum ut relationis in Deo notio peculiare quiddam habet, cujus nullum creatis in rebus exemplum cernimus, ita etiam et personæ. Nam relatio, qualem in rerum natura cognoscimus, modus quidam a plerisque philosophis constituitur rei subjectæ accidens, per quam illa comparatur ad alteram, quam ex adverso respicit. At in Deo, etiam quatenus ab essentia, ratione, et ἐπινοίᾳ distinguitur, per se subsistens est relatio, per eamque essentia ipsa subsistit. Eodem modo personæ vox creatis in rebus absolutum aliquid significat; in Deo relativum, sed ejusmodi, quale privatim illi convenire diximus, hoc est subsistens. Proinde cum persona in quacumque natura id, quod in ea distinctum est, significet; in divinis autem tota distinguendi ratio sumatur ex relationibus originis; persona divina proprie, ac directe relationem significat, non simpliciter qua relatio est, sed qua talis est relatio, divina videlicet, per seque subsistens, ut recte sanct. Thomas explicat in prima parte[4]. Qui hoc præterea tradit, personæ nomen essentiam ipsam obliqua significatione declarare; recta autem relationem, non præcise, qua relatio est, sed quatenus subsistens est relatio. Tum ut essentia divina eadem res est cum hypostasi, quæ in divinis relatione distinguitur, « personam ait essentiam in recto significare, relationem in obliquo. » Quem in sensum Augustini verba illa, quæ supra retuli, interpretari studet; cum is personam asserit, et ad se dici, et significare substantiam. Hoc enim verum esse, quatenus in Deo idem est essentia cum hypostasi.

Relationis et personæ notio in Deo peculiare quid habet.

Verum benigna magis hæc est Augustini

a Cyril. 'Επεὶ δὲ ὁ πατὴρ οὐχ ἐπειδὴ πατήρ ἐστι, ποιεῖ τὰ θαύματα, ἀλλ' ἐπειδὴ θεός ἐστι φύσει· καὶ ὁ υἱὸς ἄρα, οὐχ ἐπειδὴ υἱὸς, ἀλλ' ὡς θεὸς ἐκ θεοῦ, δύναται καὶ αὐτὸς τὰ τοῦ πατρὸς ἔργα ποιεῖν·

b Damasc. lib. III, cap. VIII. 'Ιστέον δὲ ὡς ὁ ἀριθμὸς τῶν διαφερόντων ἐστί.

1 Lib. *de Proces. Sp. sanc.* — 2 Lib. *de Trin.* — 3 Lib. *de Fide ad Petrum.* cap. I. — 4 Qu. XXIX, art. 4.

interpretatio, quam certa, vel ejus menti, orationique congruens. Non enim eo sensu, quem *materialem* vocant dialectici, sed *formali*, ista disseruit; quod inde constat, quia diversam ait esse rationem essentiæ, et personarum, nec non vocabulorum, quæ utrobique spectant, ut sunt magnus, bonus, sapiens; vel Pater, Filius, Verbum, et hujus generis alia, quorum omnium significatio rem eamdem designat, variis modis ab humana intelligentia cognitam, ac sola ratione divisam. Igitur cum hoc affirmat, non esse idem in Deo hoc, quod est esse, et Verbum, aut Filium esse, quoniam hæc relative, et ad alterum, illa secundum substantiam, et ad se dicuntur; proprie, ac præcise loquitur, et humanæ intelligentiæ rationem habet; non id spectat, quod per sese rei ipsi convenit.

Libet hic Toletani concilii XI verbis ea, quæ sunt a nobis dicta, confirmare : nomina personarum, velut Patrem, et Filium, non ad se dici, neque substantiam exprimere. « Quod enim Pater est, ait synodus in *Confessione fidei*, non ad se, sed ad Filium est, et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter et Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, et Filium relative refertur in eo, quod Spiritus Patris, et Filii prædicatur. » Nullam ergo vocabulorum istorum notionem agnoscit, qua ad se dicantur, vel substantiam directe significent.

XII. Eidem porro sancto Thomæ dictum illud alterum Augustini merito displicet, quod et nos superius exclusimus : nomen hoc personæ ex vi sua significare essentiam in Deo, sicut hoc nomen Deus, vel sapiens; sed ut hæreticis occurri posset, consensisse catholicos, ut pro relativis usurparetur, idque plurali numero, vel cum partitione; ut cum dicimus tres personas, vel, alia est persona Patris, alia Filii. Hoc, inquam, quod ab Augustino scriptum esse antea demonstravi, tacito nomine reprehendit sanctus Thomas, quod si nativa propriaque notio vocis *personæ* esset *substantia*, sive *essentia*, major ex illo catholicorum usu data hæreticis esset occasio calumniandi, neque illi facile conquiessent. Sed quid ei respondebimus, quod Augustinus objicit, si in Deo persona ad alterum, et non ad se dicatur, ac relationem per se significet, ita esse pronuntiandum, *Pater est persona Filii; Filius est persona Patris?* quod absurdum videtur. Verum hoc illud est, quod paulo ante monebamus, *personæ* vocabulum creatis ex rebus esse translatum; easque nativam esse illius, ac velut patriam sedem. Ideo, cum nulla creatarum substantiarum proprietas personalis relatione constet, nihil ex prima sua impositione tale intelligentiæ nostræ subjicit, sed quiddam instar absoluti; postquam autem velut e proprio solo in peregrinum trajici cœpit, et ad divinas subsistentias accommodari, quas solæ relationes constituunt, castiganda consuetudo est humani sensus, et ad id, quod subjectæ rei proprium est, vocabuli istius exigenda notio. Quocirca, cum de divinis personis agetur, ita loqui non dubitem : Pater persona est ad Filium; Filius persona est ad Patrem; Spiritus sanctus ad utrumque persona est; quod hunc sensum continet : Pater non est persona, nisi comparatus ad Filium; Filius item ad Patrem. Quippe idem est Patri personam esse, quod esse Patrem; hoc vero non est Pater, nisi relatus ad Filium. Quod si quem moveat, quod non perinde hoc usurpatur, *Pater persona est Filii;* scire debet, relativa pleraque non eadem enuntiari formula. Non enim dicimus, id, quod majus est, minoris esse majus, sed minore, neque qui victus est ab aliquo, victum illius esse, sed ab illo, et multa hujus generis, quæ in magna casuum varietate eamdem habitudinis mutuæ significationem exhibent. Adde hujus enuntiati, *Pater est persona Filii*, propriam, et directam videri hanc sententiam, ut persona Patris sit ipsa persona Filii; quod impium est, et Sabellianam hæresim sapit. Quod si quis ita illud intelligi vellet : quidquid est in Patre, qua persona dicitur, hoc ad Filium referri, tolerabilis esset ista propositio; tametsi propter et novitatem, et Sabellianæ periculum hæresis minime usurpanda sit, atque ita, uti dixi, concipienda potius, ut Pater ad Filium persona dicatur, quemadmodum Augustinus ipse loquitur epistola LXVI; quem locum superius descripsimus. Ait enim Patris et Filii nomina « non in seipsis demonstrare naturas, sed alterius ad alterum significare personas. »

Respondetur ad argumentum Augustini.

CAPUT XII.

An sit in Deo quarta quædam subsistentia. Docetur nullam esse ex veterum auctoritate. Similiter et existentiam esse unicam.

I. Affinis est superioribus omnibus disputationibus, ex iisque consequens illa quæstio : sint in divinis, necne, subsistentiæ plures

tribus ita, ut præter singulares tres, et relativas, una sit communis absoluta, quæ in personas tres conveniat. Hæc lis inter scholasticos orta primum est, nec apud antiquiores theologos ulla de hac re fuit altercatio. Nam nemo catholicorum veterum, ac Patrum exstitit, qui unicam in Deo subsistentiam auderet asserere ; qui quidem eo nomine distinctum aliquid intelligeret ab essentia, et ejusmodi, quale deinceps ea voce significari communis Ecclesiæ usus instituit. Juvat tamen proprium inquisitioni isti caput attribuere, ac scholasticorum aculeis, et tortuoso illo genere disputandi relicto, qui ex Patrum decretis consequens sit, de eo breviter exponere.

Neque vero longius nobis circumducenda est oratio. Non enim ambigere licet homini utcumque illorum lectione trito, quin præter tres, nullum penitus agnoverint subsistendi modum, quam vulgo *subsistentiam* vocant, quamvis extra scholasticorum usum subsistentiæ nomen itidem, ut *substantiæ*, et *hypostasis*, non ex eorum sit genere, quæ *abstracta* dicuntur, sed eorum potius, quæ *concreta* nominant ; de quo jam dixisse memini[1]. Sed nos philosophorum, ac theologorum more loquentes, *subsistentiam* appellemus formam illam, a qua *subsistens* res aliqua dicitur. In quo rursus cautione est opus, ne ambigua sit oratio. Habet enim substantia omnis natura sua, ut per se sit, hoc est non insit alteri accidentis more, tanquam subjecto ; quæ illius est intima, et naturalis conditio. Itaque ne humana quidem in Christo natura proprietate ista caret ; quæ, cum accidens non sit, eo, quod est substantiæ proprium, carere non potest. Hanc si subsistentiam appellant theologi isti, qui communem nescio quam personis tribus inferunt, re nobiscum sentiunt, verbo discrepant. Sed hoc perperam, et contra morem antiquitatis usurpant. Est enim subsistentiæ, sive proprietatis illius, et formæ, quæ subsistentem facit, ista notio, ut sit certus existendi modus, quo singularis substantia per se cohæret, ac consistit, fitque hypostasis, vel suppositum, aut persona. Ita modificatio quædam est exstantiæ illius, quæ per se est, ac propria substantiæ, ad hoc ipsam promovens, ut persona sit, et hypostasis.

[margin: ...eo tres ...ntum ...stentiæ]

II. Ex quo contra illorum, quos dixi, theologorum vel sententiam, vel loquendi certe modum, et usum, hoc primum argumentum ducitur. Etenim antiqui omnes Patres, omnia concilia, quorum de sancta Trinitate paulo accuratior exstat oratio, tres, non amplius, proprietates, ac modos agnoscunt, quibus divinitas, sive essentia Dei, ac natura subsistit. Hæc ipsa porro, quæ in Deo propria, singularia, multiplicia discernuntur, non eadem appellatione notata sunt ab omnibus. Nam alii hypostases, alii personas, alii substantias, quidam subsistentias dixerunt, ac diu magnum de his vocibus in Ecclesia certamen exstitit. Post vero quam semel ita placuit, hypostasis, et personæ, ac subsistentiæ nomina ad illud significandum, quod in Deo trinum est, adhiberi ; nihilomagis hypostases, aut personæ, subsistentiæve quatuor apud Græcos, Latinosque Patres auditæ sunt, quam una trium ; quin e duobus istis prius Nestorianis objiciebant, eosque duas in Christo personas profitentes, quartam ad Trinitatem adjungere dicebant ; posterius, tanquam Sabellianum, iidem sine controversia respuerunt, ut Ambrosius nominatim in capite secundo libri *de Symbolo Apostolorum*, quem in tertio hujus libri capite citavimus, una cum aliis pluribus, qui tres tantummodo subsistentias, vel hypostases in Deo, non unam aliquam communem personis tribus agnoscunt.

III. Etsi autem subsistentias, et hypostases pro *concretis*, ut loquuntur, nominibus Patres illi sumpserint, non minus tamen adversus quartam istam a complexione subjecti liberam, communemque formam illorum auctoritates valent. Primum quia hoc ipsum, quod ejus non meminerunt, quod nihil præter essentiam, et naturam commune esse personis tribus voluerunt, magnum præjudicium habet, nullam ab iis singularem, et communicabilem subsistentiam, hoc est subsistendi modum in Trinitate constitui. Deinde forma ista, cujusquemodi est, complexum aliquod, vel *concretum* efficere, ac denominare debet. Id autem nullum esse potest aliud, nisi *subsistens*. Nam a *subsistentia subsistens* ita dicitur, ut ab exstantia, vel existentia fit existens. At unum esse subsistens *in Trinitate*, nemo unquam dixerit ; quemadmodum neque Trinitatis unam hypostasim, aut personam. Sed subsistentes tres, totidemque subsistentias in una substantia Latini, Græci ὑποστάσεις τρεῖς, et τρισυπόστατον τριάδα *nominarunt*, et ἰδιότητας, hoc est *proprietates* totidem. Sane Hilarius in libro *de Syn.* post expositam Sirmiensis concilii fidem, asserit catholicum dogma « non

[margin: *Hypostases tres*, et *tripersonalem trinitatem.*]

[1] Cap. III.

unum subsistentem, sed unam substantiam non differentem » admittere. Ac nemo est, qui non subsistentiam personarum propriam esse sentiat; aut ita essentiæ non tribuat, ut in tribus personis tantummodo subsistat. Sic Hieron. epist. LVII : « Illa sola natura est perfecta, et in tribus personis deitas una subsistit. » Tum Faustus Regiensis [1], « Sicut in subsistentia triplex est, inquit, quia sibi quisque subsistit; ita in substantia simplex, quia unus seipsum præcedere nesciens, nec posteriorem recipit, nec priorem. » Prudentius item in *Apotheosi*,

« Sic tamen hæc constare tria, ut ne se pare [ductu
Treis faciam; tribus his subsistat sed Deus [unus. »

Eodem et pleraque alia referenda sunt loca, quæ in superioribus capitibus attulimus, præsertim in tertio, in quo de substantia, et subsistentia, et hac quidem, omnium confessione, triplici egimus.

Quænam sit conditio a qua *subsistens* denominetur aliquid.

IV. Sed imprimis expendere id oportet, quæ sit, ex Patrum illorum sententia, proprietatis ejus, vel formæ ratio, atque conditio, a qua subsistens denominatur aliquid. Nam ex eo melius intelligitur, nullam omnino, præter singulares tres, ab illis subsistentiam agnosci. Igitur plerique omnes, ut in superioribus capitibus observamus [2], essentiam, sive naturam ab hypostasi hoc modo secernunt. Illam aiunt communem esse, nec ulla peculiari proprietate definitam, quasi vagam, et minime determinatam, quæ scilicet nullibi consistat, neque στάσιν habeat, ut ex Basilii epistola XLIII docuimus; at ὑπόστασιν eamdem aiunt esse naturam, quatenus subsistit, hoc est in certa, definitaque re consistit. Ut, cum hominem dico, nihil ὑφεστὸς, hoc est *subsistens*, ac definitum nomino, sed *infinitam quamdam notionem*, ἀόριστον ἔννοιαν, concipio, ut Basilius loquitur, quæ nusquam per sese consistit. Paulum vero cum dico, vel Petrum, « demonstratur in re per nomen significata natura subsistens, » hoc est certa, et definita, in qua intelligentia nostra consistit. Quam quidem naturæ singularitatem, ac finitionem proprium esse subsistentiæ, hoc est formæ illius, a qua subsistens res nominatur, et formalem, ut loqui solent, effectum intelligunt omnes. Non enim alius vel tenuissima significatione demonstratur a Patribus. Quem iidem insuper accidentibus, et eorum conglobationi assignare solent, ut in septimo libri hujus capite demonstravimus, ut sit id, quod *subsistens* vocamus, natura cum accidentibus, vel proprietatibus; cujusmodi proprietas in Deo nulla unica, communisque, sed triplex ab illis constituitur, Quis igitur subsistentiæ illi communicabili locus esse potest in Deo? aut ejus unde mentio, vel auctoritas petitur, cum ex constanti Patrum decreto, personarum tribus proprietatibus cogitando separatis, per se nondum divinitas ipsa consistat?

Præterea subsistentia omnis in Deo relativa est; quod ex Patrum consensu capite septimo declaravimus. Nam illi duo tantum in divinitate distinguunt : unum, quod est substantia, vel essentia : alterum, quod est subsistendi modus; quod in *Opere dogmatico* Bessario refert, et hunc de communi Patrum sententia sola relatione constare dicit, eaque triplici ita, ut ex essentia, et proprietate relativa juncta sit persona, vel hypostasis [a]. Longe autem ab eo veteres absunt, ut essentiam ipsam absoluta proprietate subsistere per se, et citra personas, existiment. Quippe « subsistentia uniuscujusque personæ, sola est causa, cur exstet, ac subsistat; sicut substantia rei alicujus naturam, rationemque, qua constat, designat, » ut scribit Ruffinus [3]. Proinde quidquid illud est, quod præter naturam, et rationem, hoc est essentiam, in Deo discernitur, ut sit velut forma subsistendi; personale est id, et multiplex.

V. De existentia quoque similis oritur quæstio. Nam aut triplex ea ponitur pro eo, ac tres sunt proprietates, quibus Dei natura subsistit, ut eadem sit *existentia* et *subsistentia* : aut una est personis communis tribus; aut præter hanc, qua existit essentia, tres sunt aliæ personis totidem attributæ. Rursus cum sint, ut antea memini, theologi quidam, qui divinas personas absolutis proprietatibus effici, ac distingui censeant, eosdem necesse est, siquidem personam quamque suam habere velint existentiam, absolutas tres in Deo constituere.

In tribus personis unica existentia.

Quod si veterum de hac re Patrum auctoritas agitur, magis est ut unicam iis existen-

a Bessario libro dogm. cap. VI Conc. Flor. Ἄλλο δέ τι παρὰ τὰς ἀναφορὰς, καὶ τὴν οὐσίαν ἐν τοῖς θείοις οὐκ ἔστιν.

1 Epist. V. — 2 Vide cap. I et VIII. — 3 Lib. I *Hist.*, cap. XXIX.

tiam, quam aut tres, aut una amplius probari putemus. Cujus rei duo sunt argumenta. Primum, quoniam hoc ipsum, quod existentiæ nomine significatur, ex illorum opinione Dei est essentia, hoc est id proprie, ac præ cæteris nominibus vox ista declarat, quod de natura Dei consequi intelligendo possumus. Nam reliqua Dei qualitates, et affectiones potius indicant, quam ipsum esse, quod est essentia; ut cum bonum, aut justum, aut omnipotentem dicimus, non ipsam Dei naturam, sed ei superfusas qualitates, ac certas conditiones intelligimus. Hoc vero, quod est *esse*, ac τὸ ὄν, vel ὁ ὤν, et, quod idem est, *existere*, vel *existens*, qualitatem, proprietatemque nullam, sed essentiam ipsam Dei per sese demonstrat. Etenim *essentia* fit ab eo, quod est *esse*, sicut οὐσία ἀπὸ τοῦ εἶναι. Huc illa pertinent, quæ ex capite tertio *Exodi*, tam nostri, quam Hebræi, de Dei appellatione disputant, quæ in secundo libro tomi prioris attigi.

VI. Ex Hebræis autem omnibus erudite locum hunc illustrat R. Moses Maiemonides in libro primo *More Nebochim*, capite LXI, ubi tetragrammaton nomen, quod fit a substantivo verbo היה, quod est *esse*, maxime esse Dei proprium confirmat, neque communicabile; quoniam Dei substantiam, et essentiam ipsam significat, sive aliquid, quod nulli creatæ rei cum Deo potest esse commune. Id autem est *existendi necessitas*. Reliqua nomina non essentiam indicant, sed attributa, sive substantiam ipsam, quatenus proprietatibus variis afficitur. Igitur nomen illud litterarum quatuor יהוה, tum אהיה *ero*, vel, *Ego sum qui sum*, et alia formæ, et originis ejusdem, quibus solis Dei natura, et essentia, quantum quidem capere possumus, exprimi putatur, existentiam significant; de quo R. Mosis verba necessario hic adscribenda sunt, cum de illo agit Dei nomine, *Ego sum, qui sum*. « Atque hoc nomen, inquit, derivatum est a verbo *esse*, quod idem est, atque existere. Nam significat existentiam. Neque est in Hebraica lingua discrimen ullum, sive *esse*, sive *existere* dicas[a]. » Hæc Moses.

Qui quod de Hebraica lingua dicit, idipsum de linguis cæteris usurpare licet. Nulla est enim, quæ non verbum substantivum *esse* adhibeat ad id, quod est *existere*. Atqui nonnunquam aliud intelligi volumus, quam ipsum, ut dici consuevit, *actum existendi*. Ut cum ita loquimur, « Socrates est homo, Homo est animal. » Tum enim verbum *est*, non idem valet atque *existit*, sed τὸ τί ἦν εἶναι significat, quam in scholis *quidditatem* nominant; vel est copula ejus, quod attribuitur, et prædicatur, cum eo, quod subjicitur, nullam aut existentiam, aut differentiam temporis includens. Cum autem sic enuntio : *Socrates est;* vel *Mundus est;* utrumque in præsenti existere tempore verbum *est* indicat.

VII. Sic in illis, quæ de Verbo Dei, ac Filio Joannes in Evangelio scribit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*. Item, *Hoc erat in principio apud Deum*. Ubi vox *erat* pro existentia sumitur, et Verbi cum eo, a quo producitur, communem ostendit æternitatem. Chrysostomus[1] enim priora ista, *In principio erat Verbum*, demonstrare putat τὸ ἀΐδιον; hæc vero, *Hoc erat in principio apud Deum*, τὸ συναΐδιον. Idem et plerique alii Patres affirmant, quos secundo libro retuli; qui et infinitam significationem imperfecti temporis expendunt. Nam cum dicitur *erat*, nullum initium existendi ponitur, ac nulla plane differentia temporis exprimitur, quod ad significandam æternitatem longe est aptissimum. Quare Plutarchus in tractatu *de Ei apud Delphos*, cujus locum exscripsit Eusebius[2], negat ei, *quod est*, sive τῷ ὄντι convenire substantivum verbum, cum ei pars aliqua, vel differentia temporis adjungitur. « Tum enim declinationes quædam, ac transitus, et mutationes fiunt ejus, quod natura sua in eo, quod est, manere non potest. Verum Deus est, si ita loqui licet, et est in nullo tempore, sed per immobilem æternitatem, ac temporis expertem, et indeclinabilem, cujus nihil prius, neque posterius, neque futurum, neque præteritum, neque antiquius, neque recentius; sed unus existens unico nunc sempiternitatem explet; ac solum id esse, quod ipsi convenit, revera est, quod neque fuit, neque futurum est, neque cœptum est, neque desinet. »

Æternum.
Coæternum.

VIII. Atque hoc multo magis ex catholico-

a Rabbi Moses I *More Neb.* cap. XXXVI. וזה השם בגוד מן היה והוא המצואות כי היה מורה על עניין ההויה ואין הפרש בין אמורך היה או נמצא בלשון העכרי.

b Plutar. apud Euseb. Ταῦτα γὰρ ἐγκλίσεις τινὲς, καὶ μεταβάσεις, καὶ παραλλάξεις τοῦ μένειν ἐν τῷ εἶναι μὴ πεφυκότος. ἀλλ' ἔστιν ὁ θεὸς, εἰ χρὴ φάναι, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα χρόνον, ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον, καὶ ἄχρονον, καὶ ἀνέγκλιτον, καὶ οὗ πρότερον οὐδέν ἐστιν,

1 Hom. IV in *Joan.* — 2 Lib. XI *de Præp.*

rum conflictu cum Arianis, ac tota illa controversia cognoscitur; quæ in eo posita fuit, quod Ariani Dei Filium ex omni æternitate fuisse, hoc est exstitisse negabant; ideoque fuisse dicebant aliquando vel tempus, vel simile aliquid temporis, cum non esset, ac de non exstantibus esse factum. Contra quos Nicæni Patres ita decreverunt [1]: « Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat (quod est, fuit aliquando spatium quo nondum erat), et priusquam nasceretur, non erat, et quia ex nullis exstantibus factus est, etc., hos anathematizat catholica, et apostolica Ecclesia. » Non alia vocibus istis, *erat*, vel *fuit*, subjecta est potestas, quam *existentiæ*, qua res actu est, et de causæ suæ, vel principii potentia in rerum naturam exiisse dicitur. Hoc enim agebatur, non utrum Filius secundum essentiam fuisset ab æterno, sed an exstitisset actu, in quo sita est æternitas, quæ nihil aliud est, quam duratio quædam existentiæ. Nam et plerique sunt philosophi, qui rerum essentias ex omni æternitate fuisse sentiunt. Sed præcipuum aliquid tribuendum est Deo, ut exsistat etiam ex æterno, in eoque posita sit illius essentia; quod dum Filio vel detrahere, vel vindicare student, utrinque illa, quæ dixi, constituta sunt, et ad idem probandum a catholicis assumpta Joannis illa verba; quæ res demonstrat esse unum et idem in Deo hoc, quod existere, et quod esse dicitur, sive essentiam, et existentiam; unde cum una sit, eademque personarum trium essentia, existentiæ plures esse non possunt. Declarat hoc Gregorius Nazianzenus, cum de sancti Spiritus divinitate disserens, ita colligit: « *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Pater. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Filius. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, alius Paraclitus. Erat, erat, et erat; sed unum erat; lux, et lux, et lux, sed lux una, Deus unus [a]. » Ut ergo lux, et divinitas una trium est; sic esse, quod est existere, in tribus est unum.

Dionysius vero cap. secundo libri *de Divinibus nominibus*, idem asserit, qui cum in Trinitate quiddam esse commune, atque in tribus unum, aliud multiplex, et diversum esse dixisset, mox, quæ prioris sunt generis, enarrans, τὴν ὕπαρξιν, id est *existentiam* inter alia percenset. « Unitum quidem est, ait, in uniprincipe Trinitate, et commune supersubstantialis existentia, superdivina deitas, superbona bonitas [b]. » Igitur tam unica est, auctore Dionysio, personarum trium existentia, quam divinitas, quam bonitas, etc. Proclus etiam in *Commentariis ad Timæum* Platonis, voculam ἦν significare dicit *æternum*, et *plenissimum* [c].

IX. Magnum et hoc argumentum est unius, ac simplicis existentiæ, quod ex veterum altercatione illa ducitur, quam de hypostasi acrem incidisse supra commemoravi. Cum enim catholicorum alii unam esse, alii plures hypostases contenderent; qui unicam asserebant, ὑπόστασιν prorsus idem esse volebant, *Hypostasim.* atque ὕπαρξιν, hoc est *existentiam*, ut Athanasius, et Hieronymus. Nam ὑπόστασις sæpius id *Hypostasis* significat, quod revera exstat; nec specie tenus adumbratum est, sed cohærens est, ac solidum *; quemadmodum colores ii habere dicuntur ὑπόστασιν, qui reipsa sunt, carere ὑποστάσει, qui apparent solum, nec revera consistunt. Quod sic interpretantes, ὑπόστασιν sive ὕπαρξιν nihil ab οὐσίᾳ differre censebant. Quam illorum rationem cæteri, qui ab illis dissentiebant, mox ut intellexerunt, rediere cum illis in concordiam, et ὑπόστασιν hoc sensu, ut et ὕπαρξιν hoc est *existentiam*, sive *esse* unicum in Deo professi sunt. Itaque sanctus Hieronymus de hypostaseos singularitate pugnans, postquam nihil aliud *hypostasim* esse nisi *usiam* dixit,

οὐδὲ ὕστερον, οὐδὲ μέλλον, οὐδὲ παρῳχημένον, οὐδὲ πρεσβύτερον, οὐδὲ νεώτερον· ἀλλ' εἷς ὢν ἑνὶ τῷ νῦν, τὸ ἀεὶ πεπλήρωκε, καὶ μόνος ἐστὶ τὸ κατ' αὐτὸ ὄντως ὄν, οὐδὲ ἐσόμενον, οὐδὲ ἀρξάμενον, οὐδὲ παυσόμενον.

a Orat. XXXVII. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸ, νὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, ὁ πατήρ· ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, ὁ υἱός· ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, ὁ ἄλλος παράκλητος. ἦν καὶ ἦν, καὶ ἦν. ἀλλ' ἓν ἦν. φῶς καὶ φῶς, καὶ φῶς. ἀλλ' ἓν φῶς, εἷς θεός.

b Dionys. Ἡνωμένον μέν ἐστι τῇ ἐναρχικῇ τριάδι, καὶ κοινὸν, ἡ ὑπερούσιος ὕπαρξις, ἡ ὑπέρθεος θεότης. ἡ ὑπεράγαθος ἀγαθότης.

c Procl. Τὸ αἰώνιον καὶ ὑπέρπληρες.

* Quemadmodum colores ii habere dicuntur *hypostasim* qui reipsa sunt, carere *hypostasi*, qui apparent solum, nec revera consistunt. Quod sic interpretantes *hypostasim*, sive *hyparxim (exstantiam)*, nihil ab *usia* differre censebant. Quam illorum rationem, cæteri, qui ab illis dissentiebant, mox ut intellexerunt, rediere cum illis in concordiam, et *hypostasim* hoc sensu, ut et *hyparxim* hoc est *existentiam*, sive *esse* unicum in Deo professi sunt. J. B. F.

1 Symb. Nic. apud Hilar. lib. *de Synodis*.

mox ista scribit : « Una est Dei, et sola natura, quæ vere est. Id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed unum est. Cætera, quæ creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt; et potest rursus non esse, quod fuit. » Et Cyrillus initio libri IX *contra Julianum* hunc redarguit, quod ἀνυπόστατον *non subsistentem* Dei Filium faceret ; « quoniam, inquit, *illius existentiam tollit e medio,* » ἀναιρεῖ γὰρ αὐτοῦ τὴν ὕπαρξιν. Subjicit illa de *Exodi* tertio : *Ego sum qui sum*, etc. Idem Cyrillus in dialogo *de Incarnatione Unigeniti*, contra Sabellianos disserens, nomen θεοῦ ὑφεστῶτος ambigua significatione sumpsit, ut idem sit, quod ὑπάρχον. Etenim Filium ὑφεστῶτα, id est *subsistentem* negari ab illis ait ; et ideo non subsistens quippiam in utero Virginis suscepisse carnem , « sed vocem , sive sermonem non existentem, neque propria subsistentia cohærentem illum esse [a]. » Ac mox : « Quod enim non subsistit, inquit, in æquo est cum eo, quod nihil est, vel potius nihil est omnino [b].» Sic τὸ ὑφεστὼς id est subsistens cum eo confudit, quod habet ὕπαρξιν, id est *existit*. Quod et deinceps facit. Quamobrem ὑπόστασις, quatenus pro existentia capitur, non solum una est ex Patrum omnium sententia, sed etiam divinitatem ipsam, et essentiam significat. Hinc recte Nyssenus Greg. [1] ἀνυπαρξίαν, quod est *existentia carere* , opponit οὐσίᾳ. Et Joannes Damascenus [2] ὑπόστασιν interdum ait esse « simplicem existentiam, qua ratione idem est ὑπόστασις, quod οὐσία, *vel substantia*. Unde et quidam sanctorum Patrum dicebant naturas hypostases.» Igitur quicumque ὑπόστασιν de sola usurpabant existentia; et unum esse confitebantur, nec ab οὐσίᾳ distinguebant. Nam qui plures hypostases tuebantur, hi, præter existentiam, et essentiam, personarum proprietates in notionem hypostasis includebant. Eodem modo *substantiæ* nomen, hoc est οὐσίας, hoc interdum significat, quod reipsa est, et existit, ut apud Augustinum *ad Psal.* LXVIII, qui « substantiam intelligi ait aliud, quod sumus, quidquid sumus. » Tum, « Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur. Deus est quædam substantia ; nam quod nulla substantia est, nihil omnino est ; » cui *insubstantiam*, et *insubstantiale* Maxentius [3] opponit, cum ait naturam communem, quæ in plura individua spargitur, « insubstantialem a crassioribus mentibus æstimari. » Tum, « insubstantiam non esse summæ et incomprehensibilis Trinitatis naturam, quæ cum sit una, et singularis, in tribus personis subsistit. » Hoc Græci ἀνούσιον vocant, quod nihil est, neque est usquam. Eoque sensu, cum adversus Sabellianos disputant Patres, λόγον, id est *Verbum Dei*, alii οὐσιώδη, id est *substantivum* nominant, alii ἐνυπόστατον *subsistentem ;* quo utroque nomine docent non esse προφορικὸν, *prolatitium*, transeuntemque sermonem, ac nostratis similem, qui usu ipso, officioque consumitur ; sed solidum, ac per se statum habentem. Sic, ut alios omittam , Gregorius Nyssenus Verbum Dei οὐσιώδη δύναμιν, *substantialem vim* appellat, « quæ ipsa per sese propria in hypostasi consideratur [c]. »

Usiæ.

Hypostasis.

Hoc modo οὐσία idem est fere, quod ὕπαρξις, vel *existentia ;* quemadmodum et Richardus Victorinus existentiæ nomen accepit, cujus nos sententiam capite tertio libri hujus exposuimus. Nam existentiam generali, confusaque notione sic explicat, ut partim essentiam et naturam ; partim personam, id est eamdem naturam personali affectam proprietate significet. Unde aliam putat esse communicabilem existentiam, quæ est substantia a semetipsa habens ut sit, quod Deo ipsi convenit, et ejus essentiæ, quæ ab nulla causa producitur ; aliam propriam, et incommunicabilem, quæ est substantia hæc eadem cum singulari proprietate. Quare nihil hic Richardi locus eos adjuvat, qui præter communem existentiam, tres alias personarum proprias, et distinctas conantur inducere.

X. Quo in loco præteriri non debet, *existentiam*, quæ quidem proprie a philosophis appellatur, ab *essentia* nonnisi ratione, cogitationeque differre. Nihil enim est aliud, præterquam essentia, quæ reipsa, et, ut loquuntur, actu est in rerum natura. Res enim nihil est, hoc est non est, antequam est actu, et quandiu tantum apta est ut sit, ac potestate causæ continetur. Quod autem non est, essentia non est ; quia ab eo, quod est *esse*, essentia,

a Cyril. Ἀνυπαρκτόν τε, καὶ ἰδικῶς οὐχ ὑφεστηκότα φαντάζονται τὸν μονογενῆ, καὶ οὐκ εἶναι μὲν ἐν ὑποστάσει τῇ καθ' ἑαυτόν· ῥῆμα δὲ ἁπλῶς, καὶ λόγον.

b Ibid. Τὸ γάρ τοι μὴ ὑφεστὼς, ἐν ἴσῳ τῷ μηδενὶ, μᾶλλον δὲ παντελῶς οὐδέν.

c Nyssen. Catech. orat. cap. III. Δύναμιν οὐσιώδη αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει θεωρουμένην.

1 Orat. I catech. cap. XXI.— 2 *Dialect.* cap. XXV.— 3 Dial. I.

sicut ἀπὸ τοῦ εἶναι οὐσία deflectitur. Non debet igitur essentia vocari, nisi quod reipsa est, et existit. Quod enim potest esse, nondum est. Verum cogitatione duo quædam discernimus, ut sit aliud, quod Græci τὸ τί ἦν εἶναι vocant; quæ est rei definitio, vel, ut barbarissantes nominant, *quidditas rei*, quam nos ab omni differentia temporis liberam, absolutamque spectamus; atque hæc essentia proprie dicitur; aliud rei ejusdem extra causarum potestatem emersio, qua esse revera, actuque incipit, eaque vocatur existentia. Quocirca nulla vere nominatur existentia, nisi subsit ei quippiam, quod in genere τοῦ ὄντος aliquo censetur; quod sit ejus τὸ τί ἦν εἶναι, sive *quidditas, et essentia*, idque ipsum inquirenti, quid res illa sit, ejusque definitio, responderi possit. Itaque proprietates illæ, quibus existentia modificatur, velut quæ *subsistentiæ* dicuntur, peculiares existentias non habent; sed eam afficiunt, quæ essentiæ tribuitur, ut et ipsam essentiam, cujus non minus modi sunt quidam, quam existentiæ. Proinde neque essentiam, neque existentiam habent suam, ac propriam isti, qui dicuntur, existendi modi, quamvis, ut nonnullis placet, res sint aliquæ, et in genere τοῦ ὄντος habeantur. Hoc enim nomen laxius interdum accipi solet, et id significat, quod utcumque est; etsi nec essentia proprie, nec existentia præditum est, sed utriusque propria est affectio. Sane proprietates illæ relativæ, quibus personæ constant, tres sunt, et a se mutuo reipsa differunt, neque potestate, sed actu consistunt; non tamen peculiarem essentiam, aut existentiam habent, sed mediæ cujusdam conditionis sunt, et inter id, quod τὸ ὂν dicitur, a quo οὐσία, et quod nihil est, interjectæ.

Entis. *Entis.* *Ens. Usia.*

XI. Hoc equidem, Augustino [1] fretus auctore, affirmare non verear. Quippe proprietates easdem, nimirum hoc, quod est Patrem esse, vel Filium, neque secundum substantiam dici asserit, neque secundum accidens; hoc est neque substantias esse, neque accidentia, sed medii alicujus generis, ut suo loco [2] demonstravi. Atqui substantiales a plerisque vocantur, latius usurpato substantiæ vocabulo; quatenus non inhærent accidentium more, ac subsistentium per sese personarum conficientes sunt formæ. Sic has ipsas proprietates generali itidem τοῦ ὄντος ambitu contineri patiar, non angustiore ac proprio, cui essentia et existentia tribuitur. Etenim si, ut argumentari video nonnullos theologos, ideo personales istæ proprietates peculiarem habent existentiam, quia per se, et ab essentia, naturaque sejunctæ, non sunt nihil, sed res aliquæ, et ὄντα, vel, ut loqui solent, *entia;* quidquid autem est actu, id existit, et si distinctum est actu, distinctam habet existentiam; si hac, inquam, ratione contendant, et pro numero personarum, triplicem existentiam fateri nos cogant, hoc ab eis vicissim extorquebimus, totidem ut essentias in Deo esse concedant. Nam non minus essentia ei, quod est, sive οὐσία τῷ ὄντι, quam existentia convenit, imo proprior, ut ita dicam, est illa, quam ista. Quippe sine οὐσία, et eo, quod τὸ τί ἦν εἶναι dicitur, nulla τοῦ ὄντος informari notio potest; sine existentia vero, hoc est existendi actu, potest. Etenim omnis veri perceptio, quæ mente, intelligentiaque fit, atque omnis contemplatio rerum, et scientia, sola in earum natura, essentiaque sistit; neque utrum ortæ productæque sint, considerat; in quo est illarum existentia posita. Quinetiam sic a Platone, et Aristotele traditum, philosophia omnis accepit, res ipsas, quatenus singulares sunt, existuntque actu, in scientiam non cadere, propter et infinitatem earum, et mutabilitatem, ipsiusque adeo scientiæ naturam, quæ generalibus in rebus, et eodem modo semper habentibus, perpetuisque consistit. Igitur cum ab ejus, quod est, notione minus essentiæ ratio, quam existentiæ diduci, avellique possit, si ex eo consequens est, propriam inesse rei existentiam, quod res est, et utcumque habet, ut sit; hoc est, ut non sit nihil : idem et de essentia consequens fiet, ac perinde tres in Deo erunt essentiæ, præter absolutam et communem, atque existentiæ tres; quod quia ferri non potest, ut in Deo plures una sint essentiæ, ne relativæ quidem; aut ut personæ ipsæ differre invicem essentia dicantur : neque concedi alterum debet, ut vel adjuncto relativi nomine, existentiæ plures esse credantur.

Quidditas. *Entis.*

Contra unitatem existentiæ in Deo objecta solvuntur.

XII. Hic multa nobis opponuntur ab iis, qui contra sentiunt; sed ejusmodi sunt, ut iis respondere nullus labor sit, si illa priora teneamus. Nisi id forte nos movet, quod quidam objicit : Veteres, inquit, Patres aliud esse Deum asserunt, aliud Patrem esse. Unde ita scribit Augustinus [3] : « Quidquid est Pater, quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus; cum autem Pater est, non illud est, quod illud est. » Et alio in loco [4], « Aliud est

1 Lib. V *de Trinit.* cap. V. — 2 Cap. X hujus libri. — 3 In *Psal.* LXVIII. — 4 Lib. VII *de Trin.* cap. IV.

Deo esse, aliud Patrem esse. » Ubi verbum *esse* pro existentia sumptum videtur. Ad hæc et ejusdemmodi cætera, id in promptu est habendum : substantivum verbum *esse* ὁμωνύμως, et ambigue poni sæpius, ut id etiam significet, quod utcumque habet, ut sit, neque est nihil; tametsi non exquisita illa τοῦ ὄντος

[Qu]idditatem

ei notio congruat, quæ τὸ τί ἦν εἶναι cum existendi actu complectitur. Ac profecto in illis Augustini, ac similibus verbis non magis peculiarem existentiam quam essentiam peculiarem, verbum *esse* demonstrat. Id enim valet, aliud esse quod vox illa *Deus* significat et quod illa altera *Pater*. Hoc autem non est proprie directeque actus existendi, sed notio ipsa, et quiddam, ut in istis, essentiæ simile. Quare, ut paulo ante dixi, quidquid de existentia iis ex locis concluditur, idem et de essentia colligi poterit, ut ea perinde triplex censenda sit, atque existentia; aut, si illud insolens est, nefasque dictu, nihil magis in altera concessum putetur.

Sic et ista diluenda sunt eorumdem argumenta, cum ita disputant : Existentiam nihil esse aliud, nisi actu rem esse. Est autem paternitas res aliqua, eademque est actu. Quare privatam existentiam habet, cum sit actu ab essentia distincta. Verum ad illud prius redeundum est, *rei* vocabulum, ut et *esse*, et *actum*, et si quæ sunt alia, non eadem usurpari ratione; neque solum in actu esse, quod essentia constat, existentiaque proprie sumptis, sed modos etiam existendi, subsistendique actu esse dici, quia in reipsa sunt, quod sunt; neque tamen existentiam propriam obtinent, uti nec essentiam. Quod in divinis præcipue locum habet. Ibi enim essentia absolutum aliquid est, nec ad alterum dicitur. Par est autem existentiæ notio, quæ est ad se, non ad aliud. Ideo personarum proprietates, quæ mere sunt relativæ, communem et absolutam habent existentiam, ut essentiam, naturamque communem, alteram non habent, nisi qui forte placeat, existentiæ nomen latius extendere; quod qui instituerit, idipsum et in essentia vitare non poterit, ac demum de usu vocabulorum omnis erit reliqua contentio. Huc illud spectat, quod Rusticus Diaconus [1] in *Disputatione contra Acephalos* scribit : « Res et personam, inquit, significat, et naturam. Et una igitur res Christus, et duæ; magis vero ipse quidem res una est, quippe et una persona, in duabus vero naturis agnoscitur. » Vide Theodorum Abucaram [2] de *rei*, id est πράγματος vocabulo subtilius disputantem.

XIII. Postremo non parum conducet ad existentiæ constituendam in personis divinis rationem, ea repetere, quæ de ὑπάρξει dicta

Extantia.

sunt capite secundo; unde veteres constet nomen illud partim pro exstantia sumpsisse, quæ τῇ ἀνυπαρξίᾳ ex adverso respondet, partim pro ὑποστάσει, nonnunquam etiam pro οὐσίᾳ.

Anhyparxiæ (non extantiæ). Hypostasi. Usia.

Quæ varietas notionum moderari debet judicio nostro, ut quid de existentiæ multitudine, vel singularitate Patres sentiant, prudenter æstimemus. Est ad hanc cautionem illustrandam, formandaque theologorum judicia, insignis Alexandrini Cyrilli locus in dialogo secundo *de Trinitate*, ubi τὸ ἀγέννητον, quæ est personæ

Ingenitum.

Patris proprietas, non esse accidens dicit, quia nullum Deo inest accidens ; tum si qua sunt in rebus accidentia, aut iis naturaliter insita, non ea propriam ὕπαρξιν habere. Posteriora hæc

Exstantiam

Cyrilli verba, nam reliqua suo loco jam adnotavimus, hic describi melius fuerit : « Et si quidem accidentia sunt, inquit, et naturaliter insita quorumdam substantiis, non utique per se existentiam habent propriam, ac determinatam; quemadmodum in homine intelligimus, sive in aliquo alio ex iis, quæ sunt, sed potius circa eorum, quæ sunt, substantias cernuntur, vel magis in ipsis. Ecquem in Deo locum habere putandum est, ingenitum? Nam si ingenitum ipsum est per sese, et in exstantia propria positum ; est autem hoc, ut illi asserunt, proprium Dei, et Patris ; diversum quippiam erit ab eo, cujus est proprium. Nam quod alicujus est, et proprie constitutum existit, diversum plane est ab eo, cujus est; atque ita demum duplicatur simplex natura Patris, eaque nobis ex Patre, et Ingenito componitur [a]. » Hoc loco Cyrillus ingenitum, quæ,

a Cyril. dial. II. Καὶ εἴπερ ἐστι τὰ συμβεβηκότα ἢ καὶ φυσικῶς ἐνόντα ταῖς τινῶν οὐσίαις, οὐκ ἐν ὑπάρξει δὴ πάντως αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ τῇ ἰδίᾳ, καὶ διωρισμένῃ. καθάπερ ἐπ' ἀνθρώπου νοοῦμεν, ἤγουν ἐφ' ἑτέρου τῶν ὄντων τινός· ὁρᾶται δὲ μᾶλλον περὶ τὰς τῶν ὄντων οὐσίας, ἤγουν ἐν αὐταῖς. ποῖον ἔχειν ἐν θεῷ τόπον τὸ ἀγέννητον ὑποτοπητέον; εἰ γὰρ ἐστί τι τὸ ἀγέννητον αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ, καὶ ἐν ὑπάρξει τῇ ἰδίᾳ κείμενον· ἔστι δὲ τοῦτο, καθάπερ ἐκεῖνοί φασιν, ἴδιον τοῦ θεοῦ, καὶ πατρός· ἕτερον ἂν εἴη παρὰ τὸν, οὗ ἔστιν ἴδιον· τὸ γάρ τινος ὂν, καὶ ὑπάρχον ἰδιοσυστάτως. ἕτερόν που πάντως ἐστὶ παρὰ τὸν, οὗ ἐστι, καὶ δεδίπλωται λοιπὸν ἡ ἁπλῆ τοῦ πατρὸς φύσις ἐκ πατρὸς ἡμῖν, καὶ ἀγεννήτου συντεθειμένη.

1 Tom. IV *Bibl. Patrum*, col. 806. — 2 Theodor. Abucara *Opusc.* cap. II.

ut dixi, proprietas est personæ Patris, non *Exstantiam* habere propriam ὕπαρξιν probat; quod etsi accidens esset, cujusmodi non esse jam statuit, non illam tamen haberet, quod accidentia, et omnia, quæ substantiam afficiunt, non habent *Exstantiam* peculiarem ὕπαρξιν, sed circa substantiam sunt. Si hoc universe, absoluteque diceret Cyrillus, ea quæ circa substantiam sunt, velut accidentia, carere exstantia propria, reclamarent philosophi; qui propriam esse docent in acciden- *Exstantiam* tibus ὕπαρξιν. Sed talem exstantiam intelligit Cyrillus, *quæ per se sit*, et, ut loquitur, ἰδιοσυ- *Hypostasis sive perfecta exstantia.* στάτως, cujusmodi est ὑπόστασις, sive αὐτοτελὴς ὕπαρξις, de qua superius actum est. Talem ergo personarum proprietatibus merito detrahi; quod eo facit, ut hæreticos refellat, qui ἀγέννητον et γεννητὸν, vel ut Latini melius, *Paternitatem*, et *Filietatem* aliud et aliud esse volebant, ac duas esse substantias. Cyrillus vero « differentiam hanc nominum, non Dei, ut est Deus, diversitatem exprimere dicit, sed tantummodo declarare, non esse hujusmodi, hoc est genitum[a]. » Quare modo, non exstantia propria, absolutaque discrepant. Non igitur illo ex loco satis arbitror, quod nunc volumus, confici posse, non habere personas divinas existentiam propriam. Non enim de tali existentia hic agimus, quæ perfecta, et completæ substantiæ propria sit, sed quæ formis, et imperfectis rebus, ex quibus quasi componitur quippiam, congruit.

CAPUT XIII.

Quibus de causis cum tres sint in divinitate personæ, unus sit tamen Deus. Eæ quinque potissimum afferuntur. Harum prima declaratur, quæ est naturæ singularitas, et unitas, non specifica, quod veteres aliqui significare videntur, sed numerica, quæ primum ex Græcis asseveratur.

I. Quod apud Cyrillum[1] Julianus universe de christiana religione scripsit, eam ab gentilium, ac Judæorum abhorrentem placitis mediam inter ambos incedere; hoc ut ab homine nefario malevole, ita vere esse dictum, cum de Trinitate præsertim agitur, Nyssenus Gregorius affirmat[2]. Quo in mysterio « nullo id sermone consequi posse nos dicit; quemadmodum res eadem numerabilis sit, et numerum fugiat; tum ut dictincta cernatur, et in unitate nihilominus intelligatur, atque et hypostasi disjuncta, et subjecto minime divisa sit; ac rursus aliud sit illud, cujus et Verbum est, et Spiritus. Porro cum id, quod distinctum in illis est, animo conceperis, rursus naturæ singularitas partitionem respuit adeo, ut neque monarchiæ dominatus in diversas divinitates secetur, neque cum Judaico dogmate fides nostra consentiat, sed inter duas opiniones interjecta veritas procedat, et utramque sectam ita destruat, ut ab utraque, quod utile est, assumat. Etenim Judaicum dogma cum Verbi professione, tum fide, quæ est in Spiritum sanctum, evertitur; ac gentilium in multos deos distracta superstitio per hoc extinguitur, quod inane commentum multitudinis naturæ singularitas excludit. Rursus igitur e Judaica persuasione naturæ singularitas maneat : ex gentili autem errore solum discrimen hypostaseon ; et utrinque congruenti remedio impia curetur opinio. Est enim velut medicina quædam iis, qui circa unum aberrant, Trinitatis numerus; iis vero, qui in multitudinem dispersi sunt, singularitatis ratio[b]. » Hæc non minus vere, quam

a Cyril. dial. II. Πλὴν ἔν γε τοῖς τοιούτοις ἡ τῶν ὀνομάτων διαφορὰ οὐχ ἑτερότητα ὡς θεοῦ, καθὸ θεοῦ, ὑπεμφήνειεν ἂν, σημαίνει δὲ μόνον, ὅτι μὴ τοίοσδε ἐστὶ, τουτέστι μὴ γεγεννημένος.

b Gregor. Nyssen. orat. cat. cap. III. Μὴ μέν τοι δύνασθαι λόγῳ διασαφῆσαι τὴν ἀνέκφραστον ταύτην τοῦ μυστηρίου βαθύτητα, πῶς τὸ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν, καὶ διῃρημένως ὁρᾶται, καὶ ἐν μονάδι καταλαμβάνεται, καὶ διακέκριται τῇ ὑποστάσει, καὶ οὐ μεμέρισται τῷ ὑποκειμένῳ· καὶ ἄλλο πάλιν ἐκεῖνο, οὗ καὶ ὁ λόγος ἐστὶ, καὶ τὸ πνεῦμα· ἀλλ' ἐπειδὰν τὸ διακεχριμένον ἐν τούτοις κατανοήσεις, πάλιν ἡ τῆς φύσεως ἑνότης τὸν διαμερισμὸν οὐ προσίεται· ὥστε μήτε τὸ τῆς μοναρχίας σχίζεσθαι κράτος εἰς θεότητας διαφόρους κατὰ τεμνόμενον, μήτε τῷ Ἰουδαϊκῷ δόγματι συμβαίνειν τὸν λόγον, ἀλλὰ διὰ μέσων τῶν δύω ὑπολή-

1 Cyril. lib. II *cont. Jul.* — 2 Catech. orat. cap. III. — 3 Basil. tom. I.

eleganter Gregorius. Sed et Athanasius eadem illa professione, « Judæos pariter rubore perfundi, et gentilium confutari calumnias asserit arbitrantium, nos cum Trinitatem dicimus, perinde plures Deos confiteri [a]. » Et Gregorius alter Nazianzenus, « neque in arctum apud nos redigi divinitatem ait, neque in infinitum diffundi. Illud enim parcum, ac jejunum, hoc confusum; illud Judaicum prorsus, hoc ethnicum, ac multorum deorum cultum redolens [b]. » Vide et Basilium oratione *contra Sabellianos*, etc.

Hujus ergo singularis, ac stupendi mysterii, et catholici dogmatis in eo summa consistit, ut neque singularem, ac solitarium Deum Judaico more credamus, neque plures tamen asseramus deos, cujusmodi gentilium, et qui ab iis proximi sunt, hæreticorum, ac præsertim Arianorum error invexit. Nam etsi Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; non tres tamen dii sunt, sed unus est Deus, ut sit mira quædam, et « ænigmati similis, ut Basilius loquitur, trium istorum discreta conjunctio, et conjuncta discretio [c]. »

II. Id quemadmodum fiat, etsi neque intelligentia capi, neque sermone declarari potest; quoniam « verborum significantiam rei ipsius natura consumit, ait [1] sanctus Hilarius, sensus contemplationem imperspicabile lumen obcæcat; intelligentiæ capacitatem, quidquid fine nullo continetur, excedit; » tamen pro humani captus angustiis, et ratione certa explicatur a Patribus, et non uno genere similitudinis adumbratur. Utrumque complectar hoc, et sequentibus capitibus, exponamque primum ex illorum sententia, cur, cum tres omnino personæ sint, quibus singillatim Dei et natura, et appellatio tribuitur, non eæ tres dii sint totidem, sed unus tantummodo nominetur Deus.

Quinque causæ cur, licet tres sint personæ, unus tamen est Deus.

Cujus rei causas apud illos animadverti quinque, sive unius potius et ejusdem illustrandæ modos totidem. Harum est præcipua, fonsque et origo cæterarum, quæ ex naturæ, sive substantiæ, aut essentiæ communione ducitur. Secunda ex singularitate ἐνεργείας, id est *actionis*. Tertia ex unitate principii. Quarta, quæ ad Filii, et Patris unicam divinitatem ostendendam proprie spectat, ex imaginis, et exemplaris conditione petitur. Quintus locus est, qui ex mutua comprehensione, sive insessione personarum efficitur; quam περιχώρησιν Græci theologi solent dicere. In his quinque explicandis utiliter opera nostra collocabitur. Inest enim iis et ad veterum sensus investigandos, et ad Trinitatis patefaciendum mysterium quiddam studio non indignum.

Prima causa naturæ singularitas et unitas.

1ª Naturæ unitas.

Igitur prima est causa, cur tres minime sint dii, quamvis singulis nomen idem accommodetur *Deus;* quod tribus communis sit, eademque natura, vel substantia, hoc est divinitas eadem. Declarat hoc Athanasius, Arianos refellens, qui catholicos incusabant, quod nos quædam esse dicerent Patrem, et Filium; ac duos ab iis affirmari deos inde colligebant. Quod ille esse consequens negat, « quoniam ut qui Patrem, et Filium dicit, esse duo, unum dicit Deum; ita qui unum dicit Deum, duo profitetur eo ipso, quod Pater et Filius divinitate sint unum [d]. » Sic in libro *de Communi essentia Patris, Filii, et Spiritus sancti*, ut alibi sæpe, naturæ communionem obstare docet, ne dii tres appellentur. Et Gregorius Nazianzenus [2], Basilius [3], Epiphanius [4], Cyrillus [5], Damascenus [6], Hilarius [7], Ambrosius [8], Augustinus [9], Cæsarius [10], aliique passim cau-

ψεων χωρεῖν τὴν ἀλήθειαν, ἑκατέραν τε τῶν αἱρέσεων καθαιροῦσαν, καὶ ἀφ' ἑκατέρας παραδεχομένην τὸ χρήσιμον. τοῦ μὲν γὰρ Ἰουδαίου καθαιρεῖται τὸ δόγμα τῇ τε λόγου παραδοχῇ, καὶ τῇ πίστει τοῦ πνεύματος· τῶν δὲ ἑλλανιζόντων ἡ πολύθεως ἐξαφανίζεται πλάνη, τῆς κατὰ φύσιν ἑνότητος παραγραφομένης τὴν πληθυντικὴν φαντασίαν. πάλιν δ' ἂν ἐκ τῆς Ἰουδαϊκῆς ὑπολήψεως ἡ τῆς φύσεως ἑνότης παραμενέτω· ἐκ δὲ τοῦ ἑλληνισμοῦ ἡ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάκρισις μόνη, θεραπευθείσης ἑκατέρωθεν καταλλήλως τῆς ἀσεβοῦς ὑπονοίας. ἔστι γὰρ ὥσπερ τις θεράπεια τῶν μὲν περὶ τὸ ἓν πλανωμένων ὁ ἀριθμὸς τῆς θριάδος· τῶν δὲ εἰς πλῆθος ἐσκεδασμένων, ὁ τῆς ἑνότητος λόγος.

a Athan. orat. iv *contra Arian.* Ἐξ ὧν καὶ τοὺς προδότας Ἰουδαίους δυνάμεθα, καὶ τῶν Ἑλλήνων διαλύειν κατηγορίαν, φασκόντων, καὶ νομιζόντων διὰ τὴν τριάδα λέγειν καὶ ἡμᾶς πολλοὺς θεούς. Vide et epist. *ad Serap.*

b Nazianz. orat. xiii. Ἵνα μήτε στενὴ μένῃ ἡ θεότης, μήτε εἰς ἄπειρον χέηται. τὸ μὲν γὰρ ἀφιλότιμον· τὸ δὲ ἄτακτον· καὶ τὸ μὲν Ἰουδαϊκὸν παντελῶς, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν, καὶ πολύθεον. Vide et orat. i.

c Basil. epist. xliii. Καί τινα ἐπινοοῦμεν, ὥσπερ ἐν αἰνίγματι καινὴν, καὶ παράδοξον διάκρισίν τε συνημμένην, καὶ διακεκριμένην συνάφειαν.

d Athan. orat. v. Ἀλλ' ὥσπερ ὁ λέγων πατέρα, καὶ υἱὸν δύο, ἕνα θεὸν λέγει· οὕτως ὁ λέγων ἕνα θεὸν, δύο φρονεῖ, τῷ πατέρα, καὶ υἱὸν ἓν ὄντας τῇ θεότητι, etc.

1 Init. lib. II. — 2 Orat. xii, xiii et xl. — 3 III *cont. Eun.* et epist. xlv. — 4 Hær. lvii, n. 4. — 5 X *contra. Jul.* et dial. III. — 6 Lib. III *de Fide*, cap. viii. — 7 Lib. VII et IX et *in Psal.* cxxii. — 8 *De Filii divin.* — 9 Lib. I *de Trin.* cap. iv et alibi passim. — 10 Cæsar. dial. I, inter. iii et xi.

sam inquirentes, cur non tres dii sint, unitati id essentiæ, substantiæ, naturæque ac divinitatis assignant. « Substantiæ identitas, ait Cyrillus, in unitatem colligit[a]. »

Res *unæ* duobus modis intelliguntur.

III Sed communitas hæc, sive ut trito jam verbo utar, unitas essentiæ, ac naturæ duobus modis intelligitur. Quædam enim naturæ dicuntur unius, quod sub uno genere, formave continentur, ut sunt homines duo, Socrates et Plato ; quorum eadem specie natura est, sed numero diversa. Singuli enim essentiam habent propriam, quæ et substantia dicitur, non tamen κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est *definitione distinctam*. Alia vero unitas est. quæ singularitas vocatur, efficitque, uti res una numero, et individua sit, atque hæc unum proprie constituit. Nam quæ priore modo unum appellantur, magis multa sunt, quam unum ; quippe multiplicia sunt ex sese, et in unum sola ratione, et ἐπινοίᾳ confluunt.

Unitatis.

Utro ergo genere τοῦ ἑνὸς personarum trium una divinitas, et natura definiatur a Patribus, hic a nobis explicandum est. Ac fuit nonnullorum opinio, qui pro hæreticis deinceps habiti, et Tritheitæ nominati sunt, personas tres unum esse specie, non numero Deum; ita ut singulis sua numero divinitas, et natura conveniat, sine ullo essentiæ, vel definitionis, dignitatisque discrimine; non secus atque homines tres unum essentia dicuntur, in qua par eademque est illorum conditio; nec unus altero potior est, aut deterior. Cujus erroris principem fuisse Philoponum, imo ab Semiarianis propagatum hunc esse, et ab cæteris clarius, ac distinctius postea propositum, in fine libri primi demonstravimus. Atqui falsissimæ hujus opinionis quædam apud antiquos Patres jacta semina videri possunt ; non illos solum, qui Ariana tempora præcesserunt ; quorum de Trinitate non satis accurata vel sentiendi, vel loquendi ratio, ac disciplina fuit, sed eos quoque, qui cum maxime grassantibus Arianis exstiterunt, et illorum perfidiam scriptis suis oppugnarunt. Etenim οὐσίαν id est *naturam*, vel *substantiam*, commune quiddam esse, et universale, complures illorum arbitrati sunt, ut est hominis species ; hypostasim vero, naturam eamdem certis illigatam proprietatibus, et ex communi singularem individuamque factam; de qua illorum opinione fuse disputatum a nobis est in decimo capite, quatenus universe, ac de omni natura tam creata, quam divina ita illi statuunt.

Natura divina per se absoluteque est una.

IV. Nunc vero speciatim de hac sola demonstrandum idem illud est: naturam divinam, quæ in personis inest tribus, non ratione, cogitationeve sola, quemadmodum quæ universalia dicimus, unum quidpiam esse, sed per se, absoluteque unam, et singularem, atque individuam esse rem triplici proprietate subsistentem. Imo vero, quod « extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, » ut Hilarii [1] verbis utar; illam ipsam naturam, essentiamque divinam cum tribus personis, et proprietatibus unam esse, et simplicissimam rem, quam vel Deum unum, vel Trinitatem appellamus, hoc est Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Decrevit hoc [2] Lateranensis synodus Innocentio tertio pontifice, adversus Joachimum abbatem ; qui Petrum Lombardum reprehenderat in *Sententiis*[3] asserentem, « Quamdam summam rem esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; et illam non esse generantem, neque genitam, neque procedentem. » Quod Joachimus ideo non probabat, « quia non tam trinitatem, quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, et illam communem essentiam, quasi quartam. » Proinde « manifeste protestabatur abbas iste, quod nulla res est, quæ sit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » Contra quem Lateranense decretum ita statuit : « Nos autem sacro, et universali concilio approbante, credimus, et confitemur cum Petro, quod una quædam res est, incomprehensibilis quidem, et inæstimabilis, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quam aliud inveniri non potest ; et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit. » Paulo vero ante hæc, idem decretum definierat, « Hanc sanctam Trinitatem secundum communem essentiam individuam, et secundum personales proprietates esse discretam. » Est igitur individua, hoc est singularis res, essentia divina; non modo sola, et quatenus a per-

a Cyril. I *in Jul.* Ἡ τῆς οὐσίας ταυτότης συλλέγει πρὸς ἕνωσιν.

1 Lib. II *de Trin.* — 2 Cap. I. — 3 In I *Sent.* dist. v.

sonarum proprietatibus cogitando secernitur, sed etiam cum iisdem sumpta conjunctim. Est enim Deus unus, hoc est singularis, et individuus; non quomodo multi homines unus homo dicuntur, sed ut quilibet illorum unus est; ita tamen, ut hic ipse unus, ac singularis Deus, tres personæ sint reipsa distinctæ; quod omnem admirabilitatem superat, nec ei, quod simile sit, in ullo rerum genere investigari potest.

V. Præclare hoc sanctus Augustinus, quod de divinæ essentiæ individua singularitate dixi, demonstrat in septimo *de Trinitate;* et quam ex Græcis fere colligi docuimus, speciei similem naturæ vel unitatem, vel communitatem redarguit, cum sic disserit[1]: divinam essentiam, si cum personis comparetur, neque genus esse, cujus illæ sint species, neque speciem, cujus eadem individua sint personæ. Nam si genus essentia, vel species foret; primum tres essentiæ dici possent, « sicut appellantur tres equi, eademque animalia tria, cum sit species equus, animal genus, aut sicut in specie, Abraham, Isaac, et Jacob tria individua dicuntur, necnon tres homines, et tres animæ. Deinde si essentia genus est, una essentia jam non habet species; sicut quia genus est animal, unum animal jam non habet species. Atqui Pater, Filius, et Spiritus sanctus personæ tres sunt unius essentiæ. Si autem species est essentia, sicut unus homo in aliquos singulos homines subdividi non potest, quia unus homo jam singulus homo est; ita nec una est essentia in tres substantias, vel personas subdividitur, quod falsum esse constat. »

Sed neque personæ tres una essentia dicuntur sic, tanquam statuæ tres unum aurum, « quasi secundum communem, eamdemque materiam; » quod per se manifestum est. Denique non esse velut speciem naturam divinam, personas autem individua, probat hoc argumento; quia in humana specie « non tantum est unus homo, quantum tres homines simul, et plus sunt aliquid homines duo, quam unus homo. Et in statuis æqualibus plus est auri tres simul, quam singulæ statuæ; et minus est auri una, quam duæ. At in Deo non ita est. Non enim major essentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus simul, quam solus Pater, aut solus Filius; sed tres simul illæ substantiæ, sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis; quod animalis homo non percipit. » Hæc Augustinus; in quibus ab Gregorio Nysseno, et Damasceno dissentit, ac reliquis, qui Petrum, Paulum et Joannem tres homines dici negant oportere, sed hominem unum, eo quod « illius ratione, in quo sunt unum, numerari non debent, » ut Damascenus loquitur, ac propterea personas tres unum Deum appellari, non plures deos existimant. Verum plura hominis individua, in eo ipso, in quo unum sunt, plures dicuntur homines, ut recte Augustinus animadvertit, et idem in divinis personis usurpari nihil prohiberet, si par earum esset ratio; quod illorum verba præ se ferunt. Quippe sola individuorum propria singularitas, quam *numericam unitatem* vocant, pluralem in communi vocabulo numerum excludit; quemadmodum in duabus naturis accidit, quæ in Christo una hypostasi continentur, singularique persona; et ideo non personæ plures appellantur, sed una tantum numero. Itaque non eadem est consociatio Petri, ac Pauli in unam hominis naturam, quæ est ambarum Christi naturarum in eamdem hypostasim; quoniam illic speciei propria est unitas, quæ in communi nomine numerum multitudinis admittit; hic vero *numeralis*, et exquisita, quæ eum numerum adhiberi non patitur.

VI. Quamobrem, quod jam supra, capite decimo de illa ipsa veterum loquendi ratione meminimus, hoc vero loco non modo non otiose, sed etiam necessario repetendum est, si ad exactam philosophiæ regulam, qui de Deo habetur, sermo dirigatur; non sic ejusdem substantiæ, id est ὁμοούσιοι, sunt personæ tres, uti Petrus, Paulus, et Joannes; quod tamen antiqui in omni fere sua disputatione ponunt, quam contra Arianos instituunt. Neque vero culpandi ob id illi erunt, aut inscitiæ damnandi, tanquam numeralem unitatem divinæ essentiæ funditus ignorarint; ac solam ejus, quæ in natura inest humana, similem agnoverint. Nam et priorem illam intellexerunt, uti mox ostendam; et prudenter nihilominus hac sunt in exemplum usi posteriore, specieique propria. Etenim sic illi adversus Arianos obnitendum sibi esse meminerant, ut scirent Sabellianam quoque pestem esse vitandam, in quam ab illa fugienti præceps lapsus erat, ac lubricus. Itaque modum hunc adhibendum orationi suæ putarunt, ut summam illam conjunctionem, et, ut

[1] VII *de Trin.* cap. VI.

Exactam monadem. Gregorius Nyssenus loquitur, ἀκριβῆ μονάδα, parcius inducerent, ne Sabellianæ solitudini, ac singularitati locus dari videretur; alteram vero, quæ speciei convenit, libentius usurparent; quæ cum ad Arianorum retundendam insaniam satis illis erat, tum ab Sabelliani suspicione dogmatis, et calumnia longe eos abesse monstrabat.

Arii hæresis. Fuit enim, ut in primo maxime libro docuimus, Arii hæc hæresis: solum Patrem vere, ac proprie esse Deum, et natura divina, essentiaque præditum; Filii autem, ac Spiritus sancti neque æqualem, neque perfecte similem, nedum unam esse, eamdemque naturam, aut substantiam, sed ambos infinitis partibus inferiores, et a primo creatos, ne ipsos quidem inter se unius esse dignitatis, et essentiæ. Proinde tres esse non hypostasi tantum diversos, sed etiam specie, ac natura, planeque inæquales, ac dissimiles. Quamobrem ad illorum coarguendum errorem satis id fuit, trium personarum sic unam demonstrare esse naturam, quomodo individuorum est plurium in eadem specie, velut angelorum, aut hominum. Nam ex eo divinitatis æqualitas sequitur, quoniam ea, quæ sub una specie comprehenduntur, æqualia sunt invicem; neque, quod ad essentiam, et naturalem conditionem attinet, alterum est altero perfectius. Sic homo homini, aurum auro natura par est, neque inest in singulis essentiæ, ac nativæ dignitatis ulla diversitas; quamvis proprietatibus, et singularibus notis invicem distent. Quemadmodum Adamus origine, procreationisque modo differebat ab Setho filio, necnon qualitatibus certis et affectionibus propriis, cum essentia eadem esset amborum. Non enim Sethus minus homo, quam Adamus fuit; neque humanæ essentiæ gradu, et ordine secundus ab eo, vel inferior est habitus; tametsi paterni appellatione nominis, ac dignitate prior illo, potiorque Adamus esset; quæ res ad essentiam, naturamque minime spectat. Quare, ut in cæteris inferiorem, minoremque Patre concederemus esse Filium; essentia tamen, et substantia nihil inter se differrent, sed æquales omnino forent, si itidem, ut Adamus, ac Sethus, sub eadem specie continerentur.

VII. Jure ergo Basilius Eunomium refellens, qui ut dignitatis ordine, sic natura tertium asserebat esse Spiritum sanctum, negat esse consequens, ut, si dignitate posterior sit, natura quoque sit inferior. « Quid enim necesse est, ait, si dignitate, graduque tertius est Spiritus, tertium eumdem esse natura? Etenim dignitate secundum esse ab Filio, pietatis forte ratio tradit; naturam autem usurpare tertiam, neque sacris e Litteris didicimus, neque ex iis, quæ ante dicta sunt, consequenti argumentatione potest effici. Ut enim Filius ordine is quidem secundus est a Patre, quoniam ab eo productus est; tum etiam dignitate, quia principium, et causa ipsius, ut sit, est Pater, necnon quia per ipsum ad Deum, Patremque accessus fit, ac perductio; non tamen natura secundus est, quoniam una est in utroque divinitas. Sic nimirum et Spiritus sanctus, etsi ordine ac dignitate posterior est Filio (ut hoc interim concedamus), non est tamen consentaneum ex eo alienæ ipsum esse naturæ[a]. »

Sic Augustinus in libro *contra Sermonem Arianorum*, capite XVIII, eosdem refellens hæreticos, qui Patrem velut imperatorem esse volebant, Filium ut judicem, Spiritum sanctum ut advocatum; ex hoc ipso concludit, in divinis personis inesse naturæ æqualitatem. « Proinde judex, ait, imperatore, etiamsi potestate minor est, non minus homo est, nec minus, quam judex, homo est advocatus, etiamsi officio videtur judici esse subjectus. Patris ergo, et Filii, et Spiritus sancti, etiamsi disparem cogitent potestatem, naturam saltem confiteantur æqualem. »

Atque ut intelligamus, id contra hæreticos istos potissimum valuisse, in eoque præcipuam vim collocasse Patres, ut æqualem Patri natura, excellentiaque Filium esse defenderent, citra expressam singularitatis mentionem, licet ex eo conjicere. Etenim Nicæni illi præsules, quibus nemo melius Arianæ sectæ arcana cognovit; nemo, qua re opprimenda maxime foret, acrius dijudicare potuit;

[a] Basil. III *contra Eunom.* Τίς γὰρ ἀνάγκη εἰ τῷ ἀξιώματι, καὶ τῇ τάξει τρίτον ὑπάρχει τὸ πνεῦμα, τρίτον εἶναι αὐτὸ καὶ τῇ φύσει; ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ παραδίδωσιν ἴσως ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος· φύσει δὲ τῇ τρίτῃ χρῆσθαι οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεδιδάγμεθα, οὔτε ἐκ τῶν προειρημένων κατὰ τὸ ἀκόλουθον δυνατὸν συλλογίσασθαι. ὡς γὰρ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς, ὅτι ἀπ' ἐκείνου· καὶ ἀξιώματι ὅτι ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ πατὴρ, καὶ ὅτι δι' αὐτοῦ ἡ πρόσοδος, καὶ προσαγωγὴ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ πατέρα· φύσει δὲ οὐκέτι δεύτερος, διότι ἡ θεότης ἐν ἑκατέρῳ μία. οὕτω δηλονότι καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἰ καὶ ὑποβέβηκε τὸν υἱὸν τῇ τε τάξει, καὶ τῷ ἀξιώματι (ἵν' ὅλως καὶ συγχωρήσωμεν) οὐκέτι ἂν εἰκότως ὡς ἀλλοτρίας ὑπάρχον φύσεως.

nihil in professionis suæ formula spectarunt aliud, nisi ut æqualitatem illam essentiæ, dignitatis, æternitatis adstruerent. Testatur hoc ὁμοουσίου vox ipsa, quæ arx quædam fuit catholici dogmatis. Hæc enim æqualitatem potius essentiæ, quam singularitatem significat, ut capite quinto docui. Deinde cætera ejusdemmodi sunt in illo decreto; ut « quod nullum unquam fuisse tempus aiunt, quo nondum erat; non ex alia hypostasi vel usia, neque ex nihilo esse factum. » Igitur satis in eo ipso magnum contra hæreticos istos argumentum fuit, æquale, et ὁμοούσιον esse Deo Patri Verbum, quod eodem saltem jure, ac modo una amborum esse natura debeat, quo gignentis et geniti, patris ac filii creatis in rebus una esse cernitur. Verum major quædam, et arctior in Deo naturæ conjunctio, quam hæc speciei propria, plerisque veterum ex locis concluditur; cujusmodi nonnulla hic expromam, quæ individuam, ac singularem substantiam personarum trium significant, adeoque Trinitatem ipsam unum esse Deum eo unitatis genere, quod individuis convenit, nisi quod personarum, et hypostaseon discrimen cum illa ipsa singularitate consistit.

VIII. Primum Athanasius verba illa Joannis expendens, *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic et Filio dedit vitam habere in semetipso*[1]; ita scribit: «Nam qui omnia dedit Filio Pater, rursus hæc habet omnia. Quippe divinitas Filii, Patris est divinitas. Atque ita Pater in Filio rerum omnium providentiam gerit[a]. » Quod posterius paulo post uberius enarrabitur. Idem initio quintæ orationis, « Patrem et Filium duos esse dicit; sed unitatem divinitatis individuam, minimeque scissam[b]. » Cui consentanea sunt ejusdem illa ex libro *de Decretis Nycænæ synodi*, « Non oportere, tres in deitates partiri admirabilem, ac divinam unitatem[c].» Rursus in quinta oratione Arianos refutans, qui quod Patrem, et Filium duo esse catholici profiterentur, duos ab iis affirmari deos objiciebant; sic in eos argumentum retorquet: « Si is, qui Patrem, et Filium cognoscit, duos asserit deos; consequens est, ut qui unum dicit, tollat Filium, et Sabellium imitetur. Nam si ille, qui dicit duo, gentiles sequitur; igitur qui unum dicit, Sabellium exprimit. At hoc minime verum est; absit. Sed quemadmodum qui Patrem, et Filium profitetur duo, unum esse dicit Deum; sic qui unum Deum dicit, duos intelligit, quoniam Pater, et Filius divinitate sunt unum, et quod ab ipso procedens, neque sectum ab eo, nec divisum, sed inseparabile sit a Patre Verbum[d]. » Ubi quod divinitate unum ait esse Patrem, et Filium, de ea sola, quæ speciei convenit, unitate non potest accipi. Alioqui non id adjungeret, Filium a Patre sectum, ac divisum non esse; neque ab eo separari, cum individua quælibet sub eadem comprehensa specie ab iis, unde propagata sunt divisa sint, ac separata. Et in eadem oratione Patrem, et Filium δύο εἶναι scribit. μονάδα δὲ τῆς θεότητος ἀδιαίρετον, *unitatem divinitatis indivisam;* quem locum in libro superiore, fine capitis decimi posuimus. Rursus in libro *de Communi essentia personarum trium*, in eoque capite, quo probat, non esse tres deos, ad hunc modum argumentatur: Quandoquidem Deus in Scripturis plures homines ejusdem participes naturæ singulari vocabulo *hominem* appellat, ut cum ita loquitur: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*[2]; multo id magis in tribus divinitatis personis esse dicendum, « ubi indivisa est dignitas, unum regnum, una vis, et consilium, et efficientia, quæ Trinitatem a creatura discernit[e]. » Sed apertius in *Expositione fidei*, « Neque tres hypostases, inquit, separatim divisas, uti corporum more in hominibus, cogitare licet; ne quemadmodum gentiles, deorum multitudinem inducamus. » Quod subinde apposita similitudine declarat: « Ut enim fluvius ex fonte ortum habens, ab eo non dividitur; nam una amborum est aqua, quamvis formæ duæ sint, duoque nomina;

Apposita similitudo fontis et fluvii.

a Athan. orat. iv. Καὶ γὰρ πάντα δεδωκὼς ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ, πάντα πάλιν ὁ πατὴρ ταῦτα ἔχει. ἡ γὰρ τοῦ υἱοῦ θεότης τοῦ πατρὸς θεότης ἐστὶ. καὶ οὕτως ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ τὴν τῶν πάντων πρόνοιαν ποιεῖται.

b Athan. orat. v. Ὥστε δύο μὲν εἶναι, πατέρα, καὶ υἱὸν, μονάδα δὲ θεότητος ἀδιαίρετον, καὶ ἄσχιστον.

c Idem. Οὔτ' οὖν καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς θεότητας τὴν θαυμαστὴν, καὶ θείαν μονάδα.

d Athan. orat. v. Εἰ ὁ πατέρα, καὶ υἱὸν γινώσκων, δύο θεοὺς λέγει, ὥρα καὶ τὸν λέγοντα ἕνα, ἀναιρεῖν τὸν υἱὸν, καὶ σαβελλίζειν. εἰ γὰρ ὁ λέγων δύο, ἑλληνίζει, οὐκοῦν ὁ λέγων ἓν, σαβελλίζει. τοῦτο δὲ οὐκ ἔστι· μὴ γένοιτο. ἀλλ' ὥσπερ ὁ λέγων πατέρα, καὶ υἱὸν δύο, ἕνα θεὸν λέγει· οὕτως ὁ λέγων ἕνα θεὸν, δύο φρονεῖ· τῷ πατέρα, καὶ υἱόν ἓν ὄντας τῇ θεότητι, καὶ τῷ ἐξ αὐτοῦ, ἀμέριστον, καὶ ἀδιαίρετον, καὶ ἀχώριστον εἶναι τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς.

e Athan. *de Com. essent.* Ὅπου δὲ ἀμέριστος ἡ ἀξία μία βασιλεία, μία δύναμις, καὶ βουλὴ, καὶ ἐνέργεια, ἰδιάζουσα τὴν τριάδα ἀπὸ τῆς κτίσεως, ἕνα λέγω θεὸν.

1 *Joan.*, v, 6. — 2 *Gen.*, vi, 3.

sic neque Pater Filius est, neque Filius Pater. Siquidem Pater, Filii Pater est, et Filius Patris Filius. Atque ut fons non est fluvius, neque fluvius, fons, sed ambo una, eademque sunt aqua, quæ ex fonte manat in fluvium; ita divinitas, quæ ex Patre transfunditur in Filium, perenniter, et sine divisione continuatur[a]. » Prorsus in tribus personis unam, et individuam substantiam, ac naturam Athanasius agnoscit; non cujusmodi in tribus est hominibus, aut in diis pluribus, si Dei species esset ulla communis pluribus; sed quemadmodum una fontis aqua est, et fluvii, quæ continua cum sit, neque interrupta: non specie tantum, sed numero etiam aqua una censetur.

IX. Gregorius vero Nazianzenus disertissime hoc idem asseverat; præsertim oratione XXXVII. Cum enim dixisset, « Nobis unus est Deus, quoniam una est divinitas[b]; » tum, « Individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas; ac velut in tribus solibus sibi cohærentibus una lucis est commistio, et temperatio[c]; » mox objicit sibi, « Quid autem dixerint forte: Nonne et apud gentiles una est divinitas, ut docent, qui plenius apud illos, perfectiusque philosophantur; et apud nos universum genus, una est humanitas? Et tamen dii sunt plures, non unus, sicut et homines plures[d]. » Hæc ἔνστασις causæ jugulum petit; et id, quo de agimus, continet; cui sic occurrit: « Verum illic communitas unitatem habet, cogitatione sola considerabilem; singularia autem et tempore, et affectionibus, atque adeo potentia, et facultate plurimum inter se divisa sunt[e]. » Igitur non perinde una est divinitas in tribus personis, ut in pluribus individuis natura communis, sed

Instantia.

reipsa singularis, neque numero divisa. Itaque paulo post addit, « unitatem habere quamlibet personam non minus cum ea, quacum jungitur, quam secum, propter essentiæ, et potentiæ identitatem. Atque hæc unionis hujus ratio est, quantum quidem ipsi percipimus[f]. » Præclara, et illustris oratio, quæque personarum unitatem inter se, quæ ad essentiam, naturamque attinet, mirifice describit. Nam quæ arctior, magisque singularis, et individua dici unitas potest, quam ut persona quælibet non magis secum una sit, quam cum duabus reliquis. Vide ad hunc locum Eliæ Cretensis *Scholia*. Sic in oratione XXXII « unam trium ait esse naturam [g], » non ut in nobis una dicitur. « Quorum enim natura simplex est, et esse idem, his proprie vox unius convenit[h]. » Ac deinde « tres hypostases ita nos profiteri asserit, ut non tres usias, sed unam, eamdemque constituamus trium. » Idem et in aliis plerisque locis repetit[1]. Ut in carmine tertio *Arcanorum*:

'Εν τρισσοῖς φαέεσσιν ἴη φύσις ἐστήρικται.
Οὔτε μονὰς νήριθμος, ἐπεὶ τρισὶν ἵστατ' ἐν ἐσθλοῖς.
Οὔτε τριὰς πολύσεπτος. ἐπεὶ φύσις ἔστ' ἀκέαστος.
'Η μονὰς ἐν θεότητι, τὰ δ' ὧν θεότης τρισάριθμα, etc.
Μηδὲ θεῶν ἀγορῇ τερπώμεθα τῇ πολυάρχῳ.

« In tribus luminibus una natura firmata est.
Neque unitas numeri expers, quandoquidem [tribus stat in bonis.
Neque Trinitas multiplici honore colenda, [quoniam natura non dividitur.
Unitas in deitate, ea vero, quorum est deitas, [tria numerantur, etc.
Neque deorum cœtu delectemur, multiplex [imperium obtinente. »

a ATHAN. in *Expos. fid.* Οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ' ἑαυτὰς, ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ' ἀνθρώπων ἐστὶ λογίσασθαι. ἵνα μὴ πολυθεΐαν ὡς τὰ ἔθνη φρονήσωμεν. 'Αλλ' ὥσπερ ἐκ πηγῆς ποταμὸς γεγεννημένος, οὐ διῃρέθη· καί τοι δύο σχήματα, καὶ δύο ὀνόματα τυγχανόντα, οὔτε γὰρ ὁ πατὴρ υἱός ἐστιν. οὔτε ὁ υἱὸς, πατήρ ἐστι. ὁ γὰρ πατὴρ υἱοῦ πατήρ ἐστι, καί ὁ υἱὸς, πατρὸς υἱός ἐστιν. ὡς γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ πηγὴ ποταμός, οὐδὲ ὁ πο ταμὸς πηγὴ, ἀμφότερα δὲ ἕν, καὶ ταὐτόν ἐστιν ὕδωρ τὸ ἐκ τῆς πηγῆς εἰς τὸν ποταμὸν μετοχετευόμενον· οὕτως ἡ ἐκ τοῦ πατρὸς εἰς τὸν υἱὸν θεότης, ἀῤῥεύστως καὶ ἀδιαιρέτως τυγχάνει.

b GREGOR. NAZIANZ. orat. XXXVII. 'Ημῖν εἷς Θεὸς, ὅτι μία θεότης, καὶ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει, κἂν τρία πιστεύηται, etc.

c Item. 'Αλλ' ἀμέριστος ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπειν, ἡ θεότης, καὶ οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων, μία τοῦ φωτὸς σύγκρασις.

d Τί δαὶ οὐχὶ καὶ παρ' Ἕλλησι φαῖεν ἂν μία θεότης, ὡς οἱ τὰ τελεώτερα παρ' ἐκείνοις φιλοσοφοῦντες, καὶ παρ' ἡμῖν ἀνθρωπότης μία, τὸ γένος ἅπαν; ἀλλ' ὅμως θεοὶ πολλοὶ. καὶ οὐχ εἷς, ὡς δὴ καὶ ἄνθρωποι.

e Ibid. 'Αλλ' ἐκεῖ μὲν ἡ κοινότης τὸ ἓν ἔχει μόνον ἐπινοίᾳ θεωρητόν· τὰ δὲ καθ' ἕκαστον πλεῖστον ἀλλήλων καὶ τῷ χρόνῳ, καὶ τοῖς πάθεσι, καὶ τῇ δυνάμει μεμερισμένα.

f Ibid. 'Αλλὰ τὸ ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἔχει πρὸς τὸ συγκείμενον, ὡς πρὸς ἑαυτὸ τῷ ταὐτῷ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς δυνάμεως. καὶ οὕτως ὁ τῆς ἑνώσεως λόγος, ὅσον ἐφ' οἷς ἡμεῖς κατειλήφαμεν.

g NAZIANZ. orat. XXXII. Φύσις δὲ τρισὶ μία, θεός, etc.

h Οἷς δὲ ἁπλῆ φύσις, καὶ τὸ εἶναι ταὐτὸ, τούτοις καὶ τὸ ἓν κύριον.

1 Ut orat. XIII, XXI, XXIV, XXXII et XL.

X. Basilius quoque unam, eamdemque numero naturam in tribus inesse demonstrat in libro *de Spiritu sancto;* ubi ita Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum singillatim nominari Deum asserit, ut in colligendo numero nequaquam deos tres appellemus. « Non enim componendo numeramus, ut ab uno ad multitudinem summa succrescat, dicamusque unum, duo, tria, vel primum, secundum, et tertium[a], » et cætera. Quibus verbis individuam Dei unitatem, et μονάδα ἀδιαίρετον divinitatis, ut Athanasius loquitur, Basilius adstruit. Nam si tres essent numero distinctæ divinitates, ut angeli tres, vel homines; prorsus ab uno, ad ternarium summa consurgeret, ac primus, secundus, tertiusque diceretur Deus; præsertim cum in personis illis tribus, gradus quidam sint originis, ac ratione saltem prior censeatur una, quam altera. Unde si distinctæ essent numero naturæ, non solum persona una posterior altera, et ab ea producta, sed illius etiam natura et posterior origine, et ab alia propagata diceretur; quemadmodum ab Adamo tam individua ipsa Sethi natura, quam ipsius persona procreata dicitur. Verum naturæ divinæ singularitas efficit, ut unus tantum, percensitis tribus, colligatur Deus; neque primus, secundus, ac tertius numeretur.

Sic in epistola CXLI hæreticos insequens, qui τὸ τρίθεον catholicis objiciebant, respondet, « nos unum Deum, non numero, sed natura, profiteri. Quidquid enim numero unum dicitur, hoc revera unum non est, neque natura simplex[b].» Quod inductione confirmat, primum ipsius mundi, qui ex variis, ac dissimilibus collectus partibus unus numero dicitur; deinde hominis cujuslibet, qui et ipse diversis constans partibus numero unus appellatur. Denique angeli, cujus in hypostasi natura, vel substantia ab sanctitate discernitur, non enim qualitates ei insitæ idem sunt cum ejus essentia. Ob id unus numero non est Deus, inquit, sed natura. Itaque numerus in illum non cadit. Numerus enim solius est quanti, quod cum natura corporea conjunctum est. Simplici vero, et incircumscriptæ naturæ

ritheis-mum.

μονὰς, et ἑνὰς convenit, quam *singularitatem* et *unitatem* vertentes nominare licet. Hanc vero μονάδα, et ἑνάδα subinde vocat ταυτότητα φύσεως, *identitatem naturæ*. Est igitur, ex Basilii sententia, singularis et individua divinitatis substantia. Nam μονὰς, et ἑνὰς de unitate illa, quæ speciei propria est, usurpari nequit. De hac unitate, ac trinitate pulchre Amphilochius[1] in epistola *ad Seleucum* iambicis scripta versibus, qui nondum, opinor, editi sunt :

* Μονὰς γάρ ἐστι καὶ τριὰς ἀΐδιος
Πατὴρ σὺν Υἱῷ, καὶ ἁγίῳ τῷ Πνεύματι.
Τριὰς προσώποις, εὐκρινὴς μονὰς φύσει.
Μήτ' οὖν ἀριθμῶν συγχέῃς ὑποστάσεις.
Μήτ' αὖ σὺ θεὸν προσκυνῶν τέμῃς φύσιν.
Φύσει γὰρ ὄντως ἡ τριὰς οὐ τέμνεται.
Μία τριὰς γὰρ εἷς θεὸς παντοκράτωρ.
Τουτ' ἐστὶ λεπτὸν εὐσεβὲς μυστήριον.
Σὺ δ' ἀκλινῶς φύλαττε τὴν μέσην ὁδὸν,
Ὡς χρὴ διαιρῶν, καὶ συνάπτων ὡς θέμις.
Συνάπτεται γὰρ ἡ τριὰς ἀσυγχύτως.
Ὥσπερ ἀτμήτως ἡ μονὰς χωρίζεται.
Ἡ γὰρ φύσις ἄτμητος· αἱ δ' ὑποστάσεις
Ἀεὶ μένουσι παντελῶς ἀσύγχυτοι.

« Namque monas est, et sempiterna Trinitas
Cum Patre Natus, cumque sancto Spiritu.
Trinitas personis, non confusa unitas natura.
Tu ne ergo numerans misceas hypostases :
Deumve adorans rite, naturam seces.
Natura quippe revera trias non secatur.
Una trias etenim est unus omnipotens Deus.
Subtile idipsum est, et pium mysterium.
Tu vero indeclinabiliter tene mediam viam,
Ut oportet dividens, et conjungens qua fas est.
Conjungitur enim Trinitas sine ulla confu-
[sione.
Sicut insecabiliter monas secernitur.
Natura enim individua est. At hypostases
Semper manent penitus inconfusæ. »

Quod brevius exprimunt Græci, cum dicunt « unitatem in Trinitatem collatari, et Trinitatem in unitatem colligi. » De quo Dionysius Alexandrinus scribit sic : « Sic ergo nos et in Trinitatem individuam collatamus monadem; et rursus Trinitatem nulla re diminutam in monadem summatim colligimus[c]. »

a Basil. *de Sp. sancto.* cap. XVIII. Οὐ γὰρ κατὰ σύνθεσιν ἀριθμοῦμεν ἀφ' ἑνὸς εἰς πλῆθος ποιούμενοι τὴν παραύξησιν, ἕν, καὶ δύο, καὶ τρία λέγοντες· οὐδὲ πρῶτον, καὶ δεύτερον καὶ τρίτον.

b Basil. Πρὸς δὲ τοὺς ἐπηρεάζοντας ἡμᾶς τὸ τρίθεον, ἐκεῖνο λεγέσθω, ὅτι περ ἡμεῖς ἕνα θεὸν οὐ τῷ ἀριθμῷ, ἀλλὰ τῇ φύσει ὁμολογοῦμεν. πᾶν γὰρ ὃ ἓν ἀριθμῷ λέγεται, τοῦτο οὐχ ἓν ὄντως, ουδ' ἁπλοῦν τῇ φύσει ἐστίν.

c Dionys. Alex. apud Damasc. ibid. Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρε-

1 Amphil. apud Joan. Dam. in Ecl. cap. I.

XI. Quæ duo nomina eidem Dei substantiæ Dionysius attribuit. « Unitas est, ait, unifica unitatis omnis[a]. » Et quibusdam interjectis, « monadem et henadem dicit appellari, propter simplicitatem et unitatem excellentis impartilitatis; » cujus ad imitationem *partibiles*, quæ in natura nostra insunt, « diversitates colligi, et in divinam singularitatem, atque unionem congregari[b] » asserit. Quamobrem

Major divinæ naturæ unitas quam cujuslibet individui.

major est divinæ essentiæ unitas, et singularitas, quam cujuslibet individui, velut unius hominis; cum hujus unitas ad illam sic, tanquam exemplar, expressa sit; quod falso utique diceretur, si sola specie esset una. Vide et cap. v operis ejusdem *de Divin. nom.*, ubi de monade, quæ rerum est principium omnium, fuse Dionysius disserit; ut et cap. xiii.

Monas et henas.

Quod autem μονὰς, et ἑνὰς non id, quod specie est unum, sed singulare, et individuum significet, declarat imprimis Proclus Constantinopolitanus ad Armenos scribens : « Ut enim monas in duas monadas secari non potest. Quæ enim in hæc dividitur, monas non erit; sic quod unum est exquisito genere unionis, nunquam in duo dividitur[c]. »

Monas.

Itaque μονὰς, et quod perfecte unum dicitur, individuum est,

Specie unam.

non εἰδικόν, alioqui in plura distribueretur, quæ multo perfectius unum esse dicerentur singula, quam illud specie duntaxat unum. Tum in divinis hac ratione monstratur. Nam si una specie divinitas esset, non autem individua; non minus personis unitas, quam naturæ conveniret; trinitas vero naturæ similiter ac personis.

Est enim personæ ratio, ex multorum opinione, generalis, et quasi specie una. Ideo

Monas et henas.

μονὰς, et ἑνὰς eodem illi jure, ac naturæ tribueretur, si hæc non majore, quam illa, unitate constaret. Atqui unitas essentiæ soli, non trinitas; personis vero trinitas, non unitas attribuitur; ex quo illud existit, quod in Athanasii symbolo canitur : *Ut unitas in trinitate, et trinitas in unitate veneranda sit.* Quod symbolum Joannes Cyparissiota[1] citat hunc in modum : « Magnus Athanasius in expositione fidei in prima synodo, ait, » etc., quasi in Actis Nicæni concilii comprehendatur. Sed μονάδα, vel ἑνάδα, cum τριάδι, itidem ut symbolum istud, complures Patres usurpant, præter eos, quos proxime commemoravimus, Athanasium, ac Dionysium; velut Epiphanius qui sic loquitur : « Confitemur trinitatem, unitatem in trinitate, et trinitatem in unitate, unam divinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti[d]. » Gregorius quoque Nazianzenus : « Unum enim sunt non hypostasi, sed divinitate, unitas in trinitate adorata, et trinitas in unitatem collecta[e]. » Auctor ille, qui Justini nomine fidei ἔκθεσιν edidit : « Unitas enim in trinitate intel-

Expositionem.

ligitur, et trinitas in unitate cognoscitur[f]. » Synesius item hymno tertio[2], « Cano te unitas. Cano te trinitas. Unitas es, trinitas cum sis; Trinitas es, unitas cum sis[g]. » Antiochus homilia I « monadem, et unitatem vocat, propter simplicitatem, et unionem excellentis impartilitatis, ex qua, tanquam unifica vi, unum efficimur[h]. » Sic Maximus[3] monachus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum appellat τρισυπόστατον μονάδα, *ter subsistentem unitatem*, nec

Unitatem et trinitatem individuam.

non μονάδα, et τριάδα ἀδιαίρετον. Tum Anastasius Sinaita lib. I *de Rectis fidei dogmat.* « celebrari laudibus ait unitatem in trinitate, et in unitate trinitatem, admirabili prorsus unione simul, et divisione subsistentem. » Ac multi alii

Monadis, henadis vel unitatis. Unam deitatem. Identitatem naturæ aut substantiæ.

Græcorum eodem μονάδος, et ἑνάδος, vel ἑνότητος utuntur vocabulo; propter μίαν θεότητα personarum trium, vel ταυτότητα τῆς φύσεως, aut οὐσίας, ut efferre solent. Sic Zacharias Mitylenæus in libro *de Opificio mundi*[4]. Thalassius item monachus, « Monas usque ad triadem apud

τον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. Vide de hac locutione quæ dixi tom. I, lib. II, cap. viii, § 17, et seq.

a Dion. cap. i *de Div. nom.* Ἑνὰς ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος.

b Ibid. Ὡς μονάδα μὲν, καὶ ἑνάδα, διὰ τὴν ἁπλότητα, καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερίας, ἐξ ἧς ὡς ἑνοποιοῦ δυνάμεως ἑνιζόμεθα, καὶ τῶν μεριστῶν ἡμῶν ἑτεροτήτων ὑπερκοσμίως συμπτυσσομένων, εἰς θεοειδῆ μονάδα συναγόμεθα, καὶ θεομίμητον ἕνωσιν.

c Procl. Ὥσπερ γὰρ ἡ μονὰς οὐκ ἂν τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαιρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλὰ δύας· οὕτω τὸ ἓν κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς δύο.

d Epiph. hær. lxii, num. 3. Ἀλλὰ ὁμολογοῦμεν τὴν τριάδα, μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι, μίαν θεότητα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος.

e Nazianz. in fine orat. xii. Ἓν γὰρ οὐχ ὑποστάσει, ἀλλὰ θεότητι, μονὰς ἐν τριάδι προσκυνουμένη, καὶ μονὰς εἰς τριάδα ἀνακεφαλαιουμένη.

f Justin. in ἘΚΘΕΣΕΙ Μονὰς γὰρ ἐν τριάδι νοεῖται, καὶ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται.

g Syn. Ὑμνῶ σε μονάς. Ὑμνῶ σε τριάς. Μωνὰς εἶ, τριὰς ὤν. Τριὰς εἶ, μονὰς ὤν.

h Antioch. Ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα. διὰ τὴν ἁπλότητα, καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερίας, ἐξ ἧς, ὡς ἑνοποιοῦ δυνάμεως, ἑνιζόμεθα.

1 Deca. IX, c. iii. — 2 Tom. I *Bibl. Patrum. Græco-Lat.* — 3 Centur. I, c. i, iii et iv. — 4 Tom. I *Bibl. Patrum. Græco-Lat.*

ipsos, ait, mota remanet monas, et trias usque ad monadem collecta manet trias; quod est admirabile [a]. »

Item Agatho papa, et reliqui episcopi in synodica epistola, quam e Romano concilio scripserunt ad Constantinum Pogonatum, quæ est in actione VI sextæ synodi, profitentur « Trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate; unitatem quidem essentiæ, trinitatem vero personarum, sive subsistentiarum, Deum Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non tres deos, sed unum Deum. »

XII. Est ergo singularis illa, et individua, ac numeri omnis expers. Quod Boetius in eo libello, qui inscribitur, *Quomodo Trinitas est unus Deus, et non tres dii,* eruditissime declarat; atque ex intimis theologiæ, philosophiæque principiis propositam hoc in capite quæstionem enucleat, ut digna sit ejus disputatio, cujus hic summam explicemus : « Pater, inquit, Filius, Spiritus sanctus, unus Deus, non tres dii. Cujus conjunctionis ratio est indifferentia. Eos enim differentia comitatur, qui vel augent, vel minuunt, ut Ariani; qui gradibus meritorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem deducunt. Principium enim pluralitatis alteritas est, præter alteritatem enim nec pluralitas, quid sit, intelligi potest. » Subjicit deinde triplicem diversitatis, et conjunctionis, vel ut loquuntur, *identitatis* modum. Primus est secundum genus; ut cum homo unus genere cum equo dicitur, ab lapide diversus; proximus est secundum speciem; tertius ratione numeri; « cujus differentiam accidentium varietas facit. Nam tres homines neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant. » Porro cum omne esse ex forma sit, ac secundum propriam formam unumquodque esse dicatur, divina autem substantia sine materia forma sit; sequitur illam esse id, quod est, quod in nullum alterum convenit. Nam quævis alia res « habet esse suum ex his, ex quibus est, id est ex partibus suis, et est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ, sed non hoc, vel hoc singulariter; ut cum homo terrenus constet ex anima, et corpore, corpus et anima est, non vel corpus, vel anima. Quod vere non est hoc, atque hoc, sed tantum est hoc, atque est id, quod est; vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præterquam id quod est. » Hoc vero neque est multiplex, quia simplicissimum est; neque subjectum fieri potest, quia mera est forma. Forma vero, quæ est sine materia, subjectum esse non potest. Quod si qua in Deo, hoc est natura divina, differentia foret; inesset et compositio partium, quarum altera communis, velut materia esset, altera instar formæ, in qua essentiæ proprietas constaret. Hoc vero in eo esse nequit, quod est id, quod est. Quare « nulla in eo diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus. Deus vero a Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel substantialibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas. Quare nec numerus; igitur unitas tantum. Nam cum tertio repetitur Deus, cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus nuncupantur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo, quod ipsæ sunt, si advertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. Hæc enim unitatum repetitio, iteratio potius est, quam numeratio; velut, si ita dicamus, ensis, mucro, gladius, repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum. Velut si dicam sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed unum toties prædicaverim. » Hæc, et his plura ad idem argumentum depromit Boetius; qui Deum unum non numero, sed natura dici vult, quoniam nullus ibi numerus est, ubi nulla differentia est, cujusmodi in Deo est nulla naturæ. Itaque Ruffinus in symbolo, Deum ait « unum esse non numero, sed universitate, hoc est non ut unus homo dicitur, quia plures esse possunt, sed ut dicitur unus sol, quia plures esse nequeunt. » Quod eo scripsisse videtur, ne quis sic unum numero Deum dici crederet, quomodo apud ethnicos unus numeratur Deus, qui inter multos censetur, quibuscum numerum facit. At noster, verusque Deus singularis est, differentiæque omnis expers. Ideo plurali appellari numero non potest. Quippe « voces omnes aliquid significantes, nomina ad id instituta sunt, ut res ipsas invicem secernant [b], » ut ait Ammonius. Quare ubi una, simplicissimaque res est, secundum id, quod

Deum *unum* natura non numero contendit Boetius.

a THALASS. mon. Hecatontade IV. Ἡ μονὰς μέχρι τριάδος παρ' αὐτοῖς κινουμένη μένει μονάς· καὶ ἡ τριὰς μέχρι μονάδος συναγομένη μένει τριάς. ὃ καὶ παράδοξον.

b AMMON. in Porphyr. *de* V *voc.* Ἰστέον δὲ ὅτι αἱ σημαντικαὶ φωναὶ, καὶ τὰ ὀνόματα εἰώθασι χωρίζειν τὰ πράγματα ἀπ' ἀλλήλων.

in ea simplex est, uno et singulari vocabulo significari debet. Nam pluralitas numeri pluralitatem quoque rerum subjectarum indicat. Quæ, quia nulla inest in Deo, secundum propriam Dei notionem, quæ οὐσίαν sonat, ut Justini nomine edita fidei Ecthesis docet, ideo plurali efferri numero vox ista non debet.

Usiam.

XIII. Cæterum tametsi numerum solis rebus quantis inesse Basilius [1] existimet; personis tamen divinis accommodatur, secundum id, in quo plures sunt, et invicem distinctæ, ipsomet auctore Basilio; qui in oratione *contra Sabellianos*, numerari personas ait, ac duo esse numero Patrem, et Filium; quod utique Christus ipse demonstrat his verbis, *Solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater* [2]. Igitur duos expresse numeravit Christus. « Numera, inquit Basilius, personas, si lubet. *Ego sum*, ait, *qui, testimonium perhibeo*, ecce jam unus. *Et testimonium perhibet de me, qui misit me;* ecce duo. Neque ego sum, qui sic audacter numero; sed Dominus ipse nos docuit dicens : *In lege vestra scriptum est* [a], » etc. Et paulo post : « Tametsi enim duo sunt numero, natura tamen divisi non sunt; neque qui duas personas dicit, alienationem inducit. Unus est Deus, et Pater; unus Deus, et Filius, et non dii sunt duo; quoniam identitatem habet Filius ad Patrem. Non enim aliam in Patre divinitatem intueor, aliam in Filio; neque alteram naturam illam, et alteram hanc. Quocirca uti perspicua tibi fiat personarum proprietas, numera seorsim Patrem, et seorsim Filium. Ut autem in deorum multitudinem minime dissiperis, unam in ambobus profitere substantiam. Sic et Sabellius cadit, et Anomœus obteretur [b]. » Epiphanius item Spiritum sanctum, « appellatione tertium, æqualem divinitate esse [c] » scribit : « Sed nemo id existimet, quoniam dicit unum et unum, aliquid de Trinitatis detraxisse numero, quod Spiritus sancti non meminerit [d]. » Ergo numerus in personis, ac proprietatibus cernitur; in natura vero, ac substantia, singularitas.

Numerus in personis ac proprietatibus cernitur, in natura vero singularitas

XIV. De qua re aliud Basilii testimonium præteriri non debet; est enim comprimis illustre, quod quidem ex epistola ejus XLIII petitur. Nam illic inter Patrem, Filium, et Spiritum sanc. « nullam omnino sectionem, aut divisionem, vel cogitatione concipi posse [e] » dicit; cujusmodi profecto non solum cogitatione, sed etiam reipsa foret divisio, si naturæ tres essent individuæ revera distinctæ. Ac deinde sit scribit : « Verum inexplicabilis quædam, et incomprehensa in illis invenitur et communio, et distinctio adeo, ut neque hypostaseon differentia continuationem naturæ dissociet, neque substantiæ communio proprietatem notionum confundat [f]. » In his notandum illud est, quod divinæ naturæ τὸ συνεχὲς attribuit, id est *continentem unitatem et individuam*. Quam rem præclara similitudine cœlestis arcus illustriorem facit, de qua alias dicetur. In hanc ipsam naturæ unitatem testimonium sumemus ab Epiphanio. Qui in hæresi LXIX « induci ait a Christo intelligentiam nostram in unam divinitatis unitionem Patris, et Filii, et Spiritus sancti; neque ad partitiones quasdam, et deorum multitudinem, hominum cogitationes demitti, sed ad unam unitatem attolli [g]. » Et in *Ancorato*, « Etenim cum Filium, et Patrem, inquit,

Naturæ unitas demonstratur e Græcis Patribus.

Epiphanio.

a Basil. *contra Sabell.* Ἀρίθμησον, εἰ βούλει, τὰ πρόσωπα. ἐγὼ, φησὶν, εἰμὶ ὁ μαρτυρῶν· εἷς. καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με· δύο· καὶ οὐκ ἐγὼ οὕτω τολμηρῶς ἀριθμῶ, ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος ἐδίδαξεν, εἰπών· ἐν τῷ νόμῳ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι ἀνθρώπων δύο ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν.

b Ibid. Εἰ γὰρ καὶ δύο τῷ ἀριθμῷ, ἀλλὰ τῇ φύσει οὐ διέζευκται. οὐδὲ ὁ τὰ δύο λέγων πρόσωπα, ἀλλοτρίωσιν ἐπεισάγει. εἷς θεὸς, (ὅτι) καὶ πατήρ· εἷς θεὸς δὲ καὶ ὁ υἱός· καὶ οὐ δύο θεοί. ἐπειδὴ ταὐτότητα ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα. οὐ γὰρ ἄλλην ἐν πατρὶ καθορῶ θεότητα, καὶ ἄλλην ἐν υἱῷ· οὐδ' ἑτέραν φύσιν ἐκείνην, καὶ ἑτέραν ταύτην. ἵνα μὲν οὖν τρανωθῇ σοι τῶν προσώπων ἡ ἰδιότης, ἀρίθμει ἰδίᾳ πατέρα, καὶ ἰδίᾳ υἱόν. ἵνα δὲ μὴ εἰς πολυθεΐαν ἀποσχισθῇς, μίαν ὁμολόγει ἐπ' ἀμφοῖν τὴν οὐσίαν. οὕτω καὶ Σαβέλλιος πίπτει, καὶ ὁ Ἀνόμοιος συντριβήσεται.

1 Epist. CXLI. — 2 *Joan.* VIII, 16.

c Hær. LXII, num. 14. Τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ, ἴσον τῇ θεότητι.

d Et hær. LXXII, num. 5. Ἀλλὰ μηδεὶς νομιζέτω, ἐπειδὴ λέγει ἕνα, καὶ ἕνα, μὴ ἄρα παρέλιπε τὸν ἀριθμὸν, τῆς τριάδος, ἐπειδὴ οὐκ ὠνόμασε τὸ ἅγιον πνεῦμα.

e Basil. epist. XLIII. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον.

f Ibid. Ἀλλά τις ἄῤῥητος, καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ διάκρισις· οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης· οὔτε τῆς κατὰ τὴν οὐσίαν κοινότητος τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων ἀναχεούσης.

g Epiph. hær. LXIX, num. 77. Πρῶτον μὲν διὰ τὸ ἀναγαγεῖν ἡμῶν τὴν διάνοιαν εἰς μίαν ἕνωσιν θεότητος, πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, καὶ μὴ εἰς μερισμοὺς, καὶ πολυθεΐαν καταγαγεῖν τὸν τῶν ἀνθρώπων λογισμὸν, ἀλλὰ ἀναφέρειν εἰς μίαν θεότητα.

nominamus Deum, duos deos non dicimus. Siquidem *unus nobis est Deus*, ut beatus Moses asserit, *Dominus Deus tuus*, *Dominus unus est*[1]. Quare Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non deos appellamus. Nam nulla est in Deo multitudo deorum [a]. »

Damaso papa apud Theodoretum.

Damasus papa apud Theodoretum in *Anathematismis*, ex *Tripartitæ* interpretatione : « Si quis non dixerit Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam deitatem, potestatem, divinitatem, virtutem, unam gloriam, dominationem, imperium, unam voluntatem, et veritatem, anathema sit [b].» Hanc porro deitatem unam dici non specie, sed individuo, declarat in sequentibus : « Si quis autem deitatem diviserit, Deum Patrem dicens, et Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum; affirmans deos dici, et non Deum propter unam deitatem, ac potestatem, quam esse credimus, et novimus, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Deum unum in tribus hypostasibus, etc. anathema sit [c].» Nimirum ita est una divinitas, ut ea dividi, ac separari non possit.

Cyrillo.

Cyrillus libro X *contra Julianum* de Filio loquens, « Unum est, ait, ad suum genitorem identitate naturali ; tametsi secundum hypostasim propriam existat, et intelligatur [d].» Idem etiam disertius in quarto ejusdem operis, Julianum incessens, qui plures a Mose Deos agnitos dicebat, similes inter se, ejusdemque dignitatis consortes, « Non ignoravit, inquit, Moses unum Deum, hoc est naturam divinitatis unam, adorari in sancta, et consubstantiali Trinitate, nimirum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Quamvis enim nominatorum quodlibet personis, et propriis hypostasibus hoc ipsum, quod est, esse creditur. Pater enim est Pater, et Filius Filius, et Spiritus Spiritus; nihilominus identitas essentiæ ad unitatem colligit [e]. » Sed apertissime in dialogo VI *de Trinitate* paulo post initium, singularitatem illam divinitatis ostendit. Cum enim identitatem substantiæ separationis expertem in Deo posuisset, ista subjunxit : « Non enim secernitur Pater a Filio, sicut angelus ab angelo, neque sicut nobiscum aliquis ab aliquo, totus a toto distinctus est [f]. » Alioqui « duos fore deos ait, cum tamen una et sola intelligatur deitas. » Vide et librum ejusdem *contra Anthropomorphitas*; etsi non videtur esse Cyrilli, nec eo titulo recte inscribitur. Sed quicumque ejus est auctor, unam ait esse divinitatem in hypostasibus tribus. Non enim ita Filium a Patre genitum esse, quomodo in hominum genere Filii propagantur a parentibus. « Nam in istis id, quod gignitur, in peculiarem diversitatem penitus recedit; at non eo modo de Deo, et Patre genitum esse dicimus Filium [g].» Quippe sic ex ipso processit, ut in ipso sit. In *Commentariis* item *ad Joannem*, « Cum una, inquit, Dei natura ab omnibus credatur, non potest profecto sanctissima Trinitas identitate substantiæ non contineri [h]. » Et subinde, « Fides nostra nullum deorum numerum suscipit, sed unus est Deus Pater; et ad eam-

a Idem, in *Ancor.* num. 6. Οὐδὲ γὰρ ἐὰν εἴπωμεν τὸν υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα, δύο θεοὺς λέγομεν. εἷς γάρ ἐστιν ἡμῶν ὁ θεὸς, ὡς φησὶν ὁ μακάριος Μωσῆς. Κύριος ὁ θεός σου, κύριος εἷς ἐστιν. οὐ θεοὺς λέγομεν, θεὸν τὸν πατέρα, θεὸν τὸν υἱὸν, θεὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οὐ θεούς. οὐδὲ γὰρ πολυθεΐα ἐν θεῷ.

b Damas. in *Syn.* apud Theodor. lib. V, cap. x. Εἴ τις μὴ εἴπῃ, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος μίαν θεότητα, ἐξουσίαν, δυναστείαν μίαν, δόξαν, κυριότητα μίαν, βασιλείαν μίαν, θέλησιν, καὶ ἀλήθειαν, ἀνάθεμα ἔστω.

c Mox : Εἴ τις δὲ μερίσει θεότητα, θεὸν τὸν πατέρα λέγων ἀνὰ μέρος, καὶ θεὸν τὸν υἱὸν, καὶ θεὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ διϊσχυρίσαιτο θεοὺς λέγεσθαι, καὶ οὐ θεὸν, διὰ τὴν μίαν θεότητα, καὶ δυναστείαν, ἥνπερ εἶναι πιστεύομεν, καὶ οἴδαμεν, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, θεὸν ἕνα ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, etc. Ἀνάθεμα ἔστω.

d Cyril. lib. X *contra Jul.* Ἓν γάρ ἐστι πρὸς τὸν αὐτοῦ γεννήτορα ταυτότητι φυσικῇ, καί τοι καθ' ὑπόστασιν ἰδίαν ὑπάρχων, καὶ νοούμενος.

e Cyril. IV *contra Jul.* Οὐκ ἠγνόηκεν ὁ Μωσῆς ὅτι θεὸς εἷς; ἤτοι μία φύσις θεότητος ἐν ἁγίᾳ, καὶ ὁμοουσίῳ Τριάδι προσκυνεῖται, ἔν τε τῷ Πατρὶ, φημὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι. εἰ γὰρ καὶ τῶν ὠνομασμένων ἕκαστον, προσώποις τε, καὶ ἰδικαῖς ὑποστασέσι τοῦθ' ὅπερ ἐστιν εἶναι πιστεύεται· πατὴρ γὰρ ὁ πατὴρ, καὶ υἱὸς ὁ υἱὸς, καὶ πνεῦμα τὸ πνεῦμα· ἀλλ' οὖν ἡ τῆς οὐσίας ταυτότης συλλέγει πρὸς ἕνωσιν.

f Cyril. lib. VI. dial. *de Trin.* Οὐδὲ γὰρ ἂν διορίζοιτο τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ὥσπερ ἄγγελος ἀγγέλου, καὶ μὴν καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος ὅλος ὅλου διεστήξει τυχὸν, καὶ διαμπὰξ ἐλάσει διαφορᾶς ὁ λόγος, ἀναμέρος ὁλοτρόπως ἑκατέρον ἱστάς. ἢ γὰρ ἂν εἶεν καὶ δύο θεοί. μιᾶς δὲ καὶ μόνης οὔσης τε, καὶ νοουμένης θεότητος, etc.

g Cyril. *contra Anthropom.* cap. xviii. Ἀναχωρεῖ γὰρ τὸ γεννώμενον εἰς ἰδικὴν ἑτερότητα τὴν εἰς ἅπαν ὁλοσχέρος. ἀλλ' οὐχ οὕτως ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς γεννηθῆναί φαμεν τὸν υἱόν.

h Idem, lib. I *in Joan.* cap. iii. Ἀμέχανον γὰρ, μιᾶς εἶναι παρὰ πᾶσιν ὁμολογουμένης θεότητος, μὴ πάντως εἰς ταὐτότητα φύσεως τὴν ἁγίαν ἀναβαίνειν τριάδα.

1 *Deut.* vi, 4.

dem unitatem Filius una cum Spiritu sancto conscendit[a]. » Idem libro nono *Commentariorum in Joannem* confert unitatem illam naturæ, quo plures sub eadem hominis specie constare dicuntur, cum ea, qua personæ tres unus sunt Deus, ac latum inter ambo discrimen esse dicit, quod homines, etsi eamdem naturam habeant, multis tamen rebus dividuntur a se mutuo. « At in Deo vero non sic res habet. Nam proprie, ac per se Pater est Pater, et non Filius; et rursus Filius similiter, qui est ex ipso, et non Pater. Et Spiritus est Spiritus proprie. Verum in unam deitatis naturam conveniente, collectaque sancta Trinitate, unus in nobis est Deus[b]. » Idem etiam uberrime disserit in V dialogo *de Trinitate*, et in dial. VI aliisque passim in locis.

Theodoro Mopsuesteno.

Theodorus Mopsuestenus apud Facundum Hermianensem[1], « Unum est, inquit, aliquid natura, sicuti Filius et Pater; manet autem personarum discretio, essentia quidem inseparabiliter existente una, personæ propriam habent discretionem, » etc. Sanctus Ephræm in confessione, et sui ipsius reprehensione, « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres quidem sunt personæ; sed una substantia, et una divinitas. Quamobrem et unus Deus est sancta, et consubstantialis Trinitas. » Vide et Theodoretum oratione secunda *contra Græcos*; et Gregorium Thaumaturgum in *Confessione fidei;* auctorem *Expositionis fidei*, quæ Justino Martyri tribuitur; nec non *Quæstionum, et Responsionum ad orthodoxos*, quæstionibus XVII et CXXIX.

Isidoro Pelusiota.

Isidorus Pelusiota, epistola CXLIII libri II tres in Deo hypostases, et unam naturam ita esse definit, « ut quæ singulariter dicuntur, identitatem naturæ significent; quæ autem singularem excedunt numerum, personarum proprietatem indicent, quæ in unam essentiam colligitur. Etenim diversas naturas constituere, gentilium est; unam autem personam, sive unam hypostasim, Judaicum. At personas in sanctam Trinitatem ita collatare, ut in unam substantiam colligas, rectissimum est, ac verissimum dogma[c]. » Vide ejusdem epistolam XXVII libri tertii.

XVI. Sed ante hos omnes commemorandus ille nobis est, quem imprudentes omisimus; quique de singularitate divinæ substantiæ haud satis perspicue dixisse visus est Gregorius Nyssenus. Qui quidem aliis in locis idipsum, quod superiores isti omnes, et quos deinceps nominabimus, antiqui Patres, ea de re pronuntiavit; maxime autem in *Oratione catechetica*, ubi mysterii illius altitudinem in eo contemplatur, « quod idem et sub numerum cadit, et numerationem effugit; quodque et divisim spectatur, et in unitate comprehenditur; hypostasi distinguitur, et subjecto non dividitur. Cumque rursus aliud sit illud, cujus est Verbum, et Spiritus; tamen quod distinctum in iis est, cum intellexeris, naturæ unitas partitionem excludit adeo, ut neque monarchiæ dominatus scindatur, in diversas sectus divinitates, neque cum Judaico dogmate catholica doctrina consentiat; sed inter duas opiniones media procedat veritas, quæ utramque sectam evertit, et ab utraque, quod utile est, colligit. Nam Judaicum dogma destruitur tum eo, quod Verbum admittitur, tum fide in Spiritum sanctum. Gentilium autem multiplicibus de diis aboletur error, quod naturæ unitas multorum deorum imaginationem auserat. Rursus autem ex Judaica opinione naturæ unitas maneat, ex gentili superstitione solum discrimen hypostaseon; ita ut impio decreto congruum utrumque remedium adhibeatur. Est enim velut quædam medicina, eorum quidem, qui in uno errant, Trinitatis numerus; eorum vero, qui in multitudinem sparguntur, unitatis ratio[d]. » Hæc Gregorius

Gregorio Nysseno.

a Cyril lib. I *in Joan.* cap. III Ἀλλ' οὐκ εἰς πολύθεον ἀριθμὸν ἡ πίστις. εἷς δὲ θεὸς ὁ πατὴρ, ἀναβαίνοντος εἰς ἑνότητα τὴν πρὸς αὐτὸν τοῦ υἱοῦ, δῆλον δὲ ὅτι καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

b Cyril. IX *in Joan.* Ἐπὶ δὲ θεοῦ τοῦ κατὰ φύσιν ἐννοήσεις οὐχ οὕτως. ἰδιαζόντως μὲν γὰρ πατήρ ἐστιν ὁ πατήρ. καὶ οὐχ υἱός· καὶ πάλιν ὁμοίως υἱὸς ὁ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐ πατήρ. καὶ πνεῦμα τὸ πνεῦμα ἰδίως. ἀλλ' εἰς μίαν θεότητος φύσιν συνιούσης τε, καὶ συνειλεγμένης τῆς ἁγίας τριάδος εἷς θεὸς ἐν ἡμῖν,

c Isidor. Pelus. Ὡς εἶναι τὰ μὲν ἑνικῶς λεγόμενα τῆς ταὐτότητος τῆς φύσεως παραστικά. τὰ δὲ ὑπερβαίνοντα τὸν ἑνικὸν ἀριθμὸν τῆς τῶν ὑποστάσεων ἰδιότητος τῆς εἰς μίαν οὐσίαν συναναγομένης. τὸ μὲν γὰρ διαφόρους φύσεις ὑποτίθεσθαι, ἑλληνικόν· τὸ δ' ἓν πρόσωπον, ἤγουν μίαν ὑπόστασιν, Ἰουδαϊκόν. τὸ δὲ πλατύνοντα εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα τὰς ὑποστάσεις, εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, ὀρθότατόν ἐστι, καὶ ἀληθέστατον δόγμα.

d Gregor. Nyss. orat. *Cat.* Πῶς τὸ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν, καὶ διῃρημένως ὁρᾶται, καὶ ἐν μονάδι καταλαμβάνεται, καὶ διακέκριται τῇ ὑποστάσει, καὶ οὐ μεμέρισται τῷ ὑποκειμένῳ· καὶ ἄλλο πάλιν ἐκεῖνο, οὗ καὶ ὁ λόγος ἐστὶ, καὶ τὸ πνεῦμα. ἀλλ' ἐπειδὰν τὸ διακεκριμένον ἐν τούτοις κατανοήσεις, πάλιν ἡ τῆς φύσεως ἑνότης τὸν διαμερισμὸν οὐ

1 Facun. lib. IX.

Nyssenus: in quibus aperte, accurateque individuam naturæ, et essentiæ singularitatem explicat, et omnem, quam ex superioribus illius verbis ceperamus, suspicionem partibilis unitatis abstergit; cujusmodi in humana natura, vel alia quavis specie a philosophis ponitur. Apud Joannem Cyparissiotam alter Gregorii Nysseni locus affertur ex libro [1], *Quæ sit christiani professio.* Sed ille in tractatu, sive epistola *de Trinitate ad Eustathium medicum*, legitur, quæ inter Nysseni opera exstat, nec non inter Basilii epistolas collocatur ordine LXXX. Qua in epistola cum alia pleraque de eodem argumento traduntur, ac naturæ singularitas ostenditur, tum ea, quæ Cyparissiota commemorat. « Nam qui condemnat eos, qui unam divinitatem asserunt, necesse est ut vel multas dicenti, vel nullam prorsus assentiatur. Non enim aliud quiddam, præter id, quod dictum est, excogitari potest. Atqui neque multas dicere, Scripturæ doctrina permittit; quæ sicubi divinitatis meminit, singulariter eam exprimit. Quale est illud : *In eo habitat omnis plenitudo divinitatis* [2]. Et alio loco : *Nam invisibilia ejus a creatione mundi ex operibus intellecta conspiciuntur, et sempiterna ipsius vis, et divinitas* [3]. Quare si in multitudinem exstendere numerum divinitatum ad eos solos pertinet, qui laborant errore multitudinis deorum, universe vero divinitatem negare, atheorum proprium est; quænam illa ratio est, quæ nos propterea in invidiam adducit, quod unam divinitatem profitemur [a] ? » Hactenus Nyssenus, vel Basilius; nunc reliquos audiamus.

XVII. Proclus Constantinopolitanus in epistola *ad Armenos* « Arii insaniam notat, dividentem impartibilem Trinitatem [b]. » Proclo Constant.

Maximus item martyr in centuria secunda *de Charitate*, Tritheitas rejicit tres Deos asseverantes : « Oportet enim, ait, et unum retinere Deum, et tres hypostases confiteri, ut ait magnus Gregorius, et unamquamque cum sua proprietate. Nam dividitur quidem, sed individue, ait idem; et conjungitur quidem, sed divisim. Propterea mirabilis est et divisio pariter, et unitio. Alioqui quod habet admirationis, si ut homo homini unitus est, et ab eo separatus, ita et Patri Filius; neque quidquam inest amplius [c] ? » Maximo martyre.

Mediolanensis synodus, cui Mansuetus ejus urbis episcopus præfuit, in epistola synodica *ad Constantinum Pogonatum*, quæ est initio sextæ synodi, « Profitemur, inquit, nos credere in indivisibilem sanctam Trinitatem, hoc est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum, ita unum, ut trinum, et ita trinum, ut unum. Trinitatem in distinctis, atque discretis personis, hoc est Patrem, ex quo omnia; Filium, per quem omnia; Spiritum sanctum, in quo omnia; unius tamen divinitatis, unius essentiæ, uniusque substantiæ. » Mediolanensi synodo.

Sophronius item Hierosolymitanus in epistola *ad Sergium Constantinopolitanum*, quæ est in actione undecima sextæ synodi, « Trinitatem, inquit, in unitate credimus, Sophronio Hierosolymitano.

προσίεται. ὥστε μήτε τὸ τῆς μοναρχίας σχίζεσθαι κράτος εἰς θεότητας διαφόρους κατατεμνόμενον, μήτε τῷ Ἰουδαϊκῷ δόγματι συμβαίνειν τὸν λόγον· ἀλλὰ διὰ μέσων τῶν δύο ὑπολήψεων χωρεῖν τὴν ἀλήθειαν, ἑκατέραν τε τῶν αἱρέσεων καθαιροῦσαν, καὶ ἀφ' ἑκατέρας παραδεχομένην τὸ χρήσιμον. τοῦ μὲν γὰρ Ἰουδαίου καθαιρεῖται τὸ δόγμα, τῇ τε τοῦ λόγου παραδοχῇ, καὶ τῇ πίστει τοῦ πνεύματος. τῶν δὲ ἑλληνιζόντων ἡ πολύθεος ἐξαφανίζεται πλάνη, τῆς κατὰ φύσιν ἑνότητος παραγραφομένης τὴν πληθυντικὴν φαντασίαν. πάλιν δὲ αὖ ἐκ τῆς Ἰουδαϊκῆς ὑπολήψεως ἡ τῆς φύσεως ἑνότης παραμενέτω· ἐκ δὲ τοῦ Ἑλληνισμοῦ, ἡ κατὰ τὰς ὑποστάσεις διάκρισις μόνη, θεραπευθείσης ἑκατέρωθεν καθαλλήλως τῆς ἀσεβοῦς ὑπονοίας. ἔστι γὰρ ὥσπερ τις θεραπεία τῶν μὲν περὶ τὸ ἓν πλανωμένων, ὁ ἀριθμὸς τῆς τριάδος. τῶν δὲ εἰς πλῆθος ἐσκεδασμένων, ὁ τῆς ἑνότητος λόγος.

a Basil. epist. LXXX. quæ est tom. II Gregor. Nyss. Ὁ γὰρ καταγινώσκων τῶν μίαν λεγόντων θεότητα, ἐξ ἀνάγκης ἢ τῷ πολλὰς λέγοντι, ἢ τῷ μηδεμίαν συνθέσεται. οὐ γὰρ ἔστι δυνατὸν ἕτερόν τι παρὰ τὸ εἰρημένον ἐπινοῆσαι. ἀλλ' οὔτε πολλὰς λέγειν συγχωρεῖ ἡ τῆς γραφῆς διδασκαλία, εἴ που καὶ μέμνηται μοναχῶς τῆς θεότητος μνημονεύουσα· ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλέρωμα τῆς θεότητος. καὶ ἑτέρωθι· τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θεότης. εἰ οὖν εἰς πλῆθος ἐκτείνειν τὸν ἀριθμὸν τῶν θεοτήτων, μόνων τῶν τὴν πολύθεον πλάνην νενοσηκότων ἐστί· τὸ δὲ καθόλου ἀρνεῖσθαι τὴν θεότητα τῶν ἀθέων ἂν εἴη· τίς λόγος ἐστὶν ὁ διαβάλλων ἡμᾶς ἐπὶ τῷ μίαν ὁμολογεῖν θεότητα.

b Procl. Τὴν Ἀρείου μανίαν διαιροῦσαν τὴν ἀμέριστον τριάδα.

c Maximus. Χρὴ γὰρ καὶ τὸν ἕνα θεὸν τηρεῖν, καὶ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ὁμολογεῖν, κατὰ τὸν μέγαν Γρηγόριον, καὶ ἑκάστην μετὰ τῆς ἰδιότητος· καὶ γὰρ διαιρεῖται μὲν, ἀλλ' ἀδιαιρέτως κατὰ τὸν αὐτόν· καὶ συνάπτεται μὲν, διῃρημένως δέ· καὶ διὰ τοῦτο παράδοξος καὶ ἡ διαίρεσις, καὶ ἡ ἕνωσις. ἐπεὶ τί ἔχει τὸ παράδοξον, εἰ ὡς ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ ἡνῶται, καὶ κεχώρισται, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, καὶ οὐδὲν πλέον;

1 Dec. IX, cap. II. — 2 *Col.* II, 9. — 3 *Rom.* I, 20.

et unitatem in Trinitate glorificamus: Trinitatem quidem ob tres subsistentias; unitatem vero ob singularitatem divinitatis. Etenim sancta Trinitas numerabilis est personalibus subsistentiis; sanctissima vero unitas est extra numerationem omnem [a]. » Ac paulo post, « Idem enim et numerabile quidem tribus suis subsistentiis; effugiens autem numerum singularitate deitatis. Nam singularitas ipsius substantiæ, et naturæ numerari omnino respuit, ne differentiam deitatis inducat, adeoque substantiæ, ac naturæ, et ex monarchia, id est unius principatu, deorum multitudinem efficiat. Etenim numerus omnis differentiam habet adjunctam; atque omnis differentia, et distinctio congenitum una secum infert numerum. Numeratur ergo beata Trinitas non substantiis, ac naturis, aut diversis deitatibus tribusve dominationibus. Absit. Sicut insaniunt Ariani, et novi Tritheitæ, id est triplicis deitatis antistites furiose latrant, dum naturas tres, ac dominatus tres, et tres similiter deitates inaniter prædicant [b]. » Alludit autem ad exortam superiore sæculo Tritheitarum hæresim, auctore Joanne Philopono, qui deos tres, id est personas æquales, et ὁμοουσίους asserebat; in quo ab Ario dissidebat, qui unum e tribus solum, verum, ac summum agnoscebat Deum; reliquos duos voce tenus, ac reipsa creaturas esse dicebat. Solent tamen sancti Patres Ario Tritheismum impingere; ut præter illos, quorum ante meminimus, Mansuetus episcopus, sive potius synodus Mediolanensis paulo ante commemorata; cujus in synodica sic habetur: « Cujus tempore (Constantini M.) dum pestifer morbus, et omni calliditate grassantior, intolerabilis Arii tyrannidis in Dei Ecclesia serpere cœpisset, qui tres naturas in sancta Trinitate, hoc est tres deos ausus est prædicare, » etc. Tum in fidei confessione distinctius hoc idem explicans, « Non tres naturas, inquit, introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres deos prædicavit, excellentiorem, minorem, et inferiorem. »

Plura Sophronius ibidem, et alia de eodem argumento disserit, ut unicam, et singularem essentiam ac deitatem, non tres esse demonstret. Idemque docet, ac latius explicat Constantinus Pogonatus imperator edicto; quod est in actione ejusdem synodi XVIII et ultima. Joannes Cyparissiota synodi illius sextæ testimonium refert [1], quod est in epist. Sophronii his verbis: « Neque vero tres aliquos deos novimus, sive tres quasdam naturas, aut tres aliquas substantias, aut tres aliquas deitates scimus, non congeneres, non ejusdem formæ, vel disparis. Sed nec omnino deos, aut naturas, aut substantias, aut deitates novimus, vel cognoscentes scimus. Sed et qui has habet, aut sapit, aut novit, eum anathemate damnamus [c]. »

XVIII. Anastasius Sinaita libro primo *de Rectis fidei catholicæ dogmatibus*, multus est in eo demonstrando, pro hypostaseon numero, ac diversitate, non multiplices, ac diversas esse naturas, neque eas particulares dici; alioqui, quod absurdissimum judicat, non unam fore, sed tres essentias. Deinde, « Veritatem, inquit, detorquet, ac depravat quisquis pro uno tres opinatur esse deos. Sed enim ille censet subsistere deos, qui personas nominatim dicit suas habere peculiares naturas. Quod si ipsis personis peculiares naturæ essent, Deus autem natura; cum Propheta dicat, *Deus autem noster in cœlo, et in terra*; et, *Cognoscant, quia tu Dominus Deus solus*; de quo utique trium dicit hoc? Neque enim adjecit significationem multitudinis; peculiares autem naturæ subindicant multitudinem. Quod si sermo est de divina essentia, quæ unica est, et simplex; Anastasio Sinaita.

a Sophr. act. II synod. sextæ. Τριάδα γὰρ ἐν μονάδι πιστεύομεν, καὶ μονάδα ἐν τριάδι δοξάζομεν. τριάδα μὲν ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσιν· μονάδα δὲ, τῷ μοναδικῷ τῆς θεότητος. ἥ τε γὰρ ἁγία τριὰς ἀριθμητὴ ταῖς προσωπικαῖς ἐστιν ὑποστάσεσιν· ἥ τε παναγία μονὰς πάσης ἐκτός ἐστιν ἀριθμήσεως.

b Ibid. Τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν· ἀριθμητὸν μὲν ταῖς ἑαυτοῦ τρισσαῖς ὑποστάσεσι· διαφεῦγον δὲ τῷ ἑνικῷ τῆς θεότητος τὴν ἀρίθμησιν. τὸ γὰρ ἑνικὸν αὐτοῦ τῆς οὐσίας, καὶ φύσεως ἀριθμεῖσθαι παντελῶς οὐκ ἀνέχεται, ἵνα μὴ καὶ διαφορὰν εἰσοίσῃ θεότητος, καὶ λοιπὸν οὐσίας, καὶ φύσεως, καὶ πολυθείαν τὴν μοναρχίαν ἀπεργάσοιτο· πᾶς γὰρ ἀριθμὸς τὴν διαφορὰν κέκτηται σύνοικον, καὶ πᾶσα διαφορὰ, καὶ διάκρισις τὸν ἀριθμὸν συνεπάγεται σύμφυτον. Ἀριθμεῖται γοῦν ἡ μακαρία τριὰς οὐκ οὐσίαις, καὶ φύσεσι, καὶ διαφόροις θεότησιν, ἢ τρισσαῖς κυριότησιν· ἄπαγε· ὡς Ἄρειοι μαίνονται, καὶ οἱ τῆς νέας τριθεΐας λυττῶσιν ἡγούμενοι, οὐσίας τρεῖς, καὶ φύσεις τρεῖς, καὶ τρεῖς κυριότητας, καὶ τρεῖς ὁμοίως κενολογοῦντες θεότητας.

c Sophron. in act. XVIII synod. sex. Οὔτε δὲ τρεῖς τινὰς θεοὺς ἐπιστάμεθα, ἢ τρεῖς τινας φύσεις, ἢ τρεῖς τινας οὐσίας, ἢ τρεῖς τινας θεότητας οἴδαμεν, οὐχ ὁμογενεῖς, οὐχ ὁμοειδεῖς, οὐχ ἑτεροειδεῖς. ἀλλ' οὔτε δὲ ὅλως θεοὺς, ἢ φύσεις, ἢ οὐσίας, ἢ θεότητας ἔγνωμεν, ἢ γινώσκοντας οἴδαμεν. ἀλλὰ καὶ τὸν ἔχοντα, ἢ φρονοῦντα, ἢ γινώσκοντα τοῖς ἀναθέμασι βάλλομεν.

1 Cypar. dec. IX, cap. II

hanc porro eloquia divina unum Deum appellant; etsi tres proprietates habet, profecto natura una est, et pariter essentia divinitatis. Quod si una est, nemo adstruat particulares esse essentias, si quis ejurat, et respuit nominatim statuere multitudinem deorum. Siquidem origo numerosæ multitudinis deorum demonstrata est irrepsisse ex eo, quod nominatim posuerint particulares naturas: » Addit peculiarem a se librum editum esse *adversus eos, qui dicunt tres essentias*, cum hac recens *hæresis* esset exorta. Sed et in eodem libro, nefarium ait esse *sentire partiales essentias: unum* quippe *individuam esse substantiam*. Idem Anastasius una cum Cyrillo in compendiaria fidei explicatione [a], quæ ex utroque Græce, Latineque publicata est, sæpe hoc inculcant, neque tres esse naturas, sed unam φύσιν, et θεότητα, « quæ in tria distinguitur propter hypostases; et in unitatem incurrit, habita essentia ratione [b]. »

ario. Cæsarius dialogo I *ad Interrogationem* III, « Neque tres hypostases, ait, totidem in naturas secant unam divinitatis substantiam; neque una substantia in unam personam collecta est [c]; » quam deinde vocat τριάδα ἐν μονάδι, *Trinitatem in unitate.* Porro Cæsarius iste vulgo perperam inscribitur Gregorii Nazianzeni frater. Est enim multo recentior, ut qui Trisagii hymni meminerit [1], qui Proclo Constantinopolitanam Ecclesiam administrante sub annum Christi CDXLVII, cœlitus allatus dicitur.

sceno. XIX. Damascenus vero egregie, eruditeque id affirmat in primo *de Fide orthodoxa*, cap. XI. Ibi enim primum hoc constituit, aliud esse reipsa considerare, et aliud ratione, vel cogitatione. Tum in eo differre ait creatas res a Deo, quod in illis hypostaseon distinctio in re sit. « Nam reipsa Petrus a Paulo discrepare cernitur; communitas autem, et naturæ conjunctio, atque unio, ratione, et cogitatione spectatur. Quippe mente hoc concipimus, Petrum et Paulum ejusdem esse naturæ, ac communem habere naturam unam; quoniam unusquisque ipsorum animal est rationabile, mortale. Proinde communis ipsa natura ratione considerabilis est; at singillatim unaquæque, et per partes, hoc est per se ipsa, separata est, ac multis prædita, quæ ipsam ab altera disjungunt, » cujusmodi sunt proprietates, ac notæ particulares; « tum vero præ cæteris eo ipso, quod non insunt invicem, sed separatim existunt. Unde et duo, et tres homines dicuntur, et multi. Hoc vero in omni re creata videre licet. At vero in sanctissima Trinitate contra res habet. Ibi enim, quod commune est, et unum, reipsa consideratur, ob æternitatis communionem, et identitatem substantiæ, actionis, voluntatis, et ob consilii conspirationem, et identitatem potestatis, facultatis, bonitatis. Non dixi similitudinem, sed identitatem [d]. » Reliqua capitis eodem pertinent; in quibus demonstrat unam, et singularem, et eamdem esse trium personarum οὐσίαν, atque inter alia memorabile id usurpat: Substantiam. « Unumquodque illorum nihilominus ad alterum se habet, quam ad seipsum; hoc est in omnibus unum sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, exceptis proprietatibus ingeniti, geniti, et procedentis [e]. » Ita ergo, quod in Deo commune est, se habet. « Quod

a ANAST. et CYRIL. Λέγοντες οὖν τρεῖς ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα τρία, οὐ λέγομεν τρεῖς οὐσίας, ἢ τρεῖς φύσεις, ἢ θεοὺς τρεῖς, ἀλλ' ἕνα θεὸν, μίαν οὐσίαν, ἤτοι φύσιν ὁμολογοῦμεν.

b Et, Διαιρουμένη μὲν εἰς τρία διὰ τὰς τὰς ὑποστάσεις· εἰς μονάδα δὲ καταντῶσα, διὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον.

c CÆSARIUS. Καὶ οὔτε αἱ τρεῖς ὑποστάσεις εἰς τοσαύτας φύσεις τέμνουσι τὴν μίαν τῆς θεότητος οὐσίαν. οὔτε ἡ μία οὐσία εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συνελήφθη.

d DAMASC. Χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι ἕτερόν ἐστι τὸ πράγματι θεωρεῖσθαι, καὶ ἄλλο τὸ λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ. ἐπὶ μὲν οὖν πάντων τῶν κτισμάτων ἡ μὲν τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις πράγματι θεωρεῖται. πράγματι γὰρ ὁ Πέτρος τοῦ Παύλου κεχωρισμένος θεωρεῖται· ἡ δὲ κοινότης, καὶ ἡ συνάφεια, καὶ τὸ ἓν, λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται. νοοῦμεν γὰρ τῷ νῷ, ὅτι ὁ Πέτρος, καὶ ὁ Παῦλος τῆς αὐτῆς εἰσι φύσεως, καὶ κοινὴν μίαν ἔχουσι φύσιν. ἕκαστος γὰρ αὐτῶν ζῶον λογικὸν θνητὸν, etc. Αὕτη οὖν ἡ κοινὴ φύσις τῷ λόγῳ ἐστὶ θεωρητή. οὐδὲ γὰρ αἱ ὑποστάσεις ἐν ἀλλήλαις εἰσίν. ἰδίᾳ δὲ ἑκάστη, καὶ ἀναμέρος, ἤγουν καθ' ἑαυτὴν κεχώρισται, πλεῖστα τὰ διαιροῦντα αὐτὴν ἐκ τῆς ἑτέρας ἔχουσα, etc. Πλέον δὲ πάντων τῷ μὴ ἐν ἀλλήλαις, ἀλλὰ κεχωρισμένως εἶναι. ὅθεν καὶ δύο, καὶ τρεῖς ἄνθρωποι λέγονται, καὶ πολλοί. τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ πάσης ἐστὶν ἰδεῖν τῆς κτίσεως. ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας τριάδος, τὸ ἀνάπαλιν· ἐκεῖ γὰρ τὸ μὲν κοινὸν, καὶ ἓν, πράγματι θεωρεῖται, διά τε τὸ συναΐδιον, καὶ τὸ ταὐτὸν τῆς οὐσίας, καὶ τῆς ἐνεργείας, καὶ τοῦ θελήματος, καὶ τὴν τῆς γνώμης σύμπνοιαν, τήν τε τῆς ἐξουσίας, καὶ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς ἀγαθότητος ταυτότητα. οὐκ εἶπον ὁμοιότητα, ἀλλὰ ταυτότητα.

e Εν γὰρ ἕκαστον αὐτῶν ἔχει πρὸς τὸ ἕτερον οὐχ ἧττον ἢ πρὸς ἑαυτό. τουτέστιν ὅτι κατὰ πάντα ἕν εἰσιν ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, καὶ τῆς γεννήσεως, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως, etc. Ἐπινοίᾳ δὲ τὸ διῃρημένον· ἕνα γὰρ θεὸν γινώσκομεν, etc.

1 *Ad Interrog.* XXIX.

vero distinctum est, cogitatione sola divisum est, inquit. Unum quippe cognoscimus Deum.» In quo tota differentia solis in proprietatibus consistit; personæ autem sic in sese insunt mutuo, ut exceptis, quas dixi, proprietatibus, nullius omnino rei discrimen habeant. Denique nullam ait esse substantiæ sectionem adeo, ut «indivisa sit in divisis ipsa divinitas[a];» et, cum una sit, atque eadem, tria sint tamen ea, quibus inest. Hæc fere Damascenus. Qui quod asserit, sola cogitatione, non re, esse divisas hypostases, sic est intelligendus, ut essentia, et substantia non sint divisæ; tametsi proprietates ipsæ per sese re, non ratione distinguantur. Vide et libri tertii caput v.

Theodoro Abucara.

XX. Theodorus item Abucara, opusculo I, negat hypostasim in Deo esse μερικὴν φύσιν, hoc est *particularem naturam*. Id enim si esset, « necesse foret Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum tres numerari particulares naturas, ac tres dici Deos, et divinitates tres; quæ est summa omnium blasphemia, sive potius christianæ professionis absoluta negatio[b].»

Thoma Hieros.

Idem in epist. quam Thomæ Hierosolymitani patriarchæ nomine scripsit Arabice, et Michael Syncellus Græce vertit, « Non est, inquit, constituendum naturam idem esse atque hypostasim; vel hypostasim idem, quod naturam. Alioqui nobis omnibus christianis id accidet, ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum tres naturas esse dicamus, quemadmodum tres sunt hypostases; aut unam illos hypostasim habere, sicut habent unam naturam; utrumque autem a christiana professione est alienum, quoniam alterum Arii, alterum Sabellii dogma est. Porro veritatis iste sermo est, ut ait Gregorius theologus, unitatem esse in Trinitate, et Trinitatem in unitate adorandam. Est igitur monas, id est unitas, naturæ unitas, non unitas hypostasis. Trinitas vero hypostaseon Trinitas, non Trinitas naturarum[c]. »

Constantino Harmenopulo.

Constantinus Harmenopulus in *Professione fidei Orthodoxæ:* « Trinitatem in unitate credimus, et unitatem in Trinitate celebramus. Trinitatem quidem, ut in tribus personis, et hypostasibus divinitas spectetur; unitatem vero, quatenus hæc unius sunt substantiæ, ac divinitatis, et unus Deus. Etenim unum Deum credimus, quamvis in Trinitate noscatur; et unum Dominum confitemur, etsi in tribus hypostasibus ostendatur. Ac neque in tres divinitates, neque in tres dominatus una divinitas, et unus dominatus exorbitat. Sed neque Deus est aliter præter personas istas tres, quæ sunt Pater, Filius, et Spiritus sanctus; quæ personæ non substantiis, naturisque numerantur, sed hypostasibus, et proprietatibus intelligibilibus, ac perfectis. Quippe sanctissima Trinitas personis dividua, individua est substantia, et divinitate[d]. »

Postremo Joannes ipse Cyparissiota decade IX, c. IX. « Una, inquit, ut diximus, est essentia Trinitatis, et una solum semper. Hæc igitur essentia singularissima trium, » etc. Et cap. X. « Atque hoc est illud mirum in modum ingens, et arcanum, atque abditum, et quod nulli naturæ in ulla re contingit, quomodo trium personarum, et, si fas est dicere, trium subjectorum una est essentia actu, sola, et tota in unaquaque persona, ut si una persona absolute existeret. Unam essentiam actu dico magis unam, quam quæ est maxime omnium singularis. »

Quid quod et Joannes Philoponus Tritheitarum, ut ferunt, auctor, tamen de divinæ

a DAMASC. Ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης.

b THEOD. ABUC. opusc. I. Εἰ γὰρ φύσις μερικὴ, κατ' ἐκείνους νοουμένη, ὑπόστασίς ἐστιν, ἀνάγκη πᾶσα κατ' αὐτοὺς, τόν τε πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τρεῖς μερικὰς ἀριθμεῖσθαι φύσεις, καὶ τρεῖς ὁμολογεῖσθαι θεοὺς, καὶ τρεῖς θεότητας· ὃ δὴ βλασφημιῶν ἐστιν ἁπασῶν ἀκροτάτη, μᾶλλον δὲ τοῦ Χριστιανισμοῦ παντελὴς ἄρνησις.

c THEOD. ABUC. opusc. IV. Μὴ ποιητέον δὲ τὴν φύσιν ὑπόστασιν, ἢ τὴν ὑπόστασιν εἶναι φύσιν. εἰ δὲ μὴ, πάσιν ἡμῖν τοῖς Χριστιανοῖς συμβήσεται λέγειν τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τρεῖς φύσεις, ὥσπερ εἰσὶ τρεῖς ὑποστασεις· ἢ μίαν αὐτούς ἔχειν ὑπόστασιν, ὃν τρόπον μίαν ἔχουσι φύσιν. ἀμφότερα δὲ τῆς τῶν Χριστιανῶν ὁμολογίας ἀλλότρια. ἐπειδὴ τὸ μὲν Ἀρείου, τὸ δὲ Σαβελλίου πέφυκε φρόνημα. ὁ μέντοι τῆς ἀληθείας λόγος, ὡς θεολόγος ἔφη Γρηγόριος, μονάς ἐστιν ἐν τριάδι, καὶ τριὰς ἐν μονάδι προσκυνουμένη. ἔστι μὲν οὖν μονας τῆς φύσεως μονὰς, οὐ μονὰς τῆς ὑποστάσεως. ἡ δὲ τριὰς, τῶν ὑποστάσεων τριὰς, οὐ τριὰς τῶν φύσεων.

d HARMENOP. Τριάδα γὰρ ἐν μονάδι πιστεύομεν, καὶ μονάδα ἐν τριάδι δοξάζομεν· τριάδα μὲν, ὡς ἐν τρισὶ προσώποις, καὶ ὑποστάσεσι τὴν θεότητα θεωρουμένην· μονάδα δὲ, ὡς μιᾶς ὄντα ταῦτα οὐσίας τε, καὶ θεότητος, καὶ ἕνα θεόν· ἕνα γὰρ θεὸν πιστεύομεν, κἂν ἐν τριάδι γινώσκηται· καὶ ἕνα κύριον ὁμολογοῦμεν, κἂν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι δείκνυται· καὶ οὔτε εἰς τρεῖς θεότητας, οὔτε εἰς τρεῖς κυριότητας ἡ μία θεότης, καὶ ἡ μία κυριότης ἐκφέρεται. οὔτε μὴν ἕτερός τίς ἐστιν ὁ θεὸς παρὰ τὰ τρία ταῦτα πρόσωπα, ἅπερ ἐστὶν ὁ πατὴρ, ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· οὐκ οὐσίαις ταῦτα, καὶ φύσεσιν ἀριθμούμενα, ἀλλ' ὑποστάσεσι, καὶ ἰδιότησι νοεραῖς, καὶ τελείαις. ἡ γὰρ παναγία τριὰς τοῖς προσώποις διαιρουμένη, ἀδιαίρετός ἐστι τῇ οὐσίᾳ, καὶ τῇ θεότητι.

naturæ unitate, ac singularitate testimonium dixit in sexto libro *de Mundi opificio*, capite quinto? Ibi enim verba illa *Geneseos* capitis primi declarans, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, totius Trinitatis, id est naturæ singularis Dei imaginem esse hominem asserit. « Ipsum, inquit, solum imaginem Dei factum esse, hoc est unius deitatis, quæ est in Trinitate. Unde in resumptione, a numero plurali transiit ad singularem, propter singularitatem deitatis [a]. »

CAPUT XIV.

Eadem divinæ essentiæ singularitas ex Latinis Patribus adstruitur, aliisque rationibus demonstratur.

I. Catholicis Græcorum Patribus, qui singularem in personis tribus divinitatem asserunt, Latini subjiciendi sunt, qui perinde non specie tantum unam illam esse, sed etiam individuam, apertius profitentur. Horum primus citandus est Hilarius, qui in VII *de Trin.* ita scribit : « Filius namque Dei Deus est; hoc enim significatur ex nomine. Nam duos deos connumerat nomen unum, quia unius, atque indifferentis naturæ unum Deus nomen est. Cum enim et Pater Deus est, et Filius Deus est, proprium naturæ nomen in utroque sit; uterque unum sunt. Quia cum subsistat Filius ex nativitate, naturæ unitatem tamen conservat in nomine; nec ad professionem duum deorum nativitas Filii credentium fidem cogit, quæ Patrem, et Filium unius profitetur et nominis. » Hic *unam* et *indifferentem naturam* Patris, ac Filii esse testatur, ut quamvis unus nascatur ex altero, non tamen plures numerentur dii; quod verum esse non potest, nisi unica, singularisque sit divinitas. Et in VIII verba illa Christi ex c. XVII, 21 *Joannis* expendens, *Sicut tu Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi unum sint in nobis;* docet multo majorem Patris, et Filii unitatem esse, quam sit hominum inter se. « Sed quia soli Patri, et Filio ex natura proprium est, ut unum sint, quia Deus ex Deo, et unigenitus ex innascibili, non potest nisi in originis suæ esse natura, ita ut et in substantia nativitatis suæ, qui genitus est, existat, neque aliam, ac diversam divinitatis nativitas habeat, quam ex qua profecta est, veritatem. » Proinde major est Patris, et Filii unitas, quam quæ speciei communione censetur. « Apostolica igitur fides, ait idem in septimo, sive Patrem prædicabit, prædicabit Deum unum, sive Filium confitebitur, confitebitur Deum unum; quia et eadem, atque indissimilis Dei natura sit in utroque; quod dum et Pater Deus, et Filius Deus est, et unum sit naturæ nomen utrisque, unus utrumque significat. Nam ex Deo Deus; vel in Deo Deus, nec duos deos perficit, tum unus ex uno in naturæ nomine unius maneat; nec in solitarium Deum deficit, cum unus, et unus in significatione non solus sit. » Atque hoc insuper alio in loco declarat : « Deus enim uterque unus est, non ut unus divisus in duos sit, aut uterque ipse sit, ut nuncupatio sola fecerit Patrem, et Filium, non natura gignendi; sed idcirco Deus unus, quia neque duo innascibiles, neque unigeniti duo, sed unus ex uno, et ambo unum, non dissimili scilicet, aut differenti a se substantia divinitatis in utroque [1]. » Sic idem paulo ante scripserat : « Pater autem Filium, quem ex se genuit, non separat a se differentia divinitatis. » Et in libro *de Synodis* : « Deorum numerositate damnata, et Deo tantum uno prædicato, negari Deus filius Dei non potest. Verum naturæ istud præstat genuina proprietas, ut nomen, quod negatur, ad numerum debeatur essentiæ, etc. Sed nos, cum duos deos negamus, diversitatem in Patre, et Filio naturalis abominamur essentiæ; quia id, quod non est Deus præter me, impiam de falsis diis perimit opinionem. Cum vero unum Deum confitentes, Filium quoque Deum dicimus, nihil diversum per substantiam in utroque sub uno nomine prædicamus [2]. » Tum quibusdam interjectis, « Una igitur substantia, si non personam subsistentem perimat, nec unam substantiam partitam in duos dividat, religiose prædicabitur. »

Lucifer Calaritanus æqualis Hilarii non semel « unam esse deitatem » affirmat Patris et Filii; atque « et perfectam esse divinam Trinitatem, et unam habere substantiam [3]. » Marius Victorinus, lib. I *cont. Arium*, « eamdem substantiam amborum esse dicit, ac cætera omnia. Dei enim eadem ipsa est et potentia, et

Lucifero Calaritano.

a Philop. Ἀλλ' αὐτὸν μόνον εἰκόνα θεοῦ γεγονέναι, τουτέστι τῆς ἐν τριάδι μιᾶς θεότητος· ὅθεν καὶ ἐν τῇ ἐπαναλήψει ἀπὸ τοῦ πληθυντικοῦ μετῆλθεν ἐπὶ τὸ ἑνικὸν, διὰ τὸ μοναδικὸν τῆς θεότητος.

1 In *Psal.* CXXII. — 2 Art. 49. — 3 Lib. *De non conven. cum. hæret.*

substantia, et divinitas, et actio. Omnia enim, et unum simplex [1]. » Quibus verbis ostendit summam esse unitatem, ac singularem substantiæ divinæ, quæ est eadem in utroque. Et in quarto libro « Deum ait esse unum, et solum. Illa vero tria, hoc est, personas tres, « non copulatione consistere, sed necessario unum esse, nec uno modo alterum. » Et in libro III : « Omnia ergo ibi substantialiter simplicia, inconnexa, unum numero, unum nec numero unum, sed ante numerum unum, id est, ante unum, quod est in numero, hoc est plane simplex solum sine phantasia, quod est alterum. » Idem in hymno primo.

« Hinc substantia unum ambo, fons Deus,
[flumen Filius. »

Et

« Hinc singulis vera, hinc tribus una sub-
[stantia est,
Progressa a Patre Filio, et ingressa a Spiritu.»

Verbum. Et in tertio hymno : « Una igitur Deus λόγος, spiritusque substantia est, manens in tribus, existensque ter in omnibus tribus. Hoc autem et forma, et cognoscentia est. Sic triplicatur omnia simplex singularitas. »

Ambrosio. Ambrosius item libro *in Symb. Apost.* « Adoremus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; in Filio Patrem, in Spiritu autem sancto Patrem, et Filium intelligentes; distinguentes, antequam conjungamus, et jungentes, antequam dividamus, unitatem in Trinitate venerantes, et trinitatem in unitate confitentes [2]. » Tum lib. I *de Fide*, c. XI : « Unum ergo Deum, non duos, aut tres deos dicimus, ut impia Arianorum hæresis, dum criminatur, incurrit. Tres enim deos dicit, qui divinitatem separat Trinitatis, etc. Non enim dividitur unitas, nec scinditur, » Ac subinde, « Est enim plenitudo divinitatis in Patre, est plenitudo divinitatis in Filio, non discrepans, sed una divinitas. Nec confusum, quod unum est, nec multiplex, quod indifferens. Etenim, si *omnium credentium,* sicut scriptum est, *erat anima una, et cor unum* [3]; si *omnis, qui adhæret Domino, unus spiritus est* [4], ut Apostolus dixit; si vir, et uxor in carne una sunt; si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus; si hoc de humanis Scriptura dicit, *quia multi unum sunt*, quorum nulla potest esse cum divinis comparatio; quanto magis Pater, et Filius in divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ, nec voluntatis ulla est differentia? Namque aliter quomodo unum Deum dicimus? Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est. » Et in quarto libro, capite secundo, « Non sunt, inquit, duæ divinitates, sed una divinitas. » Vide et libri quinti caput primum. Sed eximius est ejusdem locus in libro *de Dignit. cond. hum.* cap. II. « Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. » Ac postea : « Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt; et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab eo non sint separata; et ipsum ipsa quod ipse, et ipsum ipse quod ipsa; et non ipsum ipsa qui ipse; et non ipsa ipse quæ ipsa. Ista duo Deus est; et ipse Deus tria est; et unumquodque horum trium Deus est; et omnia tria illa non dii, sed Deus est. » Et in *Exhortat. ad Cler.* super *Ecclesiastæ* cap. IV. « Tria enim, quæ non sunt composita, non rumpuntur. Trinitas itaque incompositæ naturæ rumpi non potest, quia Deus unum, et simplex, et incompositum est quidquid est. » Ubi naturam bonitatis incompositum esse cum dicit, unam numero, ac singularem necessario demonstrat. Nam si plures essent, numerum utique, et compositionem facerent. Et in caput III epistolæ *ad Gal.* « Sive enim Pater, sive Filius, Deus unus est, Deus enim naturæ nomen est, et potestatis, quam in Patre, et Filio individuam manere ipsa nominum ratio docet. »

Hieronymus, epistola LVII *ad Damasum*, unam usiam, sive hypostasim agnoscit, aut substantiam, personasque tres. « Tota, inquit, sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasin, nisi usiam, novit. Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Una est Dei, et sola natura, quæ vere est. » Ac mox : « Sed quia illa sola natura est perfecta, et in tribus personis deitas una subsistit, quæ est vere, et una natura est : quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostases, id est, usias dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere. » Hieronymo.

Philastrius Brixiensis in hæresi XLV. « Trium

1 Lib. *De non parcen. in Deum delinq.* et in lib. *Quod mor. sit pro Dei Fil.* — 2 Cap. v. — 3 *Act.* XIV, 32. — 4 I *Cor.* VI, 17.

[Ph]ilastrio [B]rixiensi. itaque harum personarum una est veritas, majestas, et substantia, æqualitas, et divinitas sempiterna. Qualis est enim immensa, et inenarranda Patris persona, talis est Filii, talis est sancti Spiritus; ut in distinctione nominum, ac trium personarum non sit aliqua naturæ diversitas. »

[A]ugustino. Transeo ad Augustinum; cujus in XI *de Civit. Dei* cap. XIV verba sunt ista: « Credimus, et tenemus, et fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, etc. Atque hoc totum et Trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem divinitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam; ita tamen, ut etiam, cum de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus, et omnipotens esse respondeatur; cum vero de omnibus simul, non tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta est ibi in tribus inseparabilis unitas, quæ sic se voluit prædicari. » Et disertissime in concione I *ad Psal.* LXVIII: « Quæris, quid sit Pater? respondetur Deus. Quæris, quid sit Filius? respondetur Deus. De solo Patre interrogatus, Deum responde; de utroque interrogatus, non deos, sed Deum responde. Non sicut in hominibus, quæris, quid sit pater Abraham? respondetur homo; substantia ejus respondetur. Quæris, quid sit filius ejus Isaac? respondetur homo, ejusdem substantiæ Abraham, et Isaac. Quæris, quid sit Abraham, et Isaac? Non respondetur homo, sed homines. Non sic in divinis; tanta enim ibi est substantiæ societas, ut æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. » Et in epistola LXVI *ad Maximum*: « Propter unam eamdemque naturam, atque inseparabilem vitam, ipsa Trinitas, quantum ab homine potest, fide præcedente, intelligitur unus Dominus Deus noster. » Tum postea: « Et hæc omnia nec confuse unum sunt, nec distincte tria sunt; sed cum sint unum, tria sunt, et cum sint tria, unum sunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium suorum donavit, ut essent cor unum, quanto magis conservat in seipso, ut sint hæc tria, et singula Deus, et simul omnia non tres dii, sed unus Deus? » Hinc apparet Augustinum unam et singularem agnovisse divinitatem, non quo modo plura sub eadem specie hominis individua unum esse dicuntur, sed ut individua quælibet essentia numero est una. Sic etiam in primo de *Trinit.* c. IV catholicam esse fidem ait, « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuare unitatem; ideoque non esse tres deos, sed unum Deum. » Et in libro *de Agone christiano* [1], cum dixisset, « Credamus ergo in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; hæc æterna sunt, et incommutabilia, id est unus Deus; unius substantiæ, trinitas æterna; » mox ista subjicit: « Nec eos audiamus, qui indignantur, et stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim, quod sit una, eademque substantia, et phantasmatibus suis illuduntur; quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcumque corpora tria locis suis esse separata. Si putant intelligendam substantiam Dei, et multum errant, » etc. Ac subinde Arianos rejicit, qui non solum tres essentias ponebant, sed etiam Filium, et Spiritum sanctum inferioris gradus, ac dignitatis esse. Unde priores illi, quos audiendos non esse dixit, ob id unum exclusi sunt ab Augustino, quod naturas, et essentias, quamlibet æquales, numero tamen tres inducerent. Atque hoc in lib. *cont. Serm. Arian.* capite XXXIV tom. VI evidenter asserit, ubi quod Ariani pugnabant non esse unum et idem Patrem, et Filium, « ex parte, inquit, aliqua verissime dicunt; sed ea contra Sabellianos, non contra catholicos dicunt. Illi enim unum et eumdem dicunt Filium esse, qui Pater est. Nos autem Patrem gignentem, et Filium genitum duas dicimus esse personas, sed non duas, diversasque naturas. Non ergo unus, et idem est Pater, et Filius, sed unum sunt Pater, et Filius. » Legendum et caput sextum libri septimi *de Trinitate.*

IV. Paulinus vero epistola XXVII *ad Victricium*: « Cum ergo fides, et confessio tua (ut credimus, atque confidimus) coæternam Trinitatem unius divinitatis, et substantiæ, et operis, et regni esse testetur; cumque Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, ut est qui est, et erat, et venturus est, qui misit te, sicut Mosem et apostolos, evangelizare gentibus bona Domini; quod ita, ut ipse a Deo doctus es, doces, unitatem Trinitatis sine confusione jungens, et trinitatem ipsius unitatis sine separatione distinguens ita, ut nulla alteri persona conveniat et in omni persona trium Deus unus eluceat, et tantus quidem Filius, quantus et Pater, quantus et Spiritus sanctus, sed semper quisque sui no- Paulino.

1 Cap. XIV.

minis proprietate distinctus, individuam retinet in virtutis, et gloriæ æqualitate concordiam. » Maximus Taurinensis hom. VI *in Epiphania*: « Tria quidem hæc, fratres, unius fidei mysteria recenseamus, quæ per unum Dominum dignatio Trinitatis implevit. Neque enim aliquando in operatione virtutum abesse sibi unitas potest; aut unquam separari ab invicem poterit, quod Deitate est indivisum. »

Gaudentio Brixiano.

Gaudentius Brixianus sermone VII *de Exodo:* « Unus est enim Deus, ubi deitatis nulla divisio est. Per omnes libros sanctarum Scripturarum et Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum legimus, non deos; quia deos non sinit dici unitas majestatis. Est enim sola in Trinitate personarum distinctio, non naturæ diversitas. »

Petro Chrysologo.

Petrus Chrysologus sermone LXXXVIII: « Sic est alius persona, ut sit ipse substantia; sic est ipse substantia, ut nulla sit confusio Trinitatis; sic est unitas Trinitatis, ut nulla sit in deitate distantia. Sic in se est, et sine se tota Trinitas non est, ut insit in Patre, et Filio, et Spiritu sancto personalitas diffinita, non separata divinitas. »

Faustino.

Faustinus[1] quoque contra Arianos, « Sed cum dicit, inquit, *Qui me videt*, *videt et Patrem*, sicut Patris, et Filii non unam ostendit esse personam, ita unam ostendit esse deitatem, cum in Patris, et Filii substantia nulla diversitas invenitur. » Tum subinde « inseparabilem unitatem appellat, quod uterque, id est Pater, et Filius, æqualiter, et indivise, neque secundum portionem, Deus unus, et pluralitatem, secundum hoc, quod unus Pater est, et unus Filius. »

Vincentio Lirinensi.

V. Vincentius Lirinensis *Commonitorii* capite XVIII Ecclesiam catholicam ait « unam divinitatem in Trinitatis plenitudine, et Trinitatis æqualitatem in una atque eadem majestate venerari.» Tum[2], «In Deo, inquit, una substantia, sed tres personæ. In Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate alius, atque alius, non aliud, atque aliud. In Salvatore aliud, atque aliud, non alius, atque alius. Quomodo in Trinitate alius, atque alius, non aliud, atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed tamen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non alia atque alia, sed una, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud, atque aliud, non alius, atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis, sed tamen deitas, et humanitas non alter, et alter, sed unus idemque Christus. » Igitur una, et singularis est in personis divinis essentia, vel substantia, sicut duæ sunt individuæ, ac singulares in una Christi persona. Hæc enim ambo inter se mysteria comparantur; et utrobique unitas, vel binarius eodem usurpantur modo, ut singularis, et individua natura vel una, vel duplex numero significetur. Rursus vero Maximus Taurinensis hom. *de Sancto Eusebio*, « *Qui videt*, inquit, *me*, *videt et Patrem*. Quomodo, fratres, in Patre, Filioque ejus unus esse poterat, et indiscretus aspectus, nisi esset et una, et indiscreta substantia? » Et paulo post: « At venerandus iste pater, qui legerat dixisse Dominum: *Ego in Patre*, *et Pater in me est;* sciens in hac doctrina personarum esse distinctionem, non naturæ distantiam, Patris Filiique ejus, qui non unus, sed unum sunt, indissociabilem tenuit, et docuit unitatem. » Sanctus Leo papa serm. III *de Nativit.* c. II: « Deitas autem, quæ una est in Trinitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, omnem opinionem inæqualitatis excludit. Nihil ibi habet æternitas temporale, nihil natura dissimile, una illic voluntas est, eadem substantia, par potestas, et non tres dii, sed unus est Deus, quia vera inseparabilis est unitas, ubi nulla potest esse diversitas. »

Et in epist. XCIII cap. I Sabellianam hæresim contrariam ait esse catholicæ fidei, « quæ Trinitatem unitatis sic homousion confitetur, ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales, quia unitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia. » Eucherius Lugdunensis homil. II de *Symbolo*, « Pater, Filius, et Spiritus sanctus, Deus, Deus, Deus; ter unus Deus iterari potest, discerni non potest. Cum dixeris Pater, Filius, Spiritus sanctus, personas explicuisti; cum dixeris Deus, substantiam demonstrasti. Tu vero vigilanter observa, quomodo et distinguas, et jungas. Cum diximus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ne æstimes unam credere te debere personam. Item cum dicimus unum Deum, ne putes esse plures naturas. »

VI. Idem passim et Fulgentius affirmat velut in *Responsione ad Arianorum objecta* [3]; ubi cum Ariani ex eo, quod alius est Pater,

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 667. — 2 Cap. XIX. — 3 Object. VII.

et alius Filius, itemque Paracletus, unum non posse esse Deum objicerent; sic ille ex adverso profitetur: « Vera et æterna substantia, de qua vera nativitas exstitit, sicut generando minui, dividique non potuit, ita in se tota permanens, totam se coæternæ veritati nativitatis indulsit, ut scilicet gignentis, genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret, sed etiam sine confusione, detrimentoque naturalis unitas permaneret. » Ac demum ita concludit: « Digne itaque Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, personarum proprietate servata, unum colimus Deum, quoniam fides vera nec tres deos recipit, quod faciunt pagani multicolæ, nec Deum suum creatum asserit, quod cultores prædicant creaturæ. » Hic duo quædam ab catholica fide segregat Fulgentius: alterum, deorum multitudinem quamlibet æqualium inter se, qui gentilium proprius est error: alterum eorumdem inæqualitatem, ut alius creator sit, alius creatus; quod Ariani defendebant. In libro etiam *ad Donatum*, cum alia multa ejusdem generis posuit, tum hæc capite XII: « Si quem vero audieris, ita tres personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti dicere, ut velit tres naturas istarum trium personarum asserere, Arianum hæreticum sine dubitatione intellige. » Tum in libro *de Fide ad Petrum* [1], libro *de Trinitate*, et aliis in locis idem exprimit.

Idacius [2] adversus Varimadum pluribus Scripturæ testimoniis unitatem divinitatis, et personarum trinitatem demonstrat; præsertim quod, cum ternario numero quædam propria personarum explicentur, ad unum aliquod, et singulare eadem illa rediguntur, ut in baptismi formula trinitas in tribus vocabulis, unitas in uno nomine significatur. Jam a nobis commemoratus est capite superiori Boetius; cujus ex libello, *Quare non sunt tres dii*, verba descripsimus.

Joanne Maxentio.

VII. Joannes Maxentius in libello *contra Acephalos* [3], hæreticis duas esse naturas in Christo negantibus, quod numerus omnis divisionem habet, sic occurrit, ut in sanctissima Trinitate dicat ita esse numerum, ut tamen non divisio sit, sed unitas naturæ. « Deinde, inquit, si nullatenus ea, quæ secundum aliquid discernuntur, et numerantur, possunt in unitate subsistere, quæro, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui non reipsa, sed cognitione tantum ab invicem discernuntur, quomodo non in divisione, sed in naturæ unitate subsistant. Quod si hi tres unum sunt, et personarum suarum proprietates integras, et perfectas inconfuse custodiunt, nec in divisione, sed in unitate subsistunt, restat, ut jam non omnia, quæ secundum cognitionem numerantes discernimus, etiam rebus ipsis nefarie dividamus. » Ubi, quod personas tres cognitione tantum discerni asserit, sic intelligi debet, ut a se invicem separatæ sint, et quasi divulsæ sola intelligentia, cum reipsa, et secundum essentiam unum sint, quemadmodum idem naturas in Christo duas sola cognitione discerni, dicit in dialogo secundo; et Cæsarius dial. I quæst. XCIV solem et lucem ait esse τῇ ἐπινοίᾳ χωριστὰ *cogitatione separabilia*, etsi reipsa indivisa sint. Quod si diversis numero constarent naturis, plane, absoluteque, non sola cognitione, discernerentur. Ad hæc in dialogo II Maxentius idem, « Trinitatem, inquit, secundum personas et discernimus, et numeramus, quam tamen secundum naturam, quæ una et sola est, nec discernimus, nec numeramus; quia unitas, sive singularitas, seu certe (quod melius dici puto) unio divinitatis nec discernitur, nec numeratur. »

Rustico Diacono.

Rusticus Diaconus [4] disputat. *contra Acephalos*, « Trinitas, inquit, personarum, non naturarum Trinitas est. Et rursus, dualitas non personarum, sed naturarum, dicitur circa Dominum Jesum Christum. Si igitur duas personas dicentes, Patrem, et Spiritum sanctum similiter duas naturas diceremus (quod est blasphemum) Filii esse personas, aut e converso, duas dicentes Filii esse naturas, duas, quod absit, similiter diceremus naturas Patris, et Spiritus sancti, tunc calumniis vestris occasionem non absque verisimilitudine dederimus. » Quin idem [5] postea Acephalos istos redarguit, qui tres personas totidem aiebant esse naturas: « Est autem non minus manifeste ex synodicis sanctorum Patrum doctrinis colligere, quia non sint tres naturæ sanctæ Trinitatis, sed una solaque. Si enim tres essent sanctæ Trinitatis naturæ, esset omni modo, ut tu quoque dixisti, et Filii una et individua divina natura. »

VIII. Sed finis non erit, si auctoritates singulorum hic exscribam, quæ sunt innumerabiles, maxime recentiorum [6], ex quibus paucæ

1 Cap. I, II, etc. — 2 Tom. IV *Bibl. Patrum*, initio. — 3 Tom. IV *Biblioth. Patrum*. col. 461. — 4 Tom. IV *Bibl. Patrum*. — 5 Ibid. col. 844 et seq. — 6 Vide Concil. Later. c. *Firmiter*; Tolet. XI; Alchuinum. lib. I, cap. III, IX, XII et lib. II, cap. I, III, XIV et XV; Ansel. *de Proces. Spir. sanc.*; Bern. V *de Conf.* cap. VII, VIII, IX et alios innumeros.

Unitas numerica divinæ naturæ argumentis theologicis comprobatur.

istæ sufficiunt, ut quod propositum erat, agnoscatur, divinitatem, sive naturam personis tribus communem, unam esse non specie, sed numero, et individuam ac singularem. Ut enim recte scripsit Agobardus[1], « Non est alia deitas Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed una trium deitas, et idcirco vere unus Deus. Nam si esset alia, et alia, non esset unus. » Quod quidem duobus insuper argumentis efficitur, quæ ex eorumdem Patrum sententia, disputationeque ducuntur. Alterum, quod plerique catholicam fidem mediam inter duas hæreses incedere dixerunt, Sabellianorum, et Arianorum, et ex utraque, quod utile, ac pium est, decerpere, sublato eo, quod falsum est, ac nefarium. Etenim Sabellius unam, et individuam dicebat trium esse naturam similiter, ac personam ; Arius naturas tres perinde, ac personas. Medii inter ambos catholici, naturam vel essentiam unam, personas tres asserebant. Utrimque ergo colligendum, quod commodum sit, et consentaneum vero dogmati, Patres affirmant, repudiandum vero, quod alienum est, et impium ; velut ab Sabellianis vel Judæis unitatem naturæ ; ab Arianis trinitatem personarum esse capiendam. Sic Athanasius, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Nyssenus, Cyrillus, quos superius adduximus, aliique passim ; qui quidem unitatem illam, quam naturæ divinæ tribuunt, singularem, et perfectam intelligunt. Etenim Sabellius unam numero essentiam, ut et personam statuebat. Quare cum eamdem, quam ille ponebat, unitatem, in sola essentia inesse sentiant Patres ; non specie sola, sed etiam numero, unam volunt in Deo esse naturam. Ex adverso vero, quia tres naturas, ut et personas, numero diversas Ariani profitebantur, eaque re gentiles imitabantur, qui deorum multitudinem invehunt ; iidem illi catholici Patres trinitatem, ac multiplicitatem ab essentia segregantes, et solis personis assignantes, plures numero dici naturas prohibent, etiam ὁμοτίμους, et *dignitate, ac divinitate pares.* Atque ut hic illorum sensus apertius constet, præter ea, quæ ante descripsimus, eorum testimonia, pauca hoc loco proferemus, quæ de numerica unitate perspicue loquuntur *.

IX. Gregorius Nazianzenus Athanasii fidem collaudans, utrisque illum hæreticis strenue restitisse hunc in modum prædicat : « Cum hoc intelligeret, inquit, tria hæc in unum contrahere, impii erroris esse, novique dogmatis Sabellii, qui primus divinitatis contractionem excogitavit ; et rursus tria, quantum ad naturam, distrahere, nihil aliud esse, quam portentosam divinitatis sectionem introducere ; hanc rationem tenuit, ut et unum, quantum ad divinitatem, pulchre servaret, et tria, quantum ad proprietates, pie doceret ; nec aut per unum deitatem confunderet, aut per tria distraheret, sed intra pietatis metas consisteret, immodicam in utramque partem inclinationem, et oppositionem vitans[a]. » Igitur neque naturæ dividendæ ac multiplicandæ sunt, neque personæ confundendæ. Item et oratione XXXII disputat, et in prima.

Isidorus Pelusiota libro I, epistola CXLIII, scribit, Vetus Testamentum tres in Deo hypostases, naturam unicam docere ; « ut et Judæorum minime sanam de una persona sententiam traducat ; quorum sequens vestigia Sabellius, ob ingentem Filii cum Patre æqualitatem, ad unam personam profitendam forte confirmatus est, et gentilium in diis asserandis pluribus excludat errorem, quorum Arius, et Eunomius discipuli esse convicti sunt, qui hypostaseon discrimen ad essentiam stulte, absurdeque traxerunt[b]. »

a Greg. Nazianz. orat. XXI. Ἀλλ' εἰδὼς τὸ μὲν εἰς ἀριθμὸν ἕνα τὰ τρία συστέλλειν, ἀθεότητος ὄν, καὶ τῆς Σαβελλίου καινοτομίας, ὃς καὶ πρῶτος θεότητος συστολὴν ἐπενόησε· τὸ δὲ τὰ τρία διαιρεῖν φύσεσι, κατατομὴν θεότητος ἔκφυλον· καὶ τὸ ἓν καλῶς ἐτήρησε· θεότητι γὰρ, καὶ τὰ τρία εὐσεβῶς ἐδίδαξεν· ἰδιότησι γάρ· οὔτε τῷ ἑνὶ συγχέας, οὔτε τοῖς τρισὶ διαστήσας, ἀλλ' ἐν ὅροις μείνας τῆς εὐσεβείας τῷ φυγεῖν τὴν ἄμετρον ἐπὶ θάτερα κλίσιν τε, καὶ ἀντίθεσιν.

b Isidor. Pelus. Ἵνα καὶ Ἰουδαίων στηλιτεύσῃ τὴν ὡς ἐφ ἑνὸς προσώπου οὐχ ὑγιῆ ἔννοιαν. οἷς καὶ Σαβέλλιος ἠκολούθησεν, ἴσως ἐκ τῆς ἄγαν τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα ἰσότητος, εἰς τὸ μίαν ὑπόστασιν δογματίσαι νευρωθείς, καὶ ἑλλήνων ἐξοστρακίσαι τὴν πολυθεΐαν, ὧν Ἄρειος, καὶ Εὐνόμιος ἑάλωσαν εἶναι φοιτηταὶ, τὴν τῶν ὑποστάσεων διαφορὰν, εἰς τὴν οὐσίαν παραλόγως ἑλκύσαντες.

* Sabellius unam numero personam, ac proinde naturam intelligebat; orthodoxi vero negabant esse unam numero personam, sed tres esse dicebant, hoc est tria æque perfecta individua ratione prædita, nam *persona* non est *personalitas.* Ariani nimis procul a Sabellio recedentes, non modo tria individua, sed diversæ naturæ statuebant, adeo ut Patrem solum verum Deum esse dicerent. « Hilarius *de Trinitate* lib. VII, de Sabellio II indiscretæ et indissimilis in Patre et Filio naturæ, impie arripuit unionem. » Vide sequentia ubi de Arianis et orthodoxis disputat. T. AL.

1 Serm. *de Trinit.*

Faustinus etiam libro *contra Arianos* [1], ex illorum conflictu fidei veritatem adstruit, « quæ et pluralitem personarum intelligit, et unitatem deitatis in hac pronuntiatione Domini dicentis, *Ego et Pater unum sumus.* »

Sed omnium disertissime Fulgentius libro *ad Donatum* [2], cujus hic verba ponenda sunt. « Si quem vero audieris, ita tres personas, Patris, et Filii, et Spiritus sancti dicere, ut velit tres naturas istarum trium personarum asserere, Arianum hæreticum sine dubitatione intellige. Verum est enim, quod Sabelliani de natura Patris, et Filii, et Spiritus sancti credunt; sed falsum est, quod tres personas esse non credunt. Verum est etiam, quod Arriani tres personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti dicunt; sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt. Perverse itaque Arriani naturam Trinitatis dividunt, et personas Sabelliani confundunt; cum ita sit una natura Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non una persona; quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. »

Alterum arg. deumptum e dissidio catholicorum de numero hypostaseon

X. Alterum argumentum ex dissidio illo sumitur, quo catholici inter se altercati sunt, uti supra capite tertio meminimus; cum alii unam divinitatis hypostasim, alii tres esse defenderent. Etenim qui unicam asserebant, id eo dicebant, quod hypostasin pro οὐσία, et *natura* caperent; quod ubi aliarum partium catholicis planum facere potuerunt, statim ad pacem, concordiamque reditum est. Porro qui unam hypostasim in Deo constituebant, ii singularem quamdam eo vocabulo naturam, et essentiam intelligebant; qui autem tres hypostases usurpabant, totidem proprietates, et subsistentias personarum in una, et eadem essentia. Quippe de singularitate naturæ, et individua unitate inter ambos constabat, quam qui ab trium hypostaseon mentione abhorrebant, scindi putabant ab aliis, ac dividi, ut in hominum specie communis natura humanitatis in plures individuas, singularesque tribuitur. Ut autem secus illos sentire didicerunt, et eadem unicaque manente natura, personas tantummodo distinguere, idque hypostasis voce significare; pacem cum illis, fœdusque redintegrarunt. Quæ omnia præsertim ex Athanasio constant, atque epistola illa synodica, quæ ex Alexandrino concilio ad Antiochenos data est; tum ex aliis scriptoribus, quos capite quarto produximus. Ex quibus id colligitur, constantem, ac perpetuam veterum illorum Patrum fuisse sententiam, non sola specie, sed numero, unam et individuam esse divinitatem.

Quænam observanda cum *singularis* et *individua* dicitur esse Dei natura.

XI. Quanquam in ejusmodi nominum usu, cum *singularem*, et *individuam* Dei esse naturam dicimus, proprietas est observanda significationis, ne sic singularis credatur esse natura, ut communis esse nequeat; et sic individua, ut in una tantum existat persona, vel hypostasi; qui fuit Sabellianorum, ac similium hæreticorum error, ob quem nonnulli Patres, istis repudiatis vocibus, ita divinitatem unam esse docuerunt, quomodo natura quælibet communis pluribus, una dicitur, velut humana, cujus ex æquo participes sunt homines omnes; nec de numerica, quam vocant, unitate solius essentiæ, satis aperte sunt locuti; quidam etiam singularem Deum esse perspicue negarunt, aut singularitatem a divinitate rejecerunt, ut Hilarius non uno in loco [3], et Ambrosius [4], et Augustinus [5], aliique. Nonnulli individuam Dei substantiam appellari noluerunt. Quorum omnium haud est obscura, vel iis, quæ dicta sunt, adversa ratio. Nam singularitatem pro solitudine usurparunt, quam personarum multitudo non patitur; atque idem est singularem, vel individuam non esse deitatem, ac non uni personæ convenire, sive in una subsistere, ut inter alios declarat Ambrosius lib. V *de Fide* c. I. « Evidens est igitur, ait, quia quod unius est substantiæ, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis; singularitatem hanc dico, quæ Græce μονότης dicitur; singularitas ad personam pertinet, unitas ad naturam. » Quo itidem sensu Patrem, et Filium ταὐτοούσιον dici vetant aliqui, ut Epiphanius; quod etsi proprie est *unius, ejusdemque substantiæ*, tamen sic ab illis sumitur, ut personarum solitudinem habeat, quomodo et Hilarius *unitatem*, non *unionem* inesse profitetur[6]. « Atque ita sacramentum, ait, Dei nec in solitudine, nec in diversitate consistit, cum neque aliter Deus deputetur, qui ex Deo cum naturæ suæ proprietate substiterit, neque in unione maneat, quem Patrem nativitatis veritas docet confitendum. » Etenim unio pro solitudine, et personæ singularitate ponitur. Ut in septimo ejusdem operis, « unicum, et solitarium non vult esse Deum, quando neque

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* — 2 Cap. XII. — 3 Lib. VII et VIII. — 4 V *de Fide*, cap. I et II. — 5 Lib. VII *de Trinit.* cap. IV. — 6 Hilar. lib. IX.

unio prædicato Deo Patre, et Deo Filio reperietur, neque sub indiscretæ naturæ demonstratione deorum diversitas conveniret. » Et Sabellium ibidem asserit, ex his verbis, « *Qui me videt, videt et Patrem*, indiscretæ et indissimilis in Patre, et Filio naturæ arripere unionem, non intelligentem naturalem unitatem sub nativitatis significatione monstrari. » Tum, « Æqualitas, inquit, nunquam ibi esse credetur, ubi unio est; nec tamen illic reperietur, ubi differat. Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem. » E contrario vero Maxentius [1] *unionem*, et *singularitatem* divinitati tribuit his verbis: « Trinitatem autem, sicut jam superius dictum est, secundum personas, et discernimus, et numeramus; quam tamen secundum naturam, quæ una, et sola est, nec discernimus, nec numeramus, quia unitas, et singularitas, seu certe, quod melius dici puto, unio divinitatis nec discernitur, nec numeratur. » Sed et Anselmus in fine libri *de Processione Spiritus sancti*, dum sic loquitur, « Quare Pater, et Filius, et Spiritus sanctus per hoc, quia cum est Deus in Deo, non est nisi unus Deus, servant in deitate ad similitudinem unius hominis singularitatem. » Quæ omnia conciliari facile queunt, si causas animadvertimus, ob quas veteres contraria in speciem illa dixerunt.

CAPUT XV.

De secunda causa, propter quam personæ tres unus sunt Deus, quæ est actionis et efficientiæ unitas non solum secundum speciem, sed etiam individua, quæ ex Græcis, et Latinis Patribus adstruitur. Paschasii Diaconi de ea parum commoda sententia. Item tertia causa, cur unus sit Deus, exponitur, quæ est unitas principii, nimirum quod Pater principium sit personarum cæterarum. Cur hunc ἕνωσιν *Trinitatis appellet Gregorius Nazianzenus; deque ea re Theodori Abucaræ sententia declarata. Denique quarta causa, quæ ex imagine ducitur, explicatur.*

I. Nunc cæteræ causæ persequendæ sunt, ob quas unam esse trium personarum naturam, ac deitatem, Patres ostendunt. Harum est prima ἐνεργείας, hoc est *actionis*, vel *operationis* unitas. Etenim natura quælibet propriam habet agendi vim et efficientiam, quam οὐσιώδη ἐνέργειαν a Græcis appellari diximus, lateque eam exposuimus in tertio libro *de Deo*. Est autem ejusmodi operatio, quæ ex ipsis naturæ, sive essentiæ principiis existit, adeoque cernitur in omnibus, quibus est natura communis, ut in viventibus ipsa vivendi actio, sentiendi in animantibus, in intelligentibus substantiis rationis ac voluntatis usus. Quocirca pro eo ac diversa natura est, nativæ quoque actionis illius, et ingenitæ varietas incidit; ut ubi specie est eadem natura, specie quoque sit eadem actio, numero vero sit hæc una, cum est una illa numero. « Quæ inter se sunt ejusdem operationis, et efficientiæ, ac cognitionis, et omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt » ait Hippolytus in libro *contra Beronem, et Helicem* [2]. Ac frequens illa quidem est apud veteres theologos argumentandi ratio, quæ ex ἐνεργείας unitate naturæ in Deo unitatem colligit. Sed non semper de individua et singulari illorum intelligendæ sunt sententiæ, verum de ea, quæ secundum speciem convenit, plerumque locuti sunt. Quod iisdem de causis fecerunt, atque eos instituisse diximus [3], cum de natura tribus in personis una eademque disputant. Tum enim sic Arianis repugnare cupientes, ut ne Sabellianis assentiri viderentur, de sola contendunt æqualitate personarum, et naturæ convenientia, omissa individua unitate; quæ tamen diserte ab nonnullis asseritur. « Quippe unitas operationis unitatem dat essentiæ, » ut pluribus Patrum testimoniis Martinus papa I approbavit in Lateranensi concilio [4].

Substantialem efficientiam

Ab unitate operationis colligitur naturæ divinæ unitas individua.

II. Ac naturam quidem in tribus inesse eamdem, et unam saltem eo modo, quo eadem et æquali constant homines tres, tunc probant, cum in personis iis inesse dicunt τὸ συμφυὲς καὶ σύνθρονον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ ὁμότιμον, ut Gregorius Nazianzenus[5] loquitur, hoc est *ejusdem esse naturæ, consessus, gloriæ, et honoris;* eoque spectant omnia illa Scripturæ testimonia, quibus Filium, ac Spiritum sanctum verum esse probant Deum, quod eadem faciant, quæ Pater efficere dicitur, ut est creare, sanctificare, et hujus generis alia, de quibus in secundo libro [6]. Sic Didymus in secundo libro *de Spiritu sancto* [7], « Ejusdem operationis esse Spiritum sanctum ait, cujus est Pater, et Filius, et in eadem operatione unam esse substantiam, et reciproce eorum, quæ ὁμοούσια sunt,

Ejusdem substantiæ.

1 Dial. II, tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Hippol. tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 953. — 3 Cap. x hujus libri. — 4 Consul. IV, tom. IV *Concil.* — 5 Gregor. Naz. orat. xxvi. — 6 Cap. xii et xiv. — 7 Inter Opusc. Hier.

operationem quoque non esse diversam. » Basilius quoque in secundo *adversus Eunomium*, « Quorum sunt eædem operationes, inquit, eorum et una est substantia. Operatio vero Patris et Filii una est. Velut est istud, *Faciamus hominem;* et rursus, *Quæcumque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit.* Igitur una est substantia Patris, et Filii[a]. » Et in epistola *ad Eustathium medicum.* « Igitur, inquit, operationis unitas in Patre, et Filio, et Spiritu sancto substantiam nulla re differentem evidenter ostendit. »

Gregorius item Nyssenus oratione tertia *in Orationem Dominicam* Spiritum sanctum ejusdem ac Filium naturæ esse probat ex efficientia, quæ in utroque est eadem. « Quorum autem una est efficientia, eorum natura ipsa penitus est eadem. Nam omnis efficientia facultatis est effectum. Si igitur tam efficientia, quam facultas est una, quinam diversitatem naturæ suspicari possumus[b]? » Cyrillus etiam Alexandrinus passim eodem utitur argumento, ut in libro quarto decimo *Thesauri ;* et in XXXII, ubi Filium esse naturæ ejusdem cum Patre demonstrat, quia similiter atque hic charitatem, et gratiam, aliaque dona hominum infundit animis. « Non enim unam esse concedemus naturalem efficientiam Dei et creaturæ, ne quod factum est, ad divinam evehamus substantiam, neve e contrario divinæ naturæ excellentiam in creaturis congruentem detrudamus locum. Quibus enim efficientia, et vis citra ullam diversitatem inest eadem ; necesse est, unitatem in iis servari speciei[c]. » Quoniam, ut in eodem libro scribit, « quæ secundum naturam ab mutua inter se cognatione sejuncta sunt, diversam quoque habent efficientiam[d].»

III. Hæc, et hujus generis reliqua testimonia, quæ nos prætermittere brevitatis amor hortatur, satis sunt ad unam in personis divinis approbandam substantiam specie saltem; quod ne Tritheitæ quidem, ex Joannis Philoponi secta, gravate concedent, tametsi speciei unitate constituta, etiam individua, et singularis sequitur, ut in primo libro *de Deo*, capite secundo demonstratum est. Verum ejusdem illius individuæ substantiæ testes adhibeamus veteres, qui ejus diserte meminerunt, paucos numero, sed idoneos, et alioqui in tam vulgata, tamque nota re non valde necessarios; nisi quod suscepti operis ratio ne a pervagatis quidem istis, et communibus abstinere nos funditus sinit. Accedit quorumdam error, hoc etiam tempore, scriptorum; qui de Trinitate cæteroqui cum catholica regula consentientes, de personarum actione perabsurde sentiunt. Quos antequam refellimus, prius antiquorum aliquot, quorum auctoritati etiam ipsi plurimum tribuunt, proferendæ sunt sententiæ.

Atque ut universe primum quamplurimorum, imo omnium fere Græcorum, Latinorumque Patrum testimonia colligam, singularem ἐνέργειαν trium personarum omnes illos eatenus agnovisse constat, quod Filium, necnon Spiritum sanctum, *vim*, hoc est δύναμιν, et *efficientiam*, id est ἐνέργειαν Patris esse dixerunt ; quod de Christo nominatim Apostolus in priore *ad Corinthios*, primo capite prædicat, ubi illum vocat *Dei virtutem*, *et Dei sapientiam.* Quod etiam de Spiritu sancto eadem Scriptura testatur, ut in libro quarto *de Deo*, *ejusque proprietatibus*, capite quarto docuimus. Quamobrem, cum, ut Scriptura nos docet, et ejus interpretes antiqui omnes asserunt, nihil agat Pater, nisi per Filium, et Spiritum sanctum, tanquam agendi vim, et potentiam suam (quod quemadmodum intelligi debeat, capite illo quarto declaravimus), manifestum est unam eamdemque numero actionem a personis oriri tribus, quæ quidem aut naturalis est, aut extrinsecus funditur. Nam de iis, quas *personales* operationes vocant, paulo post agam. Præter illa veterum loca, quæ illic

Singularem trium personarum efficientiam omnes Græci Patres propugnant.

a Basil. lib. II *contra Eunom.* Ὧν αἱ αὐταὶ ἐνέργειαι, τούτων καὶ ἡ οὐσία μία· ἐνέργεια δὲ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, μία· ὡς τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον· καὶ πάλιν· ἃ γὰρ ἂν ὁ πατὴρ ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱός ὁμοίως ποιεῖ. ἄρα καὶ οὐσία μία πατρὸς καὶ υἱοῦ.

Idem in epist. Eustath. Οὐκοῦν ἡ τῆς ἐνεργείας ταὐτότης ἐπὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος δείκνυσι σαφῶς τὸ τῆς οὐσίας ἀπαράλλακτον.

b Greg. Nyss. *in Orat. Dom.* orat. III. Ὧν δὲ ἡ ἐνέργεια μία, καὶ ἡ φύσις πάντως ἡ αὐτὴ τούτων ἐστίν. πᾶσα γὰρ ἐνέργεια δυνάμεως ἐστὶν ἀποτέλεσμα. εἰ οὖν καὶ ἐνέργεια, καὶ δύναμις μία, πῶς ἐστιν ἑτερότητα φύσεως νοῆσαι ;

c Cyril. Alex. lib. XXXII *Thes.* Οὐ γὰρ δήπου μίαν εἶναι φυσικὴν τὴν ἐνέργειαν δώσομεν θεοῦ, καὶ ποιήματος· ἵνα μήτε τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν θείαν ἀνάγωμεν οὐσίαν, μήτε μὴν τῆς θείας φύσεως τὸ ἐξαίρετον εἰς τὸν τοῖς γεννητοῖς πρέποντα κατάγωμεν τόπον. οἷς γάρ ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ δύναμις ἀπαραλλάκτως μία, τούτοις ἀνάγκη καὶ τὴν τοῦ εἴδους ἑνότητα σώζεσθαι.

d Cyril. ibid. Ὅτι τὰ κατὰ φύσιν τῆς ἀλλήλων ὁμογενείας διεστηκότα, διάφορον ἔχει καὶ τὴν ἐνέργειαν. Vide et lib. ult. *Thes.* et dial. III *de Trin.* et dial. V, et lib. IV *contra Nestor.*

attuli, Athanasius modo citandus est, qui hujusmodi argumentatione unam, et individuam esse deitatem, et Spiritum sanctum Deum esse demonstrat, ita scribens ad Serapionem : « Similis est ipsi sibi, et indivisa natura (Trinitas), unaque ejus operatio. Nam Pater per Verbum in Spiritu sancto omnia facit ; atque ita sanctæ Trinitatis servatur unitas. Ita unus Deus in Ecclesia prædicatur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus [a]. » Quem locum citat Joannes Cyparissiota decade nona, capite decimo. Gregorius item Nyssenus in ejus argumenti libro *ad Ablabium*, causam eamdem uberrime disserit, cur dii tres minime sint, nimirum operationis unitatem. Quippe *Dei*, ac *divinitatis* vocabula, non naturam, et essentiam significare, sed actionem, ut et nomina omnia, quæ imponimus Deo. Accidit autem, uti plures homines, etsi eadem et natura præditi sint, et facultate, vel arte, velut rhetorica, per sese tamen agant, separatimque singuli ; at in Deo personæ tres eadem operantur actione ; « propterea que in agentium multitudinem actionis nomen minime dividitur ; quoniam non separatum cujusque, ac peculiare circa aliquam rem studium est, sed quidquid fit, quod vel ad nostri providentiam, vel ad universitatis administrationem, constitutionemque pertinet, per tres quidem fit, non tamen tria sunt, quæ fiunt [b]. » Quod paulo post latius exponit ; omnem illam curam, et providentiam, ac moderationem creatarum rerum asserens « unicam esse, non tres, quæ ab sancta Trinitate peragitur ; non tamen pro numero personarum, quæ in fide considerantur, trifariam dividitur [c]. »

Et in libro *de Communibus notionibus* personas tres divinas cum pluribus ejusdem speciei, ac naturæ hominibus conferens, affirmat hos quidem, tametsi ὁμοούσιοι sint, ejusdemque naturæ consortes, plures tamen dici homines, quod multis rebus separantur ut tempore, ortu, ac cæteris. « At in sancta Trinitate res aliter se habet, etc. Non enim tempore dividuntur a se invicem personæ deitatis, neque loco, non voluntate, non instituto, non operatione, non affectione ulla ejusmodi, quæ consideratur in hominibus [d]. »

Gregorius Nazianzenus oratione XIII, « Deum unum esse tres personas ait simul intellectas ob eumdem motum actionis, eamdemque naturam [e]. »

Et oratione XXIX retineri ait « unitatem Dei eo ipso, quod una et eadem defenditur motio deitatis, et voluntas cum identitate naturæ [f]. » Quem locum totidem verbis exscripsit Joannes Damascenus in libro primo, capite undecimo.

IV. Cyrillus Alexandrinus lib. primo *in Joannem*, illa *Evangelii* verba declarans, *Omnia per ipsum facta sunt*, Filium docet esse *vim ac robur Patris*, quocum et Spiritu sancto efficit omnia : quemadmodum flos cum odore suo fragrantiam diffundit [g]. Nam quod Christus *Joannis* capite V dicit, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, hoc ille idem exponit sic, « Non seorsim, ac per sese operari aliquid circa ea, quæ sunt, Deum ac Patrem dicit Filius ; seipsum vero rursum similiter operari citra

a ATHAN. in ep. *ad Serap.* Ὁμοία δὲ ἑαυτῇ, καὶ ἀδιαίρετός ἐστι τῇ φύσει, καὶ μία ταύτης ἡ ἐνέργεια. ὁ γὰρ πατὴρ διὰ τοῦ λόγου ἐν πνεύματι ἁγίῳ τὰ πάντα ποιεῖ. καὶ οὕτως ἡ ἑνότης τῆς ἁγίας τριάδος σώζεται· καὶ οὕτως εἷς θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κηρύττεται, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσι.

b GREG. NYSS. *ad Ablab.* Διὰ τοῦτο εἰς πλῆθος τῶν ἐνεργούντων τὸ ὄνομα τῆς ἐνεργείας οὐ διασχίζεται· ὅτι οὐκ ἀποτεταγμένη ἑκάστου, καὶ ἰδιάζουσά ἐστιν ἡ περί τι σπουδή. ἀλλ' ὥσπερ ἂν γίνεται τῶν εἴτε εἰς τὴν ἡμετέραν πρόνοιαν φθανόντων, εἴτε πρὸς τὴν τοῦ παντός οἰκονομίαν καὶ σύστασιν, διὰ τῶν τριῶν μὲν γίνεται, οὐ μὴν τρία ἐστὶ τὰ γινόμενα.

c MOX. Ἀλλὰ πᾶσα πρόνοια, καὶ κηδεμονία, καὶ τοῦ παντὸς ἐπιστασία, τῶν τε κατὰ τὴν αἰσθητὴν κτίσιν, καὶ τῶν κατὰ τὴν ὑπερκόσμιον φύσιν, ἥ τε συντηρητικὴ τῶν ὄντων, καὶ διορθωτικὴ τῶν πλημμελουμένων, καὶ διδακτικὴ τῶν κατορθουμένων, μία ἐστι, καὶ οὐχὶ τρεῖς, παρὰ μὲν τῆς ἁγίας τριάδος κατορθουμένη, οὐ μὴν κατὰ τὸν ἀριθμὸν, τῶν ἐν τῇ πίστει θεωρουμένων προσώπων τριχῇ τεμνομένη, etc.

d GREGOR. NYSSENUS, lib. *de Com. not.* Ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας τριάδος, etc. Οὔτε γὰρ χρόνῳ διαιρεῖται ἀλλήλων τὰ πρόσωπα τῆς θεότητος, οὔτε τόπῳ, οὐ βουλῇ, οὐκ ἐπιτηδεύματι, οὐκ ἐνεργείᾳ, οὐ πάθει οὐδενὶ τῶν τοιούτων, οἱάπερ θεωρεῖται ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων.

e GREG. NAZIANZ. orat. XIII. Θεὸν τὰ τρία μετ' ἀλλήλων νοούμενα τῷ ταὐτῷ τῆς κινήσεως καὶ τῆς φύσεως. Vide et orat. XXIX.

f Idem orat. XXIX. Τηροῖτο δ' ἂν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, εἷς μὲν θεὸς, etc. Καὶ κατὰ τὸ ἓν, καὶ ταὐτὸ τῆς θεότητος, ἵνα οὕτως ὀνομάζω, κίνημά τε, καὶ βούλημα, καὶ τὴν τῆς οὐσίας ταὐτότητα.

g CYRIL. ALEX. lib. I *in Joan.* Ἀλλὰ μᾶλλον αὐτὸς καὶ μόνος ἡ ἰσχὺς ὑπάρχων τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ὡς υἱὸς, ὡς μονογενὴς τὰ πάντα ἐργάζεται, συνεργαζομένου δηλονότι, καὶ συνόντος αὐτῷ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. πάντα γὰρ ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι.

Patrem, ac velut quiescente quodammodo substantia illa, ex qua est. Ita enim duo essent omnino opifices, et non unus, si privatim quisque, ac separatim operatur [a]. » Tum postea, « Quoniam uterque alter in altero est, inquit, naturaliter, ac necessario, nimirum operante Patre Filius operatur, tanquam virtus ejus naturalis, et substantiva, et subsistens. Similiter operante Filio operatur et Pater, tanquam fons artificis Verbi in proprio fetu naturaliter existens, velus ignis in calore ex se ipso prodeunte [b]. »

Et in decimo libro *Commentariorum in* eumdem *Joannem*, « Ubicumque, ait, naturæ, identitas in rationibus nulla re penitus distinctis cernitur, ibi non est actio divisa, etsi varie, ac diverse exerceri intelligatur ab aliquo. Cum autem substantia una, vera scilicet et naturalis deitas, in tribus hypostasibus intelligatur, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, nonne perspicue id extra controversiam est quodcumque unius personæ opus esse dicatur, hoc totius, uniusque esse deitatis effectum, secundum naturalis virtutis, ac potentiæ rationem [c] ? »

Joannes Damascenus libro primo *de Fide*, capite undecimo, id, quod commune est, et unum in Deo, reipsa, non cogitatione sola, unum esse dicit, atque aliter, quam in genere, ac specie accidit, quæ ratione sola sunt unum; quod in Deo fieri asserit, « Propter coæternitatem, et identitatem substantiæ, et operationis, ac voluntatis, consiliique conspirationem, et propter potestatis, ac virtutis, et bonitatis identitatem. Non dixi similitudinem, sed identitatem, et eumdem motionis exsultum [d]. »

Idem in libro *de Duabus Christi voluntatibus* : « In Patre, inquit, et Filio, et Spiritu sancto, quoniam differens est exstantia cujusque, tres sunt hypostases; quoniam vero non privato modo, neque separata electione, ac divisim unaquæque vult, et operatur, sed singulariter, non tres dii sunt, sed unus Deus [e]. » Atque hic locus latissime patet. Nam qui contra Monothelitas duas in Christo voluntates esse docuerunt Græci, ac Latini Patres, tum privatim singuli, tum in sexta synodo simul universi, hoc unico fere argumento sunt usi, quod ubicumque naturæ diversæ sunt, ibi et ἐνεργείας esse differentes oportet; proinde ut in Christo naturarum, ita operationum esse discrimen. At in sacrosancta Trinitate, ubi personæ tres sunt, et una simplexque natura, unam esse trium ἐνέργειαν. Hoc Maximus Martyr; hoc Joannes ipse Damascenus; hoc Leontius; hoc synodus omnis Constantinopolitana sexta decrevit. « Hic status est evangelicæ, atque apostolicæ fidei, regularisque traditio, ait Agatho papa in epistola synodica Romani concilii, quæ est in actione IV sextæ synodi, ut confitentes sanctam, et inseparabilem Trinitatem, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius esse deitatis, unius naturæ, et substantiæ, sive essentiæ, unius eam prædicemus et naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, majestatis, potestatis, et gloriæ. Et quidquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur singulari numero, tanquam de una natura trium consubstantialium personarum, comprehendamus regulari ratione hoc institui. » Sopronius item Patriarcha Hierosolymitanus in epistola *ad Sergium Constantinopolitanum patriarcham*, quæ est in actione XI synodi ejusdem, « Nos, inquit,

Operationes *Operationem.*

a CYRIL. ALEX. lib. I *in Joan.* Οὐ γὰρ ἰδίᾳ μὲν, καὶ καθ' ἑαυτὸν ἐνεργεῖν τι περὶ τὰ ὄντα τὸν θεὸν, καὶ πατέρα φησὶν ὁ υἱὸς, ἑαυτὸν δὲ πάλιν ὁμοίως ἐργάζεσθαι λέγει δίχα τοῦ πατρὸς, καὶ ἀτρεμούσης τρόπον τινὰ τῆς ἀφ' ἧς ἐστιν οὐσίας. εἶεν γὰρ ἂν οὕτως δύο δὴ πάντως, καὶ οὐχ εἷς ὁ δημιουργός. εἴπερ ἀνὰ μέρος ἑκάτερος, κεχωρισμένως ἐργάζεται, etc.

b Ibid. Ἐπειδή περ ἑκάτερος ἐν ἑκατέρῳ φυσικῶς τέ ἐστι, καὶ ἀναγκαίως, ἐργαζομένου δηλονότι τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐργάζεται, ὡς δύναμις φυσική τε, καὶ οὐσιώδης, καὶ ἐνυπόστατος αὐτοῦ· ἐργαζομένου δὲ ὁμοίως τοῦ υἱοῦ καὶ ὁ πατὴρ ἐργάζεται, ὡς πηγὴ τοῦ δημιουργοῦντος λόγου ἐνυπάρχουσα φυσικῶς τῷ ἰδίῳ γεννήματι, ὡσπερανεὶ καὶ τὸ πῦρ τῇ ἐξ αὐτοῦ προϊούσῃ θερμότητι.

c Idem lib. X. Ὅπου γὰρ φύσεως ταυτότης ἐν ἀπαραλλάκτοις ὁρᾶται λόγοις, ἐκεῖ τὸ τῆς ἐνεργείας οὐ μεμερισμένον, κἂν ποικίλως τε, καὶ διαφόρως ἐνεργεῖσθαι τυχὸν νοοῖτό τινι. μιᾶς δὲ οὐσίας, τουτέστι, τῆς ἀληθοῦς καὶ κατὰ φύσιν θεότητος ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι νοουμένης ἔν τε τῷ πατρὶ, φημὶ. καὶ τῷ υἱῷ καί τῷ ἁγίῳ πνεύματι, πῶς οὐ σφόδρα τρανὲς ἀνενδοιάστως ἔχων, ὡς ὅπερ ἂν ἑνός τ τυχὸν ἐνέργημα λέγηται, τοῦτο τῆς ὅλης ἐστὶ, καὶ μιᾶς. θεότητος ἀποτέλεσμα, κατά γε τὸν ἐν δυνάμει τῇ φυσικῇ λόγον.

d JOAN. DAMASC. lib. I, cap. X. Διά τε τὸ συναΐδιον, καὶ τὸ ταὐτὸν τῆς οὐσίας, καὶ τῆς ἐνεργείας, καὶ τοῦ θελήματος, καὶ τὴν τῆς γνώμης σύμπνοιαν, τήν τε τῆς ἐξουσίας, καὶ τῆς δυνάμεως, καὶ τῆς ἀγαθότητος ταὐτότητα. οὐκ εἶπον ὁμοιότητα, ἀλλὰ τοὐτότητα, καὶ τὸ ἓν ἔξαλμα τῆς κινήσεως.

e Idem in lib. *de Duab. volunt.* Ὥστε ἐπὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, ἐπειδὴ μὲν διάφορος ἡ ἑκάστου ὕπαρξις, τρεῖς ὑποστάσεις εἰσίν. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἰδιοτρόπως, οὐδὲ ἰδιαιρέτως καὶ ἀποτετμημένως ἑκάστη θέλει, καὶ ἐνεργεῖ, ἀλλ' ἑνιαίως, οὐ τρεῖς θεοί. ἀλλ' εἷς θεός.

unum principium, unam novimus deitatem, unum regnum, unam potestatem, unam virtutem, unam actionem, unam voluntatem, unam dominationem; unam monitionem, sive omnium, quæ sunt post ipsam, procreatricem, sive providentem, sive componentem, atque conservatricem [a]. »

Eamdem actionis unitatem agnoscunt Patres Latini.

V. Ex Latinis Patribus illam actionis unitatem unicuique personæ secundum proprietatem suam attributam, egregie Hilarius enarrat in novo libro. « Sed naturæ, inquit, cui contradicis, hæc unitas est, ut ita per se agat, ne a se agat; et ita non ab se agat, ut per se agat. Intellige agentem Filium, et per eum agentem Patrem. Non ab se agit, cum Pater in eo manere monstratur. Per se agit, cum secundum Filii nativitatem agit ipse, quæ placita sunt. Infirmus sit non a se agendo, nisi adeo ipse agit, ut quæ agit placeant. Non vero sit in unitate naturæ, si non quæ ipse agit, et in quibus placet, non per se agit, sed manens in eo ad agendum Pater edocet. Ita et manendo docet Pater, et Filius agendo non ab se agens Filius, cum quæ placita sunt facit, ipse agit. Ac sic unitas naturæ retinetur in agendo, dum et ipse operans non operatur ab se, et ipse ab se non operans operatur. » Et alibi non minus accommodate ad rem nostram, ex iis Christi verbis, *Omnia, quæcumque Pater facit, eadem et Filius similiter facit* [1], « quibus eorumdem operum communio demonstratur, » naturæ unitatem colligit. « Hæc est veræ, inquit, nativitatis intelligentia, et fidei nostræ, quæ ex naturæ divinæ unitate, unius, indifferentisque divinitatis veritatem in Patre, et Filio confitetur, absolutissimum sacramentum, ut eadem faciendo Filius similiter faciat, et similiter faciendo, eadem sint ipsa, quæ faciat; quia sub una hac significatione testentur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam. » Sic in ejusdem Hilarii fragmento quodam, quod in *Bibliotheca Patrum* Græce, Latineque est editum : « Quemadmodum hæc sancta Trinitas individua est substantia, sic et operibus est individua; licet ex operibus Dei quædam singulariter aliquibus personis congruant [b]. »

Ambrosius [2] item ex unitate potestatis, et operationis naturæ unitatem asserit. « Diversitas, inquit, plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem; quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. » Postea rursus, « Operationis, inquit, unitas non facit pluralem divinitatem, sicut ipse Dominus ostendit, dicens, *Credite mihi, quia ego in Patre, et Pater in me; alioqui vel propter opera ipsa credite* [3]. Et hic advertimus, quod unitatem divinitatis per unitatem operum designaverit. » Idem in cap. nono *in Symbolum* [4], « sancta et inseparabilis Trinitas nunquam aliquid extra se singillatim operari novit. » Et subinde, « Cum ergo singillatim, ait, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus aliqua operari dicuntur, omnia pariter tres personæ operantur. »

VI. Augustinus in tractatu XX *in Joannem*, « Catholica fides, ait, hoc habet firmata Spiritu Dei in sanctis ejus, contra omnem hæreticam pravitatem, quia Patris, et Filii opera inseparabilia sunt. Quid est, quod dixi? Quomodo ipse Pater, et Filius inseparabiles sunt, sic et opera Patris inseparabilia sunt. Quomodo Pater, et Filius inseparabiles sunt? Quia ipse dixit : *Ego et Pater unum sumus.* Quia Pater, et Filius non sunt duo dii, sed unus Deus, Verbum, et cujus est Verbum, unus et unicus, etc. Adhuc planius dicam, quid sit, opera inseparabilia sunt. Non dicit catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, et fecit Filius aliquid aliud. Sed quod fecit Pater, hoc et Filius fecit, hoc et Spiritus sanc. fecit. Per Verbum enim facta sunt omnia. » Vide et tract. CX. Et tract. *in Psalm.* CVIII ait nec aliud Patrem, aliud Filium facere; nec *aliter Patrem, aliter Filium;* ut non actio tantum ipsa, vel opus idem sit utriusque, sed etiam agendi modus.

Sic in serm. XI *de Verb. Dom.* cap. XVI, de Spir. sanc. donis, eorumque largitione loquens sic illa dici ait, « ut tamen inseparabilis intelligatur operatio Trinitatis; ita ut, cum operatio Patris dicitur, non eam sine Filio, et Spir. sancto intelligatur operari, » etc. Quod pluribus deinceps illustrat, et « Ita, inquit,

a SOPHRON. in action. II sextæ syn. Ἡμεῖς γὰρ μίαν ἀρχὴν τὴν μίαν ἴσμεν θεότητα, μίαν βασιλείαν, μίαν ἐξουσίαν, μίαν δύναμιν, μίαν ἐνέργειαν, μίαν βούλησιν, μίαν θέλησιν, μίαν δεσποτείαν, μίαν κίνησιν, εἴτε τῶν μετ' αὐτὴν ὄντων ἁπάντων δημιουργικὴν, εἴτε προνοητικὴν, εἴτε συστατικὴν καὶ συντηρετικήν.

b HILAR. tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Ὥσπερ γὰρ αὐτὴ ἡ ἁγία τριὰς ἀδιαίρετός ἐστι τῇ οὐσίᾳ· οὕτω καὶ τοῖς ἔργοις ἐστὶν ἀδιαίρετος, εἰ καί τινα τῶν τοῦ θεοῦ ἔργων ἰδίως τισὶ τῶν προσώπων ἁρμόζουσιν.

1 *Joan.* V, 19. — 2 Ambrosius lib. I *de Fide,* cap. II. — 3 *Joan.* XIV, 11. — 4 Vide èt cap. IV et X.

singulorum in Trinitate opera Trinitas operatur, unicuique operanti cooperantibus duobus, conveniente in tribus agendi concordia, non in uno deficiente efficacia peragendi. »

Tum in serm. LXIII, cap. III et sequentibus, idem argumentum copiosissime pertractat; ac personas, exempli causa, tres incarnationem operatas esse demonstrat, etsi solus carnem suscepit Filius. Itaque operatio ista trium personarum fuit; incarnatio Verbi solius. Sic in lib. *cont. Serm. Arian.* cap. XV, hanc ipsam operum naturæque in divinis personis unitatem commendat[1]. « Non quod invalidus sit, inquit, unusquisque eorum sine aliis, quod operatur, implere, sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum æqualis est, verum etiam indiscreta natura: ita ut, cum tres sint, ac eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen dii non sint. » Sic in primo *de Trinitate*[2] Augustinus, « sicut inseparabiles sunt personæ tres, ita inseparabiliter operari » scribit. Toletana quoque synodus undecima in *Confessione fidei*, « Tria ergo ista unum sunt, natura scilicet, non persona, inquit; nec tamen tres istæ personæ separabiles æstimandæ sunt, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia, vel exstitisse, vel quippiam operata esse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo, quod sunt, et in eo quod faciunt. » Vide et Alchuvinum lib. *de Trin.* I, cap. XIV et lib. II, cap. IX. Nam testium abunde est, ut in re apud christianos minime dubia; qui inter fidei rudimenta primum illud imbiberunt, unam et eamdem personarum esse trium essentiam, non specie, sed numero, et individuo; quemadmodum unus et singularis est numero Deus. Ex quo conficitur, unam eamdemque esse vim, ac virtutem agendi, quam omnipotentiam vocant; ut propterea nihil seorsim una moliri persona possit, quod non omnes communiter faciant, non consensione tantummodo voluntatis, et concordia, qualis in multis etiam hominibus inesse dicitur; sed actionis unitate, quæ neque reipsa, neque modo efficiendi secari, ac dividi potest.

Paschasius Diaconus parum accuratus.

VII. In quo parum mihi accuratus fuisse videtur Paschasius Diaconus, qui in lib. I *de Spiritu sancto*, cap. nono, postquam ex operum communione probavit, Spiritum sanctum ejusdem cum Patre, ac Filio divinitatis esse, ita sibi objicit: « Sed forte dicas: Major est Spiritus sanctus, cujus majora, et nobiliora sunt opera. » Cui sic respondet: « Non ita est. Nam id moris est Trinitatis, ut cui personæ administrandæ rei committit officium, ei peractæ adscribat effectum; ac si opus sit forte diversum, sed commune propositum, et si est in singulis speciale factum, manet in tribus generale consilium. Ac propterea, si distinctum habet in operatione negotium, unum tamen tenent in ordinatione consensum. » Quibus verbis communem esse personarum trium operationem significat eatenus, quod quidquid ab una fit, id communi consilio, ac sententia geritur. Quod non est satis nisi et eadem, ac singularis efficientia ponatur, quam antiquorum illa, quæ supra commemoravi, testimonia persuadent.

Nec me præterit, interdum ἐνεργείας nomine, sive *actionis*, eas operationes vocari, quæ interiores, sive *notionales*, et ὑποστατικαὶ dicuntur, neque sunt communes tribus, ut est *generatio* et *spiratio*; tum certæ divinarum personarum applicationes ad externorum molitionem operum, quæ illarum propria sunt, ut est humanæ naturæ susceptio, quæ soli Dei Filio convenit. De quibus ita scribit auctor libri *de Trinitate et unitate Dei*[3]: « Singulorum autem opera dicuntur, quæ ad unamquamque manifestantur pertinere personam, sicut natus ex Virgine nonnisi Filius, et vox de nube: Tu es Filius meus dilectus, ad solius personam pertinet Patris, et in specie corporali columbæ solius apparuit Spiritus sanctus. » Verum non sunt ista, qua certæ personæ sunt affixa, efficientiæ, vel actiones aliquæ. Quod si quam adjunctam habent, hanc ipsam tota Trinitas elaborat. Nam et « illam carnem solius Filii, ait scriptor idem, et illam vocem solius Patris, et illam speciem columbæ solius Spir. sancti, universa Trinitas operata est. » At vero operationes illæ, quæ personarum quarumdam propriæ sunt, ut est generatio, vel spiratio, alterius sunt generis; nec de iis modo loquimur, sed illis duntaxat, quæ extra Deum profusæ in opus aliquod transeunt, vel, ut generatim complectar, de iis, quæ ad personas, earumque notiones proprias minime spectant. Quæ sine ulla varietate prorsus eædem, eodemque modo a tribus personis oriuntur.

VIII. Ut hæc catholicos inter certissima sunt, utpote ex ipsis christianæ fidei ducta principiis; sic eorum non minus indocta,

1 Quæ eadem leges in 1 *de Trin. et un. Dei* in App. cap. IX. Vide et c. XII. — 2 Cap. XIV. — 3 Cap. IX, tom. IV op. Aug

quam ab Ecclesia Christi damnata ratio, qui cum unam, eamdemque personarum trium naturam, voluntatem, et omnipotentiam fateri se dicant, operationes tamen earum, quales exposui, aiunt esse diversas. Quorum e numero Joannes Henricus Bisterfeldius, qui contra Joann. Crellium superiore anno librum edidit, non dubitavit ista scribere[1]: « Quamvis autem intellectus, voluntas, aliæque divinæ proprietates in omnibus personis sint eædem, operationes tamen ipsarum sunt diversæ; quia, ut modo subsistendi, ita et modo agendi differunt. Nec operationes ad extra ratione modi agendi sunt eædem; multo minus illæ, quæ specialem relationem includunt. » Hæc sunt falsa, neque vel tirone digna theologiæ. Nam si tum natura una est in tribus, eademque numero, tum voluntas, et agendi vis, ac facultas; nonnisi uniusmodi, et simplex oriri ab illa potest actio. Si operationes sunt diversæ, naturæ diversæ sint oportet; quemadmodum adversus Monothelitas argumentari Patres solent. Ergo e contrario, ubi una est, eademque natura, nonnisi una est efficientia, vel actio; sive ut Nazianzenus, aliique Græci dictitant, μία κίνησις *una motio*. « Neque enim separata sunt dona, vel opera inseparabilis Trinitatis, » ut ait Augustinus. Modi vero illi, quos τρόπους τῆς ὑπάρξεως appellant, qui sunt σχετικοί, et personarum proprii, nequaquam foras exeunt; nec in externam derivantur effectionem operum, ut eam afficiant, ac modificent.

Modos extantiæ.

Ex unitate principii colligitur divinæ naturæ individua unitas.

IX. Tertio ex unitate principii, a quo, velut a fonte divinitas existit, et ad idem revocatur, ejus individua unitas asseritur. Quamvis enim tres sint, quibus Dei nomen, et natura communis est; tamen, quoniam unus ex illis cæterorum est principium, a quo οὐσιωδῶς, hoc est de ejus substantia propagantur, et interiori productione, non externa; fit ut unica, singularisque divinitas in tribus inesse dicatur. Quo argumentationis genere multum utitur Athanasius, imprimisque orat. IV. Nam Judæorum, ac gentilium calumniam, christianos ob Trinitatis professionem, tres asseverare deos opinantium, eo refelli dicit, quod tria principia, tresve patres christiani non constituant, sed unicum principium, cujus ex intima substantia procedit Filius: Arianos autem criminationi illi magis obnoxios esse πολυθεότητος, καὶ ἀθεότητος, *multiplicis, vel nullius potius divinitatis;* quoniam et Filium extrinsecus satum et Spiritum sanctum ex nihilo procreatum existimant: quo fit, ut plures deos διὰ τὸ ἑτεροειδὲς, id est *ob naturarum diversitatem* esse sentiant. Non enim una potest illorum esse substantia, inter quos nulla cognatio est, nec originis habitudo, sive σχέσις, ob quam eadem in pluribus natura consistit. Sic initio quintæ orationis « duo quidem ait esse Patrem, et Filium; divinitatis autem individuam, et insecabilem unitatem: atque hoc modo unum esse principium divinitatis, non duo principia [a]. » Ac paulo post: « Unum esse principium dicit, ideoque Deum unum [b].» Item « unum idcirco esse Patrem, et Filium, quod Filius non aliunde, sed a Patre genitus sit. Et, propterea duo hæc unum esse, quod consubstantialis sit Filius Patri, et ex ipso Patre sit Verbum [c]. »

Basilius quoque contra Sabellianos disputans oratione XXVII, « Quod ad essentiam, inquit, attinet, idem sunt, quoniam ex Patre Filius est, non imperio factus, sed ex natura genitus [d]. » Tum postea: « Non duo sunt dii. Non enim Patres duo. Porro qui duo principia constituit, duos prædicat deos. »

X. Sed et Gregorius Nyssenus [2] simili ratione concludit non tres esse deos, sed unum; quod et bonitas, et reliqua, quibus personæ tres insigniuntur, et divinitas ipsa ab uno principio derivantur. Hinc præclare Gregorius alter Nazianzenus Patrem appellat *unionem:* propterea quod unitatis in Trinitate causa est productio, et unius ex altera personæ processio, sive principii unitas. « Natura est, inquit, una tribus Deus. Unio vero, Pater, ex quo, et ad quem, quæ deinceps sunt, referuntur [e]. »

a ATHAN. orat. V. Ὥστε δύο μὲν εἶναι, πατέρα καὶ υἱὸν, μονάδα δὲ θεότητος, ἀδιαίρετον, καὶ ἄσχιστον. λεχθείη δ' ἂν καὶ οὕτως μία ἀρχὴ θεότητος, καὶ οὐ δύο ἀρχαί.

b Mox vero. Ὥσπερ δὲ μία ἀρχὴ, καὶ κατὰ τοῦτο εἷς θεός.

c Ibid. Ἓν δὲ ὅτι ὁ υἱὸς οὐκ ἔξωθεν, ἀλλ' ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται.

Item. Εἰ δὲ τὰ δύο ἕν, ἀνάγκη δύο μὲν εἶναι, ἓν δὲ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ κατὰ τὸ ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸν λόγον.

d BASIL. Τὸ δὲ τῆς οὐσίας ταὐτὸν, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, οὐ προστάγματι ποιηθεὶς, ἀλλ' ἐκ τῆς φύσεως γεννηθείς.

MOX. Οὐ δύο θεοί· οὐδὲ γὰρ δύο πατέρες. ὁ μὲν ἀρχὰς εἰσάγων δύο, δύο κηρύττει θεούς.

e GREG. NAZIANZ. orat. XXXII. Φύσις τοῖς τρισὶ μία, θεός. ἕνωσις δὲ ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ καὶ πρὸς ὃν ἀνάγεται τὰ ἑξῆς.

1 Bisterfeldius. lib. I, sect. II, cap. XXVII. — 2 Orat. *ad Ablad. Quod non sunt tres dii.*

Idem et orat. XXXVII: « Nobis unus est Deus, quoniam una divinitas, atque ad unum ea, quæ ex eo sunt, referuntur, etiamsi tres personæ credantur[a]. »

Et orat. XXIX « unum Deum eatenus retineri ait, quod ad unum principium Filius, et Spiritus sanctus referuntur[b]. »

Accedat his Epiphanius, qui contra Noetianos agens, « Nonne vides, inquit, his ipsis verbis, *Unus Deus, ex quo omnia, et nos per ipsum*[1], quemadmodum unum principium demonstret, ne ad plura cogitanda principia transferat animum; et ad deorum suspicandam denuo multitudinem, mentem hominum errore deceptam inani multorum deorum commemoratione revocet[c]? » Hic sanctus Epiphanius idcirco censet ab Apostolo personas tres sub uno, et singulari Dei vocabulo memorari, ne quis plura esse principia, et, quod ex eo consequens est, deos esse plures existimet. Quo et illa μοναρχία pertinet, quam idem Epiphanius, Eusebius[2], aliique Græci Patres in sacris Litteris commendari censent, cum et unus Deus summo studio prædicatur, et a plurium suspicione avocantur homines. Qua voce non, ut alias solet, unicus, et singularis principatus, vel dominatus exprimitur, sed principii unitas, et singularitas. Sic in dialogo primo Cæsarius[3] Mosem scripsisse dicit, *Dominus Deus tuus, Dominus unus est;* ut ad μοναρχίαν, et θεογνωσίαν nos eveheret, hoc est, *unici principii professionem, Deique notitiam.* Quod quidem principium unicum Pater est, ad quem Filius, et Spiritus sanctus, tanquam auctorem, causamque referuntur, ut Damascenus loquitur. « Propterea neque tres deos, inquit, dicimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sed unum potius Deum sanctam Trinitatem, cum ad unam causam referantur Filius, atque Spiritus sanctus[d]. »

Unitas principii.

Sic θεαρχίας vocabulum usurpat sæpius Dionysius, ut in primo capite lib. *de Divinis nominibus;* ubi Maximum interpretem non audio asseverantem, Dionysium « ubique θεαρχίαν nominare reginam omnium Trinitatem, quod iis, qui dii vocantur, imperet, angelis videlicet, et sanctis[e]. » Verum in illo ipso capite primo *de Divinis nominibus*, θεαρχίαν satius sit interpretari divinum principium, cum τὰς ἀγαθουργοὺς τῆς θεαρχίας προόδους appellat, id est *beneficas*, vel *boni effectrices divini principii processiones.* Hoc enim proprium est principii boni, ut vim suam, et efficientiam, ac bonitatem extra se diffundat, ac derivet.

XI. Rursus Novatianus in lib. *de Trinitate*, capite XXXI unitatem Dei perinde approbat ex eo, quod Filius non sit *innatus*, quod est, ἀγέννητος, neque a se, vel aliunde, quam a Patre. « Si enim natus non fuisset innatus, comparatus cum eo qui esset innatus, æquatione in utroque ostensa, duos faceret innatos, et ideo duos comprobasset et deos, etc. Nunc autem quidquid est, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est, sive dum Verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, et quidquid horum est, dum non aliunde est, quam, sicut diximus jam superius, ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit. » Cui et Fulgentius adstipulatur in libro *contra Objectiones Arianorum* sub initium. « Quoniam si ambo vocarentur, inquit, patres, essent profecto natura dissimiles. Unusquisque enim ex semetipso constaret, et communem substantiam cum altero non haberet, nec deitas una esset, quibus una natura non esset. » Hinc Priscillianistæ, qui *Filium innascibilem* esse dicebant, *duo principia* constituebant, ut est in Toletano primo concilio, in professione Symphosii episcopi: « In duobus enim ingenitis (ait idem Fulgentius in *Responsione ad quintam objectionem Arianorum*) diversa divinitas invenitur: in uno autem genito ex uno ingenito naturalis unitas demonstratur. »

a GREG. NAZIAN. orat. XXXVII. Ἡμῖν εἷς θεὸς, ὅτι μία θεότης, καὶ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει, κἂν τρία πιστεύηται.

b Idem, orat. XXXIX. Τηροῖτο δ' ἂν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, εἷς μὲν θεός· εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ἀναφερομένων.

c EPIPH. hær. LVII, num. 5. Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι εἷς θεὸς, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, πῶς τὴν μίαν ἀρχὴν σημαίνει; ἵνα μὴ εἰς πολλὰς ἀρχὰς τρέψῃ τὴν διάνοιαν, καὶ εἰς πολυθεΐαν ἀγάγῃ πάλιν τὸν πλανηθέντα νοῦν τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τῇ κενοφωνίᾳ τῆς πολυθεΐας.

d DAMASC. lib. I, cap. XI. Διὸ οὐδὲ τρεῖς θεοὺς λέγομεν, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱόν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἕνα δὲ μᾶλλον θεὸν, τὴν ἁγίαν τριάδα, εἰς ἓν αἴτιον υἱοῦ, καὶ πνεύματος ἀναφερομένων.

e MAXIMUS in cap. I *de Divin. nom.* Θεαρχίαν καλεῖ πανταχοῦ τὴν παμβασιλίδα τριάδα, διὰ τὸ καὶ τῶν λεγομένων θεῶν ἄρχειν ἀγγέλων, φημὶ, καὶ ἁγίων.

1 I *Cor.* VIII, 6. — 2 Vide quæ de Euseb. lib. I retulimus. — 3 Cæsar. lib. I Dial. *ad Int.* IV.

Quare merito idem libr. *ad Monimum* secundo, cap. XI. « In illa, inquit, una substantia Trinitatis unitas est in origine, æqualitas in prole, in charitate unitatis æqualitatisque communio. »

Ambrosius libro *de Dignitate conditionis humanæ*, cap. II, eamdem illam causam brevi, et arguta oratione sic complectitur : « Ideo autem dicitur Deus Pater, quia ipse est, ex quo; et sapientia est, qua ordinantur omnia; et dilectio, qua se volunt omnia ita manere, ut ordinata sunt. Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab eo non sint separata; sed ex ipso sunt, quia non a se; et in ipso, quia non separata; et ipsum ipsa, quod ipse, et ipsum ipse, quod ipsa; et non ipsum ipsa, qui ipse; et non ipsa ipse, quæ ipsa. »

XII. Cæterum hæc ipsa ratio, qua divinæ substantiæ unitas a Patribus demonstratur, si absolute, universeque spectetur, non tam numero unam esse, quam specie, illam ostendit. Habet enim generalem concludendi vim in omnibus, præsertim vita, animaque præditis, in quibus proprie dicta generatio cernitur. Nam hæc naturæ communionem, et unitatem requirit, sed non singularitatem. At eadem generatio in divinis unitatem aliam, quam singularem, et quæ numerica dicitur, habere nequit. Neque enim plures numero vel dii, vel divinitates esse possunt. Itaque cum Filium Pater revera proprieque gignat, eamdem illi numero, quam habet, substantiam, naturamque communicat. Unde ex propria divinitatis, divinæque generationis conditione, ac natura, vis ac robur argumentationis illius petitur, quatenus non qualemcumque essentiæ unitatem, sed singularem, et numeralem inesse personis tribus colligit. Ad hunc modum intellecta luculenter ab Hilario concluditur his verbis [1] : « Non enim Patri adimitur, quod Deus unus est, quia et Filius Deus sit. Est enim Deus ex Deo, unus ex uno; ob id unus Deus, quia ex se Deus. Contra vero, non minus per id Filius Deus, quia Pater Deus unus sit. Est enim unigenitus Filius Dei, non innascibilis, ut Patri adimat, quod Deus unus sit; neque aliud ipse, quam Deus, quia ex Deo natus est; de quo quamvis ambigi non oporteat, quin nascendo ex Deo Deus sit, per quod fidei nostræ Deus unus est, » etc. Igitur propterea Deus unus est, non plures numero, quamvis et Pater Deus sit, et Filius Deus, quod hic ab illo genitus non aliam ac diversam, sed unam eamdemque numero substantiam acceperit. Quod nisi unus ab altero, et ex ipsius gigneretur substantia, vitari non posset, quin duo essent dii; quorum singuli propriam divinitatem haberent, et numero distinctam, quamvis rebus omnibus æquales inter se, et sub una comprehensi proxima specie fingerentur. Quod idem alio in loco declarat Hilarius [2]. « Non erit inquit in Dei unius veritate Deus unus, si extra naturam unius Dei veri, alterius generis, et non secundum nativitatem naturalis sibi Deus verus existat. » Et in septimo libro : « Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec duos deos perficit; cum unus ex uno in naturæ nomine unius maneat; nec in solitarium deum deficit, cum unus et unus in significatione non solus sit. » Tum in fine ejusdem libri, « Unius in Patre, et Filio divinitatis sacramentum nativitatis natura consummat, dum Dei Filius nihil aliud, quam Deus est. Et idcirco non in deos duos Unigeniti generatio deputatur, quia in Deum Filius Dei nascens, naturam in se Dei se gignentis exhibuit. »

XIII. Quocirca fundamentum illius argumentationis in eo situm est, quod neque plures numero divinitates esse possunt, et, quod inde est consequens, si vera, perfectaque generatione, vel qualibet alia οὐσιώδει productione communicatur alteri, non nisi eadem numero, quæ inest in producente, in eo esse possit, quod producitur. « Ad hunc modum, quæ ex Patre manat in Filium divinitas, sine ullo fluore, et indivisim existit [a], » ut scribit Athanasius. Quam totam complexionem erudite Fulgentius [3] adversus Arianos his verbis exequitur : « Quod si vera est, inquit, paternitas Patris, vera est etiam nativitas Prolis. Et si est Filii vera nativitas, inter Patrem, Filiumque substantialis non potest esse diversitas. Vera enim et æterna substantia, de qua vera nativitas exstitit, sicut generando minui, dividique non potuit, ita in se tota permanens, totam se coæternæ veritati nativitatis indulsit, ut scilicet gignentis, genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret, sed etiam sine confusione, detrimentoque naturalis unitas permaneret. Divinæ quippe nativi-

a Athan. in *Expos. fid.* Οὕτως ἡ ἐκ τοῦ πατρὸς εἰς τὸν υἱὸν θεότης ἀῤῥεύστως, καὶ ἀδιαιρέτως τυγχάνει.

1 Hilar. lib. II. — 2 Hilar. lib. IX. — 3 In *Respon. contra Arian.*, ad VII object.

tatis et nomen, et veritas, sicut discretam monstrat gignentis, genitique personam, sic diversam non sinit putari substantiam. » Hoc vero ab Hilario passim usurpatum, tum in fine septimi libri sic exponitur. « Tenet etenim naturæ veritas proprietatem, ut quod ex Deo est, Deus sit, et nec demutatio sit nativitas, nec diversitas, dum et Filius non in naturam externam, ac dissimilem Patri Deo subsistit, nec Pater alienum quid a se nativitati unigeniti acquirens, sed universa potius, quæ sua sunt, sine damno impertientis indulsit. Atque ita nec natura Dei caret, dum non aliunde, quam ex Deo Deus est; nec a Deo differt, dum non aliud ipse, quam Deus est. » Tum initio octavi, « Hunc, inquit, ex Evangelio responsionis ordinem sumpsimus, ut veram ex Deo Patre nativitatem unigeniti Dei doceremus; quia per eam et verus Deus esset, neque a natura unius veri Dei esset alienus; ac sic neque Deus negari posset, neque ipse alius Deus dici; quia et Deum nativitas præstaret, et natura in eo unius Dei ex Deo, eum in Deum alterum non separaret. »

XIV. Postremo Theodorus Abucara subtiliter, et enucleate hoc ipsum argumentum unitatis explicat ex principii singularitate sumptum, atque illam Gregorii Nazianzeni sententiam, qua Patrem ἕνωσιν Trinitatis appellat. *[...]onem.* Etenim quia Pater principium, et origo est reliquarum personarum, ideo commune sibi nomen Dei, tanquam proprium vendicare dicit, quod ad ipsum referuntur Filius, et Spiritus sanctus. Unde in Scripturis, cum Dei vocabulum absolute, infiniteque ponitur, nulla adjuncta personali proprietate, Patrem significat[a]. Ut cum Apostolus scribit, *Nam etsi sunt, qui dicantur, dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, et domini multi*; *nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*[1]. Porro Deum ob id Patrem peculiari ratione dici asserit, « quod sit unitio, sive explanatio, et quasi summa Trinitatis, ut ait Gregorius theologus[b]. » Rursus sic ad Patrem referri Filium, et Spiritum sanctum ex eodem Gregorio Theodorus ait, « ut Pater ad ipsos vicissim non referatur; quippe Filius, et Spiritus Patris, non autem Pater, ipsorum dicitur. Velut Filius Dei, sapientia Dei, Verbum Dei, virtus Dei, brachium Dei, dextra Dei. Sic et Spiritus perinde vocatur Spiritus Dei, digitus Dei. Quare ad ipsum Patrem referuntur, non autem Pater ad ipsa[c]. » Quæ Theodori oratio haud satis accurata videri possit, dum vicissim negat referri Filium, et Spiritum ad Patrem, aut illum amborum dici, sicut illius ambo. Sed sic, opinor, id interpretandum est, ut referri idem sit ac redigi velut ad principium, et originem, sive ad summam; unde et Patrem ἐνακεφαλαίωσιν vocat Trinitatis, *Summam.* quam Gregorius ἕνωσιν nominarat; *Unionem.* quod ut in ponendis calculis ad caput, et summam omnia reducuntur, quam ἀνακεφαλαίωσιν appellant, in qua ad unitatem, quæ sunt multiplicia, rediguntur; sic personarum numerus unum ad caput, et principium, id est Patrem revocatur, in quo, et a quo una est, singularisque divinitas. Hoc modo cæteri ad Patrem, hic ad illos non refertur, tanquam ad principium; quamvis propter habitudinem mutuam, et σχέσιν invicem se respiciunt, ad seque comparantur. Nam quod Patrem ait non ipsorum dici, sicut ipsi Patris; id de solo *Dei* nomine, puto, intelligi voluit. *Deum* enim, cum absolute ponitur, sine ulla personali notione, Patrem significare asserit. Itaque Filius simpliciter appellari solet *Filius Dei*, *sapientia Dei*, *virtus Dei; Spiritus* item *Dei*, *et digitus Dei ;* Pater autem non solet dici Pater Dei, nisi personali adjuncta nota, puta Filii. Sapientia vero Dei, vel omnipotentia Dei, vel amor nunquam dicitur, ne hoc quidem modo, ut quasi *personaliter* ita concipiantur, *Sapientia ingenita Dei* vel *omnipotentia principalis*, quemadmodum Filius aut absolute *Sapientia*, *et omnipotentia Dei*, aut *genita*, *productave* utraque dicitur; quamvis sapientia, omnipotentia, et amor sit non minus Pater, quam Filius, et Spiritus. Sed quoniam omnia ista sic habet, imo sic est, ut ab aliis non acceperit;

a Theod. Abuc. opusc. xlii, tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Ὅθεν οἱ ἀπόστολοι, καὶ πᾶσα σχεδόν ἡ ἁγία γραφὴ, ὅτ' ἂν εἴπῃ ὁ Θεός. οὕτως ἀπολύτως, καὶ ἀπροσδιορίστως, καὶ ὡς ἐπίπαν σὺν ἄρθρῳ, καὶ χωρὶς ἰδιώματος ὑποστατικοῦ, τὸν πατέρα δηλοῖ.

b Ibid. Θεὸς δὲ ἐξαιρέτως λέγεται, ἐπειδὴ ἡ ἕνωσις, ἤτοι ἀνάπτυξις, καὶ ἀνακεφαλαίωσις τῆς τριάδος ὁ πατὴρ ἐστὶν, ὡς εἶπεν ὁ Θεολόγος.

1 I *Cor.* viii, 5.

c Ibid. Ἕνωσις ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ πρὸς ὃν ἀναφέρεται τὰ ἐξ αὐτοῦ· ἐπειδὴ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς λέγονται, οὐχὶ ὁ πατὴρ αὐτῶν· οἷον ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σοφία τοῦ θεοῦ, λόγος τοῦ θεοῦ, δύναμις τοῦ θεοῦ, βραχίων τοῦ θεοῦ, δεξιὰ τοῦ θεοῦ. καὶ τὸ πνεῦμα ὡσαύτως, πνεῦμα τοῦ θεοῦ, δάκτυλος τοῦ θεοῦ. εἰς αὐτὸν οὖν τὸν πατέρα ἀναφέρονται, οὐχὶ ὁ πατὴρ εἰς αὐτά.

non eorum hoc, quod illa est, esse dicitur, sed absolute, et infinite nominatur.

Probatur divinæ naturæ unitas ex eo quod Filius sit imago substantiva Patris.

XV. Quarto unum esse Deum, ac divinitatem unicam, tametsi plures sint, qui hac appellatione censentur, ex imaginis natura veteres ostendunt; idque argumentum ad Patrem Filiumque proprie pertinet; quamvis nonnulli etiam Spiritui sancto rationem imaginis assignent, de quibus septimo libro dicetur. Unam igitur amborum esse divinitatem probant ex eo, quod Filius vera, et substantiva sit imago Patris, sive *substantiæ*, aut, ut loquitur Apostolus [1], *hypostasis* paternæ. Causam hanc, et originem unitatis, quam secundum divinitatem, et οὐσίαν catholici in Patre, Filioque constituunt, libenter Ariani quoque sunt amplexi, velut harum princeps partium Cæsareensis Eusebius; qui, ut libro primo [2] demonstravi, unum nihilominus esse Deum, etsi præter Patrem Deus quoque esset Filius, ratione illa disputabat, quod et rex similiter unus esse dicatur, quamvis et is, qui vere rex est, et hujus effigies, idem regis nomen obtineant. Sed quo sensu id ab illo Arianisque cæteris usurpatum fuerit, ac quid fraudis, et periculi sub illa professione lateret, capite eodem exposui.

Substantiam.

Catholici vero Patres meliori mente simili argumenti genere sunt usi, ut Athanasius, Basilius, Cyrillus aliique, quos libro secundo, capite undecimo laudavimus; quibus et Prudentium addimus, qui in *Hamartigenia* canit sic :

« Forma Patris veri verus stat Filius, ac se
Unum rite probat, dum formam servat eamdem. »

Cæterum argumentum istud, quod ex unitate imaginis cum exemplari, ad divinæ in Patre ac Filio substantiæ identitatem assumitur, absolute, universeque non procedit. Neque enim imago quælibet idem numero, ac singulare id habet cum archetypo, in quo hujus expressa est effigies. Sed adjungenda præterea est divinæ generationis, vel productionis substantialis ratio, quæ id proprie requirit, ut quod eo modo producitur, non similitudinem solum, sed identitatem etiam habeat substantiæ; qua de re vide quæ secundo a nobis libro [3] disputantur.

CAPUT XVI.

De περιχωρήσει, *quam* circuminsessionem *vocant. Explicatur ejus notio perperam a quibusdam intellecta ; et quid sit, ex antiquorum sententia docetur. Eam non in locali præsentia sitam esse, sed in unitate substantiæ. Varia de illa Græcorum, ac Latinorum loca declarantur.*

I. Quintum argumenti genus, quo unam esse, singularemque divinitatem, ac Deum unum antiqui Patres approbant, quamvis tres sint, quibus appellatio ista conveniat, ex eo depromitur, quod in se invicem tres personæ sint, hoc est unaquæque non minus in aliis, quam in seipsa sit; velut in Patre Filius, et in Filio Pater, adeo ut mutuo existant in se, et, ut ita loquar, immeent invicem, atque penetrent, quemadmodum Christus ipse testatur his verbis : *Ego in Patre, et Pater in me est* [4]. Quocirca ὁμοούσιον esse Patri Filium, et unam, eamdemque non specie sola, sed numero, esse illorum essentiam, ac divinitatem, inde Patres colligunt, quod unus insit in altero. Sic Hilarius [5] τὸ ἀδιαίρετον utriusque, quod alter ab altero nihil differat, quæ naturæ est unitas, ex eo demonstrat. « Alter ab altero nihil differens, inquit, quia *vita viventis in vivo est.* » Hæc enim verba *vita viventis*, quod est Filius, *in vivo est*, nemqe Patre, mutuam in se declarant existentiam. Et in septimo libro, sub finem, idem Christi testimonium, et argumentum contra Arianos urget. Nam cum paulo ante Christus ita locutus esset, *Pater in me manens, ipse facit opera;* subinde adjicit: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* quæ sic expendit Hilarius : « Pater operatur in Filio; sed et Filius opus Patris operatur. Ne ergo per virtutis efficientiam, et non per naturæ, quæ secundum nativitatem est, proprietatem Pater in Filio et operari crederetur, et loqui, ait : *Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me est.* » Igitur vera in Filio divinitas, et eadem inesse, quæ est in Patre, verbis istis ostenditur : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Quod et tota sermonis dominici series illo in capite demonstrat. Etenim Christus ideo ista dixit, *in Patre se, et in se esse Patrem*, ut Philippo satisfaceret, a quo rogatus erat, ut Patrem ostenderet. Hoc

1 *Hebr.* I. — 2 Cap. XII, n. 6. — 3 Lib. II, cap. XI. — 4 *Joan.* XIV, 10. — 5 Lib. II *de Trinit.*

vero supervacaneum esse respondet; quoniam qui se videat, hoc est mentis acie contempletur, una et Patrem videat. Quod non esset consequens, nisi unum, idemque essent ambo. Hanc porro unitatem, vel identitatem potius, hisce verbis approbat, quibus in se mutuo inesse ambos asserit. Igitur ex illa in se existentia mutua naturæ unitatem adstruit. « Non enim suffecerat dixisse, addit Hilarius, *Qui me videt*, *videt et Patrem;* nisi intelligentiam nostram eousque protenderet, ut cum Patrem nosceremus in Filio, Filium tamen esse meminissemus in Patre; ne transfusio potius alterius in alterum existimaretur, quam per generationem, nativitatemque unitas ejusdem in utroque naturæ. »

II. At non solum ad unitatem essentiæ colligendam, quo Ariana impietas refellitur, utilis ille est locus; sed etiam ad personarum diversitatem, et Sabellii convincendam hæresim, ut ibidem docet Hilarius. Nisi enim duo illi, distinctique essent, non unus in altero inesse diceretur, sed ambo unus, et idem. Cyrillus item Alexandrinus in libro *Thesauri* XII « eo ipso, quod ait Christus, hunc in illo, et illum in hoc videri, identitatem deitatis, et unitatem substantiæ monstrari dicit; cum autem alterum in altero inesse asserit, excludi illud, ne quis unum aliquid esse numero putet[a]; » præsertim cum duorum æqualitas, quæ nonnisi inter diversos reperitur, iisdem significetur in verbis. Siquidem eo ipso, quod non solum in se Patrem esse dixit, sed se esse adjecit in Patre, æqualem se illi esse monstravit, ut Maldonatus observat; quod « haud scire se ait, an quisquam alius animadverterit. » Verum idipsum tanto ante Hilarius attigit illo in loco, quem proxime descripsi; dum non solum in Filio Patrem esse, sed etiam vicissim in Patre Filium, dixisse Christum adnotat, ut naturæ unitatem ostenderet, et idem clarius Cyrillus exposuit, libro IX *in Joannem*, cap. XL.

Rursus illud, quod initio posui, unitatis argumentum ex mutua in se amborum existentia Marius Victorinus adducit initio libri secundi *adversus Arium*, ita loquens : « Sed cum fatemur singulos duos, unum tamen Deum dicimus; et ambos unum Deum, quod et Pater sit in Filio, et Filius in Patre. » Sed et Ambrosius lib. X *in Lucam*, ad cap. XX : « Et Pater dominus, et Filius dominus : *Dixit Dominus Domino meo;* sed non duo domini; sed unus Dominus, quia et Pater Deus, et Filius Deus; sed unus Deus, quia Pater in Filio, et Filius in Patre. » Et Bernardus sermone V *de Verbis Esaiæ*, « *Ego in Patre,* ait Filius, *et Pater in me est.* Non potuit expressius substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari. Simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. » Et Damascenus lib. III cap. V, cujus verba paulo post afferemus.

Quod quidem argumentum *non a priori*, ut vulgo dicunt, sed *a posteriori* sumitur. Neque enim causa est, cur una divinitas, unusque Deus ambo sint, quod insint in se invicem; sed potius ex eo, quod una sit amborum divinitas, efficitur, ut illi in se invicem existant. Quæ res paulo hic latius enarranda est, ut quid mutua ista sit existentia, et in quo posita, ex antiquorum Patrum opinione tractemus; cujus disputationis ab eo declarando nomine capiemus initium, quod ei rei Græci, tribuerunt, Latini vero quidam neque recte intelligunt, et ex falsa illius explicatione nihilo veriorem subjectæ rei notionem adepti sunt.

Explicatur vox περιχώρησις circuminsessio.

III. Est ea Græcorum vox περιχώρησις, quam Latini de schola theologi « circuminsessionem appellare consueverunt, » ait Bellarminus [1], qui hanc ita definit, ut sit *intima, et perfecta inhabitatio unius personæ in alia*. Genebrardus item [2], qui plene, accurateque rem omnem explicat, « περιχώρησιν et *circuminsessionem* illam dici posse unionem existimat, qua unum existit in alio, non tantum per naturæ participationem, sed etiam per plenam, et intimam præsentiam. Hoc inexistentiæ, ut sic dicam, genus nostri *circuminsessionem* appellant; quia per illud aliqua, quantumvis a se invicem absque separatione distinguantur, in se absque confusione insunt, seque veluti immeant; ut cum Deus illapsu suo in piorum mentes se insinuat, infunditque substantialiter, aut cum impurus spiritus in animos abreptitiorum, quos ἐνεργουμένους vetus Ecclesia nominavit, introit, atque illabitur. » Addit et corporum exemplum immortalitate, gloriaque beatorum, quæ alia corpora penetrant, tum angelorum, qui in se invicem immeare, et inhærere possunt. Hæc Genebrardus. Quare περιχώρησιν

Circuminsessionem

[a] CYRIL. *Thes.* Ἵνα διὰ μὲν τοῦ, τοῦτον ἐν ἐκείνῳ, κἀκεῖνον ἐν τούτῳ φαίνεσθαι, τὴν ταὐτότητα τῆς θεότητος, καὶ τῆς οὐσίας τὴν ἑνότητα δείξῃ. διὰ δὲ τοῦ ἕτερον ἐν ἑτέρῳ εἶναι, μὴ ἕν τι ὂν ἐν ἀριθμῷ νοηθῇ.

1 Lib. II *de Christo*, cap. V. — 2 Lib. II *de Trinit.*

proprie esse definiunt existentiam rei unius in alia, sive præsentiam mutuam, quæ velut ad locum, vel id, quod *ubi* vocant, respectum, comparationemque habeat. Sic enim scholasticus quidam scriptor loquitur [1] : « Circuminsessio quidditative, formaliterque consistit in præsentia intima, et inseparabili, atque perpetua, secundum immensum ubi. » Hic περιχώρησιν *circuminsessionem* Latine reddidit, recentiores [2] alios secutus, quasi ab eo, quod est *circuminsidere* originem traxerit. Id autem est circumplecti aliquid, et circumsistere, vel circumfundi, quemadmodum locus rem in se locatam ambit, et continet. Hoc modo si solus Pater *circuminsidere* dicatur Filium, major, et quodammodo capacior sit, quasi hunc intra se cohibeat. Sed cum non solus Pater Filium, sed etiam Filius Patrem circuminsideat, mutua comprehensio amborum, et æqualitas proinde significatur *.

IV. Ea si recte posita vox esset, ac vocis potestas, περιχωρεῖν ab ea τοῦ χωρεῖν significatione ductum, quæ est *capere*, active sumeretur, et cum accusandi casu jungeretur. Atqui contra res habet. Non enim dicitur περιχωρεῖν τι, vel περιχωρεῖν ἄλληλα, sed cum præpositione εἰς, περιχωρεῖν εἰς ἄλληλα. Usus est eo verbo Gregorius Nazianzenus primum orat. XIV, ubi rerum omnium esse satietatem asserit, etiam jucundissimarum, velut somni, et cantionis; « et cuncta, inquit, in se invicem incurrunt, ac redacta vertuntur [a]. » Hic ea, quæ sunt invicem contraria, περιχωρεῖν εἰς ἄλληλα, et περιτρέπεσθαι ait, id est *in se mutuo converti*, atque in sua loca vicissim succedere, quia se alternis excludunt. Ita Maximus Martyr in *Scholiis* ad caput V Dionysii *de Divinis nominibus*, ea κατ' ἀντιπεριχώρησιν dici ait, « *quæ sibi succedunt invicem*, ut nox, et dies, æstas, et ver, et similia [b]. » Quare non istic valet *immeare*, ac se mutuo *penetrare*, sed quasi per orbem, et circuitum alia in aliorum venire locum, quæ nunquam simul, et in eodem loco consistunt. Sic alibi Nazianzenus : « Vita et mors, tametsi plurimum inter se dissidere videantur, in se tamen incurrunt invicem, atque altera in locum subit alterius [c]. » Nam vita mortem utique non penetrat, aut vitam mors, nec in unam altera subit, ut in ea maneat; verum περιχωρεῖν εἰς ἄλληλα dicuntur, quia *sibi per vices occurrunt ac succedunt*. Denique in epistola prima *ad Cledonium*, quæ est orat. LI, naturas in Christo duas, ut et earum appellationes misceri invicem, et inter se vicissim commeare dicit; ac propterea, quæ unius propria sunt, communicari cum altera. Ibi περιχωρεῖν εἰς ἀλλήλας dicuntur αἱ φύσεις, quod est *immeare invicem*, ac *sese pervadere* adeo, ut sejungi, ac divelli nequeant. *Naturæ.* Hunc locum paulo post describemus, in quo usus est verbi περιχωρεῖν ad illam, de qua agimus, personarum divinarum conjunctionem aptior. Damascenus vero interdum περιχωρεῖν εἰς ἄλληλα dixit, ut in tertio libro [3], cum de duabus in Christo naturis loquitur; alias περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις, ut in sequenti capite, de iisdem naturis, τὴν ἐν ἀλλήλαις περιχώρησιν dixit libro primo, cap. XI, de divinis personis agens; quod minus Græce usurpatum ab illo arbitror, nisi ἐν ἀλλήλοις idem sit, quod εἰς ἄλληλα : non autem mutuam inhabitationem, et collocationem significet; qualis est rerum simul, et in se mutuo manentium, ac se complectentium. Quamobrem non est περιχώρησις, si universe loquamur, *Circuminsessio.* mutua in se rerum, velut personarum divinarum, existentia, et immeatio, sive penetratio; sed habitudo ejusmodi, ut aut eædem res velut per orbem in se invicem incurrant, alternisque succedant, siquidem contrariæ sunt, nec simul esse possint; aut posita una, etiam et altera ponatur, ac vicissim consequentia valeat. Quemadmodum in his, quæ relata dicuntur, inest περιχώρησις; *Circuminsessio.* nam si Pater est, etiam Filius erit; et si Filius est, erit Pater; quæ περιχώρησις non efficit, ut res una in altera sit, sed ut opposita sit ei, atque ex adverso respondeat.

V. Tametsi sanctus Thomas [4] eorum, quæ

a Greg. Nazianz. Καὶ πλησμονὴ πάντων, οὐ τῶν ἀλγεινῶν μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ τῶν ἡδίστων· καὶ πάντα εἰς ἄλληλα περιχωρεῖ τε, καὶ περιτρέπεται.

b Maximus in Dion. Γίνεται δὲ καὶ τὰ ἐν γενέσει, καὶ φθορᾷ πάντα, καὶ ὅσα κατὰ ἀντιπεριχώρησιν· οἷον ἡ νὺξ, ἡ ἡμέρα, θέρος καὶ ἔαρ, καὶ τὰ τοιαῦτα.

c Nazianz. orat. XIX. Ζωὴ γοῦν καὶ θάνατος, ταῦθ' ἅπερ λέγεται, πλεῖστον ἀλλήλων διαφέρειν δοκοῦντα, εἰς ἄλληλα περιχωρεῖ πως, καὶ ἀντικαθίσταται.

* Ea si recte posita non esset, ac vocis potestas *perichorein (circumincedere)* ab ea *tou chorein* (*capiendi*) significatione ductum, quæ est capere, active sumeretur, et cum accusandi casu jungeretur. Atqui contra res habet. Non enim dicitur *perichorein ti (circumincedere aliquid)* vel *perichorein allela,* sed cum præpositione *eis* (in), *perichorein eis allela, in se invicem incurrere.*

J. B. F.

1 Rui. dial. CVII *de Trin.*, sect. VII, n. 9. — 2 Suar. IV *de Trin.* cap. XVI; Vasq. tom. II, par. II, disp. CLXIX, cap. II. — 3 Cap. VI. — 4 I par. qu. XLII. art. 5.

secundum relationem opposita sunt, esse unum in altero secundum intellectum ait; nimirum quia sine altero intelligi alterum nequit. At in divinis περιχώρησις unius personæ in alteram adjunctum hoc habet, ut una reipsa existat in altera, et eam intime pervadat adeo, ut, una posita persona, poni alteram necesse sit; vel ut separari invicem, ac seorsim esse nequeant. Atque hoc non ratione loci, vel ejus, quod *ubi* nominant, proprie sit, ut illis, quos paulo antea memoravi, theologis placet, qui περιχώρησιν intimam, ac mutuam esse volunt personarum præsentiam, ejusque causam referunt in Dei immensitatem, et *ubi* illud, ut vocant, infinitum; quibus assentiri equidem non possum. Nam etsi loci, et *ubi* notio omnis excludatur animo, ac solæ per se, absoluteque spectentur hypostases divinæ; nihilominus tamen περιχώρησις, et mutua in seipsis existentia personarum illic erit. Quippe et una posita, poni necesse erit alteram, nec a se invicem separari poterunt, et altera intime conjuncta erit alteri, in eaque inerit, et existet. Deinde aut immensitas illa utrobique esse debet, hoc est in duobus vel pluribus, quæ κατὰ περιχώρησιν in se dicuntur existere; vel in uno tantum. Si unum ex iis, quæ copulantur, immensum esse ad περιχώρησιν satis est; erit in Deo, et creatis omnibus eadem illa περιχώρησις, et *circuminsessio*, vel existentia mutua, quæ divinis personis velut peculiaris attribuitur. Nam Deus ipse immensum habet *ubi*, quod creata nulla res effugit, ex quo mutua illa, et intima præsentia consequetur; quod est absurdissimum. Sin est, ut ad περιχώρησιν, et *circuminsessionem*, quam ex Damasceno, Græcisque cæteris afferunt, utrobique immensitatem requiri dixerint; tam Gregorio Nazianzeno, quam eodem illo Damasceno auctore refellentur, qui et ambas in Christo naturas, quarum altera duntaxat immensum habet ubi, perinde, ut hypostases in Trinitate, εἰς ἀλλήλας περιχωρεῖν asserit, atque *in se invicem existere*. Non est igitur *ratio formalis*, sive *quidditas* τῆς περιχωρήσεως, et *circuminsistentiæ* in *ubi* immensitate posita, sed in intima aliqua conjunctione, atque οὐσιώδει, hoc est *substantiali* nexu; quatenus τὸ οὐσιῶδες oppositum est accidenti. Itaque ad περιχώρησιν, et mutuam illam ἐνύπαρξιν, quæ in Deo, Christoque cernitur, necessaria sunt duo. Alterum, ut sit nonnulla copulatorum distinctio, hoc est ut ea, quæ in se invicem existunt, duo sint quædam reipsa, et non sola cogitatione diversa; nam quod simpliciter unum est, in seipso inesse, aut in se immeare non dicitur. Alterum, ut aliquo οὐσιώδει sine ullo discrimine conveniant, unumque sint, et idem, cujusmodi essentia est, aut personalis proprietas, sive hypostasis. Ex utroque illò περιχώρησις ea, qua de agimus, efficitur; sive amborum in se invicem existentia, et inseparabilis, atque individua copulatio, cujus intima, et absoluta ratio est, sine ulla comparatione, respectuque ad locum, aut *ubi*, vel ejus immensitatem. Hanc περιχωρήσεως rationem recte Dionysius Alexandrinus explicat in libro *de Reprehensione, et defensione* apud Joannem Damascenum: « Nominum, inquit, illorum, quæ dixi, quodlibet inseparabile est, nec a proximo dividi potest. Patrem dixi, et priusquam Filium subjiciam, hunc in Patre significavi. Filium subjeci, et nisi Patrem ante nominassem, prorsus tamen in Patre mentio illius anticipata fuisset. Adjeci Spiritum sanctum, sed una et unde, et per quem venit, apposui. At isti nesciunt, neque Patrem alienum esse a Filio, qua Pater est; hoc enim vocabulum principalem causam conjunctionis significat; neque Filium a Patre divelli, siquidem appellatio ipsa Patris communionem ostendit. Tum in illorum manibus inest Spiritus sanctus, cum neque a mittente, neque ab ferente possit abesse [a]. »

Essentiale. *Perichoresin. Inexistentiam.* *Substantiali.* *Circuminsessio.*

VI. Ad hunc modum existentiam mutuam, qua in Patre Filius, et in Filio Pater inesse dicitur, veteres explicant, ejusque causam ab essentiæ unitate, et identitate repetunt, quatenus ad eam proprietates originis, vel personales accedunt. Tum περιχώρησιν et ἐνύπαρξιν istam σύγκρασιν, et ἕνωσιν, *commistionem*, et *unionem* appellant, ut intimum aliquid, et non *ubi* solo definitum, ac velut extrinsecus assumptum, in illius essentia, et notione desi-

Circuminsessionem. et inexistentiam.

a Dionys. apud Dam. in *Eclog.* cap. 1. Τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον ἀχώριστόν ἐστι, καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον. πατέρα εἶπον. καὶ πρὶν ἐπαγάγω τὸν υἱόν, ἐσήμανα τοῦτον ἐν πατρί. υἱὸν ἐπήγαγον· καὶ εἰ μὴ προειρήκειν τὸν πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ υἱῷ προείληπτο. ἅγιον πνεῦμα προσέθηκα. ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν, καὶ διὰ τίνος ἧκεν ἐφήρμοσα. οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν ὅτι μήτε ἀπηλλοτρίωται πατὴρ υἱοῦ ᾗ πατήρ. προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα· οὔτε ὁ υἱὸς ἀπῴκισται τοῦ πατρός· ἡ γὰρ πατὴρ προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν· ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος, μήτε τοῦ φέροντος δυναμένων (Cor. δυνάμενον) ὑστερεῖσθαι.

gnent. Sane Gregorius Nazianzenus in illa oratione, quam jam antea citavimus, περιχώρησιν, quæ duabus in Christo naturis convenit, ita declarat. Nam ea, quæ alterius propria sunt, accommodari, dici alteri, « commistis naturis perinde ac nominibus, atque ob arctissimam conjunctionem vicissim inter se commeantibus [a]. » Quem Gregorii locum mutuatus est Theodorus presbyter Rhaithuensis, cum de Incarnatione agit : « His, inquit, naturis in unum commistis, atque ob conjunctionem et unionem inter se commeantibus, similiter et appellationes invicem communicantur [b]. » Igitur περιχώρησις, et mutua naturarum in se ipsis existentia, ut et nominum, proprietatumque communio, ex ejus, in quo conveniunt, junctæque sunt invicem, unitate proficiscitur, ob συμφυΐαν, ait, et ἕνωσιν in eadem, ac singulari persona ; quo fit, ut, quæ Deo proprie conveniunt, homini tribuantur, et vicissim, quæ sunt hominis, Deo, ut et Damascenus exponit. « Atque hic est, inquit, communionis proprietatum modus, dum unaquæque natura, quæ sibi propria sunt, communicat alteri, propter identitatem hypostasis, et illarum mutuam inter se commeationem [c]. » Jacobus Faber Interpres περιχώρησιν ibi vertit *in invicem immanentiam, et insessionem*, haud quidem recte, ut jam observavimus ; ex quo theologi quidam essentiam illius, *immensitate ubi*, et *præsentia* definiendam putarunt, cum sit intelligenda potius mutua, et indivisa conjunctio.

Circumin-sessio.

Conjunctio-nem. Unitatem.

VII. Idem porro Damascenus τῆς περιχωρήσεως, quæ in Trinitate sacrosancta ponitur, naturam, ac rationem explicat ; asserens naturam et essentiam unam ac simplicem esse, hypostases autem solis tribus differre proprietatibus, « easdem secedere a se invicem, ac separari non posse ; et unitas, et in se invicem sine ulla confusione commeantes novimus ita ut et citra confusionem unitæ sint (tres enim sunt, etsi uniuntur) et sine separatione discretæ [d]. » Cujus subinde causam ita subjicit. « Quamvis enim per se quæque subsistat, hoc est perfecta sit hypostasis, et suam proprietatem, hoc est existendi modum diversum habeat, tamen unitæ sunt essentia et naturalibus proprietatibus ; et eo ipso, quod non separatur Filius, neque a paterna hypostasi recedit, unus Deus et sunt, et esse dicuntur. » Ergo περιχώρησις in divinis ex unitate essentiæ oritur, et naturalium omnium proprietatum, et in eo consistit, quod dividi ac separari persona una non potest ab altera ; sed citra confusionem, ac servato discrimine, insunt in se invicem. Ex quo fieri Damascenus asserit, ut unus ambo sint Deus ; nempe, quod ea proprietas ex essentiæ unitate profluat, propter quam in personis pluribus unus est Deus.

Circum sessio

Ad hæc in primo libro, capite XI ita disserit : « Etenim in sese invicem insunt hypostases, non ut confundatur, sed ut sibi hæreant, secundum Domini sermonem dicentis ; *Ego in Patre, et Pater in me est* [e]. » Ac paulo post : « Uniuntur enim, ut diximus, non ita, uti confundantur, sed ut in invicem hæreant ; ac mutuam in se commeationem habent, sine ulla confusione, commistioneque ; neque porro extra se consistunt, aut secundum substantiam secantur, cujusmodi divisionem Arius instituit. Indivisa quippe in divisis, ut uno verbo dicam, est divinitas [f]. » Hic veram, germanamque rationem attigit τῆς περιχωρήσεως et existentiæ in seipsis mutuæ personarum, nempe ut, salva distinctione proprietatum, indivisæ, et inseparabiles sint, ac sibi mutuo

Circu insessio

a GREGOR. NAZIANZ. orat. LI. Κιρναμένων ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω καὶ τῶν κλήσεων, καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας.

b THEOD. Rhait. tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Κιρναμένων οὖν τῶν τοιούτων φύσεων, καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας, καὶ τῆς ἑνώσεως, κιρνῶνται, καὶ περιχωροῦσιν εἰς ἀλλήλας ὡσαύτως καὶ κλήσεις.

c DAMASC. lib. III, cap. IV. Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως, ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια, διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταὐτότητα, καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν.

d DAMASC. lib. III, cap. V. Ἀνεκφοιτήτους δὲ αὐτὰς, καὶ ἀδιαστάτους ἀλλήλων, καὶ ἡνωμένας, καὶ ἐν ἀλλήλαις ἀσυγχύτως περιχωρούσας ἐπιστάμεθα· καὶ ἡνωμένας μὲν ἀσυγχύτως (τρεῖς γὰρ εἰσὶν, εἰ καὶ ἥνωνται) διαιρουμένας δὲ ἀδιαστάτως. Εἰ γὰρ καὶ ἑκάστη καθ' ἑαυτὴν ὑπέστηκεν, ἤγουν τελεία ἐστιν ὑπόστασις, καὶ τὴν οἰκείαν ἰδιότητα, ἤτοι τὴν τῆς ὑπάρξεως τρόπον διάφορον κέκτηται, ἀλλ' ἥνωνται τῇ τε οὐσίᾳ, καὶ τοῖς φυσικοῖς ἰδιώμασι, καὶ τῷ μὴ διίστασθαι, μηδὲ ἐκφοιτᾷν τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, καὶ εἷς θεός εἰσί τε, καὶ λέγονται.

e DAMASC. Ἐν ἀλλήλαις γὰρ αἱ ὑποστάσεις εἰσὶν, οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι, κατὰ τὸν τοῦ Κυρίου λόγον· ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί.

f Ibid. Ἑνοῦνται γὰρ, ὡς ἔφημεν, οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι ἀλλήλων, καὶ τὴν ἐν ἀλλήλαις περιχώρησιν ἔχουσι δίχα πάσης συναλοιφῆς, καὶ συμφύρσεως, οὐδὲ ἐξισταμένων, ἢ κατ' οὐσίαν τεμνομένων, κατὰ τὴν Ἀρείου διαίρεσιν. ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης.

cohæreant; quod ex unitate substantiæ, et οὐσίας oritur. Vide et librum I, c. XIX.

VIII. Atque hoc ex Athanasii potissimum doctrina Damascenus, aliique mutuati sunt, qui ad illam ἐνύπαρξιν, περιχωρήσεως vocabulum adjunxerunt. Nam Athanasius in orat. IV Arianos incessens, « Cum, inquit, Filium germanum e Patre esse non sentiant, de germano Filio mentiuntur, cui soli dicere convenit : *Ego in Patre, et Pater in me*. Est enim Filius in Patre, quatenus intelligere licet, eo ipso, quod totum id, quod est Filius, substantiæ Patris proprium est : quemadmodum ex luce splendor, et ex fonte fluvius, adeo ut qui videt Filium, videat id, quod proprium est Patris, et intelligat esse Filii ex Patre derivari, et sic in Patre esse. Est autem et in Patre Filius, quoniam quod Patris proprium est, hoc ipsum est Filius, sicut in splendore sol et in Verbo mens, et in fluvio fons. Ad hunc enim modum, qui contemplatur Filium, contemplatur id, quod Patris substantiæ proprium est, et agnoscit Patrem esse in Filio. Nam cum id quod proprium est, nempe divinitas Patris, sit esse Filii, consequens est ut et Filius in Patre sit, et Pater in Filio. Etenim propterea merito, cum ante dixisset : *Ego et Pater unum sumus*, adjecit, *Ego in Patre, et Pater in me*, ut et identitatem divinitatis, et substantiæ unitatem ostenderet [a].» Hæc Athanasius ; quem locum attulit Joannes Cyparissiotus [1], cujus in Græco fuisse videtur, τοῦ γὰρ εἴδους, καὶ τῆς θεότητος τοῦ πατρὸς οὔσης τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ. Nam Turrianus interpres Latine sic vertit : *Cum enim species, et divinitas Patris sit essentia Filii :* cui et Nannius Athanasii interpres assentitur. Verum melius in Athanasii Græco codice legitur τοῦ γὰρ ἰδίου, quam τοῦ εἴδους. Nam de eo, quod secundum essentiam Patris proprium est, agit Athanasius, qui et veram rationem indicavit, cur in se mutuo personæ sint, ac quid περιχώρησις illa valeat ; nimirum, quod ipsa eadem Patris substantia sit in Filio, ut ea in alterutro conspecta, videri alterum necesse sit. Hoc enim proprie est, ut supra docui, περιχώρησις mutua et necessaria copulatio, quæ id efficit, ut uno posito, consequens sit poni alterum, et ut invicem separari non modo intelligentia, uti quæ relata dicuntur, sed etiam reipsa, nequeant.

Circumincessio.

Circumincessio.

Sic in eadem oratione sanctus Athanasius ex eo, « quod divinitas, et proprietas (substantialis) Patris, et plenitudo divinitatis illius, est esse Filii [b], » consequi illa omnia dicit, quæ in Scriptura de Filio prædicantur, ut æqualis sit Patri, ut in Filio sit Pater, in eoque omnia illa faciat, quæ fieri dicuntur a Filio, ut qui Filium videt, videat et Patrem. « Atque ita est Pater in Filio. Sed et proprietas, ac divinitas illa, quæ ex Patre est in Filio, in Patre Filium ostendit, et inseparabilem ab eo semper esse [c]. »

Tum in oratione V: « Quemadmodum qui dicit Patrem, et Filium duo, unum dicit Deum ; ita qui dicit unum Deum, agnoscit duo : pro eo, quod Pater et Filius divinitate sunt unum, quodque ex ipso procedens Verbum impartibile, et inseparabile sit a Patre [d]. » Hanc mutuam in se personarum existentiam Cyrillus Alexandrinus aliis in locis explicat ; ut libro primo *in Joannem ;* et libro tertio. Et libro *Thesaurorum* XXXIII. Et in dialogo *de Incarnatione* probat inde contra Sabellianos Filium

a ATHAN. or. IV. Μὴ φρονοῦντες γὰρ υἱὸν γνήσιον εἶναι ἐκ πατρὸς, καταψεύδονται τοῦ γνησίου, ᾧ μόνῳ ἁρμόζει λέγειν, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. ἔστι γὰρ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ, ὥς γε νοεῖν ἔξεστι, ἐπειδὴ σύμπαν τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ, τοῦτο τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἴδιόν ἐστιν, ὡς ἐκ φωτὸς ἀπαύγασμα, καὶ ὡς πηγῆς ποταμός· ὥστε τὸν ὁρῶντα τὸν υἱὸν ὁρᾷν τὸ τοῦ πατρὸς ἴδιον, καὶ νοεῖν ὅτι τοῦ υἱοῦ τὸ εἶναι ἐκ τοῦ πατρὸς ὃν, οὗτος ἐν τῷ πατρί ἐστι, ἔστι δὲ καὶ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ· ἐπειδὴ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἴδιον, τοῦτο ὁ υἱὸς τυγχάνει ὢν, ὡς ἐν τῷ ἀπαυγάσματι ἥλιος, καὶ ἐν τῷ λόγῳ ὁ νοῦς, καὶ ἐν τῶ ποταμῷ ἡ πηγή. οὕτω γὰρ ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν, θεωρεῖ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας τὸ ἴδιον, καὶ νοεῖ ὅτι ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ ἐστι. τοῦ γὰρ ἰδίου τῆς θεότητος τοῦ πατρὸς οὔσης τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ, ἀκολούθως ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρί ἐστι, καὶ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ εἰκότως εἰρηκὼς πρότερον· ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· ἐπήγαγε τὸ, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοὶ, ἵνα τὴν μὲν ταὐτότητα τῆς θεότητος, τὴν δὲ ἑνότητα τῆς οὐσίας δείξῃ.

b ATHAN. orat. IV. Ἡ θεότης, καὶ ἡ ἰδιότης τοῦ πατρὸς τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἐστι, etc. Τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος, ἐστί τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ, etc.

c Ibid. Καὶ οὕτως ἐστὶν ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ, καὶ ἡ ἐκ τοῦ πατρὸς δὲ ἐν υἱῷ ἰδιότης, καὶ θεότης δείκνυσι τὸν υἱὸν ἐν τῷ πατρὶ, καὶ τὸ ἀεὶ ἀδιαίρετον αὐτοῦ.

d Idem orat. V. Ἀλλ' ὥσπερ ὁ λέγων πατέρα καὶ υἱὸν δύο, ἕνα θεὸν λέγει· οὕτως ὁ λέγων ἕνα θεὸν, δύο φρονεῖ, τῷ πατέρα καὶ υἱὸν ἓν ὄντα τῇ θεότητι, καὶ τῷ ἐξ αὐτοῦ ἀμέριστον, καὶ ἀδιαίρετον, καὶ ἀχώριστον εἶναι τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ πατρός.

1 Lib. IX, cap. VIII.

aliquid esse per se subsistens, quod alioqui non recte dixisset, *Ego in Patre, et Pater in me est.* »

IX. Jam Basilius epistola XLIII personarum περιχώρησιν, et συνάφειαν haud aliter expressit, cum illas « ordine quidem, consequenter, secundum naturam, conjunctim profiteri nos ait, tribus in unum, idemque commistis, ac temperatis[a]. » Itaque qui unam aliquam de tribus acceperit, reliquas necessario, et consequenter accipere ; « quemadmodum qui catenæ alicujus extremum arripit, alterum quoque extremum simul attrahet[b]. Proinde qui Filium, exempli gratia, vere sumpserit, habebit ipsum utrimque secum adducentem hinc Patrem suum, inde Spiritum sanctum. Non enim ille, qui in Patre semper est, abscindi a Patre poterit ; neque ab suo unquam Spiritu divelletur, qui in ipso operatur omnia. Similiter et qui Patrem admiserit, etiam Filium, et Spiritum sanctum potestate simul admittit. Non enim potest aliqua ullo pacto excogitari vel sectio, vel divisio, ut sive Filius absque Patre intelligi, sive Spiritus a Filio sejungi queat. Sed nescio quæ in istis animadvertitur, quæ neque verbis explicari, neque mente comprehendi potest, communio pariter, ac disjunctio[c]. »

Hæc Basilius ; in quibus περιχωρήσεως naturam, et proprietatem graphice describit, cujusmodi supra demonstravimus. Quinetiam alio in libro[1], ideo in se invicem esse Patrem, et Filium affirmat, « quod et hic talis est, qualis est ille ; et ille talis, qualis hic est[d], » nimirum, ut mox subjicit, quod una sit, et individua natura.

Præclare hoc Dionysius explicat libro *de Divin. nominibus*, capite secundo, dum ea, quæ sunt personis communia tribus, et distincta, referens, inter alia, « una est et communis, ait, mutua in se invicem, si sic loquendum est, uniprincipalium hypostaseon mansio, et stabilitas, universe supra omnem modum unita, ac nulla parte confusa, quemadmodum facium lumina, ut sensibilibus, et appositis utar exemplis, quæ in una domo sunt, ac tota in se totis invicem sunt pura, atque sincera, et exactam a se ipsis peculiariter subsistentem habent distinctionem, unita distinctione, et unione distincta. Itaque videmus, in domo cum plures sunt faces, in unum esse conjuncta omnium lumina, et uno ac minime distincto fulgore splendescere. Nemo autem, opinor, posset certæ cujuspiam facis lumen ab aliis ex aere omnia complectente lumina secernere, et alterum intueri sine altero ; cum tota sint in totis sine mistione temparata. Quinetiam si unam quispiam facem e cubiculo subtrahat, proprium illius una omne lumen exhibet sic, ut nullam alienorum luminum partem auferat secum, aut aliis relinquat e suo. Erat enim, ut supra memoravi, totorum perfecta cum totis unio permistionis omnis expers, neque ulla parte confusa. Atque hæc revera in corpore contingunt aereo, ubi lumen ex concreto cum materia igne dependet ; cum tamen illam supersubstantialem unionem eminere ducimus, non modo supra uniones illas, quæ cernuntur in corporibus, sed eas etiam, quæ in animabus ipsis, et in ipsis mentibus existunt[e], » etc. Hactenus Dionysius ; qui apta, et egregia similitudine mu-

Apta comparatio

a Basil. ep. XLIII. Ἀκολούθως μὲν, κατὰ τάξιν, συνημμένως δὲ κατὰ φύσιν, τῶν τριῶν κατὰ ταὐτὸν συγκεκραμένων ἐν ἑαυτῷ τὴν πίστιν ἀνετυπώσατο.

b Ibid. Ὥσπερ ἐξ ἁλύσεως ὁ τοῦ ἑνὸς ἄκρου ἁψάμενος, καὶ τὸ ἕτερον ἄκρον συνεπεσπάσατο.

c Ibid. Καὶ εἰ τὸν υἱὸν ἀληθινῶς τις λάβοι, ἕξει αὐτὸν ἑκατέρωθεν πῆ μὲν, τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, πῆ δὲ τὸ ἅγιον πνεῦμα συνεπαγόμενον. οὔτε γὰρ ὁ τοῦ πατρὸς ὁ ἀεὶ ἐν τῷ πατρὶ ὢν ἀποτμηθῆναι δυνήσεται. οὔτε τοῦ πνεύματός ποτε διαζευχθήσεται τοῦ ἰδίου ὁ πάντα ἐν αὐτῷ ἐνεργῶν. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ τὸν πατέρα δεξάμενος, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα συμπαρεδέξατο τῇ δυνάμει. οὐ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον· ὡς ἢ υἱὸν χωρὶς πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ διαζευχθῆναι, ἀλλά τις ἄῤῥητος, καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ διάκρισις.

d Basil. *contra Sabell.* Οὗτος γὰρ ἐν ἐκείνῳ, κἀκεῖνος ἐν τούτῳ. ὅτι καὶ οὗτος τοιοῦτός ἐστιν, οἷος ἐκεῖνος, κἀκεῖνος, οἷος οὗτος.

1 In homil. XXVII *contra Sabell.*

e Dionys. Ἡνωμένον μέν ἐστι, καὶ κοινὸν ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ, καὶ ἵδρυσις ὁλικῶς ὑπερηνωμένη, καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη, καθάπερ φῶτα λαμπτήρων, ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν, ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνὶ, καὶ ὅλα ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἐστὶν ἀκραιφνῆ, καὶ ἀκριβῆ τὴν ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει διάκρισιν. ἡνωμένα τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα. καὶ γοῦν ὁρῶμεν ἐν οἴκῳ πολλῶν ἐνόντων λαμπτήρων πρὸς ἕν τι φῶς ἑνούμενα τὰ πάντων φῶτα, καὶ μίαν αἴγλην ἀδιάκριτον ἀναλάμποντα. καὶ οὐκ ἄν τις, ὡς οἶμαι, δύναιτο τοῦδε τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων, ἐκ τοῦ πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι, καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρα θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων. ἀλλὰ καὶ ἕνα εἰ τόν τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου, συνεξελεύσεται καὶ τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς, οὐδέν τε τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεπισπώμενον, ἢ τοῦ ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον. ἦν γὰρ αὐτῶν, ὅπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου,

tuam, in se ipsis personarum existentiam declarat, ex naturæ identitate, et proprietatum distinctione profectam. Hunc porro locum Euthymius descripsit [1] ex capite secundo *de Distincta*, *et unita theologia*. Quam ex aliis exemplis plerique veterum illustrare conantur, velut fontis, et fluminis; tum colorum, qui admirabiliter distincti, conjunctique cernuntur in Iride. Atque hæc eodem spectant omnia, ut intelligamus τὴν περιχώρησιν, et ἐνύπαρξιν ex unitate substantiæ ortam, in intima, et absoluta copulatione personarum prius quam in « ubi immensitate » consistere.

X. Harum similitudinem paucis obiter perstrictis, Cæsarius eodem modo rem illam exponit. Nam his verbis, « *Ego in Patre, et Pater in me est*, eamdem substantiam, et nulla re diversam divinitatem, ac parem fortitudinem significari dicit [a]. » Cyrillus item Alexandrinus plerisque in locis περιχώρησιν istam explicat. Ut libro primo *Commentariorum in Joannem*, Filium esse in Patre, et Patrem in Filio, viderique alterum in altero docet, « non propter solam similitudinem substantiæ, ut et Filium in Patre velut characterem contemplemur, aut velut archetypum in Filio Patrem verum et Filium per generationem e Patris emicantem substantia, et ex ea proprie existentem, ac subsistentem Deum Verbum profitebimur; Patrem vero rursus in Filio, tanquam in consubstantiali fetu [b], » etc. Addit, « non alia ratione intelligi posse unum omnino Deum esse, si unaquæque Trinitatis persona in omnimodam proprietatem recedat, et ab naturali cum altera conjunctione, ac substantiva ad eam habitudine penitus abducta nominetur Deus [c]. » Paulo post etiam περιχώρησιν velut definiens, eam appellat *mutuam in se personarum immissionem* [d]. Et apud Euthymium ex eodem libro *Commentariorum in Joannem* : « Ita, inquit, alicubi Salvator ait se in Patre esse quidem ipsum, et in seipso esse similiter Patrem. Verum perspicuum id omnibus est non sic intelligendum hoc esse, uti, tanquam corpus in corpore, vel vas in vase, ita Pater in Filio capiatur, vel Filius vicissim quodammodo immittatur in Patrem. Sed hic in illo, et in hoc ille videtur, pro identitate substantiæ nulla re differente, et naturali unitate, ac similitudine [e]. »

Quibus Cyrilli verbis, etsi sola illa τῆς περιχωρήσεως notio, quæ corporum propria est, diserte, expresseque refellitur; valet tamen illius ratio ad eam quoque, quam supra notavi, theologorum improbandam opinionem, qui illam solam loci, sive τοῦ ποῦ, quod est *ubi*, immensitate metiuntur. Quæ ut seorsim, ac per se τῆς περιχωρήσεως notionem non implet; ita cum naturæ identitate, quæ vis est ejus propria, conjuncta, ad eamdem pertinet, imo ex naturæ unitate fit etiam illa secundum loci immensitatem consequens mutua in sese personarum exstantia. Declarat hoc eximius Euthymii locus in *Panoplia;* qui τὴν περιχώρησιν paucis, sed accuratis verbis explicat sic : « In se autem invicem inesse personas dicimus, tum ob earum mutuam cohærentiam, et quod invicem continent; tum quod loco circumscribi, capique nequeant; tum denique quod una sit illarum divinitas [f]. » Vide eumdem Euthymium egregie id exponentem ex Maximo Martyre [2].

Circum-. incessionis

Circum-incessionis.

Circum-incessionem

καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη. καὶ ταῦτα ὄντως ἐν σώματι, τῷ ἀέρι, καὶ ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτὸς, ὅπου γε καὶ τὴν ὑπεριδρύσθαι φαμὲν ὑπερούσιον ἕνωσιν οὐ τῶν ἐν σώματι μόνον ἕνωσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς, καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις, etc.

a Cæsar. *Resp. ad quæst.* III. Τὸ ταὐτὸν τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ἀπαράλλακτον τῆς θεότητος, καὶ ἰσοσθενὲς ἐν τούτοις δηλῶν.

b Cyrill. lib. I *in Joan.* Οὐ γὰρ δήπου κατὰ μόνην τὴν ὁμοιότητα τῆς οὐσίας ὡς χαρακτῆρα τὸν υἱὸν ἐν πατρὶ θεωρήσομεν, ἢ αὖ πάλιν ὡς ἀρχέτυπον ἐν υἱῷ τὸν πατέρα· ἀλλ' υἱὸν μὲν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας γεννητῶς ἐκλάμποντα, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ ἐξ αὐτῆς ἰδιοσυστάτως ὑπάρχοντα, καὶ ὑφεστῶτα θεὸν λόγον παραδεξόμεθα· πατέρα δὲ πάλιν ἐν υἱῷ· ὡς ἐν ὁμοουσίῳ γεννήματι, etc.

c Ibid. Ἐπεὶ πῶς ἂν ὅλως καὶ εἷς ὑπάρχειν νοοῖτο θεὸς, εἴπερ ἕκαστον τῶν σημαινομένων ἀναχωρήσει μὲν εἰς ἰδιότητα παντελῆ, ὁλοκλήρως δὲ τῆς πρὸς τὸ ἕτερον συμφυίας τε, καὶ σχέσεως οὐσιώδους ἀπενηνεγμένων ὀνομάζοιτο θεός ;

d Ibid. Τὴν εἰς ἄλληλα τῶν σημαινομένων, ὡς ἂν εἴποι τις, ἀντεμβολήν.

e Cyril. apud Euthym. *Panop.* par. I, tit. II. Οὕτως που φησὶν ὁ σωτὴρ, ὡς εἴη μὲν αὐτὸς ἐν πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ δὲ ὁμοίως ἐν αὐτῷ. ἀλλ' ἔστι παντί που δῆλον, ὡς οὐ προσήκει νοεῖν καθάπερ σῶμα ἐν σώματι, ἢ σκεῦος ἐν σκεύει, οὕτω χωρητὸν ἐν υἱῷ τὸν πατέρα, ἢ αὖ πάλιν τὸν υἱὸν ἀντεμβιβάζεσθαι τρόπον τινὰ τῷ πατρί. οὗτος δὲ ἐν ἐκείνῳ, κἀκεῖνος ἐν τούτῳ φαίνεται ὡς ἐν ταὐτότητι τῆς οὐσίας ἀπαραλλάκτῳ, καὶ τῇ κατὰ φύσιν ἑνότητί τε καὶ ὁμοιότητι.

f Euthym. *Panop.* par. I, tit. II. Ἐν ἀλλήλαις δὲ ταύτας φαμέν, διά τε τὴν ἀλληλουχίαν αὐτῶν, καὶ τὸ φεράλληλον, καὶ διὰ τὸ ἀπερίγραπτον, καὶ ἀχώρητον τόπῳ· ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν μίαν τούτων θεότητα.

1 Euth. *Pan.* par. I, tit. II. — 2 Euth. par. I *Panop.* tit. II.

Quinetiam Cyrillus Alexandrinus in septimo *Thesauri*, « naturalem Filii locum esse Patrem [a] » ait. Cui consentaneus est Hieronymus in commentario ad caput tertium *Ezechielis* ita scribens : « Filius locus est Patris, sicut et Pater locus est Filii, dicente domino Salvatore : *Ego in Patre, et Pater in me.* » Sed primaria, et nativa τῆς περιχωρήσεως ratio in naturæ, vel substantiæ communione sita est, qua « Filius cum Patre quodammodo commisceri, ac temperari » dicitur ab eodem Cyrillo [b]. Qui et permultis in locis mutuam illam ἐνύπαρξιν personarum substantiæ unitate metitur [1]. Ex hac tamen et immensitatis illa, sive loci, vel, ut loqui amant, τοῦ ποῦ, id est *ubi*, ταὐτότης sequitur. Hinc idem Cyrillus dialogo tertio *de Trinitate* causam reddit, cur ubique tam Filius sit, quam Pater, nec unus sine altero universa compleat.

Primaria circuminsessionis ratio est communitas substantiæ.

Identitas.

Huc etiam spectant illa loquendi genera, quibus multum veteres utuntur; ita distinctas esse personas divinas, ut nulla sit earum disjunctio. « Dividuntur, inquit, sed non divise [c]. » Et Joan. Damascenus, « dividi ait sine ulla distantia [d]. » Sic Ambrosius lib. II *de Fide*, c. II : « Pater et Filius, inquit, distinctionem habent, ut Pater, et Filius; separationem divinitatis non habent. » Et Tertullianus *contra Praxeam* capite octavo, « Prolatum, sed non separatum. » Toletana quoque synodus undecima, « Inseparabiles inveniuntur in eo, quod sunt, et in eo, quod faciunt. »

XII. Ut ex Latinis paucos commemorare pergam, non enim testibus pluribus opus est, Hilarius imprimis in secundo libro, brevi, sed accurata sententia totam illam, cujusmodi volumus, περιχωρήσεως, et existentiæ mutuæ rationem complectitur. « Perfectus, inquit, a perfecto, quia totus a toto : non divisio, aut discissio, quia alter in altero; et plenitudo divinitatis in Filio. » Nullam inter ambos esse divisionem ait; quod Athanasius τὸ ἀδιαίρετον, καὶ ἀμέριστον, καὶ ἀχώριστον vocat [2], quia totus est a toto; et plenitudo divinitatis est in Filio; quod πλήρωμα τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος idem Athanasius appellat. Sic idem Hilarius initio libri tertii, « Non duo, inquit, unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque. Pater in Filio, quia ex eo Filius : Filius in Patre, quia non aliunde ; quod Filius unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in se invicem, quia ut omnia in ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio unigenito perfecta sunt. » Quoniam ergo tota ipsa, quanta est, divinitas, quæ nonnisi unica, et singularis esse potest, a Patre communicatur Filio ; idcirco neuter ab altero separari potest, non solum loco, et *ubi*, sed nec intima, et ab omni loci contemplatione absoluta, atque in se spectata amborum existentia, secundum quam alter esse dicitur in altero; longe, opinor, diverso, præstantioreque modo, quam in mundo, creatisque rebus omnibus esse, et existere dicitur Deus; qui etsi propter immensitatem suam ab illis abesse nequeat, nec ab eo, quandiu sunt, istæ; nihilominus divisa, ac separata sunt invicem eo divisionis genere, quo Pater a Filio minime sejungitur.

Individuum et indivisum et inseparabile.

Plenitudo divinitatis Patris.

Rursus in septimo libro idem Hilarius, « Insunt, ait, sibi invicem, dum non est, nisi ex Patre nativitas : dum in Deum alterum natura vel exterior, vel dissimilis non subsistit : dum Deus ex Deo manens, non est aliunde, quod Deus est. » Et subinde : « Filius ex Patre est : et in Filio Pater, non per transfusionem, refusionemque naturarum, sed per viventis naturæ perfectam nativitatem. » Quod postea sub libri finem disertius exponit : « Ut cum Patrem, inquit, nosceremus in Filio, Filium tamen esse meminissemus in Patre ; ne transfusio potius alterius in alterum existimaretur, quam per generationem, nativitatemque unitas ejusdem in utroque naturæ. » Item, « Certe si quid afferat ambiguitatis caro, et corpus, et passio, vel operibus credatur Deum in Deo esse, et ex Deo Deum esse, unum eos esse, dum naturæ virtute uterque in se est, et neuter sine altero est, dum et Pater nihil ex suis amittit in Filio, Filius totum sumit ex Patre, quod Filius est. » In se ergo invicem sunt eo ipso, quod natura una cum sit amborum, alter ex altero nascitur. Quemadmodum et in octavo libro unum esse Deum probat inde, quod « Pater in Filio sit, et Filius in Patre per inseparabilis naturæ unitatem, non

a Cyril. lib. VII *Thes.* καὶ ἵνα οὕτως εἴπω, τόπος αὐτῷ φυσικὸς ὁ πατήρ.

b Idem, lib. XXXII *Thes.* Ὡς ἀνακεκράσθαι τρόπον τινὰ κατ' οὐσίαν αὐτῷ.

c Maxim. cent. II *de Charit.* cap. XXIX. Διαιρεῖται μὲν ἀλλ' οὐ διῃρημένως.

d Joan. Dam. lib. III, cap. V. Ἡνωμένας μὲν ἀσυγχύτως, διαιρουμένας δὲ ἀδιαστάτως.

1 Vide dial. III *de Trin.* dial. V, dial. VI, lib. II *in Joan*, lib. III, lib. IX, et lib. *Thes.* XII, et lib. *contra Anthrop.* c. XVIII. — 2 Orat. V.

confusam, sed indiscretam, neque permixtam sed indifferentem, neque cohærentem, sed existentem, neque inconsummatam, sed perfectam. Nativitas est enim, non divisio; et Filius est, non adoptio; et Deus est, non creatio, etc. Tenens hanc itaque manentis in Patre Filii, et Patris in Filio fidem, unum Deum Patrem, et unum Dominum Christum sibi esse Apostolus prædicat. » Sic in nono libro, « Credendus est Pater in Filio, et Filius in Patre, per naturæ unitatem, per virtutis potestatem, per nativitatis generationem. » Et in libro primo *contra Constantium*, erudite « inesse atque esse commune esse dicit. Nam *Pater in me est*, inquit, et *Ego in Patre*, æqualitas est; quæ vicissitudinem æqualitatis expressit, dum inesse, atque esse commune est. »

Circuminsessio. XIII. Quod autem περιχώρησις a Genebrardo, aliisque theologis ad mutuam præsentiam refertur, corporumque similitudine declaratur infusorum invicem, ac sese penetrantium, idipsum septimo in libro Hilarius excludit. Simul etiam illud ipsum repetit, quod τὴν περιχώρησιν proprie declarat, « nihil differre et esse, et inesse. Non est corporalium naturarum, inquit, ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentis naturæ habeat perfectam unitatem; ut manens unigeniti nativitas a paternæ divinitatis sit inseparabilis veritate. Unigenito tantum istud Deo proprium est, et in sacramento veræ nativitatis fides ista est, et spiritualis virtutis hoc opus est, nihil differre, et esse, et inesse. Inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore; sed ita esse, ac subsistere, ut in subsistente insit, ita vero inesse, ut et ipse subsistat. »

Circumincessionem Quanquam nec illud diffitendum est, ut jam dixi, περιχώρησιν, ac mutuam existentiam personarum, quasi per localem præsentiam, et *ubi*, interdum a Patribus explicari. Sed hoc facilioris, clariorisque intelligentiæ causa faciunt; quod aliter exponi ista nequeant, et a rudioribus percipi. Sic Paschasius Diaconus lib. I *de Spiritu sancto* capite X de Spiritu sancto loquens, « Si creatura, inquit, esset, quomodo penetrare posset incorpoream naturam omnia penetrantem? Capax enim sui est Trinitas, sicut *Ego in Patre, et Pater in me.* » Et Hieronymus in caput III *Ezechielis*, « Filius, inquit, locus est Patris, et Pater locus est Filii, dicente Domino Salvatore, *Ego in Patre, et Pater in me.* » Faustinus adversus Arianos scribens, illud a Christo usurpatum ait, *Ego in Patre, et Pater in me;* non utique per quamdam passivam confusionem, sed quia consequens est, ut, ubi Pater est, illic esse cognoscatur et Filius; et ubi Filius est, illic etiam Patrem exstare cognoscas. » At idem paulo post demonstrat, mutuam illam existentiam absolute, et citra immensitatis notionem in naturæ unitate, et communione divinitatis ab se constitui. « Et ideo ait, *Ego in Patre, et Pater in me.* Cum enim omnia, quæ sunt paternæ virtutis, et deitatis, habeantur in Filio, Pater in Filio est, et Filius in Patre. »

Marius Victorinus lib. IV *adversus Arium* itidem hoc, quod est in invicem existere, declarat his verbis: « Ergo quia insunt sibi, et licet Pater cum sit, Filius non sit; rursusque, cum Filius, qui est ejus, cujus est Filius, Pater non sit, tamen vi rerum, et substantiæ parilitate, cum vivere vita sit, et vita sit vivere, merito divina Salvatoris voce pronuntiatum est, *Et ego in Patre, et Pater in me.* » Ob substantiæ parilitatem, quod est τὸ ὁμοούσιον, et quia vivere, quod Patri tribuit, idem est ac vita, quam assignat Filio, ideo Patrem in Filio et in Patre Filium, dicit existere. Vide et librum secundum, cujus sub finem ambos illos in se inesse mutuo dicit, quia eadem in utroque virtus est, et substantia. « Item Filius, quo Filius est, in Patre esse non potest. Pater, inquit, quo Pater est, in Filio esse non potest, sed quo virtutis (*for.* quod) substantiæ sibi est, hoc est in altero. Inde alterum in altero, unum redditur etiam subsistentibus singulis; unum tamen, quia idem in utroque intelligitur, et nominatur. » Ac subinde ex eo, quod dicitur Filius esse in Patre, et Pater in Filio, concludit dici etiam Deum in Deo, lumen in lumine, quod idem sit in utroque. *Consubstantiale.*

XIV. Quod autem scriptum est ab eo: « Pater quo Pater est, in Filio esse non potest; » et vicissim: « Filius, quo Filius est, in Patre esse non potest, » non sic interpretandum est, quasi Filius, ut Filius, non sit in Patre. Est enim revera in Patre etiam proprietas ipsa personæ Filii, id est filietas, quatenus eadem res est cum substantia communi, quemadmodum et paternitas inest in Filio; non tamen paternitas est filietas, aut Pater Filius; de quo vide Demetrii Cydonis librum *de Processione Spiritus sancti*, capite IV, in quo subtilissime rem istam explicat. Verum hoc Victorinus unum sibi voluit, propter eamdem in utroque naturam, et essentiam, dici Patrem esse in Filio, et Filium in Patre, at non eodem modo esse alterum in altero, propter eamdem in utroque proprietatem; quoniam

et sunt duæ, non una tantum, et singulæ personæ singulis constant; non autem duabus quælibet, sicut eadem essentia singulas adjuncta proprietate, constituit.

Sic et illud Consentii in epistola *ad Augustinum* [1] castigandum fuit, « Pater ergo, et Filius, et Spiritus sanctus majestate ubique sunt, quia unum sunt; personis tantum apud se sunt, quia tres sunt : » quod illi respondens, respuendum esse docuit Augustinus. Id enim perinde dici, « quasi aliud sit Pater, aliud divinitas ejus, quæ illi communis est cum Filio, et Spiritu sancto. » Quocirca personarum distinctio non ad id valet, ut vel una ibi esse queat, ubi non sit alia, vel sola ubique sit essentia, persona autem non ubique; sed ut nulla sit confusio. Nimirum unitas essentiæ, vel identitas potius, hoc efficit, ut omnes et in se mutuo, et simul sint; proprietatum vero diversitas, ut tanquam alius in alio esse dicantur, quo in utroque περιχώρησις tota consistit. Pulchre hoc a Petro Chrysologo declaratum est in sermone LXXXVIII. « Sed dicis, inquit, et si in ipso est, quomodo est alius? Hæretice, sic est alius persona, ut sit ipse substantia : sic est ipse substantia, ut nulla sit confusio Trinitatis. Sic est unitas Trinitatis, ut nulla sit in deitate distantia, sic in se est, et sine se tota Trinitas non est, ut insit in Patre, et Filio, et Spiritu sancto personalitas definita, non separata divinitas. »

Circumincessio.

Fulgentius quoque libro *de Fide ad Petrum*, capite primo. « Per hanc unitatem naturalem, inquit, totus Pater in Filio, et Spiritu sancto est; totus Filius in Patre, et Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus sanctus in Patre, et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est; quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. »

XV. Atque idem Fulgentius uberrime hoc idem pertractat argumentum in libro III *ad Monimum;* ubi Arianos quosdam redarguit asserentes, Filium, sive Verbum, sic esse apud Deum, ut tamen in Deo minime sit [2]. « Ac per hoc, ex eo quod apud illum esset, non tamen in illo esse, extra illum, non intra illum esse, etc. Et ob hoc nec unius esse cum Patre substantiæ. Quoniam quidquid sic apud aliquem est, ut in illo non sit, profecto sic apud illum est, ut unius cum eo substantiæ esse non possit. » Contra quos toto libro disputat Fulgentius, ac probat, idem esse *apud Deum*, quod *intra Deum*, vel *in Deo*. Præsertim quoniam [3] « ipse Filius, qui est Verbum Deus, non solum Patrem in se, sed etiam se in Patre esse testatur. » Ac subinde docet, quid sit discriminis inter hæc, hominem esse apud alterum, a quo maxime diligitur, et esse Verbum apud Patrem : « Homo enim apud hominem sic est, ut non solum apud eum non esse possit, sed etiam, cum apud eum est, in ipso substantialiter esse non possit. Vere enim, qui sic apud alium est, extra illum est, quia, cum est apud illum sinceritate dilectionis, loco discernitur, quantolibet affectu sibi uterque jungatur. Sed sic est Verbum apud Deum, sicut in mente Verbum, sicut in corde consilium. Cum enimmens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum; et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se. Nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur; quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum; sic intra totam permanet natum. Et quia, cogitante mente, non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, et cum apud illam est, in illa est, et quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota, et in tota est. Tantumque est ipsum verbum, quanta simul est et mens ipsa cum verbo. Neque enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur. » Hæc Fulgentius; qui quod illam verbi existentiam in mente per hoc, quod est esse localiter, exponit, magis explicandi gratia facit, quam quod nihil requiri præterea putet. Revera enim recte probatur non inesse aliquid in altero, quomodo Filius in Patre est; cum illud loco ab isto separari dicitur. Neque tamen hoc satis est, in eodem esse loco, ut illa περιχώρησις habeatur; sed illud insuper accedat oportet, quod in sequenti capite docet, cum ait, « illud Verbum, quod Deus est, sic apud Deum esse, de quo est, ut per unitatem naturæ in Deo sit, et per eamdem unitatem unus cum illo Deus sit. »

XVI. Alchuvinus lib. I *de Trinit.* cap. XIV ad personarum περιχώρησιν illustrandam utrumque adhibet, et immensitatem Dei, et unitatem essentiæ : « Deus ergo per immensitatem

Circumincessionem

1 Ep. CCXXI Aug. — 2 Fulg. III *ad Mon.* cap. I, — 3 Ibid. cap. VII.

naturæ suæ, inquit, totam creaturam suam et implet, et continet; ac per hoc totum, quidquid est, implet Pater, totum Filius, totum Spiritus sanctus. Quapropter et Filius, et Spiritus sanctus naturaliter unus est Deus. Inseparabilis igitur naturæ unitas non potest separabiles habere personas. Hæc vero summæ Trinitatis, atque individuæ unitatis natura, quæ sola est ubique tota, sicut ubique inseparabilem habet unitatem naturæ, vel operis, sic separationem non potest recipere personarum. »

Sed omnium optime rem illam aperit Anselmus in capite libri *de Processione Spiritus sancti*, docetque nos quemadmodum fiat, ut, quamvis Patri Filius, et Spiritus sanctus, hoc est personæ uni duæ addantur aliæ, nihilominus unus sit Deus : « Quippe, inquit, si puncto punctum addimus sine intervallo, aut æqualem lineam in æquali linea, aut superficiem æqualem in æquali superficie collocamus, non fit nisi unus punctus, una linea, una superficies, etc. Hoc itaque modo, quamvis non sint plures æternitates, si tamen dicitur æternitas in æternitate, non est nisi una æternitas, et lumen in lumine unum tantum lumen est. Eodem modo quæcumque de Dei dicuntur essentia, si in se replicentur, nec quantitatem augent, nec pluralitatem admittunt. Quoniam autem Deus est æternitas, sicut extra æternitatem nihil est omnino, ita extra Deum penitus non est aliquid. Atque sicut æternitas non est nisi una æternitas in æternitate ; sic Deus in Deo unus et solus est Deus. Habemus autem ex vera fide, Deum esse de Deo, nascendo, et Deum de Deo, procedendo. Sed quoniam non est aliquid extra Deum ; cum nascitur Deus de Deo, vel cum procedit Deus de Deo, non erit nascens, vel procedens extra Deum, sed manet in Deo. Quoniam ergo Deus in Deo non est, nisi unus Deus, cum nascitur Deus de Deo, unus solus est Deus gignens, et genitus ; cum procedit Deus de Deo, unus tantummodo Deus est, et procedens, et de Deo, quo procedit. »

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER QUINTUS

IN QUO PERSONÆ PRIMÆ, ID EST, PATRIS, PROPRIÆ NOTIONES ET VOCABULA DECLARANTUR.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus τοῦ ἀγεννήτου, *et* ἀγενήτου, *quibus multum usi sunt Ariani, qui ea ab gentilibus acceperunt. Quid inter se differant; necnon* γεννητὸς, *et* γενητὸς: *quorum omnium usus apud plerosque promiscuus fuit.* Γεννᾶν *interdum esse*, opus efficere. *Variæ significationes* τοῦ ἀγεννήτου, *quæ ad tres revocantur, eæque singillatim explicantur. Eusebii in illis fucus, et calumnia. Discrimen* ἀγεννήτου *per duplex* νν, *et* ἀγενήτου *per simplex* ν, *observatum a quibusdam.*

I. Omnium nominum, quæ ad primam Trinitatis explicandam personam usurpata sunt a theologis, fuisse nullum arbitror vel Græcorum usu majore tritum, vel acrioribus inter eos jurgiis exceptum, quam ἀγεννήτου vocabulum, quod Latini partim *ingenitum* [1] vocant, partim *infectum* [2], vel *inoperatum* [3], alias *innatum*, aut *innascibile* [4]; aut *non natum* [5] aut *ab origine liberum* [6]. Nullum certe fuit, quod hæretici libentius adhiberent, quodque non solum personæ illi primæ, sed etiam divinæ ipsi naturæ, et essentiæ proprium magis, atque intimum putarent; adeo quidem, ut in eo divinitatis positam esse dicerent rationem, ac notam, qua qui careret, Deum hunc esse volebant non eo jure, quo qui optimo, sed vocabulo tenus, aut adoptione, aut imitatione veri, aut comparatione, et habitudine quadam, quæ naturæ proprietatem excluderet. Ex hæreticis porro id imprimis adamarunt, ac celebrarunt Arianorum pessimi Aetiani, vel Eunomiani, qui et Anomœi, et Athei cognominati sunt, quod Filium inæqualem Patri, ac dissimilem facerent Deum, hoc est nullum. Testantur hoc vehementes illæ super hoc nomine disputationes Aetii, et discipulus ejus qui fuit, Eunomii, apud Basilium, Gregorium Nyssenum, Cyrillum, et omnibus antiquiorem Athanasium, sed imprimis Epiphanium [7]; qui in illorum hæresi septem et quadraginta de hac una voce Aetii argumenta commemorat, argutis cavillationibus, et calumniis referta; quæ ad triginta sex redacta Nicetas [8] in quintum *Thesauri* sui librum contulit.

II. Sed illius usum nominis a patriarchis suis, uti Tertullianus eos appellat, hoc est gentilibus, hæreticos accepisse docet Athanasius [9], « ut per occasionem nominis istius inter facta, et creata Dei Verbum annumerarent, per quod illa ipsa sunt producta, quæ facta sunt [a]. » Sic mundum hunc, et materiam ἀγέννητον dicebat Aristoteles; Plato *Ingenitam.*
ideas, vel οὐσίας ἀγεννήτους, hoc est *infectas, minimeque productas*, ut Ambrosius [10], et in *Thesauro* Nicetas [11] observat. Et Atticus Platonicus apud Æneam Gazæum, Platonem refert, « mundum hunc putasse, non ingenitum esse, neque sempiternum, sed a potentiore, et perfectiore, qui antiquissimus est, et intelligibilis Deus, esse factum. Quippe cum et aspectabilis,

a Athan. Ἐχρήσαντο παρ' Ἑλλήνων λοιπὸν τὴν λέξιν τοῦ ἀγεννήτου· ἵνα προφάσει καὶ τούτου τοῦ ὀνόματος ἐν τοῖς γεννητοῖς πάλιν καὶ τοῖς κτίσμασι συναριθμῶσι τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, δι' οὗ αὐτὰ τὰ γενητὰ γέγονεν.

1 Ambros. l. *de Incarn.* cap. VIII et IX. Aug, V *de Trin.* c. V. — 2 Iren. *Interp.* l. IV, c. VII.— 3 Amb. l. *de Incar.* cap. IX. — 4 Novat. *de Trin.* cap. XXXI et Prudent. *in Apotheo.* — 5 Hilar. lib. IV et XI. — 6 Id. lib. XII et lib. IV. — 7 Hær. LXXVI — 8 Lib. V, cap. XXXIX. — 9 Lib. *de Decret. Nic. synodi*, et orat. XI *contra. Arian.* — 10 Lib. *de Incarnat.* c. IX. — 10 Lib. V, cap. XLIII; Nazianz. orat. XXXV.

et tactilis sit, atque omnino corporeus sit, fieri non potuisse, ut esset ingenitus. Nam quorum substantia ope alterius indiget, ut existat; qui fieri possit, ut non illa et esse facta confiteamur, et ab eo conservari, qui fecerit? Porro idem ridiculum appellabat Aristotelem, qui cum hunc mundum visu pariter, et tactu percipi, ac corporeum esse fateretur, nihilominus ingenitum, et incorruptum esse pugnabat[a]. » Julianus quoque desertor apud Cyrillum[1], Mosem arguebat, quod de angelis, ac mundi certi nihil docuisset, an facti essent, hoc est ἀγένητοι, an γενητοὶ, vel γεγονότες. Ab illis auctoribus hæretici veteres, uti dogmata sua, ita usum istius vocabuli mutuati sunt. Ut Basilides, qui ut testis est Epiphanius, « Ingenitum aiebat unum esse solum omnium Patrem[b]. » Et Valentinus supremum illum ἀιώνων omnium principem, quem Βυθὸν nominabat, ἀγέννητον esse dicebat, ut Irenæus[2] ab Epiphanio[3] citatus prodidit, quem Tertullianus[4] interpretatur *innatum*. Paulus item Samosatenus, a quo proxime Ariani contra Filium insanire didicerunt, Patrem ἀγέννητον appellabat, eodem, quo Arianos fecisse, studio scribit Athanasius: ut Dei Filium e Virgine natum « recentem, ac creaturam esse monstraret, » ait Dionysius Alexandrinus[c]. Ita enim impius iste disputabat, quomodo et Ariani paulo post. « Quinam igitur quod crescit, et roboratur, hoc dicis et antecedere sæcula, et cum ingenito Patre principii expers et coæternum esse[d]? »

Æonum.

Bythum... ingenitum.

Manichæi similiter materiam ἀγέννητον esse dicebant, et ut Chrysostomus loquitur, *ingeniti prærogativa* honorabant[e]. Nihilominus veteres aliqui eam vocem usurpasse de Deo leguntur, ut Irenæus in fragmentis libri IV, cap. LXXIII.

III. Ad extremum Ariani nomen idem crebro, ac præ cæteris inculcarunt, maxime Anomœi, eorumque principes Aetius, et Eunomius. Quare ἀκρόπολιν, et τεῖχος τῆς καταφυγῆς, id est *arcem, ac murum perfugii* hæreticorum istorum vocat Gregorius Nazianzenus[5]. Nyssenus vero « propugnaculum, unde in catholicum dogma impressionem faciebat[f] » Eunomius. Basilius πρῶτον στοιχεῖον, « primum elementum blasphemiæ ipsorum. » Usus est ea voce passim et Eusebius Cæsariensis, qui et Deum appellat[6] ἀγέννητον φύσιν, hoc est *naturam innatam*, vel *ingenitam*, et « Verbum ingenitæ naturæ esse dicit imaginem[g]. » Imprimis autem usurpari vox ab illis ista cœpit, postquam impiæ, ac profanæ illæ sententiæ consensu omnium, et convicio explosæ sunt, quibus Dei Filium *de non exstantibus fuisse* jactabant, et *fuisse aliquando tempus, cum non esset.* « Postquam enim, ut ait Athanasius, confidere desierunt vocibus istis, *de non exstantibus*, et *non erat*, *antequam gigneretur*, ingeniti vocabulum finxere sibi, ut Filium γενητὸν, id est factum esse, coram simplicioribus usurpantes, eadem rursus ipsa verba, de non exstantibus, et non erat aliquando, significent[h]. » Quocirca cum nemo dubitaret, idque catholici ultro concederent, Patrem ἀγέννητον esse, hoc est *ingenitum*, secundum omnes nominis istius acceptiones, de quibus mox agetur; Filium autem, et Spiritum sanctum peræque constaret ἀγεννήτους non esse, quoniam ab aliquo principio producti

Vocem ingeniti arcem suæ hæresis fecerunt Ariani.

Ingenitos.

a ÆNEAS, tom. I *Bibl. Græco-Lat.* Τοιοῦτον δὲ αὐτὸν ὄντα οὐκ ἀγέννητον, οὐδ' ἀίδιον εἶναι· ἀλλ' ὑπὸ τοῦ μείζονος τὴν δύναμιν, καὶ τελειοτέρου θεοῦ, τοῦ πρεσβυτάτου καὶ νοητοῦ γεγονέναι. ὁρατὸν γὰρ ὄντα, καὶ ἁπτὸν, καὶ πάντα σωματοειδῆ ἀμήχανον ἦν ἀγέννητον εἶναι. ὧν γὰρ ἡ οὐσία βοηθείας δεῖται τῆς παρ' ἑτέρου πρὸς τὸ εἶναι, πῶς ταῦτα μὴ ὁμολογοῦμεν γεγονέναι τε, καὶ ὑπὸ τοῦ ποιήσαντος διασώζεσθαι. τὸν δὲ Ἀριστοτέλην καὶ γελοῖον ἀποκαλεῖ, ὁμολογοῦντα μὲν τόδε τὸ πᾶν ὁρατὸν εἶναι. καὶ ἁπτὸν, καὶ σωματοειδὲς, ἀγέννητον δὲ ἄφθαρτον εἶναι φιλονεικοῦντα.

b EPIPH. hær. XXIV, num. 1. Ὅτι φησὶν ἦν ἓν τὸ ἀγέννητον, ὃ μόνος ἐστι πάντων πατήρ.

c DION. ALEX. ep. *contra Paul. Sam.* in resp. V. Τὸ δὲ εἰπεῖν αὐτὸν ἀγέννητον πατέρα· ἵνα διὰ τούτους, φησὶ, δείξῃ πρόσφατον, καὶ κτίσμα.

d PAUL. SAM. ibid. Πῶς οὖν τὸ αὔξον, καὶ κραταιούμενον λέγεις, ὅτι προαιώνιον, καὶ συνάναρχον τῷ ἀγεννήτῳ πατρὶ, καὶ συναΐδιον;

e CHRYSOST. tom. V Savil. hom. I. Τῆς ἀγεννησίας πρεσβείοις ἐτίμησαν.

f GREG. NYSS. lib. I *contra Eunom.* Καὶ τοῦτο πεποίηται τῆς κατὰ τοῦ δόγματος ἡμῶν καταδρομῆς ὁρμητήριον. Vide Epiph. hær. LXXIII, num. 19, et hær. LXXVI, object. 5.

g EUSEB. lib. V *de Demonst.* Λόγον εἰκόνα τῆς ἀγεννήτου φύσεως.

h ATHAN. orat. II. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκέτι παῤῥησίαν ἔχουσιν ἐν τῷ λέγειν, ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ οὐκ ἦν πρὶν γεννηθῇ, ἐπενόησαν αὐτοῖς τὴν τοῦ ἀγεννήτου λέξιν· ἵνα τὸν υἱὸν γεννητὸν παρὰ τοῖς ἀκεραίοις λέγοντες, αὐτὰ πάλιν τὰ ῥήματα τὰ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ, οὐκ ἦν ποτε, σημαίνωσιν.

1 Lib. III *contra Julianum.* — 2 Lib. I, cap. I. — 3 Hær. XXXI, num. 10 et 13. — 4 Lib. *contra Valent.* — 5 Orat. XXXVII — 6 Euseb. III *de Demonst.*

sunt; sumebant, id quod ex usu gentilium *Ingenitum.* scriptorum inveteraverat, τὸ ἀγέννητον idem esse, ac summum, et omnium parentem, et procreatorem Deum, qui et unicus, ac singularis esset, et ab eo γενητὰ omnia facta, genita, procreata dicerentur. Inter quæ præstantes quasdam, et eximias aiebant esse naturas, dissimili ac reliquas modo, conditioneque factas; quæ, quod excellentiæ divinæ plus cæteris essent participes, Dei appellationem obtinerent; quale esse Dei Verbum Arianorum pessimi solum putabant; qui inter illos tolerabiliores erant, etiam Spiritum sanctum. *Ingenitum.* Itaque ἀγέννητον propriam Dei esse notam, imo substantiam ejus, et essentiam asserebant, *Ingenitum.* idemque esse dicere ἀγέννητον, quod *Deum*. Hinc adversus catholicos sæpe ista jactabant: « Nos duo ingenita non dicimus, hoc est deos duos[a], » ut refert Athanasius. Atque ut *Ingenitum.* quod ἀγέννητον est, opponitur ei, quod est *Factum.* γεννητὸν, neque possunt ambo in uno et eodem *Deum... factum.* reperiri, sic neque Θεὸν cum eo, quod est γεννητὸν, congruere posse colligebant, nisi abusione quadam nominis; quod Eunom. subdole contendebat apud Greg. Nyssenum, efficere hoc argumentatione sua studens, « quidquid non est ingenitum, neque Deum esse; ac tantum distare unigenitum Deum, qui ingenitus non est, ab eo, ut sit Deus, quantum et ingenitus abest ab eo, ut sit, aut appelletur genitus[b]. »

IV. Sic Basilius in primo *Antirrhetico* adversus Eunomium scribit hæreticum istum *Ingeniti.* libentius τοῦ ἀγεννήτου vocabulum adhibuisse, quam Patris, quod in illo negatio sit, quæ ἀντίθεσιν, id est *oppositionem* significat « ut quam in nominibus exprimi contrarietatem ostenderet, eamdem in ipsam transferret Patris, Filiique substantiam[c]. »

Gregorius item Nyssenus, « Cur igitur, inquit, innascibilitatem, tanquam solam congenitam dignitatem attribuunt Patri, cæteris omnibus repudiatis? Nimirum, ut oppositione ingeniti et geniti, dissimilitudinis modum improbe adstruant[d]. »

Item alibi, propensiores in illud nomen fuisse idcirco docet, « quod significatio ejus absoluta » sit, et nullam cum Filio communionem indicet[e]. Ambrosius libro *de Incarnationis mysterio*, capite nono, de Arianis loquens, « Neque enim, ait, discretionem faciunt ingeniti, et inoperati; neque distantiam volunt esse inter genitum, vel creatum, modo ut creaturam Filium dicant. » Itaque cum Arius ejusque socii in libello, quem obtulerunt Alexandro Alexandriæ episcopo, Filium scripsissent esse γέννημα, ἀλλ’ οὐχ ὡς ἓν τῶν γεννημάτων, Hilarius Latine posuit, *facturam, sed non secuti cæteras facturas*, ad illorum mentem respiciens. At subinde pro eo, quod illi dicunt, se non, ut Manichæus, ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα introducere, vertit Hilarius, *Nec, sicut Manichæus partem unius substantiæ Patris natum exposuit*, γέννημα *natum* interpretatus, non facturam. *Consubstantialem Patri facturam.*

V. Antequam de hac hæreticorum cavillatione, ac miris ludificationibus, et artibus dico, quas in una illa voce struxerunt; ejus primum usus, ac proprietas debet animadverti, quam pauci ex veteribus assecuti sunt; qui si paulo eam attentius observassent, minus cum hæreticis negotii, et contentionis habuissent. Duo sunt nomina, quæ voce, ac scriptura simillima, dissimili sunt notione prædita, *Discrimen inter γεννητὸς et γενητὸς, gennetos et genetos.* γεννητὸς et γενητὸς, quorum prius ab eo fit, quod est γεννάω, posterius ab γίγνομαι. γεννάω proprie est *gignere*, vel *generare*, unde γέννησις *generatio*, et interdum etiam *nativitas*, ut et γεννᾷν non solum est *gignere*, vel *generare*, sed etiam *in lucem edere*; quod de femina plerumque dicitur. Quare *Matthæi* II, quod Latine redditum est, *Cum natus esset Jesus in Bethlehem*, Græce sic habetur, τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος. Et apud Lucam, *Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium*[1]. Græce, καὶ ἐγέννησεν

a Athan. orat. IV. Καὶ γὰρ, καὶ τὸ σοφὸν αὐτῶν, ὅπερ εἰώθασι λέγειν οὐ λέγομεν δύο ἀγέννητα, φαίνονται πρὸς ἀπάρτην τῆν ἀκεραίων λέγοντες. φάσκοντες γὰρ, οὐ λέγομεν δύο ἀγέννητα, λέγουσι δύο θεοὺς, καὶ τούτους διαφόρους ἔχοντας φύσεις.

b Greg. Nyss. lib. VI *contra Eunom.* Δεικνὺς διὰ τῶν εἰρημένων, ὅτι τὸ μὴ ἀγέννητον θεὸς οὐκ ἔστι· καὶ ὅτι τοσοῦτον ἀπέχει ὁ μονογενὴς θεὸς, διὰ τὸ γεννητὸν εἶναι, τοῦ εἶναι θεὸς, ὅσον καὶ ὁ ἀγέννητος τοῦ γεννητὸς εἶναι, ἢ λέγεσθαι.

c Basil. in lib. II *cont. Eunom.* Τῷ δὲ αὐτῷ εἴδει πάλιν τοῦ τεχνάσματος ἐπιμένει, τῷ ἀγεννήτῳ λέγων μὴ εἶναι πρὸς τὸ γεννητὸν σύγκρισιν, οὐχὶ τῷ πατρὶ πρὸς τὸν ἐξ αὐτοῦ· ἵνα ἥν περ ἂν ταῖς φωναῖς ταύταις ὑπάρχουσαν ἀντίθεσιν ἐπιδείξῃ, ταύτην ἐπ’ αὐτῆς τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ μετενέγκῃ.

d Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Καὶ διὰ τί μόνον συμφυὲς ἀξίωμα τὴν ἀγεννησίαν ἐπὶ τοῦ πατρὸς δογματίζουσι, τὰ λοιπὰ παρωσάμενοι; ἵνα τῇ πρὸς τὸ γεννητὸν ἀντιδιαστολῇ, τὸν τῆς ἀνομοιότητος κακουργήσωσι τρόπον.

e Idem lib. I *contra Eunom.* Ἐπειδὴ τούτου τοῦ ὀνόματος ἄσχετόν τε, καὶ ἀκοινωνητόν ἐστι πρὸς τὸν υἱὸν τὸ σημαινόμενον.

1 Cap. I, 57.

υἱόν. Inde et γεννητὸς tam *genitum* valet, quam *natum*, quemadmodum et *genitus* idem sæpe est, ac *natus*; quod Laurentius Valla[1] demonstrat. Alterum nomen γεννητὸς ab eo derivatum, quod est γίγνομαι, latius patet. Nam hoc universe significat, quod producitur, et initium habet existendi, quocumque id modo fiat, sive generatione, sive procreatione, sive effectione. Hinc nomen γένεσις *generationem*, vel *nativitatem* significat; ut apud Matthæum[2]: *Liber generationis Jesu Christi*,, Βίβλος γενέσεως. Et in mathematicorum astrologorumque prædictionibus γένεσις pro nativitate, sive natalitio cœli situ solet accipi. Sed frequentiore in usu est γένεσις pro *generatione*, ut in Aristotelicis libris περὶ γενέσεως, καὶ φθορᾶς, quam γενητὸς pro eo, quod generatur. Hoc enim generalem habet notionem, ac de eo dicitur, quod utcumque fit, et cum initio aliquo producitur; minus autem pro *genito* sumitur, nisi quatenus ad commune productionis genus refertur. In quo differt a γεννητὸς, vel γέννημα. His enim nominibus ea proprie declarantur, quæ vera generatione propagata sunt, ut sunt filii, ac fetus animantium; rarius autem, nec nisi tropice, ac translatitie de artis operibus, effectisque dicuntur. Quemadmodum librorum auctores a Græcis vocantur *patres*, et libri ipsi *filii*. Ut Synesius epistola prima, παῖδας ἐγὼ λόγους ἐγεννησάμην, *Filios ego libros genui*, vel *in lucem edidi*. Habet enim similitudinem aliquam generationis, animi commentatio, et librorum elucubratio, præsertim sanctioris illius, ac mentis propriæ, qua verbum gignitur. Cætera vero artis opera non usitatius γεννήματα vocentur, quam παῖδες, aut quam artifices ipsi πατέρας; quod in illis insolentius est, neque vulgarem tropum continet.

De generatione et corruptione.

VI. Ad summam, verbum ipsum γενέσθαι, et γεγονέναι, et nomen γένεσις, *gignendi*, vel *generandi* notionem communius obtinent; at γενητὸν rarius usurpatur de eo, quod proprie gignitur, nisi quatenus fit ipsum in rebus creatis, et cum ante non esset, incipit existere. Pro eo vero γεννητὸν, et γέννημα sæpius in sermonem venit. At γεννάω proprie est *gignere*; interdum etiam *opus efficere*. Sic enim Philo Judæus in libro *de Cherubinis* haud longe ab initio de stellis loquens, ait « illas ordinem non deserere, quem qui eas genuit, in mundo præstituit[a]. » Et paulo post scribit, Deum « bonitate sua universum hoc genuisse[b]. » Gregorius Nyssenus libro primo *contra Eunomium*, γεννήσεως nomen, et quæ ab eadem origine varie deflectuntur, laxa et generali notione sumpsit pro quacumque rei productione. Itaque plures illius species enumerat, quarum una est procreatio, et effectio : « Cum, inquit, de Scriptura loquens, de conditrice vi mentionem facit, generationem vocat hanc actionem[c]. » Itaque γέννησιν cum γενέσει confundit. Et quod est in *Psalmo* CXLVIII, *Ipse dixit, et facta sunt*, αὐτὸς εἶπε, καὶ ἐγενήθησαν, quæ est communis tam cusorum, quam scriptorum codicum lectio, legit ille ἐγεννήθησαν, et significari asserit τὴν διὰ τῆς κτίσεως γέννησιν, *generationem, quæ per creationem fit.*

Huic affine est, quod Latini *gignere*, vel *generare* pro eo sumunt, quod est *efficere*, *creare*, et extra se, ac non de sua substantia producere. Plato in *Timæo*, cum de rerum omnium, ac mundi procreatione disputat, γενέσεως, et τοῦ γίγνεσθαι vocibus utitur; quem Cicero[4] interpretans, *gignendi* vocabulum, vel *generandi* passim pro illis posuit. « Quid est, inquit, quod semper sit, neque ullum habet ortum, et quod gignatur, nec unquam sit[d]. » Item, « Omne, quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. Nullius enim rei causa remota reperiri origo potest[e]. » Sic Boetius[5]:

« Constat æterna, positumque lege est,
Ut constet genitum nihil. »

Sic e contrario *factum* pro *nato* posuit Apostolus capite quarto epistolæ *ad Galatas*. *Misit*, inquit, *Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*[f]; quod Cassianus[6] observat, qui et aliorum locorum exemplis utitur, velut e

a PHILO *de Cherub*. Τάξιν οὐ λείποντες. ἥν ὁ γεννήσας αὐτὰς πατὴρ ἔταξεν ἐν κόσμῳ.

b Ibid. Καὶ ἀγαθότητι μὲν τὸ πᾶν γεγεννηκέναι. Et lib. *de Sacrif. Abelis et Caini*.

c GREG. NYSSEN. lib. I *contra Eunom*. Ὅταν μὲν γὰρ περὶ τῆς κατασκευαστικῆς λέγει δυνάμεως, γέννησιν μὲν ὀνομάζει πὴν τοιαύτην ἐνέργειαν.

d PLATO *in Tim*. Τί τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δὲ οὐδέποτε.

e Ibid. Πᾶν δὲ αὖ τὸ γινόμενον ὑπ' αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίνεται. παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν.

f *Gal*. IV, 4. Ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον.

1 Annot. in *Matth*. cap. I. — 2 Cap. I. — 3 Lib. I *contra Eunom*. — 4 Cicer. lib. *de Univer*. — 5 Boet. *de Consol*. metro. III. — 6 Cassian. VI *de Incarnation*. cap. VIII.

Psalmo XLIV : *Pro patribus tuis facti sunt tibi filii*[a]. » Vulgo tamen legitur, *nati sunt*, ut et Græce ἐγεννήθησαν. Item *Joannis* VIII: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* « In quo scilicet, ait Cassianus, evidenter dixisse noscitur, priusquam nasceretur, ego sum, facti nomine rem nativitatis ostendens, quia efficientiam facti habet, quidquid non indiget, ut fiat. » De vocabulo γενέσθαι, et similibus, memorandus est Athanasii locus, qui in *Catena Græca in Job* citatur ad illa verba *Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ*[b]. Ubi Athanasius adnotat, non statim auditis verbis istis γενέσθαι, ποιηθῆναι, cæterisque talibus, creaturam esse cogitandam, vel opificium ; aut quibus illa tribuuntur, non legitimos esse, ac generatione productos filios.

Distinctio ἀγεννήτου et ἀγενήτου ingeniti et infecti, argutias Arianorum refutat.

VII. Hinc facilis est existimatio de ambobus illis vocabulis, quæ jurgiorum in Ecclesia tamdiu semina præbuerunt, ἀγέννητος, et ἀγένητος ; quorum illud proprie, et usitate *ingenitum* sonat, hoc est *non genitum*, neque *generatione productum*, sive alioquin æternum sit, sive in tempore genitum ; ἀγένητον vero *infectum* dicitur, imo vero sæpius ab Græcis antiquioribus et elegantioribus pro eo capitur, quod nunquam exstitit. Sic Agatho apud Aristotelem :

« Hoc uno quippe etiam Deus privatur,
Ut infecta reddat, quæcumque semel facta [sunt [c]. »

Vel

« Ut ea nunquam fuisse faciat, quæ semel [fuerunt. »

Hæc si diligentius olim plerique Græcorum observare voluissent, Arianorum argutias verbo uno refutassent. Nam ἀγέννητον Patrem esse solum sine cunctatione faterentur ; Filium vero ἀγένητον perinde, ut Patrem esse dicerent, hoc est non γενητὸν, quatenus ea vox initium aliquod, ut diximus, existendi significat, quod pauci ex illis animadverterunt, plerique autem omnes promiscue hæc accipiunt ; quod paulo hic explicare latius multum ad hanc illustrandam disputationem pertinebit.

Hæ voces varie et confuse a Græcis Patribus acceptæ.

VIII. Ἀγέννητον itaque, sive ἀγένητον variis modis apud Græcos Patres intelligitur. Tres ab Athanasio oratione secunda *contra Arianos*, et in libro *de Synodi decretis* asseruntur [d], et ab Cyrillo [1]. Primum enim id ita nominatur, quod nondum exstitit, sed potest existere, ut ex ære scapha, vel statua. Deinde quod nec existit, nec potest existere, velut triangulum quadrilaterum. Tertio, quod existit quidem, sed neque est γενητὸν, hoc est factum, neque principium habuit existendi, sed est sempiternum, et incorruptum. Ita sanctus Athanasius. At Cyrillus, « quod quamvis sit, et subsistat, nunquam tamen ex aliquo fuit[e]. » Porro Ariani, ut Athanasius [2] refert, tertiam significationem, quibusdam additis, ita concipiebant, « Ingenitum id esse, quod non habet existendi causam, vel principium; quodque iis, quæ producta sunt, et γεννητά dicuntur, causa est, ut existant. » Asterius vero sophista quartam illam notionem ita concipiebat, ut Athanasius oratione II refert, ἀγέννητον esse, *quod non factum est, sed est semper*, τὸ μὴ ποιηθὲν, ἀλλ' ἀεὶ ὄν.

Gregorius Nyssenus [3] duobus modis usurpari dicit ἀγέννητον. Nam et ita vocari, quod est ἀνύπαρκτον hoc est *quod nec est*, nec esse potest, ut sunt figmenta, Scyllæ, chimæræ, centauri biformes ; et quod sine ulla causa, et principio subsistit, sicut γέννητα vocantur animalia, quæ gignuntur. His consentaneus est auctor illius homiliæ, quæ inter Chrysostomi opera [4] ponitur ; qui tres affert significationes nominis ejusdem. Prima ut sit τὸ μὴ γεννώμενον, *quod non gignitur*. Secunda ut sit, quod nondum est, sed erit aliquando, ut mortuorum resurrectio nunc, inquit, est ἀγέννητος. Nam esse potest, eritque, sed nondum est facta, μηδέπω γεννωμένη, *nondum genita*. Tertia quod neque est, neque futurum est, ut sunt monstra.

IX. Aliter notionum illarum partitionem Nicetas [5] instituit. Primum enim, id esse in-

a *Psal.* XLIV, 17. Ἀντὶ τῶν πατέρων σου ἐγεννήθησαν οἱ υἱοί σου.

b *Job.* I, 1. Ἐγένοντο δὲ αὐτῷ υἱοὶ ἑπτὰ, καὶ θυγατέρες τρεῖς.

c AGATHO apud Arist. VI *Eth.* cap. II. Τούτου μόνου γὰρ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν ὅσσ' ἂν ᾖ γεγενημένα.

d ATHAN. *de Decret. syn.* Διαφόρους γὰρ σημασίας ἔχειν τὸ ὄνομα ἀκήκοα. λέγεσθαι γάρ φησιν ἀγέννητον, τὸ μήπω μὲν γενόμενον, δυνάμενον δὲ γενέσθαι· καὶ πάλιν τὸ μήτε ὑπάρχον, μήτε δυνάμενον εἰς τὸ εἶναι γενέσθαι. καὶ τρίτον ἐστὶν αὐτοῦ σημαινόμενον, τὸ ὑπάρχον μὲν, μήτε δὲ γενητὸν, μήτε ἀρχὴν ἐσχεκὸς εἰς τὸ εἶναι. ἀλλ' ἀΐδιον ὂν, καὶ ἀδιάφθορον.

e CYRIL. Τὸ ὑπάρχον μὲν, καὶ ὑφεστηκὸς, μή μὴν γεγενημένον ὑπό τινος.

1 Lib. I *Thes.* cap. I. — 2 Lib. *de Syn. decr.* — 3 Lib. VI *contra Eun.* — 4 Tom. V edit. Sav. p. 751. — 5 Lib. V *Thes.* cap. XLIII.

genitum, et genitum, quod increatum, et creatum; atque hoc modo discrepare invicem. *Innascibilitate et generatione.* Secundo pro ἀγεννησίᾳ et γεννήσει accipi, et tunc idem non esse. Postremo pro naturis ipsis usurpari; et sic eas idem esse. Sicut sapiens, et insipiens, etsi non idem significant, in eadem tamen natura consistunt. Hæc Nicetas: cujus in divisione posteriora duo membra, quæ ab Gregorio Nazianzeno[1] desumpsit, ex usu loquendi petita sunt, quo *complexa* nomina, quæ *concreta* dicuntur, sæpe pro abstractis veniunt; ut cum candidum, aut nigrum pro candore, aut nigrore dicimus; alias vero subjectum significant cum ea forma quæ illud afficit, ac denominat. Sic ergo *ingenitum* et *genitum* proprietates ipsas *ingeniti*, et *geniti*, ac notiones declarat. Interdum substantiam ipsam, quæ appellatur ingenita, vel genita.

Dionysius[a] vero capite nono libri *de Divinis* *Ingenitum.* *nominibus*, cum inter alia Dei nomina ἀγένητον posuisset, diversas ejus significationes obiter injecit; prima est, ut id sit, quod nondum exstitit, sed futurum est aliquando: secunda id, quod imperfectum est, et nondum elaboratum, velut turris Babel, ait Maximus in *Scholiis*. Sic etiam Latini *infectum* vocant, quod nondum factum est, id est rude adhuc nec expolitum; ut *infectum aurum*, *infecta lana*, etc.; tertio, quod ab hoc, vel illo non est factum; quarto quod non est hoc, vel illud, etsi aliud sit; ut si dicas, Barnabam non fuisse unum de duodecim apostolis; denique quod nullo modo est, nec esse potest, qualia sunt poetica portenta, *centauri*, *Scyllæque bifor-* *Ingenitum.* *mes*, Deum porro ἀγένητον dici, non aliqua ex istis notione, sed absolute, et omni ratione. Proclus[b] item gentilis philosophus libro secundo *Commentariorum in Timæum* Platonis, nomen γενητὸν pluribus modis usurpari ait; ac primum id esse, quod in tempore cœpit, quacumque ratione exstiterit, sive generatione, sive alia quapiam; deinde id, quod a causa aliqua processit; tertio quod substantiam habet non simplicem, sed compositam; quarto quod, etsi nondum factum est, natura tamen sua potest fieri. Totidem itaque modis ex adverso dicetur et τὸ ἀγένητον. Atque ille qui- *Ingenitum. Genitum.* dem γενητὸν id esse docet, quod qualicumque ex principio ortum habet, sive ex aliqua causarum quatuor; ut quod ex partibus constat, velut materia et forma, vel ab aliquo efficitur, vel finis alicujus gratia, quibus ex principiis omnibus constat id, quod initium habet in tempore[c]. Nam quædam esse putat, quæ in tempore minime cœperunt, et tamen ab aliquo producta sunt, cujusmodi esse mundum, Platoni Proclus assensus est.

X. Ex his omnibus significationum generibus illius tantum hoc loco rationem habebimus, quod ab Athanasio, et Cyrillo tertio loco positum, secundo ab Nysseno, primo ab Chrysostomo et Niceta memoratur; secundum quod τὸ ἀγέννητον, et γενητὸν comparationem, et habitudinem exprimunt ad auctorem, et originem, sive creatione et affectione, sive naturali generatione res oriri, vel non oriri dicitur. Atque hoc modo duo sunt animadvertenda; alterum τὸ ἀγέννητον et γεννητὸν a plerisque confundi cum ἀγενήτῳ, et γεννητῷ, *Lege ἀγενήτῳ et γενήτῳ.* de quo jam monuimus; alterum, quæcumque de variis illarum vocum potestatibus veteres afferunt, ea triplicem ad significationem posse revocari. Aut enim simpliciter pro eo, quod *infectum* est, capitur ἀγέννητον, hoc est, quod effectione, vel creatione causæ alicujus existendi non habet initium, ut sit idem plane, quod ἀγέννητον, et ei respondeat ex adverso τὸ γεννητὸν, quatenus idem valet ac τὸ γεννητὸν, *Genitum vel factum vel factura.* vel ποιητὸν, aut ποίημα. Aut id significat, ἀγέννητον, quod nullo gignitur, id est proprie dicta generatione non producitur; cui contrarium est τὸ γεννητὸν, vel γέννημα, quod vera generatione ortum accipit. Denique latius usurpatur ἀγέννητον, ut sit id, quod omnis prorsus originis est expers, nec ab ulla causa, vel principio quovis modo producitur; atque ita tam generationem excludit proprie dictam, quam effec-

a Dion. cap. IX *de Dir. nom.* Ἀγένητον, οὐχ ὡς μήπω γενόμενον, ἢ ἀτελείωτον, ἢ ὑπὸ τοῦδε, ἢ τόδε, μὴ γενόμενον, οὐδ' ὡς μηδαμῶς ὄν· ἀλλ' ὥσπερ παναγένητον, καὶ ἀπολύτως ἀγένητον, καὶ ἀεὶ ὄν.

b Procl. lib. II *in Tim.* Ἔτι τοίνυν τὸ γενητὸν τῶν πολλαχῶς ἐστι λεγομένων. καὶ γὰρ τὸ πολυθρύλλητον τοῦτο ἀρχὴν ἔχον χρονικὴν, γενητὸν ἀποκαλεῖται, κἂν τε διὰ γενέσεως ἐπεὶ τὸ ὂν ἀφικνεῖται, κἂν τε χωρὶς γενέσεως, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης. καὶ τὸ ἀπ' αἰτίας προϊὸν πᾶν καλεῖται γενητόν. καὶ τὸ σύνθετον κατὰ τὴν οὐσίαν καλεῖται γενητόν. καὶ τὸ φύσιν ἔχον γενητὴν, κἂν μὴ ᾖ γεγονός. οἷον δή ἐστι καὶ τὸ φύσιν ἔχον ὁρατὴν, κἂν μὴ ὁρώμενον.

c Ibid. Τὸ μὲν γάρ ποτε γεγονὸς, καὶ ἀπὸ τῆς χρονικῆς ἀρχῆς ἤρξατο, καὶ ἀπὸ τῆς ποιητικῆς, καὶ ἀπὸ τῆς τελικῆς, καὶ ἀπὸ τῆς ὑλικῆς, καὶ ἀπὸ τῆς εἰδικῆς, πολλαχῶς γὰρ τῆς ἀρχῆς λεγομένης, κατὰ πάσας ἤρξατο τῆς γενέσεως.

1 Orat. I *de Fil.*

tionem, quemadmodum et quod illi est oppositum τὸ γεννητὸν, vel γέννησις pro omni productione sumitur. Hi sunt generales usus, ac præcipui nominum istorum, quibus hæc Patres consueverunt accipere; quos illorum testimoniis aliquot illustrare convenit, ut nobilis illa, quam dixi, de iis vocibus conflictio tanto magis appareat.

Prima agennetou et gennetou acceptio.

XI. Primam dixi notionem illorum esse nominum, ut ἀγέννητον sit *non factum*, aut *creatum;* γεννητὸν *factum*. Sic interpretatus est Dionysius Alexandrinus, cujus ex disputatione contra Paulum Samosatenum paulo ante verba posui. Quippe Paulus iste Patrem sic ἀγέννητον vocabat, ut idem esset, atque *increatus*, cui opponeretur πρόσφατον, καὶ κτίσμα, quod est *recens*, et *creatum*. Eodem quoque sensu perpetuo fere Eusebius Cæsariensis accipit. Ut in libro IV *de Demonst. evang.* Verbum Dei Filium ait, antequam carnem susciperet, antiquos illos patriarchas, ac sanctos omnes ad unius, ac supremi numinis revocasse cultum, « supra cœlum, atque omnem factam naturam, subjectos sibi sensim, ac leniter evocantem; ac solum iis proponentem ingenitum, et effectorem omnium Deum, ac summum, ad venerationem, atque cultum[a]. » Hic ἀγέννητον et ποιητὴν opponit τοῖς γεννητοῖς, id est *factis*, et *creatis*. Quin eodem in libro τὴν τοῦ γεννητοῦ φύσιν ἅπασαν *productam naturam omnem*, ac multo magis humanam, *ingenita vi, ac virtute inferiorem esse,* τῆς ἀγεννήτου δυνάμεως ἀπολειπομένην, asserit; ac priore illa Verbum ipsum comprehendit, tametsi præstantiore quodam modo productum illum esse dicit[1] alio in loco, ut propterea Filii nomen obtineat.

Sed initio libri hujus quarti planius mentem suam aperit. Postquam enim Patrem appellavit solum ἀγέννητον, et supremum omnium Deum; hunc ipsum dicit postea omnibus, quæ sunt γνεητὰ, subsistendi, existendique causam esse, eaque sic voluntate sua, et certo

Facta.

consilio procreasse, ut ante illa primum omnium inter γεννητὰ produxerit Verbum, ut id velut fundamentum jaceret eorum, quæ deinceps erat facturus. Quem quidem appellat « perfectum perfecti artificis opus, et sapientis sapientem architectationem; necnon αὐτολόγον, et αὐτοσοφίαν, *per se verbum*, ac *per se sapientem*, et si quid per se pulchrum, ac per se bonum, in his quæ γεννητὰ sunt, fas est intelligere[b]. » Hic prorsus γενητὸν et γεννητὸν promiscue habuit; idemque esse voluit γέννημα, atque ἀρχιτεκτόνημα, δημιούργημα, et ποίημα. Ita capite VI docet ἀγέννητον illum Deum, ac Patrem cum sciret, multiplicem fore, quam destinabat animo, τῶν γεννητῶν οὐσίαν, *genitorum*, id est *creatorum substantiam;* neque ingeniti, et incomprehensi luminis splendorem ferre posse, eo quod γεννητὴ sit, vim quamdam produxisse mediam, et interjectam, quæ ad illorum captum magis accommodata, ambo inter se copularet extrema, et hanc fuisse unigenitam, ac primogenitam δύναμιν, hoc est *vim*, *ac potentiam*.

XIII. Idem Arianæ virus hæresis inspersit in libris, quos contra Marcellum Ancyranum scripsit. Nam[2] sæpius τὰ γενητὰ, et γεννητὰ confundit, creatasque res vocat τὰ λοιπὰ γεννητὰ, *genita cætera*, quibus antecellere dicit Verbum Dei Filium. Tum[3] ἀγέννητον cum eo, quod est ἀΐδιον, hoc est *ingenitum* cum *æterno* unum esse significat; Marcellumque redarguit arbitrantem, τὸν λόγον esse αἰδιον, id est *æternum*. « At Marcellus, ait, ratus æternum esse ipsum Dei Verbum, hoc est ingenitum, non semel definiit; non animadvertens, siquidem diversum a Deo Verbum esse dixerit, æterna fore duo, neque jam unicum fore principium. Sin unicum esse pronuntietur æternum, et idem esse cum Deo Verbum asserit, merum se dogma Sabellii professurum, quatenus Patrifilium unum eodem atque ille modo constituit[c]. » Vides quo consilio tam iste, quam Ariani cæteri, τὸ ἀγέννητον soli Patri tanto stu-

a Euseb. IV *de Demonstr.* Τούτους δὴ οὖν παραλαβὼν ὁ καθηγεμὼν, καὶ προστάτης ἁπάντων τοῦ θεοῦ λόγος, ἐπὶ τὴν μόνου τοῦ πατρὸς, αὐτοῦ δὴ τοῦ ὑψίστου θρησκείαν ἀνεκαλεῖτο τῶν ὁρωμένων ἁπάντων ἀνωτάτω, ἐπέκεινά τε οὐρανοῦ, καὶ πάσης γενητῆς οὐσίας τοὺς ὑπηκόους ἠρέμα, καὶ πρᾴως ἀνακαλούμενος, μόνον τε αὐτοῖς τὸν ἀγέννητον καὶ τῶν ὅλων ποιητὴν θεὸν τὸν ὕψιστον παραδιδοὺς εὐσεβεῖν.

b Eusfb. IV *Demonst.* Καὶ δὴ τῶν ὄντων ἁπάντων πρῶτον ὑφίστησιν αὐτοῦ γέννημα, τὴν πρωτότοκον σοφίαν, ὅλην δι' ὅλου νοερὰν, καὶ λογικὴν, καὶ πάνσοφον· μᾶλλον δὲ αὐτονοῦν, καὶ αὐτολόγον, καὶ αὐτοσοφίαν, καὶ εἴ τι δὲ αὐτοκαλὸν, καὶ αὐτοαγαθὸν ἐπινοεῖν ἐν γεννητοῖς θέμις, τοῦτο πρῶτον αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ θεμέλιον τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων προβάλλεται, τὸ τέλειον τελείου δημιούργημα, καὶ σοφοῦ σοφὸν ἀρχιτεκτόνημα, ἀγαθοῦ πατρὸς ἀγαθὸν γέννημα.

c Euseb. lib. II *de Eccl. theol.* cap. XII. Ὁ δὴ Μάρκελλος οἰηθεὶς ἀΐδιον εἶναι αὐτὸν τοῦ θεοῦ λόγον, τοῦτ' ἔστιν ἀγέννητον, πολλάκις ὡρίσατο, οὐ συνορῶν ὅτι εἰ μὲν ἕτερον τοῦ θεοῦ λόγον φάσκειγ δύο ἔσται ἀΐδια, ὁ λόγος, καὶ ὁ θεὸς, καὶ οὐκ ἔσται ἀρχὴ μία· εἰ δὲ ἓν

1 Lib. I *de Eccl. dogm.* cap. X. — 2 Lib. I, cap. IX et X. — 3 Lib. II, cap. III.

dio vendicarint, ac Filium γεννητὸν, vel γέννημα nominarint, et cur ἀγέννητον cum ἀγεννήτῳ, γενητὸν cum γεννητῷ permiscuerint. Id enim ea mente fecerunt, ut æternitatem adimerent Filio, et eum creatarum in rerum ordinem relegarent. At sanctus Athanasius[1] adversus illos disputans, sic ἀγένητον, et ἀγέννητον confundit, uti duo significare dicat; alterum, id quod principio omni caret; alterum, quod non est opus, vel creatura, sed sempiternum γέννημα. Unde quosdam ait ex antiquis Patribus negasse Filium esse ἀγέννητον secundum priorem notionem, quia principium habet; alios ἀγέννητον dixisse, quia creatus, vel factus non erat. Cujus rei luculentum testem citat Ignatium, qui de Christo sic scribit: «Unus medicus est, carnalis et spiritualis, genitus, sive factus, et ingenitus[a], » etc. Eodem plane modo in oratione *contra Arianos* secunda cum tres τοῦ ἀγεννήτου significationes, et quartam illam Asterii commemorasset, quas paulo ante posui, Filium dicit ἀγεννητον esse; quia non est τῶν γεννητῶν ex numero factorum, neque opus; sed ab æterno est cum Patre[b].

Lege ἀγενήτῳ

XIV. Basilius quoque τὸ ἀγένητον, vel ἀγέννητον dici ait id, quod nulla circumscriptione metiri possumus, quamvis infinita retro sæcula consideremus[c]; quod ejus dictum adversus Eunomii calumniam tuetur Gregorius Nyssenus, qui et ipse passim τὸ ἀγέννητον ad eamdem significationem retulit.

Alexander item episcopus Alexandrinus in epistola *ad cognominem Byzantii episcopum* dicebat, « id quod est semper, et ante sæcula, idem esse cum ingenito[d].» Et Clemens Alexandrinus in secundo *Stromateon* τὸ γεννητὸν, id est *creaturas a Deo factas*, opponit τῷ ἀγεννήτῳ. Pro eodem dicitur et ἀγενὴς, ea forma, qua et μονογενὴς, et οἰκογενὴς, ab Eusebio in libro quarto *de Demonstratione evangelica*, ubi nominat ἀγενῆ θεότητα, id est, ut loquitur Maximus Taurinensis in homilia *de Symbolo*, « *ingenitam deitatem*, et innascibilem. » «In Deo, inquit Maximus, natura innascibilis, in Patre unigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam deitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater. » Sic Plato in *Timæo*[2] ἀγενὲς opponit ei, quod est γιγονέναι, hoc est *non factum*, ei, *quod factum est*.

Cyrillus Alexandrinus in tertio *contra Julianum*, τὰ γεννητὰ de creatis rebus usurpat, quæ γενητὰ paulo post nominat, quibus τὸ ἀγένητον opponit; tametsi in scriptis codicibus γεννητὰ, et ἀγέννητον legerim. Sic in secundo lib. Filium ἀγένητον vocat, quem tamen γεννητῶς ex Patre ait procedere.

Sed ut ad Ignatium redeam, ejusque locum illum, quem affert Athanasius, haud scio, an in vulgatis illius epistolis exstet. Legitur tamen in undecima, quæ est *ad Ephesios*, quiddam illius simile de medico Christo, sed longe aliter expressum: « Medicus, inquit, est noster solus verus Deus, qui est ingenitus, et inaccessus, universorum Dominus, Unigenæ Pater, et genitor. Habemus medicum, et Dominum nostrum Deum Jesum Christum, qui est ante sæcula Filius unigenitus, et Verbum[e], » etc. Ibi ἀγέννητον appellat Patrem, et Filium; eamque vocem et alibi usurpat. Scimus autem Ignatii epistolas variis in locis aliter ab antiquis lectas, quam hodie in codicibus habentur *.

XV. Secunda nominum illorum acceptio est, ut ἀγέννητον sit *non genitum*, vel *ingenitum*, sive *non natum*, aut *innatum*; γεννητὸν vero *genitum*, vel *natum*, ita ut *geniti native* vocabula proprie sumantur pro eo, quod vera generatione producitur. Quo sensu Patrem ἀλόχευτον in hymnis appellat Synesius, hymno primo, eumque dicit ὑπερουσίοις λοχείαις genuisse Filium *supersubstantiali partu*. Hunc sensum præclare explicat Augustinus in V *de Trinitate*, capite VII. « Cum, inquit, dicitur ingenitus,

Secunda earumdem vocum acceptio.

λέγοι αἴδιον, τὸν αὐτὸν ὁριζόμενος εἶναι τὸν θεὸν, τῷ λόγῳ, γυμνὸν τὸν Σαβέλλιον ὁμολογήσει υἱοπάτορα τὸν ἕνα, κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον ἐπάγων.

a IGNATIUS Martyr. Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικός, καὶ πνευματικός, γενητὸς, καὶ ἀγένητος.

b ATHAN. orat. II. Ὅτι καὶ ὁ υἱὸς οὕτω κατὰ ταύτην τὴν ἐκδοχὴν ἀγέννητος ἂν λεχθείη; οὔτε γὰρ τῶν γεννητῶν, οὔτε ποίημά ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀϊδίως συνέστι τῷ πατρί.

c BASIL. lib. I *contra Eunom.* Ὅταν γὰρ εἰς τοὺς κατόπιν αἰῶνας ἀποβλέψωμεν, ὑπερεκπίπτουσαν πάσης περιγραφῆς εὑρίσκοντες τὴν ζωὴν τοῦ θεοῦ, ἀγέννητον αὐτὴν λέγομεν.

d ALEXAND. apud Theodor. lib. I. Τὸ ἀεὶ καὶ πρὸ αἰώνων ταὐτὸν εἶναι τῷ ἀγεννήτῳ.

e IGNAT. epist. *ad Ephes.* Ἰατρὸς δὲ ἡμῶν ἐστιν, ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς ὁ ἀγέννητος, καὶ ἀπρόσιτος, ὁ τῶν ὅλων κύριος, τοῦ δὲ μονογενοῦς πατὴρ καὶ γεννήτωρ. ἔχομεν ἰατρὸν καὶ τὸν κύριον ἡμῶν θεὸν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν μονογενῆ, καὶ λόγον.

* Vide superius notata de duplici editione epistolarum S. Ignatii. J.-B. F.

1 Lib. *de Syn.* — 2 Vid. Proclum, lib. II *Comm.*

idem est, ac non genitus. At genitus idem est, ac Filius: proinde ingenitus nihil aliud est, quam non Filius. Sed Latine non dicitur Infilius. » Epiphanius vero contra Origenem contendens, in eoque reprehendens, quod γενητὸν θεὸν appellasset Filium, quasi idem, ac κτιστὸν esse voluisset, pro eo ac suspecta est in aliis illius fides, ista subjecit: « Quod enim argutiis circumvenire nos suis, ac dicere nonnulli volunt, idem esse γενητὸν cum γεννητῷ, cum de Deo agitur, nequaquam audiendum est, sed creatis duntaxat in rebus. Aliud enim est γενητὸν, aliud γεννητὸν [a]. » Mox γενητὸν interpretatur ποιητὸν, quod est *factum*, vel κτιστὸν, id est *creatum*, et eo sensu abjudicat a Dei Filio, eique τὸ γεννητὸν attribuit. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi undecima ἀγέννητον exponit, ut sit ὁ πατέρα μὴ ἔχων, *qui patrem non habet*. Eodemque respicit et alter ejusdem nominis Alexandrinus, qui ἀγέννητον vocari Patrem ait, « quod ab nullo genitus est, sed est citra generationem, per generationem, habens ex seipso, et in seipso proprium Filium [b]. » Basilius item in quarto *adversus Eunomium*, eodem sensu interpretatus est, atque etiam ex eo, quod ἀγέννητος Pater dicitur, concludit non esse Filium creaturam, sed γέννημα, id est, *genitum*, sive fetum; alioqui non posset appellari Pater ἀγέννητος, si nullum esset γέννημα. « Si, inquit, creatura, et non genitura esset Filius, cum etiam omnia, quæ sunt, creaturæ sint, frustra ingenitus appellatur Pater; quandoquidem nulla erit omnino genitura, cum qua comparatus dici possit ingenitus. Quare justius increatus, quam ingenitus nominari debeat [c]. »

Creatum.

XVI. Præclare hoc prorsus et ingeniose Basilius. Ut enim increatus frustra Deus appelletur, si nulla creatura sit, aut esse possit; ita *ingenitus*, id est *generatione nulla productus* frustra dicetur comparatione alterius personæ divinæ, si nulla est genita. Quare cum Ariani ἀγέννητον Patrem vocari contenderent, quatenus ad Filium refertur, necesse est γεννητὸν, id est *generatione productum* esse Filium, ut mutua inter ambos oppositio servetur. Hanc enim adeo persequebantur illi in vocabulis usurpandis, ut inde conficere studerent, dissimilem esse Patris Filium; ut ex iisdem, ac cæteris Patribus constat, observatque inter alios auctor homiliæ XCXIX [1] quæ est *de Adamo*, quomodo animam acceperit. « Credo, inquit, differentiam Adami ab iis, qui ex ipso procreati sunt. Igitur Adamus et γεννητὸς est, id est, *factus*, et *ingenitus*; γενητὸς quidem, quia factus est; ingenitus vero, quatenus non est genitus. Factus enim est, et formatus, sed non est genitus. Mulier neque genita est, neque formata [d]; » etc.

Gregorius quoque Nyssenus libro primo *contra Eunomium*, bifariam sumi τὸ ἀγέννητον ait: « Cum enim tam ea, quæ gignuntur, quam quæ efficiuntur, dicantur produci; quidquid generatione non subsistit, nihil obstat, quin ἀγεννήτως, id est, ingenito modo subsistere dicatur, sola generationis considerata significatione [e]. » Atque idcirco Filium ἀγέννητον appellari posse concedit.

Athanasius itidem orat. II *contra Arianos* non obscure discrimen illud indicat τοῦ ἀγεννήτου, et ἀγενήτου; ex eoque respondet Arianorum percontationi super ἀγεννήτῳ, non sequi Filium esse γενητὸν, id est, *factum*, si Pater ἀγέννητος dicatur; sed esse γέννημα, quoniam ei, quod est ἀγένητὸν, *infectum*, et *increatum*, non potest simile esse γενητὸν, *creatum* vel *factum*; verum γέννημα, quod et ipsum ἀγένητον est, τοῦ ἀγεννήτου, et ἀγενήτου simile est, et effigies expressa [f].

Gregorius Nazianzenus eodem modo τὸ ἀγέν-

a Epiph. hær. LXIV, num. 8. Ὡς γάρ τινες ἡμᾶς βούλονται σοφίζεσθαι, καὶ λέγειν, ἴσον τὸ γενητὸν εἶναι τῷ γεννητῷ· οὐ παραδεκτέον δὲ ἐπὶ θεοῦ λέγειν· ἀλλ' ἢ ἐπὶ τὰ κτίσματα μόνον. ἕτερον γάρ ἐστι γενητὸν, καὶ ἕτερον γεννητόν.

b Cyril. Alexand. dial. II. Ὅτι μὴ ἐγεννήθη πρός τινος. ἀλλ' ἔστιν ἀγεννήτως, γεννητῶς ἔχων ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ἐν ἑαυτῷ τὸν ἴδιον υἱόν.

c Basil. IV *contra Eunom.* Εἰ κτίσμα, καὶ οὐ γέννημα ὁ υἱὸς, καὶ πάντα δὲ τὰ ὄντα κτίσματα, μάτην ἀγέννητος ὁ πατὴρ λέγεται, οὐκ ὄντος ὅλως γεννήματος, πρὸς ὃ καλεῖται ἀγέννητος. δικαιότερον οὖν ἄκτιστος, ἢ ἀγέννητος λέγοιτ' ἄν.

d Chrysost. Δὸς οὖν διαφορὰν τοῦ Ἀδὰμ πρὸς τοὺς ἐξ αὐτοῦ· ὁ γὰρ Ἀδὰμ καὶ γενητός ἐστι, καὶ ἀγέννητος· γηνητὸς, καθὼς ἐγένετο· ἀγέννητος, κατὼς οὐκ ἐγεννήθη, καὶ ἐγένετο, καὶ ἐπλάσθη, ἀλλ' οὐκ ἐγεννήθη· ἡ δὲ γυνή οὔτε ἐγενήθη. οὔτε ἐπλάσθη.

e Gregor. Nyssen. I *contra Eunom.* Ἐπειδὴ γὰρ τὰ μὲν τικτόμενα, τὰ δὲ κατασκευαζόμενα γίνεται, τὸ μὴ διὰ γεννήσεως ὑφεστὸς οὐδὲν κωλύει ἀγεννήτως ὑφεστάναι λέγειν; κατὰ μόνον τὸ τῆς γεννήσεως σημαινόμενον.

f Athan. orat. II. Οὐκοῦν εἰ ἀγέννητος ὁ θεὸς, οὐ γενητὴ, ἀλλά γέννημά ἐστιν ἡ τούτου εἰκὼν ἤ τίς ἐστιν ὁ λόγος αὐτοῦ, καὶ ἡ σοφία. ποία γὰρ ἐμφέρεια τῷ γεννητῷ πρὸς τὸ ἀγένητον;

1 Inter. opera Chrys.

Innascibilitatem... Nascibilitatem. Missionem.

νητον, et γεννητὸν intellexit. Nam Patris propriam ait esse τὴν ἀγεννησίαν, Filii τὴν γέννησιν, Spiritus sancti τὴν ἔκπεμψιν[a]. Deinde Filium ait non γεγονέναι. « Alioquin enim Deus non esset[b].» Et alio in loco, inter ἀγέννητον Patris, et γεννητὸν Filii proprium, medium constituit τὸ ἐκπορευτὸν, quod non est γεννητόν. Quare τὴν γέννησιν, et τὸ γεννητὸν proprie accipit, quatenus veram, propriamque generationem significat; non qualemcumque productionem, et ortum ab altero, tanquam a principio.

XVII. Omnium denique disertissime Joannes Damascenus ambarum vocum differentiam explicat: « Sciendum enim est, ait, τὸ ἀγένητον, quando per unicum ν scribitur significare id, quod est increatum, sive non factum; ἀγέννητον vero cum duplici νν, demonstrare id, quod non est genitum. Jam secundum priorem notionem substantia differt a substantia. Nam alia est substantia *increata*, sive infecta, quæ ἀγένητος cum unico ν dicitur; alia quæ γενητὴ vocatur, hoc est facta et *creata*, At secundum posteriorem notionem substantia non discrepat a substantia. Quippe in omni animalium specie prima condita natura ἀγέννητος, id est non genita dicitur, sed non ἀγένητος infecta. Siquidem ab opifice creata sunt, Verbo ipsius ad ortum deducta, non tamen genita sunt, cum nullum ante alterum existeret, a quo gignerentur[c]. » Et in libro IV eadem plenus repetit; ubi τὸ ἀγένητον καὶ τὸ γενητόν per unicum ν concepta significare dicit τὸ ἀκτιστὸν καὶ κτιστόν, et esse naturæ propria; ἀγέννητον autem, et γεννητὸν cum duplici νν, non esse naturæ nomina, sed personæ, cum sint idem, ac genitum esse, et non genitum. Proinde divinam naturam esse ἀγένητον, id est *increatam;* cætera post ipsam esse γενητὰ, id est *creata*. At ἀγέννητον in solo Patre considerari, γεννητὸν in Filio. Hæc Joannes Damascenus. Quæ totidem verbis exscripta leguntur in libro quodam *de Sancta Trinitate*, quem ante annos triginta sub Cyrilli nomine Augustæ Vindelicorum Joannes Wegelinus edidit. Sed nihil aliud, præter excerpta Joannis Damasceni, continet. Exstat in tomo sexto operum Cyrilli editionis nuperæ. Idem discrimen τοῦ ἀγενήτου, et ἀγεννήτου late declarat Hugo Etherianus libro secundo *contra Græcos*, capite quinto. « Ingenitum, inquit, quoniam per unum ν apud Græcos scribitur, quantum hoc nomen increatum significat, et non solum divinæ naturæ, si sic dicatur, verum tribus competit personis. Etenim natura pariter cum personis incausata est. Cum autem per duo νν ἀγέννητον scribitur, soli proprie Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui creaturæ convenit. » Verum eam affert rationem, cur Patri soli conveniat; et ita vocem illam ἀγέννητον interpretatur, ut non ad secundam, sed ad tertiam potius, de qua mox, ingeniti notionem referri debeat.

Parem quoque differentiam inter τὸ γενηθὲν, et γεννηθὲν observabat impius Nestorius, cujus ex quaternione XXIV libri cujusdam lecta sunt nonnulla in Ephesina synodo[1], in quibus verba illa *Matthæi* primo, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, etc. *Quod enim in ea natum est*, alias ita scribi adnotat, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γενηθὲν, et cum prior vox *genitum*, posterior *factum* significet, neutrum sic intelligi oportere contendit, ut in personam ipsam Verbi conveniat, sed in carnem, quæ in Virginis utero vel genita, vel a Spiritu sancto creata sit.

In Latina editione Cyrilli, libro *Thesauri* undecimo eadem exstabat observatio τοῦ ἀγεννήτου cum duobus νν, vel unico scripti. Sed ea minime in Græco leguntur, ut aliunde intrusa fuisse verisimile sit.

XVIII. Tertia denique vocum illarum interpretatio est, ut sit ἀγέννητον *omnis penitus originis expers*, *ac principii* ita, ut ab nullo producatur, sitque idem, quod ἄναρχον. Ita sanctus Basilius in secundo *adversus Eunomium*; ubi τὸ ἄναρχον καὶ ἀγέννητον promiscue sumit, ac sic definit. « Ingenitum est, quod nullum principium habet, neque causam existendi. Æternum vero, quod omni tempore, ac sæculo secundum esse antiquius est. Unde Filius neque ingenitus est, et est æternus[d]. » Et in

Tertia earumdem vocum interpretatio.

a NAZIANZ. orat. XLIII. Ἴδιον δὲ Πατρὸς μὲν ἡ ἀγεννησία· υἱοῦ δὲ ἡ γέννησις. πνεύματος δὲ, ἡ ἔκπεμψις.

b MOX : Φοβήθητι χρόνον, καὶ κτίσιν. οὐ γὰρ θεὸς, εἰ γέγονε.

c DAMASC. lib. I *de Fide*, cap. IX. Χρὴ γὰρ εἰδέναι, ὅτι τὸ ἀγένητον δι' ἑνὸς ν γραφόμενον, τὸ ἄκτιστον, ἤτοι τὸ μὴ γενόμενον σημαίνει. τὸ δὲ ἀγέννητον διὰ τῶν δύο νν γραφόμενον, δηλοῖ τὸ μὴ γεννηθέν. κατὰ μὲν οὖν τὸ πρῶτον σημαινόμενον, διαφέρει οὐσία οὐσίας. ἄλλη γὰρ οὐσία ἡ ἄκτιστος· ἤτοι ἀγένητος διὰ τοῦ ἑνός ν· καὶ ἄλλη ἡ γενητὴ, ἤτοι κτιστή. κατὰ δὲ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, οὐ διαφέρει οὐσία οὐσίας. παντὸς γὰρ εἴδους ζώων ἡ πρώτη ὑπόστασις ἀγέννητός ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἀγένητος. ἐκτίσθησαν γὰρ ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ, τῷ λόγῳ αὐτοῦ παραχθέντα εἰς γένεσιν. οὐ μὴν ἐγεννήθησαν, μὴ προϋπάρχοντος ἑτέρου ὁμοειδοῦς, ἐξ οὗ γεννηθῶσι.

d BASIL. II *contra Eunom.* Ἀγέννητον μὲν γὰρ λέγεται τὸ μηδεμίαν ἀρχὴν ἑαυτοῦ, μηδὲ αἰτίαν ἔχον

1 Par. II, act. I.

primo libro vocabulum Patris idem esse cum ἀγεννήτῳ docet. « Nam qui vere est Pater, et solus, ex nullo est altero, inquit. Quod autem ex nullo est, idem est cum ingenito [a]. » Rursus, « Sicut quia vita illi sine ullo est termino, inquit, incorruptum eum vocamus; sic quod in illo est expers principii, ingenitum dicimus [b]. » Ἄναρχον igitur idem est atque ἀγέννητον; quod tamen posteriore hoc loco sumpsisse videtur sic, ut in Filium quoque conveniat, quemadmodum et quod illi oppositum est ἄφθαρτον. Vide ejusdem Basilii verba, quæ ad primam τοῦ ἀγεννήτου notionem accommodata supra descripsimus. Nam si ἀρχὴ pro *initio* capiatur, non minus ἄναρχος, et ἀγέννητος, ut et ἄφθαρτος Filius est, quam Pater. Quamobrem τὸ ἄναρχον, ut sit peculiare Patris, ut et ἀγέννητον, non initio, sed principio, sive origine carentem significare debet, hoc est τὸ ἐξ οὐδενὸς, ut idem Basilius [1] postea declarat. Et auctor *Expositionis fidei*, quæ inter opera Justini exstat, qui « modum existendi proprium Patris dicit esse, quod ex nullo altero genitus sit, idque appellari ingenitum [c]. » Ita etiam Gregorius Nazianzenus [2] τὸ ἄναρχον propriam notionem Patris constituit, hoc est *principii expers*. Sicut Filii τὴν γέννησιν, Spiritus sancti πρόοδον. Gregorius Nyssenus in primo *contra Eunomium*, quæ ex causa, et principio aliquo ortum habent, ea communi γενέσεως, et γεννήσεως nomine complectitur; cujus deinde varias exponit species. Ex quo consequens est, ἀγένητον, vel ἀγέννητον latiorem itidem in usum procedere, ut sit id, quod nullam prorsus originem habet.

Processionem.

Sic in alterius editionis primo libro *contra Eunomium*, τὸ ἀγέννητον demonstrare ait, « nullum Patre superius esse principium, vel causam [d]. » Quod in duodecimo libro repetit. Vide et librum ejusdem *ad Ablabium*, *De eo, quod non sint tres dii*. Maximus Martyr in dialogo primo, qui Athanasii nomine circumfertur, τὸ ἀγέννητον consentanee explicat τὸ γενεσιουργὸν οὐκ ἔχον, *quod auctorem suæ originis non habet*.

XIX. Theodoretus in libro secundo *contra Græcos* τὸ ἀγέννητον de Patre proprie sic usurpat, idque ex Græcorum veterum sententia. « Sin credimus, inquit, esse aliquid ingenitum, et principio carens, atque causa, credi igitur oportet ex mente existente genitum esse Verbum, et processisse Spiritum sanctum [e]. » Hujus etiam notionis auctor ab illo citatur Timæus Locrensis, qui sic scribit: « Unum principium omnium est ingenitum. Nam, si genitum fuisset, non jam esset principium, sed illud potius, unde esset ortum [f]. » Laudat et Parmenidem Eleatem, qui *mundum* ἀγέννητον *statuat* ita canens,

« Solum, unigenitum, immotum, et ingeni-
[tum [g]. »

Accedit et Plutarchus in libro *de Ei apud Delphos*: « Quid igitur est, inquit, æternum, ingenitum, et incorruptum? cui nullum tempus affert mutationem [h]. » Hoc in loco Theodoretus τὸ ἀγέννητον, et ἀγένητον promiscuo usu accipit, ut idem sit, atque *initii pariter expers, et principii*, quemadmodum gentiles philosophi intelligere potuerunt. Nam nihil esse suspicabantur ἀγένητον, id est *non factum*, sive *increatum*, nisi idem ἀγέννητον, id est *sine generatione, productioneve ulla esset existens*. Itaque quod Parmenides ἀγένητον vocavit, de quo dubitari non patitur metri necessitas, id Theodoretus ab eo ἀγέννητον nominari asserit; nisi forte ἀγένητον etiam ipse scripsit; sæpe enim pro altera vocum istarum ab operis altera substituitur, ut apud Cyrillum Alexandrinum

τοῦ εἶναι· ἀΐδιον δέ τὸ χρόνου παντὸς καὶ αἰῶνος κατὰ τὸ εἶναι πρεσβύτερον. ὅθεν καὶ ὁ υἱὸς καὶ οὐκ ἀγέννητος, καὶ ἀΐδιος.

a Basil. I *cont. Eunom.* Ὁ γὰρ ὄντως πατὴρ, καὶ μόνος, ἐξ οὐδενός ἐστιν ἑτέρου. τὸ δὲ ἐξ οὐδενὸς, ταὐτόν ἐστι τῷ ἀγεννήτῳ.

b Idem. Ὡς οὖν τὸ ἀτελεύτητον τῆς ζωῆς, ἄφθαρτον. οὕτω τὸ ἄναρχον αὐτοῦ ἀγέννητον ὠνομάσθη.

c Auctor *Exposit. fid.* Εἰ μὲν γὰρ τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως αὐτοῦ ζητοίης, ἐξ οὐδενὸς ἑτέρου γεγεννημένον ὁρῶν, ἀγέννητον προσαγορεύσεις.

d Idem lib. I edit. Gret. Ὡς τοῦ μὲν ἀγεννήτου τὸ μηδεμίαν αὐτοῦ ὑπερκεῖσθαι ἀρχὴν, καὶ αἰτίαν ἐνδεικνυμένου.

1 Lib. I *cont. Eunom.* — 2 Orat. xiii.

e Theod. lib. II. Εἰ δὲ πιστεύομεν εἶναί τι ἀγέννητον καὶ ἄναρχον, καὶ ἀναίτιον, πιστευτέον ἄρα, ὡς ἐκ τοῦ νοῦ γε ὄντος ἐγεννήθη ὁ λόγος. καὶ προῆλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

f Timæus. Μία ἀρχὰ πάντων ἐστὶν ἀγέννητος. εἰ γὰρ ἐγένετο, οὐκ ἂν ἦν ἔτι ἀρχὰ, ἀλλ' ἐκείνα, ἐξ ἇς ἀρχὰ ἐγένετο.

g Theod. ibid. Παρμενίδης δὲ ὁ Ἐλεάτης, καὶ τὸν κόσμον ἀγέννητον εἶναι λέγων βοᾷ·

Μοῦνον, μονογενές τε, καὶ ἀτρεμὲς, ἠδ' ἀγένητον.

h Plutarch. apud eumd. Theodor. Τί οὖν ἐστι τὸ ἀΐδιον, ἀγέννητον, καὶ ἄφθαρτον; ᾧ χρόνος οὐδεὶς μεταβολὴν ἐπάγει.

non uno in loco deprehendimus. Sed de vocibus, ac scribendi modo non magna debet esse controversia, dum res ipsa constet; ut sit ἀγέννητος non personalis quidem, sive hypostatica proprietas Patris, sed *notio* quædam ejus, ut ait Joannes Cyparissiotus [1], « non habentis causam; quod ipse solus est Pater non habens causam. » Quam notionem Hilarius in carmine *in Genesim* ita describit.

« Nec jam Patris est Pater alter,
Tu capitis caput, et primi tu fontis origo,
Primus apex rerum, primus sator omnia [condens,
Nec tamen ex alio ducis genus. »

XX. Joannes item Damasc. in primo libro eamdem illam notionem non dissimili sensu explicat. « Etenim Pater, ait, causæ, sive principii expers et ingenitus. Non enim est ab aliquo; a seipso enim habet esse, nec eorum, quæ habet, quidquam ab altero habet. Sed ipse potius principium est, et causa omnibus, ut sint, et ut naturaliter certo modo sint [a]. » Ex iis tribus ἀγεννήτου notionibus primam, et tertiam libenter assumebant Ariani, non tanquam primæ in Trinitate personæ, sed ut divinitatis ipsius vere, proprieque dictæ characterem, ac notam ita, ut verus minime habendus ille Deus esset, qui ab alio productus, ἀρχὴν, hoc est vel *initium*, vel *principium*, et *originem* haberet. Quod, ut illis de prima significatione concedimus, sic de tertia falso omnino dicitur; recteque Damascenus [2] ἀγέννητον, et γεννητὸν uno ν conceptum, φύσεως ait esse; posteriori vero modo οὐ φύσεως, ἀλλ' ὑποστάσεως, *non naturæ, sed hypostasis, ac personæ*. Nam increatum esse, ad essentiam Dei pertinet, uti creatum esse ad rerum cæterarum. At ab nullo alio produci, aut ab aliquo generari, vel procedere, proprietas est hypostasis discrimen faciens, non naturæ, vel essentiæ. Quod orat. XXXV Gregorius Nazianzenus explicat. Sic τὸ ἀΐδιον *sempiternum*, quod idem cum ἀγεννήτῳ esse volebant Ariani, ac duo negabant ἀΐδια posse dici, ut Eusebius Cæsariensis [3] facit, primæ significationis proprium est, non secundæ, aut tertiæ. Etenim quidquid factum est, et ποίημα vocatur, id æternum esse non potest; quod autem ab æterno principio gignitur, aut naturali origine procedit, quod οὐσιωδῶς a Græcis appellatur, illud συναΐδιον esse debet. Ita sanctus Basilius ἀγέννητον in tertia notione non idem valere quod ἀΐδιον ostendit in eo loco, quem ex secundo *adversus Eunomium* paulo ante protulimus. *Ingenitum. æternum.*

CAPUT II.

Præcipuæ cavillationes Arianorum super vocibus ἀγεννήτου, et γεννητοῦ, *proponuntur, ac dissolvuntur; non esse sitam in illis Patris, ac Filii essentiam, sed esse notiones personarum. Neque vero* οὐσιώδεις, *id est* substantivas *esse; neque generis, aut differentiæ, aut definitionis instar esse. Ingenito quatenus, et quid sit contrarium. Quo sensu hæretici* τὸ ἀγέννητον *dixerunt esse Deo* οὐσιῶδες. *Excutiuntur veterum contra hæreticos argumenta, vel ad eos responsa super iisdem vocibus.*

I. Quamvis ea, quæ de ἀγεννήτου, et γεννητοῦ nominibus superiore capite tradita sunt, satis esse queant ad hæreticorum propulsandas calumnias; non erit tamen inutile, pauca quædam informare illorum argumenta, ex iisdem ducta vocibus, et ad singula responsiones accommodare sanctorum Patrum, ut quæ generatim illic exposita sunt, enucleatius hoc in capite, ac per partes explicentur. * Horum omnium argumentorum caput illud erat, τὸ ἀγέννητον ipsam esse Dei naturam, et essentiam, τὸ γεννητὸν vero, Filii; sive, quod idem arbitrabantur, ἀγεννησίαν, et γέννησιν. Quæ duo cum opposita sint invicem, amborum etiam *naturas*, et οὐσίας differre necesse est, neque ὁμοουσίους esse. Sic Aetius, et Eunomius colligebant [4]. Patrem enim φύσει ἀγέννητον esse dicebant,

Ingeniti et geniti.

Ingenitum esse ipsam Patris, naturam, genitum vero ipsam Filii contendebant Ariani.

Innascibilitatem et nascibilitatem.

a DAMASC. I *de Fide*. Ὁ μὲν γὰρ πατὴρ ἀναίτιος, καὶ ἀγέννητος. οὐ γὰρ ἔκ τινος· ἐξ ἑαυτοῦ γὰρ τὸ εἶναι ἔχει· οὐδέ τι τῶν ὅσα περ ἔχει, ἐξ ἑτέρου ἔχει· αὐτὸς δὲ μᾶλλόν ἐστιν ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ πῶς εἶναι φυσικῶς τοῖς πᾶσι.

* Horum omnium argumentorum caput erat *ingenitum* ipsam esse Dei naturam et essentiam, *genitum* vero Filii: sive, quod iidem arbitrabantur *innascibilitatem* et *nascibilitatem*. Quæ duo cum opposita sint invicem, amborum etiam naturas et *usias* differre necesse est, neque *consubstantiales* esse. Sic Aetius et Eunomius colligebant. Patrem enim *natura ingenitum* esse dicebant; Filium *genitum*, proinde *natura* dissimiles, sive *substantia* videri. J. B. F.

1 Joan. Cyp. dec. IX, cap. V. — 2 Lib. IV, cap. VII. — 3 Lib. IV *cont. Marc.* cap. XII. — 4 Basil. IV *cont. Eun.*; Greg. Naz. orat. XXXV; Nyss. lib. VI, IX et XII; Cyr. lib. I *Thes.* cap. III et IV et l. XXXI, et dial. II *de Trinit.*; Amb. lib. *de Incar.* cap. IX.

Filium γεννητόν; proinde φύσει dissimiles, sive οὐσίᾳ videri. Etenim « non esse verisimile dicunt, ait Ambrosius, ut Filius, qui ex Patre est, et ex se causam non habet ut sit, sed ex Patre, similis sit Patri, cum Pater ex alio causam non habeat; Filius autem, ut ipsi assignant, esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex Patre, ut esset, acceperit. » Nam quod uterque sit οὐσία idipsum quod dicitur, probant sic apud Augustinum[1]: « Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse, Patri secundum substantiam est; et genitum esse, Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse. Diversa est ergo substantia Patris, et Filii. » Ex quo furoris, ac perfidiæ suæ summam ita conficiebant: « Cum ingenita sit sapientia Dei, nec esse aliud ejus sit, quam esse ingenitam; quisquis scit hoc esse Deum, ipsum Deum perfecte cognoscere. Siquidem ipse quoque Deus ingenitum se esse non ignorat. Nulla igitur scientiæ differentia est, cum et ipse, et nos sic ipsum habere noverimus [a], » ut refert Cyrillus[2]. Hæc enim Eunomianorum non tam ridicula quam vecors, et insana vox fuit, nihilo plus se cognoscere, ac de se intelligere Deum, quam de eo ipsi comprehenderent; quippe cum simplicissima res Deus sit, Deique natura, quæ tota una illa *ingeniti* voce consistit. Est autem ea conditio rerum simplicium, ut non per partes intelligantur, quas nullas habent, sed vel tota sciantur, vel tota nesciantur.

In innascibilitate sita non est Dei natura.

II. Adversus hæc catholici Patres imprimis ita præscribebant, nequaquam in ista τοῦ ἀγεννήτου voce, ac notione Dei sitam esse naturam, neque ἀγέννητον, ac γεννητὸν proprie subjectas res, ac substantias significare diversas, sed διάφορον ὕπαρξιν, *differentem illarum existentiam*, vel *existendi modum*, ut docet Basilius[3]. Ac tametsi ambo ista vocabula diversam, imo contrariam significationem habeant, ἀγέννητον, et γεννητὸν, sive potius ἀγεννησία, et γέννησις, non ideo in essentiam, ac naturam discrimen illud redundat. Nam, ut ait Cyrillus, « differentia secundum aliquid non mutat esse ipsum substantiæ [b], » cum ea, quæ alioqui sunt ὁμοούσια, ut individua eidem subjecta formæ, plerisque qualitatibus, et adjunctis invicem discrepent; quæ quoniam non sunt ipsa hominis essentia, sed circa illam sunt, nullam essentiæ diversitatem faciunt. Itaque τὸ ὑποκείμενον unum est, et idem; quæ autem circa hoc versantur, diversa. Ita Gregorius Nazianzenus oratione XXXV: « Quid, inquit, per unigenitum, et genitum intelligis? Si enim ingeniti, ac geniti proprietatem ipsam; non sunt idem. Sin autem ea, quibus hæc insunt; quid vetat, quominus idem sint? quandoquidem insipientia, et sapientia inter se quidem non sunt eadem, verum circa eumdem sunt hominem, nec substantias scindunt, circa eamdem substantiam scinduntur [c]. » Proinde circa substantiam, vel essentiam, ut ibidem Nazianzenus ait, inest hæc differentia, non in substantia ipsa. Neque vero necesse est, ut quæ certa proprietate discrepant, se totis dissideant, ac nihil commune habeant.

Innascibilitas et nascibilitas.

Ejusdem substantiæ.

Suppositum

Etenim, ut ait Cyrillus Alexandrinus, « non universe quidquid genitoris proprietatibus contrarium esse videtur, id inesse genito videtur. Quemadmodum Deus est Pater; huic autem repugnans, et oppositum est non Deus. Et tamen Deus est Filius, quamvis Pater sit Deus. Similiter cum rex sit Pater, rex etiam est Filius. Eademque ratio est in incorrupto, invisibili, et incorporeo, et quæcumque alia divinæ naturæ conveniunt [d]. » Porro[4] « genitus, et ingenitus significatio est deitatis, non ipsa deitas. Naturæ est appellatio, non natura, ingeniti, et geniti nuncupatio. Ad hoc valet,

a CYRIL. lib. XXXI *Thes.* Ἀγένητός ἐστιν ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ εἶναι αὐτῇ. οὐκοῦν, ὁ γινώσκων ὅτι περ τοῦτο, εἴη Θεὸς, εἴσεται πάντως αὐτόν· οἶδε δὲ καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν ἀγένητον. οὐδὲν οὖν τὸ παραλλάττον, αὐτοῦ μὲν περὶ ἑαυτοῦ τοῦτο δοξάζοντος, ἡμῶν δὲ αὖ πάλιν οὕτως ἔχειν αὐτὸν πιστευόντων.

b CYRIL. lib. IX *Thes.* Καὶ ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν ἡ κατά τι διαφορὰ τὸ εἶναι τῆς αὐτῆς οὐσίας οὐκ ἀνατρέπει.

c NAZIANZ. orat. XXXV. Πῶς λέγεις τὸ ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν; εἰ μὲν γὰρ τὴν ἀγεννησίαν αὐτὴν, καὶ τὴν γέννησιν· οὐ ταὐτόν. εἰ δὲ οἷς ὑπάρχει ταῦτα, πῶς οὐ ταὐτόν; ἐπεὶ καὶ τὸ ἄσοφον, καὶ τὸ σοφὸν ἀλλήλοις μὲν οὐ ταὐτὰ, περὶ ταὐτὸν δὲ τὸν ἄνθρωπον· καὶ οὐκ οὐσίας τέμνει, περὶ δὲ τὴν αὐτὴν οὐσίαν τέμνεται.

d CYRIL. lib. V *Thes.* Ἄλλως τε οὐ πάντως ὅπερ ἂν τοῖς γεννήσαντος ἰδιώμασιν ἐναντίον εἶναι δοκῇ, τοῦτο τῷ γεννηθέντι φαίνεται προσόν. ὡς γοῦν ἐστιν ὁ Θεός· τὸ δὲ ἀντιπίπτον τούτῳ καὶ ἀντικείμενον οὐ θεός. ἀλλ' ἔστι θεὸς καὶ ὁ υἱὸς, καί τοι τοῦ πατρὸς ὄντος Θεοῦ· βασιλέως τε ὄντος ὁμοίως τοῦ πατρὸς, βασιλεύς ἐστι καὶ ὁ υἱός. ὁ δὲ αὐτὸς σώζεται λόγος· ἐπί τε τοῦ ἀφθάρτου, καὶ ἀοράτου, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ὅσα τοιαῦτα πρόσεστι τῇ θείᾳ φύσει.

1 Lib. V *de Trin.* cap. III. — 2 Lib. XXXI *Thes.* — 3 Lib. *contra Eunom.* et Nyss. lib. VI *cont. Eunom.* — 4 Faust. Rheg. ep. XVI, tom. III *Biblioth. Patrum.*

ut quis ex quo subsistat, intelligas, et non Patrem ex Filio, sed Filium ex Patre esse cognoscas; principium ex principio, et unum est, et initio caret. Quomodo si dicas, Deus ex Deo; non tamen duo dii, sed unus dicitur. Genitus ergo, et ingenitus, et ex utroque procedens, personas indigitat, non naturas. Majestas enim, quæ Patri est indiscreta cum Filio, et Spiritu sancto, distingui nominibus potest, ordinari gradibus non potest, » ait Faustus Rhegiensis. Quare omnia, quæ divinitatis propria sunt in Patre, excepta ingeniti conditione, reperiuntur in Filio, ut et Gregorius Nyssenus libro primo *contra Eunomium* declarat.

III. Quemadmodum autem varius iste modus existendi nullum in essentia discrimen faciat, ostendere solent Patres exemplo Adami, et Evæ, atque utriusque posterorum: « Nam si, ut Basilius argumentatur, quæ diversam ejus, quod sunt, existentiam habent, differentem et essentiam habent, non erunt consubstantiales inter se homines. Etenim alia est Adami existentia, qui de terra formatus est; alia Evæ, quæ de costa facta est; Abelis alia, qui ex parentum complexu ortum habuit; alia ejus, qui de Maria natus est, ex virgine sola [a].» Porro, quod idem postea dicit, « nihil obstat, quin diversis nominibus eadem subjecta sit substantia; ut e contrario diversæ creatarum rerum substantiæ uno nomine censentur [b]. » Tractat hunc locum copiose, eleganterque Gregorius Nyssenus in secundo *adversus Eunomium*. Quippe Adamus secundum præcipuam ejus vocabuli notionem ἀγεννήτως exstitit; Abel γεννητῶς. Atqui eamdem uterque naturam, et naturæ rationem, ac definitionem sortitus est; nec major, minorve secundum essentiam altero est alter. Sic etiam Athanasius [2], et imprimis Ambrosius lib. *de Incarnat.* cap. IX. Hoc vero nominum ratio ipsa demonstrat. Nam vox ista *genitus* Deum, ac divinitatem, hoc est Dei essentiam non exprimit: « Quod enim dicitur genitus, ait Fulgentius [3], non hoc est nomen divinitatis in Filio, sed nomen est nativitatis in Deo; ut quem constat de Patre naturaliter genitum, constet non aliud esse, quam Deum. » Similiter *ingenitus* significationem essentiæ non habet. Velut « quoniam omnis homo implumis est, ut disputat Cyrillus Alexandrinus, non in eo, quod pennis caret, sita est ejus essentia. Sed est ridiculum vel ista cogitare; quoniam homo est, ideo est animal rationale, mortale; et quia est homo, ideo pennis caret, etc. Quamobrem, posita substantia, omnia dicuntur, quæ de ipsa prædicantur [c]. »

Absque generatione, Generatione

Basilius quoque, « Quemadmodum, inquit, cum de hominibus loquimur, ac dicimus, hunc ab illo genitum fuisse, non quid quisque sit, sed unde sit, explicamus. Sic et in Deo vox ingeniti, non quid sit, sed non esse ab alio ipsum, significat [d].» Ac si quis interrogetur, ait idem, quid sit Adamus, hoc est quæ sit natura ejus, et essentia; non bene respondebit, esse eum, qui non ex parentum copulatione, sed a Deo solo de terra procreatus sit. Non enim quomodo in rerum naturam prodierit, sed quid sit, quæritur. Quippe aliud est dicere, quid res sit, aliud quomodo sit; et hæc ratione diversa sunt, ut ait Gregorius Nyssenus [4], Ambrosius quoque lib. *de Incarn.* cap. IX.

Ingeniti.

Deinde, quod ad ἀγεννήτου nomen attinet, non in eo sitam esse Dei naturam ostendunt veteres, eo quod nihil aliud, nisi negationem, sive remotionem ejus, quod non est, significat. « Non enim, quid ipsius substantia sit, sed quid non sit, declarat. Porro nulla substantia ex iis, quæ non est, sed ex iis, quæ est, cognoscitur; quemadmodum immortalis, et incorruptibilis, et immutabilis, non illius

Vox ingeniti mera est negatio.

a Basil. IV *contra Eunom.* Εἰ τὰ διάφορον τὴν ὕπαρξιν τοῦ εἶναι ἔχοντα, διάφορον ἔχει καὶ τὴν οὐσίαν, οὐδὲ οἱ ἄνθρωποι ὁμοούσιοι. ἄλλη γὰρ ὕπαρξις Ἀδὰμ ἐκ γῆς πλασθέντος. ἄλλη δὲ Εὔας ἐκ πλευρᾶς γενομένης· ἄλλη δὲ Ἀβὲλ, ἐκ συνδυασμοῦ γάρ· ἄλλη δέ τοῦ ἐκ Μαριάς, ἐκ παρθένου μόνης.

b Idem. Οὐδὲν δὲ κωλύει διαφόρων ὀνομάτων μίαν οὐσίαν εἶναι· ὡς καὶ τὸ ἐναντίον διαφόρων οὐσιῶν τῆς κτίσεως ἓν ὄνομα. Vide et Dam. lib. I, cap. IX.

c Cyril. lib. XXXI *Thes.* Καὶ πάλιν, ἐπειδή περ πᾶς ἄνθρωπος ἄπτερός ἐστιν, ἐν τῷ ἄπτερος εἶναι τὸ εἶναι ἔχει. ἀλλ' ἔστι γελοῖον τὰ τοιαῦτα καὶ μόνον ἐννοεῖν. ἐπειδὴ γὰρ ἄνθρωπος, διὰ τοῦτο καὶ ζῶον λογικὸν θνητόν. καὶ ἐπειδὴ ἄνθρωπος, διὰ τοῦτο ἄπτερος, etc. Οὐκοῦν ὑποκειμένης τῆς οὐσίας, πάντα λέγεται τὰ ἐπ' αὐτῇ κατηγορούμενα.

d Basil. I *contra Eunom.* Ὡς γὰρ ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀνθρώπων λόγοις, ὅταν λέγωμεν ὅτι ὁ δεῖνα ἐκ τοῦδε γέγονεν, οὐ τὸ τί ἐστιν ἑκάστου, ἀλλὰ τὸ ὅθεν γέγονε διηγούμεθα. οὕτω καὶ ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ, ἡ ἀγέννητος φωνὴ, οὐ τὸ τὶ, ἀλλὰ τὸ μηδαμόθεν αὐτοῦ σημαίνει. Vide et lib. II.

1 Gregorius Nyss. lib. I. — 2 Lib. *de Decret. Nic. Synodi.* Item. Aug. lib. I *cont. Max.* — 3 Lib. *ad Thrasim.* — 4 Lib. *ad Ablab. Quod non sint tres dii.*

essentiam exprimit, sed hoc solum, nequaquam illum mori, corrumpi, mutari, quod creatis rebus accidit[a].» Ita Basilius. Gregorius quoque Nazianzenus, « Quomodo, inquit, Dei essentiam dicis non ejus, quod est, positionem, sed ejus, quod non est, detractionem? Vox enim ingeniti hoc significat, eum generationis expertem esse, non autem declarat, quidnam natura sua sit, id quod generatione caret[b]. » Eadem affert et Cyrillus in *Thesauri* maxime primo, et tricesimo primo, et in dialogo secundo *de Trinitate*.

IV. Tertio contra ἀγέννητον illud Basilius ita colligit. « Ἀγέννητον vel substantia est, vel accidens; nam præter hæc, nihil esse potest. Atqui non est substantia. Siquidem neque quod ex opposito ei respondet, substantia est. Etenim genitus dicitur Filius, non quatenus substantia, sed quatenus est genitus. Porro, si est accidens, vel natura est insitum, vel inesse potest, et non inesse; si natura insitum, necesse est in Deo substantiam et accidens esse. Nam necessario iis accidunt ista, quibuscumque accidunt. Quod si contingenter inest, et ingenitus erit interdum, et genitus[c].» Hæc Basilius.

Verum nimis late patere videtur hæc argumentatio, ut et de eo, quod est *Pater*, vel *Filius*, idem possit objici. Aut enim Pater, dicet aliquis, substantia est, aut accidens; tum similiter cætera concludet, ut neque substantiam probet esse, neque accidens. Sed huic jam occurrimus[1] ex Augustino; et paternitatem neque substantiam esse, neque accidens, sed interjectum aliquid ostendimus. Cum autem hoc ipsum, quod dicitur, *Ingenitum*, neque nihil sit, et Patri proprie competat, non debet ab eo penitus excludi, quod illa ratio Basilii efficere videtur, sed ad genus aliquod eorum, quæ de Deo, divinisque personis dici possunt, referri; quemadmodum recte Joannes Cyparissiotus[2] facit, qui iis Patrum allatis argumentis, et testimoniis, quæ partim adduximus, partim paulo post afferemus, ita concludit: « Ex his patet, primum quidem ingenitum in Trinitate, quæ supra substantiam est, neque substantiam esse, neque proprietatem hypostaticam Dei Patris. Hypostatica enim hypostasim, sive personam exhibent. Personam autem definiunt commune cum quadam proprietate, vel substantiam cum accidente. Si autem ingenitum neque substantia est, nec accidens, nullam personam exhibet, sive ostendit; et idcirco neque proprietas hypostatica est; notio tamen est Patris non habentis causam, quod ipse solus est Pater causam non habens. » Notio igitur est τὸ ἀγέννητον in Patre, quoniam ad ejus notitiam conducit; non autem *personalis*, ut vocant, est *proprietas*, quia personam non constituit; quemadmodum libro superiore ex ipsius Basilii opinione docui, cujus proinde in illa ratiocinatione mens ista fuit ostendere, personam Patris minime ex *ingeniti* notione constare, tanquam forma aliqua, et proprietate vel substantiali, vel accidente, licet ad Patris dignoscendam personam conferat, eoque inter notiones adscribatur.

V. Quinetiam contra eumdem Eunomium valet hoc Basilii argumentum, qui simili partitione usus est. « Ingeniti nomen (ait iste apud Cyrillum) aut essentiam Dei ostendit, aut accidens ei aliquid significat; accidens autem Deo nullum inesse potest. Perfecta enim est ex seipsa. Ipsa ergo substantia Dei significatur ingeniti nomine[d].» Huic Cyrillus respondet etsi divinæ substantiæ nihil accidat, tamen quædam a nobis, ac pro modulo intelligentiæ nostræ velut accidentia tribui. Ut quod reipsa *creator* appelletur, postquam universa procreavit, cum ante creasset nihil. « Cur ergo frustra contenditis, ait, nullo modo ingenitum

a Basil. lib. IV *contra Eunom.* Οὐ τί ἐστιν ἡ οὐσία αὐτοῦ λέγουσιν· ἀλλὰ τί οὐκ ἔστιν. οὐδεμία δὲ οὐσία ἐξ ὧ οὐκ ἔστι γνωρίζεται, ἀλλ' ἐξ ὧν ἐστι. καὶ τὸ ἀθάνατος γὰρ, καὶ τὸ ἄφθαρτος, καὶ τὸ ἄτρεπτος, οὐ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ἀλλ' ὅτι μὴ ἀποθνήσκει, μήτε φθείρεται, μήτε τρέπεται ὡς τὰ κτίσματα, δηλοῖ.

b Gregor. Nazianz. orat. xxxv. Ἔπειτα πῶς οὐσίαν θεοῦ λέγεις οὐ τὴν τοῦ ὄντος θέσιν, ἀλλὰ τὴν τοῦ μὴ ὄντος ἀναίρεσιν. τὸ γὰρ μὴ ὑπάρχειν αὐτῷ γέννησιν ὁ λόγος δηλοῖ, οὐχ ὃ τὴν φύσιν ἐστὶ παρίστησιν, οὐδ' ὑπάρχει τὸ μὴ ἔχον γέννησιν. Vide et orat. xxxii, et orat. xxxiv.

c Basil. IV *contra Eunom.* Τὸ ἀγέννητος ἢ οὐσία ἐστιν, ἢ συμβεβηκός· (παρ' αὐτὰ γὰρ οὐδὲν ἂν εἴη.) ἀλλ' οὐσία μὲν οὐκ ἔστιν. οὔτε γὰρ τὸ ἀντιδιαστελλόμενον αὐτῷ. γεννητὸς γὰρ ὁ υἱὸς, οὐ καθὸ οὐσία, ἀλλὰ καθὸ ἐγέννηθη. εἰ δὲ συμβεβηκός· ἢ συμπέφυκεν, ἢ ἐνδέχεται ὑπάρχειν, καὶ μὴ ὑπάρχειν. ἀλλ' εἰ μὲν συμπέφυκεν, ἀνάγκη τῷ Θεῷ καὶ οὐσία καὶ συμβεβηκὸς εἶναι. ἐξ ἀνάγκης γὰρ τὰ τοιαῦτα συμβαίνει οἷς συμβέβηκεν. εἰ δὲ ἐνδεχομένως, ἔσται καὶ ἀγεννητός ποτε, καὶ γεννητός.

d Cyril. lib. XXXI *Thes.* Τὸ ἀγέννητος ὄνομα, φασὶν, ἤ τι παραστατικὸν τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ νοηθήσεται, ἢ σημαίνει τι τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ. ἀλλὰ μὴν οὐδὲν τῇ θείᾳ συμβέβηκεν οὐσίᾳ. τελεία γὰρ ἐξ ἑαυτῆς. τὸ ἀγέννητον ἄρα τῆς οὐσίας ἔσται δηλωτικόν.

1 Lib. IV, cap. x, n. 5. — 2 Dec. viii, cap. v.

accidere Deo dici posse, cum multa in essentia ejus, accidentium specie, ac similitudine considerentur[a] ? » Ac subinde : «Cum igitur non omnia, quæ in Deo sunt, et de Deo dicuntur, substantiam significent, reliquum est, ut voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus. Non enim potest humana natura majus aliquid, quam pro suo modulo, de Deo dicere. Nostro ergo proprio modo intelligimus, et majorum exempla constituimus ea, quæ in nobis sunt, sicut qui in minima tabella cœlestem circulum describunt[b]. » Quæ Cyrilli opinio ab illa Augustini non discrepat[1], quæ inter substantiam, et accidens medium quiddam constituit in Deo relativum, et proprium personæ cujuslibet. Id enim revera non est accidens, sed nec οὐσία, verum modus quidam οὐσίας : quod de ἀγεννήτῳ multo magis affirmabimus, quia nomen est ἀφαιρετικὸν, nihil in re ponens, sed quod non inest detrahens; quare accidentis instar id animo concipi nihil vetat.

Ingenitum neque substantiam neque substantiale aliquid esse demonstratur.

VI. At idem Cyrillus τὸ ἀγέννητον, οὐσίαν, vel οὐσιῶδες aliquid non esse vehementius hoc pacto contra Eunomium demonstrat. « Nam quidquid ita dicitur de alio, ut quid sit, essentialiter significet, vel sicut genus, vel sicut species, vel sicut differentia, vel sicut definitio de ipso prædicatur. Horum enim quatuor unum aliquid esse debet[c]. » Tum singillatim probat nihil horum esse *ingenitum;* non genus, aut speciem; quoniam de multis ambo prædicantur, illud specie differentibus, hoc numero. Ingenitum vero de Deo solo dicitur. Quæ Cyrilli argumentatio, ut vim aliquam habeat, *ingenitum* in illa significatione debet accipere, quam de tribus tertiam capite superiori posui ; hoc est, ut sit illud, quod omni principio caret, et ἄναρχον dicitur. Hoc enim uni tantummodo Patri convenit, ac proinde singulare est. Quod si in secunda notione capiatur, ut sit, quod a nullo genitum est; erit id commune pluribus. Nam creatæ res complures nulla generatione propagatæ sunt. Sin ad priorem significationem referas, τὸ ἀγέννητον οὐσιῶδες aliquid erit in Deo, quatenus *negantia* vocabula ad οὐσίαν pertinere possunt. Nam infectum, et increatum esse, Dei essentiæ convenit. Sed id personis commune tribus est, non Patri peculiare.

Non esse differentiam inde probat Cyrillus[2], quod ejusmodi in iis solis rebus, quæ compositæ sunt, cernitur; Deus vero simplicissimus est. Alio item in loco demonstrat sic. Omnis enim differentia in substantia versatur, cujus generalem rationem contrahit, et specie aliqua circumscribit : « Quare substantia præsupposita differentiæ postea intelliguntur. Si ergo ingenitum differentia est; quæratur substantia, cujus differentia est[d]. » Postremo definitionem non posse esse hinc efficit; primum *quia definitio* non unum vocabulum, sed oratio est; tum quia privativa nomina, non quid est, sed quid non est, significant. Deinde omnis definitio ex genere, atque differentia constat, quæ duo singulari in voce non continentur[e]. Hæc Cyrillus in primo, et undecimo *Thesauri ;* quæ itidem in dialogo secundo *de Trinitate* latius edisserit. Ex quibus id est validissimum , quod *unius rei* negatio non sufficit ad significandam essentiam, quod definitio facere debet. Hæc enim, non quid non est, sed quid est, quod proponitur, quærit[f]. *Ingeniti* autem vox, non quid est Deus, sed quid non est significat. Nam quia genitus non est, ideo ingenitus est. Sed nec ab oppositis definitio sumitur. Non enim definitur album, quod nigrum non est. At ingenitum dicitur, quod non est genitum. Rursus definitio cum definito convertitur, ut et homo omnis animal sit rationis particeps ; et animal

a Cyrill. lib. XXXI *Thes.* Τί μάτην περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπισυμβεβηκέναι λέγειν τῷ θεῷ τὸ ἀγέννητον διατείνεσθε, ἐν τῷ τοιῷδε σχήματι φαινομένων τινῶν τῶν ὅσα περ ἐστὶ κατ' οὐσίαν αὐτῷ ;

b Ibid. Εἰ τοίνυν οὐχ ὅσα προσεῖναι λέγεται κατὰ φύσιν τῷ θεῷ, ταῦτα πάντως ἔσται αὐτοῦ καὶ οὐσία, λείπεται λέγειν αὐτὰ τῇ οὐσίᾳ συμβεβηκότα, μέχρι μόνης φωνῆς οὕτω νοούμενα. οὐκ ἔχει γὰρ ἡ ἀνθρώπου φύσις μεῖζόν τι τῶν κατ' ἑαυτὴν λέγειν ἐπὶ θεοῦ. διὸ δὴ τοῖς ἰδίοις ἔθεσιν ἐπ' αὐτοῦ κεχρήμεθα, τὰ καθ' ἑαυτοὺς μειζόνων ὑπόδειγμα ποιούμενοι, ὥσπερ οἱ ἐν μικρῷ πίνακι τὸν οὐρανῶν καταγράφοντες κύκλον.

c Cyril. lib. XXXI *Thes.* Πᾶν ὅπερ κατηγοροῖτο κατά τινος, ὡς τὸ τί ἐστιν εὖ μάλα σημαῖνον, ἢ ὡς γένος, ἢ ὡς εἶδος, ἢ ὡς ὅρος ἔσται. δεῖ γὰρ πάντως ἓν εἶναι τῶν εἰρημένων.

d Cyril. lib. II *Thes.* Οὐκοῦν προϋποκειμένης τῆς οὐσίας αἱ διαφοραὶ προσεπινοοῦνται. εἰ τοίνυν διαφορὰ τὸ ἀγέννητον, ζητείσθω καὶ ἡ οὐσία, τίνος ἔσται διαφορά. ἀμέχανον γὰρ οὐσίας φορέσαι λόγον τὴν διαφοράν.

e Cyril. lib. XXXI *Thes.* Πᾶς μὲν γὰρ ὅρος λόγος ἐστὶ τὸ τί ἐστι κατ' οὐσίαν τὸ σημαινόμενον ἀποδιδούς. τὸ δὲ ἀγένητος οὐ λόγος ὃν ἀλλ' ὄνομα φαίνεται. Vide et lib. III *Thes.*

f Idem, dialog. II *de Trin.* Εἰ δὴ οὖν ἐπὶ θεοῦ, καὶ πατρὸς τὸ ἀγέννητον μόνον ἡμῖν τὸ μὴ γεγεννῆσθαι δηλοῖ, πῶς ἂν ὅρου δύναμιν ἔχοι, οὐχὶ τί ἐστι, ἀλλὰ τί οὐκ ἔστι, κατασημαῖνον.

1 Vide lib. IV nostrum, cap. xi. — 2 Lib. XXXI *Thes.*

omne particeps rationis homo sit. Ingenitum vero non omne Deus est. Nam et alia multa ingenita sunt, ut Cyrillus objicit [1]. Basilius vero [2], qui eodem argumento probat neque definitionem esse, neque proprium; opponit Filium, qui cum Deus etiam ab Eunomianis haberetur, non esset *ingenitus*. Uterque *ingeniti* nomen in secunda significatione sumpsit. Quod si in prima usurpetur, cum Deo convertitur, sed una Filium cum Patre comprehendit; etsi id non concederet Eunomius, Arianique cæteri, qui eum solum vere, ac proprie Deum esse crediderunt, qui principio omni careret. Itaque Basilii ratio de Filio minus contra illos procedit.

VII. Oppugnat Eunomianos eodem argumenti genere Gregorius Nazianzenus [3]; quod οὐσία proprium esse debet aliquid, non commune cum aliis rebus genere diversis; ἀγέννητον autem multis convenit. Nec non Gregorius alter Nyssenus [4]. Sed hic ἀγέννητον latius interpretatur, ut ad illa etiam extendat, quæ revera nec sunt, nec esse possunt, uti Chimæræ, Minotauri.

Cæterum universe neque substantiam, neque οὐσιῶδες aliquid τὸ ἀγέννητον esse, Cyrillus [5], ex natura, et proprietate τῆς οὐσίας probare studet. Etenim docet Aristoteles in *Categoriis*, substantiæ nihil esse contrarium. Ingenitum autem opponitur genito.

Negationes quadamtenus ad Dei essentiam referuntur.

Verum aliud est contrarium, quod ita proprie vocatur, et est secundum oppositorum genus apud eumdem Aristotelem [6], ut sunt album, et nigrum, aliud contrarium late, universeque sumptum pro quolibet oppositionis genere. Quare quod substantiæ nihil esse contrarium dicitur, id ad priorem pertinet modum. Non enim substantiæ contrarium est aliquid, itidem ut calori frigus. Sed oppositum tamen aliquid est in quarta oppositorum specie, quam *contradictionem* nominant, ὡς κατάφασις, καὶ ἀπόφασις, secundum *affirmationem*, et *negationem*; quæ per omnia rerum genera vagatur. Nam homini opponitur non homo. Sic ergo τῷ γεννητῷ, siquidem οὐσιῶδες quippiam esse fingatur, opponetur τὸ ἀγέννητον, quod et ipsum οὐσιῶδες erit, quatenus negatio id esse

Genito. Substantiale. Ingenitum.. substantiale

potest. Quippe negationes, tametsi essentiam minime constituant, quod οὐσίαι rerum solidum, atque exstans aliquid, et, ut vocant, *positivum* requirant, non autem ἀφαιρετικὸν, et *negativum*, cum negatio τοῦ ὄντος, ac proinde τῆς οὐσίας ablatio sit, non οὐσία; nihilominus ad essentiam modo quodam suo referuntur, et οὐσιώδεις sunt, quatenus id, quod ab essentia est alienum, removent. Est enim homini, exempli causa, *naturale* et οὐσιῶδες non esse brutum, vel lapidem. Tum differentia omnis οὐσιώδης, quæ ad genus adjuncta naturam rei, definitionemque complet, præter id quod *positivum* est, et essentiam proprie constituit, negationem præterea complectitur eorum omnium, quæ id non sunt, quod res esse dicitur. In quo differentiæ, ac distinctionis vis est, ac notio posita. Tritum enim illud est in philosophorum libris, per hoc differre quodlibet ab alio, per quod ejus essentia constituitur. Ita τὸ ἀγέννητον nihil hac ex parte prohibet οὐσιῶδες esse.

Substantiæ. Entis. Substantiæ. Substantiales. Substantialis. Ingenitum. Substantiale.

VIII. Atque ut de istiusmodi veterum contra Eunomianos disputatione, ac de horum opinione paulo subtilius agatur,* non sic istos insaniisse arbitror, ut τὸ ἀγέννητον, sive ἀγεννησίαν, hoc est negationem ipsam, veram ac præcisam Dei esse putarent essentiam. Alioqui Deum *nihil* prorsus esse dicerent, id est rem nullam, nedum substantiam; quod nemo, nisi amens, ac furiosus somniare possit. Sed neque τὸ γεννητὸν, aut γέννησιν illos existimo sic οὐσιώδη esse Filii, vel creatarum rerum intellexisse, ut eo solo definiretur, aut ipsamet οὐσία, et τὸ τι ἦν εἶναι diceretur. Non enim ignorare poterant, τὴν γέννησιν nihil esse præter τρόπον τῆς ὑπάρξεως, *existendi modum*, sive *productionem*, quæ ab re utique producta, et ejus essentia discrepat. Quocirca γέννησιν, sive γένεσιν (nam utrumque confundebant) rebus omnibus a primario, soloque ac vero Deo diversis, quem τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν, ac Patrem interpretabantur, intimam, et οὐσιώδη esse volebant, quatenus id earum proprium esset, ut a Deo fierent. Siquidem et nos naturalem, et essentialem creaturarum omnium conditionem hanc agnoscimus, quod creatione producantur; ac

Hæc assertio subtilius enucleatur. Generationem sive facturam. Super omnia Deum Essentialem

a Arist. in *Cat.* cap. *de Subst.* Ὑπάρχει δὲ ταῖς οὐσίαις καὶ τὸ μηδὲν αὐταῖς ἐναντίον εἶναι.

* Non sic istos insaniisse arbitror ut *ingenitum* sive *innascibilitatem*, hoc est negationem ipsam, veram ac præcisam Dei esse putarent essentiam. Alioquin Deum *nihil* prorsus esse dicerent, id est rem nullam, nedum substantiam; quod nemo nisi amens et furiosus somniare possit. Sed neque *genitum* et *generationem*, illos existimo sic *essentialia* esse Filii, vel creatarum rerum intellexisse, ut eo solo definiretur, aut ipsamet *usia* et *quidditas* diceretur, etc. J. B. F.

1 Dial. II *de Trinit.* — 2 Lib. IV *cont. Eun.* — 3 Orat. xxxv. — 4 Lib. VI *cont. Eun.* — 5 Lib. III *Thes.* — 7 In *Categor.* c. *de Opp.*

Esse creatum prorsus essentiale.

τὸ κτιστὸν prorsus οὐσιῶδες est illis; non tamen ipsa est earum *essentia* vel τὸ τί ἦν εἶναι. Cum igitur creaturæ cuilibet, ac naturæ omni, quæ ab vero, sempiternoque Deo discrepat, proprium sit, et essentiale, hoc est non adventitium, et accidens, ut effectione, creationeque producatur; ideo τὸ γεννητὸν, sive γενητὸν, itidemque γέννησιν, ac γένεσιν aiebant, οὐσιώδη, imo οὐσίαν esse rerum illarum, adeoque Filii Dei, quod naturaliter hoc habeant, ut a Deo procreentur. Ex quo consequens id erat, τὸ ἀγέννητον, hoc est quod a nullo producitur, estque ἄναρχον, et *principii expers*, quia τοῦ οὐσιώδους negatio est, οὐσιῶδες et ipsum esse Deo Patri; quemadmodum *increatum et infinitum*, et si quæ alia sunt ἀφαιρετικά nomina, ad essentiam Dei referre consuevimus; non ut ipsammet in illis essentiam Dei, ac naturam positam esse credamus, sed quod ex ipsa, cujusque modi demum est, illius essentia consequantur. Hoc autem eo magis in Deo, quam in creatis rebus nobis permittimus, ut hæc ἀφαιρετικὰ pro essentialibus habeantur, quod illius natura penitus ignota sit, meliusque negando, ac removendo quod non est, quam quod esse videtur affirmando, declarari possit, ut in libro *de Divinis nominibus* Dionysius affirmat.

Genitum et factum. Essentialia. *Essentialis.* *Essentiale.* *Negativa.* *Negativa.*

IX. Atque hæc vera sunt, si ἀγέννητον pro eo sumatur, quod increatum, infectum est, et ἀγένητον. Hac enim significatione sola, de tribus capite superiori positis, ad ipsam spectat essentiam Dei, et οὐσιώδης est divinitatis nota : non in secunda, vel tertia, quod impie contendebant Ariani. Hæc præ oculis habenda sunt, ut de plerisque aliis Cyrilli, aliorumque Patrum argumentis judicare possimus, quibus Eunomianos incessunt. Velut est hoc Basilii in quarto *contra Eunom.* « Si ingenitus a genito Filio ex opposito distinctus altera substantia est ; etiam increatus a creato ex opposito distinctus altera substantia est. Proinde et ingenitus est substantia, et increatus substantia. Deus ergo non una erit substantia, sed duæ [a]. » Verum, quod ad creatum, et increatum attinet, cum idem prorsus ex Eunomianorum, Arianorumque sententia sint, quod *ingenitum*, et *genitum ;* novum essentiæ discrimen non faciunt. Quare vis erit argumenti major, si alia negantia vocabula sumantur, quæ notione diversa sunt, ut immortalis, infinitus, incomprehensus; quomodo hanc ipsam adversus Eunomium disputationem urget Gregor. Nazianzenus orat. XXXV et Cyrillus lib. XXXI *Thesauri;* meminitque Nicetas lib. V *Thesauri*, c. XLIII. Nam cur *ingenitum* potius Dei essentia sit, quam reliqua ista, præsertim quæ soli Deo conveniunt, neque creatis rebus communia sunt, cujusmodi est infinitum, incomprehensum, ita contra catholicos præscribebant apud Nicetam hæretici, ideo *ingenitum* essentiam Dei potissimum continere, quod soli Deo competat; immortale vero, innocens, et alia quædam aliis rebus attribuantur; cui sic Nicetas occurrit, imo Greg. Naz. ex quo id mutuatus est ille, *ingenitum* ab Aristotele et Platone aliis rebus assignari. Sed hoc nihil est. Validior itaque ratio hæc erit, si ἀφαιρετικὰ nomina, quæ dixi, solius Dei propria ponantur. Hunc igitur im modum constituta ratio contra Arianos, eatenus vim habebit, si ingenitum eo sensu Dei essentiam, vel substantiam esse putabat Eunomius ut ipsum τὸ τί ἦν εἶναι Dei in eo consisteret, non autem, si eo, quem dixi, modo οὐσιώδης esse vellet, quo scilicet negationes id esse possunt. Ita enim non una tantum, sed plures, imo infinitæ negationes οὐσιώδεις erunt, quæ nullum per se *positivum*, ut vocant, *attributum* significant, sed alienas duntaxat naturas, et proprietates excludunt. Quippe homo quilibet οὐσιωδῶς est non equus, non leo, non lapis, non quantitas, non candor. Uno verbo, quot res sunt, naturæque vel existentes reipsa, vel quæ existere possunt, totidem earum negationes in essentiam cadunt hominis, quæ non hoc ipsum est, quod res illæ.

Negantia. *Quidditas.* *Essentiales.*

X. Simile est judicium et de argumentis istis : Si ingenitum substantia est, genitum quoque necessario substantia erit. Cum autem utrumque substantiam significet; unde cognoscemus alterum non esse genitum, alterum genitum esse, cum omnia nihil aliud, quam substantiam significent [b]? Aliis ergo nominibus erit opus, quæ possint ostendere Deum ingenitum a nulla esse origine, cum

a Basil. IV *contra Eunom.* Εἰ ὁ ἀγέννητος πρὸς τὸν γεννητὸν υἱὸν ἀντιδιαστελλόμενος ἑτέρα οὐσία ἐστι, καὶ ὁ ἄκτιστος πρὸ τὴν κτίσιν ἀντιδιαστελλόμενος ἑτέρα οὐσία ἐστίν· ἔσται οὖν καὶ ἀγέννητος οὐσία, καὶ ἄκτιστος οὐσία. δύο οὖν Θεὸς, καὶ οὐ μία οὐσία.

b Cyril. Alex. lib. III *Thes.* Εἰ τὸ ἀγένητον οὐσίαν Θεοῦ σημαίνει, ἀλλ' οὐ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν οὐσίαν, καὶ τὸ γενητὸν εἰκότως οὐσίαν, ἀλλ' οὐ τὸ γενέσθαι. οὐσίαν δὲ σημαινόντων ἑκατέρων, πόθεν γνῷ τις τὴν μὲν ποιοῦσαν, τὴν δὲ γενομένην, ἅπαξ τῶν ὀνομάτων οὐδὲν δηλούντων, ἀλλ' ἢ μόνον οὐσίαν

ipsum ingenitum nihil aliud, quam substantiam Dei significet. Ita Cyrillus, nec non Basilius [1]. Atqui si ingenitum, et genitum idem esse ponamus, quod infectum et factum, possunt οὐσιώδη esse, illud Deo, hoc rebus creatis. Modi, inquam, existendi isti duo naturales et insiti sunt. Quippe ὁ τοῦ ὄντος λόγος, quæ *entis ratio* dicitur, communis, et quasi generica est essentia rerum omnium; quæ hoc ipso res sunt, quod existunt, vel existere possunt. Tum *increati entis* essentia intelligitur in eo, quod a seipso sit, hoc est fiat a nullo, quod ἀγένητον vocant; creati vero, quod a Deo fiat. Itaque οὐσιώδεις illi modi sunt. Sed non plenam, atque integram continent οὐσίαν, sed ejus tantum universalem, ac generis similem naturæ gradum, qui τοῦ ὄντος utrobique notionem consequitur.

Essentialia.

Entis.

Rursus, si ἀγέννητος est οὐσία, inquit Basilius [2], etiam γεννητὸς, et γέννημα erunt οὐσία. Proinde omnia γεννήματα erunt ὁμοούσια, adeoque Filius Dei ejusdem erit cum rebus infimis, creatisque substantiæ. Hoc, etsi est impium, et absurdum, tamen non negabit Eunomii, vel Arii discipulus; quamvis revera ὁμοούσια non dicantur, quæ in sola τοῦ ὄντος proprietate generali confusaque invicem conveniunt; sed quæ subjectos, ac propiores gradus communes habent. Nihilominus creatæ omnes substantiæ ὁμοούσιοι vocari possunt non absolute, sed quadamtenus, propter eamdem, cujus sunt participes, generis naturam.

Rursus si ingenitus est substantia, genitus et factura erunt substantia; Proinde omnia facta erunt ejusdem substantiæ.

Consubstantiales.

* Præterea istud ipsum ἀγέννητον sic retorquet in hæreticum Basilius [3]: Si est ἀγέννητον Dei οὐσία, et γέννημα Filii, non erit *creatura*, id est κτίσμα, Filius. Item si Filius est natura γεννητὸς, Pater erit natura γεννήσας, hoc est generans. Ita creator non erit Filii. Hic τοῦ γεννᾶν significatio secunda de tribus assumitur; quæ est generatio proprie dicta; ex qua recta id, quod pugnat Basilius, efficitur. Sed Eunomius aliter eam vocem interpretabatur, qui γέννημα idem esse volebat, ac ποίημα.

Generandi.

Opus.

XI. Ad hæc Greg. Nyssenus [4] ἀγέννητον, et γεννητὸν non esse οὐσίας ostendit in hunc modum. Cum enim ita loquimur: Hic genitus est, vel non est genitus, duo quædam exprimimus: alterum, quod demonstrativo pronomine significatur, nempe τὸ ὑποκείμενον, *subjectum*: alterum, id quod inest subjecto, et hoc afficit. Aliud ergo de eo, quod est, intelligimus, aliud de eo, quod in illo cernitur. Quinetiam in omni nomine, quod Dei naturæ tribuitur, verbum *est* tacite semper intelligitur; ut cum dicimus justus, incorruptus, immortalis, ingenitus, et cætera, quamvis substantivum verbum taceatur, est tamen in loquentis animo; alioqui stulta, et incondita fit oratio. Exempli causa, Propheta sic loquitur: *Deus, judex justus, et fortis, et longanimis* [5]; nisi subaudiatur *est*, non cohæret sermo. Eo vero intellecto, duo hæc indicat, τὸ ὄν, adeoque τὴν οὐσίαν, *subjectam substantiam*, et ἐνέργειαν *actionem*, proprietatemve, quæ in subjecta re spectatur. Sic igitur, cum ἀγέννητον, et γεννητὸν dicimus, alterum mente concipimus τὸ ὄν, et ὑποκείμενον, alterum τὸ προσὸν τῷ ὑποκειμένῳ, *quod inest subjecto*. Quare neutrum horum est τὸ ὄν, vel οὐσία. Hæc Greg. Nyssenus. Verum eodem modo concluseris, ne definitionem quidem οὐσίαν esse rei, vel οὐσιώδη. Siquidem nulla sine verbo *est*, concipi, aut explicari potest. Ut cum dico: Homo est animal rationis particeps; duo itidem continet oratio, τὸ ὄν, sine τὸ ὑποκείμενον, et quod inest in ipso, deque eo prædicatur; ac nulla est omnino propositio, quamvis οὐσιώδης, quæ non duplici termino constet, altero *subjecto*, altero *prædicato*; tum verbi copula, ut in libro περὶ Ἑρμηνείας docet Aristoteles. Neque hoc obstat, quominus οὐσία rei, et *essentia* propositionibus istis explicetur, eaque subjecto inesse dicatur; quia etsi una, eademque res sit τὸ ὄν, sive ὑποκείμενον, et ejus οὐσία, quæ est *natura*, vel *essentia*, vel τὸ τι ἦν εἶναι; nihilominus λόγῳ, id est *mente et ratione* ista discernimus; quod discrimen ad enuntiandam propositionem satis est. Sic ergo τὸ ἀγέννητον, et γεννητὸν, sive ἀγεννησία, et γέννησις, si in prima notione sumantur, ut sint *increatum* et *creatum*, οὐσιώδη esse poterunt, nec ab οὐσίᾳ reipsa discrepabunt, alterum Dei, alterum creaturæ, quemadmodum paulo ante demonstravimus. Sane apud Basilium [6] Eunomius ipse diserte asserit Deum Patrem esse οὐσίαν ἀγέννητον: « Imo vero, inquit, *substantia ipse est ingenita*, » μᾶλλον δὲ αὐτός ἐστιν οὐσία ἀγέννητος. Itaque τὸ ἀγέννητον nihil nisi prædicatum, ut vocant, οὐσιῶδες esse volebant.

Ens et subjectum.

Ens vel usia.

Ens sive suppositum.

Ens sive suppositum.

Essentialia.

XII. Præter hæc adversus τὸ ἀγέννητον, et γεννητὸν, quod tantopere jactabant Ariani, ut in ea velut arce perfidiæ suæ consisterent, crebro illud Patres opponebant, quod est pro-

Ingenitum et genitum.

* Præterea istud ipsum *ingenitum* retorquet in hæreticum Basilius : Si est *ingenitum* Dei *substantia* et *factum esse* Filii, non erit *creatura* id est *Ktisma* Filius. Item si Filius est natura *genitus*, Pater erit natura generans... J.-B. F.

1 Lib. IV *cont. Eun.*— 2 Lib. II *cont. Eun.*— 3 Lib. IV *cont. Eun.*— 4 Lib. VI *cont Eun.*—5 *Ps.* CXLIX.—6 Lib. I *cont Eun.*

fecto validissimum; nusquam in sacris Libris eas voces contineri, cum alia complura sint ibi nomina, quibus appellavit se Deus, appellarique voluit, præcipue vero Patris, Filii, et Spiritus sancti; quæ proinde multo κυριώτερα censeri debent, ac frequentius, et libentius usurpari, atque ad catholici dogmatis interpretationem adhiberi, quam ambigua illa, et plena rixarum. Quod argumentum non eo pertinet, nullo ut vocabulo fas sit uti, quod in sacris Litteris non legatur expressum, uti stolide temporis hujus hæretici garriunt, qui suapte voce, usuque convincuntur. Nam et ipsi ἄγραφα multa usurpare coguntur. Sed duplex in illo vis erat adversus Arianos. Primum quod, cum illi τὸ ὁμοούσιον eo se rejicere profiterentur, quod scriptis non esset proditum; tamen ἀγέννητον, et γεννητὸν, vel γέννημα, quæ nec ipsa scripta sunt, in omni sermone proferrent. Sic Athanasius[1] Arianos, Basilius[2] Eunomium redarguit, nullis se appellationibus uti jactitantem, nisi ex doctrina sancti Spiritus acceptis. Ambrosius itidem Arianos eodem argumento verberat libro *de Incarn.* cap. VIII et IX. Et ante hos Dionysius Alexandrinus in *Responsione ad quintam Samosateni quæstionem*, hoc ei objicit, nullo in loco Scripturæ dici Patrem ἀγέννητον. Deinde quod *Patris* appellatio longe simplicior sit, ac fucum omnem, et calumniam respuat; *ingeniti* vero subdola, anceps, et malitiosa, ac propter notiones varias, serendis pugnis, et contentionibus opportuna. Quare cum prior illa *Patris* vox sæpe, ac diserte in sacris Litteris ab ipso Domino pronuntiata sit, altera vero nusquam tradita: huic illa jure debet anteponi.

Magis propria.

Non scripta.

Consubstantiale.

XIII. Sed audiamus Athanasium brevi hæc, sed arguto, et rotundo sermone torquentem: « Etenim vox, inquit, ista (ingeniti) in Scriptura non exstat, et est suspecta; multiplicemque significationem continet adeo, ut si quis de ea interrogetur, in varia distrahi mentem illius necesse sit. Patris vero nomen simplex est, scriptis proditum, et idipsum verius, ac solum designans Filium [a]. » Addit *ingenitum* a Græcis, et gentilibus Arianos accepisse. *Patrem* autem nominare, ipsum docuisse nos Christum, qui neutiquam orare jussit, *Ingenite, qui es in cœlis*, sed *Pater noster, qui es in cœlis.* Tum baptizare præcepit, *In nomine Patris, et Filii*, non *ingeniti*, ac *geniti.* Quæ adversus *ingeniti* vocabulum exceptiones veterum[3] usu contritæ sunt. Quos inter acerrime Basilius Eunomianos hoc dilemmate conficit: « Nam si τὸ ἀγέννητον Dei nomen est, et quidem essentiam significans; vel Deus essentiam cognoscens suam, nomen ignoravit essentiæ, vel nomen illud sciens, audientibus illusit. Ait enim: *Dominus omnipotens nomen meum.* Et a Mose interrogatus, quod esset nomen suum, dixit: *Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Hoc mihi nomen æternum.* David item: *Dominus nomen tibi.* Ingeniti vero nomen neque ipse sibi, neque sanctorum ullus attribuit. Quod si nec illusit, nec ignoravit (utrumque enim dictu est impium), Ingenitum non est nomen ipsius [b]. » Paulo post idem non minus acute, « Si est, inquit, Deus ingenita substantia, et Christus genita substantia, et Spiritus sanctus creata substantia; nomina ista Pater, Filius, et Spiritus sanctus vacua erunt substantiis vocabula. Baptizent igitur in ingenitum, genitum, et creaturam. Res enim valentiores sunt nominibus [c]. » Certe Christus, ut ibidem Basilius animadvertit, testatur, se nomen Patris sui *manifestasse hominibus*[4]. Quare si τὸ ἀγέννητον adeo proprium est illius nomen, id præ cæteris indicari debuit.

Præterea, « Si creatura est, et non genitura Filius, sed et omnia, quæ sunt, creaturæ censentur, ait idem Basilius, frustra Pater ingenitus dicitur, cum nulla sit omnino ge-

a ATHAN. orat. II *contra Ar.* Καὶ γὰρ τοῦτο μὲν ἄγραπτον, καὶ ὕποπτον, καὶ ποικίλην ἔχον ἐστὶ τὴν σημασίαν· ὥστε τοῦ ἐρωτωμένου περὶ αὐτοῦ εἰς πολλὰ τὴν διάνοιαν περιφέρεσθαι· τὸ δὲ, πατὴρ, ἁπλοῦν, καὶ ἔγγραφον, καὶ ἀληθέστερον, καὶ σημαῖνον μόνον τὸν υἱόν ἐστι.

b BASIL. lib. IV *contra Eunom.* Εἰ τὸ ἀγέννητον ὄνομα τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, ἢ τὴν οὐσίαν τὴν ἰδίαν εἰδὼς ὁ Θεὸς τὸ ὄνομα τῆς οὐσίας ἠγνόησεν, ἢ καὶ τὸ ὄνομα εἰδὼς, τοὺς ἀκούοντας ἠπάτησε, Κύριος γὰρ, φησὶ, παντοκράτωρ ὄνομά μου. καὶ παρὰ Μωσέως ἐρωτηθεὶς, τί ὄνομα αὐτῷ, φησὶν, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· καὶ πάλιν· Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸς Ἰακώβ· τοῦτό μοι ὄνομα αἰώνιον. καὶ Δαβὶδ· κύριος ὄνομά σοι. ἀγέννητον δὲ ὄνομα οὔτε αὐτὸς ἑαυτῷ, οὔτε τις τῶν ἁγίων εἴρηκεν. εἰ δὲ οὔτε ἠπάτησεν, οὔτε ἠγνόησεν (ἀσεβὲς γάρ τι τοιοῦτον εἰπεῖν) τὸ ἀγέννητον οὐκ ὄνομα αὐτοῦ.

c MOX: Εἰ ὁ Θεὸς ἀγέννητος οὐσία, καὶ ὁ Χριστὸς γεννητὸς οὐσία, καὶ ὁ παράκλητος κτίσμα οὐσία, τὸ πατὴρ, καὶ υἱός, καὶ ἅγιον πνεῦμα ὀνόματα μόνον χωρὶς οὐσιῶν. βαπτιζέτωσαν οὖν εἰς ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ κτίσμα. τά γὰρ πράγματα τῶν ὀνομάτων ἰσχυρότερα.

1 Lib. *de Dec. Nic. syn.* et orat. II. — 2 Lib. I *cont. Eun.*; Gregor. Nazianz. orat. XXXVII. — 3 Epiph. hær. LXXVI.; Basil. IV *cont. Eun.*; Gregor. Nyss. lib. IX *contra Eun.*; Cyril. dial. II; Idac. *contra Varim.*; Alcuin. lib. I *de Trin.* cap. XV. — 4 *Joan.* XVII.

nitura, cujus comparatione dicatur ingenitus. Justius ergo increatus appelletur, quam ingenitus [a]. »

XIV. Est et illud ejusdem: Si Deus erat aliquando, antequam esset Pater, postquam Pater cœpit esse, idipsum ut Pater esset, assumpsit. Ita Deus quidem ingenitus est; Pater vero genitus. Quare idem erit ingenitus, et genitus, cum tamen sit simplex. In his Basilius ἀγέννητον pro eo cepit, quod est ἄναρχον, γεννητὸν pro eo, quod principium habet. Sed idem et de *creatore* potest catholicis objici. Nam et Deus ab æterno fuit, et in tempore creator esse cœpit. Verum contra hæreticos ista vim habent, qui talia nomina οὐσίας esse volebant. Dei autem οὐσία et simplex est, et immutabilis. At catholici *creatoris* nomen non οὐσίας esse putant, sed ἐνεργείας, externæque actionis.

Ad extremum, ut hunc locum absolvam, quod Eunomiani tantopere contendebant, non esse substantiæ ejusdem Patrem, et Filium, quoniam ille sit ἀγέννητος, hic γεννητὸς, Victor Carthaginensis [1], in *Fidei ratione ad Hunericum* edita, prudenter, docteque conclusisse videtur, contrarium potius esse consequens, ut si ambo essent ingeniti, magis invicem differrent. « Sed forsitan objicitur, inquit, cum ingenitus Pater sit, genitus Filius, non fieri posse, unam eamdemque esse substantiam geniti, atque ingeniti, cum utique si, sicut ingenitus Pater est, ingenitus esset et Filius, tunc magis diversa possit esse substantia; quia unusquisque a seipso subsistens, communem substantiam cum altero non haberet. » Recte id quidem Victor. Nam ipsa unius ab altero generatio facit, ut similis substantiæ sint, imo ejusdem, hoc est ὁμοούσιοι, cum hæc sit natura generationis. Quod si neuter ab altero produceretur, plane invicem dissimiles essent, seque totis differrent.

CAPUT III.

Reliqua Eunomianorum argumenta, et calumniæ in eadem voce deteguntur. Sitne ingenitum negans, an privans vocabulum. Esse posterioris generis ostenditur. Item quæritur, an absoluta sit, an relativa ingeniti notio, et relativa esse monstratur ; et quatenus cum Filio, aut creaturis comparetur. Aliæ Eunomii, et Aetii ludificationes, et præstigiæ discussæ.

I. Nunc de eadem τοῦ ἀγεννήτου voce, reliqua Eunomianorum argumenta persequar, ut eo magis illius proprietas intelligatur.

Apud Basilium [2] Eunomius οὐσίαν τοῦ ἀγεννήτου vocabulo comprehendi, et esse Deum proprie ἀγέννητον οὐσίαν ita concludit. Etenim ἀγέννητος neque κατ' ἐπίνοιαν de Deo dicitur, quia non humana notione, commentove hoc illi nomen inditur ; neque κατὰ στέρησιν, *secundum privationem*. Nam privativum non est, quoniam privantia vocabula ea detrahunt, quæ natura conveniunt, et posteriora sunt habitibus ; γέννησις autem, cujus privatio deberet esse, Deo secundum naturam non convenit ; neque pars est essentiæ, quia Deus simplicissimus est; neque additum aliquid essentiæ, cum nihil in Deo tale fingi queat. Reliquum est ergo, ut tota ipsa, quanta est, essentia Dei sit ἀγέννητος.

Ingenitam essentiam.

Eunomii argumentatio.

Ex hac hæretici argumentatione unum illud expendemus, quod de στερήσει, id est *privatione* objicit. Nam cætera jam explicata sunt, cum de ἐπινοίαις ageremus. Basilius itaque primum exceptione vim illius rationis elevat; quod non ex sacris Litteris, atque ex doctrina sancti Spiritus, sed ex humana philosophia, et Aristotelicis *Categoriis* profecta sit. Tum respondet, ejusdemmodi plura esse nomina, quæ de Deo dicuntur; ut sunt ἄφθαρτος, *incorruptus*, ἀθάνατος, *immortalis*, ἀόρατος, *invisibilis ;* quæ, ut στερητικὰ nominentur, non referre sua dicit, dum eadem intelligatur et τοῦ ἀγεννήτου esse conditio. Quidquid enim de ἀγεννήτῳ ab illis opponitur, idipsum et adversus ista valet. Sed callide in una τοῦ ἀγέννητου voce commorari eos asserit, quæ ad circumveniendos im-

Cogitationibus.

a Basil. lib. IV *cont. Eun.* Εἰ κτίσμα, καὶ οὐ γέννημα ὁ Υἱὸς, καὶ πάντα δὲ τὰ ὄντα κτίσματα· μάτην ἀγέννητος ὁ πατὴρ λέγεται, οὐκ ὄντος ὅλως γεννήματος, πρὸς ὃ καλεῖται ἀγέννητος. δικαιότερον οὖν ἄκτιστος, ἢ ἀγέννητος λέγοιτ' ἄν.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Lib. I; Epiph. hær. LXXVI, n. 10.

peritos visa est aptior. Deinde nominum, quæ Deo tribuuntur, alia esse docet affirmantia, quæ id, quod inest illi, significant; alia, quæ id, quod non inest, ab eoque abhorret, indicant; hujus posterioris generis sunt *immortale*, *incorruptum*, et « ἀγέννητον; quod declarat, non esse generationem in Deo. Ejusmodi autem sive ablativum, sive exclusivum, aut negativum appellare volueris, non repugnabimus. Nam non significare aliquid eorum, quæ insunt Deo, nomen ἀγεννήτου, satis ex iis, quæ dicta sunt, intellectum esse arbitror. At substantia non est eorum, quæ non insunt; sed ipsum esse Dei, quod inter ea, quæ non sunt, referre, summæ est vecordiæ. Nam si essentia inter ea numeratur, quæ non sunt; vix aliud erit ex iis, quæ dicuntur [a].» Quocirca τὸ ἀγέννητον ex genere negantium esse vocabulorum Basilius contendit, neque de στερήσεως proprietate diligentius inquirit.

Nomina quæ Deo tribuuntur alia affirmantia, alia negantia.

Gregorius vero Nazianzenus [1], id assumens, τὸ ἀγέννητον, et γεννητὸν opponi, tanquam στέρησιν, et ἕξιν, ex eo concludit, non esse οὐσίαν Patris, et Filii, quoniam οὐσίαι invicem non sunt oppositæ; deinde quod, cum ἕξις prior, et antiquior sit, quam στέρησις, inde sequeretur, Filium Patre esse priorem.

Privationem et habitum. *Habitus.* *Privatio.*

Basilium vero propugnans frater ejus Nyssenus Gregorius [2], Eunomium falsi redarguit; qui hoc tanquam scriptum a Basilio reprehendebat, Deum privatione generationis ἀγέννητον vocari, perinde quasi naturalis esset Deo generatio, et ἀγεννησία, eo quod est naturale, Deum privaret. Tum de nominibus, quæ Deo tribuuntur, longius disputans, illa ipsa, quæ posui ἄφθαρτον, ἀγέννητον ἀθάνατον et similia, solam eorum, quæ non conveniunt, separationem indicare dicit; neque multum curat, an hæc στερητικὰ, an ἀφαιρετικὰ, id est *ablativa*, ac simpliciter aientia vocentur, dum id unum significent, quid non sit Deus, non quid sit. Nam quod Eunomius afferebat, privationem meliorum esse, non deteriorum, proinde si ἀγέννητον privatio sit τῆς γεννήσεως, meliorem fore γέννησιν: hoc Nyssenus verum non putat, quoniam et ἀθάνατος, et ἄφθαρτος, quæ Deo competunt, στερητικῇ notione prædita sunt, neque mors, vel corruptela illis antecedit. Tum si eadem ista privationem non significant mortis, et corruptelæ, consequens erit, utrique obnoxium esse Deum.

Immortalis, incorruptibilis. Privativa.

III. Atqui Eunomii cavillatio de iis solis, quæ proprie vocantur privantia, procedit; quæ quidem, ut inter alios docet Epiphanius [3], ἕξεως alicujus, cujus res capax sit, remotionem exprimunt. Ἕξις porro sine dubio melior est privatione sui. Quod enim naturale est, ei præstat, quod contra naturam est; cujusmodi proprie dicta est privatio. At vero ἀγεννησία, ut et ἀθανασία, et ἀφθαρσία, in Deo non sunt στερητικά. Non enim rem auferunt, cujus natura capax sit Deus, sed sunt negantia, κατ' ἀντίφασιν opposita, hoc est ἀφαιρετικὰ, et ἀποχωριστικὰ, ut iidem Patres appellant; quæ quidem infinite patent, ac tam meliora, quam deteriora detrahunt. Fit autem usu quodam sermonis, ac populari consuetudine, ut στερήσεως nomen sæpe latius usurpetur pro simplici ἀφαιρέσει, ac *negatione*. Sic enim Agatho versibus illis, quæ supra commemoravi [4], Deum ait στερίσκεσθαι, *privari* ea vi, et potestate, ut infecta reddat, quæ jam facta sunt; nec aliter aut Basilius, aut si quis alius, ἀγεννησίαν στέρησιν esse significavit, interpretandus erat. Unde stulta, et puerilis est Eunomii περιεργία, qui de exacta τῆς στερήσεως notione contra illos excepit. Nam nihil aliud, uti dictum est, curant veteres illi, qui de ἀγεννήτῳ contra Eunomianos disputant, quam hac voce non illud declarari, quod est Deus, ac ne proprietatem quidem ejus, quam certe nomina θετικὰ significare debent, quæ *positiva*, *et aientia* dicuntur; sed hoc solum, quid non sit, ac quid de eo negetur. Hæc autem, quæ θετικὰ dicuntur, et ἀφαιρετικὰ, cujusmodi nominibus Nyssenus utitur, mere ἀντιφατικὰ sunt, non στηρητικά. Sic etiam Cyrillus [5] intelligendus est, qui ex negativa illa τοῦ ἀγεννήτου proprietate sæpius probat, non esse substantiam Dei in eo positam. Itidem et Augustinus [6], *ingenitum* negativum ait esse nomen et idem valere, quod *non Filius*; ac similiter opponi, ut homo et non homo. Albinus [7] quoque Flaccus, « Pater, inquit, secundum affirmationem, Ingenitus secundum negatio-

Habitus. *Habitus.* *At innascibilitas, immortalitas, incorruptibilitas, non sunt privativa.* *Contradictorie.* *Ablativa et removentia.* *Privationis.* *Cavillatio.* *Privationis.* *Ablativa.* *Contradictoria non privatio*

a Basil. lib. I *contra Eunom.* Τό γε μὴν ἀγέννητον, τῶν μὴ προσόντων ἐστ' σημαντικόν. δηλοῖ γὰρ τὸ μὴ προσεῖναι γέννησιν τῷ θεῷ. τοῦτο δὲ εἴτε ἀπαγορευτικὸν, ἢ ἀρνητικὸν, ἥ τι τοιοῦτον βούλοιτό τις προσαγορεύειν, οὐ διοισόμεθα· ὅτι δὲ οὐ τῶν ὑπαρχόντων τῷ θεῷ σημαντικόν ἐστι τὸ ἀγέννητον, ἀρκούντως οἶμαι δηλοῦσθαι τοῖς εἰρημένοις· εἰ δὲ οὐσία οὐχ ἕν τι τῶν μὴ προσόντων ἐστὶν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ εἶναι τοῦ Θεοῦ, ὅπερ ἐν τοῖς μὴ οὖσι καταριθμεῖν, παρανοίας ἐστὶ τῆς ἀνωτάτω, εἰ γὰρ ἡ οὐσία ἐν τοῖς μὴ οὖσι, σχολῇ γ' ἂν ἄλλο τι τῶν λεγομένων εἴη.

1 Orat. xxxv. — 2 Lib. XII. — 3 Hær. lxxvi, n. 19. — 4 Cap. i hujus lib. — 5 Lib. II *Thes.* c. ii et dial. II *de Trin.* c. vii. — 6 Lib. V *de Trin.* cap. vii. — 7 Lib. I *de Trinit.* cap. xv.

nem dicitur. » Nicetas in quinto *Thesauri*, c. LII, putat, ingenitum, et genitum opponi invicem, ut privationem, et habitum. Nam neque ut contraria, quia contrariorum unum fit ex altero, et alteri succedit, ut album ex nigro, et vicissim; at *ingeneratio* non fit ex *generatione*; neque hæc ex illa; neque ut relata quia ambo non referuntur invicem; neque ut negatio affirmationi opponitur, neutra enim vocibus istis exprimitur. Sed non est audiendus Nicetas, siquidem proprie dictam στέρησιν, et ἕξιν intelligat, ut paulo ante demonstravi. Affirmatio porro, et negatio etsi non exerta, expressaque per substantivum verbum, tamen tacita continetur, ut in istis, *homo* et *non homo*, qui sunt termini contradictionis; sic etiam *ingenitus*, vel *non genitus* et *genitus*, ut paulo post ex Augustino planum fiet. Itaque negativam, et affirmativam, hoc est ἀντιφατικὴν vim continet.

Animadverti tamen hoc unum volumus, ἀγέννητον pro diversa significatione, quam supra descripsimus, non unam, eamdemque vim habere ἀφαιρετικὴν, sed nonnunquam magis ad ea, quæ στερητικὰ nominantur, accedere. Etenim si pro eo capiatur, quod est increatum, aut infectum, simplicissima negatio est rei prorsus abhorrentis a Deo. Sin est id, quod vera generatione non existit, proprietatem detrahit, quæ ab Dei natura non omnino est aliena, sed ei quoque convenit, non tamen naturaliter, aut οὐσιωδῶς. Atque hoc modo στερήσεως quamdam similitudinem habet in Patre, quatenus natura, sive essentia caret in eo proprietate illa, quam habet in Filio. Non est tamen absolute στέρησις, quia Patrem non privat ea conditione, quam naturaliter obtinere debet.

Ablativam.

Privativa.

IV. Item apud Augustinum [1] tali argumento utuntur Ariani, « Pater ad Filium dicitur. Ingenitus autem ad seipsum et genitus ad seipsum dicitur. Et ideo si quidquid ad seipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, diversum est autem ingenitum esse, et genitum esse, diversa igitur substantia est. » Hic primum recte sanctus Augustinus istorum, qui sic disputant, cæcitatem redarguit, qui « non intelligant, de ingenito quidem aliquid se dicere, quod diligentius pertractandum sit; quia nec ideo quisque Pater, quia ingenitus; nec ingenitus ideo, quia Pater; et propterea non ad aliquid, sed ad se dici putatur ingenitus; genitum vero, mira cæcitate non advertunt, dici non posse, nisi ad aliquid. Ideo quippe Filius, quia genitus; et quia Filius, utique genitus. Sicut autem Filius ad Patrem, sic genitus ad genitorem refertur; et sicut Pater ad Filium, ita genitor ad genitum. » Quamobrem ut de solo ingenito contendant, quod ad se dici sentiunt, ita colligunt. « Si aliquid ad seipsum dicitur Pater, quod ad seipsum dici non potest Filius, et quidquid ad seipsum dicitur, secundum substantiam dicitur, et ad seipsum dicitur ingenitus, quod dici non potest Filius; ergo secundum substantiam dicitur ingenitus, quod Filius quia dici non potest, non ejusdem est substantiæ. »

V. Omnis itaque de *ingeniti* voce quæstio est, an ad aliud dicatur, et σχετικὴν notionem habeat; an ad se, et secundum substantiam dicatur. De quo non idem veteres existimarunt. Nam Gregorius Nazianzenus absolutam ejus esse significationem adeo putat, ut ex eo demonstret non idem esse *Deum*, et *Ingenitum*; neque hoc essentiam declarare. « Si enim idem esset, oporteret omnino, quandoquidem Deus aliquorum Deus est, itidem et aliquorum esse ingenitum; aut quia nullius est ingenitum, neque Deum esse aliquorum. Nam quæ penitus eadem sunt, similiter efferuntur. Atqui ingenitum non est aliquorum; quorumnam enim foret? et Deus est aliquorum. Est enim omnium; quinam ergo idem esse possunt Deus, et ingenitus [a]? » Verum σχετικὴν esse τοῦ ἀγεννήτου significationem cæteri fere omnes assentiuntur; qui rursus bifariam scissi sunt. Nam alii habitudinem illam ad res creatas referunt; alii ad Filium. Priorem sententiam Athanasius tuetur iis verbis: « Etenim hæc ipsa ingeniti dictiuncula, non ad Filium comparatam habet notionem, quidquid isti susurrent, sed ad genita [b], » quod itidem habere dicit, ut omnipotens, ut dominus; quæ non ad Filium, sed ad res conditas per-

Relativam.

An ingenitum relativam notionem habeat.

Ingeniti nomen relativum, idque duplici sensu probatur.

a NAZIAN. orat. XXXV. Ὅτι δε οὐ ταὐτὸν ἀγέννητον, καὶ θεὸς, ὧδε ἂν μάθοις. εἰ ταὐτὸν ἦν, ἔδει πάντως, ἐπειδὴ τινῶν θεὸς ὁ θεὸς, τινῶν εἶναι καὶ τὸ ἀγέννητον· ἢ ἐπεὶ μηδενὸς τὸ ἀγέννητον, μηδὲ τὸν θεόν εἶναί τινων. τὰ γὰρ πάντη ταὐτὰ, καὶ ὁμοίως ἐκφέρεται. ἀλλὰ μὴν οὔτινων τὸ ἀγέννητον. τίνων γὰρ; καί τινων θεός, ὁ θεός. πάντων γάρ. πῶς οὖν ἂν εἴη ταὐτὸν, θεὸς, καὶ ἀγέννητον;

b ATHAN. orat. II. Καὶ γὰρ αὐτὸ τοῦτο τοῦ ἀγεννήτου λεξείδιον οὐ πρὸς τὸν υἱὸν ἔχει τὴν σημασίαν, κἂν οὗτοι γογγύζωσιν, ἀλλὰ πρὸς τὰ γενητά.

1 Lib. V *de Trinit.* cap. VI.

tinent. « Ut autem ingenitum, pergit idem, comparationem ad ea quæ sunt genita, significat; sic et Pater Filium exprimit. Et is quidem, qui factorem, et opificem, et ἀγένητον nominat Deum, ad condita, creataque respicit, eaque animo comprehendit; qui autem Deum Patrem vocat, statim Filium contemplatur, et intelligit[a]. » Sic in libro *de Decretis Nicœnæ synodi*, qui ἀγέννητον dicit, eum ex creatis rebus nominare Deum asserit, non autem ex Filio; quemadmodum qui architectum appellat, non Filium ejus, si quem habet, ea voce complectitur, sed externum tantum opus, quod ille fabricatur. Cyrillus quoque in *Thesauro*, « Nomen, inquit, Patris, *Filii nomen* necessario intellectum in seipso inducit. Nomina enim hujusmodi, alterum per alterum intelliguntur, nomen vero ingeniti, quod Deus scilicet genitus non sit, genitorum, atque factorum memoriam opponit[b]. » Ex quo efficit, « multo melius esse inde appellare Deum, unde Filii quoque cognitio sequitur, quam inde, unde creaturarum mentio subditur, quæ nihil ad cognitionem sanctæ Trinitatis conducit[c]. »

At vero Basilius ἀγέννητον non ad creaturas, sed ad Filium referri censet in eo loco, quem superiori capite adduximus; ubi ita disputat, si quidem creatura sit, et non γέννημα Filius, frustra ἀγέννητον appellari Patrem, cum nullum sit γέννημα, cujus comparatione dicatur. Ita satius fore, ἄκτιστον eum nominare, quam ἀγέννητον. Quin et Cyrillus in secundo dialogo *de Trinitate*, ingenitum ad id, quod proprie genitum est, hoc est Filium referre videtur. Imo ex eo contra Eunomianos concludit, ab omni æternitate Filium exstitisse, quoniam Pater ingenitus non in tempore esse cœpit, sed ex æterno; cum tamen nulla dum creata res esset.

VI. Verum omnium eruditissime sanctus Augustinus[1] illius vocis significationem explicat, ac fucum omnem Arianæ cavillationis elidit. Ait enim, ingenitum negationem esse geniti. Genitum porro relationem esse; adeoque ingenitum, quod nihil aliud est, quam non genitum, negationem esse relationis. Quippe genitus idem est quod Filius; et ingenitus, quod non Filius, aut, si consuetudo sermonis pateretur, quod infilius. « Negativa porro, ait, ista particula, non id efficit, ut quod sine illa relative dicitur, eadem præposita substantialiter dicatur, sed in tantum negatur, quod sine illa aiebatur, sicut in cæteris prædicamentis. Velut cum dicimus, homo est, substantiam designamus. Qui ergo dicit, non homo est, non aliud genus prædicamenti enuntiat, sed tantum illud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio, homo est, sic secundum substantiam nego, cum dico, non homo est, etc. Quæ cum ita sint, si substantialiter aierem, dicendo Filius, substantialiter negarem, dicendo non Filius. Quia vero relative aio, cum dico Filius est, ad Patrem enim refero; relative nego, si dicam non Filius. Ad parentem enim eamdem negationem refero, volens ostendere, quod ei parens non sit. At si quantum valet, quod dicitur Filius, tantumdem valet, quod dicitur genitus, sicut prælocuti sumus; tantumdem ergo valet, quod dicitur non genitus, quantum valet, quod dicitur non Filius. Relative autem negamus dicendo non Filius; relative igitur negamus dicendo non genitus. Ingenitus porro, quid est nisi non genitus? Non ergo receditur a relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore sit, ita cum dicitur ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relativum vocant, utraque significatio vertitur. Quod autem relative pronuntiatur, non indicat substantiam. Ita quamvis diversum sit genitus, et ingenitus, non indicat diversam substantiam; quia sicut Filius ad Patrem, et non Filius ad non Patrem refertur; ita genitus ad genitorem, et non genitus ad non genitorem referatur necesse est. » Hæc Augustinus; cujus locum, quamlibet prolixum necessario hic adscripsimus,

a Athan. orat. II. Ὥσπερ δὲ τὸ ἀγένητον πρὸς τὰ γενητὰ σημαίνεται· οὕτως καὶ ὁ πατὴρ δηλωτικόν ἐστι τοῦ υἱοῦ. καὶ ὁ μὲν ποιητὴν, καὶ δημιουργὸν, καὶ ἀγένητον ὀνομάζων τὸν θεὸν, τὰ κτίσματα, καὶ τὰ γενητὰ βλέπει, καὶ καταλαμβάνει· ὁ δὲ τὸν θεὸν πατέρα καλῶν εὐθὺς τὸν υἱὸν θεωρεῖ, καὶ νοεῖ.

b Cyril. lib. I *Thes.* Τὸ πατὴρ ὄνομα, τὴν περὶ τοῦ υἱοῦ πάντως ἔννοιαν ἐν ἑαυτῷ συνεισφέρει. τὰ γὰρ τοιαῦτα δι' ἀλλήλων σημαίνεται. τὸ δὲ ἀγένητος ὄνομα, τῷ μὴ γεγενῆσθαι θεὸν, τὴν τῶν γενητῶν ἀντιπαρατίθησι μνήμην.

c Ibid. Πολὺ δὴ κρεῖττον, ἀφ' ὧν ἡ περὶ τοῦ υἱοῦ τίκτεται γνῶσις, σημαίνεσθαι τὸν θεὸν, ἢ ἐξ ὧν ἡ τῶν ποιημάτων ἀναφαίνεται μνήμη, συντελοῦσα πρὸς τὴν γνῶσιν τῆς ἁγίας τριάδος οὐδέν.

1 Lib. V *de Trinit.* cap. VI et VII.

quod plenissime litem omnem decidit, et Arianorum versutias discutit. Hic vero τὸ ἀγέννητον accepit in ea notione, quæ secundo loco posita est a nobis, quæque proprie dictæ generationi est opposita; quomodo et ex Græcis intellexerunt ii, qui ἀγέννητον ad Filium, et τὸ γέννημα referri dixerunt, non ad creaturas. Sicut ex adverso, qui ἀγέννητον comparari cum creatis rebus, non cum Filio contendunt, primam illius significationem observant, qua idem est ἀγέννητον, quod *inoperatum*, ut ait Ambrosius [1], vel *infectum*; γεννητὸν vero *factum*. Quocumque autem modo sumatur, σχετικὴν notionem habere debet. Nam quæ κατ' ἀντίφασιν opponitur, in his negativus terminus necessario alterum, qui θετικὸς est, includit, ac significat, neque sine eo potest animo concipi. Est vero σχέσις, et comparatio duplex : altera, quæ ei congruit, qua negativus est τῆς ἀντιφάσεως terminus; hic enim, etiam citra relativam oppositionem, σχετικὸς est, ut *non homo* comparatur ad hominem, nec sine eo potest intelligi : alteram habet, quatenus sub communi genere oppsitorum, ad eam speciem, quæ τῶν πρός τι, reducitur, ut recte animadvertit Augustinus. Quemadmodum enim genitus relative oppositus est genitori, sic non genitus non genitori.

elativam. *ntradictorie. Aiens.* *lativorum*

VII. Rursus instat Eunomius apud Basilium [2] : Lumen, virtus, potentia, et alia, quæ de Patre dicuntur; vel diversum aliquid significant ab eo, quod est ἀγέννητον in eodem Patre vel prorsus idem. Si diversum, existet aliquid ex utroque compositum. Atqui, quod σύνθετον est, id est *compositum*, non potest esse ἀγέννητον. Sin ambo unum idemque sunt; quantum ab γεννητῷ distat ἀγέννητον, tantum distabit lumen a lumine, et δύναμις ab δυνάμει. Non ergo erunt ὁμοούσιοι. Nam eadem est vis argumentationis, si pro lumine substantiam, et οὐσίαν assumas. Quare apud Cyrillum de substantia idipsum sic proponitur. « Sed non potest fieri, inquit Aetius, ut identitas substantiæ in Patre, et Filio conservetur, cum Pater ingenitus sit, Filius autem genitus. Nam si erunt cunsubstantiales, in nullo differet quod genitum est, ab ingenito; quod si dabitur, quid prohibebit, Patrem quoque genitum esse, et Filium similiter ingenitum [a] ? » Sed Cyrillus haud recta petitioni resistit; unum illud e Scripturis probans, natura eumdem esse cum Patre Filium. Basilius vero docte, ac solide respondet, ἀγέννητον quidem opponi γεννητῷ, κατὰ τὴν ἄκραν ἀντίθεσιν, *summa oppositione ;* adeo ut simul esse nequeant, hoc est eidem subjecto convenire, nempe personæ; non sequi tamen ut quæ illis adjuncta sunt omnia, similiter repugnent; in quo falli dicit Eunomium, « arbitrantem ea, quæ contrariorum consequentia sunt, eamdem secum habere pugnam, quam et contraria ipsa; ut si visum lux consequitur, cæcitatem tenebræ sequentur [b]. » Atqui id universe non valet. Non enim, sicut ex eo, quod vigilet quis, consequens est ipsum vivere, ita ex eo quod dormiat, mori ipsum est necesse. Cui consentaneus est Greg. Nazianzenus [3]; qui objicienti Eunomio, non idem esse τὸ ἀγεννητὸν, et τὸ γεννητὸν, respondet, si ἀγεννησίαν αὐτὴν, et τὴν γέννησιν intelligas, idem non esse. Sin eos intelligas, quibus hæc insunt, unum et idem esse; quemadmodum τὸ ἄσοφον, καὶ τὸ σοφόν, *sapiens et insipiens*, non eadem sunt invicem, sunt tamen circa eumdem hominem; neque substantiam scindunt, verum circa eamdem substantiam scinduntur. Et vero, quod acute Basilius opponit, etsi inter ingenitum, et genitum nonnulla sit contrarietas, quam vel ipsa vocum ratio significat, tamen lux luci neque pronuntiatione ipsa nominum, neque notione est opposita; quod ipsum et de substantia plures veterum contra Eunomianos afferunt [4]; quippe substantia substantiæ non opponitur, ut auctor est Aristoteles [5]. Quare, ut in eadem hominis specie, ac natura versantur ea, quæ opposita sunt, neque propterea diversa fit essentia; sic in eadem Dei substantia contrariæ illæ notiones spectantur, sed non in eadem hypostasi, sive persona. Ac sunt quidem reipsa unum, idemque τὸ ἀγέννητον, sive potius, *generans*, vel *paternitas*, et *lumen*, aut *divini-*

Ejusdem ubstantiæ.

Innascibilitatem ipsam et nascibilitatem.

a Cyril. Alex. lib. X *Thes.* Καὶ πῶς ἂν δύναιτο, φησὶ, ταὐτότης οὐσίας ἐπί τε πατρὸς, καὶ υἱοῦ σώζεσθαι, εἴ γε ὁ μὲν πατὴρ ἀγέννητός ἐστι, γεννητὸς δὲ ὁ υἱός; ἀνάγκη γὰρ πᾶσα λέγειν, ἐν οὐδενὶ παραλλάττειν τὸ ἀγέννητον πρὸς τὸ γεννητόν. εἰ δὲ τοῦτο, οὐδὲν κωλύσει καὶ τὸν πατέρα γεννητὸν εἶναι λέγειν, καὶ τὸν υἱὸν ἀγέννητον, καὶ συγκέχυται τὸ πᾶν.

b Basil. II *contra Eunom.* Οἴεται γὰρ ὅτι τὰ τοῖς ἐναντίοις ἑπόμενα τὴν αὐτὴν ἔχει πρὸς ἄλληλα μάχην, ἥνπερ ἂν ἔχῃ καὶ τὰ ἡγούμενα, καὶ ὅταν τῷ ἑτέρῳ τῶν ἐναντίων τὸ ἐναντίον ὑπάρχῃ, τῷ ἑτέρῳ πάντως τὸ ἐναντίον ἀποκολουθήσει. οἷον εἰ τῇ ὁράσει τὸ φῶς ἕπεται, τῇ τυφλότητι σκότος.

1 Lib. *de Incarn.* cap. IX. — 2 Lib. II *cont. Eun.* — 3 Orat. XXXV. — 4 Vide c. sup. — 5 In *Categ.* cap. *de Subst.*

tas in Patre, itidemque τὸ γεννητὸν, et *lumen*, ac *divinitas* in Filio. Non tamen idem sunt invicem; quod est in hoc mysterio singulare.

Innascibilitas.

VIII. Nam quod idem argumentatur Eunomius, Deum fore compositum, si ἀγεννησία diversum aliquid ab luce, vel οὐσία significet, nihil hoc est, etsi plurimum se in hoc loco jactabat hæreticus; cujus apud Gregorium Nyssenum talis est collectio. « Quoniam, inquit, ingenitus dicitur Deus, est autem natura simplex idem; quod vero simplex est compositionem nullam recipit; prorsus in Deo, qui secundum naturam simplex est; ingeniti vox, quæ illi convenit, nomen erit naturæ ipsius, ac substantiæ, neque aliud erit natura, quam ἀγεννησία [a]. »

Simplicitatis et innascibilitatis.

Contra quem Gregorius, ut superiore libro diximus, haud satis plena disputatione contendit, non eamdem esse significationem τοῦ ἀγεννήτου, et τοῦ ἁπλοῦ, *ingeniti*, ac *simplicis*; sed ambobus diversam subesse notionem; illi quidem « ab nulla causa, vel principio habere ut sit, » huic vero « esse compositionis expers. » Itaque non sequi ex eo, quod sit simplex, esse ἀγέννητον, vel ἀγεννησίαν. Ac deinceps totus in eo est, ut non eamdem esse demonstret notionem τῆς ἁπλότητος, et ἀγεννησίας. Atqui non præcise, ac simpliciter, et, ut dialectici aiunt, *in sensu formali*, Eunomii ratio id efficit, ex eo, quod simplex sit Deus, esse ἀγέννητον, quemadmodum si ex eo, quod simplex est, probaret ipsum compositione, ac partibus carere; verum ex consequenti, sive, ut iidem dialectici loquuntur, *in sensu causali*. Est enim consequens : Dei substantia est simplex, et eadem est ἀγέννητος, vel ἀθάνατος; ergo est ἀγεννησία, vel ἀθανασία. Nisi quod negantia sunt ista nomina, minusque rem ideo declarant. Sed assumantur alia, quæ sunt aientia, vel θετικὰ. Recte igitur hoc modo procedet argumentatio : Deus est simplex, et idem est sapiens; ergo est ipsa sapientia, quamvis non eadem sit notio divinitatis, quæ est sapientiæ. Ita quamvis simplicitas diversum aliquid exprimat ab ingeniti proprietate; tamen hoc facit, ut nulla sit compositio, atque ideo ut quidquid est in Deo, ipse sit Deus.

Immortalitas.

IX. Sed neque Gregorius idem exacte satis adversus Eunomium disputat, si propterea quod et simplex est Patris substantia, et ἀγέννητος, nihil est præter ἀγεννησίαν, itidem sequi, quoniam et creator est, et opifex, idemque simplex, esse ipsam *creationem, et effectionem,* κτίσιν, καὶ δημιουργίαν adeoque κτίσμα καὶ δημιούργημα, *creaturam, et opus*. In quo primum ambiguitatem habet illius oratio. Siquidem κτίσιν, et δημιουργίαν, quæ est *creatio,* et *effectio*, hoc est actiones ipsas, productionesque cum operibus effectisque confundit. Quod quamvis apud Græcos Patres usitatum sit, ut κτίσις pro re creata, et δημιουργία pro effecta re sumatur; sicut et Latini creaturam vocant, quod creatum est, et creationem ipsam, ut apud Paulum [1] : *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intelligibilia, conspiciuntur,* ἀπὸ κτίσεως id est *a creatione mundi*; etsi ergo sic plerumque capiantur, nihilominus ibi distinguenda ista sunt. Nam ne in sempiterna quidem generatione sequitur, Patrem, qui re idem est cum ea productione, qua Filium gignit, idem re esse cum genito. Multo ergo minus consequens est, idem illum esse cum creato, effectoque opere, tametsi idem esse cum creatione, effectioneque, putetur, hoc est cum actione, qua extra se aliquid efficit. Quod quidem nonnulli philosophi, ac theologi sentiunt, quibus ita placet, actionem in agente esse, non in patiente, contra quam in *Physicis* [2] docet Aristoteles. Illi ergo creationem in Deo ipsam esse Dei substantiam ita concedent, ut a creata re diversam statuant; sicut voluntatis in Deo actio ipsa, quam *volitionem* in scholis appellant, nos *volentiam* fortasse Latine magis interpretemur, prorsus una, eademque res est cum Deo, Deique substantia, non tamen cum actionis ejus effecto, ac termino.

Dei duplex acceptio.

Eunomii cavillationes exploduntur

Quocirca potest Eunomii cavillationi responderi sic, ut in libro superiore jam fecimus. Nomen *Deus* ancipitem habet usum, atque interdum communem tribus naturam, et divinitatem significat, aut tres simul personas cum eadem essentia, interdum vero personam aliquam de tribus. Ac priore quidem sensu Deus neque ingenitus est præcise, neque genitus, sed vel abstractus ab utroque ratione, ac θεωρίᾳ τοῦ νοῦ, si solam divinitatem significet, vel ingenitus simul, et genitus, imo et

Theoria mentis.

a Greg. Nyss. lib. XII *contra Eunom.* Φασὶν ἀγέννητον τὸν Θεὸν ὀνομάζεσθαι, ἁπλοῦν δὲ εἶναι τῇ φύσει τὸ θεῖον· τὸ δὲ ἁπλοῦν μηδεμίαν ἐπίδεχεσθαι σύνθεσιν. εἰ οὖν ἀσύνθετος κατὰ τὴν φύσιν ἐστὶν ὁ θεὸς, ᾧ τοῦ ἀγεννήτου ἔπεστιν ὄνομα, αὐτῆς ἂν εἴη τῆς φύσεως ὄνομα τὸ ἀγέννητον. καὶ ἔστιν οὐδὲν ἕτερον εἰ μὴ ἀγεννησία, ἡ φύσις.

1 *Rom.* I, 20. — 2 Lib. III, cap. III.

spiratione productus; quemadmodum contra Joachimum Abbatem Lateranense concilium docuit, « unam quamdam esse rem, quæ veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earum. » Tum addit : « Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit. » Quod si Deus posteriore usurpetur modo, ac de Patre solo accipiatur, tum idem erit, quod ἀγέννητος, sive ἀγεννησία, vel potius idem, quod πατρότης *paternitas.* Sed non inde concludet Eunomius, ἀγεννησίαν, vel paternitatem ipsam esse Dei naturam, aut essentiam, quatenus communis est personis tribus.

Ex his etiam Eunomii cavillus iste, qui est apud Basilium [1], et Epiphanium, eliditur. « Si consubstantialis est Patri Filius; est autem ingenitus Pater, et Filius genitus; eadem ergo substantia est ingenita simul, et genita [a]. »

Quem sic refellit Basilius: Tum id verum fore, « si Filium diceremus partem esse Patris adeo, ut divisa ipsa substantia ingenita esset, et genita. Atqui nos totum ex toto, genitum ex ingenito esse defendimus, amboque esse perfecta, non ex uno aliquo partes duas [b]. » Quam Basilii rationem equidem haud satis capio. Nam si divisa in partes substantia foret, ut in hominis specie, creatisque cæteris usuvenit; nulla vis esset argumenti, quod Eunomius facit. Non enim una simpliciter substantia, vel natura esset, sed duæ numero diversæ, quarum esset altera genita, altera ingenita; quod in Adamo, ac Setho cernitur. In divinis autem, quo magis una est et eadem, non solum specie, sed etiam numero substantia, eo magis procedit conclusio, unam eamdemque substantiam ingenitam esse pariter, et genitam. Quod negandum non est. Sicut eadem substantia, hoc est divinitas, Pater est, et Filius, et Spiritus sanctus, ut Lateranense concilium asserit. Id enim singulare est in Deo, cujus essentia cum personarum proprietatibus eadem res est, etsi proprietates sint invicem distinctæ.

XI. Hinc illa quoque confutantur, quæ Aetius apud Epiphanium [2] inculcat, Deum ὅλως καὶ οὐσιωδῶς, id est *penitus, et secundum substantiam*, aut *essentiam*, esse ἀγέννητον, et γεννητικὸν. Itaque, cum totam ipsius substantiam occupent istæ proprietates, nullum locum relinquere τῇ γεννήσει, adeoque non esse οὐσιωδῶς γέννημα Dei Verbum. Hæc, inquam, facile depelluntur ex iis, quæ supra posita sunt. Nam οὐσιωδῶς, hoc est *secundum essentiam,* non est ἀγέννητος, neque γεννητικὸς Deus, si a proprietatibus naturam, uti fas est, cogitatione separes, aut certe οὐσιωδῶς simul est ἀγέννητος, et γεννητὸς, et ἐκπορευτὸς, quatenus divinitas una, eamdemque res est cum proprietatibus personarum. Deinde οὐσιωδῶς illud ambiguæ est interpretationis. Vel enim essentiam ipsam significat a proprietatibus utcumque distinctam, et hoc sensu falsum est, Patrem οὐσιωδῶς esse ἀγέννητον, et Filium γέννημα; vel latius usurpatur de eo, quod non est accidens, atque hoc modo tam Pater ἀγέννητος est, vel γεννητικὸς οὐσιωδῶς, quam Filius γεννητός; de qua re libro superiori jam dixi.

Ingenitum et generandi vim habentem.

Ejusdem generis sunt, ac similiter eluduntur argumenta reliqua, quæ ex Aetio descripsit, et confutavit Epiphanius, ex eoque Nicetas, quæ omnia ludicra sunt, et mera, ut Aristoteles loquitur, τερετίσματα, nec habent quidquam præter tinnulas, et canoras vocum argutias, quæ in id conspirant omnes, uti Deus, Paterve φύσει, hoc est *natura*, et essentiæ ratione is esse videatur, qui secundum personæ proprietatem esse creditur. Tum uti τὸ ἀγέννητον ipsa sit οὐσία Dei, non negatio, vel privatio; atque ut notiones omnes, et vocum, quæ iis exprimendis appositæ sunt, significationes tollantur e medio, et ad nudam ipsam essentiam universa redigantur.

Garrulitas.

XII. Sed una superest Eunomii argumentatio, quæ paululum ab antecedentibus differt. Non enim τὸ ἀγέννητον contendit οὐσιῶδες aliquid, et *substantivum*, sive *essentiam* ipsam exprimere, verum eo ipso, quod asserebant catholici, ad eos impugnandos utitur; nempe idem significare vocabulum istud ac nomen Patris, esseque ὑποστατικόν, quod frequenter inculcare nostri solebant. At ex eo sic apud Gregorium Nyssenum argumentatur Eunomius. « Si vox Patris, et vox ingeniti eamdem vim habent; quæ autem vim habent eamdem nomina, idem omnino natura sua significant;

Substantivum.

a Basil. Εἰ ὁμοούσιος, φασὶν, ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ὁ πατὴρ δὲ ἀγέννητος, ὁ δὲ υἱὸς γεννητός· ἡ αὐτὴ ἄρα οὐσία ἀγέννητος, καὶ γεννητή.

b Ibid. Ἀλλ' οὐ μέρος φαμὲν τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς, ὡς διαιρουμένην τὴν οὐσίαν ἀγέννητον καὶ γεννητὸν εἶναι ἀλλ' ὅλον (ἐξ) ὅλου, γεννητὸν ἐξ ἀγεννήτου. τέλεια δύο, καὶ οὐ δύο μέρη ἐξ ἑνός τινος.

1 Lib. IV *cont. Eun.* Epiphan. hær. LXXVI. confut. V. — 2 Hær. LXXVI, cap. VII et VIII.

porro ingenitum, ex illorum opinione, significat, ab nullo Deum esse; necessario sequitur, nomen Patris significare itidem ex nullo esse Deum, non autem hunc genuisse Filium[a]. » Verum Gregor. Nyssenus captiosam hanc argutiam facile dissolvit; respondetque duas illas voces rem eamdem exprimere, non eodem modo. « Neque enim alia nomina, quæ mutuam communionem habent, per omnia notionibus conveniunt. Nam imperatorem simul et domini expertem, suique juris appellamus, et subjectis civibus præsidentem; neque falso de ipso dicitur, imperatoris vocabulum una et expertem domini significare; neque necessarium esse putamus, ut si id, quod est, sui juris esse, et nulli parere, illa voce significatur, non jam dominatus in subjectos imperii vocabulo declaretur. Quippe medium inter utramque notionem stat nomen imperii, ut partim id significet, quod est domino carere, partim subjectis præesse[b]. » Sic igitur *Patris* nomen duplici velut notione stipatum esse dicit, ut et τὸ ἀγέννητον, id est *principii expers* significet, et unigeniti Filii genitorem. Hæc Gregorii Nysseni pulchra, eruditaque disputatio nec omittenda nobis est visa, et cum de Patris vocabulo dicetur sequenti capite, fiet illustrior.

XIII. Sed nec alterum prætermiserim allatum ab Eunomio et ab Gregorio confutatum ita, ut ejus sit animadversione digna responsio. Refert enim hic Eunomium affirmasse, Filium « non eo dici genitum, quod a Patre genitus est, neque ingenitum ideo, quod non est genitus; sed genitum vocari eo quod generatione sit, ut ita dixerim, *substantiatus* [c]. » Quod ambigue sane captioseque dictum est ab Eunomio. Etenim si quod ait Filium οὐσιῶσθαι per generationem, id κατ' ἐνέργειαν, id est *active*, ut sic loquar, intelligeret, non esset arguendus; nam generatione, ac productione Filius a Patre substantiam accipit. Verum ille sic interpretabatur ut in ipsam Filii substantiam, et τὸ τί ἦν εἶναι, *generationem*, et *esse genitum* includeret, hoc est *formaliter substantiari* per generationem, non *active* putaret Filium, quod ineptum erat, ac falsum. Post hæc de nominibus ipsis Patris, ac Filii, geniti, et ingeniti subtilius, accuratiusque disserens Gregorius, probat nequaquam ex illorum affectione de personarum statu judicandum esse. Veluti quia Pater prius intelligitur, quam Filius, non istum ipsum vocabulorum ordinem ad ullam subjectarum iis vocibus rerum dignitatem, gradumque pertinere[d]. Postea sic invicem duo ista nomina comparat, ἀγέννητον, et γεννητόν, ut mentis intelligentia, et ἐπινοίᾳ prius esse censeat τὸ γεννητὸν, quam ἀγέννητον; quoniam ea vocabula, quæ θέσιν significant, priora sunt iis, quæ ἀναίρεσιν sonant, hoc est *aientia negantibus ;* sicut prius scientia intelligitur, quam inscitia. Non tamen propterea prior est reipsa Filius quam Pater. Quod profecto verum est. Nam neque creatura idcirco prior est Deo, quod immortalem cogitari, dicique, vel infinitum, vel invisibilem posterius sit, quam mortalem, finitum, et visibilem. Et, ut universe complectar, negantia omnia nomina ex affirmantibus oriuntur; nec ideo proprietates illæ Dei, quæ negando melius, ac præstantius, quam affirmando declarantur, ut alibi docuimus, natura sunt posteriores iis, quæ creatis rebus congruunt. Cujus rei non alia ratio est, nisi quod tum Dei, tum divinarum notitia rerum, e creatis rebus a nobis capitur. Quare posterius inventæ sunt voces, quibus exprimuntur ea, quæ ad Deum attinent, quæ creaturis impositæ sunt. Ex quo Eunomianorum stulta calumnia discutitur; qui, quæ vocabulorum propria, iisque insita sunt, ad res ipsas significatas sophistarum more transferrent; de qua cavillatione agit initio *Elenchorum sophisticorum* Aristoteles.

a Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Εἰ γὰρ ὁ πατὴρ, φησὶ, τῷ ἀγεννήτῳ ταὐτὸν κατὰ τὴν δύναμιν· τὰ δὲ τὴν αὐτὴν ἔχοντα δύναμιν τῶν ὀνομάτων ταὐτὸν πάντως καὶ σημαίνειν πέφυκε· σημαίνει δὲ τὸ ἀγέννητον κατ' αὐτοὺς τὸ ἐξ οὐδενὸς εἶναι τὸν Θεόν. ἐξ ἀνάγκης καὶ τὸ πατὴρ, σημαίνει τὸ, ἐξ οὐδενὸς εἶναι τὸν Θεὸν, οὐχὶ δὲ τὸ γεγεννηκέναι τὸν υἱὸν.

b Nyss. ibid. Οὐδὲ γὰρ τὰ λοιπὰ τῶν ὀνομάτων, ὅσα τὴν πρὸς ἄλληλα κοινωνίαν ἔχει, καὶ διὰ πάντων ταῖς ἐννοίαις συμφέρεται, ἐπεὶ καὶ αὐτοκράτορα, καὶ ἀδέσποτον τὸν βασιλέα καλοῦμεν, καὶ τὸν αὐτὸν τῶν ὑποχειρίων ἡγούμενον· καὶ οὔτε ψεῦδός εστι περὶ αὐτοῦ λέγειν. ὅτι ἡ τοῦ βασιλέως φωνὴ σημαίνει καὶ τὸ ἀδέσποτον· οὔτε ἐπάναγκες εἶναι φάμεν, εἰ τὸ αὐτόκρατές τε, καὶ ἄναρχον διὰ ταύτης τῆς φωνῆς σημανθείη, μηκέτι τὸ κατὰ τῶν ὑπηκόων κράτος διὰ τῆς βασιλείας σημαίνεσθαι. μέσον γὰρ ἑκατέρων τῶν ὑπολήψεων ὂν τῆς βασιλείας τὸ ὄνομα, πῆ μὲν τὸ ἀδέσποτον, πῆ δὲ τὸ ἀρχικὸν τῶν ὑποτεταγμένων ἐνδείκνυται.

c Idem. Οὐκ ἐπειδὴ γεγέννηται, γεννητὸν, οὐδ' ὅτι μὴ γεννηθείς ἐστιν, ἀγέννητον λέγεσθαι συντιθέμενος· ἀλλὰ τὸν μὲν ἐκ τῆς γεννήσεως οὐσιῶσθαι λέγειν.

d Greg. Nyss. ibid. Μὴ γὰρ ὅτι προεπινοεῖται τοῦ υἱοῦ ὁ πατὴρ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον τῆς πίστεως, διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῶν ὀνομάτων τάξιν ἀξιούτω τις τῇ τῶν ὑποκειμένων αὐτοῖς προσώπων ἀξίᾳ, καὶ τάξει συνδιατίθεσθαι.

CAPUT IV.

De vocabulo Patris, *quæ est primaria appellatio personæ primæ. Non esse Deo indignum, ac multo justius illi, quam creaturis competere; imo paternitatis rem, et nomen a Deo in creaturas profectum. Præstantius hoc idem nomen esse, quam Dei; ac majorem facere Deo injuriam, qui Patrem neget, quam qui creatorem. Filii æternitas ex eo monstratur. Non est vox* ἐνεργείας, *sed* σχέσεως. *Generatio divina an* ἐνέργεια *dici debeat. Quid differat generatio ab actione, et creatione. Pulchra ratio ex Patris vocabulo petita ad Filii æternitatem adstruendam. Indidem et substantiæ, ac rerum omnium æqualitas, et unitas adstructa. Comparatur deinde cum Ingeniti voce, et multo præstare illi, ostenditur.*

I. Ingeniti, vel innati, hoc est ἀγεννήτου vocabulo, quod primæ personæ declarandæ, ac distinguendæ ab veteribus attributum est, subjicienda sunt reliqua: et inter hæc, quod omnium præstantissimum, maximeque proprium nomen est, *Patris*. Est enim primaria ista personæ, sive hypostasis illius appellatio; quæ quidem sola in Scripturis nominatim expressa legitur, idque sæpius; ac cum Deo præstanti quadam ratione convenit, tum personalem in illo notionem, uti Deo dignum est, hoc est, ut Græce dici solet, θεοπρεπῶς, directe, ac per se significat; cæteras vero divinitatis notas, communesque tribus, secundo ac consequenter includit.

Primum igitur, quod ea vox *Patris*, quatenus primæ in Trinitate personæ peculiarem notionem, et proprietatem indicat, toties in Novo Testamento, et quidem sola, concipitur; multum id valere putarunt antiqui theologi, cum ad illius commendandam nominis dignitatem, tum ad Arianorum refrenandam audaciam; qui Patris, ac Filii vocabulis minus sæpe, ac libenter uti consueverant, quam *ingeniti;* quod ipsum non solum ἄγραφον est, sed etiam ambiguum, et calumniis obnoxium, de qua re plura dixi in tribus primis capitibus. *Non scriptum.*

Idem porro vocabulum *Patris* neque indignum esse Deo, et huic primario competere, ab eoque in hominum genus usum illius, proprietatemque transiisse, gravissimi Patres affirmant. Athanasius quidem in secunda disputatione *contra Arianos* negat inter homines dici proprie patrem, vel filium, nec in iis appellationes istas consistere; quoniam idem fiat pater qui fuit filius. « Verum in divinitate non sic accidit. Non enim Deus est ut homo. Nam neque Pater ex patre est altero. Ideo nec eum gignit, qui sit futurus Pater; neque Filius ex fluxione Patris est, aut ab genito Patre genitus. Quare non in hoc generatur, ut gignat. Unde sola in divinitate Pater proprie est Pater, et Filius proprie Filius est; in iisque solis hoc consistit, ut et Pater semper Pater sit, et Filius sit semper Filius [a]. » Sed in epist. *ad Serapionem de Spiritu sancto*, uberius hoc idem explicat. Nam et Patrem in divinitate talem ait esse, ut Patrem habeat nullum; et Filium ejusmodi, ut Filium alterum non gignat. « Ob id, inquit, solus, et unus Pater solius, et unius Filii Pater est. Atque in sola deitate istud, Patrem esse, ac Filium, consistit, et semper est. Nam inter homines, si quis pater dicitur, ille alterius filius fuit; et si quis hujus filius, ille vicissim alterius pater appellatur; adeo ut in hominibus proprie non servetur patris, et filii appellatio [b], » etc. *Patris vocabulum Deo non indignum*

II. Sic Faustinus libro *contra Arianos*, « Deus, inquit, solus proprie verus est Pater, qui sine initio, et fine Pater est. Non enim aliquando cœpit esse, quod Pater est, sed semper Pater est, semper habens Filium ex se genitum, sicut et semper verus est Deus sine initio, et fine perseverans. Ergo, sicut vocabulum veri Dei solus obtinet, qui sine initio, et fine solus Pater vocatur; ita intelligamus et verum vocabulum Filii Dei. Apud homines enim, qui filius est, cœpit esse, quod filius est, et

a Athan. orat. II. Ἐπὶ δὲ τῆς θεότητος οὐκ ἔστιν οὕτως. οὐ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς. οὔτε γὰρ ὁ πατὴρ ἐκ πατρός ἐστιν. διὸ οὔτε γεννᾷ τὸν γεννησόμενον πατέρα· οὔτε ὁ υἱὸς ἐξ ἀποῤῥοίας ἐστὶ τοῦ πατρὸς, οὔτε ἐκ γεννηθέντος πατρὸς γεγέννηται. διὸ οὐδὲ γεγέννηται εἰς τὸ γεννᾷν. ὅθεν καὶ ἐπὶ τῆς θεότητος μόνης ὁ πατὴρ κυρίως πατήρ ἐστι, καὶ ὁ υἱὸς κυρίως υἱός ἐστι. καὶ ἐπὶ τούτων καὶ μόνων ἕστηκε τὸ, πατὴρ ἀεὶ πατὴρ εἶναι, καὶ τὸ υἱὸς ἀεὶ υἱὸς εἶναι.

b Athan. Διὸ καὶ μόνος, καὶ εἷς πατὴρ, μόνου καὶ ἑνὸς υἱοῦ πατήρ ἐστι· καὶ ἐπὶ μόνης θεότητος τὸ πατὴρ, καὶ τὸ υἱὸς ἕστηκεν, καί ἐστιν ἀεὶ· τῶν μὲν γὰρ ἀνθριώπων εἰ πατὴρ λέγεταί τις, ἀλλ' ἑτέρου γέγονεν υἱὸς. καὶ εἰ υἱὸς λέγεται, ἀλλ' ἑτέρου λέγεται πατήρ· ὥστε ἐπ' ἀνθρώπων μὴ σώζεσθαι κυρίως τὸ πατρὸς, καὶ κυρίου ὄνομα.

morte patris amittit hoc vocabulum; frequenter autem et de filii vocabulo transit in vocabulum patris, cum genuerit filium. Non ergo est proprium, et verum vocabulum filii in creatura, qui et esse cœpit filius, et potest hoc vocabulum non habere vel patris occasu, vel cum idem ipse transfertur in vocabulum patris, etiam antequam conditio mortis obveniat. Solus autem Filius Dei verus est Filius, existens hoc sine initio, sine fine, semper habens Patrem, et nunquam ipse, ut est unigenitus, generans accipit vocabulum Patris.» Gregorius vero Nazianzenus cum iisdem illis de causis, Patris, ac Filii nomina solis convenire proprie divinis personis asserit; tum quod solus Pater sine matris consortio Filium genuerit. Ac licet hic illius verba describere : « Patrem, ait, vere Patrem; ac multo quidem verius, quam qui apud nos id nomen obtinent; tum quia singulariter, nam peculiari quodam id modo est, et non ut corpora; tum quia solus, non enim ex copulatione; tum quia solius, est enim unigenitus; tum quia solum, nec enim ipse, priusquam Pater esset, fuit Filius, tum quia in totum Pater, et totius (quod de nobis certo affirmari nequit), tum quia ab initio, nec enim posterius Pater esse cœpit. Filium, vere Filium, quod et solus sit, et solius, ac singulari modo, et solum (non enim simil est et Pater), et in totum Filius, et totius, et ab initio, quod nunquam cœpit esse Filius[a]. »

Idem Gregorius in orat. XXXV quæ est prima *de Filio*, « Quis est igitur Pater, qui principium non habuit? inquit. Qui neque ut esset principium habuit ullum. Qui autem aliquando esse cœpit, hic quoque paternitatis suæ principium habuit. Quamobrem nec Pater postea exstitit, quandoquidem nec esse aliquando cœpit; et Pater proprie est, quia non etiam Filius; quemadmodum vicissim Filius proprie Filius, quia non etiam Pater. Nam quod ad nos attinet, neutro nomine proprie appellari possumus, quoniam utrumque sumus; neque hoc potius, quam illud, nec ex uno, sed ex utroque parente nascimur, ac proinde dividimur[b], » etc. Basilius quoque, « Qui revera, inquit, Pater est, et solus, e nullo est altero[c].»

III. Hinc esse factum plerique veterum theologorum asserunt, ut apostolus Paulus paternitatem in Deo primum, proprieque residere, ab eoque similitudine quadam in homines transisse, scripserit in epistola *ad Ephesios*, capite tertio. De quo Cyrillus Alexandrinus audiendus est; qui in libro primo *in Joannem* ita scribit: « Paternitatis nomen non habet Deus ex nobis, sed nos potius ab illo videmur accepisse. Fidelis est quippe sermo Pauli clamantis : *Ex quo omnis paternitas in cœlo, et in terra nominatur.*» Idem scribit et in libro secundo [1]; necnon in *Thesauri* XXXII et in dialogo secundo *de Trinitate*. Sic Athanasius in secunda oratione, eodem Pauli testimonio, non imitatione hominum dici Patrem Deum, sed hujus illos potius, affirmat; ut et Joannes Damascenus libro primo *de Fide*, capite IX. Ita etiam Hieronymus intellexit; qui in caput tertium epistolæ *ad Ephesios*, latius edisserit, quemadmodum « paternitatis nomen ex semetipso Deus largitus est omnibus, sicut essentiæ suæ nomen, ac substantiæ. Sicut ergo solus bonus bonos facit, et solus immortalis immortalitatem tribuit, et solus verus veritatis nomen impertit; ita solus Pater, qui creator est omnium, et universorum causa substantiæ, præstat cæteris, ut patres esse dicantur. » Cum autem et *in cœlis paternitas nominari* dicatur ab Apostolo, id Hieronymus explicat sic: dici etiam angelos superiores adoptione patres inferiorum. « Potest ergo et hoc dici, ex eo quod Deus Pater

Paternitas in Deo eminenter residet.

a NAZIANZ. orat. XXIII. Ἀληθῶς πατέρα τὸν πατέρα, καὶ πολύ γε τῶν παρ' ἡμῖν ἀληθέστερον, ὅτι μόνως· ἰδιοτρόπως γὰρ, καὶ οὐχ' ὡς τὰ σώματα. καὶ μόνος· οὐ γὰρ μετὰ συζυγίας. καὶ μόνου· μονογενοῦς γὰρ καὶ μόνον· οὐ γὰρ υἱὸς πρότερον. καὶ ὅλον πατήρ. καὶ ὅλου· τὸ γὰρ ἡμέτερον ἄδηλον. καὶ ἀπ' ἀρχῆς· οὐ γὰρ ὕστερον. ἀληθῶς υἱὸν τὸν υἱὸν, ὅτι μόνος, καὶ μόνου, καὶ μόνως, καὶ μόνον· οὐ γὰρ καὶ πατήρ. καὶ ὅλον υἱὸς, καὶ ὅλου, καὶ ἀπ' ἀρχῆς, οὔποτε τοῦ εἶναι υἱός ἠργμένος.

b GREG. NAZIANZ. orat. XXXV. Τίς οὖν ἐστι πατὴρ οὐκ ἠργμένος; ὅς τις οὐδὲ τοῦ εἶναι ἤρξατο. ᾧ δὲ τὸ εἶναι ἤρξατο, τούτῳ καὶ τῷ εἶναι πατρί. οὐκοῦν πατὴρ ὕστερον, οὐ γὰρ ἤρξατο· καὶ πατὴρ κυρίως, ὅτι μὴ καὶ υἱὸς. ὥσπερ καὶ υἱὸς κυρίως, ὅτι μὴ καὶ πατήρ· τὰ γὰρ ἡμέτερα, οὐ κυρίως, ὅτι καὶ ἄμφω. οὐ γὰρ τόδε μᾶλλον, ἢ τόδε, καὶ ἐξ ἀμφοῖν ἡμεῖς, οὐχ ἑνὸς, ὥστε μερίζεσθαι, etc.

c BASIL. I *contra Eunom.* Ὁ γὰρ ὄντως πατὴρ, καὶ μόνος ἐξ οὐδενός ἐστιν ἑτέρου.

d CYRIL. I *in Joan.* cap. III. Τὸ τῆς πατριᾶς, ἤτοι πατρότητος ὄνομα οὐκ ἐξ ἡμῶν ἔχει Θεὸς, ἀλλ' ἡμεῖς μᾶλλον ἐξ αὐτοῦ λαβόντες ὁρώμεθα. πιστὸς δὲ ὁ λόγος Παύλου βοῶντος ὡδί· ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἔν τε οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται. Vide et Pasch. orat. XII.

1 Cyr. II *in Joan.* cap. VIII.

Domini nostri Jesu Christi juxta substantiam Pater est, et Unigenitus non est adoptione Filius, sed natura, cæteræ quoque creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt. » Qui locus Hieronymi rationem illam, qua plerique veteres contra Arianos utuntur, nobis in memoriam revocat. Solent enim ex eo probare, Patrem e sua substantia genuisse Filium, et hunc naturalem illius esse, non adoptivum; quod prius sit naturalis, quam adoptiva paternitas, cum hæc ab illa derivata, nominataque fuerit. Deinde cum humanis in rebus patres proprie dici intelligantur ii, qui e substantia sua similes sibi, ac veros homines gignunt; multo magis in Deum convenire, ut verum, et consubstantialem sibi Filium genuerit, cujus proprie e t est, et vocatur Pater. Ita Cyrillus in iisdem locis, quæ paulo ante memoravimus, et nominatim in *Commentariis in Joannem*[1].

Quanquam alias πατριᾶς nomen pro *familia*, quam Hebræi משפחה vocant, usurpari solet, cujus meminit Hieron. Atque ita nonnulli Apostolum interpretantur, ut Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, et Maximus interpres Dionysii in caput primum libri *de Divinis nominibus*; etsi Dionysius priore magis sensu intellexisse videtur, quem et Theodoretus amplectitur. Auctor carminis *adversus Marcionem*, quod Tertulliano inscribitur, Latina voce *patriam* reddit, sic dicens in quarto libro:

« Ex quo omnis patria in cœlo, terraque [vocatur. »

Nec aliter vulgatus interpres locis aliquot *Psalm.*, ut in XCV: *Afferte Domino patriæ gentium.* De quo Hieronymus. Verum Basilius in libro V *adversus Eunomium* ait, « neque Filii, neque generationis nomina propria esse divinitatis, sed ex humana similitudine provecta[a]. » Quod minime repugnat iis, quæ supra ex aliis Patribus adduximus. Nam de appellationibus istis loquitur Basilius, quæ sunt rebus ipsis posteriores, et ex creaturis, quarum usui, et tractationi innutriti sumus, capiuntur.

Antiqui Patris ac Filii appellationem magnifecerunt.

IV. Hanc vero Patris appellationem, ac Filii, magni idcirco christiana omnis antiquitas duxit, eamque cæteris omnibus anteposuit, quibus personæ ipsæ divinæ significari possunt; et qui utramque, quantum poterant, aut eripere ex usu christianorum, aut elevare nitebantur, hæreticos Arianos acriter redarguit. Non repetam hic, quæ alias ea de re commemoravimus. Illud ex Gregorio Nysseno non puto prætereundum; qui Eunomium refellens, fraudulenter ait ipsum Patris ac Filii dissimulasse nomina, ne vel appellatione ipsa naturæ statim æqualitatem proderet. Atqui vox ista « Filii omnium est accommodatissima, ut quæ ab ipsa veritate tradita sit[b]. » Sed hoc ideo fecisse illum objicit, « quod omnes homines, audito Patris, et Filii vocabulo, statim propriam, et naturalem inter ipsos habitudinem ex ipsis vocabulis agnoscunt[c]. » Itaque præstantius esse nomen Patris, ac Deo convenientius, quam ipsummet Dei, pulcherrime demonstrat Cyrillus Alexandrinus in libro undecimo *in Joannem*: ubi illa Christi verba declarat, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*[2]. Hoc enim nomen, *Patris* esse vocabulum docet. « Manifestavit, inquit, nomen Patris Filius, quatenus in eam notionem, ac sinceram contemplationem nos induxit, ut intelligeremus, non solum Deum illum esse revera, id enim, et ante Christi adventum, vulgo prædicabatur per divinam Scripturam; sed hoc insuper, præterquam quod Deus est, eumdem quoque esse non ementita appellatione Patrem, qui in seipso, et ex seipso proprium habeat fetum cum natura sua concurrentem, atque coæternum[d]. » Si igitur eo ipso, quod Christum Deum Patrem esse docuit, proprie dictum, non abusione

a Basil. V *contra Eunom.* Οὐδὲ γὰρ υἱὸς, οὐδ' ἡ γέννησις ἴδιον θεότητος. ἀλλ' ἐξ ἀνθρωπίνης ὁμοιώσεως ἀνῆκται.

b Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Καί τοι τί προσφυέστερον ὄνομα τοῦ παρ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ὠνομασμένου; ἀλλ' ἀντιδογματίζει τοῖς εὐαγγελίοις, οὐχ υἱὸν ὀνομάζων.

c Idem. Ἀλλὰ παντὶ πρόδηλον οἶμαι τὴν αἰτίαν, εἶναι τὴν αἰτίαν τῆς ταύτης ὀνοματοποιΐας, ὅτι πάντες ἄνθρωποι πατρὸς, καὶ υἱοῦ προσηγορίαν ἀκούσαντες, εὐθὺς τὴν οἰκείαν αὐτῶν, καὶ φυσικὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν ὑπ' αὐτῶν τῶν ὀνομάτων ἐπιγινώσκουσι.

d Cyril. lib. II *in Joan.* cap. VII. Πεφανέρωκε γὰρ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, εἰς ἔννοιαν δηλονότι, καὶ εἰς ἀκραιφνῆ θεωρίαν καταστήσας ἡμᾶς, οὐχ ὅτι μόνον εἴη θεὸς· ἐκηρύττετο γὰρ τοῦτο καὶ πρὸ τῆς ἐπιδημίας, διὰ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς· ἀλλ' ὅτι πρὸς τῷ θεὸς εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, καὶ πατήρ ἐστιν οὐ ψευδωνύμως, ἔχων ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἐξ ἑαυτοῦ τὸ ἴδιον γέννημα, σύνδρομόν τε, καὶ συναΐδιον τῇ ἰδίᾳ φύσει.

1 Cyr. lib. I. — 2 *Joan.* cap. XVII, 6.

quadam, et communi ac laxa significatione, qua creatorem, et opificem vox ista complectitur, charitatem illi majorem ac splendorem attulit; consequens est, inesse in Patris appellatione augustius quiddam, et excellentius, quam in altera, Dei.

V. Quare statim Cyrillus ista pertexit : « Nomen autem Patris magis proprie Deo convenit, quam Dei, hoc enim dignitatis, illud autem substantivæ proprietatis notionem continet. Nam qui Deum dicit, universorum dominum indicat; qui autem Patrem nominat, quod ad proprietatem spectat, attingit; ostendit enim illum genuisse[a]. » Atque hoc deinceps Christi exemplo, et verbis approbat, qui Patris vocabulo sæpius est usus, et, cum hactenus in Vetere Testamento obscure, ac per ambages significatus esset Filius, ejusque proprie dictus genitor, ac Pater, idem ille Christus manifeste Deum appellavit Patrem suum; et hunc præcipua sibi ratione defendit. « Hæc enim, addit mox, plenissima Dei cognitio, ac summi rerum omnium principii, non in eo solum posita est, ut sciamus esse Deum, sed etiam eumdem esse Patrem; et cujus sit Pater; ut una et Spiritus sanctus in notitiam nostram subeat. Etenim scire hoc unum, illum esse Deum, non nobis potius, quam iis, qui legi subjecti sunt, congruat. Non enim hoc Judaicæ sapientiæ modum excedit[b]. » Sic in *Thesauri* libro quinto Eunomianos arguit, qui Deo Patri solum Dei nomen tribuentes, digniori illum appellatione fraudabant, nimirum Patris, quam præstare alteri ea ratione confirmat; quod « Deus cum dicitur, ad ea comparatur, quæ sunt servilis conditionis, et creata natura constant; Pater vero ad Filium refertur, etc. Est autem multo præstabilius, Patrem esse geniminis, ac tanto quidem, quanto Filius opere est præstantior[c]. » Plura deinde ad idem argumentum affert, ut Patris appellationem Dei nomini antecellere demonstret, ut inter alia, quod in Baptismo non alio, quam Patris nomine vocari instituerit.

VI. Quapropter, ut præclare Guillelmus Parisiensis[1] episcopus disserit, majorem Deo facit injuriam, qui Patrem illum negat unigeniti Filii, quam qui creatorem. « Si quis, inquit, negaret Deum creasse mundum, non est dubium, quin intolerabiliter blasphemaret. Cum igitur incomparabiliter major sit gloria ipse Filius genitori suo, quam mundus creatori, et tanto utique major, quanto ipse Filius major est mundo; a parte incomparabilitatis nequius blasphemat, qui negat Deum Patrem genuisse Filium, quam qui negat eum creasse mundum. » Ex eo vero id, quod dixi, sequitur, nomen Patris tum creatoris, tum etiam Dei vocabulo esse melius et honorificentius. Hoc enim ad res creatas habitudinem quamdam significat ex prima institutione sui, ut postea dicetur; Patris autem vox Dei ad Deum comparationem habet, ac propter ea divinitatis insignia, et ornamenta omnia complectitur.

Major injuria Deum negare Patrem quam Creatorem.

Imprimis enim, quod sæpius inculcamus, verum ac naturalem infert Filium Patris appellatio, ac vicissim Patrem Filii. « Nam Patrem nemo dixerit, nisi jam existat Filius, ait Athanasius. At qui conditorem dicit Deum, non prorsus ea, quæ facta sunt, indicat. Est enim ante opera sua conditor. Qui autem Patrem nominat, statim una cum Patre Filii exstantiam significat[d]. » Præclare hoc Athanasius. Siquidem conditor, ut et architectus, et medicus, et universe artificum vocabula omnia magis δύναμιν, id est *facultatem*, quam ἐνέργειαν significant. Quare priusquam artem suam exerceant, vel absoluto jam opere, non minus, quam inter agendum, iis nominibus appellantur. At patris vox *relativa* est, et σχετικὴ, quæ respondentem sibi ex adverso filium, ad quem referatur, non nasciturum, sed jam natum, et existentem requirit. Non enim

Operationem.

a Cyril. lib. II *in Joan.* cap. vii. Κυριώτερον δέ πως ὄνομα τῷ θεῷ τὸ ''πατὴρ, ἢ θεὸς· τὸ μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀξίας σημαντικὸν, τὸ δὲ, τῆς οὐσιώδους ἰδιότητος ἔχει τὴν δήλωσιν. Θεὸν μὲν γάρ τις εἰπὼν, τὸν τῶν ὅλων ἔδειξε κύριον. πατέρα γε μὴν ὀνομάσας, τῶν τῆς ἰδιότητος ἅπτεται λόγων. πεφανέρωκε γὰρ ὅτι γεγέννηκεν.

b Cyril. ibid. Πληρέστατη γὰρ γνῶσις ἡ περὶ θεοῦ, καὶ τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς, οὐκ ἐν τῷ εἰδέναι μόνον, ὅτι θεός ἐστιν, ἀλλ' ὅτι καὶ πατὴρ, καί τινος ἐστὶ πατὴρ, συνεισβαίνοντος δηλονότι, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. τὸ μὲν γὰρ εἰδέναι μόνον ὄντα τὸν θεὸν, οὐχ ἡμῖν ἂν πρέποι μᾶλλον, ἢ τοῖς ὑπὸ νόμον. φρονήσεως γὰρ Ἰουδαϊκῆς οὐχ ὑπερίσχει τὸ μέτρον.

c Id. in V *Thes.* Θεὸς μὲν γὰρ ὡς πρὸς τὰ δοῦλα, καὶ τὰ γεννητὴν ἔχοντα τὴν οὐσίαν ἔχει τὴν σχέσιν· πατὴρ δὲ, ὡς πρὸς υἱὸν, etc. Κρεῖττον γὰρ τὸ πατέρα γεννήματος εἶναι, καὶ τοσοῦτον, ὅσῳ ποιήματος υἱὸς διαφέρει.

d Athan. orat. iv. Πατέρα γὰρ οὐκ ἄν τις εἴποι μὴ ὑπάρχοντος υἱοῦ. ὁ μέν τοι ποιητὴν λέγων τὸν θεὸν, οὐ πάντως καὶ τὰ γενόμενα δηλοῖ. ἔστι γὰρ καὶ πρὸ τῶν ποιημάτων ποιητής. ὁ δὲ πατέρα λέγων, εὐθὺς μετὰ πατρὸς σημαίνει καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ ὕπαρξιν.

1 Guil. Paris. lib. *de Fide*, cap. iii.

δύναμιν exprimit, sed generationem primum, quæ reipsa sit, aut fuerit; deinde fructum ipsum generationis, ac fetum nonnisi exstantem. Quippe, mortuo filio, pater esse desinit, etsi actu genuerit; at conditor, et architectus, etiam diruto, extinctoque opere, vocatur; imo nondum eo constructo, dummodo sit in artificis potestate. Basilius in libro IV *adversus Eunomium*, eodem modo discrimen explicat opificis, et patris; atque, ut minime sequitur ex eo, quod sit æternus opifex, ipsum perinde esse opus æternum; ita si Pater æternus sit, necessariam esse demonstrat æternitatem Filii. « Etenim cum opifice non simul existit, inquit, opificium, neque cum navium architecto, navis. Nam fabricatio (id est fabricandi vis) inest in opifice; opus autem post opificem: patrem vero pronuntiare non possumus, si non est filius. Et qui patrem dixerit, non simpliciter patrem, sed certi alicujus patrem dicit [a]. » Vide omnino Cyrillum Alexandrinum in fine dialogi secundi *de Trinitate*. Et Athanasium oratione secunda.

Filii coæternitas adstruitur.

VII. Ex quo Filii τὸ συναΐδιον, hoc est *æternitatis cum Patre collegium*, antiqui theologi concludunt; quoniam si ex æterno Deus Pater fuit, Filium etiam ex æterno habuit existentem, et genitum. Est et alia differentia duplicis illius appellationis, *Patris*, et *conditoris*, quam veteres tradunt, ex qua eadem Filii æternitas ostenditur; nimirum quod conditoris vox, et similes, actionem significent, qua opus efficitur, non ex ipsa operantis substantia, sed extrinsecus productum; Patris autem vocabulum gignendi actum ex ipsa producentis substantia designat.

Cyrillus Alexandrinus in libro *Thesauri* octavodecimo, fuse, ac subtiliter de duobus illis *gignendi*, et *creandi* vocabulis disserit; quorum Ariani promiscuas esse notiones volebant: contra quos affirmat ille *gignere* esse *producere ex seipso*, vel de sua substantia; creare autem ἔξωθεν, id est *extrinsecus moliri* [b]. Paulo etiam postea δημιουργὸν, id est *conditorem*, ait esse nomen ἐνεργείας, id est *actionis*; Patrem vero, nomen σχέσεως, id est *habitudinis*, vel *relationis*. Quippe ἐνέργειαν interpretantur ποίησιν, id est *effectionem*; σχέσιν vero naturalem habitudinem. Ideo proxime ante dixit, ποιεῖν esse ἐνεργείας, at *gignere esse naturæ*. Indidemque colligit « cum φύσις non sit idem cum ἐνεργεία, non idem esse gignere, quod efficere [c]. » Quamobrem σχέσιν omnino vocat naturæ habitudinem, quam illa ex generatione interius accipit, cum effectio sit externum quiddam. Vide quæ a nobis in secundo libro de Immutabilitate Dei [1] disputata sunt; ubi de creatoris appellatione diximus.

Efficere esse actionis.

Actionis. Habitudinis.

VIII. Non esse nomen ἐνεργείας vocabulum Patris, sed σχέσεως, didicit ab Gregorio Nazianz. Cyrillus, et ejus oratione XXXV cujus locus si cum illo Cyrilli conferatur, uterque ab altero lucem accipiet. Apud Gregorium igitur Eunomius ancipiti hoc argumento catholicam causam aggreditur: « Patris, inquit, vox vel substantiæ nomen est, vel actionis, tanquam utrinque constrictos nos habituri sint: ac si quidem substantiæ esse dixerimus, fateri cogamur diversæ ab illo substantiæ esse Filium, quoniam una est substantia Dei; hanc vero, ut aiunt isti, Pater occupavit. Sin actionis esse nomen asseramus, effectum esse non genitum, assensuri simus. Ubi enim est efficiens, ibi prorsus est opus effectum. Tum vero mirari se dicent, quemadmodum idem cum efficiente esse possit effectum [d]. » Respondet Gregorius, « neque substantiæ nomen esse Patris appellationem, neque actionis, sed relationis, ac modi cujusdam, quo se habet Pater ad Filium. Nam ut apud nos appellationes istæ germanam quamdam conjunctionem, et necessitudinem indicant; ita illic quoque genitum, ac genitorem eamdem naturam habere demonstrant [e]. » Deinde respondet, « sive sub-

a Basilius, IV *contra Eunomium*. Οὐ γὰρ τῷ οἰκοδόμῳ συνυπάρχει τὸ οἰκοδόμημα, οὐδὲ τῷ ναυπηγῷ τὸ σκάφος. ἡ μὲν γὰρ δημιουργία ἐν τῷ δημιουργῷ· τὸ δὲ δημιουργούμενον μετὰ τὸν δημιουργόν· πατέρα δὲ εἰπεῖν ἀδύνατον, μὴ ὄντος υἱοῦ. καὶ εἰπὼν πατέρα, οὐχ ἁπλῶς πατέρα, ἀλλά τινος λέγει πατέρα.

b Cyril. XVIII *Thes.* Εἰ παρ' οἷς τοῦ γεννᾷν τὸ κτίζειν ἕτερον; παρὰ τούτοις τὸ ἐξ ἑαυτῶν γεννᾷν, ἔξωθεν δὲ κτίζειν ὑπάρχει.

c Id. Ἀλλὰ τὸ μὲν ποιεῖν, ἐνεργείας ἐστὶ, φύσεως δὲ, τὸ γεννᾷν· φύσις δὲ, καὶ ἐνέργεια οὐ ταὐτόν. οὐχ ἄρα τῷ γεννᾷν τὸ ποιεῖν ταὐτὸν ἔσται.

1 Cap. VIII.

d Nazianz. orat. XXXV. Ὁ πατὴρ, φησὶν, οὐσίας, ἢ ἐνεργείας ὄνομα· ὡς ἀμφοτέρωθεν ἡμᾶς δήσοντες. εἰ μὲν οὐσίας φήσωμεν, συνθησομένους ἑτερούσιον εἶναι τὸν υἱόν. ἐπειδὴ μία μὲν οὐσία θεοῦ· ταύτην δὲ, ὡς οὗτοι, προκατείληφεν ὁ πατήρ. Εἰ δὲ ἐνεργείας, ποίημα σαφῶς ὁμολογήσοντας, ἀλλ' οὐ γέννημα. οὗ γὰρ ὁ ἐνεργῶν, ἐκεῖ πάντως καὶ τὸ ἐνεργούμενον. καὶ πῶς τῷ πεποιηκότι ταὐτὸν τὸ πεποιημένον, θαυμάζειν φήσουσι.

e Greg. Nazianz. ibid. Οὔτε οὐσίας ὄνομα ὁ πατὴρ, ὦ σοφώτατοι, οὔτε ἐνεργείας· σχέσεως δὲ, καὶ τοῦ πῶς ἔχει πρὸς τὸν υἱὸν ὁ πατήρ. ὡς γὰρ παρ' ἡμῖν αἱ κλήσεις αὗται τὸ γνήσιον, καὶ οἰκεῖον γνωρίζουσιν· οὕτω κἀκεῖ.

stantiæ nomen est Pater, non alienaturum a se Filium, sed introducturum potius, secundum communes notiones, et vim illorum vocabulorum. Sive actionis esse malumus, ne sic quidem vincendos ab illis esse catholicos. Nam hoc ipsum id efficiet, ut sit eadem in ambobus substantia; tametsi absurda sit alioquin hujusmodi actionis opinio. »

Nomen *Patris* relativum.

In his duo sunt animadvertenda: alterum, affirmare, perinde ac Cyrillum, Gregorium Nazianzenum, Patris vocem neque substantiæ esse, neque actionis, sed esse σχέσεως, id est *relationis*: alterum, non putare, ἐνέργειαν vocari posse generationem, sive productionem, qua personæ divinæ originem accipiunt. Elias porro Cretensis [1] ad hunc locum existimat, Gregorium ideo absurdum judicasse, actionis nomen illic usurpari, quod cum actionum aliæ sint, « quæ semper concurrunt cum efficiente, ut cum homine respirare; aliæ posterius accedant, ut domum extruere posterius est architecto; ad hunc alterum modum respiciens hic Gregorius, cogitationem hanc absurdam esse dixerit, ne Filius existimari possit ab his, qui non recte rem expendunt, esse ortu posterior. » Verum hæc Eliæ ratio non videtur idonea satis; neque Gregorium puto ob illam solam vocabulum ἐνεργείας a divina generatione rejicere, sed ob eam, cujus expresse meminit; quod ἐνέργεια sit idem, ac ποίησις, id est *effectio*, cujus vera, et οὐσιώδης proprietas est, ut ἔξωθεν sit, id est non ex ipsa substantia, cum sit generatio εἴσωθεν. Ita Augustinus libro *de Natura boni contra Manichæos*, capite XXVII distinguit illud, quod est ex se producere, ab eo, quod est de se. « Ex ipso, inquit, non hoc significat, quod de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso; non autem omne, quod ex ipso est, recte dicitur de ipso. Ex ipso enim cœlum et terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo, si gignat filium, et faciat domum, ex ipso filius, ex ipso domus; sed filius de ipso, domus de terra et ligno. » Est igitur *de ipso* idem, ac *de sua substantia*, et ἔσωθεν; *ex ipso* vero tam de hoc, quam de eo dicitur, quod ἔξωθεν producitur. « Æternus Pater, ait Ambrosius libro *in Symbolum*, capite XI, Filium genuit coæternum, nec extrinsecus natum aut factum, ut hæretici mentiuntur, sed ex propria substantia Patris generatum vera fides habet. » Itaque tametsi hujus generis actio sit aliqua, quæ eodem momento, quo causa efficiens esse incipit, existat, nihilominus ποίησις, et ἐνέργεια nominabitur. E contrario vero οὐσιώδεις, id est *substantivæ* sunt operationes, et non censentur ἐνέργειαι, quibus e substantia sua producit aliquid id, quod operatur, etsi tempore sint eo posteriores. Quare nihil temporis mensura ad illarum actionum naturam, discrimen attinet, sed modus operandi. Vide Cyrillum Alexandrinum in quinto *Thesauri*.

Ab intus.

Generatio in Deo non est quid adventitium

IX. Est hac de re utilis, et erudita disputatio Cyrilli in dialogo secundo *de Trinitate*; in qua probat id, quod hoc in capite agimus, generationem, id est operationem ipsam gignendi non accidere Deo, tanquam adventitium quiddam ei jam constituto, ac subsistenti additum, quemadmodum in homine, creatisque rebus evenit. Nam « simul Deus est, et simul Pater, generationem non habens substantia posteriorem, sed una et est, et subsistit, intelligiturque Pater [a]. » Etenim non prius est potentia gignens, quam actu, neque ipsa gignat; sed simul et est, et generare potest, et actu ipso generat. Unde etiam adstruit, non antecessisse Filii generationem voluntatis in Patre actionem aliquam, ut fit in hominibus; in quibus nihilominus οὐσιώδης, et *naturalis* est actio gignendi: multumque dissimilis *actionis*, et ἐνεργείας illius, quæ operis est efficiens, ut est architectatio, et ad aliud quodvis faciendum motio. Quamvis enim utraque progressionem habet a potentia ad actum; differunt tamen ea, qua dixi, ratione, quod generatio, cum sit motio ad aliquid proferendum ex ipsa substantia, mutationem quamdam affert οὐσιώδη, cum actu id, quod potentia continebatur, exerit; at ædificatio, quia non ex artificis ipsa substantia elicit aliquid, sed extrinsecus molitur, nullam substantiæ ejus, a quo proficiscitur, affert varietatem. Ex quo concludit etiam illud, quandoquidem mutationis est

Substantialem.

τὴν τοῦ γεγεννημένου πρὸς τὸ γεγέννηκὸς ὁμοφυΐαν σημαίνουσιν. Ἔστω δὲ ἡμῶν χάριν καὶ οὐσία τις ὁ πατὴρ, συνεισάξει τὸν υἱὸν, οὐκ ἀλλοτριώσει, κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας, καὶ τὴν τῶν κλήσεων τούτων δύναμιν. Ἔστω καὶ ἐνεργείας, εἰ τοῦτο δοκεῖ, οὐδὲ οὕτως ἡμᾶς ἀναιρήσετε. αὐτὸ δὲ τοῦτο, ἐνηργηκὸς ἂν εἴη τὸ ὁμοούσιον· ἢ (for. εἰ (καὶ ἄτοπος ἄλλως ἡ τῆς περὶ τοῦτο ἐνεργείας ὑπόληψις.

a Cyril. dial. II. Ἅμα γάρ ἐστι θεὸς, καὶ ἅμα πατὴρ, οὐχ ὑστερίζουσαν ἔχων τοῦ εἶναι τὴν γέννησιν. ἀλλ' ὁμοῦ τῷ εἶναι πατὴρ, καὶ ὑφεστὼς, καὶ νοούμενος.

1 Elias. *in* XXXV *orat. Naz.* nota LXIII.

expers divinitas, non prius Deum esse, nec intelligi esse Patrem, quam hoc ipsum, quod dicitur Pater; ac proinde eadem cum Patre Filium æternitate constare, quia nec Pater esse sine Filio potest [a]. Hæc latius in eo loco Cyrillus, ut et in quinto *Thesauri*. Vide et Ambrosium lib. I *de Fide*, c. v, ubi ex immutabilitate Patris demonstrat, non ante Deum fuisse, quam Patrem. Et Cyrillum Hierosolymitanum catechesi XI, necnon Gregorium Nyss. in I *contra Eunomium* ex editione Gretseri. Hilarius item in lib. XII, « Qui non semper Pater est, inquit, non semper et genuit. Ubi autem semper Pater est, semper et Filius est.»

[Pater Deus cogitari non potest prius quam Pater.]

X. Ad quæ id insuper adjungimus, præter constantiam et immutabilitatem, causam esse alteram, cur nec prius Pater, cogitari Deus possit, quam Pater; nec sit Patre Deo posterior Filius. Etenim proprietas ipsa Patris, non, ut in creatis evenit, ad hypostasim accedit jam existentem, sive personam, sed eam ipsam constituit, eoque nomine οὐσιῶδες aliquid vocari potest, non quatenus οὐσία essentiam, naturamve significat (ita enim recte Gregorius Nazianzenus Eunomio concedendum non putavit, Patris nomen οὐσίαν exprimere), sed ut ei opponitur, quod est accidens, et quatenus differentia est ὑποστατική, qua constat hic Deus, qui est Pater. Hinc idem Cyrillus φυσικὴν, et οὐσιώδη operationem putat esse generationem, et naturam Patris vocat φύσιν γεννητικὴν: Patrem ipsum οὐσιωδῶς ait esse genitorem. « Nam si negant esse substantialiter genitorem, ait ille, existentiam Filii funditus tollent; qui non citra generationem ut esset, habuit, sed est, et subsistit a Patre, secundum sacrarum Litterarum fidem. Quod si naturam non habens vere genitalem Deus et Pater, voluntate motus est ad id, ut posset gignere; utique dicendum erit, suam ipsum forte naturam genitalem fecisse, et ad eum statum, in quo non erat, transtulisse, adeoque seipso antiquior jure censebitur [b]. » Itaque concludit φύσει, et οὐσιωδῶς, id est *naturaliter*, et *substantive* genitorem esse Patrem. Sic Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum* capite primo, « Unus est Deus, inquit, Deus Pater, qui solus essentialiter de seipso unum Filium genuit; et unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter genitus; et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de Patre, Filioque procedit. » Hinc Waldensis tomo I *Doctrinalis fidei*, lib. I, capite secundo, ait « secundum essentiam esse Patrem, et secundum essentiam esse Filium. »

Ex eo vero consequens est, nunquam non fuisse Deum Patrem, quin Pater esset, duplici illa de causa; quarum posteriorem rarius antiquos Patres expressisse video, quæ tamen præcipua est; nec nisi ab illis agnita, qui de hypostaticis proprietatibus, et de personarum constitutione limatius, ac subtilius disputarunt. Prior autem frequentissima est apud illos, dum sæpe hoc inculcant, nisi ab æterno Pater, adeoque Filius exstitissent, mutationis aliquid in divinitatem inferri. « Nisi enim concedimus, ait Joannes Damascenus, ab initio Filium existere cum Patre, ab ipso genitum, mutationem hypostasi Patris affingimus, quod cum ante Pater non esset, postea factus est Pater [c]. »

XI. Hilarius in duodecimo *de Trinitate*, ad utramque illam rationem respectum habuit, cum dissimilem probat esse divini Verbi, ac cæterorum filiorum conditionem; ut hi non semper cum parentibus fuerint, Dei autem Filius nunquam non exstiterit cum Patre; hujus porro discriminis causam affert istam, quod Deus semper sit, hoc est sit æternus; quod autem tale est, necessario illa, quæ dixi, habet in sese, ut nec mutationem capiat ullam et ex alienis, adventitiisque non constet. Verba Hilarii, quibus id affirmat, luculenta sunt. « Et quis igitur ambiget, inquit, quin, quæ in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint? Sed aliud est, ex eo nasci, qui non fuit, aliud ex eo nasci, qui semper est. Infantia enim omnis, cum antea non fuisset, cœpit in tempore; quæ rursum in pueritiam excrescens, post etiam adolescentiam coegit in pa-

a Cyril. dial. II. Ὁ μὲν γὰρ, οὐκ ἐφ' ἑαυτῷ κεκίνηται τῆς ἑνούσης δὲ μᾶλλον ἐπιστήμης αὐτῷ τὴν ἔκφανσιν περὶ τὰ ἔξω ποιεῖται. ὁ δέ ἐστιν οὐσιωδῶς ἐφ' ἑαυτῷ οἱονεὶ κινούμενος, καὶ μετάστασίν τινα, καὶ τροπὴν περὶ αὐτὴν ἡμῶν ἐργάζεται τὴν φύσιν. ἤτοι τῆς φύσεως τὴν ἐφ' ὁτῳοῦν ἐνέργειάν τε, καὶ δύναμιν.

b Cyril. dial. II. Εἰ μὲν γὰρ οὐκ εἶναι φάσιν οὐσιωδῶς γεννήτορα ἀναιρήσουσιν εἰσάπαξ τὴν ὕπαρξιν τοῦ υἱοῦ, οὐκ ἀγεννήτως τὸ εἶναι λαχόντος, ἀλλ' ὄντος τε, καὶ ὑφεστηκότος ἐκ πατρὸς, κατά γε τὴν πίστιν τῶν ἱερῶν γραμμάτων· εἰ δὲ φύσιν οὐκ ἔχων τὴν γεννητικὴν ἀληθῶς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ, βουλήσει κεκίνεται πρὸς τὸ δύνασθαι γεννᾷν, ὥρα λέγειν ἤδη πως, ὡς αὐτός που τάχα τὴν ἰδίαν εἴργασται φύσιν γεννητικὴν ἀποφήνας, καὶ εἰς ὅπερ οὐκ ἦν ἐνεγκών. καὶ δὴ νοοῖτ' ἂν εἰκότως καὶ ἑαυτοῦ πρεσβύτερος.

c Joan. Damasc. lib. I, cap. vii. Καὶ εἰ μὴ ἐξ ἀρχῆς δῶμεν τὸν υἱὸν συνυπάρχειν τῷ πατρὶ ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένον, τροπὴν τῆς τοῦ πατρὸς ὑποστάσεως παρεισάγομεν, ὅτι μὴ ὢν πατὴρ, ὕστερον ἐγένετο πατήρ.

trem, et non semper pater est, qui ante in adolescentiam per pueritiam, et in pueritiam per infantiam cœptam profecerit. Ergo qui non semper pater est, non semper et genuit. Ubi autem semper Pater est, semper et Filius est. Si itaque habes in cognitione, vel sensu Deum, in cujus cognitionis sacramento proprium est, quod Pater est, non semper Patrem esse Filii unigeniti; habes et in intelligentia, et scientia, non semper Filium esse, qui genitus est. Quod si Patri semper proprium est, quod semper Pater est; necesse est Filio semper proprium esse, quod semper est Filius. Et quomodo in sermonem nostrum, atque intelligentiam cadet, ut non fuerit, antequam nasceretur, cui proprium est, semper esse quod natus est? » Prorsus ambo illa, quæ supra posui, complexus est Hilarius, cum et æternitatem commemoravit, quæ cum immutabilitate conjuncta sit oportet: et proprium esse docuit tam Patri, ut Pater sit, quam Filio, ut sit Filius, hoc est οὐσιώδες, et non ex accidenti congruens.

Coæternum.

Alia ratione coæternitas Filii adstruitur.

XII. Alii τό συναΐδιον ex eorum, quæ ad se invicem dicuntur, et relata vocantur, natura colligunt; quia non potest Pater esse, intelligive, quin sit Filius. Quod non prohibet, quin origine prior sit Pater; tum etiam ratione, ac mentis humanæ cogitatione. Quippe « intelligentia humani ingenii, ut se exerat, et res capiat, rebus vel simul existentibus, vel simul fusis, et ortus, et diversos ortus, et quasi tempus attribuit, » ait Marius Victorinus in quarto *contra Arianos*. Hujus theologorum argumenti aliquot hic exempla referam, quo res magis illustretur. Hilarius, quem paulo ante citavimus in eodem libro, « Aut enim non semper Pater, si non semper et Filius, inquit, aut si semper Pater, semper et Filius; quia, quantum Filio temporis, ne semper Filius fuerit, abnegabitur, tantum Patri deest, ne semper Pater sit; ut, licet semper Deus, non tamen et Pater in ea fuerit infinitate, qua Deus est. » Et Athanasius, « Cum enim sit æternus Pater, æternum erit et illius Verbum, ac sapientia [a]. » Nempe quia eo ipso, quod est Verbum, et expressa Dei sapientia, Filius est, ut in sexto libro plenius explicabitur; quare ex æterno Patris appellationi, quæ et ipsa sit æterna, respondet. « Cum enim Patrem dixeris, ejus etiam Filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est; cum Filium nominas, etiam Patrem ejus fateris, quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec Filius sine Patre, nec Pater potest esse sine Filio. Semper igitur Pater, semper et Filius, » ait Ambrosius [1]. Sic Agnellus [2] episcopus Ravennas in epistola *ad Armenium*, ex eo, quod Deus immutabilis est, probat nunquam non Patrem fuisse, adeoque Filium. « *Ego sum, qui sum* [3], ait, id est immutabilis, et semper idem. Non heri Deus tantum, hodie vero Deus et Pater; sed semper fuit Deus et Pater; et semper fuit, cujus esset Pater. Si enim accessisset ei, ut esset Pater, vim passus esset, ut inciperet esse, quod non erat. At est blasphemum ita sentire. » Mansuetus [4] item Mediolanensis episcopus una cum tota Mediolanensi synodo in epistola *ad Constantinum Pogonatum imperatorem*: « Cum autem dicimus Deum Patrem omnipotentem, non potest hujus nominis evacuari sacramentum; quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus; et cum dicimus Filium, Patrem declaramus; et cum dicimus æternum Patrem, æternum Filium demonstramus. Nam si non invenimus initium vocabuli hujus paterni nominis, quando Pater sit dictus, consequenter ostenditur, quia nec initium geniti reperiemus. »

Coæternitate

Maxymus martyr in *Enarratione Dominicæ orationis*, apud Euthymium [5], de personarum τῇ συναϊδιότητι loquens, « Relatio, inquit, vim habet ejusmodi, ut una significet alterum; ea, quorum et est et dicitur, posteriora se invicem considerari non sinens [b]. » Faustus vero Rhegiensis, « Hoc ipsum, ait, Filii nomen ex Patris derivari nomine creditur, nec tamen posterius invenitur; quia nisi iste nasceretur, Pater ille non diceretur. Ecce nomen, quod absolute coævum (est) illi est, a quo est; et cum Filius ex Patre sit, Patri nomen Filius facit; adquirit genitori vocabulum pietatis persona nascentis, cum hoc ex illo sit, nec hoc posterius, nec aliud probatur antiquius. » Toletana quoque synodus undecima, « Sempiternum, inquit, Pater, sempiternus et Filius. Quod si semper Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset; et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. » Refert Sozomenus libro VII, capite XVII, inter Euno-

a ATHAN. orat. II. Ἀϊδίου γὰρ ὄντος τοῦ πατρὸς, ἀίδιος ἂν εἴη καὶ ὁ τούτου λόγος, καὶ ἡ σοφία.

b MAXIM. Ἡ γὰρ σχέσις συνενδείξεως κέκτηται δύναμιν, τὰ ὧν ἐστί τε, καὶ λέγεται σχέσις, μετ' ἄλληλα, θεωρεῖσθαι μὴ συγχοροῦσα.

1 Amb. 1 *de Fide*, cap. v. — 2 Tom. III *Biblioth. Patrum.* col. 147. — 3 *Exod.* III. — 4 In sexto synod. Const. — 5 *Panop.* par. I, tit. II.

mianos ortum aliquando dissidium ; cum alii Deum, antequam Filius existeret, Patrem negarent appellari debuisse, quod vox illa sit

elativorum τῶν πρός τι ; alii Patrem nihilominus fuisse defenderent. Credo quod potentia saltem pater esset, ut alicubi ex Eunomio adnotavit Cyrillus.

XIII. Nec solum æternitatis societas ex illis Patris, et Filii nominibus asseritur ; sed et naturæ, et proprietatum omnium, ac divinitatis denique totius communio, vel unitas

onsubstantiale. potius, et τὸ ὁμοούσιον probatur. Nam si hic Pater est, et iste Filius « unigenitus de Patre natus, hoc est, quod Pater secundum naturam, secundum substantiam. Qui autem dicit eum, propterea quia natus est, ideo alterius esse naturæ, negat verum Filium, » ut ait Augustinus libro primo *contra Maximinum*. Fulgentius quoque, « Verus enim Deus est, inquit, qui natura Deus est, natura autem Deus est, qui deitatem ex æternitate veræ nativitatis habuit, non ex gratia donationis possedit. Quod enim nascitur, connexum est genere ; quod vero adoptatur, sola provehitur largitate. » Vide cap. x libri secundi hujus operis.

ppellatio Patris ac Filii onsubstantialitatem ommendat

Imprimis autem commendat appellatio illa Patris, et Filii, personarum æqualitatem, ut non substantia, vel dignitate rei ullius altera antistet alteri. Quod ex *Joannis* capite v, 18, Cyrillus asseverat. In quo Judæi voluisse Christum interficere dicuntur , *quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Nam, ut ait Cyrillus, « quod naturaliter procedit ab aliquo, æquale est ratione essentiæ illi, a quo procedit [a]. » Neque obstat, quod, ut plerique veterum opinati sunt, et nos libro secundo, capite secundo commemoravimus, Pater Filio major esse dicitur, qua Pater est. Non enim major ab illis dicitur eo ipso, in quo æquales esse constanter volunt, nempe natura, et substantia, sed tantummodo proprietate majorem concedunt esse Patrem, sive quia origine prior est, sive quod alio modo, qui nihil perfectam amborum æqualitatem interpellat. Itaque tametsi major utcumque Pater Filio dicitur ab nonnullis Patribus, non solum respectu ad humanam hujus naturam habito, sed etiam ratione divinitatis, ut iidem loquuntur, genitæ, hoc est, qua genitus est et Filius, non tamen excellentiorem fas est Patrem putare, ut Calvinus cum sua illa ὑπεροχῇ conticescat, *Arrogantia.* quam alibi refellimus. Interest enim inter τὸ μεῖζον et τὸ ὑπέρεχον, ut indicat Chrysostomus homilia quinta *in Epistolam ad Philippenses ;* dum christianos ad animi modestiam et humilitatem excitans, « Non solum, inquit, simpliciter majorem te ipsum esse puta, sed etiam antecellere ; quod summæ est præstantiæ [b]. » Atque idem homilia sequenti Arianos verberat, qui majorem, minoremque venditabant Deum, et gentilium superstitionem in Ecclesiam inferebant. « Atqui nusquam, ait, in Scripturis minorem invenies Deum, sed ubique magnum. Nam si parvus, quomodo Deus est ? Et si nullus homo parvus est, et magnus, sed una est omnium natura, cujus unius naturæ si quis non est particeps, non est homo ; qui tandem parvus erit Deus, et magnus, qui non sit illius naturæ ? Qui parvus est, non est Deus. Ubique enim magnus in Scriptura vocatur [c]. »

Patris appellatio ingeniti vocabulo anteponenda.

XIV. Jam si Patris appellatio tot, ac tantas in se dotes, opportunitatesque continet, ut vel Dei ipsius, quo nihil augustius videtur, nomini præferatur ab antiquis Patribus ; evidens est, multo magis anteponendam eam esse vocabulo *ingeniti*, quo tantopere gloriabantur Anomœi, ut obliterato Patris nomine, unum illud vindicarent Deo. Atqui, præter illa, quæ de *ingeniti* voce tribus primis capitibus exposuimus, quæ, quantum in illa captionis ac periculi sit, ostendunt ; accedit illud quoque, quod Basilius scribit, si quid boni ad usum pietatis insit in *ingeniti* nomine, id in *Patris* vocabulo comprehendi, cum illa omni, quam habet alterum, offensione careat. « Ego vero, inquit, etiam ingeniti appellationem, etsi magnopere cum intelligentia nostra congruere videatur ; tamen, quia nusquam in Scriptura illam invenio, et quia primum blasphemiæ

a Cyril. Alex. XXXII *Thes.* Τὸ ἔκ τινος φυσικῶς προελθὸν, ἴσόν ἐστι κατὰ τὸν τοῦ πως εἶναι λόγον, τῷ ἐξ οὗ πέρ ἐστι. Vide eumdem lib. I *in Joan.*

b Chrys. hom. v *ad Phil.* Μὴ τοίνυν ἁπλῶς νόμιζε μείζονά σου εἶναι, ἀλλὰ καὶ ὑπερέχειν. ὅπερ ἐστὶ σφοδρᾶς ὑπερβολῆς.

c Idem hom. vi. Μέγας μὲν γὰρ καὶ μικρὸς παρ' αὐτοῖς θεός· εἰ δὲ καὶ παρ' ὑμῖν οὐκ οἶδα. παρὰ μὲν γὰρ ταῖς γραφαῖς οὐδαμοῦ εὑρήσεις· ἀλλὰ μέγαν μὲν πανταχοῦ, μικρὸν δὲ οὐδαμοῦ. εἰ γὰρ μικρὸς, πῶς καὶ θεός; εἰ μικρὸς οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, καὶ μέγας, ἀλλὰ μία φύσις, καὶ εἴ τι οὐκ ἔστι τῆς φύσεως ταύτης τῆς μιᾶς, οὐκ ἄνθρωπος· πῶς ἂν εἴη μικρὸς θεὸς, καὶ μέγας ὁ μὴ ὢν ἐκείνης τῆς φύσεως; ὁ μικρὸς ὢν, οὐ θεός. πανταχοῦ γὰρ μέγας λέγεται παρὰ τῇ γραφῇ.

illorum est elementum, silentio tradendam esse merito dixerim; præsertim cum Patris vox eadem cum ingenito potestate prædita sit; et propter relationem, Filii insuper notionem conjunctam secum inferat [a].» Quam in Basilii sententiam intemperanter invehitur Eunomius apud Gregorium Nyssenum [1], qui fratris sui causam acerrime propugnat, et de ingeniti voce paria cum eo sensit, et adversus communem hostem disserit. Atque inter alia, quod institutæ modo disputationis interest, animadvertit, «Patris nomen principium significare, a quo, ut sint, habent universa; quod si superiorem aliquam causam agnosceret, non proprie diceretur Pater [b]. »

XV. Etenim qui proprie, et excellenter, ac primario Pater est, nullum alium Patrem, vel auctorem habet ac principium, a quo originem capiat, nihil ut aliud proprie sit, quam Pater; quemadmodum et Filius, ut non vulgari, communique cum cæteris ratione, sed eximia, et singulari Filius sit, nullius alterius Filii Pater esse debet. Horum autem prius soli Deo Patri, posterius soli Filio congruit, ut initio capitis hujus diximus. Quo fit, ut ingeniti notio in Patris nomine comprehendatur in Deo duntaxat; quod Basilius, et Gregorius Nyssenus [c], ac Nazianzenus, aliique Patres affirmant, et ideo *Patris* vox soli Deo Patri conveniat, ut et *Filii*, Verbo. Atque hinc adversus hæreticos parata responsio est, dum illud inquirunt, cur Filius itidem, ut ab alio genitus est, alterum non gignat filium, ut in creatis evenit. Cui sic a nostris occurritur, ut vicissim interrogent, cur non et Pater alium genitorem habeat, id quod peræque in hominibus usuvenit. Sed ex iis, quæ proposita sunt, par est ad utrumque responsio; illam videlicet patrum, et filiorum alternam in eadem persona vicissitudinem iis solis convenire, qui nec proprie, neque excellenti modo nomina hæc usurpant, in Deo secus rem habere; ubi summa, et archetypa ratio inest appellationis utriusque.

« Namque homines inter, (canit Sedulius [2],)
natum genitore minorem
Lex carnalis habet; quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit; mox et qui filius est nunc,
Adforet esse pater. Sic per genus omne nepotum
Et nova progenies, et avi numerantur avorum.
At Dominus, Verbum, virtus, sapientia, Christus,
Et totum commune Patris de lumine lumen,
De solo solus; cui nec minus est Patre quidquam,
Nec quo crescat, habet, genitus, non quippe creatus. »

Postremo illud etiam libenter adnotaverim: Sicut Patris appellatio tam ingenito, quam cæteris personæ primæ nominibus anteferenda est, propter et Scripturæ auctoritatem qua illa sancita est, et plerasque alias opportunitates, quas perstrinximus; sic etiam Filii nomen eodem jure pluris esse faciendum, quam reliqua omnia secundæ propria personæ. De quo late Basilius in secundo *adversus Eunomium*; ubi hæreticum istum redarguit, quod Filium γέννημα, id est *fetum*, sive *genituram* nominabat. Hanc vero vocem ille repudiat multis de causis, quas omittimus. Verum etsi præferenda isti est, ut jam dixi, vox τοῦ υἱοῦ, id est *Filii*; non tamen damnanda penitus est γεννήματος appellatio, qua plurimum utuntur antiqui Patres, et imprimis Athanasius oratione secunda; ac vicissim utilitatem suam habet, dum ad illam τοῦ υἱοῦ additur. Possunt enim Filii adoptione sola cogitari, id est θέσει, non γόνῳ. Quod ne de Dei Filio suspicari falso possit aliquis, prudenter ab antiquis theologis τῆς γεννήσεως, et τοῦ γεννήματος nomina identidem adhiberi solent.

a Basil. lib. I *contra Eunom.* Ἐγὼ δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀγεννήτου προσηγορίαν, κἂν τὰ μάλιστα δοκῇ ταῖς ἐννοίαις ἡμῶν συμβαίνειν, ἀλλ' οὖν ὡς οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς κειμένην, καὶ πρῶτον στοιχεῖον οὖσαν τῆς βλασφημίας αὐτῶν, σιωπᾶσθαι ἂν δικαίως ἀξίαν εἶναι φήσαιμι, τῆς πατρὸς φωνῆς ἴσον δυναμένης τῷ ἀγεννήτῳ, πρὸς τῷ καὶ τὴν περὶ τοῦ υἱοῦ ἔννοιαν συνημμένως ἑαυτῇ διὰ τῆς σχέσεως συνεισάγειν.

b Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Πατέρα γὰρ ἀκούσαντες, τὸν αἴτιον τοῦ εἶναι τοῖς πᾶσιν, εὐθὺς ἐνοήσαμεν· ὃς εἴπερ ἄλλην τινὰ ὑπεκειμένην αἰτίαν εἶχεν, οὐκ ἂν κυρίως πατὴρ ὠνομάσθη.

c Vide Gregor. Nyss. ibid. Οὕτω καὶ ἡ τοῦ πατρός προσηγορία, διπλῆν ἡμῖν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τὴν σημασίαν παρέχεται, τήν τε πρὸς τὸν υἱὸν νοουμένην, καὶ τὸ μηδεμιᾶς αὐτὸν ἐξῆφθαι προεπινοουμένης αἰτίας.

1 Nys. lib. I *cont. Eun.* — 2 Lib. I.

CAPUT V.

De aliis primæ personæ nominibus, ac primum de principio; cujus vocis variæ notiones explicantur, quatenus Patris proprium sit, ut sit, ἀρχὴ, vel ἄναρχος. Principium interdum pro principatu sumi. Nonnunquam vox ἀρχὴ propria jit Filii, et qua ratione. De αἰτίῳ, et causa. Personalia nomina interdum ex habitudine ad creaturas usurpari. De voce ἀναίτιον. Causæ appellatione quemadmodum Latini usi sint. De auctore, et αὐθέντῃ : quid auctor significet ; et quatenus de Deo dici debeat. De locutione ista, Pater est a se, vel sibi dedit principium, et similibus. De vocibus radicis, fontis, capitis.

Principii ox varie accepta.

I. Est Patris appellationi connexa, proximaque vox *principii*, cujus ambigua est notio, et idcirco ante omnia distinguenda, ne in ludicra, et inani concertatione disputatio nostra versetur. Ac primum varietas illa ponenda, quam in quarto *Metaphysicorum* tradit Aristoteles, capite primo ; ubi τῆς ἀρχῆς nomen septem, ait, modis usurpari. Primo enim sumitur pro initio, unde fit motus, ut principium viæ, quod nonnisi θέσει, id est *hominum institutione* constat, ut adnotat Asclepius in commentariis. Nam idem potest esse initium, et finis, ut in via, quæ Athenis Thebas, aut Thebis Athenas ducit. Rursus principium est, unde rem auspicari commode possumus, ut in disciplinis id, quod docendi usu, et ordine primum est, atque hoc etiam non natura, sed hominum instituto principium dicitur. Tertio, pars illa rei, a qua fieri, et existere incipit; ut in navi carina, in animali cor, vel cerebrum. Quarto, unde primum res aliqua fit, ita tamen, ut pars hujus minime sit, sive id, a quo motus vel mutatio oritur; ut gignens, ac pater principium est filii, convicium pugnæ. Quinto, cujus nutu, ac voluntate movetur, ac mutatur id, quod movetur, ut sunt principes reipublicæ, ac magistratus. Sexto, principia sunt artes, præsertim architectonicæ. Denique principia dicuntur, ex quibus res primum cognoscitur, ut sunt principia, et hypotheses, ac definitiones in demonstrationibus. Quæ omnes principiorum differentiæ ad duo fastigia revocari possunt, ut alia sint proprie dicta, et naturalia, alia ex accidenti, atque usu hominum, et instituto. Ad has omnes principii significationes addenda videtur illa, quæ temporis initium continet. Sed ad primam referri potest, cujus ex uno tantum genere viæ exemplum petiit, cum etiam ad temporis initium pertinere possit, a quo motus proficiscitur. Cæterum principii ratio in hanc summam fere concluditur, «ut sit aliquid primum, unde res aut est, aut fit, aut cognoscitur [a], » ut ait Aristoteles.

Vocis ἀρχὴ (arche) duæ præcipuæ notiones.

II. Igitur vox ἀρχὴ celebres habet, maximeque considerandas notiones duas: alteram, ut sit principium, a quo aliquid oritur, quocumque id modo fiat, hoc est sive in tempore, sive ex omni æternitate, dum ab aliquo originem capiat: alteram, ut sit initium existendi, quando res, quæ antea non erat, esse jam incipit. In his duabus significationibus tota inter catholicos et Arianos controversia, et horum ludificatio vertitur, indeque sentiendi ac loquendi de divinis personis metienda ratio est, cum de ἀρχὴ, et ἀνάρχῳ agitur, hoc est de *principio*, et eo quod *expers est principii*. Nam si ἀρχὴ pro initio sumitur posteriore modo, non est ἀρχὴ Filii Pater, sed uterque est ἄναρχος, hoc est *initiabilis*, ut Hilarius loquitur in quarto libro; et Petrus Chrysologus sermone LX hæreticorum hanc esse vocem ait, « Filium, quia generatur, principium a generante sumere. » Sic enim i dem erit ἄναρχον, quod æternum, eique id erit oppositum, quod ἀρχὴν habet; quemadmodum τὸ ἀγένητον opponitur γενητῷ, id est *infectum*, vel *increatum*, *facto* et *creato*. Hoc vero sensu neque Pater, neque Filius ἀρχὴν habet, sed uterque est ἄναρχος. Sic ista nomina ἀρχὴν, et ἄναρχον, Cyrillus Alexandrinus usurpavit in libro V *Thesauri*, cum et « impie loqui scribit eos, qui ab initio aliquo cœpisse generare Deum asserunt [b]. » Et mox, « Ut Pater ipse initio caret, minimeque factus est; sic Verbum, quod ex ipsius substantia processit, initio carens, expers erit temporis, neque factum, uti nec ille, qui ipsum genuit [c]. » Ariani porro

Initium.

Initium.

Initiabilis.

a Arist. IV *Met.* cap. I. Πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται.

b Cyril. *Thes.* V. Οἱ ἀπό τινος ἀρχῆς ἄρχεσθαι τοῦ γεννᾷν οἰόμενοι τὸν θεὸν λίαν ἀσεβοῦσιν εἰς τὰς ἑαυτῶν ψυχάς.

c Ibid. Ἀλλ' ὥσπερ αὐτὸς ἄναρχός ἐστι, καὶ ἀγένητος. οὕτω καὶ ὁ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ προελθὼν λόγος ἄναρχος, ἄχρονος ἔσται, καὶ ἀγένητος, ὥσπερ ὁ ἀποκυήσας αὐτόν.

ἀγέννητον, hoc est *ingenitum*, quod cum ἀγενήτῳ permiscebant, idem esse volebant atque ἄναρχον, tanquam nihil habere principium possit, quod sit æternum, neque principii vis alia sit, quam ut ab eo fiat aliquid, quod antea non erat. Itaque subdola est Arii, ejusque sociorum expostulatio in epistola, quam ad Eusebium Nicomediensem scribunt. « Nos, inquit, ob id insectantur, quod diximus: Principium habet Filius; Deus autem caret principio. Principium proprie esse, quod principio caret[a] [1]. »

III. Gregorius Nyssenus in libro primo *contra Eunomium* admonet, « cum vox ἀρχῆς in magno sit significationum ambitu, interdum τοῦ ἀνάρχου appellationem non abhorrere ab unigenito Filio. Nam quando in voce ἀνάρχου nihil intelligitur aliud, nisi id, quod ex nullo penitus principio habet, ut subsistat; hoc ipsum solius esse Patris proprium confitemur. Cum autem de reliquis principii significatis inquisitio fit, quoniam et creationis principium est, et temporis, et ordinis; etiam in iis unigenitum Filium omni principio superiorem esse testamur, ut supra omne creationis principium et temporis notionem, et ordinis consecutionem illum esse credamus, per quem omnia facta sunt. Itaque quem ratione subsistentiæ non expertem esse principii putamus, in reliquis omnibus carere principio fatemur; et Patrem quidem principio carentem et ingenitum, Filium vero principio quidem eo, quem diximus modo carentem, non tamen ingenitum esse dicimus[b]. » Hæc Nysseni verba rem totam accurate, ac penitus explicant, ex quibus apparet, τὸ ἄναρχον, id est *principii expers*, interdum commune esse personis omnibus, quando idem est, quod ἀγένητον id est *infectum*, vel *increatum*; alias proprium esse Patris, neque personæ alteri convenire, ut cum pro eo sumitur, *quod a nullo oritur*. Vel, ut uno verbo complectar, cum sit origo duplex, quam vox ἀρχὴ designat, altera creationis, sive effectionis, naturalis altera productionis; priore modo usurpata vox ἀρχῆς tribus personis congruit, posteriore, soli Patri; qui cum Filio ac Spiritu sancto universa procreat, solus autem ambos istos alio genere producit. Hinc existit illa *principii unitas*, quam tantopere Ariani pariter et nostri disputando contriverunt, hoc est ἀρχὴ μία, vel μοναρχία, de qua nos alibi[2] jam scripsimus. Ac Patri velut præcipuum assignari solet, ut sit *omnium principium*, tam creatorum, quam increatorum, quia fons est, et origo τοῦ ὄντος, id est *entis* universi. In quo τῆς ἀρχῆς, id est *principii* vocabulum, non minus, quam *entis*, ambigue et ὁμωνύμως, vel saltem ἀναλόγως adhibetur, ut tam creaturis, quam divinis personis utrumque conveniat.

Analogice.

Quatenus Patri proprium sit ut sit principium.

IV. Theodoretus in quinto libro *adversus Hæreses*, propriam notionem tribuit Patri, ut sit principium[c]. Sic etiam Gregorius Nazianzenus passim, maxime in oratione prima *de Filio;* in qua τὸ ἄναρχον, quod idem videlicet sit ἀρχὴ, in solum Patrem competere docet. « Et quomodo (inquit de personis divinis loquens) non sunt simul cum Patre principii expertes, si coæterni sunt? Quia inde procedunt, etsi non post illum sunt. Quod enim principio caret, æternum est, quod autem æternum est, non protinus caret principio, quandiu ad Patrem, velut ad principium refertur. Ergo illi, quantum ad causam, non carent principio[d]. » Et oratione XXXVI, « Proprium, inquit, ejus, qui principio caret, nomen est Pater; ejus autem, qui citra ullum principium genitus est, Filius[e]. » Hic ἀρχὴ,

a Arii epist. Διωκόμεθα δὲ ὅτι εἴπομεν, ἀρχὴν ἔχει ὁ υἱός· ὁ δὲ θεὸς ἄναρχός ἐστι.

b Nyssen. lib. I. Ἀλλ' ἐπειδὴ πολύσημος ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος, καὶ εἰς πολλὰ ταῖς ἐπινοίαις φερόμενος, ἔστιν ἐν οἷς φαμεν καὶ τῷ μονογενεῖ υἱῷ μὴ ἀπεμφαίνειν τὴν τοῦ ἀνάρχου προσηγορίαν. ὅταν μὲν γὰρ τὸ μὴ ἐξ αἰτίου τινὸς τὴν ὑπόστασιν ἔχειν ἐκ τῆς φωνῆς τοῦ ἀνάρχου νοῆται, τοῦτο μόνον (for. μόνου) τοῦ πατρὸς ἴδιον ὁμολογοῦμεν. ὅταν δὲ κατὰ τὰ λοιπὰ τῶν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς σημαινομένων ἡ ἐξέτασις ᾖ· ἐπειδὴ καὶ κτίσεώς τινος ἐπινοεῖται ἀρχὴ, καὶ χρόνου, καὶ τάξεως· κἂν τούτοις καὶ τῷ μονογενεῖ προσμαρτυροῦμεν, τὸ ὑψηλότερον ἀρχῆς εἶναι ὡς ὑπὲρ πᾶσαν κτίσεως ἀρχὴν, καὶ χρόνου ἔννοιαν, καὶ τάξεως ἀκολουθίαν εἶναι πιστεύειν. τὸν δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· ὥστε τῷ λόγῳ τῆς ὑποστάσεως μὴ ἄναρχον, ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὁμολογούμενον ἔχειν τὸ ἄναρχον· καὶ τὸ μὲν πατέρα καὶ ἄναρχον, καὶ ἀγέννητον· τὸν δὲ υἱὸν ἄναρχον μὲν κατὰ τὸν εἰρημένον τρόπον, οὐ μὴν καὶ ἀγέννητον.

c Theodoret. Μίαν εἶναι τῶν ὅλων ἀρχὴν, καὶ ἡ παλαιὰ, καὶ ἡ καινὴ διδάσκει γραφή.

d Nazianz. orat. XXXV. Πῶς οὖν οὐ συνάναρχα, εἰ συναΐδια; ὅτι ἐκεῖθεν, εἰ καὶ μὴ μετ' ἐκεῖνον. τὸ μὲν ἄναρχον, καὶ ἀΐδιον· τὸ δὲ αΐδιον, οὐ πάντως ἄναρχον· ἕως ἂν εἰς ἀρχὴν ἀναφέρηται τὸν πατέρα. οὐκ ἄναρχα οὖν τῷ αἰτίῳ.

e Item, orat. XXXVI. Ἴδιον δὲ τοῦ μὲν ἀνάρχου πατὴρ, τοῦ δὲ ἀνάρχως γεννηθέντος, υἱός.

1 Bern. in V *de Consid.* cap. VI. — 2 Lib. IV, cap. XVI.

et ἄναρχος ancipitem habent notionem. Nam ἄναρχος cum Patri proprie tribuitur, originem excludit omnem; cum autem Filio convenit, solam eam, quæ non est generatio. At Zacharias Mitylenæus constantius voce eadem est usus: « Pater, inquit, expers principii, et ingenite; Fili sine principio genite; Spiritus Dei sine principio a Patre procedens [a]. » Ubique servavit eamdem principii notionem, quam Gregorius diversam posuerat.

rincipium interdum ro principatu sumptum.

Agit de hac principii appellatione quatenus Patri soli congruit, accuratissime Cyrillus Alexandrinus sub initium libri primi *Commentariorum in Joannem;* ubi hoc docet, principium esse Filii *nulla alia ratione,* quam *ut est id, ex quo* [b]. Ideo nec obstare, quin eamdem cum Patre Filius æternitatem possideat. Habet etiam nomen ἀρχῆς apud Græcos ambiguitatem alteram, quam et Latini interdum retinent. Nam et imperium, ac principatum significat, quod ab Latinis quibusdam etiam *principium* vocatur. Ita Tertullianus libro *contra Hermogenem*, cap. XIX, « Nam et in Græco, ait, principii vocabulum, quod est ἀρχὴ, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum. Unde et ἄρχοντες dicunt principes, et magistratus. Ergo secundum hanc quoque significationem principium pro principatu et potestate sumetur. » Sic Ambrosius[1] Isaiæ [2] locum illum ita concipit: *Puer natus est nobis, cujus principium super humeros ejus.* Et Severus Sulpicius[3]: « Dictumque responso Domini est duos in his populos prænuntiari, et majorem minoris subdendum esse principio. » Nec aliter in *Psalmo* CIX intelligendum est: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Qua ex ancipiti vocis potestate Theodorus Abucara[4] haud satis firmum argumentum extraxit, uti Filium Patri συναΐδιον esse contra Saracenos ostenderet. Nam cum Deus Pater ἄρχων, id est *princeps*, dicatur, quod principatum habeat, idque natura, et ex æterno illi congruat; non hoc, inquit, comparatus ad res creatas obtinet: alioqui principatum habere cœpisset in tempore, et creaturis acceptum illum referret; tum rex aliquis ἄρχων, id est *princeps* non dicitur eorum, quæ naturæ sunt diversæ, velut asinorum, sed hominum. Quare Deus Pater ἄρχων similiter erit, non creaturarum, sed coæterni, consubstantialisque Filii, qui ἀρχόμενος, ac συνάναρχος ac συναΐδιος appellabitur. Ita Theodorus; qui mira, et perplexa ambiguitate ἀρχῆς, et ἄρχοντος vocabula sumpsit; quinetiam perplexe, ac parum consentanee Filium eumdem et ἀρχόμενον, et συνάναρχον facit. Nam non possunt hæc uni duo tribui, nisi ὁμωνύμως, ac plane dispari significatione. Hæc vero significatio τῆς ἀρχῆς, una est e septem, quam ex Aristotele supra commemoravi, et ordine quinta.

Distinctivum. Initiabili.

V. Cæterum nonnulli Patres nomen ἀρχῆς Filio. tanquam proprium, et διακριτικὸν arrogant, et τῷ ἀνάρχῳ velut oppositum subjiciunt. Gregorius Nazianzenus oratione XXXII, quam dixit in synodo œcumenica secunda episcoporum CL. Ubi personas tres distinguit sic: « Quod principii, inquit, expers est, et principium, et id, quod cum principio est, unus est Deus. Neque id, quod est expers esse principii, ejus est natura, qui expers dicitur, vel ingenitum. (Nam nulla natura in eo sita est, quod non esse dicitur, sed in eo ipso quid sit. Est enim ejus, quod est positio; non ejus quod non est, sublatio.) Nec principium, eo quod principium est, ab experte principii dirimitur. Non enim natura est ipsi esse principium; sicut nec illi expers esse principii. Hæc enim circa naturam sunt, non ipsa natura. Eodem modo id, quod cum experte principii, et principio est, non aliud est omnino, quam quod illa. Nomen porro ejus, qui principio caret, est Pater; principii, Filius; ei, qui est cum principio, Spiritus sanctus; at natura tribus est una [c]. » Elias Cretensis in *Scholiis* ad hunc Gregorii locum adnotat, « Filium appellari principium, quia creaturarum omnium est conditor; qua ratione etiam

Vox principii nonnunquam propria Filii et qua ratione.

a ZACHAR. lib. *de Mundi opificio.* Πάτερ ἄναρχε, καὶ ἀγέννητε· υἱὲ ἀνάρχως γεγεννημένε· πνεῦμα θεοῦ προελθὸν ἀνάρχως ἐκ πατρός.

b CYRIL. I *in Joan.* Ὅτι δὲ καὶ ὡς ἀρχὴ τοῦ υἱοῦ κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ λέγεται.

c NAZIANZ. orat. XXXII. Ἄναρχον, καὶ ἀρχὴ, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς, εἷς θεός· οὔτε τοῦ ἀνάρχου τὸ ἄναρχον φύσις, ἢ τὸ ἀγέννητον. οὐδεμία γὰρ φύσις ὅτι μὴ τόδε ἐστὶν, ἀλλ' ὅτι τόδε· ἡ τοῦ ὄντος θέσις, οὐχὶ τοῦ μὴ ὄντος ἀναίρεσις· οὔτε ἡ ἀρχὴ τῷ ἀρχὴ εἶναι, ἀνάρχου διείργεται. οὐ γὰρ φύσις αὐτῷ ἡ ἀρχὴ, ὥσπερ οὐδὲ ἐκείνῳ τὸ ἄναρχον. περὶ γὰρ τὴν φύσιν, οὐ ταῦτα φύσις, καὶ τὸ μετὰ τοῦ ἀνάρχου, καὶ τῆς ἀρχῆς, οὐκ ἄλλό τι, ἢ ὅπερ ἐκεῖνα. ὄνομα δὲ, τῷ μὲν ἀνάρχῳ, πατήρ. τῇ δὲ ἀρχῇ, υἱός· τῷ δὲ μετὰ τῆς ἀρχῆς. πνεῦμα ἅγιον· φύσις δὲ τοῖς τρισὶ μία.

1 Lib. III in *Luc.* — 2 Cap. IX. — 3 Lib. I *Hist.* — 4 Opusc. II.

Pater principium dici possit, secundum illud, Principium ex principio. » Quinam ergo differunt? Non hoc quidem explicat Elias. Sed ex iis, quæ in libro tertio *de Deo* disputata sunt apparet, Filium peculiari dici modo principium, quoniam idea est, et exemplar, sive ars divina, qua Pater universa molitur. Atque hoc sensu veteres aliqui Mosis illa verba declarant, *In principio creavit Deus cœlum et terram* [1], ut sit, *in Filio*. Ut Augustinus [2], Hieronymus, Junilius, Eucherius, Beda, et Origenes homilia I *in Genesim*. Sic alii Sapientiam interpretantur, ut Acacius [3], et Methodius [4], quod eodem relabitur. Est enim Filius *artifex omnium Sapientia*, ut in *Proverbiis* [5] traditur. Unde Proclus oratione secunda Filium nominat αὐθέντην δημιουργὸν, id est *principalem opificem*. Et Fortunatus in carmine *de Paschate :*

« Cum Patre coævus
Quo sumpsit mundus cum Patre principium. »

Hæc autem notio, ac proprietas secundæ personæ, quam affert Elias, ut sit *principium de principio*, eadem est cum *Filii* proprietate, vel geniti. Augustinus porro ea utitur in tertio *contra Maximinum Arianum*, capite XVII. « Pater, inquit, principium non de principio; Filius principium de principio. Sed utrumque simul, non duo, sed unum principium. » Nec non Faustus Rhegiensis epistola XVI, « Principium, ait, ex principio, et unum est, et initio caret. » Hinc duo non esse principia, vel tria in divinis, sed unum tantum colligunt antiqui, ut Athanasius oratione V, ubi illa Joannis, *In principio erat Verbum*, sic enarrat, tanquam scripserit: *In Patre erat Filius*. Vide librum antecedentem, capite XVI. Greg. Nazianzenus oratione prima, Patri τὴν ἀρχὴν, velut peculiarem notionem tribuit, non qua res creatas respicit, sed ut divinitatis, et bonitatis, quæ inest in Filio, ac Spiritu sancto, principium est. « Alioqui parvorum, inquit, et indignorum esset principium, vel potius parve, et indigne, si non divinitatis esset principium, et bonitatis, quæ in Filio, et Spiritu sancto consideratur [a]. » Quæ iisdem verbis repetit in oratione XXIX. Ubi et Filium ἀρχὴν τῶν ὅλων *universorum*, quæ scilicet creata sunt, *principium* appellat, eaque velut proprietate quadam illum afficit. Adde Clementis Alexandrini dictum initio septimi libri *Stromateon ;* ubi Filium vocat « temporis expers, principiique principium, ac primitias omnium, quæ sunt [b]. »

VI. Quamobrem hoc inter Filium, et Patrem interest in communi ratione principii; quod Pater principium dicitur comparatus ad Filium ; Filius ad res creatas. Utrobique vero principii non absoluta, sed relativa notio est. « Omne enim principium, ait Maximus Martyr apud Joannem Cyparissiotum [6], aliquorum principium est, significatque habitudinem, et non effectionem ipsius substantiæ. Talia enim sunt, quæ referuntur ad aliquid, ut dextrum, et sinistrum. Quare Sapientia Dei, quæ substantia est, non est aliquorum principium (ante creaturam enim habet esssentiam sapientia Dei); cum autem acceperit habitudinem ad creaturas, tunc efficitur principium viarum Dei ad faciendum, et providendum in opera, quæ ab auctore existunt; quæ nihil conferunt sapientiæ ipsi, ut sit sapientia, sed habitudo, secundum quam principium, et effectio dicitur, tunc exstitit, cum effecta exstiterunt. Principium enim non antecedit ea, quorum existit principium, » etc. Ita celebrem illam Salomonis sententiam e *Proverbiorum* octavo capite, interpretatur ille, ut cum Sapientia creatam se dicit εἰς ἀρχὴν, *in principium*, idem sit, atque ut principium esset viarum Domini, hoc est creationis, qua Deus extra se quodammodo procedit. Nihil autem debet obstare, quod non ex æterno, sed in tempore, habitudo illa principii Filio convenit, quominus ad personam illius distinguendam accommodetur a Patribus. Nam hoc illi respicere solent, quod virtute, ac δυνάμει, et secundum οὐσιώδεις λόγους, id est *substantivas rationes*, personis competit. Velut quod Verbum Sapientia sit, et idea Patris, in qua creaturæ omnes, velut in exemplari causa, ex æterno continentur, quæ nonnisi per ipsum, eo, quo subsistit, modo, producendæ sunt. Ac moris interdum est veteribus τὰ διακριτικὰ, et ὑποστατικὰ τῶν προσώπων, hoc est *differentias hyposta-*

Personalia nomina ex habitudine ad creaturas nonnunquam usurpantur.

a NAZIANZ. orat. I. Μικρῶν γὰρ ἂν εἴη, καὶ ἀναξίων ἀρχὴ, μᾶλλον δὲ μικρῶς τε, καὶ ἀναξίως, μὴ θεότητος ὤν ἀρχὴ, καὶ ἀγαθότητος, τῆς ἐν υἱῷ, καὶ πνεύματι θεωρουμένης. Vide et orat. XXIX.

b CLEM. ALEX. VII *Strom.* Τὴν ἄχρονον ἄναρχον ἀρχήν τε, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων τὸν υἱόν.

1 *Gen.* I.— 2 Aug. XI *Conf.* cap. IX et lib. XII, cap. XIX, XX, XXVIII; Hier. in *Quæs. in Gen.*— 3 In *Catena.*— 4 Apud. Phot. cod. CCXXXV. —5 *Prov.* VIII.— 6 Joan. Cyp. dec. III, cap. II.

ticas, et constituentes personarum, ab effectis, et relationibus arcessere, quas nonnisi in tempore ab creaturis capiunt, ut mox dicam, cum de causæ vocabulo agetur, quod non ultra differendum est.

Nomen *causæ* expenditur.

VII. Principium, quod Græcis est ἀρχὴ, etiam ab iisdem αἴτιον, vel αἰτία nominatur, quam Latini causam appellant. Et quidem Aristoteles quarto *Metaphysicæ*, capite primo, tam late nomen causæ patere, quam *principii* asserit. Etenim «causæ, inquit, omnes principia sunt[a].» Sed intercedit Asclepius in commentario ad illum locum: idque Aristotelem non ex rei veritate, neque ex opinione sua, sed ex vulgi sensu dixisse refert. « Nam amplior principii significatio, quam causæ. Ideo priore loco, et ante causam commemoravit principium. Etenim quidquid est causa, idipsum et principium est; non tamen vicissim quidquid est principium, id causa esse debet. Siquidem principium, quod ratione situs dicitur, et viæ, principium quidem est, sed causa esse non potest. Quare ad vulgi opinionem respiciens philosophus æqualiter patere dixit causæ vocabulum [b]. » Ac genera causarum sunt usitata quatuor, quæ ibidem percenset Aristoteles. Igitur τοῦ αἰτίου vox non minus quam τῆς ἀρχῆς, ad divinas personas accommodari solet. Gregorius Nazianzenus[1] imprimis personas tres proprietatibus distinguit istis, αἰτίῳ, δημιουργῷ, et τελειοποιῷ, *principio*, vel causa, *opifice*, et *perficiente*. Quæ tria comparationem, et σχέσιν ad res creatas, non intimam, ac mutuam inter se personarum habitudinem significare videntur; ita nimirum, uti Patri τὸ αἴτιον adscribatur, quia fons, et origo est τοῦ ὄντος, tam ejus, quod increatum est, quam quod creatum. Ideo sanct. August. lib. LXXXIII *Quæst.* XVI « Deus, inquit, omnium, quæ sunt, causa est. Quod autem rerum omnium causa est, etiam sapientiæ suæ causa est, nec unquam Deus sine sapientia sua. Igitur sempiternæ suæ sapientiæ causa est sempiterna; nec tempore prior est, quam sua sapientia. » Hic Patrem non solum ἀρχὴν, id est principium Filii, sed etiam causam, hoc est originem appellat; itidemque est et Spiritus sancti : adeoque vis omnis, et efficientiæ, qua personæ tres creata omnia producunt; quæ Pater ipse per Filium creat, et per Spiritum sanctum perficit. Nam utrumque dici solet a theologis, Patrem per Filium, et Spiritum sanctum moliri aliquid, aut Patrem, et Filium, ac Spiritum sanctum communiter id facere. Sed loquendi prior ratio principium, ac velut fontem divinitatis, et actionis esse Patrem indicat. Ideo peculiari modo hoc ei tribuitur, ut sit αἰτία *effectrix causa* rerum procreatarum, eaque propria esse potest illius notio, quatenus per alias duas personas agere dicitur, veluti creare, sanctum facere; non autem istæ per Patrem.

Entis.

VIII. Atque hoc sensu Basilius easdem illas personarum proprietates non ad mutuum inter se respectum, sed ad res creatas retulit. Cum enim de cœlestium spirituum procreatione verba faceret, ita loquitur : « In horum vero creatione cogita mihi principalem causam eorum, quæ fiunt, Patrem; conditricem vero, Filium; perfectricem autem, Spiritum; adeo ut et voluntate Patris administratorii spiritus existant, et effectione Filii eo perducantur ut sint, et præsentia Spiritus sancti perficiantur. Porro angelorum perfectio sanctificatio est, in eaque perseverantia. Ac nemo me existimet vel tres originales hypostases ponere, vel mancam Filii actionem dicere. Nam unum est eorum, quæ sunt, principium, quod per Filium efficit, et in Spiritu perficit [c]. » Ita Basilius personarum proprias illas notiones, quibus Gregorius Nazianzenus utitur, ex rebus creatis assumpsit. Verum Elias Cretensis in commentariis Nazianzenum aliter interpretatus est [2] : « Vocat, inquit, causam tam unigeniti Verbi, quam Spiritus

a Arist. IV *Met.* cap. I. Ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται. πάντα γὰρ τὰ αἴτια ἀρχαί.

b Asclep. Ἰστέον ὅτι κατὰ τοὺς πολλοὺς αὐτοὺς ὁσαχῶς λέγονται αἱ ἀρχαὶ, τοσαυταχῶς καὶ τὰ αἴτια. κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν οὐχ οὕτως ἔχει· ἐπὶ πλέον γάρ ἐστιν ἡ ἀρχὴ τοῦ αἰτίου. διὸ καὶ προέταξεν τὴν ἀρχὴν τοῦ αἰτίου. εἴ τι μὲν γὰρ αἴτιον, τοῦτο καὶ ἀρχή· οὐκ εἴ τι δὲ ἀρχὴ, τοῦτο καὶ αἴτιον· ἡ γὰρ ἀρχὴ ἡ θέσει, καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν, ἀρχὴ μέν ἐστιν, αἴτιον δὲ εἶναι οὐ δύναται. ὡς οὖν πρὸς τοὺς πολλοὺς εἶπεν ὁ Φιλόσοφος, ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται.

c Basil. lib. *de Sp. sancto*, cap. XVI. Ἐν δὲ τῇ τούτων κτίσει, ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρτικὴν αἰτίαν τῶν γενομένων· τὸν πατέρα· τὴν δημιουργικὴν τὸν υἱόν. τὴν τελειωτικὴν τὸ πνεῦμα· ὥστε βουλήματι μὲν τοῦ πατρὸς τὰ λειτουργικὰ πνεύματα ὑπάρχειν, ἐνεργείᾳ δὲ τοῦ υἱοῦ εἰς τὸ εἶναι παράγεσθαι, παρουσίᾳ δὲ τοῦ πνεύματος τελειοῦσθαι. τελείωσις δὲ ἀγγέλων, ἁγιασμὸς, καὶ ἡ ἐν τούτῳ διαμονή· καὶ μηδεὶς οἰέσθω με, ἢ τρεῖς εἶναι λέγειν ἀρχικὰς ὑποστάσεις, ἢ ἀτελῆ φάσκειν τοῦ υἱοῦ τὴν ἐνέργειαν. ἀρχὴ γὰρ τῶν ὄντων μία δι' υἱοῦ δημιουργοῦσα, καὶ τελειοῦσα ἐν πνεύματι.

1 Greg. Nazianz. orat. XXV. — 2 Orat. XXIV, n. 13.

sancti Patrem, non quidem effectricem, nec artificialem, sed naturalem: illius nimirum, ut Patrem; hujus autem, ut productorem, sic tamen, ut ipse nec natura, nec tempore, nec alia ulla re præcedat. » Et quidem Gregorius idem paulo post αἰτίαν, quam propriam Patri notionem assignaverat, ad Filium referri demonstrat, cum sic ait: « Quod si omnia, quæcumque Pater habet, Filii sunt, excepta causa; quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritus sancti est, si filietatem excipias[a].» Atqui notiones aliæ duæ, quæ primæ isti τῆς αἰτίας, vel τοῦ αἰτίου respondent in personis reliquis, manifeste ad creaturas respiciunt, *opifex*, et *consummator* vel *perfector*. Non dubium est, quin Gregorius τὸ αἴτιον, vel αἰτίαν, late sumpserit, ut nos docuimus, pro origine, ac fonte, vel principio ejus, quod est, hoc est τοῦ ὄντος, et οὐσίας tam increatæ, quam creatæ; qua ratione ὁμωνύμως accipitur, ut et *producendi* vocabulum, quod tam de procreatione, quam de æterna generatione, ac spiratione dicitur.

Ambigue.

IX. Basilius porro αἴτιον, et αἰτίαν alibi per comparationem ad Filium usurpat. Ut cum ait: « Nos autem secundum causarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium asserimus[b]. » Et eodem in libro majorem dici Patrem κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον, *ratione causæ*. Tum, « Vox ipsa Patris, inquit, quid aliud significat, nisi hoc, quod causa est, et principium ejus, qui ex ipso genitus est[c]? » Sic Gregorius Nyssenus: « Cum dicimus causam, et quod est ex causa, iis vocabulis naturam minime significamus. Non enim eamdem quis rationem causæ, et naturæ reddiderit[d]. » Sed αἰτίαν, vel αἴτιον apud Græcos esse *principium*, ac pro æterna personarum productione accipi, non est, quod pluribus ostendam. Res enim usu contrita est, et nonnulla ejus exempla libro secundo hujus operis allata sunt. Interdum tamen αἰτίας significationem Græci iidem a divinis abjudicare videntur. Damascenus enim de Christi natura duplici loquens, « Unus est, inquit, qui et illud, et hoc est similiter. Illud quidem semper a Patre est sine causa, hoc vero factus postea propter benignitatem[e].» Hic ἀναιτίως Filium a Patre genitum asseverat, quod interpres causaliter vertit. Sed non sic intelligendus est Damascenus, ut αἰτίαν Filii Patrem esse nolit. Quippe capite sequenti « hypostaseon differentiam in his solis tribus proprietatibus consistere ait, causæ experte, ac paterna, causata et filiali, causata et processiva[f]. » Quocirca causam illic pro fine, vel ratione rei factæ accipit. Nam Gregorium Nazianzenum imitatus est, qui oratione XXXV de utraque Christi natura, et generatione sermonem instituens, priorem, et sempiternam, nullam ob causam fuisse; posteriorem, certam causam habuisse dicit. « In principio erat absque ulla causa; (quæ enim Dei causa possit afferri ?) at postea quoque certa de causa natus est; nimirum ut tu, homo contumeliose, salutem assequaris[g]. » Atque ita causæ nomen Joannes Cyparissiotus accepit decade tertia, capite septimo.

X. Parcius *causæ* vocabulo Latini sunt usi pro principio, ac processionis origine. Non desunt tamen, qui sic appellant. Victorinus Afer lib. I *adversus Arium*: « Æqualis, inquit, Patri, sed major Pater, quod ipse dedit ipsi omnia, et causa est ipsi Filio, ut sit, ut isto modo sit. » Hilarius vero aliquot in locis, ut in libro XI, *causam nativitatis* Filii Patrem vocat. Et in XII de æterna Filii generatione verba faciens: « Et ex causa licet perfecta, atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causæ ipsius proprietate nascatur. » Augustinus[1] quoque in eo loco, quem paulo ante retuli, causam genitæ Sapientiæ Patrem nominat. Utitur et Anselmus[2], et Richardus Victorinus[3], licet ille dubitet, an « dici debeat

Causæ appellatione quemadmodum Latini usi sint.

a NAZIANZ. eadem orat. XXIV. Εἰ δὲ πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ ἐστι, πλὴν τῆς αἰτίας, πάντα δὲ ὅσα τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος πλὴν τῆς υἱότητος.

b BASIL. I *contra Eunom.* Ἡμεῖς δὲ μὲν τὴν τῶν αἰτίων πρὸς τὰ ἐξ αὐτῶν σχέσιν, προτετάχθαι τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα φαμέν.

c Ibid. Τὸ δὲ πατὴρ τί ἄλλο σημαίνει, ἢ οὐχὶ τὸ, αἴτια εἶναι, καὶ ἀρχὴ τοῦ ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντος;

d NYSSEN. *ad Ablab.* Αἴτιον δὲ, καὶ τὸ ἐξ αἰτίου λέγοντες, οὐχὶ φύσιν διὰ τῶν τοιούτων ὀνομάτων σημαίνομεν. οὐδὲ γὰρ τὸν αὐτὸν ἄν τις αἰτίας καὶ φύσεως ἀποδοίη λόγον.

e DAMASC. lib. III, cap. IV. Εἷς γάρ ἐστιν ὁ κἀκεῖνο, καὶ τοῦτο ὁμοίως ὑπάρχων· τὸ μὲν ὢν ἀεὶ ἀναιτίως ἐκ πατρός· τὸ δὲ γενόμενος ὕστερον διὰ φιλανθρωπίαν.

f DAMASC. lib. III, cap. V. Διαφορὰν τῶν ὑποστάσεων ἐν μόναις ταῖς τρισὶν ἰδιότησιν, τῇ ἀναιτίῳ, καὶ πατρικῇ, καὶ αἰτιατῇ υἱϊκῇ, καὶ τῇ αἰτιατῇ, καὶ ἐκπορευτῇ ἐπιγινώσκομεν.

g NAZIANZ. orat. XXXV. Ἐν ἀρχῇ ἦν ἀναιτίως. τίς γὰρ αἰτία θεοῦ; ἀλλὰ καὶ ὕστερον γέγονε δι' αἰτίαν. ἡ δὲ ἦν, τὸ σὲ σωθῆναι τὸν ὑβριστήν.

1 Lib. LXXXIII *Quæst.*, qu. XVI. — 2 Lib. *de Proc. Spir. sanc.* — 3 Lib. V *de Trin.* cap. VII.

Deus habere principium, aut causam. Principium namque videtur non nisi rei incipientis esse, et causa, non nisi effectus; » mox tamen principium, causamque vocari concedit Patrem Filii, et utrumque Spiritus sancti, quatenus de Patre Filius est, et de ambobus, tanquam uno principio, causaque una, Spiritus sanctus. Richardus vero passim hoc in usu habet; ut cum ait [1], id, « quod non potest esse prius temporaliter in divinis, posse esse causaliter, et eo ipso naturaliter; tum, unam personam esse causam alterius. » Et differre procedendi modos, quibus personæ duæ producuntur, pro causæ alietate [2]. Hugo vero Etherianus tribus in libris, quos contra Græcos pro Latinis edidit, *causam* passim appellat Filii Patrem, et utrumque Spiritus sancti. Denique causam appellare personam unam alterius, Græcis tanquam peculiare tribuitur, cum Latinis minus consuetum sit, ut ait sanctus Thomas opusculo *contra Græcos* [3], et Florentinum concilium, cujus definitio ab Eugenio concepta sic habet [4] : « Filium esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem. » Cur Latini causæ vocabulo libentius abstineant, rationem explicat sanctus Thomas in opusculo, et in prima parte, quod in nullo alio genere causæ de usitatis quatuor appellari causa Filii possit Pater, nisi efficientis ; at ejusmodi diversam essentiam habet ab eo, cujus est causa. Deinde quod in divinis, quo communiora nomina sunt, eo magis conveniunt; minus autem, quæ magis sunt propria. Ita vocabulum ὁ ὤν, *qui est*, quod maxime est commune, imprimis Deo competit. Hoc modo *principii* vox, quæ communior est, quam *causæ*, in Deum potius cadit. Laxiorem esse principii, quam causæ notionem, tum supra ex Asclepio monuimus, tum hoc etiam exemplo constare potest. Etenim lineæ principium, non causa, punctum dicitur; atque hoc ipso vocabulo in iis etiam utimur, quæ neque natura, et essentia ullo modo discrepant, neque mutuo dependent, quod utrumque causa significat; principium autem nihil, nisi originem unius ab altero, cum ei productionis subjecta notio est.

Nihilominus quosdam invenimus Patres non dubitasse dicere Filium a Patre pendere, ut Gregorius Nazianzenus in carmine *de Filio :*

« Nil erat ante Patrem magnum. Nam cuncta [coercet
Amplectens, et qui pendet de Patre [a]. »

Et Cyrillus Alexandrinus dialogo III *de Trinitate* dixit Filium ἐξημμένον, id est *pendentem esse substantialiter ab eo, qui genuit* [b]. Sed hoc nihil est. Nam et proxime ante dixit, Filium « pendere ab naturali habitudine ad nos, secundum carnem [c]. » Denique, quod de efficiente causa dictum est a sancto Thoma, potest ita componi, ut ad illud genus referatur, quicumque originis est auctor. De causæ nomine vide Gersonium, lib. *de Exam. doct.* par. I, consid. I.

XI. Sequitur *Auctoris* nomen, quod perinde, ac *principii*, magis familiare esse Latinis, docet sanctus Thomas [5] in opusculo. Nam Græci vel nullum habent, quod illi respondeat, vel si quod proprie ad illud accommodarunt, eo minime in divinis utuntur. Docet hoc Theodorus Gaza libro *de Mensibus;* ubi Græcos ex Latinorum consuetudine animadvertisse dicit, carere se nomine, quod Latinum hoc *auctoris* exprimeret. Itaque ad eam significationem aliunde transtulisse τὸν αὐθέντην ; quæ vox proprie *parricidam*, ac *cædis patratorem* significabat. Sed nemo Patrem αὐθέντην τοῦ υἱοῦ dixerit. Quamobrem frustra sunt recentiores quidam de schola theologi, qui ut Patrem auctorem appellari posse demonstrent, testes Græcos Patres adhibent, Dionysium, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Eusebium, et cæteros. Nam eorum duntaxat interpretes *auctoris* nomen assumpserunt ; Græci illi ἀρχῆς, vel αἰτίου, vel γενεσιουργοῦ, vel etiam πατρὸς, aut similibus utuntur. Quare Latinorum hæc appellatio propria est. In qua usurpanda, cautione est opus aliqua. Siquidem *auctor* is interdum dicitur, qui jure ac dignitate antecedit, penes quem in alterum est potestas; ut tutores, quia pupillis præsunt, auctoritatem in eos habent. Sic Livius [6], «Majores, ait, nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt; in manu esse paren-

De *auctoris* nomine.

Hoc nomine carent Græci.

Quo sensu hoc nomen de Deo dici nequeat, quo sensu adhiberi possit.

a Nazianz. carm. II *Arcan.*
Οὐδὲν ἔην μεγάλοιο πατρὸς πάρος. ὡς γὰρ ἅπαντα
Ἐντὸς ἔχει· καὶ πατρὸς ἀπήορος.

b Cyril. dial. III. Καὶ οὐσιωδῶς ἐξημμένος τοῦ γεγεννηκότος.

c Ibid. Ἐξημμένος δὲ τῆς πρὸς ἡμᾶς κατὰ σάρκα φυσικῆς σχέσεως.

1 Lib. V, cap. VII. — 2 Lib. VI, c. XVII. — 3 Cap. I et in I part. qu. XXXIII, art. 2 — 4 In litter. union. Vide et sess. XXV. — 5 Cap. I. — 6 Dec. IV, lib. IV.

tum, fratrum, virorum, » quod ita Cicero [1] declarat : « Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt. » Tertullianus [2] quoque primores, ac magistros Ecclesiæ *auctores* vocat. « Sed cum ipsi auctores, id est ipsi diaconi, presbyteri, et episcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit, qua ratione dictum, *Fugite de civitate in civitatem?* Itaque cum duces fugiunt, quis de gregario numero sustinebit ad gradum in acie figendum suadentes ? » Hic auctores vocat duces, et antesignanos, quibus inferiores sunt alii. Hoc vero sensu Pater Filii auctor appellari non potest.

XII. Quare Cerealis in libro *contra Maximianum* [3], Patrem esse auctorem negat. « Patri, inquit, non est auctoritas, quia voluntas nulla est. Pater enim nec volens, nec nolens genuit, sed natura. » Recte id quidem, si auctoritas pro jure, ac dignitate aliqua majore sumatur, ut solet. Est enim jus in voluntate, arbitrioque situm, quod in res libere a se procreatas exercet Deus ; in Filium vero, quem natura, et necessario produxit, habet nullum. Rursus eodem capite idem ex eo concludit, quia nunquam alter sine altero fuit ; quod eodem relabitur. Itaque prudenter contra Maximinum Arianum de hac voce præscribit Augustinus [4] : « Sed habet, inquis, Dei Filius auctorem Patrem. Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste, quia iste de illo est, non ille de isto, fateor et concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiæ Filium, cujus est Pater, detestabor, et respuam ; quia et Filius hominis, in quantum est Filius, habet auctorem, de quo natus est, Patrem ; nec tamen ideo non est ejusdem substantiæ, cujus est Pater. » Quare *auctor* appellari potest Pater, « quia de ipso est Filius, non est autem ipse de Filio ; et quia de illo, et Filio sic procedit Spiritus sanctus, ut ipse hoc dederit Filio, gignendo eum talem, ut etiam de eo procedat Spiritus sanctus, » ut idem alibi loquitur [5]. Etenim quidquid habet Filius, id accepit a Patre ; neque *quicquam a seipso facere potest* [6]. *Non potest*, inquit, *Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem* [7]. Proinde omnium, quæ dixit, ac fecit, auctoritas ad Patrem refertur, tanquam ad fontem, et radicem, atque originem. « Quia enim potentia Filii de Patre est, ait idem [8], ideo et substantia Filii de Patre est ; et quia substantia Filii de Patre est, ideo potentia Filii de Patre est. Non alia potentia est in Filio, et alia substantia ; sed ipsa est potentia, quæ substantia ; substantia ut sit, potentia ut possit. Ergo quia Filius de Patre est, ideo dixit, *Filius non potest a se facere quidquam.* Quia Filius non est a se, ideo non potest a se. » Hinc de se ipse : *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, et non accipitis me* [9] ; hoc est Patris auctoritate. Sic enim *auctores* apud jurisconsultos vocantur [10], *a quibus jus in nos transiit.* Adde Augustini locum Christum sic loquentem introducentis : « Ergo, inquit, qui misit me, cujus auctoritate, tanquam paterna, incarnatus sum, mecum est ; non me reliquit. »

XIII. Ad hunc modum Hilarius et auctoris atque auctoritatis notionem, et illum sancti Joannis locum intellexit ; cujus hæc verba in nono *de Trinitate* : « Si paternæ in se naturæ auctoritate, quod gerit, gerente Patre agit, qui usque modo operatur in sabbato ; extra crimen operis est Filius, in quo paternæ operationis præfertur auctoritas. Non enim ad infirmitatem retulit, *non potest*, sed ad auctoritatem. » Atque in eodem libro : « Cum enim innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis nativitatem unigenito Deo auctor sit, auctorem nativitatis esse sacramentum paternum est. Cæterum non habet contumeliam, qui se auctoris sui esse imaginem genuina nativitate consummat. » Quin idem alibi passim *auctoris* nomen adhibet, ut in quarto libro sub initium : « in uno, ex quo, auctoritatem innascibilis intelligit : in uno, per quem, potestatem nihil differentem ab auctore veneratur. » Et in eodem, ista de *Ps.* XLIV explicans, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus :* « *Tuus*, inquit, relatum est ad auctorem ; *te* vero ad ejus, qui ex auctore est, significationem. Est enim Deus ex Deo. » Et alibi [11] : « Ex Patre enim exiens, neque aliam nativitatis habuit naturam, neque nullam, sed eum sibi testatur auctorem, ex quo se profitetur exisse. » Item in septimo : « Ita, inquit, imago est, ut non differat genere, sed significet auctorem. » Et in nono : « Naturalis igitur Filio Dei, et congenita omnis potestas est ; quæ cum data sit, non alienata est per id ab auctore, quia data est ; cum quod est auctoris, hoc datum sit. » Et in duodecimo :

1 Orat. *pro Mur.* — 2 Lib. *de Fuga in pers.* cap. XI. — 3 Lib. *adv. Max.* cap. IX. — 4 III *con.. Max.* cap. XIV. Videet c. XV.— 5 Cap. V.— 6 *Joan.* V, 30. — 7 Ibid. 19. — 8 Tract. XX *in Joan.* — 9 *Joan.* V, 43. — 10 Lib. CXXXVI in fi. D. *de Diver. reg.*— 11 Lib. VI.

« Cum natus sit, inquit, Patrem testatur auctorem. » Tum, « Si non æternum, jam nec Pater, qui generationis est auctor, æternus est. » Sic in libro *de Synodis* : « Patri subjectus est, ut auctori. » Prudentius in *Apotheosi :*

« Sic fit, ut æternum credamus cum Patre [Christum
Illo auctore satum, cui nullus præfuit auctor. »

Et ante :

« Qui Pater est, gignendo Pater, tum Filius, [ex hoc
Filius auctore, ut genitus quod sit Patre [summo. »

Et argute sanct. Augustinus ser. XI *de Verbis Domini secundum Matthæum :* « Insinuatur nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu sancto Patris, Filiique communitas, in tribus æqualitas. » Huc illa veterum multorum sententia, interpretatioque referenda est, qui Patrem[1] etiam secundum divinitatem majorem esse Filio dixerunt, non essentia, aut perfectione aliqua, sed *auctoritate,* hoc est *origine ;* quoniam a Patre Filius est, non a Filio Pater. Hinc Sœbadius Patrem majorem esse putat, « quia solus hic auctor sine auctore est. » Faustus quoque Rhegiensis[2] : « Ipse (inquit, de Patre loquens) et sibi auctor, et Filio, quia una origo est et fontis, et fluminis. Ex iis, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est. » Sed, quod auctorem sibi, hoc est suæ essentiæ Patrem esse dicit, minime proprie loquitur ; nec eodem modo, quo auctor est Filio, sibi auctor existimandus est, verum negatione sola, quia nullum habet auctorem ; quasi dicat, a se illum habere, non ab alio.

De locutione ista : *Pater est a se.*

XIV. Frequens est loquendi modus ille apud veteres, ut Pater a seipso dicatur ortum habuisse ; quo usum Orpheum perhibet Cyrillus Alexandrinus libro primo *contra Julianum.* « Unus, inquit, ex seipso genitus[a], αὐτογενὴς, » vel αὐτογένητος, ut explicat Cyrillus. Synesius vero longe audacius Patrem vocat υἱὸν ἑαυτοῦ, *Filium suimetipsius*[3]. Lactantius libro I, c. VIII, tum ex seipso, tum ex aliis similia quædam affert. « Verum, quia fieri non potest, inquit, quin id, quod sit, aliquando esse cœperit, consequens est, ut, quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus ; ideoque ab Apolline αὐτοφυὴ, a Sibylla αὐτογενὴς, et ἀγέννητος et ἀποίητος nominatur ; quod Seneca vir acutus in *Exhortationibus* vidit. Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui, quod est optimum in nobis, animam debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit. Deus ipse se fecit. » Ibidem et Apollinis citat oraculum, cujus hoc principium est.

« Ex se ortus, non edoctus, sine matre[b]. »

Idem Lactantius libro secundo, capite VIII, « Ex seipso est, ait, et ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. » Zeno Veronensis in sermone primo : « Solus Deus est itaque principium, qui ex seipso dedit sibi ipse principium. » Sic Hieronymus in caput tertium epistolæ *ad Ephesios,* « Deus vero, qui semper est, inquit, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit. » Et Hilarius sub initium secundi libri *de Patre,* « Cæterum esse in sese est, non aliunde, quod est, sumens ; sed id, quod est, ex se, atque in se continens. » Tum Hilarius alter in carmine *ad Leonem papam, de Genesi,*

« Ex se principium cui contigit. »

Zacharias Mitylenæus, « Habet, inquit, ex seipso, esse id quod est[c]. » Rathramnus monachus Corbeiensis libro tertio *contra Græcos,* « Sui namque principium est, ait, ex sese consistens, nec habet aliquid præcedens. Est enim universitatis principium, fons, et origo. » Ita « proprium esse Patris, ait Alcuinus[4], quod solus est Pater, et quod ab alio non est, nisi a se. » Quæ sermonis ratio minime, ut dixi, propria est. Nam si « quod a semetipso sit, accipiat, ut Hilarius scribit[5], nemo sibi ipse et munerator, et munus est. » Quo re-

a ORPHEUS apud Cyril. Εἷς ἐστ' αὐτογενής.
Ibid. Cyril. Ἕνα τοίνυν καὶ τοῦτον αὐτογένητον διὰ πάντων τε, καὶ ἐπὶ πάντας ὀνομάζει θεόν.

b Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ.

c ZACHAR. tom. I *Bibl. Pat. Græco-Lat.* Ἔχει ἐξ ἑαυτοῦ τὸ εἶναι ὅ ἐστι.

1 Vide lib. II superiorem, cap. II. — 2 Epist. *ad Ruricium.* tom. III *Bibl. Patrum.* — 3 Syn. hym. III. — Alcuin. in *Quæst. de Trin.* — 5 Hilar. lib. II.

spiciens Gregorius Nazianzenus oratione XXIX : » Expers ergo principii Pater. Non enim aliunde, nec a seipso esse habet[a]. » Quare negans, ut dixi, non affirmans notio huic locutioni subjicitur, ut a seipso Patrem esse, vel habere divinitatem, vel seipsum fecisse, sit idem atque ab nullo communicatam altero substantiam habere, cum in reliqua omnia ipse transfundat. Unde et *principii*, et *auctoris* nomina, ut et *Patris*, peculiari quodam sibi jure defendit.

De vocibus, *Radix, Caput, Fons.*

XV. Accedunt et alia ejusdemmodi vocabula, quibus eadem proprietas ostenditur, velut radix, fons, caput. Tertullianus libro *contra Praxeam*, capite VIII, « Nec dubitaverim, inquit, Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo parens est, et omne, quod ex origine profertur, progenies est; multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. » Ambrosius libro X *in Lucam* : « Dominus Pater quia radix est Filii. » Et in quarto *de Fide*, cap. V : « Fons Pater Filii est, radix Pater Filii est. » Ita Basilius, « Est quidem Pater, inquit, perfectum habens esse, et nullius egens, radix, et fons Filii et sancti Spiritus[b]. » Cyrillus item Alexandrinus[1] passim ῥίζαν, id est *radicem* Filii Patrem appellat, ac fontem[c] ; uti dialogo *de Trinitate* tertio.

Caput vero Patrem Filii vocat Ruffinus *in Symbolum* : « Et cum ipse sit omnium caput, inquit, ipsius tamen caput est Pater. » Hilarius non ille Pictaviensis, sed alius, in carmine *ad Leonem papam* :

« Tu capitis caput, et primi tu fontis origo ;
Primus apex rerum, primus sator omnia con-
[dens,
Nec tamen ex alio ducis genus. »

Adde Dionysium, qui capite secundo libri *de Divinis nominibus* vocat Patrem πηγὴν τῆς θεότητος, *fontem divinitatis*. Et Filium ac Spiritum sanctum « germina a Deo sata, ac velut flores divinitatis Deum producentis[d]. » Epiphanius item in *Ancorato*[2], Filium πηγὴν ἐκ πηγῆς, *fontem e fonte* nominat.

CAPUT VI.

De æterna Filii productione, quæ generatio dicitur. Non illam accuratius explorandam esse, quomodo antiqui theologi censuerint. Tum de vi et proprietate vocabuli istius, quam male hæretici interpretati sunt. Esse propriam in Deo generationem ex generali ejus significatione, demonstratur; tum de divinæ naturæ fecunditate.

Credenda non investiganda Filii generatio.

I. Si est ulla christianæ pars religionis, quæ simplicem a nobis de sola auctoritate fidem, non ex ratione comprehensionem exigit ; hæc ipsa est profecto, de qua nunc agimus, æterna Filii productio, quæ in divinis Scripturis generationis nomen accepit. Tot enim, tamque singularibus est conferta rebus, atque ab usu sensuum, consuetudineque vitæ reliqua sic abductis, ut ad eam niti per se, et erigi nulla nostra conjectura possit. De qua scire illud unum ex divini verbi interpretatione licet, esse in Deo generationem aliquam, qua et vere, proprieque Pater sit, appelleturque, qui gignit ; et qui gignitur, Filius ; cujusmodi vero illa sit, neque capit humanæ imbecillitas mentis, neque sermonis inopia consequitur. « Divina enim generatio, ait Victor Uticensis[3], inenarrabilis est, non ignorabilis. Nam usque adeo non est ignorabilis, id est non ignoratur, unde sit, ut et Pater de ipso genuisse, et Filius de Patre se natum sæpissime protestetur ; quod nullus omnino ambigit christianus. » Quod ante ipsum iisdem pene verbis Hilarius[4] attigit : « Perfecta scientia est, inquit, sic Deum scire, ut licet non inenarrabilem, tamen non ignorabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorantus est, et his officiis eloquendus est. » Hoc vero unicum officium profiteri fides debet, ut idem paulo post ait, « id unde quæritur, incomprehensibile sibi esse se scire. »

a Nazianz. Ἄναρχος οὖν ὁ πατὴρ οὐ γὰρ ἑτέρωθεν αὐτῷ, οὐδὲ παρ' ἑαυτοῦ τὸ εἶναι.

b Basil. hom. XXVII *contra Sabell.* Ἔστι μὲν γὰρ ὁ πατὴρ τέλειον ἔχων τὸ εἶναι. καὶ ἀνενδεὲς, ῥίζα, καὶ πηγὴ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

c Cyril. dial. III. Τὸν υἱὸν, τὸν οἱονεὶ ῥίζαν ἔχοντα, καὶ πηγὴν τὸν γεννήτορα. Et necnon lib. II *in Joan.* ubi πηγὴν vocat ; et dial. II ubi ῥίζαν.

d Dion. cap. II *de Div. nom.* Ὅτι μὲν πηγαία θεότης ὁ πατὴρ· ὁ δὲ Ἰησοῦς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη.

1 Cyril. dial. *de Trin.* II et dial. IV. — 2 Num. 19. — 3 In *Rat. fid. ad. Huneric.* tom. IV *Bibl. Patr.* — 4 Lib. II.

II. In quo veterum theologorum sanctissimorum, et eruditissimorum hominum laudanda, et imitanda modestia est, qui hoc uno contenti, quod et simplex fidei disciplina tradidit, et in sacris Litteris ostenditur, nefas esse judicarunt, ultra hoc inquirendo, disputandoque progredi ; ac neque modum generationis illius, et rationem perscrutari catholicos passi sunt ; et hoc ipsum scire se profitentes hæreticos, præsertim Eunomianos, partim invictis argumentis, partim ludibriis oppresserunt.

Athanasius certe furoris, et impietatis hanc audaciam esse gravi oratione testatur : « Indecorum est, ait, quærere, quomodo ex Deo Verbum existat, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo generet Deus, et quis sit modus generationis Dei. Insanus enim sit, qui talia audeat, cum inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, solique ipsi, et ejus Filio cognitam, oratione sua declarare conetur. Perinde est enim, ac si iidem inquirerent, ubi sit Deus, et quomodo sit Deus, et cujusmodi sit Pater. Sed ut tale aliquid sciscitari impium est, et eorum proprium, qui ignorant Deum; ita neque fas est, in Filii percontanda generatione eamdem audaciam sumere [a]. »

Sic Basilius in hæreticos invectus, qui tres a catholicis asseverari deos dicebant: «Credis, inquit, genitum esse? ne quære quomodo. Si enim licet quærere, quomodo ingenitus est ingenitus; licet quærere quomodo genitus sit, qui est genitus. Quod si quæstioni isti nullus locus relinquitur, quomodo ingenitus non sit genitus; eodem modo neque qui genitus est inquirendum relinquet, quo modo sit genitus. Ne quære, quæ inveniri nequeunt. Non enim reperies, etc. Sin audire me non vis, sed contentiose pergis; rideo te, vel potius temeritatem tuam defleo [b]. » Et, « Crede iis, quæ scripta sunt ; quæ scripta non sunt, desine quærere *. »

Gregorius item Nazianzenus orat. I *de Filio:* « Quomodo genitus est ? (idem enim indignabundus repeto) Dei generatio honoretur silentio. Abunde tibi magnum est scire, eum esse genitum ; quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem angelis , nedum tibi intelligere concesserim. Vis declarem quo modo? Ut scit Pater, qui genuit, et Filius, qui genitus est. Quod supra hæc est, nube tegitur, et hebetudinem tuam effugit [c]. »

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi XI : « Deum quidem habere Filium, crede ; quinam vero id fiat, ne curiose quærito ; non enim quærendo reperies. Non extollas te, ne decidas. Quæ mandata sunt tibi, ea solum cogita [d]. » Vide et Cyrillum alterum Alexandrinum, dialogo secundo *de Trinitate.* Et ante hos omnes Irenæum lib. secundo, c. XLVIII, qui illud usque adeo ignotum esse dicit, ut id sciant « neque angeli, neque archangeli, neque principes, neque potestates, nisi solus, qui generavit Pater, et qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit, quicumque nituntur generationes et prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea, quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes. »

III. Parem e Latinis cautionem adhibet Ambrosius [1], qui et « de generatione Dei quæstiones seri » non vult, vel ut alibi vocat [2],

a ATHAN. orat. III. Ἀλλ' οὐδὲ πρέπει ζητεῖν, πῶς ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν ὁ λόγος· ἢ πῶς ἀπαύγασμά ἐστιν τοῦ θεοῦ, ἢ πῶς γεννᾷ ὁ θεός· καὶ τίς ὁ τρόπος τῆς τοῦ θεοῦ γεννήσεως. μαίνοιτο γὰρ ἄν τις τοιαύτα τολμῶν. ὅτι πρᾶγμα ἄῤῥητον, καὶ φύσεως ἴδιον θεοῦ, μόνῳ τε αὐτῷ, καὶ τῷ υἱῷ γινωσκόμενον, ἀξιοῖ λόγῳ αὐτῷ ἑρμηνευθῆναι, ἶσον γάρ ἐστι τοὺς τοιούτους ζητεῖν, ποῦ ὁ θεὸς, καὶ πῶς ἐστιν ὁ θεός· καὶ ποταπός ἐστιν ὁ πατήρ· ἀλλ' ὥσπερ τὸ τοιοῦτον ἐρωτᾶν ἀσεβές ἐστι, καὶ ἀγνοούντων τὸν θεόν· οὕτως οὐ θέμις οὐδὲ περὶ τῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ γεννήσεως τοιαῦτα τολμᾶν.

b BASIL. hom. XXIX. Πιστεύεις ὅτι γεγέννηται ; μὴ ζήτει , πῶς; εἰ γὰρ ἐνδέχεται ζητεῖν ὁ ἀγέννητος πῶς ἀγέννητος, ἐνδέχεται ζητεῖν, καὶ ὁ γεγεννημένος, πῶς γεγέννηται. εἰ δὲ οὐ καταλείπει ζήτησιν, πῶς ἀγέννητος οὐ γεγέννηται· οὕτως οὐδὲ ὁ γεγεννημένος καταλείπει ζητεῖν, πῶς γεγέννηται. μὴ ζήτει τὰ ἀνεύρετα. οὐ γὰρ εὑρήσεις, etc. Εἰ δὲ μὴ θέλεις, ἀλλὰ φιλονεικεῖς, καταγελῶ σου, μᾶλλον δὲ κλαίω σου τὴν τόλμαν.

Et: Τοῖς γεγραμμένοις πίστευε. τὰ μὴ γεγραμμένα, μὴ ζήτει.

c NAZIANZ. orat. XXXV. Πῶς γεγέννηται; πάλιν γὰρ τὸ αὐτὸ φθέγξομαι δυσχεραίνων. Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω. μέγα σοι τὸ μαθεῖν ὅτι γεγέννηται· τὸ δὲ πῶς οὐδὲ ἀγγέλοις, μὴ ὅτι γέ σοι ἐννοεῖν συγχωρήσωμεν. Βούλει παραστήσω τὸ πῶς; ὡς οἶδεν ὁ γεννήσας πατὴρ, καὶ ὁ γεννηθεὶς υἱός. τὸ δὲ ὑπὲρ ταῦτα νέφει, τὴν σὴν διαφεῦγον ἀμβλυωπίαν.

d CYRIL. HIEROS. Ὅτι μὲν ὁ θεὸς υἱὸν ἔχει, τοῦτο πίστευε· τὸ δὲ πῶς, μὴ πολυπραγμόνει· ζήτων γὰρ οὐχ εὑρήσεις. μὴ ἐξύψου σαυτὸν, ἵνα μὴ πέσῃς. ἃ προσετάχθη σοι, ταῦτα διανοοῦ μόνα.

* Dubiæ auctoritatis est hom. unde hæc excerpta sunt. Vid. not. tom. I, pag. 6. J.-B. F.

1 Lib. VI *in Luc.* — 2 Lib. I *de Fide*, cap. V.

quæstionum tormenta. Et « impossibile esse dicit generationis istius scire secretum. » Tum : « Licet scire quod natus sit ; non licet discutere, quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet ; hoc quærere metus est. » Augustinus item, sive quis alius auctor libri *contra Felicianum*, cap. VIII : « Hoc fides credat, intelligentia non requirat ; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. » Ita Petrus Chrysolog. sermone LIX : « Quod scire licet, discutere non licet ; credere convenit, non convenit perscrutari ; » et serm. LXI : « Cognoscens de Patre genitum, quomodo sit genitus, non requiras. » Hilarius quoque libro secundo « de inenarrabili generatione Filii dicturus. Æstuo, inquit, differor, hebesco, et unde incipiam nescio. Nescio enim, quando natus sit Filius, et nefas est mihi nescire, quod natus sit. » Idemque temerarium hujus sacramenti scrutatorem ex rerum creatarum inscitia redarguit, « quod « æquanimiter imperitus in suis, insolenter in Dei rebus ignarus sit. » Et, « non erubescimus stultitiæ ? non nosmetipsos irreligiositatis arguimus, etc. Quæris, quomodo secundum spiritum natus sit Filius ; ego te de corporeis rebus interrogo. » Simili argumento Ruffinus utitur in symbolo ; et eodem Anomœorum vecordiam castigat Chrysostomus oratione prima *de Incomprehensibili :* « Novi, inquit, quod Filium genuit ; quomodo autem, ignoro. Novi, quod ex ipso sit Spiritus ; quomodo vero sit ex ipso, nescio. Cibis vescor, et quomodo in pituitam, in sanguinem, in humorem, in bilem vertantur, ignoro. Hæc ipsa, quæ quotidie manducantes cernimus, ignoramus, et Dei substantiam curiose perscrutamur [a] ? »

Ad extremum Prudentius illos ipsos castigat in *Apotheosi* his versibus, qui sola tanti mysterii fide minime contenti, causas etiam investigare student :

« Pergunt ulterius scrutantes, quid sit idip-
[sum,
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta,
[diesque
Prævenit antiquos, et principium super ip-
[sum
Eminet, et, quodcumque potest homo quæ-
[rere, transit.
Cum sit difficilis via, noscere principiorum.
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quid-
[nam
Ultra principium Deus egerit ? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni ?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus,
[quem
Non genitus genitor generaverit, unus, et
[unum, » etc.

IV. Par est aliorum, quos omittimus, judicium veterum, unum hoc de æterna Filii generatione scire se profitentium, eam esse aliquam in Deo, quæ ei, quod producitur, et originem afferat, et appellationem Filii ; neque causam præterea, cur ita sit, vel modum, ac rationem oportere quærere *. Quæ cum asserunt, non eos putandum est theologorum nostrorum damnare studium, qui, cur productio Filii generatio sit potius, quam Spiritus sancti processio, ratione aliqua consequi conantur. Primum, quia illorum hæc oratio contra hæreticos, ac præsertim Eunomianos tota confertur ; qui causas inquirebant, non cur sit, sed cur non sit habenda Verbi vera, propriaque generatio ; idque ex illius generationis causis, principiisque probabant, quam in creatis rebus cernimus. Nostri vero non ad illam oppugnandam, sed ad propugnandam, atque explicandam probabiles modos exquirunt. Tum illi divinitatem se omnem, ac Dei essentiam plane, ac penitus intelligere dicebant ; ex eaque scientia constare sibi, nullam in Deo propriam esse generationem. Catholici magis exempla quædam, ac similitudines creatis ex rebus adjungi a se putant, cum causas istas edisserunt, quam rationes, ut vocant, *a priori*, vel, ut Græci appellant, ἐπιστημονικοὺς λόγους. Tum est autem humana reprehendenda ratio, cum aut contra fidem nititur, aut se ejus arcana non tam illustrare, atque ab calumnia defendere, quam comprehendere posse confidit. Quocirca non æternam solum Verbi generationem a Patre,

[a] CHRYS. Οἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε. τὸ δὲ πῶς, ἀγνοῶ. οἶδα ὅτι τὸ πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ. τὸ δὲ πῶς ἐξ αὐτοῦ, οὐκ ἐπίσταμαι. βρώματα ἐσθίω· τὸ δὲ πῶς μερίζονται εἰς φλέγμα, εἰς αἷμα, εἰς χυμὸν, εἰς χολὴν, ἀγνοῶ. ταῦτα ἅπερ βλέπομεν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐσθίοντες, ἀγνοοῦμεν, καὶ τὴν οὐσίαν τοῦ θεοῦ πολυπραγμονοῦμεν.

* Non damnarunt quidem Patres studium, quod aliquot demum sæculis exortum est, post eorum mortem, at exemplum præbuerunt scholasticis modestiæ in inquirendis rebus divinis, eosque deterrere debuerunt auderent definire id quod cum rationi sit inaccessum, nulla revelatione postea clarius factum est. T. AL.

quomodo facta sit, inquiri vetant iidem Patres; sed etiam alteram, qua de matre homo natus est. Ut Chrysologus serm. LXI: « Ergo quod natus est, confitendum est; quomodo natus est, tacendum est, quia quod secretum est, sciri non potest; quod clausum est, nescit aperiri; quod singulare est, non refertur exemplo. » Quibus et similibus loquendi modis id unum cavetur, ne quis perfecte intelligi, ac comprehendi divina hæc arcana credat. Ergo ad evertendam generationis in divinitate fidem multa opponebant hæretici, ex naturæ usu, ac sensuum experientia petita; cum non alium generationis modum posse esse crederent, quam qui in corporum propagatione cernitur. Is autem neque Deo congruens est, neque propter summam ejus naturæ simplicitatem, ac perfectionem cadere in illum potest. Hic vero præ cæteris divisionem, ac decisionem substantiæ, sive sectionem, tum profluvium, ac passionem, hoc est τομὴν, et διαίρεσιν, ac πάθος, et ἀπόῤῥοιαν objicere solebant, sine quibus generationem esse nullam arbitrabantur. Negabant hæc se Deo pati tribui, ne mutabilis sit, et aliqua sui parte minuatur. Itaque naturalem, ac necessariam generationem, quæ ex natura, vel substantia sit, cujusmodi in productione filiorum inest, in Deo non esse; sed eum solius voluntatis actione, eaque libera Verbum edidisse. Quæ quidem libro secundo, capite quinto jam libata leviter a nobis, et perstricta, hic, ubi proprius est hujus argumenti locus, paulo explicare plenius non gravabimur.

V. Igitur Alexandro episcopo, aliisque catholicis invidiam facere primum Arius cum suis conatus est, cum ab illo propter hæresim ab Ecclesia esset ejectus, voces aliquot culpans, quas ab eis ad exprimendum generationis divinæ sacramentum usurpatas meminerat. Nam in epistola, quam ad Nicomediensem Eusebium scripsit, pulsum se injuste esse ab episcopo queritur, quod ei assentiri nollet publice ista prædicanti: «Semper Deus, semper Filius, simul et Pater, simul et Filius.» Item, «neque cogitatione, neque momento aliquo Filium Deus antecedit: semper Deus, semper Filius; ex ipso Deo Filius est[a].» Deinde tam Alexandrum, quam cæteros catholicos illudit, quod « Filium partim eructationem, partim ingenitam προβολὴν, id est *productionem* [b] » dicerent. Ac postremo ita se credere profitetur, « Filium non esse ingenitum, neque ingeniti ullo modo partem, sed neque ex subjecto aliquo, sed sola voluntate, ac consilio ante tempora, et sæcula substitisse [c]. » Tum, « propterea vexari se, quod dixerit, e non exstantibus esse Filium, quod se usurpare ideo, quia neque Dei pars est, neque ex subjecta ulla re [d]. » Et in altera epistola, quam iidem ad Alexandrum Alexandriæ episcopum scripserunt, quam in sexto libro *de Trinitate* Latine redditam Hilarius intexuit, hæc inter alia de Filio profitentur: « Creaturam Dei perfectam, sed non sicut unam de creaturis; facturam, sed non sicuti cæteras facturas; nec, ut Valentinus, prolatione natum Patris commentatus est; nec sicut Manichæus, partem unius substantiæ Patris natum exposuit; nec sicut Sabellius, qui unionem dividens, ipsum dixit Filium, quem et Patrem. Sed nec sicut Hierarchas (Hieracas) lucernam dixit de lucerna, vel lampadem in duas partes. Nec eum, qui fuit ante, postmodum natum, vel supercreatum in Filium[e]. » Denique: « Si enim, inquit, quod ex ipso, et quod ex utero, et quod ex Patre exivi, et veni, velut partem ejus unius substantiæ, et quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, et divisibilis, et convertibilis, et mutabilis, et corpus secundum illos, et quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus[f]. »

Contra divinam generationem Arianorum objecta.

a Apud Epiph. hær. LXIX, num. 6. Ἐπειδὴ οὐ συμφωνοῦμεν αὐτῷ δημοσίᾳ λέγοντι· ἀεὶ θεὸς, ἀεὶ υἱός· ἅμα πατὴρ, ἅμα υἱός, etc. Οὔτ' ἐπινοίᾳ, οὔτ' ἀτόμῳ τινὶ προσάγει ὁ θεὸς τοῦ υἱοῦ· ἀεὶ θεὸς, ἀεὶ υἱός· ἐξ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ ὁ υἱός.

b Ibid. Τὸν υἱὸν λεγόντων οἱ μὲν ἐρυγὴν, οἱ δὲ προβολὴν ἀγέννητον.

c Ibid. Ἡμεῖς δὲ τί λέγομεν, καὶ φρονοῦμεν, καὶ ἐδιδάξαμεν, καὶ διδάσκομεν; ὅτι ὁ υἱὸς οὐκ ἔστιν ἀγέννητος, οὐδὲ μέρος ἀγεννήτου κατ' οὐδένα τρόπον· ἀλλ' οὔτ' ἐξ ὑποκειμένου τινὸς, ἀλλ' ὅτι θελήματι, καὶ βουλῇ ὑπέστη πρὸ χρόνων, καὶ πρὸ αἰώνων.

d Διωκόμεθα δὲ, ὅτι εἴπομεν, ἀρχὴν ἔχει ὁ υἱὸς, ὁ δὲ θεὸς ἄναρχός ἐστι. διὰ τοῦτο διωκόμεθα, καὶ ὅτι εἴπομεν, ἐξ οὐκ ὄντων ἐστί. οὕτω δὲ εἴπομεν, καθότι οὐδὲ μέρος θεοῦ ἐστιν, οὐδὲ ἐξ ὑποκειμένου τινός.

e Epiph. num. 7. Ὑποστήσαντα δὲ ἰδίῳ θελήματι ἄτρεπτον, καὶ ἀναλλοίωτον, κτίσμα τοῦ θεοῦ τέλειον, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν κτισμάτων· γέννημα, ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν γεννημάτων· οὐδ', ὡς Οὐαλεντῖνος, προβολὴν τὸ γέννημα τοῦ πατρὸς ἐδογμάτισεν. οὐδ' ὡς Μανιχαῖος μέρος ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα εἰσηγήσατο. οὐδ' ὡς Σαβέλλιος ὁ τὴν μονάδα διαιρῶν υἱοπάτορα εἶπεν. οὐδ' οὐδ' ὡς Ἱεράκας λύχνον ἀπὸ λύχνου· ἢ ὡς λαμπάδα εἰς δύο· οὐδὲ τὸν ὄντα πρότερον ὕστερον γεννηθέντα, ἢ ἐπικτισθέντα εἰς υἱόν.

f Ibid, Καὶ εἰ τὸ, ἐκ γαστρὸς, καὶ τὸ, ἐκ πατρὸς ἐξῆλθον, καὶ ἥκω, ὡς μέρος τοῦ ὁμοουσίου, καὶ ὡς προ-

VI. Ad hunc modum veteratores isti catholicorum verba, et sententias per summam indignitatem, et calumniam traducebant, quasi portionem quamdam substantiæ suæ Patrem dicerent communicasse Filio, vel eamdem dilatasse, aut emisisse. Ideo in plerisque fidei professionibus nominatim iis anathema dicebant, qui Filium aiebant partem esse ingeniti Dei, ac Patris, et ex ejus substantiæ vel divisione, vel collatatione prodiisse; quasi ὁμοουσίου et *consubstantialis* vox, sive hoc, quod *ex substantia natum esse* dicitur, non aliter interpretari debeat. Proinde in Sirmiensi synodo [1] contra Photinum, anathemate damnantur, qui dicunt, « substantiam Dei dilatari, et contrahi. » Et, « Si quis dilatatam substantiam Dei Filium dicat facere, aut latitudinem substantiæ ejus, Filium nominet [a]. » Et Eusebius Nicomediensis in epistola *ad Paulinum* Tyri episcopum, quam Victorinus [2] commemorat, catholicos perstringit, « tanquam unum in duo divisum, vel corporale aliquid, quod patiatur, assererent. » Tum « ex ipso, vel ab ipso Patre fuisse, sicuti partem ejus, aut ex effluentia substantiæ, » Eunomius similiter apud Nyssenum, « Filii substantiam a Patre genitam esse dicit, non extensione prolatam, non incremento perfectam, non mutatione formatam [b]. » Quæ omnia ex calumniosa τοῦ ὁμοουσίου interpretatione profecta sunt, ut Hilarius [3] nos docet; quod ut in infamiam, odiumque vocarent, aiebant ab antiquis hæreticis ut Sabellianis, inventum fuisse, ut in eo Pater intelligeretur « ex infinitate sua protensus in Virginem. » Item, « secundum verbi hujus significationem, ex divisione paternæ substantiæ esse Filium existimari, ita ut in duos sit res una divisa, et ideo substantiæ dicantur unius, quia portio desecta de toto, in natura ea sit, unde desecta est; nec posse in Deum cadere divisionis passionem, quia et demutabilis erit, si imminutioni per divisionem fiat obnoxius, et imperfectus efficietur, perfectionis suæ in portionem alteram decedente substantia. » De qua re libro superiore jam diximus.

A divina generatione quidquid indignum est, removendum.

VII. Verum contra ludicras istas hæreticorum cavillationes, jure idem Hilarius exclamat: « O stultos atque impios metus, et irreligiosam de Deo sollicitudinem. » Nam et *generationis*, et *consubstantialis* nomina sic de usu communi et creatarum rerum similitudine translata sunt, ut illis detrahatur hoc omne, quod inest crassum, et cum materiæ fæce concretum, cum ad divina transeunt; atque hoc solum assumatur, ex seipso Patrem similem sibi, ejusdemque substantiæ propagasse Filium; quod Patres omnes contra Arianos excipiunt. « Tuas illas, inquit Gregorius Nazianzenus, fluxiones, et divisiones, et sectiones prius abjice, ac de incorporea illa natura, quasi de corporea, disputare desine; atque ita fortasse dignum aliquid generatione divina concipere animo queas [c]. » « Non hæc sunt in Deo corporaliter æstimanda, ait Ambrosius [4]. Incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater, et tamen ex se generavit, et ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum verum. » Præclare quoque ad hanc mentem Petrus Chrysologus [5]. « Sed dicit hæreticus, quomodo Pater, si non præcedit? quomodo Filius, si non sequitur? quomodo non dat initium, qui generat? quomodo, quod generatur, principium a generante non sumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras, hæretice, hoc habet humana ratio, non habet hoc divina; hoc accipit natura mundi, deitatis non recipit hoc natura, » etc. Atque hanc ipsam hæreticorum calumniam solida, et invicta ratione Patres iidem refellunt; quod et Litterarum sacrarum auctoritate, et communi usu, etiam hæreticorum ipsorum, multa in Deum alia conferuntur ex creaturarum similitudine, quæ diverso, atque his modo, præstantissimæ illi naturæ conveniunt. Ut cum Deus oculos, os, aures, et uterum, aliaque id genus habere dicitur; « quibus partium nuncupationibus utimur, ut

βολὴ ὑπό τινων νοεῖται, σύνθετος ἔσται ὁ πατὴρ, καὶ διαιρετὸς, καὶ τρεπτὸς, καὶ σῶμα κατ' αὐτοὺς, καὶ τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς τὰ ἀκόλουθα σώματι πάσχων ὁ ἀσώματος θεός. Vide eumdem Epiph. hær. ead. num. 15.

a Sirm. synod. Εἴ τις τὴν οὐσίαν τοῦ θεοῦ πλατύνεσθαι, ἢ συστέλλεσθαι φάσκει, ἀνάθεμα ἔστω. εἴ τις πλατυνομένην τὴν οὐσίαν τοῦ θεοῦ τὸν υἱὸν λέγοι ποιεῖν, ἢ τὸν πλατυσμὸν τῆς οὐσίας αὐτοῦ υἱὸν ὀνομάζει, ἀνάθεμα ἔστω.

b Nyssen. lib. III. Γεγεννῆσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ υἱοῦ τὴν οὐσίαν, οὐ κατὰ ἔκτασιν προβληθεῖσαν, οὐ κατὰ αὔξησιν τελειωθεῖσαν, οὐ κατὰ ἀλλοίωσιν μορφωθεῖσαν.

c Nazianz. orat. xxxv. Κατάβαλέ σου τὰς ῥεύσεις, καὶ τὰς διαιρέσεις, καὶ τὰς τομὰς, καὶ τὸ ὡς περὶ σώματος διανοεῖσθαι τῆς ἀσωμάτου φύσεως· καὶ τάχα ἂν ἄξιόν τι διανοηθείης θεοῦ γεννήσεως. Vide eum. carm. II *Arcan.*

1 Apud Hilar. lib. *de Syn.*; Socr. l. II, c. xxx. — 2 In *Præf. cont. Arian.* — 3 Lib. IV *de Trin.* init. — 4 Lib. I *de Fide*, c. v. — 5 Serm. lx

scribit Hilarius [1], ut per corporalium ministeria virtus efficientiarum incorporalium sentiatur. » Quam rem copiose, eruditeque pertractat Gregorius Nyssenus, qui generationis vocabulum variis notionibus accommodari divinæ productioni asserit, ut ex iis, quæ imbecillitas animi nostri capere potest in rebus infimis, cœlestium illorum qualemcumque notitiam informare possimus. Ideo Scriptura « et oculum , et supercilia, et aurem, et digitos, et manum, et dextram, et brachium, ac pedem, calceamenta, et ejusmodi alia de Deo narrat ; quorum nihil secundum usitatam intelligentiam in divina natura deprehenditur. Sed ad id, quod facile a nobis percipi potest, disciplinam perducens, tritis hominum consuetudine vocibus res illas, quæ significationem excedunt omnem, definit; dum proportione quadam per singula, quæ de Deo prædicantur, ad altiorem quemdam sensum evehimur [a]. » Sic vivere, ac vitam habere dicimus Deum, ut Theodorus Abucara scribit; præcisis omnibus, quæ in viventibus creaturis, unde hæc appellatio desumpta est, impura, ac Deo indigna cernuntur, « Habet enim divinitas in se, ait idem, ea, quæ in nobis præstantissima sunt, exclusis iis passionibus, et affectionibus, quæ ex illis sequuntur [b]. » Ad hæc ipsum *creandi* nomen, quod est κτίζειν, quo Ariani plurimum utebantur, cum de hominibus pariter usurpetur, ac de Deo, non eodem utrobique modo intelligitur, ut contra illos instat Athanasius [2] ; neque propterea denegandum illi Deo putant, quod in hominibus, unde ducitur, adjunctas habet conditiones, proprietatesque varias, quas Dei natura non recepit. Quare diversa itidem erit generatio Dei, atque hominis, ut idem concludit. De quo apud Epiphanium docte, et catholice alioqui non catholici, et ex dimidio Ariani disputant, ut alio loco meminimus. Et Cyrillus, « Si, ut homo, cum fluxu quodam generat, etiam, ut homo, laboriose creabit. Quod si absurdum est, non enim laboriose Deus velut homo quidquam creat; nec ipsum dicendum etiam erit, sicuti hominem generare. Sed in hoc humanam quoque naturam excedet, sine ulla partitione gignens [c].» Vide Isidorum Pelusiotam libro tertio, epistola CCCLV, ubi hac de re agit ex professo. Adhibent et alia quædam exempla minime naturalium rerum, præsertimque generationis illius, qua sanctissima Virgo Deum genuit, ac peperit; a qua pleraque absunt, quæ in communi hominum generatione locum habent, ut Gregorius Nyssenus libro *adversus Eunomium* tertio , et Augustinus, sive quis alius auctor libri *contra Felicianum* [3] : « Si ergo novo more, inquit, nullo exemplo, secundum carnem natus docetur ex corpore ? quid mirum, si non secundum consuetudinem humani partus processit ex Patre ? »

VIII. His in eum modum constitutis, et Arianorum tergiversatione convicta, veram ac propriam in divinis inesse generationem ita veteres colligunt. Primum enim divinitatem ipsam, hoc est naturam, et essentiam Dei, non sterilem, et infecundam esse statuunt, sed genitali vi præditam, et communicabilem; tum propriam *generationis* notionem dempto eo, quod imperfectum est, in divini Verbi productionem reipsa competere. Ex his, quod prius est, naturæ divinæ fecunditatem. Damascenus his verbis explicat. « Impossibile est Deum fecunditate naturali destitutum esse dicere. » Porro « fecunditas in eo sita est, ut ex ipso, hoc est propria substantia, secundum naturam simile generet [d]. » Athanasius vero Arianos coarguens, qui Patrem nihil aliud, nisi δημιουργὸν, et κτίστην *opificem*, et

Veram in Deo esse generationem ex naturæ divinæ fecunditate demonstratur.

a NYSSEN. VII *contra Eunom.* Ὡς καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασι τοῦτο ποιεῖ, ὅταν σωματικῶς διαγράφῃ τὸ θεῖον, ὀφθαλμὸν, καὶ βλέφαρα, καὶ οὖς, καὶ δακτύλους, καὶ χεῖρα, καὶ δεξιὰν, καὶ βραχίονα, καὶ πόδα, καὶ ὑποδήματα, καὶ τὰ τοιαῦτα περὶ Θεοῦ διεξιόντα, ὧν οὐδὲν κατὰ τὴν πρόχειρον ἔννοιαν ἐν τῇ θείᾳ καταλαμβάνεται φύσει. ἀλλὰ πρὸς τὸ ἡμῖν εὐσύνοπτον τὴν διδασκαλίαν ἄγουσα, ταῖς τετριμμέναις ἐν τῇ συνηθείᾳ τῶν ἀνθρώπων φωναῖς, τὰ ὑπὲρ πᾶσαν σημασίαν πράγματα διορίζει, ἀναλογικῶς ἡμῶν δι' ἑκάστου τῶν περὶ Θεοῦ λεγομένων· πρός τινα ἀναγομένων ὑψηλοτέραν ὑπόνοιαν.

b THEOD. ABUC. opusc. III. Προδιεστειλάμεθα τὸ θεῖον κεκτῆσθαι τὰ παρ' ἡμῖν τιμιώτατα, ἄνευ τῆς ἐπακολουθούσης αὐτοῖς τῶν παθημάτων , καὶ συμπτωμάτων συμβάσεως.

c CYRIL. in sexto lib. *Thes.* Εἰ γὰρ ὡς ἄνθρωπος τίκτει ῥευστῶς, δημιουργήσει καὶ ὡς ἄνθρωπος μετὰ τόνου. εἰ δὲ τοῦτο ἄτοπον· οὐ γὰρ ὡς ἄνθρωπος, ὁ θεὸς δημιουργεῖ· οὐ δὲ ὡς ἄνθρωπος ἄρα γεννήσει. ἀλλὰ τὴν ἀνθρώπου φύσιν κἂν τούτῳ πάλιν ἀναβήσεται γεννῶν ἀμερίστως. Vide et lib. V.

d DAMASC. lib. I, cap. VIII. Ἀδύνατον γὰρ τὸ, θεόν εἰπεῖν ἔρημον τῆς φυσικῆς γονιμότητος. ἡ δὲ γονιμότης, τὸ ἐξ αὐτοῦ, οὔγουν ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας ὅμοιον κατὰ φύσιν γεννᾷν.

1 Lib. XII. — 2 Lib. *de Decr. syn.* — 3 Cap. VIII.

conditorem esse dicebant, neque γεννητικῆς et καρπογόνου οὐσίας, *genitabilis fecundæque substantiæ;* inde eos oppugnat, quod nisi generandi vim habeat, ne creandi quidem habere possit. « Quod si, inquit, non fecunda est, sed sterilis divina substantia, ut illi volunt, sic tanquam lux non illuminans, aut fons siccus, quomodo non eos pudet, cum procreatricem efficientiam illi tribuunt, ac detracto eo, quod secundum naturam est, non erubescunt id præ se ferre, quod ex voluntate pendet [a] ? » Quæ Athanasii ratio ex theologicis principiis ita deducitur : Cum enim quidquid Pater molitur, per Verbum suum efficiat, sine quo nihil omnino potest agere; Verbum autem nonnisi vera, proprieque dicta generatione producat, uti mox pluribus docebitur, consequens est, tum in eo generationem priorem esse procreatione, tum nisi Filium generet, nihil prorsus illum procreare posse.

IX. Accedit et Cyrillus; qui ex eo, quod perfectus est Pater, fecunditatem, ac generandi vim habere demonstrat. « Perfectus est, ait, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui Deum negat Patrem esse, is fecunditatem aufert a divina natura; ut jam perfecta non sit, quæ generandi virtute careat. Notio ergo perfectionis, fecunditas est, et sigillum, quod Patris ostendit perfectionem, Filius est, qui ex Deo prodit [b]. » Hæc vero Cyrilli argumentatio, ex paterni in Deo nominis significatione sumitur. Etenim tam Deus, quam Pater proprie est, ac perfecte. Quare, ut eo ipso, quod Deus est, habet illa vere, ac perfecte, quæ Dei sunt propria; sic etiam quatenus Pater est, ea, quæ sunt propria nominis illius, obtinere debet. Hoc autem est, ex seipso, et intima sua substantia gignere similem sibi, et consubstantialem Filium; non extrinsecus adscitum, et quasi adventitium acquirere; quod opifici, et creatori convenit. Rursus igitur, ut vere ac perfecte creator est Deus, quoniam res omnes et essentia ab seipso diversas, ac dissimiles, et inferiores naturæ conditione, et tempore posteriores, consilio et voluntate condidit; ita proprie, perfecteque Pater est, quia neque substantia dissimilem, neque perfectione disparem, adeoque coæternum, et consubstantialem Filium naturaliter genuit, non arte, consilioque fabricavit. Quem locum eleganter imprimis, et copiose contra Anomœos explicant in Ancyrana synodo Basilius, aliique Semiariani apud Epiphanium [1].

Atque idem sequenti capite Cyrillus, fecunditatem illam, ac genitalem vim ex mentis, et intellectus proprietate contemplari jubet. «Nam si stultum est arbitrari, nihil ab humano intellectu prodire, quia et Dominus hoc asserit[2], et res ipsa clamat; quomodo non erit absurdum, supremum intellectum, qui Deus est, quique omnem intellectum excedit, infecundum opinari, aut generationem ipsius corporum legibus subjicere, præsertim cum ipse noster intellectus non corporis more generet [c] ? »

X. Jam quod alterum est, divini Verbi productionem vere proprieque dici generationem, ex hujus nominis germano usu, ac notione Patres colligunt; qui diligenter animadverti debet, ut quod οὐσιῶδες ei est, et insitum, ab eo secernatur quod in certa tantummodo specie, non universe, ac secundum genus illi congruit. Qui igitur ad eam solam generationis formam respiciet, quæ in creatis rebus, et cum materia conjunctis accidit (quod philosophi veteres, et, qui nihil supra illos sapiebant, Ariani, et Sabelliani fecerunt) nullam in Deo generationem esse putabit. Hanc enim Aristoteles ita describit, ut sit «ex subjecto, sive termino non existente, in existentem secundum contradictionem facta mutatio [d]. » *Subjectum* autem sive ὑποκείμενον appellat id, quod affirmans vocabulum significat; *non subjectum* vero τὸ μὴ ὑποκείμενον, quod

Essentiale.

Quænam generationis forma Deo abjudicanda.

a ATHAN. orat. II. Εἰ δὲ μὴ καρπογόνος ἐστὶν αὐτὴ ἡ θεία οὐσία, ἀλλ' ἔρημος κατ' αὐτοὺς, ὡς φῶς μὴ φωτίζον, καὶ πηγὴ ξηρὰ, πῶς δημιουργικὴν ἐνέργειαν αὐτὸν ἔχειν λέγοντες, οὐκ αἰσχύνονται; καὶ ἀναιροῦντες δὲ τὸ κατὰ φύσιν πῶς τὸ κατὰ βούλησιν προβάλλοντες οὐκ ἐρυθριῶσιν.

b CYRIL. V *Thes.* Τέλειος δὲ, οὐχ ὅτι μόνον ἐστι Θεός, ἀλλ' ὅτι καὶ πατήρ. εἰ γὰρ ἀφέλοις τοῦ Θεοῦ τὸ εἶναι πατέρα, ἀναιρήσεις τῆς θείας φύσεως τὸ καρπογόνον, ἵνα μηκέτι τὸ τέλειον ἔχοι, λείποντος αὐτῇ τοῦ γεννᾷν. γνώρισμα τοίνυν τῆς τελειότητος ἡ καρπογονία· καὶ σφραγὶς τῷ πατρὶ τοῦ εἶναι τέλειον, ὁ ἐξ αὐτοῦ προελθὼν ἀχρόνως υἱός. Vide et dial. I *de Trin.*

c CYRIL. VI *Thes.* Εἰ τοίνυν ἀσεβὲς εἰπεῖν τὸν ἀνθρώπινον νοῦν καρπὸν οὐκ ἔχειν, καὶ τοῦ κυρίου φάσκοντος, καὶ αὐτοῦ δὲ βοῶντος τοῦ πράγματος· πῶς οὐκ ἄτοπον τὸν ὑπὲρ πάντα νοῦν ἄκαρπον εἶναι λέγειν, καὶ τῆς πρεπούσης αὐτῷ καρποφορίας ἀποστερεῖν; ἢ εἰ λέγονται γεννᾷν, ὑποκεῖσθαι ταῖς τῶν σωμάτων ἀνάγκαις ὑπολαμβάνειν, καὶ οὕτως αὐτὸν ὡς σῶμα γεννᾷν, οὐδὲ τοῦ ἐν ἡμῖν ὑπάρχοντος νοῷ κατὰ τὸν τῶν σωμάτων γεννῶντος νόμον;

d ARIST. V *Phys.* cap. I, tex. 7. Ἡ μὲν οὖν ἐξ οὐχ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον μεταβολὴ κατ' ἀντίφασιν, γένεσίς ἐστι.

1 Hær. LXXIII, n. 5. — 2 *Matth.* XII.

negativa vox exprimit, ut Themistius *in Paraphrasi* declarat [a]. Hos philosophi vulgo *terminos affirmantes*, ac *negantes* nominant. Affirmantes sunt, calidum, frigidum, nigrum, album, et universe id, quod existit; negantes non calidum, non frigidum, etc. Sed Aristoteles generationem distinguit duplicem; quarum altera simpliciter generatio dicitur, altera quadamtenus, et secundum partem. Nam cum e non albo fit album, non simpliciter gigni dicitur, quia jam erat, sed affectum qualitate altera. Ideo secundum contraria, non contradictoria fit ista conversio; cum autem ex non aqua fit aqua, quoniam aquæ οὐσία ipsa nondum erat, absoluta secundum contradictionem est generatio. Proinde generatio simpliciter dicta ab eodem philosopho definitur « ex eo, quod omnino non est, in substantiam facta mutatio, per quam res simpliciter fieri, non aliquid fieri dicitur [b]. » Ita et Damascenus in dialogo *de Manichæis*, et *Dialecticæ* capite LXI. Ad hanc generationis definitionem Arius, ejusque participes adhæserunt; indeque famosum illud, et a Patribus damnatum carmen erupit, « de non exstantibus venisse Filium; » ac, « fuisse aliquando, cum nondum existeret. » Quare procul a divinis est arcenda generationis ista ratio, quæ solis rebus creatis, corruptionique subjectis accidit; ac simplicior quædam, et communior advocanda; quoniam, ut quæque vox, vocisque notio maxime generalis est, et a singularibus conditionibus abducta, eo aptior est, quæ ad Deum transferatur, ut alibi diximus.

Pluria generationis genera recensentur

XI. Itaque generationem universe sic explicat Gregorius Nyssenus, ut ortum rei significet *ex aliqua causa, sive principio*. Docet deinde varie dici, ex aliqua causa rem existere, atque ita plures esse modos generationis, quos ille quatuor enumerat; iisque Deum in sacris uti Litteris ait, ad divinam Filii productionem exprimendam; ita ut, quod ex unaquaque forma idoneum capi potest, et ab infimarum conditione rerum cogitando secerni, id unum adhibeatur. Prima generationis species iis convenit, quæ ex arte constant, et materia; ut ædificia, aliaque artium opera. Secunda eorum est, quæ fiunt ex natura et materia; velut animantia ex se mutuo gignuntur, rudem molem fingente, atque elaborante natura. Tertia in iis cernitur, quæ ex fluxione materiæ propagantur, in quibus et quod primarium est, hoc est, a quo alterum oritur, nulla re minuitur; et quod ab eo profluit, per seipsum spectatur; cujusmodi est radii ab Sole diffusio, splendoris ab face, vel odoris ab unguento. Quartum genus est, in quo principium materiæ corporisque est expers, productio vero ipsa sub sensus cadit, ac per corpus efficitur; ut cum mens, quæ spiritualis est, per instrumenta corporis sermonem parit. His quatuor generationis modis constitutis, docet Nyssenus in Scripturis totidem Deo tribui productionis effectionisque formas, ut quod in unaquaque crassum, imperfectumque est, aliarum adjunctione corrigatur, ac sincera quædam ex omnibus, ac Deo digna notio colligi possit. Sic vim illam omnium procreatricem generationis γεννήσεως vocabulo explicat. *Ipse*, inquit, *dixit, et facta sunt* [1] ἐγεννήθησαν. Nec minus in sempiterna Verbi productione *generationis* adhibet nomen, ac *Filii*; ab quibus procul excludenda est omnis materiæ, loci, temporis, ac cæterorum admistio, quibus implicata est infimarum rerum generatio. Ad hæc tertium quoque genus assumit, cum Filium splendorem paternæ gloriæ nominat, et unguenti fragrantiam, aut vaporem Dei. Tum etiam postremum; ut cum Joannes *verbum*, sive *sermonem* vocat Filium; quod ipsum adjunctis plerisque sic munit, ut ne diffluens per aerem, et nostri similis sermo iste videatur. Nam et Deum hunc appellat, et solidum, ac manentem, hoc est subsistentem esse demonstrat, ac Patri similem in omnibus, et æqualem. Hæc Nyssenus; quem in quarta illa specie vides externi, et subjecti sensibus exemplo sermonis uti maluisse, quam interioris, quod Verbum mentis vocare consuevimus. Huic enim generationis nonnulla similitudo tribuitur a Patribus; eaque propius ad divinam generationem accedit, ac propterea frequens ejus apud theologos usus est. Nam illa sermonis externi productio magis ad explicandum assumpti hominis sacramentum usurpari debet. Sed de ea re postea fusius. Interim quintus ad superiores quatuor adjungendus est generationis modus, de quo deinceps plurimum agetur.

a THEMISTIUS. Λέγω δὲ ὑποκείμενον μὲν τὸ καταφάσει δηλούμενον κατάφασιν δὲ τὸ θερμὸν, τὸ ψυχρὸν, τὸ μέλαν, τὸ λευκὸν, τὸ ὑπάρχον ὅλως. εἰ δὲ τὸ ὑποκείμενον ἡμῖν κατάφασιν σημαίνει, δῆλον ὡς τὸ μὴ ὑποκείμενον, ἀπόφασιν ἂν σημαίνοι.

1 *Psal.* CXLVIII, 5.

b ARIST. ibid. Ἡ δ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἁπλῶς εἰς οὐσίαν γένεσις ἁπλῶς· καθ' ἣν ἁπλῶς γίνεσθαι, καὶ οὐ τί γίνεσθαι λέγομεν.

c GREG. NYSSEN. VII *contra Eunom.* Ὅτι μὲν οὖν τὸ ἐξ αἰτίας εἶναί τινος τὸ ὄνομα τοῦτο παρίστησι, παντὶ δηλόν ἐστι.

Cæterum generatio, quæ tot in formas, modosque distribuitur, latissime sumitur, et qualemcumque rei originem significat, etiam accidentium, et artis operum, ac reliquorum; in quibus non ipsa substantia, sed ejus qualitas quædam, et affectio producitur. Quare γέννησις, et, quod ab ea fit, τὸ γεννητὸν itidem accipiuntur, ut γίνεσθαι, et τὸ γενητόν; ex quibus τὸ ἀγέννητον vel ἀγένητον laxiori illa interpretatione ab veteribus usurpatum supra docuimus [1]. Ergo alia quæpiam angusta magis, et enucleata ratio generationis inquirenda est, quæ sit ad Verbi originem declarandam aptior; eique appellationem ipsam Filii proprio jure defendat. Quæ res quoniam uberiorem tractationem postulat, in sequens caput rejicietur.

CAPUT VII.

Generationis propria magis explicata notio, ejusque conditiones propositæ, quarum prima declaratur, ut sit e substantia. Arianorum et catholicorum super ea conflictus. Veram generationem de natura esse, et ad eam significandam pertinere, quod ex utero genitus dicatur. Quæ loquendi ratio ex consensu Patrum asseritur ad sempiternam Verbi generationem referri; et qui contra sentiunt, imperiti quidam castigantur. Hinc etiam exorta consubstantialis vox illustratur. Monstruosam fore fetum, nisi eadem constet substantia. Ideo Arianos veram negare generationem. Naturalem filium priorem esse adoptivo.

Generationis magis accurata notio traditur.

Generationem ab infinita illa, quam superiori capite tradidimus, notione secretam, proprieque magis sumptam Damascenus his verbis explicat. « Generatio est cum extrinsecus, neque ex generantis substantia, quod genitum est, producitur simile substantia. Creatio vero, et effectio, cum e substantia creantis, et facientis sit, quod creatur, et efficitur, prorsus dissimile substantia [a] *. » Ex quibus hæc informari potest definitio : *Generatio est rei alicujus ex alterius substantia in similem substantiam facta productio.* A qua non multum discrepat trita illa scholasticorum usu, et a sancto Thoma posita, ut sit *Origo alicujus viventis a principio vivente conjuncto, secundum naturæ similitudinem*, nisi quod ad sola viventia restringitur. Ex quibus triplex colligitur generationis conditio; prima est, ut sit ex producentis substantia; altera, ut simile natura vel substantia sit, quod oritur; tertia, ut conjunctum sit principium a quo producitur; quæ nos tria singillatim exponemus, et in divinam cadere Verbi generationem docebimus.

Generatio e substantia debet esse.

Igitur generatio primum ἐκ τῆς οὐσίας, *e substantia*, naturave esse debet, in quo a creatione differt, et effectione, ut ait Damascenus; quod is istis extrinsecus oritur aliquid, non ex interiore manat, neque ex ipsa substantia profunditur; unde neque filius appellatur. « Nam quod naturaliter ex aliquo nascitur, non extrinsecus acquiritur, id pro filio agnoscit natura, eaque vocabulo est huic subjecta notio [b], » ut scribit Athanasius. Basilius item : « Quod efficitur, non ex substantia efficientis existit; quod autem gignitur, ex ipsamet generantis est substantia. Non est igitur idem efficere, ac generare [c]. »

II. Atque hoc ex communi sensu hominum, usuque præclare demonstrat Athanasius eodem illo libro. Etenim homo condere, vel facere domum dicitur, et idem filium gignere; neque quisquam invertere sic audeat, ut dicat, domum quidem, vel navem gigni ab artifice, filium vero condi ab eodem, aut effici. Cui verborum proprietati Scriptura serviens, de creatis quidem rebus ita loquitur : *In principio Deus fecit*, vel *creavit cœlum et terram* [3]. De Filio vero Patrem ipsum sic dicentem introducit. *Ex utero ante luciferum genui te* [4]. Hæc Athanasius. Quod Ariani potissimum oppugnabant, neque ferre poterant, dici quid-

a Damasc. lib. I, cap. viii. Γέννησις μὲν γάρ ἐστι τὸ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ γεννῶντος προάγεσθαι τὸ γεννώμενον ὅμοιον κατ' οὐσίαν· κτίσις δὲ, καὶ ποίησις, τὸ ἔξωθεν, καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ κτίζοντος, καὶ ποιοῦντος γίνεσθαι τὸ κτιζόμενον, καὶ ποιούμενον ἀνόμοιον παντελῶς κατ' οὐσίαν.

* Hæc Latina interpretatio textus S. Damasceni, tam menti auctoris quam textui Græco repugnat, ut cuique legenti facile patebit. Mirum est in omnibus editis quæ consuluimus, ita exaratam inveniri. Quapropter, eam, sicut jacet, reliquimus, et novam quæ verum textus Græci sensum referat, scopoque auctoris sit consentanea, hic subjicimus.

b Athan. VI *de Decret. synod Nic.* Τὸ γὰρ ἔκ τινος φύσει γεννώμενον, καὶ μὴ ἔξωθεν ἐπικτώμενον, υἱὸν οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τοῦτο τοῦ ὀνόματός ἐστι τὸ σημανόμενον.

c Basil. lib. IV *contra Eunom.* Τὸ ποιούμενον οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ γεννῶντος. οὐ ταὐτὸν ἄρα τὸ ποιεῖν, καὶ τὸ γεννᾷν.

« Etenim generatio in hoc quidem consistit, ut ex gignentis substantia, proles ejusdem cum gignente substantiæ producatur : at creatio et effectio hoc tantum requirit, ut extra, et non ex creantis aut efficientis substantia, fiat illud quod creatur aut efficitur, omninoque, quantum ad essentiam, dissimile sit. » J. B. F.

1 Hoc. lib. cap. i et seq. — 2 In I Par. qu. xxvii, art. 2. — 3 I *Gen.* i. — 4 *Ps.* cix.

Catholicorum et Arianorum de ea conflictus.

quam de Dei substantia gigni, vel ex ejus natura, sed ejus voluntate, et efficientia universa fieri. Testatur hoc sectæ illius antesignanus Eusebius Nicomediensis in epistola *ad Paulinum* Tyri episcopum, quam Victorinus Afer in operis sui, quod adversus Arianos scripsit, præfatione posuit. Ibi enim Filium Dei negat ex ejus substantia natum esse, sed conditum, fundatum, et factum esse; neque pro eo, quod natus, aut genitus dicitur, sequi « ipsum ex substantia paterna fuisse, et habere ex ipso identitatem naturæ; » quippe non de Deo solum illum Scriptura natum esse ait, sed etiam homines : *Deum, qui te genuit, dereliquisti*[1]; quæ quidem usurpat, « non naturam ex natura exponens; sed naturæ uniuscujusque eorum, quæ generata sunt, ex ejus voluntate generationem. Nihil est enim de substantia ejus ; cuncta autem voluntate ejus facta. » Hæc Eusebius Nicomediensis. At catholici ex adverso, cum de Verbi generatione disserunt, diligenter hoc inculcant, *de seipso*, vel *de substantia sua*, vel *de eo*, *quod est*, Patrem genuisse Filium. Augustinus, epist. LXVI. « Non sic ex Deo Patre unigenitus Filius, quemadmodum ex illo est universa creatura, quam ex nihilo creavit. Hunc quippe de sua substantia genuit, non ex nihilo fecit, nec eum ex tempore genuit, per quem cuncta tempora condidit. » Atque idem, vel potius alter (neque enim Augustinus videtur) in libro *contra Felicianum*[2], « Nativitatem, inquit, Filii Dei, ortumque rimantibus, hæc, nisi fallor, occurrunt, id est, ut aut ex Patre sit, aut ex nihilo, aut ex altero, aut ex seipso. Horum quæso consequentiam videamus. Si ex se ipso, non recte Filius dicitur, qui non natus, sed ingenitus prædicatur. Si ex nihilo, creatura cum cæteris, non creaturæ auctor ostenditur. Si ex altero, non ejus, cui credimus, sed nescio cujus incogniti Patris Filius prædicatur. Quod si præter hoc quatuor, non potest inveniri quintum, nec de his, propter evidentem blasphemiam tria prædicari penitus possunt, restat ut substantialiter de Patre sit genitus. »

III. Hilarius vero, « Hic ergo ingenitus, ait, ante omne tempus ex se Filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia ; non ex nihilo, quia ex se Filium, » etc. Sic Victor episcopus[3] in *Profess. fidei ad Hunericum :* « Profitemur itaque Patrem de se ipso, hoc est de eo, quod ipse est, sempiterne, atque ineffabiliter Filium genuisse ; non extrinsecus, non ex nihilo, non ex alia genuisse materia, sed ex Deo natum esse. Et qui de Deo natus est, non aliud est, quam id, quod Pater est. »

Idipsum et aliis loquendi modis exprimunt, qui nonnihil communi ab usu recedunt ; ut cum « essentiam de essentia, vel divinitatem de natura esse natam » asserunt, de quibus postea dicam. Hæc enim et similia declarant Filium de Patris substantia prodire, quia gignitur, eaque generationis est ratio, ut quod oritur, ejusdem sit cum gignente naturæ, ac substantiæ. Quod ad veterum theologorum sententiam aptissime docet Aristoteles : « Hoc, inquit, in viventium operibus maxime est naturale ; eorum quidem, quæ perfecta sunt, et non mutila, vel quæ non sponte nascuntur, alterum tale facere, quale est ipsum, velut animal animal, plantam itidem plantam, ut quod æternum, ac divinum est, quoad possunt, participent[a]. » Quamobrem et ipse « genuit quod est, qui cæteris dedit ut gignerent quod sunt, » ut recte concludit Augustinus[4]. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero*[5]*?* Nam qui vere genitus est, ac proprie dicta nativitate originem cepit, « non potest aliud esse, quam est ille, qui genuit, » ut Petrus Chrysologus ait. Recte enim Ambrosius[6], « Proprietas, inquit, generationis, expressio veritatis est ; » cum, ut Hilarius scribit, « omnis generatio a generante non sit aliena, dum ad id, quod maneat, subsistit ex eodem[7]. »

Veram generationis notionem asseverat Scriptura dicens *Filium ex utero genitum.*

IV. Hanc generationis in Deo veram, propriamque rationem, ut Scriptura declaret, non solum *gignendi*, ac *generationis* vocabulis utitur, sed expressius quiddam adjicit, et ex intima generationis in animantibus proprietate sumptum ; dum ex utero genitum esse Filium testatur a Patre. Quod enim hoc modo nascitur, id ex generantis oritur substantia, et ejusdem cum eo naturæ est, et essentiæ.

a Arist. II *de An.* cap. IV. Φυσικώτατον γὰρ τῶν ἐν τοῖς ζῶσιν ἔργων, ὅσα τέλεια, καὶ μὴ πηρώματα, ἢ τὴν γένεσιν αὐτόματον ἔχει, τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό· ζῶον μὲν ζῶον, φυτόν δὲ φυτόν· ἵνα τοῦ ἀεὶ, καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν, ᾗ δυνανται.

1 *Deut.* XXXII. — 2 Tom. VI, lib. *contra Felic.* cap. VI. — 3 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 4 Epist. LXVI. — 5 *Isa.* LXVI, 9. — 6 Hom. I *de S. Euseb. Verc.* — 7 Lib. X *in Luc.* col. 201.

Quæ loquendi ratio Patrum consensu ad sempiternam Verbi generationem refertur.

Sic Athanasius oratione V ubi ventris nomine ait τὸ ἴδιον, καὶ γνήσιον significari, hoc est *proprium et genuinum esse fetum*. Nam, ut Basilius Seleuciensis ait, « Venter, et conceptus, et partus, lata via est, et regia naturæ, ac legitima propagatio humanæ generationis [a]. » Et auctor dialogi *cum Ario*, qui inter illius opera editus est, « nullam aliam ob causam nominari ventrem, nisi ut ostendat Filium ipsum ex Patris substantia esse genitum [b]. » Cyrillus item [1], ut « quasi germana nativitate ex ipsa substantia Patris enatum esse Filium » demonstraret. De quo et Hilarius [2] sic scribit : « Deinde cum significatur ex utero, interrogo, an credi possit esse natus ex nihilo, cum nativitatis veritas per corporalium efficientiarum nomina reveletur. Non enim membris corporalibus consistens Deus, cum generationem Filii commemorasset, ait : *Ex utero ante luciferum genui te;* sed inenarrabilem illam unigeniti ex se Filii nativitatem ex divinitatis suæ veritate confirmans, ad intelligentiæ fidem locutus est, ut de divinis suis rebus secundum humanam naturam humanæ naturæ sensum ad fidei scientiam erudiret; ut cum ait, ex utero, non ex nihilo creatio substitisse, sed ex se unigeniti sui naturalis doceretur nativitas. Et alio in libro [3] pulcherrime idipsum explicat. « Proprietas, inquit, humanarum nativitatum intra causas uteri continetur, etc. Sed quia nobis spiritus de spiritu nativitatem prædicabat, sensum nostrum generationum instruit exemplo, non in exemplum nativitatis, sed ad intelligentiam generationis. » Tum acute ita disserit, quemadmodum « per hæc nostrorum corporum membra, operationum suarum nobis Deus momenta significans, sensum nostrum usu intelligentiæ communis edocuit. » Itaque manus, oculos, et cor, aliaque Deo Scriptura tribuit, quibus certorum operum efficientia, vel cognitio, vel alia quæpiam actio declaratur, ita tamen, ut eo omni detracto, quod crassum, imperfectum, et corporeum est, vera nihilominus operatio, et quod illis vocibus subjectum est, reipsa insit in Deo. Vere enim intelligit, et videt, et vult, ac cogitat, et molitur aliquid; tametsi nullum habet usum illarum partium, quibus istæ notiones accommodantur. Eodem modo, licet nullus in Deo sit uterus, nulla corporum propria conditio, vera tamen generatio est, veraque nativitas, quam uteri vox significat. « Non quod ex utero genuerit, ait Hilarius, sicuti nec per manum agat, nec per cor velit; sed quia per significationem horum vere omnia et agat, et videat, et velit; ita per significationem uteri vere ex se genuerit, quem genuit, non per causam uteri, sed ad veritatis genuinæ professionem; sicuti nec per causas corporum aut velit, aut videat, aut agat, sed utatur his partium nuncupationibus, ut per corporalium ministeria virtus efficientiarum incorporalium sentiatur. »

Augustinus libro secundo *contra Maximinum*, capite VII. « Illa, inquit, ineffabilis generatio etiamsi ex utero Patris accipitur, hoc significatum est, quia de seipso, hoc est, de substantia sua Deus Deum genuit, sicut ex utero matris, quando natus est, homo hominem genuit; ut intelligeremus, in utraque generatione non diversas ejus, qui natus est, et eorum, de quibus natus est, esse substantias. » Idem tradit et in tertio libro, capite XVIII. Et homilia XLIII *de Quinquaginta*, capite tertio : « Pater, inquit, dicit ad Filium, *Ex utero ante luciferum genui te*. Quid est, *ante luciferum*? Per luciferum significantur tempora. Ergo ante tempora, ante omne quod ante dicitur, ante omne quod non est, vel ante omne quod est, » etc. Vide et *Enarrationem in Psal.* CIX, Eucherium libro *de Formulis spirit. intell.* Victorem in *Professione fidei ad Hunericum*.

V. Est autem illa de sempiterna Verbi generatione uteri interpretatio tam apud antiquos Patres constans, et usitata, nemini ut Catholico aliter explicare liceat. Quamobrem imprudenter, ne quid dicam gravius, nuperus quidam scriptor, qui locum illum *Psalmi* CIX negat, ad illam ipsam Filii æternam nativitatem referri, sed ad falsam, et absurdam, ac nefaria implicatam hæresi nescio quam, qua eumdem Dei Filium, post cœli terræque conditum, ante primæ diei opus, et lucis initium, hominem factum esse commentus est. De quo erroris portento alias, si videbitur. Nunc, quod in

a Basil. Seleuc. orat. *de Caino et Abel*. Γαστὴρ λοιπὸν, καὶ σύλληψις, καὶ ὠδῖνες, καὶ τόκοι, ἡ πλατεῖα λεωφόρος τῆς φύσεως, ἡ ἔννομος γεωργία τῆς τῶν ἀνθρώπων γενέσεως.

b Athan. Δι' οὐδὲν οὖν ἕτερον γαστέρα ὀνομάζει, ἢ ἵνα παραστήσῃ αὐτὸν υἱὸν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας γεγεννῆσθαι.

1 Dial. II *de Trinit.* — 2 Lib. VI *de Trinit.* — 3 Lib. XII.

præsens agitur, uteri nomine, ac similitudine nihil a Propheta significari, nihil intelligi aliud fas esse dico, quam quod Græci, Latinique Patres omnes docent, illam ex æterno Verbi, ac Filii Dei generationem e Patris substantia. Ita enim, præter pauca illa, quæ attuli, testimonia veterum, innumera alia demonstrant, e quibus nonnulla perstringam.

Dionysius Alexandrinus in synodica *ad Paulum Samosatenum*, « Deus enim manifestatus est in carne, inquit, factus ex muliere; qui ex Deo Patre genitus est ex utero ante Luciferum, velut e corde Verbum ex Patre editum [a]. » Alexander episcopus Alexandriæ, in epistola *ad Alexandrum* Constantinopolitanum episcopum, « Quid illud, *Ex utero ante luciferum genui te*, nonne palam ostendit naturalem partus paterni filietatem [b]? » Basilius, lib. V *contra Eunomium*, luculenter idipsum asserit, Epiphanius item, hæresi LXIX, n. XV, Cyrillus Hierosolymit. catech. XI, Eusebius, lib. IV *de Demonstratione*, capite XIV, Cyrillus Alexandrinus dialogo secundo *de Trinitate;* et lib. secundo *in Joannem,;* tum libro nono *Thesauri*, et lib. XXXII, necnon *Paschali epistola* XII, Maximus Martyr [1] dialogo I *de Trinit.* Theodoretus in commentario *ad Psalmum* CIX, Ambrosius quoque passim, ut in I *de Fide*, cap. V et IX et libr. III cap. IV et libr. IV cap. IV, Hieronymus in caput *Isaiæ* LV, Faustinus libro *contra Arianos*, capite secundo. Fulgentius in libro *Responsionum ad objectiones Arianorum*, in responsione nona; ubi, « Multum, inquit, fallitur, qui hujus Scripturæ locum divinæ nativitati non credit convenire, » etc. Toletanum concilium XI. « Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de Patris utero, id est de substantia ejus, idem Filius genitus, vel natus esse credendus est. »

Denique nemo interpretum antiquorum, aut recentiorum, qui Psalmos enarrarunt, aliter de loco illo censuit; ac videndus inter cæteros Chrysostomus. Quocirca temerarium est aretalogorum, neque tolerabile facinus; qui in Valentinianorum, ac Marcionitarum, et Manichæorum dogma prolapsi, dum cœleste Christo corpus affingunt, ad hoc verba illa Davidis accommodanda statuunt. Quorum *petulantiam* (ita enim nominat) Tridentina synodus in decreto tertio sessionis quartæ refrenare debuit; quo decreto « contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari vetat. » Sed danda fortasse venia est homini imperito, atque imprudentia magis, et inscitia, quam improbitate peccanti. Nos ad instituta redeamus.

Inde validum pro consubstantiali eruitur argumentum.

VI. Ex illo fonte, *consubstantialis*, quod est ὁμοούσιον, vocabulum, ac significatio profluxit; quia naturalis omnis, et proprie dicta generatio eamdem substantiam, ac naturam derivat in id, quod gignitur. Quod Hilarius in libro undecimo egregie his verbis explicat. « Ignorat, inquit, Deum Christum, qui ignorat Deum natum. Deum autem nasci non est aliud, quam in ea natura esse, qua Deus est; quia nasci, cum causam nativitatis ostendat, non disproficit tamen in genere auctoris existere. Quod autem non disproficit in genere, debet quidem auctori causam nativitatis suæ; naturam tamen ex se non amisit auctoris, quia nativitas Dei neque aliunde, neque aliud est. Quæ si aliunde est, non nativitas est. Si vero aliud est, non Deus est. Cum autem ex Deo Deus est, per id Deus Pater Deo Filio et nativitatis ejus Deus est, et naturæ Pater, quia Dei nativitas et ex Deo est, et in ea generis est natura, qua Deus est. » Rursus idem in septimo libro : « Tenet enim naturæ veritas proprietatem, ut quod ex Deo est, Deus sit, et nec demutatio sit nativitas, nec diversitas, dum et Filius non in naturam externam, ac dissimilem Patri Deo subsistit; nec Pater alienum quid a se nativitati unigeniti acquirens, sed universa potius, quæ sua sunt, sine damno impertiens indulsit. Atque ita nec natura Dei caret, dum non aliunde, quam ex Deo Deus est, nec a Deo differt, dum non aliud ipse, quam Deus est; quia et nativitas Dei consistit in Filio, nec per nativitatem Dei amisit ex se Dei natura, quod Deus est. » Erudite sane hoc in loco sanctus Hilarius totam divinæ illius generationis, ac τοῦ ὁμοουσίου rationem exposuit. Nam quia naturalis generatio, sive nativitas naturæ ipsius communicatio est, nec alterius, aut diversæ ab ea, quæ inest in generante; necesse est id, quod a Patre Deo vere gignitur, eo ipso, quod gignitur, Dei natu-

Consubstantialis.

a DION. ALEXAND. tom. I *Bibl. Græco-Lat.* Θεὸς γὰρ ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, γενόμενος ἐκ γυναικὸς, ὁ ἐκ θεοῦ πατρὸς γεννηθεὶς ἐκ γαστρὸς πρὸς ἑωσφόρου, ὡς ἀπὸ καρδίας λόγος τικτόμενος ἐκ πατρὸς.

b ALEXANDER apud Theodor. lib. I *Hist.* cap. III. Τί δὲ καὶ τὸ, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε οὐχὶ ἄντικρυς τῆς πατρικῆς μαιεύσεως φυσικὴν ἐνδείκνυται υἱότητα;

1 Tom. II Athanasii.

ram, hoc est divinitatem habere, et esse Deum. Atque ita Fulgentius in tertio *ad Trasimundum* : « Quod enim dicitur genitus, non hoc est nomen divinitatis in Filio, sed nomen est nativitatis in Deo; ut quem constat de Patre naturaliter genitum, constet non aliud esse, quam Deum. » Quod ipsum nonnulli Patres ut exprimant, Dei Filium aiunt non esse *degenerem;* ut Ambrosius. « Ergo, inquit, non degener, in quo unitatis summa majestas, non alienus, in quo proprietas generationis expressio veritatis est. » Et Augustinus[1], « Non est degener ab uno Deo Patre Deus unicus Filius. » Et eodem libro[2] : « Non se vult Deus ita laudari Patrem, ut Filium dicatur de seipso generasse degenerem. » Tum Hilarius[3], anathema merito esse dicit eos, « qui putent essentiam Patris a se in Filio degenerasse gignendo. »

VII. Sed pulcherrime in Arianos hoc ipsum urget Augustinus[4]. « Si, inquit, sancta, Scriptura cogente permittitis, ut verus Filius sit, rogamus, permittite, ut degener non sit. Et degener quomodo? Audiant Catholici, unde erubescant hæretici. Filius viri fortis, si non habet fortitudinem, degener dicitur; tamen homo est, quod et pater ejus est; atque in dissimili vita, non est tamen aliena substantia. Vos unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipsam Patris ei substantiam denegetis. » Bernardus item sermone primo *de Adventu*. « Neque enim fas est, inquit, Dei Filium degenerem suspicari; sed æqualis fateri necesse est altitudinis, et ejusdem penitus dignitatis.» Gregorius Nyssenus[5] libro primo *contra Eunomium*, hunc ipsum hæreticum arguit, quod νόθον, id est *spurium*, et *adulterinum* illum faceret, qui a Patre sit genitus. Cyrillus quoque libro X *Thesauri* præclare disserit sic: « Si quidquid genuit non spurium, consubstantiale sibi ipsi genuit : Deus autem genuit unigenitum, non spurium; ergo consubstantialem sibi genuit. Sin gignit quidem, sed spurium; ita genuit, ut non gigneret. Pejus enim est, præter naturam esse, quam universe genitum non esse [a]. » Et libro secundo *in Joannem* turpe esse Patri dicit, si « alterius naturæ, ac degenerem gignat Filium [b]; » quod in nulla rerum natura cernitur. Erit ergo *monstruosa generatio*, ut loquitur Vigilius[6] in disputatione Athanasii cum Ario, « suæ naturæ proprietatem minime servans. » Ut « si homo pecudem gignat, vel si cujuslibet generis pecus alterius generis pecudem generet, id est, si bos generet asinum, etc. » Et Augustinus[7] « Si ergo Filius alterius substantiæ est, quam Pater, monstrum generavit Pater. Quando enim creatura, id est mulier, parit, quod non est homo, monstrum dicitur. Ut autem non sit monstrum, hoc est qui natus est, quod est ille qui genuit, id est homo et homo, equus et equus, columba et columba, passer et passer. » Item homilia XLIII *de Quinquaginta* : « Ergo ex utero hoc processit, quod erat ipse, qui genuit. Nam si aliud erat, qui genuit, aliud autem ex utero processit, monstrum est, non Filius, » hoc est τερατολογίας οὐ μακρὰν, *haud procul a prodigio*, ut Cyrillus loquitur.

Monstruosus fetus nisi eadem constet cum generante substantia.

VIII. Atque hoc quidem ex generationis natura petitum argumentum tam firmum, invictumque est, ut ex eo præcipuum Arianæ robur hæresis evertatur. Itaque cum hoc potissimum telo naturalem æqualitatem Filii, ac τὸ ὁμοούσιον, et veram divinitatem expugnare se crederent, quod Scripturæ Patri subjectum esse Filium, eique cultum et obsequium adhibere demonstrant, adeoque minorem esse; nihil e contrario aliud opponebant catholici, quam utcumque se habeat Filius, tamen a Patre esse genitum. Illa vero omnia, dummodo vera generatio ab illis agnoscatur, nihil substantiæ proprietati, et æqualitati officere, ut recte Augustinus animadvertit[8]. « Quantumvis, ait, obsequatur Deo Patri Deus Filius, quoniam video te non intelligere quanta sit in illa generatione geniti, et genitoris æqualitas, numquid ideo est diversa natura patris hominis, et hominis filii, quoniam filius obsequitur patri? Hoc est omnino intolerabile in vobis, quia de obsequio Filii diversam vultis probare substantiam Patris, et Filii. Prorsus alia quæstio est, utrum sint unius, ejusdemque substantiæ Pater, et Filius; et alia quæstio est, utrum Patri Filius

Consubstantiale.

a CYRIL. X *Thes.* Εἰ πᾶν τὸ γεννῆσαν οὐ νόθον, ὁμοούσιον ἑαυτῷ γεγέννηκε. γεγέννηκε δὲ ὁ Θεὸς τὸν μονογενῆ, οὐκ ὄντα νόθον, ὁμοούσιον ἄρα ἑαυτῷ γεγέννηκεν. εἰ δὲ γεννᾷ μὲν, νόθον δὲ γεννήσας οὐ γεγέννηκε. χεῖρον γὰρ τὸ παρὰ φύσιν τοῦ μηδόλως γεγεννῆσθαι.

b Idem lib. II *in Joan.* Αἶσχος οὐ μικρὸν ἑτερογενῆ τε, καὶ ἔκφυλον ἔχειν τὸν ἐξ αὐτοῦ. Vide.

1 Lib. III *contra Max.* cap. XIV. — 2 Cap. XXV. — 3 Libr. *de Synodis.* — 4 Tom. VI, libr. II, *contra Max.* cap. VI. — 5 Nyss. lib. I *contra Eunom.* — 6 Tom. II Oper. Athan. col. 380. — 7 Tom. X, serm. LI *de Verbis Domini sec. Joan.* Vide et lib. III *contra Max.* cap. XVIII. — 8 Lib. III *contra Max.* cap. VIII. Vide et hom. XLIII *de Quinquaginta* cap. III.

obsequatur. Interim verum Filium non negemus; quia nullo modo verus est Filius, si non est ipsius, et Patris una, eademque natura. » Et Hilarius in IX: « Numquid professio hæc (qua majorem esse Patrem fatetur) aufert Filio naturæ æqualitatem, quam nativitas genuina consummat. » Quocirca, cum hoc hæretici prorsus intelligerent, quod luculenter explicat Nyssenus Gregorius[1], omne id, quod vere gignitur, et γέννημα proprie vocatur, esse ὁμοούσιον, atque ὁμογενὲς, *ejusdem substantiæ, et naturæ* cum eo, quod generat; tum Filii nomen eamdem naturæ germanitatem exprimere; neque verum Filium, neque generationem esse veram asserebant, sed Filium, itidem ut homines, et angeli Dei Filii nominantur in sacris Litteris; nativitatem vero, ac generationem similiter abusione quadam usurpari, quæ reipsa sit effectio, nihil ex interno derivans, sed extrinsecus moliens. Contra quos, ut reliqua prætermittam, quæ libro secundo jam exposui, illud præterea theologi veteres excipiunt; eo ipso, quod per abusionem, ac translationem, Patris Filiique vocabula sumuntur, dum et creatæ res filiorum nomine censentur, et Deus illarum pater dicitur, sequi, prius hæc ipsa nomina proprie, ac naturaliter usurpari. Omnis enim translatio ab eo, quod proprie dicitur, ad alienum, propter similitudinem, usus ac significationis est mutatio. Oportet igitur, ante Patrem appellari proprie Deum, et esse aliquem, qui germanus, naturalisque sit Filius, quam earum appellationum similitudo capiatur. «Adoptivi, ait Cyrillus, non essent omnino filii, nisi ante naturalis exstitisset, et vera generatio consequentis imaginis archetypum in seipsa monstraret[a]. »

IX. Atque, ut oratione secunda disserit Athanasius, antiquius est ut in rebus creatis, sic in divinis, id, quod naturale est, eo, quod ex voluntate proficiscitur. « Quare, si quod prius est, quod scilicet est naturale, non exstitit, pro eo, ac stulta fert illorum opinio; quomodo id, quod posterius est, et est secundum voluntatem, existere poterit[b]? » Atque, ut pie imprimis, et catholice non catholici præsules apud Epiphanium[2] disputant, quæ et καταχρηστικῶς, et ὁμωνύμως, *abusione quadam nominis*, et *homonymia* dicuntur, ab aliquo derivantur, quod κυρίως, et οὐσιωδῶς, *proprie, et secundum substantiam* dicitur. Atqui Deus primario, et antecedenti, excellentique ratione vocatur Pater unigeniti Filii, et ab eo per similitudinem, ac translationem, patres appellantur in terra, ut Apostolus docet : *Hujus*, inquit, *gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur*[3]. Proinde, cum in hominum genere per translationem ab summo patre dicantur patres eorum, quos de sua substantia generant, similes sibi, multo magis id, unde significationis translatio petitur, proprie, ac naturaliter e sua substantia similem sibi gignere putandus est eum, qui sit proprie Filius.

Quinetiam Cyrilus in tertio libro *Thesauri* contendit solum Deum proprie de sua substantia gignere, non autem creatas res. « Nam quod revera est, et secundum substantiam gignere potest, Deus est. Ipse enim de ipso dicit: *Ego sum, qui sum;* tanquam cætera non sint, antequam fiant, sed voluntate Dei ad hoc, ut essent, perducta sint. Igitur quod revera est, cui et esse maxime propria est appellatio, ipsum etiam solum secundum substantiam gignet[c]. » Probat hoc deinceps ex eo, quod non omnia, quæ sunt, gignendi habent facultatem, sed ea tantum, quibus hoc a Deo concessum est. Atqui ita concludit denique: « Igitur Deus est id, quod proprie gignit e seipso, nos autem id ex imitatione illius habemus. Quinam igitur absurdum non sit, hoc quidem, quod imitatione alterius id facit, ex seipso gignere; ipsum vero archetypum, ad quod conformatum est istud, non ex seipso, sed extrinsecus habere, ut gignat[d]? » Quo in loco Cyrillus erudite generandi vim in solo

a Cyril. dial. II. Θεοὶ (corr. θετοὶ) δὲ οὐκ ἂν εἶεν ὅλως υἱοὶ, μὴ τοῦ κατὰ φύσιν προϋφεστηκότος, καὶ τῆς ἀληθοῦς γεννήσεως τῆς ἐσύστερον εἰκόνος προϋφαινούσης ἐν ἑαυτῇ τὸ ἀρχέτυπον.

b Athan. orat. ii Εἰ τοίνυν πρότερον ὅπερ ἐστὶ κατὰ φύσιν, οὐχ ὑπῆρξε κατὰ τὴν ἐκείνων ἄνοιαν, πῶς τὸ δεύτερον, ὅπερ ἐστὶ κατὰ βούλησιν, γένοιτ' ἄν.

c Cyril. Alex. lib. XIII *Thes.* Ὅτι τὸ ὄντως ὂν, καὶ κατ' οὐσίαν τίκτειν δυνάμενον, τὸ θεῖόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ δὴ περὶ ἑαυτοῦ φησιν· ἐγώ εἰμι ὁ ὢν, ὡς τῶν ἄλλων ἁπάντων οὐκ ὄντων μὲν πρὶν γενέσθαι, βουλήσει δὲ θείᾳ πρὸς τὸ εἶναι παρενεχθέντων. οὐκοῦν τὸ ὄντως ὂν, ᾧ καὶ τὸ εἶναι κυριώτατον ὄνομα, αὐτὸ δὴ καὶ μόνον κατ' οὐσίαν γεννήσει.

d Ibid. Οὐκοῦν τὸ κυρίως τίκτον ἐξ ἑαυτοῦ, τὸ θεῖόν ἐστιν· ἡμεῖς δὲ κατὰ μίμησιν τὴν ἐκείνου· εἶτα πῶς οὐκ ἄτοπον τὸ μὲν κατὰ μίμησιν, τίκτειν ἐξ ἑαυτοῦ· τὸ δὲ ἀρχέτυπον, πρὸς ὃ καὶ μεμόρφωται, μὴ ἐξ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔξωθεν ἔχειν τὸ γεννᾶν.

1 Lib. II *cont. Eun.* — 2 Hær. lxxiii quæ est *Semiaria*. n. 5. — 3 *Eph.* iii, 14.

Deo inesse proprie, demonstrat, quoniam solus *est* proprie. Est autem via quædam, et cursus ad τὸ εἶναι, generatio et productio. Quare necesse est etiam hanc Deo præcipuo jure competere. Sic etiam fecunditatem alibi proprie, et excellenter naturæ convenire divinæ scripsit, ut nos superius adnotavimus, cæteris imitatione ejus, ac similitudine.

Esse.

CAPUT VIII.

De duabus generationis conditionibus; quarum prima est, ut sit simile, quod gignitur; quæ similitudo in natura sola consistit; idque ex veterum auctoritate monstratur. Eadem similitudo ex philosophicis fontibus, et Aristotele declaratur, quæ in Deo potissimum, et insigni ratione cernitur; maxime quia Verbum est, quod gignitur. De tertia conditione generationis, ut sit a principio conjuncto, quatenus in divina reperitur. De προβολῇ *et Hieracæ opinione. Nullam esse substantiæ divisionem in illa generatione; quemadmodum lucis exemplum ad illam conveniat. De transfusione, sive* ἀποῤῥοίᾳ*; quam partim rejecerunt Patres, partim bono sensu in Deum contulerunt.*

Quod gignitur simile gignenti.

I. Altera generationis est conditio, ut ei, quod gignit, simile sit id, quod gignitur; et hoc ipsi ex modo, ac vi generationis conveniat. In quo veteres omnes consentiunt, qui propterea filium ex natura sua imaginem esse dicunt. Athanasius certe in libro *de Decretis Nicænæ synodi* Arianos irridet, qui dissimilem esse Patris Filium, et ab eo factum, non genitum asserebant; « Cum nemo, nisi amens, domum imaginem appellet architecti, aut filium dicat genitoris esse dissimilem; quin potius filium omnes patris imaginem, domum vero artis esse opus fateantur [a]. »

Basilius vero contra Eunomium agens, qui generationem a Deo removebat, quod in creatarum rerum propagatione multa ei sint adjuncta crassa, et indigna Deo, respondet, secretis iis, et recisis, quæ terrenum aliquid, ac vile significant, solam ejus proprietatem, et essentiam superesse, quæ Deo tribuitur; hanc autem propriam, ac subjectam generandi vocabulo notionem, esse *similitudinem secundum essentiam*, vel *substantiam*. « Constat enim, si quis attentius consideret, hæc nomina Patris, et Filii, non esse ejus naturæ, ut corporeas passiones proprie, ac primo objiciant animo; sed si per se, solaque pronuntientur, mutuam duntaxat habitudinem præ se ferre. Pater enim est, qui alteri, ut sit, secundum similem sibi naturam principium dedit; Filius autem, qui per generationem ab altero sui esse principium accepit [b]. » Et Hilarius libro IX Filium vere, ac proprie dici non abusione et nuncupative docet; quia per nativitatem tenet id natura, quod suum est, et ex se per imaginem referens, quod in se est dum et imago est actoris, et veritas; quia perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, et plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet veritatem. » Tum in libro *de Synodis*: « Cum enim unigenitus Filius, et imago invisibilis Dei sit, necesse est, per speciem, atque naturam similis essentia sit. » Mox addit: « Hoc vere est, esse Filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retulisse. » Sed et Ambrosius [1] « Deum esse Filium ait secundum imaginis unitatem. » Et lib. I *in Hexaemeron*, capit. VIII « generationum progressiones ait ex ejusdem generis vel auctoribus, vel causis creatas, in similitudinem sui referri auctoris. »

II. Præclare hoc apud Epiphanium Semiariani, et ὁμοιουσίου patroni contra Anomœos explicant; qui simili ac Basilius ratione contendunt, a voce *gignendi* omnia illa separanda, cum ad divina transfertur, quæ in creatarum rerum generatione minus sincera, et perfecta cernimus; ut iis detractis, liquida, et propria illius notio constet, quæ in similitudine consistit. « Ita, inquit, in Patrem, et Filium, cor-

Homœousii.

a Athan. Οὐδὲ πάλιν τὴν μὴν οἰκίαν, εἰνόνα τοῦ κτίζοντος, τὸν δὲ υἱὸν, ἀνόμοιον τοῦ γεννῶντος. ἀλλὰ μᾶλλον μὲν υἱὸν, εἰκόνα τοῦ πατρὸς ὁμολογήσει, τὴν δὲ οἰκίαν, τέχνης εἶναι δημιούργημα.

b Basil. lib. II *contra Eunom.* Τὸν μὲν τρόπον, καθ' ὃν ἐγέννησεν ὁ θεὸς. ὡς ἄῤῥητον, καὶ ἀπερινόητον ἀφιέντα· πρὸς δὲ τῆς κατ' οὐσίαν ὁμοιότητα ἐκ τῆς τοῦ γεννᾷν προσηγορίας ὁδηγούμενον. καί τοί γε φανερὸν σκοπουμένῳ, ὅτι οὐ σωματικῶν παθῶν κυρίως, καὶ πρώτως ἔννοιαν ἐμποιεῖν ταυτὶ πέφυκε τὰ ὀνόματα, ὁ πατὴρ λέγω, καὶ ὁ υἱός· ἀλλὰ καθ' ἑαυτὰ μὲν λεγόμενα, τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν ἐνδείκνυται μόνην. πατὴρ μὲν γάρ ἐστιν ὁ ἑτέρῳ τοῦ εἶναι κατὰ τὴν ὁμοίαν ἑαυτῷ φύσιν τὴν ἀρχὴν παρασχών. υἱὸς δὲ ἐξ ἑτέρου γεννητῶς τοῦ εἶναι τὴν ἀρχὴν ἐσχηκώς.

1 Lib. *in Luc.*

poreis omnibus rejectis, sola ejus generatio, quod simile, et secundum substantiam animal est, transferetur, quoniam pater omnis sui similis substantiæ pater intelligitur [a]. » Atque idem contra Anomœos [2] disputans Epiphanius, «Si, inquit, Filium omnino genuit, fieri non potest, quin Patri sit æqualis, ac similis. Quidquid enim gignit, simile sibi gignit, nec solum simile, sed ita æquale, ut sit idem. Nam homo hominem generat, et Deus Deum [b]. »

Sed similitudo omnis dupliciter dicitur : aut enim in natura, et essentia consistit : aut in iis, quæ naturam sequuntur ; ut in hominum genere primum natura similes sunt parentum filii, quia homo hominem gignit, deinde figura et lineamentis, vultuque ipso, et specie corporis, tum indole, ac moribus. Quo ex duplici genere, prius ad definitionem, et essentiam generationis attinet, ut neque sine naturæ similitudine generatio sit ulla, et, si desint cæteræ, sola ista sufficiat. Dici hoc propter theologos quosdam scholasticos convenit ; qui in exponenda usitata illa definitione generationis, similitudinis notionem, quæ ad eam adhibetur, negant in naturæ unitate sitam esse, sed *in specie, ac similitudine repræsentationis*. « Quocirca eo magis, aut minus, perfectus filius sui patris aliquis esse dicitur, non quo perfectior, aut minus perfectus homo est, sed quo magis, aut minus ipsum patrem repræsentat. Ideoque, cum aliquis parum patrem suum repræsentat, (nam nullus est, qui non aliquo modo ipsum imitetur) dicere solemus, eum non esse filium sui patris, et cum magis matrem, quam patrem repræsentat, dicimus magis esse filium matris, quam patris. » Hæc Vasquezius [2]. Cui et favere videtur Origenes in primo libro *Periarchon*, capite secundo. « Interdum, inquit, imago dicitur ejus, qui genuit, is qui natus, cum in nullo similitudinem lineamenta ejus, qui genuit, in eo, qui natus est, mentiuntur. »

Propria ratio *Filii* in eo consistit quod sit paternæ substantiæ vera similitudo.

III. Atqui non solum ex veterum auctoritate, sed communi etiam sensu perspicue constat veram ac propriam rationem *filii*, ac τὸ οὐσιῶδες ejus in hoc uno consistere, quod sit expressa, et producta similitudo paternæ substantiæ ; et quamvis cætera consequi solent, ut parentum in aliis similes sint filii, eorumque speciem, ac mores imitentur ; nihil est hoc tamen necesse. Etenim si quempiam hominem gigni cogitemus homine ab altero, qui neque vultu, neque corporis forma et specie, neque indole genitorem referat ; num aut ipsum *filium* esse non putabimus, quia nullam, præterquam naturæ, similitudinem gerit ; aut minus filium, quam quemvis alium, qui sit patris simillimus ? Non opinor. Erit enim cum proprie, vereque filius, tum haud minori jure, quam cæteri. Neque vero filii exacta, sinceraque notio magis, aut minus admittit, sed *in indivisibili*, ut loquuntur, posita est : ut immerito Vasquezius ista subjecerit, « Quare non crescit perfectio filiationis ex perfectione substantiæ, sed ex perfectione substantiæ, sed ex perfectione similitudinis repræsentantis. » Quæ, si de perfecta similitudine substantiæ dicuntur, vera sunt ; sin ad alia pertinent, quæ substantiam comitantur, minime necessaria sunt. Est ergo filius is duntaxat, qui paternam substantiam repræsentat : quod qui perfectissime facit, is demum perfectissimus est Filius. Hoc vero in eadem specie incrementum non capit. Sed si divina generatio cum humana conferatur, quemadmodum hanc illa longe superat, sic qui per illam producitur, filii rationem excellentiori, quam alter, jure sortitur. De qua re paulo post. Nam huic sermoni prævertendum illud est, ut penes substantiam solam illam spectari similitudinem ostendamus ex Patribus, quæ in generationis definitione ponitur. Tametsi nullis novis testimoniis opus habemus. Nam quæ et hoc capite, et in aliis passim adduximus, quibus τὸ ὁμοούσιον, vel generationis in Deo proprietatem illustravimus, nullius alterius, quam substantiæ vel naturæ, requiri similitudinem arguunt. Hujus enim fere mentionem unius faciunt.

IV. Sane Hilarius [3] quid sit vere esse filium definiens, hoc esse dicit, « paternæ formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retulisse. » Et eodem in libro Ancyranæ Semiarianorum [4] synodi canonem, sive anathematismum septimum approbat, in eos editum, qui « patrem dissimilis essentiæ dicunt, sed similis efficaciæ. » De quo Hila-

a Epiph. hær. lxxiii, num. 14. Οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἐκβεβλημένων τῶν σωματικῶν πάντων, παραληφθήσεται μόνη ἡ ὁμοίου, κατ' οὐσίαν ζώου γενεσιουργία. ἐπειδὴ πᾶς πατὴρ ὁμοίας οὐσίας αὐτοῦ νοεῖται πατήρ.

b Idem. Εἰ μὲν γὰρ ὅλως γεγέννηκεν ἐξ αὐτοῦ τὸν υἱὸν, ἀδύνατον μὴ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, καὶ ὅμοιον. πᾶν γὰρ τὸ γεννῶν ὅμοιον ἑαυτῷ γεννᾷ, καὶ οὐ μόνον ὅμοιον, ἀλλ' ἴσον τῇ ταυτότητι. ἄνθρωπος μὲν γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ, καὶ θεὸς θεόν.

1 Hær. lxxvi, n. 6. — 2 Vasq. in I p. disp. cxiii. cap. i et vii, n. 45. — 3 Lib. *de Synodis*. — 4 Ad anath. vii.

rius ita scribit: « Neque enim pater per id dicetur Deus, si habeat virtuti, atque efficaciæ suæ similem creationem, sed si genuerit non dissimilis, atque alienæ a se essentiæ naturam; quia diversitatem paternæ naturæ nativitas naturalis non recipit. » Vides ut exclusa alia omni similitudine (quod enim de virtute, et efficacia dicit Hilarius, id ad quamlibet aliam proprietatem convenit) eam solam, quæ naturæ est, ac substantiæ, generationis esse propriam asserit, et in ejus essentia contineri. Ad hæc eodem in libro de similitudine agens ea, quæ Filio tribuitur, et ad veram generationem, ac nativitatem pertinet, in natura, et essentia sitam esse demonstrat. Quærit enim « cujusmodi similitudinem, et effigiem suam Adam in Seth genuerit; » ac respondet in eo positam esse, « quia non est natura dissimilis, » ex quo et æqualitas intelligitur, quoniam, « similitudo res ipsas naturales coæquat per similitudinem non indifferentis essentiæ. Omnis itaque Filius secundum naturalem nativitatem æqualitas Patris est et similitudo naturæ. » Gregorius vero Nazianzenus[1] explicans appellationem hanc Filii, qua εἰκών, *imago* dicitur, causam ejus esse ait τὸ ὁμοούσιον. Luculenter etiam Gregorius alter Nyssenus idipsum docet, dum Arianorum fraudem retegit similem esse Patri Filium affirmantium. Etenim triplex similitudinis genus discernit[2]: primum eorum, quæ natura, et genere diversa, in aliquo duntaxat, quod naturam consequitur, utcumque conveniunt, velut colore, lineamentis, externaque figura, atque hoc modo exemplari suo imago similis est, et effigies illa, quæ intuenti se in speculo respondet, ei quamsimillima videtur. Rursus alia similitudo est citra naturam, qua homo ad similitudinem Dei factus dicitur, quæ potest et ad prius illud genus referri. Tertio denique similis dicitur Adami Seth, et Filii cæteri parentum similes, quæ est naturæ, substantiæque propria, eoque modo Filium Dei Patris appellari similem Nyssenus affirmat, hoc est ejus substantiæ, et ὑποστάσεως, non *operationis*, et *efficaciæ;* quod Eunomius prædicabat. Addatur et Augustini disertissimus ad eamdem rem locus ex libro tertio *contra Maximinum*, cap. xv. « Nec vultis nosse, inquit, ad ostendendum verum Filium, quantum valeat una, eademque substantia; etiamsi filius hominis homo in quibusdam similis, in quibusdam sit dissimilis patri; tamen quia ejusdem substantiæ est, negari verus filius non potest, et quia verus est filius, negari ejusdem substantiæ non potest. »

V. Sed nihil est, quod antiquorum Patrum, imo illorum temporum Ecclesiæ communem ea de re sensum magis ostendat, quam conflictus ille cum Arianis Catholicarum partium. Siquidem Patri Verbum divinum esse simile, qui in illa secta desperati penitus non erant, facile concedebant, velut sapientia, bonitate, potentia, et cæteris, quæ penes Deum esse cogitando fingimus; solam οὐσίαν excipiebant, qui Filium Dei non proprie, sed ὁμωνύμως, et pari ac nos jure esse dictitabant. At vero catholici, tum qui ad eos propius accedebant, Semiariani, qui verum, ac proprie dictum defendebant Filium, cum reliquis, tum præsertim essentia, *substantia*, et οὐσίᾳ aiebant esse similem; quod Filius nemo dici possit nisi qui sit substantia similis, eaque sit illi vocabulo proprie subjecta notio. De qua controversia, catholicorumque professione, multa in primo, et quarto libro diximus ex Epiphanio, Hilario, Basilio, Gregorio Nysseno, et plerisque aliis, unde liquido illud intelligitur, solam eam similitudinem, quæ sit κατ' οὐσίαν, ad definitionem generationis, et essentiam referri. *Substantiam. Æquivoce.* *Secundum substantiam*

Quod ex eo quoque cognoscitur, quod nonnulli Patrum contra eosdem hæreticos pugnant, etsi Filius Patre inferior esse dicatur in reliquis, ut æternitate, potentia; tamen si et vera generatio est, et proprie dictus Filius, ejusdem cum ipso fore substantiæ, adeoque similem natura; quemadmodum in hominum filiis, quamvis ætate posteriores, nihilominus vere sunt filii, quia naturæ similitudinem obtinent, ut inter alios Augustinus[3] supra a nobis productus contra Maximinum objicit. De quo legenda sunt omnino, quæ sanctus Hilarius super Orientalium decretis contra Anomœos in Ancyrano concilio editis exposuit in libro *de Synodis;* tum quæ sanctus Epiphanius ad idem habet argumentum hæresi LXXIII. Nam catholici, et imprimis Hilarius, valde Semiarianorum sententiam probant, quod Filium Dei, quem alii similem Patris simpliciter asserebant, vel sola voluntate, aliisque rebus similem; illi οὐσίᾳ, et ὑποστάσει, et τῷ εἶναι similem esse dicebant, utpote Filium. *Substantia et hypostasi et esse.*

VI. Sic igitur res habet: Natura in viventium generatione, quantum in se est, quamsimillimum id, quod gignitur, generanti facere studet; ac præcipue quidem eo tendit,

1 Orat. XXXVI. — 2 Lib. I *cont. Eunom.* — 3 Lib. III *contra Max.* cap. XVIII.

ut naturam eamdem exprimat in filio, deinde ut cæteris quoque perfectam similitudinem efficiat; quod his verbis declarat Aristoteles : « Et ut parentum proles sit similis, rationi congruit. Simile est enim id, quod accedit ad partes, ei, quod remanet. Itaque semen manus, vel vultus, vel totius animalis, est non definita manus, aut vultus, aut totum ipsum animal; et cujusmodi unumquodque illorum est actu, tale est potestate semen[a]. » Quocirca, cum semen ex tota viventis substantia dimanet, non totum duntaxat animal, sed ejus etiam partes singulas potestate continet, et hoc agit, ut easdem prorsus, ac similes transfundat in genitum. Sed quemadmodum, dum homo gignitur, eodem puncto temporis, quo ille constituitur, omnes ejus proprietates existunt, ut et ridendi, admirandique sit capax, et ad disciplinam aptus; neque tamen iis in qualitatibus hominis essentia ponitur, neque si quis definitionem quærat hominis, respondere oportebit, eum ad ridendum, discendumque esse factum, sed præcise sola ipsius essentia proferetur; sic, etsi viventium, animantiumque generatio, præter naturæ similitudinem, aliorum insuper omnium, quoad potest, assequi conatur; illius tamen essentia sola naturæ similitudine circumscribitur, quæ, ut cæteræ desint, veram, ac proprie dictam generationem efficit, ea sola si abest, quamvis reliquæ omnes suppetant, nulla prorsus est generatio. Chrysostomus homilia tertia *in Epistolam ad Colossenses*, de hac imaginis proprietate iis, quæ dixi, simillima quædam disputat. Imaginem, qua imago est, etiam apud nos nihil discrepare a prototypo debere. Sed hoc humanam industriam non posse consequi, Deum vero nulla re aberrare, ac deficere.

VII. Jam quod in creatarum propagatione rerum, propter materiæ imbecillitatem, variosque casus, nunquam accidit, ut præter naturam perfecta sit in cæteris similitudo genitorum; hoc ipsum in divina generatione absolutissimum cernitur, idque eo, quod attributa, quæ dicuntur Dei, uti bonitas, æternitas, potentia, nihil ab natura ipsa discrepant, sed una sunt cum ea, simplicissimaque res; ex quo Filius, qui imago est Patris, non hujus solum naturæ, et essentiæ, sed etiam bonitatis, potentiæ, ac reliquarum omnium proprietatum, quæ idem prorsus cum natura sunt, expressa similitudo nascitur. Ac propterea omnibus omnium generationibus hæc ex parte divina antecellit, eique generationis natura, et definitio præ cæteris convenit; quia præstantissimam, et nulla re deficientem in genito similitudinem generantis exprimit; « quia perfecta nativitas, ut ait Hilarius[1], perfectam imaginem præstat. » Quam rem Chrysostomus indicat homilia prima in priorem *ad Timotheum*: « Similis est, inquit, filius patri, sed non sic, ut in Deo cernitur. Propior enim hic est accessio. Nam illic, etsi substantia sint idem, tamen plerisque aliis discrepant, colore, figura, prudentia, tempore, proposito voluntatis, iis, quæ in animo, iis, quæ in corpore consistunt; item externis, aliisque pluribus invicem distant, quam invicem conjunguntur. Illic vero nihil est istiusmodi separationum[b]. » Ergo similitudo in creaturis sola substantia continetur. De quo rursus consulendus est Gregorius Nazianzenus, qui causam reddit, cur Filius imago Patris appelletur. « Hæc enim, inquit, est imaginis natura, ut exemplar suum imitando referat. Quanquam hic imago exemplar suum expressius refert. Illic enim rei vivæ, ac motu præditæ, mortua, et motus expers imago est; hic autem vivi exemplaris viva quoque est effigies, multoque minus a Patre differens, quam Seth ab Adamo, filiusque omnis a parente suo. Hujusmodi namque simplicium rerum natura est, ut non partim inter se similes sint, partim dissimiles, sed totæ totas repræsentent, eademque potius sint, quam similes[c]. »

Quæ ratio similitudinis in Deo perfecte cernitur maxime quia Verbum gignitur.

a Arist. lib. I *de Gener. anim.* cap. XIX. Καὶ τὸ ὅμοια γίνεσθαι τοῖς γεννήσασι τὰ ἔκγονα εὔλογον. ὅμοιον γὰρ τὸ προσελθὸν πρὸς τὰ μέρη, τῷ ὑπολειφθέντι. ὥστε τὸ σπέρμα ἐστὶ τὸ τῆς χειρὸς, ἢ τὸ τοῦ προσώπου, ἢ ὅλου τοῦ ζώου, ἀδιόριστος χεὶρ, ἢ πρόσωπον ἢ ὅλον ζῶον. καὶ οἷον ἐκείνων ἕκαστον ἐνεργείᾳ, τοιοῦτον τὸ σπέρμα, δυνάμει.

b Chrys. hom. I *in* I *ad Timoth.* Ὅμοιός ἐστιν υἱὸς τῷ πατρὶ, ἀλλ' οὐχ οὕτως ὡς ἐπὶ θεοῦ. πλείων γὰρ ἐγγύτης ἐκεῖ. ἐνταῦθα μὲν γὰρ, εἰ καὶ τῇ οὐσίᾳ ταὐτόν εἰσιν, ἀλλ' ἑτέροις πολλοῖς διεστήκασι, χρώματι, σχήματ, συνέσει, χρόνῳ, προαιρέσει, τοῖς περὶ ψυχὴν, τοῖς περ σῶμα, τοῖς ἐκτὸς, καὶ πλείοσιν ἑτέροις διεστήκασιν ἀλλήλων, ἢ συνάπτονται πρὸς ἀλλήλους· ἐκεῖ τούτων οὐδέν ἐστι τῶν διαφραγμάτων.

c Nazianz. orat. XXXVII. Αὕτη γὰρ εἰκόνος φύσις, μίμημα εἶναι τοῦ ἀρχετύπου, καὶ οὗ λέγεται· πλὴν ὅτι καὶ πλέον ἐνταῦθα. ἐκεῖ μὲν γὰρ, ἀκίνητος κινουμένου. ἐνταῦθα δὲ, ζῶντος, καὶ ζῶσα, καὶ πλέον ἔχουσα τὸ ἀπαράλλακτον, ἢ τοῦ Ἀδὰμ ὁ Σὴθ' καὶ τοῦ γεννῶντος

1 Lib. IX.

Potest et ex ipso divinæ generationis modo constare, quanto potiore, quam cæteris, jure generationis ei natura conveniat. Quippe intelligentiæ divinæ fetus est sempiternus Dei Filius ; et Verbum mentis, quod cognitione producitur ; estque natura sua propria rei objectæ similitudo, et imago. Ideo præ reliquis omnibus generationi illi similitudinis ratio congruit, quæ tanto perfectior est, quanto et mens ipsa, quæ intelligit, præstantior est, et quod intelligit, excellentiori cognitione complectitur. Etenim, ut scribit Augustinus[1], « tanquam seipsum dicens Pater, genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur est, est ; non, non. Et ideo Verbum hoc vere veritas est, quoniam quidquid in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est. » Vide Cyrillum Alexandrinum[2] lib. III *in Joan.*, ubi fuse contra Anomœos demonstrat, non ἐνεργείας solum esse similem Filium, sed paternæ ipsius substantiæ.

Vera generatio est a conjuncto principio.

VIII. Tertia demum conditio generationis, definitionisque pars est, *ut sit a conjuncto principio ;* hoc est, ut generantis ipsa substantia, saltem aliqua sui parte, derivetur in genitum, ut non sola vis gignentis, et efficientia, quod est accidens quoddam, in adjacentem materiam extrinsecus imprimatur, sed pars aliqua generantis, ut in creatis accidit, ab ipso decisa, nativa, et insita vi, in ejusdem similitudinem elaboretur. Hoc enim differt inanimatorum generatio ab ea, quæ viventium propria est, ut sanctus Thomas explicat in quarto *contra Gentiles*[3], quod ab illis non aliter emanat, ac gignitur aliud, quam actione unius in alterum. Sic enim ignis ignem generat, dum admotam materiam calore, siccitateque sua extrinsecus afficit, et immutat, nulla substantiæ suæ parte transfusa, quæ vim illam genitalem continet, estque conjunctum cum genito principium, imo fit ipsummet genitum. Quæ autem animata sunt, ac viventia, cum seipsa movent ad generandum, non externa duntaxat, ut illa superiora, tum partem sui desecant, ac trajiciunt, velut arbores, ab quibus manat humor, ac succus, qui duratus in semen, terræque mandatus, et propagatricem vim illam cum materia deferens, similem adolescit in stirpem. Quod idem et in animantibus evenit. Nam generatio, etiam in istis, vegetabilis animæ facultatis propria est. Itaque semen, cum sit generantis ipsa substantia, potestate totum illud est, quod est generans, ut ex Aristotele paulo antea dixi. Qui insuper eodem in libro marem, ac feminam idcirco generationis esse principia docet, quod partem illam a se substantiæ suæ decidunt, et communicant alteri[a].

De prolatione.

IX. Hic ille vero locus est, in quo plurimum sese jactabant Arius, ac similes hæretici, qui veram in Deo generationem, verumque negabant esse Filium ; quod non alium generandi modum agnoscerent, quam qui *decisione profluvioque* fit substantiæ, hoc est ἀποῤῥοίᾳ, καὶ τμήσει, ut loquitur Athanasius[4], et aliis similibus, quos capite superiori perstrinximus. Ex quo catholicorum dogmati invidiam facere solebant, eosque Valentini, vel Manichæi, et ejusdemmodi hæreticorum assectas vocabant. Ac famosam illam Valentini προβολὴν imprimis objiciebant, quam *prolationem* vertit Hilarius[5] ; apud quem Arius in epistola sua profitetur, se ὁμοούσιον propterea negare Filium, ne, ut Valentinus, prolatione natum Patris asseveret ; aut, sicut Manichæus, partem unius substantiæ Patris natum esse ; aut, sicut Sabellius, unionem dividens, ipsum dicat esse Filium, quem et Patrem ; aut, sicut Hierarchas, lucernam e lucerna, vel lampadem in duas partes. Hæc Hilarius ex Arii epistola, cujus ex Epiphanio[6] supra meminimus.

Consubstantialem.

Hanc vero προβολὴν, *prolationemque* Valentini male quosdam intellexisse in animadversionibus ad Epiphanium ostendimus ; nihilque aliud sibi velle, quam propagationem ejusmodi, quæ fit a pluribus, decerpta, ac delibata quadam e singulis parte, et in unum collata. Valentinus enim Jesum aiebat ab Æonibus omnibus « ex ære collatitio in honorem, et gloriam patris, atque ex omnium defloratione constructum, » ut ait Tertullianus[7]. Quare « corpoream quamdam, et passione conjunc-

πάντος τὸ γεννώμενον. τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν ἁπλῶν φύσις, μὴ τῷ μὲν ἐοικέναι, τῷ δὲ ἀπεοικέναι· ἀλλ' ὅλον τύπον εἶναι, καὶ ταὐτὸν μᾶλλον, ἢ ἀφομοίωμα.

a Aristot. I *de Gen. anim.* cap. II. Τῷ γὰρ ἀποκρίνεσθαι τὸ τοιοῦτο μόριον ἀπὸ τοῦ θήλεος, καὶ τοῦ ἄῤῥενος, καὶ ἐν τούτοις τὴν ἀπόκρισιν εἶναι, καὶ ἐκ τούτων, διὰ τοῦτο τὸ θῆλυ, καὶ τὸ ἄῤῥεν ἀρχαὶ τῆς γενέσεώς εἰσίν.

1 Lib. XV *de Trin.* c. XIV.— 2 Cyr. III *in Joan.* c. V. — 3 Cap. XI.— 4 In *Expos. fid.*— 5 Lib. VI sub. init.— 6 Hær. LXIX, n. 7.— 7 Lib. *cont. Valent.* cap. XII; Iren. lib. I, cap. I; Epiph. hær. XXXI, n. 13, 2.

tam procreationem » vox ista significabat, ut apud Eusebium Marcellus ait[a]. Sic Manichæus divinam substantiam partibilem esse, et a tenebrarum principibus absorptam ejus esse particulam asserebat. Hieracas vero (ita enim scribendum est, non *Hierarchas*) etsi totam in Filium trajici substantiam Patris diceret, diversam tamen volebat esse numero, ut cum fax e face succenditur. Quæ nugacium hæreticorum commenta longe a Deo removenda sunt. « Impassibilis est enim ille, qui genuit, et imago invisibilis Dei est ille, qui natus est, » ut scribit Hilarius[1]. « Est enim unus ex uno, ait idem[2]; non est portio, non est defectio, non est diminutio, non derivatio, non protensio, non passio, sed viventis naturæ ex vivente nativitas est. »

Et in eodem libro sexto de Hierarcha plenius : « Hierarchas nesciens Unigeniti nativitatem, nec evangelicorum sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipartita divisio substantiam Patris et Filii æmularetur, quæ ex unius vasculi unguine accenderetur in lumen, tanquam esset substantia exterior, ut oleum in lucerna continens luminis utriusque naturam ; vel certe ut lampas papyro eidem intexta, utroque capite luceret, essetque media materies, lumen ex se utrumque protendens. » Mox veram divinæ generationis formam opponit illi sic : « Vera fidei professio est, ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam suam præstat ex sese, ut det quod habet, et quod dederit habeat, nascaturque quod sit, cum non aliud, quam quod est, natum sit ; et nativitas acceperit, quod erat, nec ademerit, quod accipit, fitque utrumque unum, dum ex eo, quod est, nascitur, et quod nascitur, neque aliunde, neque aliud est. » Et paulo post : « Deus, ut est Deus, quod est permanet, et permanens Deus, Deum genuit. Non continetur ut lampas et lampas, aut lychnus et lychnus exteriore natura. Unitas est, non ex connexione porrectio. »

X. Tractat hunc locum egregie sanct. Athanasius libro *de Decretis Nicænæ synodi ;* cujus hic proinde verba describam : « Sic aliter, inquit, se habet hominum generatio, aliter Filius a Patre oritur. Etenim progenies hominum partes sunt quodammodo gignentium, quoniam natura ipsa corporum non est simplex, sed fluida, et ex partibus composita, effluuntque, cum generant, homines, et vicissim cum aluntur, cibi in eos, et potus influunt ; quam ob causam multorum per tempora filiorum patres fiunt homines. Deus autem, cum sit impartibilis, impartibiliter est, et passionis expers Filii Pater. Nam nec effluxio ulla est ejus, quod est incorporeum ; nec influxio in ipsum est ; ut in hominibus. Sed cum natura sit simplex, unius est et solius Filii Pater[b]. » Quamobrem nulla fit in divina generatione neque substantiæ divisio, ut in creaturis, nec essentiæ multiplicatio, quæ in iisdem cernitur. Nam divisio in istis proprie nulla fit essentiæ ; quod observat Gregorius Nyssenus, qui Eunomii verba reprehendit, asserentis, « patrem, cum generat, propriam non partiri substantiam ; » et sic eum refellit : « Cujus enim, ait, in generando propria essentia partitur ? Essentia enim hominum quidem est humana natura. In brutis autem universe natura rationis expers, specie vero, ut in bobus, et ovibus, ac brutis omnibus, ea, quæ secundum proprietatum differentias spectatur. Quodnam igitur illorum per partum propriam essentiam partitur ? Nonne semper manet per successionem posterorum in singulis animantibus integra natura[c] ? » Ex

a Euseb. lib. I *contra Marcel.* cap. iv. Φυλαξάμενοι τῶν αἱρετικῶν τὴν ἀσέβειαν, οἳ σωματικήν τινα, καὶ παθητικὴν κατεψεύσαντο τοῦ θεοῦ τὴν τεκνογονίαν, τὰς προβολὰς δογματίζοντες.

Idem in lib. IV *de Dem.*

b Athan. lib. *de Decret.* Οὕτως ἄλλως ἐστὶν ἡ τῶν ἀνθρώπων γένεσις, καὶ ἄλλως ἐστὶν ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός. τῶν μὲν γὰρ ἀνθρώπων τὰ γεννήματα μέρη πως τῶν γεννώντων εἰσὶ. ἐπεὶ καὶ αὐτὴ τῶν σωμάτων ἡ φύσις οὐχ ἁπλῆ τίς ἐστιν, ἀλλὰ ῥευστὴ, καὶ ἐκ μερῶν ἔχει τὴν σύνθεσιν. ἀποῤῥέουσί τε ἄνθρωποι γεννῶντες, καὶ πάλιν ἐπιῤῥεῖ τὰ ἐκ τῶν τροφῶν εἰς αὐτοὺς εἰσαγόμενα. δι' ἣν αἰτίαν καὶ πολλῶν κατὰ καιρὸν τέκνων γίνονται πατέρες οἱ ἄνθρωποι. ὁ δὲ θεὸς ἀμερὴς ὢν ἀμερίστως ἐστὶ, καὶ ἀπαθὴς τοῦ υἱοῦ πατήρ· οὔτε γὰρ ἀποῤῥοὴ τοῦ ἀσωμάτου ἐστὶν, οὔτ' ἐπιῤῥοή τις εἰς αὐτὸν γίνεται, ὡς ἐπ' ἀνθρώπων. ἁπλοῦς δὲ ὢν τὴν φύσιν, ἑνὸς καὶ μόνου τοῦ υἱοῦ πατήρ ἐστι.

c Greg. Nyss. I *contra Eunom.* Eun. Οὐκ ἐν τῷ γεννᾷν τὴν οὐσίαν μερίζει.

Ibidem. Τίνος γὰρ ἐν τῷ γεννᾷν ἡ ἰδία οὐσία μερίζεται; οὐσία γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων, ἡ ἀνθρωπίνη φύσις· ἐπὶ δὲ τῶν ἀλόγων, γενικῶς μὲν ἡ ἄλογος, ἰδικῶς δὲ ἐπὶ τῶν βοῶν, καὶ ἐπὶ τῶν προβάτων, καὶ ἐπὶ πάντων τῶν ἀλόγων κατὰ τὰς τῶν ἰδιωμάτων διαφορὰς θεωρουμένη. τί τοίνυν ἐκ τούτων μερίζει τὴν ἰδίαν οὐσίαν διὰ τοῦ τόκου; οὐκ ἀεὶ μένει διὰ τῆς διαδοχῆς τῶν ἐπιγινομένων ἐφ' ἑκάστου τῶν ζώων ἀκεραία ἡ φύσις;

1 Lib. II. — 2 Lib. VI.

quo absurdum esse dictu colligit, hominem sic ab homine propagari, ut generantis essentia non dividatur; Dei vero Filium unigenitum ideo nolle ex Patre esse revera, ne incorrupta per illum hujus natura mutiletur. Quo in loco Gregorii ambiguus est usus vocabuli τῆς οὐσίας. Nam et *substantiam* rei, et *essentiam*, sive τὸ τί ἦν εἶναι significat; priori sensu partibilis est οὐσία, et revera in generatione dividitur, ideoque filius pars esse parentis dicitur; posteriore non dividitur, sed ei, quæ est in patre, similis in filio producitur, ac solo numero diversa.

XI. Eodem argumento et Hilarius utitur [1], quod ex ignis, et luminis exemplo petit: « Quæro itaque nunc, ait, utrum divisio, ac separatio sit, cum ignis ex igne est; aut numquid abscinditur natura ne maneat, aut non sequitur natura ne insit, cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum naturæ nulla defectio sit, et tamen sit lumen ex lumine? Aut numquid hoc non manet in eo, quod ex sese sine defectione subsistit? aut non hoc inest in eo, unde non recisum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro, an non unum sint, cum lumen ex lumine nec divisione separabile sit, nec genere naturæ? » Quæ non sic intelligenda sunt, tanquam in ignis, ac luminis accensione eadem utrobique sit numero natura. Hoc vero Hilarii, et Cyrilli exemplum, etsi minus propriam generationis, quæ in Deo est, rationem explicat, quia neque viventis a vivente est origo, neque ipsa generantis substantia transit in genitum (ut de inanimatorum omnium generatione supra docuimus); aptius tamen est ad exprimendam illius hac ex parte similitudinem, quod nulla istic eveniat substantiæ partitio, vel fluxio, cujusmodi in viventium productione cernitur. Idcirco libentius talia exempla veteres adhibent, ac sæpe φῶς ἐκ φωτός, *lumen de lumine* esse dicunt, hoc est *Deum verum de Deo vero*, ut Victor Uticensis [2] exposuit in *Professione fidei*. « Namque ut et evidentius nobis divinæ generationis impassibilitas insinuaretur, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Filium profitendum accipimus. Si ergo in efficientia visibilis, ac mundani luminis tale aliquid non invenitur, ut, lumine ex lumine sumpto, et per quamdam generationis nativitatem exorto, ipsam luminis originem, quæ ex se lumen aliud dedit, nec minui, nec ullum omnino detrimentum ministrati ex se luminis perpeti potuit; quanto rectius, et melius de divini, et ineffabilis luminis natura credendum est, quæ ex seipsa lumen generans minui omnino non potuit? »

XII. Hinc apparet, qua de causa eadem illa similitudo ex igne, ac lumine translata, et ab catholicis usurpata sit, et in Hieraca damnata. Hic enim diversam numero naturam a Patre derivatam aiebat in Filium, et quodammodo profusam; catholici vero prorsus eamdem in utroque esse dicebant sine ullo discrimine, quemadmodum nulla luminum, igniumque differentia est. Unde *communionem* hanc, non *transfusionem* esse scribit Faustus Regiensis [3] ad Ruricium. « Ipse, inquit, et sibi auctor, et Filio; quia una origo est et fontis, et fluminis. Ex his, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est. » Quod ante hunc Hilarius ita declaravit [4]: « Filius in Patre est, et in Filio Pater, non per transfusionem, refusionemque naturarum, sed per viventis naturæ perfectam nativitatem. »

Effluxio ἀπόῤῥοια ab aliis rejecta, ab aliis admissa.

Hæc *transfusio* a Græcis ἀπόῤῥοια vocatur; quam Patres interdum a divina generatione procul rejiciunt. Alexander episcopus Alexandriæ in epistola ad Byzantinum episcopum ejusdem nominis, negat « gigni a Patre Filium similiter, ac corpora, sectionibus, ac defluxionibus ex divisione factis, ut Sabellio, et Valentino videtur [a]. » De Sabellio, quemadmodum ἀπόῤῥοιαν, id est *defluxionem* (ita enim glossarium Græco-Latinum habet, Epiphanius libro I *Tripartitæ*, capite XIV, *divisionum effluxiones*) in Verbi productionem intulerit, amplius cogitandum. Nam nullam iste generationem rei ex re, sed speciem, et adumbrationem commentus videtur. Valentinus autem προβολὰς introduxit, quæ sunt meræ ἀπόῤῥοιαι, ut supra meminimus, et rursum dicemus in septimo libro, cum agetur de προβολῇ, quæ est Spiritus sancti *processio*. Cyrillus Alexandrinus libro sexto *Thesauri*, « Deum asserit non ut hominem gignentem minui quodammodo defluxionibus [b]. » *Prolationes*

a Alexand. apud Theodoret. lib. I, cap. IV. Οὐ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων ὁμοιότητας, ταῖς τομαῖς ἢ ταῖς ἐκ διαιρέσεων ἀποῤῥοίαις, ὥσπερ Σαβελλίῳ, καὶ Βαλεντίνῳ δοκεῖ.

b Cyril. Alex. VI *Thes.* Εἰ γὰρ οἴει καθάπερ ἄνθρωπον τίκτοντα, τὸν θεὸν ἐλαττοῦσθαί πως ταῖς ἀποῤῥοίαις, etc.

1 Lib. VII. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 3 Tom. III *Biblioth. Patrum.* — 4 Lib. VII.

XIII. Nonnunquam tamen ἀποῤῥοίας vocabulum bono sensu, ac citra suspicionem erroris a Patribus adhibetur. Ut apud Athanasium Theognostus Filii generationem declarans, in secundo libro *Hypotyposeon* ita scripsit: « Non est, inquit, extrinsecus excogitata Filii substantia, neque ex non exstantibus introducta, sed ex Patris nata substantia est; quemadmodum splendor luminis, aut vapor aquæ. Non enim splendor, neque vapor ipsa est aqua, vel sol ipse; neque vero alienum aliquid, sed effluxio est substantiæ Patris, non ut divisionem passa sit Patris ipsa substantia. Nam ut sol idem permanens non minuitur, defluentibus ab eo radiis; ita nec Patris substantia mutationem sustinuit, imaginem habens sui Filium [a]. »

Origenes quoque in primo libro *Periarchon*, capite secundo, Filium nominat *aporrhœam gloriæ Dei*, et *omnipotentiæ*. Sed neuter ea notione vocem usurpavit istam, qua hæretici alii hanc in opinione sua ponebant, alii falso catholicis affingere solebant. Nam illi « generationem Christi, quæ supra omnia est, asserentes, ex philosophiæ traditionibus colligendam, » decisionem ac defluxionem nescio cujus ab uno in alterum transeuntis fingebant substantiæ, ut Valentinus, et æonum patroni. Isti catholicos, quasi in eadem causa essent, insimulabant. Sed longe alia mens nostrorum fuit, qui proinde lucis similitudinem libenter ad istas propulsandas calumnias adhibuerunt; ita tamen, ut ne fraudi aliunde rudibus esset illa comparatio, nominatim interdum, quid in utroque dissimile inesset, admonerent. Ut Cyrillus in sexto libro *Thesauri*, cujus hic verba describam: « Pater, inquit, Filium ex seipso coruscavit, sine ulla partitione, vel separatione, veluti sol splendorem ex se emissum. Verum interest, quod iste non per se consistit, neque substantia ipse per sese perfectus est. Siquidem in sole habet esse suum. At divinus ille fœtus hoc unum de exemplo trahit, quod e Patre sine divisione, ac separatione procedit, propriam habet exstantiam neutiquam a Patre sejunctam, sed in Patre et cum Patre intellectam, et exstantem [b]. »

Maximus item Taurinensis homilia Γ' *de Eusebio Vercellensi*, « Iterum quia lumen dicitur, inquit, ne forte eum, velut radium solis, aut splendorem lucernæ, alieno putares lucere fulgore, ait de ipso beatus Joannes evangelista, cui arcanum Dei et videre, et revelare concessum est, dicens: *Erat lumen verum*. Verum lumen ait, ut scias illum, non cujuscumque, creaturalis, deficientisque luminis esse fulgorem, sed a vera luce veritatem esse, quod lumen est. »

CAPUT IX.

De proprietatibus aliquot divinæ generationis, quæ ex ejus ratione superius exposita colliguntur. Eamdem numero naturam in illa communicari Filio. Tum hunc eumdem a Patre non separari, quæ est περιχώρησις; *nec ulla re minorem, sed prorsus æqualem. Ad hæc generationem illam ex æterno esse, deque hac re Arii cavillatio. Explicantur causæ, cur æterna sit illa generatio; et Eunomianorum argumenta diluuntur. Generatio eadem an sit* ἐνέργεια, *et operatio. Hanc illi tribui; non tamen opus dici Filium. In quo distet a generatione actio illa, quæ proprie operatio vocatur. Non esse prius potentia generantem Patrem, quam actu. Perfectum a Patre gigni Filium; et quæ sit rei hujus ratio. Non prius Patrem Deum fuisse, quam Patrem. Item ex Filii æternitate adstruitur generationis æternitas. Deinde quod generatio sit quædam Patris locutio, quæ esse debet æterna. Tum quod Pater ipse ex æterno sit. Præterea generationem eamdem nec desiisse, et in perpetuum fore, nec tamen ideo imperfectam esse, monstratur. Esse gignenti id, quod gignitur, æquale. Alia proprietas divinæ generationis, ut ab uno principio sit. Cur Pater potius, quam mater dicitur Deus.*

I. Exposui, qua ratione vera in Deo sit generatio, utque multo sit etiam, quam in rebus

a Athan. lib. *de Decret. Nicæn.* Οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία· οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη· ἀλλὰ ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἔφυ· ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα· ὡς ὕδατος ἀτμίς. οὔτε γὰρ τὸ ἀπαύγασμα, οὔτε ἡ ἀτμὶς αὐτὸ τὸ ὕδωρ ἐστὶν, ἢ αὐτὸς ὁ ἥλιος, οὔτε ἀλλότριον. ἀλλά ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας· οὐ μέρισμον ὑπομεινάσης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας. ὡς γὰρ μένων ὁ ἥλιος ὁ αὐτὸς οὐ μειοῦται ταῖς ἐκχεομέναις ὑπ' αὐτοῦ αὐγαῖς· οὕτως οὐδὲ ἡ οὐσία τοῦ πατρὸς ἀλλοίωσιν ὑπέμεινεν, εἰκόνα ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν υἱόν.

b Cyril. Alex. VI *Thes.* Ὁ πατὴρ ἐξέλαμψεν ἐξ ἑαυτοῦ τὸν υἱὸν, ἀμερίστως τε, καὶ ἀδιαστάτως· ὥσπερ οὖν καὶ ὁ ἥλιος τὸ ἐξ αὐτοῦ πεμπόμενον ἀπαύγασμα. ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν οὐκ ἰδιουσύστατον, οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἐντελὲς αὐτὸ καθ' αὐτό· ἔχει γὰρ ἐν τῷ ἡλίῳ τὸ εἶναι· τὸ δὲ θεῖον γέννημα μόνον ἔχον ἐκ τοῦ παραδείγματος τὸ ἐκ πατρὸς προελθεῖν ἀμερίστως, καὶ ἀδιαστάτως, ἰδίαν ἔχει τὴν ὕπαρξιν οὐ κεχωρισμένην τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐν πατρὶ, καὶ μετὰ πατρὸς νοουμένην ὑπάρχουσαν.

creatis perfectior, et appellatione sua dignior; deinceps quædam disputationis illius consectaria colligam, ac divinæ generationis proprietates quasdam aperiam, partim communes cum reliquis viventium originibus, partim peculiares. Quæ oratio cum ad illustrandum magis, ac magis catholicum dogma pertinebit, tum ad Arianam convincendam hæresim. Contra quam id imprimis fundamenti loco statuendum est, quod hactenus demonstrare conati fuimus, tam æternam Verbi productionem proprie dictam esse generationem, quam ipsum vere, proprieque, non tropice dici Filium. Id enim tum hoc in quinto libro, tum in secundo[1] declaravimus.

Consubstantiale.

Hinc primum illud consentaneum est, eamdem in utroque esse *naturam*, et οὐσίαν, quod Græci dicunt ὁμοούσιον; nec eamdem solum specie, ut in creatarum rerum generatione omni accidit, sed, quod in divina singulare est, etiam numero.

Eadem numero natura communicatur Filio

Ut, quod recte Faustus Regiensis dixit[2], *communio naturæ* quædam, non *transfusio* sit ista generatio. Non enim natura ipsa, vel essentia per sese producitur, sed *communicatur*; eademque prorsus, quæ est in Patre, subsistit in Filio. Quod pulchre his verbis Hilarius explicat: « Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum exstitit, non quæ non erant, tenet, sed quæ in Deo manebant, et manent, obtinuit veritate nascendi. Non ergo, qui non erat, natus est, sed ex his, quæ Dei erant, Deus natus existit. » Quo etiam in loco erudite cavillationem Arii refellit; qui in *Fidei professione*, ut antea notavimus, inter alias hæreses, quarum vitandarum gratia suum se dogma posuisse dicebat, nonnullorum meminerat, eumdem, qui ante fuerat, natum esse putantium. « Nec, qui fuit ante, postmodum natum, vel supercreatum in Filio; » quasi id ex catholicorum sententia consequens fiat, qui naturam eamdem, quæ erat in Patre, per generationem exstitisse volunt in Filio.

II. Contra hanc autem astutiam, ita catholicam causam tuetur Hilarius: « Deus, qui ex Deo natus est, non utique natus ex nihilo est, neque de non exstantibus natus est; sed nativitatis suæ viventem habuit naturam. Nec idem Deus, qui erat, sed Deus ex Deo, qui erat, natus est. Et nativitas habuit originis suæ in ipsa sua nativitate naturam. » Gregorius item Nyssenus adversus Eunomium eadem illa jactantem, Filii οὐσίαν ante suam generationem in rerum natura non fuisse, fuse disputat, « non novam aliquam usiam, et ab ea diversam, quæ in Patre sit, ab eo esse genitam [a]. » Etenim si non eadem numero substantia, vel natura, quæ est in Patre, per generationem illam esse dicatur in Filio, dii erunt duo, sua quique natura, proprietatibusque præditi; quod neque fieri posse, et catholicæ fidei, ac sacris Litteris esse contrarium supra demonstravimus. Ex quibus « hunc responsionis ordinem sumpsimus, ut cum Hilario[3] loquar, ut veram ex Deo Patre nativitatem unigeniti Dei doceremus, quia per eam et Deus verus esset, neque a natura unius veri Dei esset alienus, ac sic neque Deus negari posset, neque ipse alius Deus dici; quia et Deum nativitas præstaret, et natura in eo unius Dei ex Deo, cum in Deum alterum non separaret. » Inde autem et illud sequitur, non separari a Patre Filium, sed ambos in se esse mutuo, quoniam singularis est natura.

Filius a Patre non separatur, sed in sese mutuo sunt.

« Invicem sunt, inquit Hilarius[4], cum unus ex uno est, quia neque unus uni aliud per generationem, quam quod suum est, dedit, neque unus ab uno aliud per nativitatem obtinet, quam unius. » Ex quo etiam duos deos non effici ait, etsi Pater Deus, et Filius Deus appelletur: « quia eadem atque indissimilis Dei natura sit in utroque; quod dum et Pater Deus, et Filius Deus est, et unum sit naturæ nomen utrisque, unus utrumque significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec duos deos perficit, cum unus ex uno in naturæ nomine unius maneat; nec in solitarium Deum deficit, cum unus et unus in significatione non solus sit. » Fulgentius item in libro *de Fide ad Petrum*, cap. I: « Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, et Spiritu sancto est, totus Filius in Patre, et Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre, et Filio. »

III. Quæ mutua in alterutro amborum existentia, et περιχώρησις, atque inseparabilis conjunctio declaratur ab Athanasio ex eo quoque, quod tota, quæ in Patre est, plenitudo divinitatis per generationem communicatur et Filio. « Igitur, inquit, in Patre Filium esse, et Patrem in Filio, hoc nihil aliud est, quam esse Dei Filium eum, qui ex Deo genitus est,

a Gregor. Nyss. lib. VII *contra Eunom.* Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐ καινή τις οὐσία παρὰ τοῦ πατρὸς ἐγεννήθη ἔξω τῆς ἐν αὐτῷ τῷ πατρὶ θεωρουμένης, ἱκανῶς οἶμαι διὰ τῶν προειρημένων ἡμῖν ἀποδεδεῖχθαι.

1 Cap. x. — 2 In fine. cap. super. — 3 Lib. VIII. — 4 Lib. VII.

Deum naturaliter existentem idipsum, quod est Pater, et paternam in se monstrantem speciem, ac vicissim in paterna hypostasi monstratum. Unus igitur, et unus, et dualitas non dividitur natura, cum ob perfectionem suam nullius egeat. Universa quidem plenitudo divinitatis Pater est, ut Pater; universa vero plenitudo divinitatis est Filius, ut Filius; quandoquidem per ambos una forma intelligitur, quæ integre in ambobus ostenditur [a]. » Quod ex Apostolo [1] transtulit, qui in Filio dicit *omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter;* quibus verbis significari putat Hilarius [2], « naturæ in eo Dei ex Deo veritatem, dum in eo Deus est, non aut per dignationem, aut per voluntatem, sed per generationem verus, et totus corporalis secundum sui plenitudinem manens; dum id, quod ipse est, id etiam per nativitatem Dei in Deum natum est, neque diversum, aut differens aliquid in Deo est, cum id, quod est corporaliter habitet in Christo, et quidquid inhabitat corporaliter, idipsum secundum divinitatis est plenitudinem; » ut sit σωματικῶς idem, quod *integre*, ac *perfecte*, quasi non pars insit aliqua totius, veluti corporis, sed ipsummet solidum, et integrum. Nam in sanctis « quamvis divinitas habitet, ait Augustinus [3]; non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis. Nam et in nostro corpore inest sensus singulis membris; sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus. » Quamobrem quia « Filius, qui est et existit absque principio, ex æterno prodiens a Patre, accipere dicitur omnia, quæ Patri natura insunt [b]; » et quoniam « omnia, quæ Pater est, Filius similiter est, præterquam quod Pater non est [c], » ut scribit Cyrillus; imo quia, ut Christus ipse testatur, *Omnia quæcumque habet Pater* [4], Filii sunt; idcirco verum est, quod idem Christus ait, *Ego in Patre, et Pater in me est* [5]; et quod Joannes in Evangelio refert, *Verbum erat apud Deum*, et *Hoc erat in principio apud Deum*. His enim verbis « sempiternæ divinitatis in Patre, et Filio inseparabilis unitas edocetur, » ait Ambrosius [6]. Quod si ab æterno cum Patre, et in Patre Verbum erat, ac Filius; nunquam ab eo separatus est. « De Patre enim processit Filius, ut Petri Chrysologi [7] verbis utar, non recessit, nec successurus Patri prodivit ex Patre, sed prodivit mansurus in Patre. » Nam si Filius vere Deus est, utpote ab vero Deo vera, et propria generatione productus, quod in superioribus diligenter ostendimus, veram in se divinitatem habeat oportet, non aliam utique, vel numero diversam ab ea, qua Deus est Pater, quia plures esse nequeunt; sed neque mancam ac defectam ulla sui parte, vel proprietate, ac perfectione minorem aliqua, quia nihil in Deo est, quod non totus ipse Deus, ac divinitas sit ipsa. Proinde nihil in Patre est omnino, præter paternitatem, quod non in Filio sit, imo ipse sit Filius. Ac si vel minima in eorum aliquo perfectio esset, quæ abesset ab altero, propter quam minor, aut non æqualis esset, ne Deus quidem esset, quia imperfectus esset. « Non potest autem imperfectus Deus esse, ut ait Ambrosius [8]; qui enim minor est, imperfectus utique est, cui desit aliquid, quo majorem possit æquare. » Itaque « plenus e pleno » natus est Filius, ut ibidem loquitur Ambrosius; et « totus ex toto, et perfectus a perfecto, ut Hilarius [9]; quia qui habet omnia, dedit omnia; neque idcirco existimandus est non dedisse, quia habeat, vel non habere, quia dederit. « Et interjectis quibusdam, « Perfectus, ait, a perfecto, quia totus a toto, non divisio, aut discissio, quia alter in altero, et plenitudo divinitatis in Filio est. » Et Augustinus [10]: «Quia perfectus est Pater. perfectum Filium genuit. » Nam quod illa Christi verba, *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt* [11], de ipsa divinitatis substantia, et plenitudine intelligenda sint, inde constat, quod, ut idem Hilarius [12] observat, proxime ante dixerat, de Spiritu sancto loquens, « *Ille me clarifi-*

a Athan. *contra Sabell.* Οὐκοῦν ἐν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἶναι, καὶ τὸν πατέρα ἐν τῷ υἱῷ, τουτό ἐστι, καὶ οὐδὲν ἕτερον, τὸν υἱὸν εἶναι θεοῦ ἐκ τοῦ θεοῦ γεγεννημένον, θεὸν ὄντα κατὰ τὴν φύσιν, ὅπερ ὁ πατὴρ, καὶ δεικνύντα τὸ πατρῷον εἶδος ἐν ἑαυτῷ, καὶ δεικνύμενον ἐπὶ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως. εἷς οὖν, καὶ εἷς, καὶ ἡ δυὰς οὐ μεμέρισται τῇ φύσει, ἀνενδεὴς οὖσα τῇ τελειότητι· ὅλον μὲν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ὁ πατὴρ ὡς πατήρ. ὅλον δὲ τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ὁ υἱὸς ὡς υἱός. ἐπεὶ δι' ἀμφοτέρων ἓν εἶδος νοεῖται ὁλοκλήρως ἐν ἀμφοτέροις δεικνύμενον. Vide Cyrillum, dial. II *de Trin.*

b Cyril. I *Thes.* Ὢν γὰρ, ὑπάρχων ἀνάρχως, καὶ ἀϊδίως ἐξ αὐτοῦ προελθὼν, λαμβάνειν λέγεται τὰ προσόντα αὐτῷ φυσικῶς.

c Ibid. Πάντα ὢν ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ.

1 *Col.* II, 9. — 2 Lib. VIII in fine.— 3 Epist. LVI; ita et Ans. — 4 *Joan.* XVI, 15.— 5 *Joan.* XIV, 10. — 6 Lib. I *de Fide*, c. V.— 7 Serm. LVII.— 8 Lib. I *de Fide*, cap. V.— 9 Lib. II. Vide et lib. IX.— 10 Lib. III *cont. Max.* c. XV.— 11 *Joan.* XVI, 16.— 12 Lib. IX.

cabit, quia de meo accipiet; » quibus ista subjecit: « *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* » Quia enim Spiritus sanctus a Patre procedit, et procedendo naturam, et substantiam accipit, quæ eadem et Filii substantia est, ideo de suo accepturum esse dicit. « Deum enim (id est divinitatem) in his ostendit intelligendum esse, quæ sua sunt, in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate, » ait Hilarius. Hæc enim omnia ipsa sunt divinitas. Proinde « gignendo dedit potentiam Pater Filio, inquit Augustinus[1], sicut omnia, quæ habet in substantia sua, gignendo dedit ei, quem genuit de substantia sua. »

Generatio Filii ab æterno est.

IV. Tertio, id etiam generationi illi divinæ proprie convenit, ut ex æterno sit; neque aut initium habuerit unquam, aut finem habitura sit; adeoque qui per illam producitur Filius, æternus sit et ipse non minus, quam Pater. Huic catholicorum professioni vehementius obluctabantur Ariani, putantes neque generationis nomen ipsum, neque Filii cum illa posse consistere; sed ingenitos duos ita constitui, quasi idem esset τὸ ἀγέννητον, quod ἀΐδιον, et τὸ συναγέννητον, quod συναΐδιον. Hinc Arius[2] in epistola *ad Eusebium Nicomediensem*, quam in præfatione Victorinus[3] posuit, pulsum se ab Alexandro queritur injuste quod consentire nollet ipsi publice dicenti « semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius, cum Deo ingenite semper existit, semper genitus, ingenitogenitus; neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit: semper Deus, semper Filius, ex ipso Deo Filius[a]. » Hæc Arii calumnia ex eo manavit, quod catholici nullum fuisse tempus dicerent, quo non esset Filius; quod illi interpretabantur ἀγεννήτως esse, ac proinde Filium esse ἀγενητογενῆ, quod Victorinus vertit *ingenitogenitum*, hoc est, ut arbitror, ingenito modo genitum, ut ex conflictione contrariarum vocum catholici dogmatis absurditatem convincerent. Quanquam fieri potuit, ut Alexander, aliique Catholici Filium ἀγένητον, id est *infectum*, *increatumque* dicerent, et ἀγενητογενῆ, hoc est non eo modo productum, ut factus, aut creatus dici debeat. Sed Alexander[4] in epistola, quam ad cognominem dedit Constantinopolis episcopum, strenue calumniam istam repellit: « Nullus, hoc semper, inquit, ad suspicionem Ingeniti sumat, sicut putant, qui sensus animæ cæcatos habent. Nam neque erat, neque semper, neque ante sæcula, idem est, quod ingenitum[b]. »

Ingenitum quod æternum. Cogenitum quod coæternum.

Arii Cavillatio.

Et Hilarius in duodecimo libro copiose contra eamdem Arianorum captionem disputat; qui hoc objicere solebant: Catholicos, « cum semper Filium fuisse dicant, neque aliquando fuisse, quod non fuit, sine nativitate eum per id, quod semper fuerat, prædicare, quia humani sensus opinio id, quod semper fuit, non patiatur, ut natum sit. » At ille contra eos latissime contendit, « Aliud esse sine auctore esse semper æternum; aliud quod Patri, id est auctori est coæternum. » Item, « Omne, quod semper est, etiam æternum est, sed tamen non omne, quod æternum est, etiam innatum est. Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est. Quod autem non natum est, id cum æternitate non natum est. » Ac Cyrillus Alexandrinus libro sexto *in Joannem* simili ratione, « ideo Filium æternum esse dicit, quia ex æterno sit Patre genitus, quippe inferre secum substantive paternum ornamentum[c]. » Itaque « concurrit cum Filii exstantia ejus productio, atque a principio exstitit[c], » ut ait Gregorius Nazianzenus, hoc est cum illa sic adæquatur, ut nunquam non gignatur a Patre, nec aliquando gigni desinat, ut duntaxat exstet[d]. Neque vero « quod natura sua comparatum est ad gignendum, ut scribit Cyrillus, ex non gignendo procedit ad gignendum, neque quandoquidem gignere novit, gignere omnino desinit, siquidem et ignis gignit ex se naturaliter sibi insitum calorem, et lumen; neque vero ex non calido ad calidum processit, sed simul ac factus est ignis, erant etiam in eo, quæ ipsius propria sunt[e]. »

a Arii epistola. Ἐπειδὴ οὐ συμφωνοῦμεν αὐτῷ δημοσίᾳ λέγοντι ἀεὶ Θεὸς, ἀεὶ υἱὸς, ἅμα πατὴρ, ἅμα υἱὸς συνυπάρχει ὁ υἱός· ἀγεννήτως τῷ Θεῷ. ἀειγενὴς, ἀγενητογενής· οὔτ' ἐπινοίᾳ, οὔτ' ἀτόμῳ τινὶ προάγει ὁ Θεὸς τοῦ υἱοῦ, ἀεὶ υἱὸς, ἐξ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ ὁ υἱός.

b Alexand. Ἀλλὰ μή τις τὸ, ἀεὶ, πρὸς ὑπόνοιαν ἀγεννήτου λαμβανέτω, ὡς οἴονται οἱ τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια πεπωρωμένοι. οὔτε γὰρ τὸ ἦν, οὔτε τὸ ἀεὶ, οὔτε τὸ πρὸ αἰώνων ταὐτόν ἐστι τῷ ἀγεννέτῳ.

c Cyril. lib. VI *in Joan.* Ἀλλ' ὡς ἔχων καύχημα, τὸ ἐξ ἀϊδίου γεννηθῆναι πατρὸς, ἀΐδιός τε διὰ τοῦτο ὑπάρχων, καὶ αὐτός. ἐπάγεται γὰρ οὐσιωδῶς τὸ τοῦ τεκόντος ἀξίωμα.

d Gregor. Nazianz. orat. xxxv. Ἐνταῦθα δὲ σύνδρομον τῷ εἶναι τὸ γεγεννῆσθαι καὶ ἀπ' ἀρχῆς.

e Cyril. Alex. lib. V *Thes.* Οὐ πάντως δὲ τὸ τίκτειν πεφυκὸς, ἐκ τοῦ μὴ τίκτειν εἰς τοῦτο πρόεισιν· οὐδὲ ἐπειδὴ τίκτειν οἶδε, πάντως καὶ καταπάυει. καὶ γοῦν γεννᾷ

1 Lib. III *cont. Max.* cap. xii. — 2 Apud Epip. hær. lxix, n. 6. — 3 Tom. IV *Bibl. Patrum.* — 4 Apud Theodor. l. I, c. iv.

V. Hujus æternitatis causa multipliciter a Patribus redditur. Sed imprimis ex ipsa generationis divinæ conditione petitur, quæ non est actio quædam, sive ἐνέργεια, ut supra capite quarto dicere ingressi sumus, quod paulo nunc plenius explicandum est. Igitur cum Eunomius catholicis instaret sic: « Si coæternus est Filius Patri, consequens est Patrem nunquam ad illum generandum actuosum fuisse, sed semper otiosum. Quo pacto ergo genitus est ? Si autem actuosus fuit et genuit, necesse omnino est, ut, quod genitum est, existendi principium habeat [a]. » Cum hoc, inquam, objectaret Eunomius, Cyrillus ita respondet : primum non esse hanc appellandam ἐργασίαν, id est, *effectionem*, « neque ἐργάτην dici Patrem, sed genitorem, quia non extrinsecus factus est Filius. » Unde nec ἐνεργὸς, id est « actuosus unquam circa Filius Pater fuit, cum ejusmodi ne in nobis quidem sit lex generationis [b]. » Hic ἐργασίαν recte negat Cyrillus appellari generationem. Quæ vox Græca Latine est *operatio*, ut est in glossario veteri. *Operatio* autem *ab opere* dicitur, ut ἐργασία ἀπὸ τοῦ ἔργου. Jam vero Filium nemo opus patris dixerit, uti neque Patrem *operarium*, quod est ἐργάτης. Operationes tamen nemo est, qui non æternas personarum divinarum productiones nominet, in quo Latina proprietas contemnitur. Est enim *operatio*, idem quod *fabricatio*, id est, ἐργασία. Nam in eodem glossario Græcolatino ita legitur, ἐργάσιμος *fabricabilis*. Hujus autem efficientiæ propria est nota τὸ ἔξωθεν, quod extrinsecus, et non ἔσωθεν, id est, *e substantia* fiat operis molitio, ut supra docui. Itaque statim addit, « Operari enim dicimur, quæ extra nos sunt; gignere autem, quæ ex nobis ipsis [c]. » Quod autem ἐνεργὸν dici negat Patrem, et ἐνέργειαν Filii generationem, non concedent alii, qui illas ipsas intestinas Dei operationes, ac personarum productiones ἐνεργείας nuncupant. Sed ne tota sit de verbis contentio, mox illud remittit, ἐνέργειαν vocari τὴν γέννησιν, « ob id maxime, quod sine effectione, vel passione genuit Pater [d]. » Quam ob causam etiam creationem nonnulli veterum appellari passi sunt eamdem generationem, quod in hominibus generatio cum passione conjuncta sit; creatio vel effectio operis, quantum ex se est, ἀπαθῶς fiat. Verum, quatenus sit ἐνεργητικὴ, declarat mox Cyrillus. « Sed ut efficiens est, inquit, ita et naturalis, et substantiva est, et ab hypostasi separari non potest. Ex quo necesse est, tametsi efficienter gignat Filium Pater, æqualem illum huic esse, quandoquidem a propria ipsius hypostasi separari non potest generatio. *Sine passione. Efficiens.*

VI. Etenim divina generatio non est proprie actio quædam, ut in creatis usuvenit, potentiæ, et agendi facultati accidens, ut prius Pater posse dicatur gignere, quam reipsa gignat. Sed actu ipso semper generans est Pater, ut eodem in loco declarat Cyrillus. Et in dialogo secundo *de Trinitate* ait Patrem « esse simul potentia, et actu Patrem [e]. » Nimirum quod aliter de divina illa loqui generatione, aut eam capere non possumus, quam ut naturalem quamdam fecunditatem, vimque genitalem inesse cogitemus, quæ se actu ipso explicet, dum gignit Filium. Quare in eodem dialogo Patrem ait habere φύσιν ex sese γεννητικὴν, *naturam genitalem*, hoc est quæ possit gignere, non autem ejusmodi hanc esse voluntate sua. Quam generandi facultatem more intelligendi nostro ab illo dictam interpretamur, cum in re nihil insit ejusmodi, sed totum actus occuparit; ex quo consequens sit eum, qui actu semper est Pater, et ex

μὲν ἐξ ἑαυτοῦ τὸ πῦρ. τήντε κατὰ φύσιν προσοῦσαν αὐτῷ θερμότητα, καὶ τὸν φωτισμόν. οὔτε δὲ ἐκ τοῦ μὴ εἶναι θερμὸν εἰς τοῦτο προῆλθεν· ἀλλ' ἅμα γέγονε πῦρ, καὶ ἦν αὐτῷ τὰ αὐτοῦ.

a Cyril. lib. V *Thes.* Εἰ συναΐδιός ἐστιν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, οὐδέποτε ἄρα γέγονεν ἐνεργὸς ὁ πατὴρ, περὶ τὸ τίκτειν αὐτὸν, ἀεὶ δὲ ἀργὸς. πῶς οὖν ἐγεννήθη ; εἰ δὲ γέγονεν ἐνεργὸς, καὶ ἔτεκεν, ἀρχὴν ἕξει πάντως τοῦ εἶναι τὸ γεννηθέν.

b Idem Cyril. Εἰ μὲν περί τινος τῶν πεποιημένων ὁ λόγος ἦν, ὦ οὗτοι, καλῶς ἐργάτην ἡμῖν εἰσφέρετε τὸν θεὸν, καὶ οὐχὶ μᾶλλον γεννήτορα. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐργασίαν τινὰ γεγενῆσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς ὁμολογοῦμεν εἰς τὸν υἱόν. γεγεννῆσθαι γὰρ αὐτὸν ἐκ τῆς οὐσίας, οὐκ ἔξωθεν πεποιῆσθαι φαμέν· πῶς οὐ διαῤῥήδην βλασφημεῖτε λέγοντες, ἐνεργὸν γεγενῆσθαί ποτε τὸν πατέρα περὶ τὴν γέννησιν τοῦ υἱοῦ, τοῦτον οὐκ ἐχούσης τὸν νόμον τῆς γεννήσεως οὐδὲ ἐφ' ἡμῶν ;

c Ibid. Τὰ μὲν γὰρ ἔξωθεν ἐργαζόμεθα· τίκτομεν δὲ τὰ ἐξ ἑαυτῶν.

d Ibid. Ἵνα μὴ σφόδρα φιλόνεικοί τινες εἶναι δοκῶμεν, συνθησόμεθα τοῖς χριστομάχοις ἐνεργητικὴν εἶναι λέγουσι τὴν γέννησιν τοῦ υἱοῦ, διὰ τὸ μὴ ἐκ πάθους τετοκέναι τὸν πατέρα. ἀλλ' ὥσπερ ἐστὶν ἐνεργητικὴ, οὕτω δὴ φυσική τε, καὶ οὐσιώδης, καὶ τῆς ὑποστάσεως ἀχώριστος. ἀνάγκη τοιγαροῦν, κἂν τέκῃ τὸν υἱὸν ἐνεργητικῶς ὁ πατὴρ, εἶναι πάντως αὐτὸν συναΐδιον. προείρηται γὰρ ὅτι τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἀχώριστον ἔχει τὸ τίκτειν.

e Dial. II. Ὁ γὰρ εἶναι πεφυκὼς δυνάμει τε, καὶ ἐνεργείᾳ πατήρ.

omni æternitate, Filium itidem actu, ac semper exstantem habere. Declarat hoc idem is, qui Justinus inscribitur, in quæstione XVI *ad Orthodoxos*, ubi inquirenti, ecquid genitum in Deo generante non sit posterius, uti in nobis fit, cum perinde atque in nobis, sequi illic existimemus consubstantiale esse id quod gignitur: respondet aliam esse nostri rationem, ac Dei est. « Etenim nos, utpote qui prius existimus, quam gignimus, post exstantiam gignimus. Deus vero simul existit et gignit. Ideo non est apud Deum post exstantia geniti, quia neque præexstantia gignentis [a*]. » Quibus verbis ratio illa continetur, cur homines non statim, atque in rerum natura sunt, gignant; nimirum quod et ipsi ab aliis ante sunt geniti. Nam et gignuntur, et gignunt. Itaque prius

Potentia. Actu.

δυνάμει sunt gignentes, quam ἐνεργείᾳ. Ideo non statim atque sunt ipsi, eorum existunt filii. Ex quo videtur ita castigandus ille locus, quemadmodum ad marginem adnotavimus. Facit ad eamdem sententiam, quod in Toletana synodo undecima profitentur Patres: « Nec enim eumdem Filium Dei, pro eo quod de Patre sit genitus, desectæ naturæ portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem, perfectum Filium, sine defectione, sine diminutione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inæqualem Filium non habere. »

Pater non prius potentia generans quam actu.

VII. Habet autem et illud argumentum rationem alteram, quæ optime declarat, cur simul atque Pater existit, una et Filius sit contra quam in creatis rebus fieri cernimus. Hæc enim, quæ ab aliis propagantur, antequam alia ex sese procreent, imbecilla prius, et imperfecta sunt. Natura enim ab imperfectis progreditur. Est autem actus, id est ἐνέργεια, vel ἐντελέχεια perfectior, quam δύναμις, cum hæc illius gratia sit; quod Aristoteles nono *Metaphysicæ* demonstrat [b]. Quamobrem, « quæ natura nobis obveniunt, ut idem alio in loco tradidit, eorum facultates prius accipimus; postea vero actiones reddimus, id quod in sensibus apparet [c], » Atque hoc etiam in generatione ipsa cernimus: « Videmus enim, ut scribit Cyrillus, in iis quæ a Deo facta sunt, quæcumque generandi facultatem habent partito (hæc enim lex est corporum), et quando certam ad mensuram pervenerint, tum demum actu ipso gignere, velut hominem, rationis expers animal, et plantam. Hæc enim parva cum sunt, gignere nequeunt: sed cum perfecta sunt, hoc ipsum faciunt. Quid igitur obstabat, quominus substantia Patris, perfecta cum esset, id gigneret, quod ex ipsa natum est, tanquam ipsi coæternum? Non enim dici illud potest, Patris substantiam in tempore perfectionem adeptam esse, quæ semper eodem modo habeat, ac neque accessione indigeat ulla, neque decessionem capere possit. Quocirca mirari potius illos oportuit, si non Deo coæternum esset, quod ex ipso natum est; non e contrario ita sciscitari, quandonam genuit Filium. Quippe Patri, utpote nunquam non perfecto, maxime convenit sine tempore gignere [d]. » Quod argumentum Plotinus affert, ex eoque descripsit Eusebius. « Quæcumque perfecta sunt, inquit, aliquid generant; quod autem semper est perfectum, semper gignit, et sempiternum [e]. » Et postea: « Nam et eum,

a Just. quæst. XVI *ad Orth.* Ἡμεῖς, ὡς προηγουμένην τῆς γεννήσεως ἔχοντες τὴν ὕπαρξιν, μετὰ τὴν ὕπαρξιν γενομένης (Cor. γεννῶμεν) ὁ δὲ θεὸς ἅμα τῷ ὑπάρχειν ἐγέννησε. διὸ οὐκ ἔστι παρὰ τῷ θεῷ μεθύπαρξις γεννήματος· ἐπειδὴ οὐδὲ προὔπαρξις γεννήσεως. Sed corrigendum putem, ὡς προηγουμένην ἔχοντες τῆς ὑπάρξεως τὴν γέννησιν, etc.

b Arist. IX *Met.* cap. IX. Ὅτι δὲ καὶ βελτίων, καὶ σπουδαιοτέρα τῆς σπουδαίας δυνάμεως ἡ ἐνέργεια. ἐκ τῶνδε δῆλον.

c Idem II *Eth.* cap. I. Ὅσα μὲν φύσει ἡμῖν παραγίνεται, τὰς δυνάμεις τὰς τούτων πρότερον κομιζόμεθα· ὕστερον δὲ τὰς ἐνεργείας ἀποδίδομεν· ὅπερ ἐπὶ τῶν αἰσθήσεων δῆλον.

d Cyril. Alex. loco cit. Ὁρῶμεν ἐν τοῖς πεποιημένοις παρὰ τοῦ θεοῦ, ὅτι περ ὅσα τοῦ γεννᾷν τὴν δύναμιν ἔχει μεμερισμένως· οὗτος γὰρ σωμάτων νόμος· καὶ ὅταν εἰς μέτρον ἡλικίας ἔλθῃ φανερὸν, τότε καὶ ἐνεργὸν ἴσχει τὸ τίκτειν· οἷον ἄνθρωπος, ζῶον ἄλογον, καὶ φυτόν· ταῦτα γὰρ μικρὰ ὄντα τίκτειν οὐ δύναται· τελειούμενα δὲ, καὶ τοῦτο ποιεῖ. Τί οὖν ἐκώλυε τελείαν οὖσαν τὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς, τίκτειν τὸ ἐξ αὐτῆς ἀχρόνως ὡς συναίδιον αὐτῇ; οὐ γὰρ δήπου φήσειν ἄν τις ὡς ἐν χρόνῳ τὸ τέλειον ἔσχεν ἡ τοῦ πατρὸς οὐσία, ἀεὶ ὡσαύτως ἔχουσα, καὶ οὔτε προσθήκης τινὸς δεομένη, οὔτε μείωσιν ὑποστῆναι δυναμένη. Ἔδει τοιγαροῦν ἀποθαυμάζειν αὐτοὺς, εἰ μὴ συναίδιον ἦν τῷ θεῷ τὸ ἐξ αὐτοῦ, οὐκ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐπερωτᾷν τὸ, πότε γεγέννηκε τὸν υἱόν. τῷ γὰρ ἀεὶ τελείῳ πατρὶ τὸ γεννᾷν ἀχρόνως πρεπωδέστατον. Vide et dial. II in fine.

e Plotin. *Enn.* V, lib. I, cap. VI. et Euseb. lib. II *de Præp.* Καὶ πάντα δὲ ὅσα ἤδη τέλεια, γεννᾷ. τὸ δὲ ἀεὶ τέλειον; ἀεὶ, καὶ ἀΐδιον γεννᾷ.

* Hæc habet P. Maran, editor Benedictinus operum S. Justini « γενομένης legendum γεννῶμεν, idque dudum observavit Petavius, lib. V *de Trinitate*, cap. IX, num. 6. Sed quod præcedentia sic corrigenda putat ὡς προηγουμένην ἔχοντες τῆς ὑπάρξεως τὴν γέννησιν, ***nos qui prius generamur quam existamus***, id nec necessarium nec aptum et commodum videtur.

J. B. F.

qui perfectus esset, generare oportuit, neque tantam vim sterilem esse [a]. »

[...]on prius Pater [...]eus quam Pater.

VIII. Gregorius vero Nyssenus libro primo *adversus Eunomium*, hæreticum hunc arguit, quod aliud nescio quid fuisse Patrem assereret, antequam et Pater esset, et Filium haberet. Nam quid tandem illud esse potuit, quærit [b]. Ac si perfectum ex æterno eumdem fuisse concedant, « quinam perfectus fuit, qui nondum Pater esse potuerit [c] ? » Breviter, et rotunde contorquet idem hoc argumentum Athanasius : « Hominum est, inquit, proprium in tempore generare, ob imperfectionem naturæ; Dei vero soboles æterna est, quia natura semper est perfecta [d]. »

Idacius Clarus in libro *adversus Varimadum* [1], « Si ergo secundum vos, primo Deus singulariter subsistendo, inquit, et postea Pater est dictus Filium generando; ergo ipsum Patris nomen nequaquam erit æternum, quod ad suæ appellationis vocabulum ex tempore sumpsit initium. Si secundum te ita est mutabilis, et proficiet, erit mutabilis deinde, quia ex Dei nomine in Patris nuncupationem transivit. Proficiens ergo, quia cum se id Dei nomine positum minus perfectum videret, ad cumulum suæ perfectionis conficientium [e] modo Patris sibi nomen adjecit. »

Eusebius item, qui Emissenus vulgo dicitur, homilia I *de Symbolo:* « Sicut semper Deus, ita semper et Pater. Dividi a se, ac separari duo ista non possunt; ne injuria fiat divinitati, et plenitudini paternæ, si aliquid ei postea videatur adjectum. Nova appellatione naturæ videbitur aliquid adserere; videbitur defuisse aliquid Deo de perfectione, qui Patris nomen putat cœpisse de tempore. »

Eodem prorsus modo ratiocinatur et Cyrillus Alexandrinus libro X *Thesauri*. Et alibi, « signum ait esse perfectionis, fructum edere, ac velut quoddam sigillum, quod ejus perfectionem obsignat, esse Filium sine tempore ex illo prodeuntem. Neque enim perfectum esse duntaxat, quia Deus est, sed etiam quia Pater. Nam si hoc ipsum, esse Patrem, detrahas naturæ divinæ, auferes ei fecunditatem, ut jam perfecta esse desinat, cum ei desit generatio [f]. »

IX. Rursus generationis æternitas potest ex Filii divinitate probari; quam veram, proprieque dictam esse in secundo, et tertio libro demonstravimus. Nam Filius citra generationem intelligi non potest. Ut ergo Filius ex omni est æternitate; ita et generatio æterna sit oportet. Porro æternum debere esse Filium, satis ex eo constat, quod sæpius repetere cogimur, quia naturaliter, et ex Patris substantia gignitur, ac cum ipsam eamdem, quæ est in Patre, divinitatem accipit, tum sapientiam, bonitatem, ac cætera omnia, præter id, in quo a Patre discernitur; sic æternitatis ejusdem fiet cum illo particeps. « Æternum quippe, et sine initio, ait Fulgentius [2], quod de Patris natura natus existit; et æternum, ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de natura Patris, Filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus, et dicimus Deum, qui una prorsus æternitas, una immensitas, et una naturaliter est trium personarum divinitas. »

Generationis æternitas ex Filii divinitate approbatur.

Gregorius quoque Nyssenus in septimo *contra Eunomium* demonstrat, æternitatem, hoc est perpetuitatem existendi, veram esse, propriamque Dei, quantum capere possumus, notionem, et essentiam; adeo ut tantumdem impietatis sit dicere, fuisse aliquando cum non esset Deus, aut ab omni retro æternitate non fuisse; quantum si dicas, desiturum aliquando Deum, et olim non futurum [g]. Nam utrobique interrumpitur illa continuatio,

a Plotin. *Enn.* V, lib. I, cap. vii. Καὶ γὰρ τέλειον ὄντα, γεννᾷν ἔδει, καὶ μὴ δύναμιν οὖσαν τοσαύτην ἄγονον εἶναι.

b Greg. Nyssen. lib. II *contra Eunom.* Εἰ γὰρ ἄλλό τι ἦν ὁ θεὸς πρὸ τοῦ γενέσθαι πατὴρ, τί ἐροῦσιν οἱ προστάται τοῦ δόγματος; ἐν ποίᾳ καταστάσει θεωρεῖσθαι φήσουσι; τί ὄνομα τῇ διαγωγῇ; παῖς νήπιον βρέφος, μειράκιον;

c Ibid. Εἶτα πῶς τέλειος μήπω πατὴρ εἶναι δυνάμενος;

d Athan. orat. ii. Ἀνθρώπων μὲν γὰρ ἴδιον τὸ ἐν χρόνῳ γεννᾷν διὰ τὸ ἀτελὲς τῆς φύσεως· θεοῦ δὲ ἀΐδιον τὸ γέννημα, διὰ τὸ ἀεὶ τέλειον τῆς φύσεως.

e For. *conficiendum.*

f Cyril. V *Thes.* Τέλειος δὲ οὐχ ὅτι μόνον ἐστὶ θεός· ἀλλ' ὅτι καὶ πατήρ· εἰ γὰρ ἀφέλοις τοῦ θεοῦ τὸ εἶναι πατέρα, ἀναιρήσεις τῆς θείας φύσεως τὸ εἶναι καρπογόνον. ἵνα μηκέτι τὸ τέλειον ἔχοι, λείποντος αὐτῇ τοῦ γεννᾷν· γνώρισμα τοίνυν τῆς τελειότητος ἡ καρπογονία· καὶ ἡ σφραγὶς τῷ πατρὶ τοῦ εἶναι τέλειον, ὁ ἐξ αὐτοῦ προελθὼν ἀχρόνως.

g Greg. Nyssen. lib. VII. Οὐκοῦν τοῦτο μόνον θεῖον εἶναι ὡς ἀληθῶς πιστεύειν οἰόμεθα δεῖν, ὃ κατὰ τὸ ἀΐδιόν τε. καὶ ἀόρατον ἐν τῷ εἶναι καταλαμβάνεται· καὶ πᾶν τὸ περὶ αὐτὸ θεωρούμενον ἀεὶ ὡσαύτως ἔχει, οὔτε προσγινόμενον, οὔτε ἀπογινόμενον. ὥστε εἴ τις λέγοι περὶ θεοῦ, ὅτι πρότερον μὲν ἦν, νῦν δὲ οὐκ ἔστιν, ἢ ὅτι νῦν μέν ἐστι, πρότερον δὲ οὐκ ἦν, ἔπισης ἄθεον κρίνομεν τῶν εἰρημένων ἑκάτερον. κολοβοῦται γὰρ ὁμοίως δι' ἀμφοτέρων ὁ τῆς ἀϊδιότητος λόγος, καθ' ἑκάτερον μέρος τῷ ἀνυπάρκτῳ περικοπτόμενος.

1 Tom. IV *Bibl. Patrum.* col. 292. — 2 Lib. *de Fide ad Pet.* cap. i,

quam diximus, æternitatis. Et Isidorus Pelusiota libro tertio, epist. XVIII : « Nihil, inquit, divinæ naturæ tam proprium est, nec quod expressius, eam notet, et insigniat, quam æternitas[a]. » Quare cum Dei Verbum unigenitus sit, et verus Dei Filius, ac verus ipse Deus, eadem cum illo æternitate præditus sit oportet, quæ nec initium habeat, neque finem sit habitura. « Ut enim lumen de lumine, vita de vita, et ex bono bonus, et sapiens, et justus, et potens, et in aliis id genus talis est ex tali; sic ex æterno plane æternus existit[b], » ait Gregorius Nyssenus. »

Item ex eo quod generatio sit quædam Patris locutio.

X. Præterea inde etiam generationis, ut et Filii, æternitas petitur, quod et illa locutio sit quædam, et hic Verbum Patris, utrumque vero æternum est in Deo. « Quænam est, inquit Augustinus serm. I *de Nat. Domini*, illa generatio, qua in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antea non silebat; quo dicto non siluit, qui dicebat; quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora ? Verbum, quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum ? » Ut ergo ab æterno intelligit Pater, neque vel momento sine intellectione fuit, (neque enim potentia in Deo est ad intelligendum aliqua, sed purus, ac simplex est actus, cujus in ea, quam nostri actualem intellectionem vocant, vita et essentia consistit); necesse est, tam generationem, quæ est intellectio, et locutio, quam Verbum, qui est intellectionis terminus, itidem ex æterno fuisse. Quæ ratio postea clarius explicabitur, cum de Verbo agemus. Interim, ut quam sit illud consequens, nemo dubitare possit, testem adducemus eum, qui sola duce natura facile id agnovit, professusque est, Platonem apud Alcinoum; qui de illius ideis disputans, eas ait esse « intellectiones Dei sempiternas, et perfectas. Esse autem ideas, inquit, ita probant. Nam sive intellectus est Deus, sive intelligibilis, insunt ipsi notiones, eæque sempiternæ, et immutabiles; quod si ita est, ideæ sint oportet[c]. »

Item ex ipsa Patris appellatione.

XI. Denique ex ipsa Patris appellatione generationis vicissim æternitas concluditur, ut de Filio superius ostendimus. Nam Filius sine generatione nullus est. Porro, ut ibidem diximus, si Filius ex æterno non fuit, sed eum in tempore gignere cœpit æternus Pater, necesse est, hunc ex æterno Patrem non fuisse, sed ante Deum, post vero Patrem. Ita Ambrosius contra Arianos disserit in libro *de Symbolo*[1] : » Quod Pater est, esse non cœpit; et si non cœpit, nec Filius cœpit. » Et in primo *de Fide*[2], « Nam si Pater, inquit, esse cœpit, Deus ergo primo erat, postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus ? Si enim ante Deus, postea Pater; utique generationis accessione mutatus est, etc. Pia namque mens generationem sine tempore asserit, ut et sempiternum Patrem cum Filio dicat, nec aliquando asserat, esse mutatum. » Et Augustinus[3] : « Non possumus aliter confiteri æternum Patrem, nisi confiteamur etiam et Filium coæternum. Ex filio pater dicitur; et qui semper Pater fuit, semper Filium habuit. »

Sed Hilarius[4] imprimis uberi, et accurata oratione id explicat; cujus inter alia verba ista sunt: « Quod ex æterno natum est, id si non æternum natum est, jam non erit et Pater auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab æterno Patre natus, ex æternitate defuerit, idipsum auctori, non est ambiguum defuisse; quia, quod gignenti est infinitum, infinitum est etiam nascenti. » Ac deinde : « Qui non semper pater est, non semper et genuit. Ubi autem semper Pater est, semper et Filius est. Si itaque habes in cognitione, vel sensu, Deum, in cujus cognitionis sacramento proprium est, quod Pater est, non semper Patrem esse Filii unigeniti; habes et in intelligentia, et scientia, non semper Filium esse, qui genitus est. Quod si semper Patri proprium est, quod semper est Pater; necesse est Filio, semper proprium esse, quod semper est Filius. » In his Hilarii verbis notandum illud est, quod æternitatem Filii ex eo probat, quia proprium est Dei Patris, ut sit Pater; et hoc in ejus cognitionis sacramento proprium est. Quocirca, quemad-

a Isidorus Pelus. lib. III, epist. XVIII. Οὐδὲν γὰρ οὕτως ἴδιον, καὶ χαρακτηριστικὸν τῆς θείας φύσεως, ὡς τὸ ἀΐδιον.

b Gregor. Nyssen. lib. I *contra Eunom.* Ὡς γὰρ ἐκ φωτὸς φῶς, καὶ ζωὴ ἐκ ζωῆς, καὶ ἐξ ἀγαθοῦ ἀγαθὸς, σοφός τε, καὶ δίκαιος, καὶ δυνατὸς, καὶ τὰ ἄλλα πάντα. ὡσαύτως ἐκ τοιούτου τοιοῦτος· οὕτω καὶ ἐξ ἀϊδίου πάντως ἀΐδιος.

c Alcinous, cap. IX. Εἶναι γὰρ τὰς ἰδέας νοήσεις θεοῦ αἰωνίους τε, καὶ αὐτοτελεῖς. ὅτι δέ εἰσιν αἱ ἰδέαι καὶ οὕτω παραμυθοῦνται. εἴτε γὰρ νοῦς ὁ θεὸς ὑπάρχει, εἴτε νοερὸν, ἔστιν αὐτῷ νοήματα, καὶ ταῦτα αἰώνιά τε, καὶ ἄτρεπτα, εἰ δὲ τοῦτο, εἰσὶν αἱ ἰδέαι.

1 Cap. IV. — 2 Cap. V. — 3 Serm. CXCI *de Temp.* Vide Cerealem cap. IX; tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 4 Lib. XII

Tetragrammaton. Ineffabile.

modum Dei nomen, vel potius τετραγράμματον illud, et ἀνεκφώνητον, יהוה, quod nullam ad res creatas vel certi temporis functiones σχέσιν, et *comparationem* indicat, sed ipsammet declarat essentiam, ex omni æternitate convenit Deo, neque adventitium est. Sic Patris, et Filii vocabula, quæ personas ipsas divinas, sine ulla ad creaturas habitudine demonstrant, æterna sunt. Proinde et generatio ex æterno fuerit oportet. Cyrillus item in libro VIII *contra Julianum*, æternitatem Filii ex Patris æternitate comprobat, quod ex omni æternitate sit Pater; et etiam δημιουργός, quæ omnia, nisi Filius existat, esse non potest. Δημιουργὸν vero ex æterno dici Patrem intellige sic, quod ab æterno res in tempore facere decreverit. Hoc vero sine Filio minime potuit. Itaque « qui Patrem confitetur æternum, necessarium est, ut et Filium ei perhibeat coæternum, » ait Petrus Damiani [1].

Generatio Verbi nunquam desinet prout nunquam esiit, nec tamen imperfecta.

XII. Sed nec unquam desiit, aut in omnem æternitatem desinet. Est enim interior, et immanens actio, sive quo alio nomine divina illa productio vocatur; unde est idem cum Deo, atque adeo desitura nunquam. Itaque perpetuo Pater Filium gignit. Hinc adversus Arianos Augustinus epistola CLXXIV, « Quid ergo dicemus ? inquit. Si natus est Filius Dei de Patre, jam Pater destitit gignere; et si destitit, cœpit. Si autem cœpit gignere, fuit aliquando sine Filio. Sed nunquam fuit sine Filio, quia Filius ejus sapientia ejus est, qui candor est lucis æternæ. Ergo semper gignit Pater, et semper nascitur Filius. » Eamdem prorsus argumentationem instruit Cyrillus Alexandrinus in X *Thesauri ;* et alii plerique. Hinc etiam Rupertus in sexto *de Glorificatione Trinitatis*, capite VI, quod scriptum est, *Ego hodie genui te*, sic accipit, ut sit « in æternitate, in immutabilitate. Sicut enim illi est esse, et non fuisse, aut futurum esse, etc. Sic in genitura ejus neque heri, neque cras admittet intellectus fidei nostræ, sed solum hodie. » Vide et Damascenum libro I, cap. VIII, et Augustinum in illum *Psalmi* locum. Atenim imperfecta erit generatio. Ita sibi Augustinus objicit; nec aliter dissolvit, quam præscriptione divinæ generationis, quæ prorsus enarrari non potest, neque animo comprehendi. At Theodorus Abucara plenius respondet ; qui primum generationem Filii nullum initium habere dicit; quod in Deo χρονικῶς ista non dicantur, *genuit* et *genitus est,* sed αἰωνίως. Itaque non tanquam præterita usurpantur, sed ut semper præsentia. Sicut cum dicimus, *Erat Deus*, non præteritam Dei significamus existentiam; est enim semper. Postea, quod oppositum erat, imperfectam fore generationem, negat ille; quippe nec imperfectam esse Patris, ac Filii ὕπαρξιν, quia finem non habet. Atqui id potius est summe perfectum, quod ex seipso finem habet, atque in fine semper est, nec eum extrinsecus accedentem capit. Deinde cum gigni Filium, nihil sit aliud, quam habere ὕπαρξιν, id est existentiam a Patre; semper autem a Patre Filius habeat existentiam; ideo nunquam non gignitur. Addit et *gignendi* vocabulum in nobis viam quamdam significare ad obtinendam ὕπαρξιν; at in Filio Dei non viam significare, qua ad ὕπαρξιν perveniat, sed ipsammet ὕπαρξιν, ac modo solum ista differre, quod ipsum *esse*, cum per se sumitur, sit existentia ; cum autem ex Patre esse intelligitur, gigni dicatur [a]. Ita non est absonum, gigni perpetuo Filium, hoc est a Patre habere semper ut sit. Nam quod argumentantur insuper hæretici, aut existentem Filium genuisse Patrem, aut nondum existentem, itidem esse ait, ac si quis requirat, utrum existentis Filii principium fuerit Pater, an non existentis ; cui sit ita respondendum : quoniam Pater principium semper est, ut existat Filius; eumdem semper existentis Filii esse principium, ac proinde existentem genuisse [b].

Temporarie. *Æternaliter* *Exstantiam*

a THEOD. ABUC. op. XXVI. Εἰ μὲν γὰρ χρονικῶς ἐλέγετο ἐπὶ θεοῦ τὸ ἐγέννησε, καὶ ἐγεννήθη, ἄπορον ἦν τὸ λεγόμενον. ἐπεὶ δὲ ὁ εὐσεβὴς νοῦς αἰωνίως ὑποτίθησι ταῦτα, οὐκέτι ὡς παρελθόντα ληπτέον αὐτὰ, ἀλλ' ὡς ἀεὶ ὄντα. ὥσπερ γὰρ ἦν ὁ θεὸς οὐχ ὡς παρελθοῦσαν ἔχων τὴν ὕπαρξιν· καὶ γάρ ἐστιν ἀεί· οὕτως τὸ ἐγέννησε, καὶ ἐγεννήθη.

Ibid. Αἱρετ. ἀτελὴς ἄρα ἡ γέννησις εἰ ὁ μὲν ἀεὶ γεννᾷ, ὁ δὲ γεννᾶται. Ὀρθοδ. οὐ μὲν οὖν. καὶ γὰρ ὁ πατὴρ ἀεί ἐστιν, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ υἱός. ἀτελὴς ἄρα κατά σε ἡ ὕπαρξις τοῦ τε πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, ὅτι οὐ λαμβάνει πέρας. μᾶλλον δὲ τοῦτό ἐστι τὸ τελειότατον, τὸ οἴκοθεν ἔχον τὸ τέλος, καὶ ἀεὶ ἐν τέλει ὂν, καὶ οὐκ ἔξωθεν ἐπιγινόμενον. Ἔτι δὲ, ἐπὶ τὸ γεννᾶσθαι τὸν υἱὸν, οὐκ ἄλλο σημαίνει, ἢ τὸ ἔχειν τὴν ὕπαρξιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀεὶ δὲ πατρόθεν ἔχει τὴν ὕπαρξιν, ἀεὶ ἄρα γεννᾶται.

Mox : Τὸ γὰρ γεννᾶσθαι ὁμώνυμον. ἐπὶ μὲν γὰρ ἡμῶν ὁδός ἐστιν εἰς ὕπαρξιν· ἐπὶ δὲ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, αὐτὴν τὴν ὕπαρξιν σημαίνει, καὶ οὐχὶ ὁδὸν εἰς ὕπαρξιν· μόνῳ δὲ τῷ τρόπῳ διαφέρουσι. τὸ γὰρ εἶναι αὐτὸ καθ' αὑτὸ μὲν λαμβανόμενον ὕπαρξίς ἐστιν· ὡς δὲ ἐκ τοῦ πατρὸς νοούμενον, γεννᾶσθαι λέγεται.

b Ib. Ἐπεὶ οὖν ὁ πατὴρ ἀεὶ αἴτιός ἐστι τοῦ εἶναι. τὸν υἱὸν, δῆλον ὅτι ἀεὶ τοῦ υἱοῦ ὄντος ἔστιν, αἴτιος αὐτοῦ

1 Opusc. I, cap. I.

Nam gignere non significat in Deo ex eo, quod non est, ad id, quod est producere, sed simpliciter tribuere esse; quod utrumque cum sit æternum, nullum ante se ei, quod non est, intervallum reliquit. Sed neque ἀτελής, hoc est *imperfecta* est illa generatio, quasi nihil producat. Existit enim Filius, qui et semper gignitur. Unde ἀτελής eo sensu appellari potest, quod nunquam desinat, neque ullo fine claudatur.

XIII. Gregorius papa in libro *Moralium* XXIX, capite primo, quiddam ait, quod huc omnino pertinet: « Dominus Deus noster Jesus Christus, inquit, in eo, quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est; vel potius, quia nec cœpit nasci nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus videatur. At vero, ut æternus designari valeat, et perfectus, semper dicamus et natus; quatenus et natus ad perfectionem pertineat, et semper ad æternitatem. » Verum Origenes homilia VI *in Hieremiam,* Verbum Dei *semper ex Patre nasci* dicit, ad idque illud accommodat, quod est *Proverbiorum* octavo, *Ante omnes colles generat me;* « non ut quidam, inquit, male legunt, generat. » Sane in Græco est γεννᾷ με, Latine *parturiebar,* in Hebræo חוללתי hoc est *formata sum.* Sed non magna vis est loci istius, qui de æterna generatione non est intelligendus. Nec tamen reprehendendus est, qui sic loquitur, *Filius nascitur semper*, dum ea nativitas verbis illis subjiciatur, qualem hactenus exposuimus. Auctor *Scholiorum in Boetium de Trinitate*, quæ inter Bedæ opera cusa sunt, eodem fere modo, quo Theodorus Abucara, respondet quæstioni illi, « utrum possit dici, Pater gignit, vel gignet Filium, vel spiritus procedet. Ad hoc, inquit, dicimus, quod nullum verbum ad loquendum de Deo translatum, tempus consignificat. Non enim dicitur, Pater genuit Filium, eo quod genuit, significat præteritionem; sed quia consignificat perfectionem, ut scilicet denotet perfectionem generationis Filii a Patre. Elegit ergo Ecclesia sancta dicere, Pater genuit Filium, ut (per) perfectum præteritum denotetur perfectio generationis; non autem gignit, vel gignet, ne per præsens, vel futurum generationis insinuetur imperfectio. » Subinde vero addit, in processione Spiritus sancti uti Ecclesiam præsenti tempore, « eo scilicet, quod quotidie dat nobis illum Deus. » Sed hoc leve est. Itaque non minus de Filio dicitur, Pater eum gignit, quam de Spiritu sancto, Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, aut *Spiritus procedit;* dum ea sit loquendi cautio, ut absolute, et sine ulla temporis differentia usurpari Verbum illud appareat. Ut cum dicimus *Deus est,* aut existit. Quid quod ipsemet Gregorius in libro XXIII ejusdem operis *Moralium*, *semper nasci Filium* diserte asserit. « Quia enim unigenitus Filius idem Verbum Patris, ait, et perfectione natus dicitur, et pro æternitate semper nasci perhibetur; sacra Scriptura libere dicere de Deo consuevit, quia locutus est, et loquitur. In eo enim, quod perfectum Verbum genuit, et locutus est Pater; in eo autem, quod semper gignit, utique loquitur. » Hinc illud explicari potest, quod Augustinus in libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione XXXVII scripsit: « Melior est semper natus, quam qui semper nascitur; quia qui semper nascitur nondum est natus, et nunquam natus est, aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam Filius, si nunquam natus; Filius autem, quia natus, semper est Filius; semper igitur natus. » Vere illud quidem Augustinus, Filium Dei semper natum esse contendit, adeoque non nasci semper, eo scilicet nascendi modo, quo id, quod nasci dicitur, nondum natum intelligitur. Hoc autem in creatis rebus ita se habet, quarum generatio ἀτελής est. At divina *Imperfecta.* quia perfecta est, præcipuum hoc obtinet, idem ut semper natum sit, quod semper nasci dicitur.

XIV. Ad hæc generationi divinæ inest hoc *In hac generatione quod gignitur æquale est generanti.* etiam, ut æquale sit generanti, quod gignitur. « Æqualitas enim nonnisi ex eadem est natura, » inquit Hilarius [1], et eam, ut ibidem dicit, « nativitas genuina consummat. » Tum [2], « quia Deo Patri in eo, quod ex Deo Deus est natus, æqualis est, est etiam æqualis in honore. » Hinc acute Bernardus, homilia tertia *de Adventu,* « Altissimus, inquit, Deus Pater, quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, nec inæqualem gignere Filium. » Vide Cyrillum Alexandrinum libro I *in Joannem*, capite tertio. Hæc autem æqualitas cum in natura

ὁ πατήρ. ὥστε ὄντος αὐτοῦ ἦν αἴτιος αὐτοῦ ὁ πατήρ· τοῦτο δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ, ὄντα αὐτὸν γεγέννηκεν. ὄντα ἄρα αὐτὸν γεγέννηκε.

1 Lib. IX. — 2 Lib. XII.

præcipue, tum in cæteris deinde nativis proprietatibus consistit. Nam « cum Pater, ut ait Augustinus[1], omnia quæ habet, gignendo dederit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, ideo æqualem Patri Filium non esse, cum eum, cui data sunt omnia, et ipsam æqualitatem videas accepisse ? » Ac tametsi « beatius esse dixerit Christus [2], dare, quam accipere ; » tamen, « ubi, qui dedit, gignendo dedit, et qui accepit, nascendo accepit, non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest, qui accepit, ei, qui dedit, esse inæqualis, quia et hoc accepit, ut esset æqualis. » Vide et cap. XV et Cyrillum *in Thesauro*, præsertim libro IV et V et libro I *in Joannem*, capite tertio, ubi de Filii æqualitate, ac perfectione accurate disserit. Hinc sæpe Patres *perfectum a perfecto* esse Filium dicunt, ne quis generationem, quam perpetuam, et sempiternam esse demonstravimus, obstare putet illius, qui gignitur, absolutæ perfectioni. « Est, inquit Hilarius libro secundo, progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientia sapientiæ, gloria gloriæ. » Et in tertio, « Igitur perfecti Patris perfectus Filius, et ingeniti Dei genita progenies, qui ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, Spiritus a Spiritu,» etc. Tum in septimo eleganter idem : « Non exæquatur, ac similis est Deo creatura, neque ei naturæ alienæ potestas comparatur. Sola ei nativitas Filii non improprie per similitudinem creditur æqualis. Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur. Si enim aliquid, quod non ex ipso est, reperiri potest simile ei, ac virtutis ejusdem, amisit privilegium Dei sub consortio coæqualis; jam non erit Deus unus, a quo indifferens sit Deus alius. At vero non habet contumeliam proprietatis æqualitas, quia suum est quod sui simile est; et ex se est, quod sibi ad similitudinem comparatur; nec extra se est, quod, quæ sua sunt, potest; et profectus dignitatis est, genuisse potestatem, nec alienasse naturam. » Ac generatione quidem vera, et substantiva Filium a Deo Patre productum esse, æqualemque adeo, nec minus perfectum, certum ex eo fit, quod alioqui non diceretur verus Deus. « Opus enim aliud sit necesse est ab artifice (ait Tertulliamus libro secundo *contra Marcionem*, capite IX), id est inferius artifice. Nec urceus enim factus a figulo, ipse erit figulus. » De perfecto rursus perfecti Patris, ac divini genitoris Filio, nec incrementis quibusdam adolescente, Cyrillus Hierosolymitanus in undecima catechesi scribit sic : « Filius Dei perfectus natus est. Quod enim nunc est, hoc etiam est ab initio, sive principio genitum, etc. Imperfecta est, o homo, tua generatio, nam successione fit accessio. At illic rem habere aliter existima, neque gignentem imbecillitatis accusa[a]. » Vide Athanasium oratione secunda.

XV. Habet hoc præterea generatio illa divina singulare, quod ab uno tantum Patre gignatur Filius, neque ἐκ συνδυασμοῦ nascatur, ut animalia omnia perfecta. In quo « ridiculi erant Ariani, ut scribit Hilarius[3], præscribentes Deo, cum assererent ex uno nasci nihil posse, quia universarum rerum ex duorum conjunctione nativitas est, Deum autem indemutabilem nullam ex se nativitatem tribuere posse nascenti, quia nec assessioni id, quod non demutatur, obnoxium sit, nec solitarii, atque unius natura id in se habeat conditionis, ut generet. » Verum id inest peculiare uti dixi, generationi isti, quod ab uno principio proficiscatur. Est enim immanens actio, quæ extrinsecus minime profunditur, et mentis cognitio simplex, atque eadem semetipsum intuentis, et contemplantis Patris; ut sit idem et intelligens, et quod intelligitur, imo et intellectio ipsa, cujus proinde terminus neutiquam ex diversis oritur, sed ex uno et simplicissimo fonte ; quocum unum et ipse natura est, et essentia, tametsi non se ipse producat, sed ab alio gignatur ; « Pater enim nunquam sine Filio, et tamen sine Filio Pater genuit Filium, » ut ait Isidorus [4].

Duorum conjunctione.

Hæc generatio ab uno fit principio.

Cum autem ab uno solum Filius ortum acceperit, is Patris potius, quam matris appellatione censetur ; quoniam penes marem principium est motus, ac generationis, ut scribit Aristoteles[5]. Quare ut origo ipsa generationis æternæ , ac principium exprimatur , Pater

Cur Pater potius quam mater dicatur Deus.

a Cyril. Hieros. *Cat.* II. Ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τέλειος ἐγεννήθη. ὅπερ γὰρ νύν ἐστι, τοῦτο καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐστι, γεγεννημένον ἀνάρχως, etc. Ἀτελὴς ἄνθρωπε ἡ σὴ γέννησις· ἐκ προκοπῆς γὰρ ἡ πρόσληψις· ἐκεῖ δὲ οὕτω μὴ νόμιζε· μηδὲ ἀσθένειαν κατηγόρει τοῦ γεγεννηκότος.

1 Lib. III *cont. Max.* cap. XIV. — 2 *Act.* XX, 35. — 3 Lib. VIII. — 4 Lib. I *Differ.* n. 3. — 5 Lib. I *de Gen. anim.* cap. II.

dicitur Deus, tametsi de matris nomine, ac proprietate trahit aliquid; dum *ex utero genuisse* dicitur. Hæc appellationis ratio in opusculo quodam *de Trinit.* traditur [1], quod Augustino inscriptum est, ac Græce, Latineque est editum in *Bibliotheca Patrum:* « In Patre, inquit, est principalis causa prolis, et ideo a principali sexu debuit jure hoc nomine appellari [a]. » Sic Anselmus *Monologii* capite XL eamdem causam affert, « quia prima, et principalis causa prolis semper est in patre. Nam si maternam causam quolibet modo semper paterna præcedit, nimis est incongruum, ut illi parenti adaptetur nomen matris, cui ad gignendam prolem nulla alia causa aut sociatur, aut præcedit. » Cur autem Filius potius, quam filia nominetur, ibidem rationem ita reddit Anselmus, « quod filius semper similior est patri, quam filia. Nihil autem similius est alteri, quam summo Patri proles sua. » Cui consentit et Augustinus ille Græce, Latineque editus. Nam cur Filius sit potius, quam frater, cum sit Patri coæternus, facilis est causa, quam Athanasius oratione secunda ita refert: « Non enim ex aliquo antecedente principio Pater, et Filius nati sunt, ut fratres existimentur; sed Pater principium Filii, et genitor est [b]. » Quæ verba Cyrillus in quarto *Thesauri* descripsit.

Summa eorum quæ hucusque exposita sunt.

XVI. Postremo quæ de divina generatione hucusque longiori disputatione percurrimus, versibus aliquot complexus est Prudentius [2], quos hic melius sit adscribere:

« Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, [quem
Non genitus Genitor generaverit, unus et [unum,
Integer integrum, non cœptum, sed tamen [ortum,
Et comperpetuum Patri retro, sed Patre [natum.
Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset
Filius, extendens nec se substantia tractim
Produxit, minuitve aliquid de Numine pleno,
Dum mutata novum procudit portio Natum.
Non convertibilis, nec demutabilis unquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit; [atqui
Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sine lumine? quando [refulgens
Lux fulgore caret? Quando est ut proditus [ignis
Ignem deminuat? Quando Pater, et Deus, [et lux
Non lucis Deus, et Pater est? qui, si Pater [olim
Non fuit, et serum genuit post tempora Natum,
Fit novus; inque novum jus perficit, absit ut [unquam
Plenius proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus, et genitor, lumenque, et gloria [semper
Ille fuit; nec post sibi contulit, ut Pater esset,
Sic fit, ut æternum credamus cum Patre [Christum
Illo auctore satum, cui nullus præfuit auctor.»

Jam quæ de generatione sempiterna Verbi hactenus exposui, eadem et de processione Spiritus sancti usurpari possunt, habita ejus, quod proprium illi est, ratione. Imprimis vero ipsam et ex omni æternitate fuisse, et nunquam esse desituram, quod Paschasius Diaconus probat in primo *de Spiritu sancto*, capite X. « Sed interrogas, inquit, utrum semper Spiritus ex Patre procedat. Semper cum illo, semper ex illo; sicut calor ex igne, ita sine intermissione profertur, ut egredi sciat, separari nesciat. Nam si non esset Spiritus sancti processio sempiterna, localis videretur esse substantia. » Esset enim, ut natura, et proprietatibus omnibus, ita loco circumscriptus, nec immensus.

a August. tom. I *Bibl. Græco-Lat.* Ἀεὶ ἐν τῷ Πατρί ἐστιν ἡ ἀρχοειδὴς αἰτία τοῦ τέκνου. διὰ τοῦτο καὶ τῷ τοῦ ἀρχοειδεστέρου ἐν τοῖς γονεῦσιν ὀνόματι προσηκόντως ἔδει καλεῖσθαι.

b Athan. Οὐ γὰρ ἐκ τινὸς ἀρχῆς προϋπαρχούσης ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς ἐγεννήθησαν, ἵνα καὶ ἀδελφοὶ νομισθῶσιν. ἀλλ' ὁ πατὴρ ἀρχὴ τοῦ υἱοῦ, καὶ γεννήτωρ ἐστί.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* — 2 Prud. in *Apoth.*

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER SEXTUS

IN QUO SECUNDÆ PERSONÆ TRINITATIS, QUI EST FILIUS, PROPRIÆ NOTIONES AC VOCABULA DECLARANTUR.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus secundæ personæ propriis; imprimisque de Verbo, *sive* λόγῳ, *cujus notiones variæ declarantur, Melius* Verbum, *quam* Sermo *de Filio usurpatur; idque in usu frequentius est. Sermo vero non tantum de incarnato Filio dicitur. De duplici verbo, vel sermone, interiore, et prolatitio. Utrumque ad exprimendam Filii personam adhiberi a Patribus; sed illud imprimis congruere.*

I. Divinæ generationis universe hactenus tradita ratio est, quatenus commune illi vocabulum, ac subjectam vocabulo definitionem convenire monstravimus; nunc eamdem nominatim magis ac proprie declarabimus, expositis quibusdam appellationibus, quibus et secundæ personæ proprietas, et modus ipse generationis exprimitur. Sunt autem innumera ista nomina, quæ Scripturæ passim ad Filium accommodare solent; quorum aliam divinam ejus substantiam, alia assumptam hominis naturam, alia ex utroque complexam personam respiciunt, cujusmodi multa ab Gregorio Nazianzeno percensentur in fine orationis XXXVI; Ambrosio, libro *de Filii divinit.* cap. VI; Origene, tomo primo *in Joannem* ad illa, *In principio erat Verbum;* Augustino, sermone secundo *de Trinitate*, tomo X, ac Theodoreto in quinto libro *adversus Hæreses*[1]. Ambrosius[2] vero nomina illa, quæ ad Christi divinitatem pertinent, trifariam distribuit. « Sunt enim nomina quædam, quæ evidenter proprietatem deitatis ostendunt; sunt quæ similitudinem Patris, et Filii; sunt etiam, quæ perspicuam divinæ majestatis exprimunt unitatem. Proprietatis itaque sunt, generatio, Deus, Filius, Verbum. Similitudinis, splendor, character, speculum, imago unitatis æternæ, sapientia, virtus, veritas, vita. » Ita duodecim existunt nomina, totidem ab illo comparata gemmis, quæ in pectorali summi pontificis fuerunt; ex quibus tria seligemus, hoc est de unoquoque genere singula, quæ sunt, *Verbum*, vel potius Λόγος, *Imago, Sapientia;* quibus patefactis, intima generationis notio, ac Filii proprietas intelligetur.

Secundæ personæ Trinitatis plura nomina.

II. Ex iis præcipuum illud est τοῦ λόγου, quod ab gentilibus etiam philosophis usurpatum, et in pretio habitum esse demonstrant Eusebius[3], Theodoretus[4], ex iisque Eugubinus[5], necnon Philo passim, ut idem adnotavit. Atque istud ipsum in Veteri Testamento sæpius, quam *Filii*, nomen auditum, testis est Rupertus libro VI *de Glorificatione Trinitatis*, capite XVII. Nec id mirum est, cum neque *Patris* cognitum vulgo fuerit, propria illa notione, qua ad unigenitum Filium refertur, sed novæ legi reservatum sit, ut alibi diximus. Igitur unum apud Græcos vocabulum λόγος pluribus inter Latinos et nominibus, et sensibus exprimitur, quæ sunt præcipue quatuor. Aut enim ratio est, qua qui utuntur, ratiocinari, et rationales esse dicuntur; aut causa, quæ redditur, rei cujuspiam; aut essentia ejus, ac definitio; aut sermo, tam interior, quod verbum proprie dici solet, quam interioris interpres, qui sermo, vel oratio magis appellatur; quintam suggerit Hieronymus epistola CIII ut sit *supputatio*, ita

Plures τοῦ λόγου (logou) sensus.

1 Cap. II. — 2 In præf. lib. II *de Fide.* — 3 Euseb. XI *Præp.* — 4 Ser. II *cont. Græc.* — 5 Lib. I *de Per. Phil.* c. XXVI et seq.

scribens ad Paulinum : « λόγος enim Græce multa significat. Nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt, quæ universa recte intelligimus in Christo. » Est et alia quædam λόγου significatio propria Græcorum, Latinis inaudita, quæ λόγοι pro doctrinis et eruditionis artibus sumuntur. Quo quidem sæpe Græci Patres respiciunt, dum λόγον, quæ est Trinitatis persona secunda, nominant; ut inter alios Gregorius Nazianzenus, qui in prima Invectiva contra Julianum imperatorem, a quo λόγοις, id est doctrinarum studiis interdictum erat christianis, eleganter ad utramque notionem allusit, Verbi Dei, et politiorum litterarum : « Non enim, inquit, λόγῳ, id est Verbo tantum gratia ea, quæ per verba rependitur, aptissima et congruentissima est, utpote, præter alia vocabula, quibus appellatur, hoc quoque nomine, ac nominis vi, et facultate singulariter gaudenti ; verum etiam pœna hæc illi pulchre convenit, ut pro eo scelere, quod in doctrinas commisit, doctrinarum sermone crucietur, quas ratione utentibus communes omnibus, tanquam proprias, christianis invidit, præter omnem maxime rationem de doctrinis illis statuens[a]. » In his mira est varietas notionum uni subjecta λόγου vocabulo, quam Latina copia nequit assequi. Nam et pro ratione, et pro sermone, vel oratione, et pro doctrinis usurpavit.

Sic Isidorus Pelusiota, « Qui una, inquit, cum aliis magnis, et admirandis nominibus, divinæque ipsius naturæ magnificentiam, quatenus fas est, significantibus, etiam λόγος appellari dignatus est, doctrinas non odit, neque Sapientia sapientiam abdicat[b]. » Athanasius item sub initium libri V *contra Arianos* ait, Filium ex Patre esse, « tanquam ex Deo Deum, ex sapiente sapientiam, ex rationali rationem[c]. »

Logos. Itaque Græci nonnulli Patres, cum de Filio Dei loquuntur, qui λόγος dicitur, ambigue nomen istud usurpant ; ut cum Patri coæternum esse probant, quia nunquam Pater ἄλογος fuit, quod Gregorius Nazianzenus [1], et Nyssenus [2], ac Damascenus [3] adstruunt. Nam vox ista, cum ad aures accidit, nihil prius occurrit animo, quam *expers rationis*, qua rationales dicimur. At illi non tam *ratione carentem* intelligunt, quam *Verbo*, sive *sermone*, et quidem interiori, hoc est cognitione, ac notione, uti mox ostendam. Atque ita Philo Judæus in libro, *Quod deterior insidietur potiori*, ἄλογον sumpsit pro eo, qui sermone, non qui ratione careat, dum Mosem se ἄλογον dixisse refert. Vel certe λόγον pro expressa ratione, ac sapientia sumunt, hoc est sapienti, et rationali, atque intelligibili ἐννοίᾳ, sive notione. Sic Lactantius [4] : « λόγος enim, ait, et sermonem significat, et rationem, quia ille est et vox, et sapientia Dei. » Et Augustinus in libro *De quinque hæresibus*, capite sexto * « *In principio erat Verbum.* Melius Græce dicitur λόγος. Logos quippe verbum significat et rationem. » Ambrosius [5] in libro *de Filii divinitate* **, « Ratio quædam est, inquit, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, et Filium personas, vel vocabula distinguit, quia et ipse Filius ratio dicitur ; » quæ verba apud Augustinum quoque exstant in sermone secundo *de Trinitate*, qui totus ex illo libro concinnatus est. Idem vero et inter Gregorii Nazianzeni orationes, XLIX ponitur, quasi e Græco translatus a Ruffino. Paschasius quoque Diaconus in primo *de Spiritu sancto*, c. IX, Filium *rationem* esse dicit.

III. Dionysius in libro *de Divinis nominibus* λόγον interpretatur continentem, ac permeantem omnia rationem : « λόγος, inquit, in sacris Litteris celebratur Deus, non solum quia rationis, et mentis, ac sapientiæ distributor est, sed etiam quia causas omnium in sese simpliciter ante complexus est : et quia contendit, ac penetrat omnia, ut sacræ Litteræ testantur[d]. »

a NAZIANZ. orat. III. Καὶ γὰρ οὐ τῷ λόγῳ μόνον ἡ διὰ λόγου χάρις οἰκειοτάτη, μετὰ τῶν ἄλλων, ὧν ὀνομάζεται, καὶ ταύτῃ χαίροντι τῇ προσηγορίᾳ διαφερόντως, καὶ τῇ δυνάμει τῆς κλήσεως· ἀλλὰ κἀκείνῳ πρέπουσα δίκη, λόγῳ κολάζεσθαι ὑπὲρ τῆς εἰς λόγους παρανομίας· ὧν κοινῶν ὄντων λογικοῖς ἅπασιν, ὡς ἰδίων αὐτοῦ χριστιανοῖς ἐφθόνησεν.

b ISID. PELUS. lib. III, epist. CCCLXXVI. Μετὰ τῶν ἄλλων ἐπωνυμιῶν τῶν μεγάλων, καὶ θαυμαστῶν, καὶ τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως τὴν μεγαλοπρέπειαν, ὡς ἐνδέχεται, σημαινουσῶν, καὶ λόγος κληθῆναι καταξιώσας, οὐ μισεῖ τοὺς λόγους, οὐδὲ ἡ σοφία τὴν σοφίαν ἀποκηρύττει.

c ATHAN. orat. V. Ὡς γὰρ ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ ἐκ σοφοῦ σοφία, καὶ ἐκ λογικοῦ λόγος.

d DIONYS. cap. VII *de Div.-nom.* Λόγος δὲ ὁ θεὸς ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων, οὐ μόνον ὅτι καὶ λόγου,

* Hunc librum S. Augustino Benedictini PP. non temere abjudicant. Z.

** Ambrosii non esse hunc librum Maurini statuunt, qui illum propterea in appendicem rejiciunt. Z.

1 Orat. XXXV. — 2 Orat. cat. cap. I. — 3 Lib. I, cap. VI. — 4 Lib. IV, cap. IX. — 5 Cap. VI.

Quem locum enarrans Maximus, ideo vocari λόγον ait, « quoniam naturæ totius rationes insunt illi, tanquam causæ, ac principio creaturæ omnis. Per ipsum enim existunt omnia. Quin et ideæ, atque exemplares formæ in illo sunt, quæ sunt æternæ notiones, ac rationes omnium effectrices, adeoque natura ipsa. Siquidem natura ipsa ratio est causam, naturamque continens; quoniam non temere, ac frustra naturæ sunt existentium rerum [a]. » At Augustinus [1] *rationem* minus recte vocari Filium asserit, « quam Verbum, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia. Ratio autem, etsi nihil per illam facit, recte ratio dicitur. »

Gregorius vero Nazianzenus [2] Filium Dei ὅρον καὶ λόγον τοῦ πατρὸς nominat, id est *definitionem, et rationem*. Tum alio in loco fuse nominis illius interpretationem edisserit. « Verbum, inquit, appellatur, quod sic ad Patrem se habet, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verumetiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem. Fortasse etiam, quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium intellexit, ait, hoc enim significat illud, Qui vidit, etiam intellexit Patrem; ac brevis et compendiosa, facilisque naturæ paternæ declaratio Filius est. Omne enim, quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit. Quod si quis etiam, quia rebus inest omnibus, λόγον appellari velit, a ratione non abhorrebit. Quid est enim, quod non Verbo conditum sit [b]? » Igitur definitio naturæ paternæ, ac proprietatis ideo Filius dicitur, quoniam expressa est illius imago, eamque declarat; quemadmodum definitio rem definitam explicat, et efficit, ut ea mente capiatur, et intelligatur. Quippe relata sese mutuo explicant, ac per se invicem definiuntur. Sic Isidorus Pelusiota libro tertio, epistola XVIII, ὅρον, καὶ λόγον τοῦ πατρὸς vocat Filium. Et Marius Victorinus libro IV *contra Arium*, λόγον ait esse *definitum et definitorem*, quia definit, et continet omnia; ut hæc illi notio congruat, dum ad res creatas refertur.

Maxime recepta Verbi interpretatio.

IV. Ex omnibus vero nominis illius interpretationibus, ea maxime propria est, et recepta, ut sit λόγος *verbum*, sive *sermo*; quod utrumque in usu est Latinorum veterum, hoc quidem Tertulliani [3], Novatiani, sive alterius auctoris in libro *de Trinitate*, capite XXXI, Cypriani [4], Lactantii [5], et aliorum. Augustinus quoque sermone CVIII *in Joannem*, in quibusdam codicibus ita scriptum esse testatur. Et Paulinus in *Natali* VI *sancti Felicis*:

« Christe Deus Felicis ades; da nunc mihi [verbum
Sermo Deus. »

Rusticus quoque Diaconus initio *Disput. contra Acephalos*: « Si ergo modis omnibus sic Verbum sempiternum est, sicut Pater, impassibilisque idem Dei sermo, et invertibilis, sicut Pater, » etc. Sed longe frequentior est, usuque tritior appellatio *Verbi*, et ad personam ipsam divinam, ejusque productionem declarandam aptior. Quare non satis prudenter Erasmus fecit, qui in Latina Novi Testamenti versione posterioris editionis, ita posuit, « In principio erat *Sermo*, » et in *Annotationibus* mirari se dicit, « cur *Verbum* Latinis placuerit magis, quam *Sermo*. » Quod et Calvinus, Beza, aliique hæretici postea secuti sunt. Verum præstat, uti dixi, Verbum, quam Sermonem, nominare Filium. Non enim temere, ac sine gravi aliqua causa, cum λόγος alioquin orationem, ac sermonem potius, quam verbum significet; tamen cum de Filio agitur, hoc sæpius, quam illud usurpatur jam tum

καὶ νοῦ, καὶ σοφίας ἐστὶ χορηγός· ἀλλ' ὅτι καὶ τὰς πάντων αἰτίας ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς προείληφε· καὶ ὅτι διὰ πάντων χωρεῖ διϊκνούμενος, ὡς τὰ λόγιά φησιν.

a MAXIM. Οἱ γὰρ λόγοι φύσεως ἁπάσης ἐν αὐτῷ εἰσιν ὡς αἰτίῳ πάσης δημιουργίας. δι' αὐτοῦ γὰρ πάντα. ἅι τε γὰρ ἰδέαι, καὶ τὰ παραδείγματα ἐν αὐτῷ, οὐχ ἕτερα ἐν ἑτέρῳ· ἀλλὰ νοήσεις ἀΐδιοι οὖσαι, καὶ λόγοι ποιοῦντες τὰ πάντα, τουτέστι φύσις. καὶ ἡ φύσις γὰρ λόγος, αἰτίαν ἔχων, καὶ φύσιν, ὡς οὐκ εἰκῆ, καὶ μάτην αἱ φύσεις τῶν ὄντων εἰσί.

b NAZIANZ. orat. XXXVI. Λόγος δὲ, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος· οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς, καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν. τάχα δ' ἂν εἴποι τις, ὅτι καὶ ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. ὁ γὰρ νενοηκὼς, φησὶ, τὸν υἱὸν· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἑωρακώς· νενόηκε τὸν πατέρα καὶ σύντομος ἀπόδειξις, καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως ὁ υἱός. γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος. εἰ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐνυπάρχειν τοῖς οὖσι, λέγοι τις, οὐχ ἁμαρτήσεται τοῦ λόγου· τί γάρ ἐστιν, ὃ μὴ λόγῳ συνέστηκε;

1 Lib. LXXXIII *Quæst.*,. cap. LXIII. — 2 Orat. XXXVIII et XLII. — 3 Tertull. *contra Herm.*. cap. XX et *contra Prax.* cap. XV. — 4 lib. II *Testim. cont. Jud.* cap. III et lib. *de Unit. Eccl.* — 5 Lib. IV, cap. VIII.

ex antiquis temporibus, præsertim constituta jam catholicæ fidei disciplina; postquam exorta, conjunctaque Arianorum hæresi, Trinitatis in Ecclesia mysterium clarius intelligi, prædicarique cœpit. Quo ex tempore parcius Latinis adhibita *Sermonis* est dictio, nec nisi a paucis, et interdum, atque obiter, cum iidem ipsi sæpe, ac constanter et *Verbum* appellent secundam Trinitatis personam, et apud Joannem ita legant, *In principio erat Verbum.* Ita enim et ex antiquioribus illis, quorum testimoniis innititur Erasmus, non semel nominavit Tertullianus. Velut in libro *de Præscript.* c. XIII, ubi Patrem ait, « omnia condidisse per Verbum suum primo omnium emissum. Id *Verbum* Filium ejus appellatum, » etc. Et in libro *de Carne Christi*, capit. XVII et XVIII, ubi et *Joannis* verba ista refert, *Verbo caro factum est*, ac sequenti capite, « Et ex Deo natus est merito, quia Verbum Dei, et cum Verbo Dei Spiritus. » Idem habet et capite XXI. Novatianus item in libro *de Trinitate* Filium Dei, cui *Sermonis* vocabulum, quasi aliud agens adspersit, *Verbum* sæpius appellat, et λόγον Joannis ea voce repræsentat. « Nam et vocatur, inquit[1], nomen ejus Verbum Dei, nec immerito: *Eructavit*, inquit; *cor meum verbum bonum*, » etc.; ac deinceps eodem, et sequentibus capitibus legit[2], *et Verbum caro factum*, et *In principio erat Verbum.* Lactantius[3] quoque « Merito, inquit, Sermo, et Verbum Dei dicitur, » etc.; et subinde huic illa de *Psalmis* attribuit: « *Eructavit cor meum verbum bonum*, et, *Verbo Dei cœli solidati sunt*, etc. Contestans videlicet. nulli alii opera Dei esse nota, nisi Filio soli, qui est Verbum Dei. » Mox etiam, « Joannes, inquit, ita tradidit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* » Tum sequenti capite: « Sed melius Græci λόγον dicunt, quam nos *Verbum*, sive *Sermonem.* »

V. Post Nicænam vero synodum, cum, ut dixi, sanctissimæ Trinitatis clarior esse notitia cœpisset, non temere aliter, quam et Verbum nominarunt Dei Filium, et apud Joannem ita legerunt; pauci sermonem, idque raro. Marius Victorinus Afer, qui Constantio imperante floruit, cum sæpius Græcum nomen λόγον usurpet de Filio, non semel Verbum appellat. Ut in primo *adversus Arium*[4], « Verbum igitur, inquit, et vox Filius est, et, Verbo enim virtutis fiunt omnia; » et in tertio idem vocabulum adhibet. Lucifer Calaritanus[5], « Christum Dei Filium, Dei verbum » vocat. Hilarius quoque passim omnibus in libris eodem utitur, præsertim in secundo, ubi initium *Evangelii* Joannis enarrat; et in septimo, « Verbi, inquit, appellatio in Dei Filio de sacramento nativitatis est, » etc. Sic Sœbadius, Faustinus in libro *contra Arianos*[6], et Idacius Clarus. Ambrosius item, Hieronymus, Augustinus, Ruffinus, Philastrius, Gaudentius, Zeno Veronensis, ut recentiores alios nominatim non percenseam, aut non aliter quam Verbum, aut rarissime, Dei Filium nuncupant; quod magnum præjudicium habet adversus illos, quos supra retuli, qui non modo *Sermonem* pro *Verbo* substituere ausi sunt apud Joannem, sed etiam Latinos reprehendere, qui *Verbum* potius, quam *Sermonem* adsciverunt. In quo imperitiam non minus suam produnt, quam vanitatem, ac temeritatem. Ut enim demus apud profanos auctores λόγον sermonem magis esse, quam verbum; tamen ut in reliquis doctrinis et artibus, sic in theologia, multa sunt vocabula, quæ medio ex usu petita, paulo aliter, ac vulgus solet, usurpantur. Sane *Verbi* nomen usu jam inveteratum, et communiter receptum fuisse vel Ausonius ipse poeta fidem facit, qui in *Eidyllio* I ita cecinit:

« Tu Verbum Pater alme tuum, natumque, [Deumque
Concedis terris totum, similemque, parem- [que. »

Quamobrem tametsi *Sermonis* vocabulum ab nonnullis Patribus tributum sit Filio, hoc tamen tempore nonnisi temere, atque etiam ridicule anteponatur alteri, quod et multo usitatius est, et ex aliquot sæculis jam solum in Ecclesia retinetur, et ad significandam Filii personam longe est aptius. Etenim Verbum cum dicitur, non ad externam loquelam, qui est proprie sermo, comparatur; quæ ex pluribus dictionibus constat, sed ad interiorem animi notionem, et ἔννοιαν, quæ a philosophis *verbum mentis*, non *sermo* nominatur; quæ res est natura simplex, et uniusmodi, non, ut oratio, diversis texta partibus. Quare multo magis divina notio, quæ simplicissima est, Verbi sibi nomen vendicare debet potius, quam sermonis; cum unico verbo, non autem

1 Novat. cap. XIII *de Trin.* — 2 Cap. XIV, XVI, XIX, XX et seq. — 3 Lact. lib. VIII, cap. VIII. — 4 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 214. — 5 Lucif. in lib. *Moriend. esse pro Dei Filio.* — 6 Cap. I et IV.

repetitis, ac pluribus, Deus Pater omnia dixerit, ac fecerit ; quod postea declarabitur.

VI. Credunt aliqui Sermonis vocem magis accommodari Christo, qua est persona composita ; Verbum autem proprie dici de ipsa persona divina secundum se ; a quibus equidem dissentio. Nam si ratio ducatur, qua mente, ac notione Patres illi, qui Sermonem appellarunt Dei Filium, hoc nomen ei tribuerint, nullam invenies, nisi illam ipsam, qua vel iidem, vel cæteri Verbum nominarunt. Quid enim Tertullianus spectavit aliud, cum Sermonem vocavit, tum in illis, quæ adnotavimus, locis, tum in *Apologetico*, capite XXI? « Apud vestros quoque sapientes, inquit gentiles alloquens, λόγον, id est sermonem, atque rationem constat artificem videri universitatis. » Et subinde, « Et nos etiam Sermoni, atque rationi, itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam Spiritum inscribimus. » Item in libro *de Oratione*, « Dei Spiritus, et Dei Sermo, et Dei ratio, sermo rationis, et ratio sermonis, et Spiritus, utrumque Jesus Christus Dominus noster. » In his omnibus locis *Sermo* nihil aliud est, quam Verbum, ac divinam ipsam personam designat. Et quia sermo idem est ratio, hinc *Sermo rationis*, et *ratio Sermonis* dicitur. Sic apud Augustinum, præter illa, quæ ex eo citavimus, in XII *contra Faustum*, cap. XXXV, « Misit, inquit, Sermo Dei legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano, » etc. Et Theophilus Alexandrinus in epistola prima Paschali, interpretante Hieronymo, « Filium Dei, id est rationem, et Sermonem, ac virtutem ejus, ad ea tantum, quæ rationabilia sunt pervenire. » Arnobius denique in *Disputatione cum Serapione*, « Sermo, inquit, Patris nunquam a Patre discedens, homo quippe fieri dignatus est, » etc. Nec minus vox ῥῆμα apud Paulum in epistola *ad Hebræos* [1], pro Verbo sumitur, ut Cyrillus in *Thesauris* exponit ; nec aliud, quam divina ipsa Filii persona, in iis omnibus exprimitur.

Verbi. ... *ictione.*

Postremo non est prætereundum, vocabulum λόγου proprie cogitationem animi, et mentis, ut vulgo nominant, significare verbum. In quo a λέξει distinguitur. Quod Ammonius in Commentario ad librum Aristotelis *de Interpretatione*, ex tertio Platonis *de Republica* probat. Nimirum λόγον esse διάνοιαν, λέξιν vero τὴν ἀπαγγελίαν, id est *orationem*, quæ est interpres cogitationis. Plerumque tamen ambo ista eodem τοῦ λόγου nomine continentur, atque hoc pacto λόγος duplex solet constitui : alter externus, qui et προφορικὸς, Latinis, ut Hilario, aliisque, *prolatitius* vocatur ; alter internus, quæ est expressa mentis cognitio et *notitia*, quam Græci ἔννοιαν vocant, et hoc Verbum, ut dixi, proprie nuncupatur ; quoniam, ut Anselmus notat [2], « nullum aliud verbum sic dicitur rei simile, cujus est verbum, aut sic exprimit, quomodo illa similitudo, quæ acie mentis rem ipsam cogitantis exprimit. »

Logon esse cogitationem, dictionem vero orationem.

Duplex Verbum, internum et prolatitium.

VII. Ac nonnulli quidem ex antiquioribus, quos libro primo operis hujus recensui, videntur Dei Filium intellexisse prolatitium verbum, ac sermonem quem identidem Pater expromeret, cum dicere aliquid vellet, ac facere ; quam Tertulliani, Lactantii, et aliorum mentem fuisse comperimus, et hujus præsertim, qui Deum in rebus procreandis vocalem emisisse sonum ait, et hoc ejus verbum fuisse. Simile quippiam de voce extrinsecus a Deo missa in singulis fabricandis operibus, a Theodoro Mopsuesteno proditum refert, ac refutat Philoponus [3]. Sed hoc divinum esse Verbum, ac Filium, Theodorus non putavit. Quin et Arius catholicis illudens, qui Filium Dei λόγον esse Patris volebant, ita eos in *Sotadeis canticis*, et in *Thalia* sua derisit : « Multa verba loquitur Deus ; quodnam igitur ex istis verbis Filium, et Verbum unigenitum Patris esse dicimus [a] ? » Etenim Arius ita Dei verbum agnoscebat, ut eum negaret esse Filium Dei ; quod eodem in loco scribit Athanasius.

At catholici Patres Filium Dei esse Verbum sentiunt, non externum, et foras erumpens, atque in tempore productum, et ab ipso Deo separatum ; sed interius, et cum ipso, atque in ipso Patre subsistens. Plerique tamen cum de Verbo Dei agunt, et cum nostro comparant, externum et prolatitium assumunt, ut Athanasius oratione tertia ; ubi pro naturæ conditione λόγον itidem intelligi ait oportere. Quare uti homo ortum habet e nihilo ; sic

Plerique Verbum prolatitium ad exprimendam Filii personam assumunt.

[a] ATHAN. lib. *de Decret. syn. Nic.* Ἐκεῖνο λοιπὸν ἔχουσιν ὑπολειπόμενον, ὃ καὶ ἐν ἀσματίοις Ἄρειος, καὶ ἐν τῇ ἑαυτοῦ Θαλίᾳ ὡς ἐπαπορῶν μυθολογεῖ· πολλοὺς λαλεῖ λόγους ὁ θεός· ποῖον αὐτῶν ἄρα λέγομεν ἡμεῖς υἱὸν, καὶ λόγον μονογενῆ τοῦ πατρός;

1 *Hebr.* I, 3 et cap. XI, 3. — *Monol.* cap. IX. — 3 Philop. I *de Mundi opif.*, cap. XXII. — 4 Vide et orat. V init.

ejus verbum desinit, nec est sempiternum. Deus vero, qui æternus est, æternum habet et Verbum. Deinde, « nostrum, inquit, e syllabis contexitur ; ac neque vivit, neque aliquid molitur, sed solum loquentis mentem exprimit ; itaque transit, ut nusquam deinde compareat ; quippe quod, antequam proferretur, omnino non erat. Ideo neque vitam habet, neque actionem, neque prorsus homo est, etc. At vero Dei Verbum non, ut quispiam dixerit, prolatitium est, neque vocum strepitus, neque ipsa Dei jussio Filius est ; sed ut lumen et splendor [a]. » Addit præterea, « hominum sermones nullam efficacitatem habere. Ideo neque verbis, sed manibus opera facere homines, quoniam manus existunt ; verba autem non existunt. » His consentanea reliqua pertexit.

VIII. Gregorius quoque Nyssenus libro XII *contra Eunomium* similiter disserit, uti naturæ naturam, sic Verbum verbo præstare, « ac nostrum, si cum divino conferatur, esse nihil. Hoc enim in principio non erat, sed una cum natura nostra conditum est ; neque in propria subsistentia spectatur. Sed, quemadmodum alicubi magister ait, cum linguæ strepitu evanescit ; neque opus aliquod intelligi potest istius verbi, sed in voce duntaxat, litterisque subsistit [b]. » Basilium hic vocat magistrum Gregorius Nyssenus; qui similiter ad exemplum divini Verbi nostrum illud assumit, quod extrinsecus sonat. Idipsum et alio in loco pluribus explicat Nyssenus idem Gregorius, nempe in *oratione catechetica*, c. I, in qua Judæum ad christianam fidem instituens, ad secundæ personæ notitiam sic eum adducit. Deum enim, qualemcumque tandem hic agnoscit, non utique ἄλογον esse, hoc est *verbi*, sive *sermonis expertem ;* qua notione ἄλογον etiam Dionysius accipit cap. I *Mysticæ theol.* Proinde cum sermonem habeat, eum naturæ ipsius consentaneum esse debere. Ut enim sapientia, vita, virtus, et cætera, quamvis Deo pariter, ac rebus creatis attribuantur, non eodem modo de utroque dicuntur, sed pro cujusque dignitate ; « Sic etsi Dei Verbum appelletur, non in ejus, qui loquitur, impulsu consistere putabitur, ut ad modum nostri in nihilum evanescat. Sed ut natura nostra mortalis, mortale et ipsa verbum habet ; sic immortalis, et semper manens natura, sempiternum habet, et consistens Verbum [c]. » Quem locum imitatus est Damascenus in libro primo *de Fide orthodoxa*, cap. VI.

Cyrillus item Alexandrinus libro *in Joannem* nono, et undecimo, eadem usus est similitudine sermonis externi ; nec non Theodorus Ancyranus in oratione Ephesi [2] habita in festo sancti Joannis. Et Hilarius lib. II, ac plerique alii. Utrumque vero tam externum, quam interius, ad generationem Filii declarandam pulchre Cyrillus idem Alexandrinus accommodat in sexto *Thesauri*. « Sermo, inquit, iste prolatitius, quo utimur, in mentem, et ex mente gignitur ; ac videtur quidem diversus esse ab eo, qui in corde versatur, quatenus extra os existit, velut e profundo missus in lucem. Est autem rursus in ipso, eique similis in omnibus. Etenim videre licet in sermone cogitationem illam, quæ cordis sermo dicitur, ac vicissim in mente verbum adhuc tacitum. Ita Filius Dei, sine divisione procedens a Patre, character est, et expressa figura proprietatis ipsius, Verbum enim est hypostatice existens, et vivens ex vivo Patre [d]. » Idem leges et in quarto libro *Thesauri*. Vide Augustinum sermone XXIV *de Diversis ;* et Gelasium in *Actis Nicænæ synodi* [3].

a ATHAN. orat. III. Καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνθρώπων λόγος ἐκ συλλαβῶν ἐστι συγκείμενος· καὶ οὔτε ζῇ, οὔτε τι ἐνεργεῖ· ἀλλὰ μόνον ἐστὶ σημαντικὸς τῆς τοῦ λαλοῦντος διανοίας, καὶ μόνον ἐξῆλθε, καὶ παρῆλθε μηκέτι φαινόμενος· ἐπειδὴ οὐδὲ ἦν ὅλως πρὶν λαληθῇ. διὸ οὔτε ζῇ, οὔτε τι ἐνεργεῖ, οὔτε ὅλως ἄνθρωπός ἐστιν ὁ τῶν ἀνθρώπων λόγος, etc. Ὁ δὲ τοῦ θεοῦ λόγος οὐχ ὡς ἄν τις εἴποι, προφορικός ἐστιν, οὐδὲ ψόφος ῥημάτων· οὐδὲ τὸ προστάξαι θεὸν, τοῦτο ὁ υἱός ἐστιν· ἀλλ' ὡς φῶς, καὶ ἀπαύγασμα.

Ibid. Καὶ οἱ μὲν λόγοι τῶν ἀνθρώπων οὐδέν ἐστιν εἰς ἐνέργειαν. διὸ καὶ οὐδὲ διὰ λόγων, ἀλλὰ διὰ χειρῶν ἄνθρωπος ἐργάζεται, ὅτι αὐταὶ μὲν ὑπάρχουσιν, ὁ δὲ λόγος αὐτῶν οὐχ ὑφίσταται.

b GREG. NYSS. lib. XII *contra Eunom.* Οὕτω καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος πρὸς τὸν ὄντως ὄντα λόγον κρινόμενός ἐστιν οὐδέν. οὗτος μὲν· γὰρ ἐν ἀρχῇ οὐκ ἦν, ἀλλὰ τῇ ἡμετέρᾳ συγκατεσκευάσθη φύσει, οὔτε κατ' ἰδίαν θεωρεῖται ὑπόστασιν. ἀλλ', ὥς φησί που ὁ διδάσκαλος, τῷ ψόφῳ τῆς γλώσσης συναφανίζεται· οὔτε ἔργον ἐστὶ τούτου νοῆσαι τοῦ λόγου· ἀλλ' ἐν μόνῃ φωνῇ, καὶ γράμμασι τὴν ὑπόστασιν ἔχει.

c NYSSEN. cap. I *Catech.* Οὐκοῦν κἂν λόγος θεοῦ λέγηται, οὐκ ἐν τῇ ὁρμῇ τοῦ φθεγγομένου καὶ τὴν ὑπόστασιν ἔχειν νομισθήσεται, καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἡμετέρου μεταχωρῶν εἰς ἀνύπαρκτον· ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἡμετέρα φύσις ἐπίκηρος οὖσα, καὶ ἐπίκηρον τὸν λόγον ἔχει· οὕτως ἡ ἄφθαρτος, καὶ ἀεὶ ἑστῶσα φύσις ἀΐδιον ἔχει, καὶ ὑφεστῶτα τὸν λόγον.

d CYRIL. lib. VI *Thes.* Ὁ λόγος οὗτος ὁ προφορικὸς, ᾧ κεχρήμεθα, εἰς νοῦν, καὶ ἐκ νοῦ γεννᾶται, καὶ

1 Basil. hom. XVI in princ. *Joan.* — 2 In Ephes. conc. p. 262 edit. Comm. — 3 Par. II, cap. XX.

Verbum internum ad designandam Filii personam apprime congruens.

IX. Propius tamen ad divini Verbi similitudinem illud interius, et in anima consistens verbum mentis accedit, atque ab eruditis Patribus eo libentius adsciscitur. Habet enim plures opportunitates, et similitudinum rationes; quod et spirituale est, minimeque per sese cadit sub sensus; et in mente, unde procedit, manet, nec ab ea disjungitur; et sine eo mens esse nulla, nec ullo temporis spatio potest. « Prodit, inquit Cyrillus Alexandrinus, ex mente verbum; quoniam autem eo mens est, quo verbum habet; verbum vero eo quod mente repletum est, quinam intelligi potest vel sine verbo mens, vel verbum mentis indigens [a]? » Verum Augustinus inter omnes et uberius, et expressius hunc locum exornat; et humani verbi naturam, ac cum divino convenientem proprietatem erudite declarat. Velut in tractatu primo *in Joannem*, « Quid est, inquit, illud in corde tuo, quando cogitas quamdam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubique præsentem, ubique totam, nusquam inclusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo in corde tuo. Numquid autem hoc est sonus ille, qui quatuor litteris constat, et duabus syllabis? Ergo quæcumque dicuntur, et transeunt, soni sunt, litteræ sunt. Hoc verbum transit, quod sonat. Quod autem significavit sonus, et in cogitante est, qui dixit, et in intelligente est, qui audivit; manet hoc transeuntibus sonis. » Sic in XV *de Trinitate*, capite X, solum ἐνδιάθετον et *intimum* hominibus verbum, ad declarandam divini Verbi proprietatem, ac generationem adducit. « Quicumque cupit, ait [1], ad qualemcumque similitudinem Dei Verbi, quamvis per multa dissimilem, pervenire, non intueatur verbum nostrum, quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur, etc. Sed transeunda sunt hæc, ut ad illud perveniatur hominis verbum, per cujus qualemcumque similitudinem, sicut in ænigmate, videatur utcumque Dei Verbum. » Et paulo post: « Perveniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natæ, sed a Deo factæ imaginis Dei, quod neque prolativum est in sono, neque cogitativum in similitudine soni, quod alicujus linguæ esse necesse sit; sed quod omnia, quibus significatur, signa præcedit, et gignitur de scientia, quæ manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur, sicut est. Simillima est enim visio cogitationis visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audirive per corpus. »

Hoc igitur verbum humanæ mentis, cujus signum est quod foris sonat, quæque ab eodem *vox verbi* nominatur [2], « verbumque et ipsum propter illud, a quo, ut foris appareret, assumptum est, » hoc, inquam, verbum « ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur, et ejusmodi est omnino, cujusmodi est illa scientia, de qua nascitur [3]. » Quam definit ita, ut sit « formata cogitatio ab ea re, quam scimus; » et alio loco [4], « conceptam rerum veracem notitiam » appellat. Tum alibi [5], gigni ait hoc verbum ex scientia rerum, quas perceptas, et cognitas in thesauro memoriæ condidit, « Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur, et imago ejus, quoniam de visione scientiæ visio cogitationis exoritur, quod est verbum linguæ nullius, verbum verum de re vera, nihil de suo habens, sed totum de illa scientia, de qua nascitur. » Sic igitur divinum Verbum ex Dei Patris scientia formata notitia est ἐγκάρδιον φῶς, hoc est *lumen cordis*, ut Dionysius [6] loquitur, quoniam intima est illius cognitio, non extrinsecus profusa. Sed multum interest inter nostram, ac Dei scientiam; ut idem disputare pergit Augustinus. Nam neque in tempore scit Deus, sed ex æterno omnia cognoscit; neque « ideo novit res, quia sunt, sed ideo sunt, quia novit; nec aliter ea scivit creata, quam creanda [7].» Ideo immutabilis, et eodem se modo semper habens est Dei scientia, utpote quæ est ipsamet ejus essentia; quod his verbis idem exponit: « Quæ autem scientia Dei est, ipsa et sapientia; et quæ sapientia,

δοκεῖ μὲν ἕτερος εἶναι παρὰ τὸν ἐν καρδίᾳ στρεφόμενον. καθὸ ἔξω στόματος γίνεται, πεμπόμενος ὥσπερ ἐκ βάθους εἰς φῶς· ἔστι δὲ πάλιν ἐν αὐτῷ, καὶ ὅμοιος αὐτῷ κατὰ πάντα. ἔστι γὰρ ἰδεῖν ἐν τῷ λόγῳ τὸν ἐν καρδίᾳ κληθέντα γογισμὸν, καὶ πάλιν ἐν τῷ νῷ τὸν λόγον ἔτι σιωπώμενον. οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἀμερίστως ἐκ πατρὸς προελθὼν, χαρακτήρ ἐστι καὶ ὁμοίωμα τῆς ἰδιότητος αὐτοῦ, λόγος ὢν ἐνυπόστατος, καὶ ζῶν ἐκ ζῶντος πατρός.

a Cyril. dial. II. Πρόεισι μὲν γὰρ ἐκ νοῦ λόγος· ἐπειδὴ δέ ἐστι νοῦς, ὅτι λόγον ἔχει· λόγος δὲ αὖ, ἐπειδὴ μεμέστωται νοῦ· πῶς νοοῖτό ποτε, δίχα μὲν λόγου νοῦς, λόγος δὲ νοῦ τητώμενος;

1 Cap. xi. — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. xi. — 3 Ibid cap. x. — 4 Lib. IX *de Trinit.* cap. vii. — 5 Lib. XV *de Trinit.* cap. xii. — 6 Lib. *de Myst. theol.* cap. iii. — 7 Lib. XV *de Trinit.* cap. xiii.

ipsa essentia, sive substantia. Quia in illius naturæ simplicitate mirabili non est aliud sapere, quam esse; sed quod est sapere, hoc est et esse. » Huic vero sic humanam opponit et nostram: « Nostra vero scientia in rebus plurimis propterea et amissibilis est, et receptibilis, quia non hoc est nobis esse, quod scire, vel sapere; quoniam esse possumus, etiamsi nesciamus, neque sapiamus ea, quæ aliunde didicimus. » Hinc de Verbo divino ita concludit: « Propter quod, sicut nostra scientia illi scientiæ Dei; sic et nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei, quod natum est de Patris essentia. Tale est autem, ac si dicerem, de Patris scientia, de Patris sapientia; vel, quod expressius est, de Patre scientia, de Patre sapientia. »

Ex his, quantum quidem capi a nobis potest, divini Verbi productio, et proprietas intelligitur. Sed utriusque comparatione, ac cæteris, quæ deinceps proponenda sunt, multo erit perspicua magis.

CAPUT II.

Comparantur inter se Verbum divinum, et creatum; ac primum explicantur ea, in quibus conveniunt; ex quo illius ratio magis intelligitur: tum in quo ambo invicem distent. Utrumque esse relativum: sed divinum solum ex essentia procedere. An locutio sit ipsum Verbum. Divinum esse οὐσιῶδες, *non item creatum.*

I. Divinum illud Verbum, quod secundæ personæ maxime competit, quædam habet nostri similia; quædam vero diversa, planeque singularia. Commune hoc utrique est, ut sit expressa cognitio, et intellectio, sive terminus cognitione productus, atque interiore locutione dictus, similitudinem habens objectæ rei, quæ mente percipitur. Mens enim nostra ut rem quampiam intelligat, speciem illius, ac formam recipit, et visorum quorumdam impressione formatur, quæ species, rerum etiam corporearum, et materia constantium, corporis, ac materiæ sunt expertes. Ita fit, ut ea, quæ foris, et in seipsis inanimata sunt, delata per eas formas ad animos nostros, interiusque suscepta, vitam quamdam habere dicantur, quatenus vivæ, ac spirantes eorum effigies mente ac memoria conduntur. « Arca enim, ait Augustinus[1], in opere non est vita; arca in arte vita est; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. » Hæc ipsa scientia est, ut idem asserit Augustinus[2] ex qua verbum mentis deinde nascitur, sive interior cogitatio, « quæ ejusmodi sit omnino, cujusmodi est illa scientia, de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est quod in corde dicimus, quod nec Græcum est, nec Latinum, nec linguæ alicujus alterius; sed cum id opus est, in eorum, quibus loquimur, perferre notitiam, aliquod signum, quo significetur, assumitur. » Augustinus item in tractatu IV *in Joannem*[3], luculenter illud explicat, quid sit Verbum divinum, et quemadmodum verbi nostri similitudine declaretur. Cujus inter cætera notanda ista sunt: « Quando ergo concipis verbum, quod proferas, rem vis dicere; et ipsa rei conceptio in corde tuo jam verbum est. Nondum processit, sed jam natum est in corde, et manet, ut procedat, etc. Quomodo tu verbum, quod loqueris, in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritualis est. Nam sicut anima tua spiritus est, ita et verbum, quod concepisti, spiritus est; nondum enim accepit sonum, ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis, et in speculo mentis; sic Deum edidit Verbum, hoc est genuit Filium. Et ut quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde: Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora. Cum ergo Verbum Dei Filius sit; Filius autem locutus est nobis, non verbum suum, sed verbum Patris se nobis loqui voluit, qui verbum Patris loquebatur. »

In quibus conveniant Verbum divinum et creatum.

II. Omne itaque verbum mentis expressa est imago, et similitudo cognitæ rei. « Quamcumque enim rem mens seu per corporis imaginationem, seu per rationem cupit veraciter cogitare, ejus utique similitudinem, quantum valet in ipsa sua cogitatione, conatur exprimere[4], » ait Anselmus qui et paulo ante ita scripserat[5]: « Etenim omnia hujusmodi verba, quibus res quaslibet mente dicimus, id est cogitamus, similitudines, et imagines sunt rerum, quarum verba sunt. » Quare, « cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit, ut idem ait[6], imago ipsius nascitur in sua cogitatione; imo ipsa cogitatio

1 Tract. I *in Joan.* Vide Ans. *Mon.* cap. VIII et IX. — 2 XV *de Trin.* cap. I. — 3 Cap, II. — 4 Ans. in *Mon.* c. XXXI. — 5 Cap. XXIX. — 6 *Monol.* cap. XXXI.

sui est imago ad sui similitudinem, tanquam ex ejus impressione formata. » Hæc autem sive rei alterius, sive sui ipsius *expressa species*, ac forma, *locutio*, sive *dictio* nominatur. « Siquidem nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare, » ait Fulgentius[1]; quod Anselmus[2] hunc in modum declarat : « Illa autem forma rerum, quæ in ejus ratione res creandas præcedebat, quid aliud est, quam rerum quædam in ipsa ratione locutio ? veluti cum faber facturus aliquid suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione. Mentem autem, sive rationis conceptionem, locutionem sic intelligo, non cum voces rerum significativæ cogitantur, sed cum res ipsæ vel futuræ, vel jam existentes acie cogitationis in mente conspiciuntur. »

III. Ubi recte conspiciendi verbo est usus. Hæc enim locutio nihil a visione differt; quod eleganter explicat Augustinus[3] : Nec tamen, inquit, quia dicimus locutiones cordis esse cogitationes, ideo non sunt etiam visiones exortæ de notitiæ visionibus, quando veræ sunt. Foris enim, cum per corpus hæc fiant, aliud est locutio, aliud visio. Intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Sicut auditio, et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud atque aliud videre et audire ; ac per hoc, cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est cogitationes, visas dixit a Domino sanctum Evangelium, non auditas. » Porro uti, cum mens diversas ab sese res, inferioresque cognoscit, iis ipsis excellentius est verbum, quo illas apud se loquitur; unde corporeæ res præstantiorem in nobis, animique nostri cogitatione, quam in seipsis existendi modum habere dicuntur, quoniam illic spiritus quodammodo, vitaque sunt, ut disserit Augustinus tractatu primo *in Joannem :* ita quod scribit idem[4], cum se mens ipsa novit, et intelligit, sic est eadem notitia verbum ejus, ut ei sit par omnino, et æquale, atque identidem ; quia neque inferioris essentiæ notitia est, sicut corporis, neque superioris, sicut Dei. Et cum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam novit, hoc est, cujus notitia est ; hæc habet perfectam, et æqualem, quia mens ipsa, quæ novit, est nota. Ideoque et imago, et verbum est, quia de illa exprimitur, cum cognoscendo eidem coæquatur, et est gignenti æquale quod genitum est. » Quocirca Verbi divini productio similiter se habet, ac verbum mentis creatæ, quo se ipsa cognoscit, et dicit. Ut enim hoc mentis simile est, eique par, et æquale ; sic « tanquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia, ait Augustinus[5]. Non enim seipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus verbo, quam in ipso. Ibi summe illud agnoscitur, est est, non non ; ideo verbum hoc vere veritas est; quoniam quidquid in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est. » Et auctor libri *de Cognitione veræ vitæ*[6], qui inter Augustini opera legitur : « Summus Pater Verbum suum seipsum cogitando genuit, quod in Patris, et Spiritus sancti essentia simul coessentiale subsistit. » Sunt et alia similitudidis utriusque capita, propter quæ λόγου, ac *Verbi* nomen ad divinam generationem, personamque potissimum translatum esse Patres existimant. In his præcipuum, maximeque decantatum est, quod nulla in utriusque productione passio sit, et affectio corporeæ propria generationis. Exponit hoc Athanasius in libro *de Decretis Nicœnæ synodi*, cum sic ait : « Hic vero est verbum Patris, in quo impatibilitatem, et impartilitatem Patris intelligere possumus. Verbum enim ne hominum quidem, per passionem, aut partitionem gignitur, nedum Dei [a]. » Et in idem consentiunt Basilius[7], Gregorius Nyssenus[8], Chrysostomus[9], Cyrillus[10], Damascenus[11], Isidorus Pelusiota libro tertio, epistola XVIII et CXLI, Theodoretus[12], Theodotus in oratione *in Natalem Domini*[13], Maximus Taurin.[14]. Rursus uti verbum creatum ex mente, aut memoria sic oritur, ut in ea permaneat, neque diremptum, ac separatum existat, quamvis ab illa sit diversum; sic et divinum Verbum, uti Damascenus explicat : « Quemadmodum, inquit, verbum nostrum a mente gignitur, nec idem est omnino, quod ipsa mens, nec plane diversum. Nam cum a mente proficiscatur, aliud est, quam mens; et cum mentem ipsam indi-

a ATHAN. Λόγος δέ ἐστιν οὗτος τοῦ πατρὸς, ἐν ᾧ τὸ ἀπαθὲς, καὶ ἀμερὲς τοῦ πατρὸς νοεῖν δυνατόν. λόγος γὰρ οὐδὲ ὁ τῶν ἀνθρώπων κατὰ πάθος, καὶ μέσος γεννᾶται μήτι γε ὁ τοῦ θεοῦ.

1 Lib. III *ad Mon.* cap. VII *cont. Fastid.* cap. XV. — 2 Cap. IX. — 3 Lib. XV *de Trin.* cap. X. — 4 Lib. IX *de Trin.* cap. XI. — 5 Lib. XV *de Trinit.* cap. XIV. — 6 Tom. IX L. Aug. cap. XVI. — 7 Hom. XVI *in Princip. Evang. Joan.* — 8 Lib. III *cont. Eun.* — 9 Hom. *in Joan.* II. — 10 Lib. I *Thes.* cap. V et VII et dial. II *de Trinit.* — 11 Lib. I *de Fide* cap. IX. — 12 Theodoret. V *cont. Hæret.* III, — 13 In Actis. Eph. Syn. — 14 Orat. in S. Euseb.

eat, non est prorsus ab illa diversum, sed cum sit unum natura, aliud tamen subjecto est. Sic et Dei verbum, qui Filius est, quatenus propria subsistit persona, ab eo distinguitur, a quo genitum est; quatenus autem illa in se exprimit, quæ cernuntur in Deo, unum natura cum illo est [a]. »

IV. Præterea verbum mentis totam in se mentem continet, atque exprimit, cujus est imago; ut cum se integre perfecteque comprehendit animus noster, quidquid in ipso esf, id in cogitatione, ac verbo ipso repræsentatur. Eodem modo Dei verbum totum in se Patrem exprimit, ac continet. « Manens, inquit, Basilius, tota mens in proprio statu verbum totum, et perfectum emittit; ac procedens verbum totam mentis, a qua gignitur, vim in seipso complectitur [b]. » Hanc et proxime superiorem utriusque verbi similitudinem graphice describit Fulgentius[1], quem hic legi haud abs re arbitror fore. « Sic est, ait, Verbum apud Deum, sicut est in mente Verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando verbum intra se generat, de sua substantia generat verbum, et sic illud verbum generat de se, ut genitum habeat apud se; nec minus aliquid habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur, quia quanta est mens, quæ generat verbum, tantum est etiam ipsum verbum. Sicut enim de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est, et cum apud illam est, in illa est, et quanta illa est, tantum etiam verbum est, quia de tota, et in tota est, tantumque est ipsum verbum, quanta simul est et mens ipsa cum verbo; neque enim sic de illa verbum nascitur, ut ab ea localiter secernatur. Nativitas quippe illa, quæ ostendit quid sit, et de qua sit, ipsa ostendit, quod extra eam, de qua natum est, esse non possit, nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, ut apud ipsam, et in ipsa sit; tantumque sit de illa, quantum in illa, et tantum in illa, quantum cum illa. »

V. Sanctus Augustinus[2] aliam amborum similitudinem declarat in eo positam, « quod sicut de illo Verbo (divino) dictum est : *Omnia per ipsum facta sunt;* ubi Deus per unigenitum Verbum suum prædicatur universa fecisse; ita hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicuntur in corde. » Sed rursus, « est et hæc in ista similitudine verbi nostri similitudo verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum, quod non sequatur opus; opus autem esse non potest, nisi præcedat verbum. Sic et Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura, creatura vero nulla esse potest, nisi per ipsum, per quod facta sunt omnia. »

Ad hæc in eo conveniunt, quod utrumque relativum est, et habitudinem habet ad dicentem; quare et ab eo diversum est, et eadem nihilominus natura constat; saltem similitudine, ac repræsentatione, dum se mens ipsa contuens, et intelligens, sui effigiem exprimit. Proinde Gregorius Nyssenus in *Oratione Catechet.* « Verbum hoc, ait, aliud est ab eo, cujus est Verbum. Nam hoc quoque est aliquo modo ex iis, quæ ad aliquid dicuntur; quandoquidem oportet omnino cum verbo etiam verbi Patrem subaudiri. Non enim esset verbum, nisi verbum esset alicujus. Quare, si notionis habitudine, ac relatione discernit auditorum mens et ipsum verbum, et id, ex quo existit, nihil est nobis utique periculi, ne Verbi mysterium cum Græcorum pugnans opinionibus conveniat cum iis, qui favent partibus Judæorum [c]. » Nec minus diserte Augustinus[3] : « Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita et Verbum ad eum, cujus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum, et eo Verbum, quo Filius. » Et subinde, « Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative

a Damasc. lib. I, cap. vi. Ὥσπερ γὰρ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐκ τοῦ νοῦ προερχόμενος οὔτε διόλου ὁ αὐτός ἐστι τῷ νῷ, οὔτε παντάπασιν ἕτερος· ἐκ τοῦ νοῦ μὲν γὰρ ὤν, ἄλλος ἐστὶ παρ' αὐτὸν· αὐτὸν δὲ τὸν νοῦν εἰς τὸ ἐμφανὲς ἄγων, οὐκέτι παντάπασιν ἕτερός ἐστι παρὰ τὸν νοῦν. ἀλλὰ κατὰ τὴν φύσιν ἓν ὤν, ἕτερόν ἐστι τῷ ὑποκειμένῳ. οὕτω καὶ ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, ὅς ἐστιν ὁ υἱὸς, τῷ μὲν ὑφεστάναι καθ' ἑαυτὸν. διῄρεται πρὸς ἐκεῖνον, παρ' οὗ τὴν γένεσιν ὑπόστασιν ἔχει (forte καὶ ὑπός.) τῷ δὲ αὐτὰ δεικνύειν ἐν ἑαυτῷ, ἃ περι τὸν θεὸν καθορᾶται, ὁ αὐτός ἐστι κατὰ τὴν φύσιν ἐκεινῳ.

b Basil. hom. xvi *in Joan.* intit. Μένων ὅλως ὁ νοῦς ἐν τῇ ἰδίᾳ συστάσει, ὅλον τὸν λόγον, καὶ ἀπηρτισμένον ὑφίστησι· καὶ προελθὼν ὁ λόγος πᾶσαν τοῦ γεννήσαντος νοῦ τὴν δύναμιν ἐν ἑαυτῷ περιέχει.

c Greg. Nyss. orat. *Catech.* cap. i. Ὁ δὲ λόγος οὗτος ἕτερός ἐστι παρὰ τὸν οὗ ἐστι λόγος· τρόπον γάρ τινα τῶν πρός τι λεγομένων καὶ τοῦτό εστιν. ἐπειδὴ χρὴ

* In accurata editione Michaelis Lequien abest vox ὑπόστασιν, sicque legitur παρ' οὗ τὴν γένεσιν ἔχει. J.-B. F.

1 Fulgent. lib. III *ad Monim.* cap. vii. — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. i. — 3 Lib. VII *de Trinit.* cap. ii.

ad eum, cujus verbum est, sicut Filius ad Patrem.» Esse autem ita diversum ab dicente, ut cum eo natura sit idem, Damascenus antea nos docuit.

Denique similia sunt in eo quoque, quod ambo ἀπαθῶς *citra perpessionem aliquam* oriuntur a mente, ut supra dicebamus. Quæ ratio frequens est apud veteres adeo, ut causam illam in præcipuis habeant, cur Filio Dei nomen sit ex verbi nostri similitudine petitum, de quo paulo ante meminimus.

Quænam sint dissimilia divino et humano verbo.

VI. Nunc ea, quæ sunt in utroque Verbo dissimilia, contemplemur. Quorum illud primum, ac præcipuum est, quod creatum verbum non ex ipsa procedat essentia dicentis, sed ex ejus scientia, et cognitione, quæ naturæ accidit. Neque enim homo, exempli causa, secundum naturam, et essentiam suam, actu est intelligens, sed adventitia quædam in eo qualitas est scientia, ex qua verbum oritur. In Deo scientia, et intelligentia, ipsa illius est essentia, sive substantia; scientiam dico, non quæ habitus sit, aut habitui similis, ac δύναμις, sive facultas, sed quæ sit actus, idemque simplicissimus intelligendi, ac sciendi. Est enim purus quidam, ut dici solet, actus ac potentiæ omnis expers. Nam actus, quem ἐντελέχειαν Aristoteles vocat, dupliciter usurpatur eodem auctore [1]. Aut enim sic est, ut scientia; aut ita, ut scire, et contemplari, quæ ἐνέργεια nominatur. Quo posteriore modo, cum de Deo loquimur, actus sumitur. Ita Deus, ac divina substantia ipsa est intellectio, et cognitio tam sui, quam re rummniumo; qua ex intellectione Verbum oritur, tanquam proprius, ac nativus ejus terminus; quod ideo ex Dei essentia, et substantia procedere, ac nasci dicitur. Augustinum præclare, ut solet, ista declarantem paulo ante laudavimus ex decimo quinto libro *de Trinitate,* capite decimo tertio, ubi quid inter nostram, et divinam scientiam intersit, pluribus aperit.

Anselmus *in Monologio* eamdem intellectionem [2], sive locutionem, qua Verbum gignitur, ipsam Dei esse substantiam, hac ratione, et verbis istis demonstrat : « Sed cum pariter ratione docente sit certum, quia quidquid summa substantia fecit, per aliud non fecit, quam per semetipsam ; et quidquid fecit, per intimam locutionem fecit, sive singula singulis verbis, sive potius uno verbo simul omnia dicendo, quid magis necessarium videri potest, quam hanc summæ essentiæ locutionem non esse aliud, quam summam essentiam ? » Cæterum ita in sequentibus disserit idem, ut locutionem ipsam Verbum esse productum videatur dicere; velut capite octavo et vicesimo, cum ait, « hanc locutionem impossibile esse inter creata contineri, quoniam quidquid creatum subsistit, per illam factum est, » tum, « locutionem suam spiritui summo consubstantialem esse, ut non sint duo, sed unus spiritus. » Ad hæc in sequenti capite locutionem istam dicit, « unum esse verbum, quo dicuntur, et per quod facta sunt omnia. »

VII. Verum ita locutio, sive intellectio, « (nam locutio nihil aliud potest intelligi, quam ejusdem spiritus intelligentia, qua cuncta intelligit, » ut ibidem scribit [3] Anselmus) una res est , eademque cum Verbo; ut tamen, aliorum theologorum sententia, notione differat. Est enim intellectio, qua Pater producit Filium, ipsa ejus essentia, substantiaque personis communis tribus; quemadmodum personæ tres cum essentia una sunt, ac simplicissima res, quamvis a se mutuo reipsa illæ discrepent. Sed ea essentia diversis est affecta notionibus; et quatenus sic, quasi fluxus quidam, et progressio ad terminum intelligitur a nobis, *generatio* vocatur, sive *locutio* ac *dictio*, *Verbique productio;* et hoc modo solius est propria Patris, non communis personis tribus. Nam est ipsa relatio paternitatis. Ut autem mera est rei cognitæ perceptio, neque Verbi productrix, ac termini, tribus personis convenit, quæ omnes eadem ac simplici notitia, hoc est ipsamet essentia, et se, et res omnes intelligunt; imo intelligentia ipsa sua sunt, et cognitio. Proinde duobus modis *intelligere* in Deo dicitur, ut in scholis theologi docent; qui alterum *essentiale*, alterum *nationale* nuncupant; atque hoc posterius, quod est loqui, sive *dicere,* dupliciter itidem accipitur; vel *active*, ut sit verbi productio; vel *passive*, ut sit productionis terminus, verbumque ipsum; quo sensu *locutionis* nomen usurpari solet pro eo, quod sermoci-

πάντως τῷ λόγῳ καὶ τὸν πατέρα τοῦ λόγου συνυπακούεσθαι. οὐ γὰρ ἂν εἴη λόγος μὴ τινὸς ὢν λόγος. εἰ οὖν διακρίνῃ τῷ σχετικῷ τῆς σημασίας ἡ τῶν ἀκουόντων διάνοια αὐτόν τε τὸν λόγον, καὶ τὸν ὅθεν ἐστὶν, οὐκέτι ἂν ἡμῖν κινδυνεύει τὸ μυστήριον ταῖς ἑλληνικαῖς μαχόμενον ὑπολήψεσι τοῖς τὰ Ἰουδαίων πρεσβεύουσι συνενεχθῆναι. Vide et librum II *contra Eun.* et Cyrillum, lib. I *in Joan.*

1 Lib. II *de Animal.* cap. I Text. II et V. — 2 Cap. XI. — 3 Cap. LXXVIII.

natione, tanquam dicentis actione profertur, et in loquentis, audientisve notitia formatur. Sic igitur interpretandus erit Anselmus, cum locutionem videtur cum Verbo, hoc est illius termino confundere.

VIII. Etenim uti generatio, et alia quælibet actio ab eo differt, quod gignitur, et efficitur; sic divina illa productio, quæ *dictio*, et *locutio* vocatur, ab eo quod producitur, et dicitur, notione aliqua distinguitur. Hinc Pater sæpe loqui, ac dicere Verbum, et eructare, hoc est gignere, tam in sacris Litteris, quam communi sanctorum Patrum usu dicitur. Ut proinde ipsum dicere, ac loqui nonnihil ab termino, quod est verbum, discrepare oporteat. Ex hoc amborum verborum discrimine aliud sequitur, quod nostrum sive interius, sive externum, et prolatitium, non subsistit, neque *Hypostasim.* habet ὑπόστασιν, sed accidens quoddam est, quo per se non existit; sed nec vitam habet, neque rationem, aut sapientiam, aut naturales ejusmodi conditiones, quales in eo sunt, a quo proficiscitur. Quamvis enim hominis, vel angeli perfecte se cognoscentis, dicentisque verbum, totum illud repræsentat, atque exprimit, quod in ipso est, ac rationem, intelligentiam, sapientiam, voluntatem, aliaque naturalia ejus ornamenta continet; hoc tamen extrinsecus duntaxat, et, ut loquuntur, *objective*, vel *secundum intentionem* habet, non *formaliter*, ut ipsum per se vivens, rationale, sapiens sit; quippe accidens est, et qualitas quædam, cujus in essentiam proprietates istæ non cadunt, nisi specie, ac repræsentatione; uti speculum viventem, et agentem, ac moventem sese hominem refert, cum per se ipsum, et, ut Græci dicunt, οὐσιωδῶς, sit illorum omnium expers. Divinum autem verbum, quoniam ex ipsa Dei substantia vera generatione oritur, eaque generatio ipsamet est substantia gignentis, non actio aliqua substantiæ superfusa; ideo οὐσιῶδες, et subsistens est, ac vivum, intelligens, sapiens, nec ulla essentiæ proprietate a producente diversum.

X. Quod uberrima oratione Athanasius explicat, ac probat in hunc modum: « Verbum, inquit, non dissolubiliter, neque simpliciter vox est significativa, sed substantiale verbum est, et substantialis sapientia, quæ revera est Dei Filius. Nam nisi substantialis est, erit Deus loquens in aerem, atque corpus, nihil hominibus amplius habens. Quoniam vero non est homo, neque verbum ejus ex humana imbecillitate metiendum est. Ut enim una substantia principium est; ita unum et substantiale, ac subsistens ejus est verbum, et sapientia. Quemadmodum enim ex Deo Deus est, et ex sapiente sapientia, et ex rationali ratio, sive verbum, et ex patre filius; sic ex subsistentia subsistens, et ex substantia substantialis, ac substantia præditus, et existens ab existente. Quoniam nisi substantialis esset sapientia, et substantia præditum verbum, existensque filius, sed simpliciter sapientia, et verbum, et filius in Patre; esset ipse Pater e aspientia compositus, et verbo. Quod si verum est, superiora illa absurda consequentur; tum sui ipse Pater erit; ac se ipse gignens Filius, et a seipso genitus; vel certe merum nomen est Verbum, et Sapientia, et Filius; neque is, de quo dicuntur ista, vel potius, qui est ista, subsistit [a].» Hæc Athanasius. In quibus ἐνυπό- *Subsistens.* στατον esse Dei verbum, demonstrat ex eo primum, quod nisi ita foret, vox quædam esset similis nostræ, ac Deus ipse corporeus; quæ ratio tametsi minus solida videri potest, quod ut superiori capite dictum est, cum interno potius nostrate, quam cum exteriore verbo divinum componitur; valet tamen adversus Sabellianos, ac reliquos ejusmodi, qui verbum Dei, quatenus ab loquente Deo distinguitur, nihil aliud putabant esse, quam sermonem interventu creaturæ alicujus foras a Deo prodeuntem. Verum quoniam illud ipsum verbum in Scripturis ita declaratur, ut a Deo exire dicatur, et eructari, et ex interiori manare; consequens erit ex illa hæreticorum opinione, corporeum esse Deum, ac more nostro sermonem emittere. Neque enim internus ille, et in mente permanens ad creandi officium, et rerum efficientiam solus sufficit,

a Athan. orat. v. Λόγος οὐ διαλελυμένος, ἢ ἁπλῶς φωνὴ σημαντικὴ, ἀλλ' οὐσιώδης λόγος, καὶ οὐσιῶδης σοφία, ἥ τις ἐστὶν ὁ υἱὸς ἀληθῶς· εἰ γὰρ δὴ μὴ οὐσιώδης εἴη, ἔσται ὁ θεὸς λαλῶν εἰς ἀέρα, καὶ σῶμα, οὐδὲν πλέον ἔχων τῶν ἀνθρώπων. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, οὐκ ἂν εἴη οὐδὲ ὁ λόγος αὐτοῦ κατὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀσθένειαν. ὥσπερ γὰρ μία οὐσία ἡ ἀρχὴ, οὕτως εἷς οὐσιώδης, καὶ ὑφεστὼς ὁ ταύτης λόγος. καὶ ἡ σοφία. ὡς γὰρ ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ ἐκ σοφοῦ σοφία, καὶ ἐκ λογικοῦ λόγος, καὶ ἐκ πατρὸς υἱός· οὕτως ἐξ ὑποστάσεως ὑποστατὸς, καὶ ἐξ οὐσίας οὐσιώδης, καὶ ἐνούσιος, καὶ ἐξ ὄντος ὤντος ὤν. ἐπεὶ εἰ μὴ οὐσιώδης σοφία, καὶ ἐνούὑιος λόγος, καὶ ὢν υἱὸς, ἀλλ' ἁπλῶς σοφία, καὶ λόγος, καὶ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ, εἴη ἂν αὐτὸς ὁ πατὴρ σύνθετος ἐκ σοφίας, καὶ λόγου. εἰ δὲ τοῦτο, ἀκολουθήσει τὰ προειρημένα ἄτοπα. ἔσται δὴ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς αὐτὸς ἑαυτὸν γεννῶν· ἢ ὄνομα μόνον ἐστὶ λόγος, καὶ σοφία, καὶ υἱὸς, οὐχ ὑφέστηκε δὲ καθ' οὗ λέγεται ταῦτα. μᾶλλον δὲ ὅς ἐστι ταῦτα·

nisi ex sese aliquid profundat. Sequitur altera ratio, quæ propius rem spectat, et est priore firmior; quod nisi subsistens esset Dei verbum, et nata sapientia, compositus esset Deus. Si enim immanens in eo itidem, ut in nobis, esset actio, expressa illa notitia, quæ verbum dicitur, neque sua, et ab intelligente Patre diversa hypostasi subsisteret; hæreret utique in illo, more accidentis; aut si substantiale aliquid esset, pars quædam substantiæ illius foret. Nam si eadem ipsa, simplexque Patris substantia, sive hypostasis esse dicatur, idem se ipse gignet, ac producet; aut certe nuda erunt, et inania nomina Pater, et Verbum, quæ unius et ejusdem vocabula personæ sint, functiones varias obeuntis; quæ omnia cum absurda sunt, tum Scripturis adversantur.

X. Gregorius Nyssenus in *Catechetica oratione* non minus exquisita id argumentatione colligit[1]. Nam Dei verbum inde esse concludit, quod non sit ἄλογος, hoc est *sermonis expers* Deus; quare λόγον habet, eumdemque congruentem naturæ suæ. Sicut cum vita, virtus, sapientia, cæteraque translata ex hominum usu tribuuntur Deo, non similiter in eo habere, et inesse putantur, ut in nobis, sed excellentiori ratione; quod et de λόγῳ, ac *verbo* cogitare nos oportet. Nam natura nostra, quia caduca est, et mutabilis, neque sempiternum, neque subsistens parit verbum. Deus autem, ut æternus est, sic æternum, et subsistens habet verbum, non ut lapides, et inanima quæque subsistunt, sed vivum, et intelligens; imo, quia simplex est, vitam ipsam, et intelligentiam, adeoque potentiam, bonitatem, ac reliqua omnia, quæ sunt in Deo. Hæc enim non tam in verbo sunt, quam hæc ipsa illud est; quod et a producente diversum sit oportet, quia Verbum omne relationem significat; et nihilominus essentia, et essentiæ proprieprietatibus unum, idemque cum eo; quia neque plures naturæ sunt in Divinitate, neque vitæ, neque sapientiæ, bonitatesque plures. Hæc fere Gregorius, cui similia leges apud Damascenum[2], quæ et Cyrillo inscribuntur in pseudepigrapho libro[3], *De sacrosancta Trinitate.*

Apud Epiphanium quoque Basilius Ancyranus, et reliqui episcopi tam vere, quam erudite in eamdem sententiam disputant[a]. Nam pro eo, quod Paulus Samosatenus, et Marcellus Ancyranus Dei Filium revera negabant esse Filium, vel subsistens Verbum, uti nihil aliud esset, quam sermo ex ore prodiens, ac transiens; ideo coactos fuisse Patres aiunt, οὐσίας uti nomine, tametsi in sacris Litteris minime sit expressum, ut ejus verbi, quod fluxum, caducumque est, ab eo, quod solidum est, ac manens, discrimen notarent. Quippe Deus in Scriptura locutus sæpius dicitur, ac plura verba protulisse; sed ea non sunt οὐσίαι, hoc est *substantiæ*, sed pronuntiandi actiones, externaque indicia, quibus voluntatem suam Deus significat. Propterea[4], ut iidem annotant, *creandi* vox in sacris Libris adhibetur ad explicandam divini verbi productionem, ut esse solidum aliquid, et subsistens, hoc est ἐνυπόστατον, et ἐνούσιον, ac πάγιον existimetur, non præteriens, ac transvolans. Quod enim creatur, id est opus aliquod, et subsistit, ac manet, neque cum actione ipsa desinit. Atque eodem modo Meletius apud Epiphanium id interpretatur.

Sed et Zeno Veronensis sermone primo *De æterna Filii generatione*, hunc a Patre *procreatum* dixit. Vide caput primum libri secundi hujus operis.

XI. Hinc Verbum Dei, ac Filium καθ' ἑαυτὸν οὐσιωμένον, *per se substantiatum*, ut ita dicam, *esse*, scribit Eusebius Cæsariensis, libro IV *Evangelicæ demonstrat.* capite tertio, ubi plura de eodem argumento disserit. Necnon Cyrillus Hierosolymitanus catechesi XI. « Genuit, inquit, Pater Filium, non ut in hominibus mens verbum generat. Etenim mens in nobis subsistens est; verbum autem loquendo prolatum, et in aera diffusum, perit. Nos autem novimus Christum genitum Verbum, non prolatitium, sed Verbum subsistens vivens; non labris prolatum, sed ex Patre ab æterno,

a Epiph. hær. LXXIII, num. 12. Ἵνα μὴ οὖν ἀπατῶντες τοὺς ἁπλουστέρους, τὸν υἱὸν ταὐτὸν λέγωσιν οἱ αἱρετικοὶ τοῖς λόγοις τοῖς παρὰ τοῦ θεοῦ λαλουμένοις, τὸ διάφορον τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ὡς πρὸς τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ὑποδεικνύντες οἱ πατέρες, τὸν υἱὸν, φημὶ, οὐσίαν ἐκάλεσαν οὕτως τὴν διαφορὰν περιστῶντες, ὅτι ὁ θεὸς ὢν ἐστι, καὶ οἱ λόγοι, οὓς λαλεῖ, ὄντες, ἀλλ' οὐκ οὐσίαι θεοῦ, λεκτικαὶ δὲ ἐνέργειαι· ὁ δὲ υἱὸς λόγος ὢν, οὐχὶ ἐνέργεια λεκτική ἐστι τοῦ θεοῦ ἀλλ' υἱὸς ὢν, αὐσία ἐστιν.

1 Cap. I Vide et lib. XII *cont. Eunom.* — 2 Damasc. lib. III cap. VI. — 3 Cap. V. — 4 Ibid. n. 3.

et ineffabiliter, atque in propria hypostasi genitum[a]. » Vide Cyrillum alterum Alexandr. id passim prædicantem, ut in libro XVII et XIX *Thesauri*. Appellatur itaque propterea λόγος ἐνυπόστατος, καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς, et φυσικὸς, nec non οὐσιώδης; qua voce usus est Nilus, cap. XLIX *de Oratione*, ubi λόγον pro ratione accipit. « Capessimus, inquit, virtutes propter rationem eorum, quæ aguntur; rationes vero propter rationem substantialem, id est Deum, » λόγον οὐσιώδη scripsit; quæ vox etiam pro ratione sumi solet.

Verbum substantiale

Verbum subsistens.

Sic Isidorus Pelusiota λόγον ἐνυπόστατον esse demonstrat ex eo, quod et ipsummet Verbum sua in Scripturis habere dicitur. « Verbum autem cum sit, subsistens est, et suam habet proprietatem. Non esse porro subsistentia carens, ex eo intelligitur, quod Verbum ipsum habere se verba dicit, ita loquens : *Qui audit verba mea*. Si igitur Verbo sua sunt verba, non est expers substantiæ [b]. »

Tum eo quoque spectare gignendi [1], ac τοῦ γεννήματος, adeoque *Filii*, et hujus generis alia nomina, passim veteres contra Sabellii, ac Pauli Samosateni hæresim ostendunt; ut ne quis Verbum Dei ἐνέργειαν esse solam existimet, sed perfectam, ac stabilem, et a generante diversam ὑπόστασιν. « Ne Verbum ipsum, ait Maximus Taurinensis sermone *in Natalem sancti Eusebii Vercellensis*, non substantiam veritatis, sed prolativum loquentis Dei putares esse sermonem, dicitur Filius. » Et auctor libri *de Trinitate*, qui Novatianus inscribitur, « Sermo, inquit, Filius natus est, qui non in sono percussi aeris, aut tono coactæ de visceribus vocis accipitur, sed in substantia prolatæ a Deo virtutis agnoscitur. » Idemque, ut Hilarius [2] scribit, « est progenies ingeniti, unus ex uno, verus ex vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientia sapientiæ, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti. »

Operationem.

Hypostasim.

XII. Præterea differunt in eo, quod creatum verbum non est perpetuum, neque cum ævo illius adæquatur, a quo producitur; sed identidem oritur, atque interit. Divinum autem sempiternum est, et immutabile, tanquam ab immutabili prolatum, et sempiterno. « Semel locutus est Deus, ait Bernardus [3] semel utique, quia semper : una enim, et non interpolata, sed continua, et perpetua locutio est. » Nam « summus ille Spiritus, ait Anselmus *in Monologio* [4], sicut est æternus, ita æterne sui memor est, et intelligit se ad similitudinem mentis rationalis; imo non ad ullius similitudinem, sed ille principaliter, et mens rationalis ad ejus similitudinem. At si æterne se intelligit, æterne se dicit. Si æterne se dicit, æterne est verbum ejus apud ipsum. » Et in XLVI capite : « Quoniam namque mens humana non semper se cogitat, sicut sui semper meminit, liquet, cum se cogitat, quod verbum ejus nascitur de memoria. Unde apparet, quia si semper se cogitaret, semper verbum ejus de memoria nasceretur. Rem etenim cogitare, cujus memoriam habemus, hoc est mente eam dicere; verbum vero rei est ipsa cogitatio, ad ejus similitudinem ex memoria formata. Hinc itaque liquido animadverti potest de summa sapientia, quæ sic semper se dicit, sicut semper sui memor est, quia de æterna memoria coæternum verbum nascitur. »

Ideo sanctus Augustinus [5] divinum illud verbum cogitationem non dici ait, « ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut verbum sit, eamque possit amittere, etc. Cogitatio quippe nostra perveniens ad id, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est, et ideo verbum Dei sine cogitatione debet intelligi, ut forma ipsa simplex intelligatur, non habens aliquid formabile, quod esse etiam possit informe. » Proinde magis ad illius divini verbi similitudinem accessurum dicit verbum nostrum, quod in æternæ statu felicitatis habebimus. « Fortassis enim volubiles non erunt nostræ cogitationes, ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conceptu videbimus, » Bernardus tamen in serm. *de sancto Benedicto cogitationem* vocat Filium.

a CYRIL. HIEROS. *Cat.* II. Ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν λόγον, οὐχ ὡς ἐν ἀνθρώποις γεννᾷ νοῦς λόγον. ὁ μὲν γὰρ νοῦς ἐν ἡμῖν ἐνυπόστατός ἐστιν· ὁ δὲ λόγος λαληθεὶς, καὶ εἰς ἀέρα διαχυθεὶς, ἀπόλλυται. ἡμεῖς δὲ οἴδαμεν τὸν Χριστὸν γεννηθέντα, λόγον οὐ προφορικὸν, ἀλλὰ λόγον ἐνυπόστατον ζῶντα, οὐ χείλεσι λαληθέντα, ἀλλ' ἐκ πατρὸς ἀϊδίως, καὶ ἀνεκφράστως, καὶ ἐν ὑποστάσει γεννηθέντα.

b ISIDOR. PELUS. lib. III, epist. CXLI. Λόγος δὲ ὢν ἐνυπόστατός ἐστι, καὶ οἰκείαν ἰδιότητα ἔχει. ὅτι δὲ οὐκ ἔστιν ἀνυπόστατος αὐτὸς ὁ λόγος, λόγους ἔχειν φράζει, λέγων· ὁ ἀκούων τούς λόγους μου. Εἰ οὖν ὁ λόγος λόγους ἔχει, οὐκ ἔστιν ἀνυπόστατος.

1 Vide Hilar. *dc Syn. ad Anath.* v. — 2 Lib. II. — 3 Serm. *de Verb. Abac.* — 4 *Monol.* XXX. — 5 Lib. XV *de Trin.* cap. XVI.

« Pater, inquit, non existit, sed Filius a Patre processit, et venit in mundum; ut qui prius erat *cogitatio* pacis in corde Patris, fieret et ipse pax nostra in utero matris. »

Hinc et quartum discrimen existit, quod creata verba multa sint, neque unicum par esse possit omnibus; at divinum singulare est, et unum, quod dicendis, efficiendisque rebus omnibus solum per sese sufficit. Hinc Arium temere, et impie jactitantem, « Deum multos proferre sermones, » interrogantemque, quis sit ex istis omnibus Dei Filius, redarguit Athanasius [1], quod de Deo sic, tanquam homine, sentiat; « quasi non sufficiat unum ex Deo verbum ad omnem ex voluntate patris creationem, et providentiam implendam. Si enim Deus plura verba loquitur, hoc ipsum imbecillitatem omnium arguit, quod unumquodque usum alterius præstare nequeat. Sin verbo unico dicatur uti, quemadmodum revera utitur; hoc et ad ostendendam Dei virtutem pertinet, et verbi perfectionem, quod ab illo prodiit [a]. » Et in quinto libro *contra Arianos*, docet : « Sicut una substantia est principium, sic unum esse substantiale, et subsistens ejus verbum, ac sapientiam [b]. »

In eo præterea discrepant verba illa, quod creatum nullum extrinsecus per sese opus efficit. Ideo non verbis tantum ac sermonibus, sed manibus artifices utuntur ad opera sua fabricanda. Divinum per sese, ac nullius adminiculo omnia perfecit. *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [2]. Ita Magnus Athanasius oratione tertia.

Denique differunt eo ipso, quod verbum nostrum semel, divinum perpetuo gignitur. Nam generatio divina, ut initio sic exitu caret, et in omnem perseverat æternitatem, uti supra memoravi. Atque hoc discrimen ab Hugone Victorino notatum est in *Summa sententiarum* [3]. Postremo de illa dictione Dei, et singulari Verbo, quo et omnia dicit, et ab æterno dicit, legendus Augustinus in tractatu *ad Psalmum* XLIV ubi inter alia, « Dicere, inquit, Dei æternum est. Tu dicis aliquid modo, quia tacebas paulo ante, vel ecce nunc nondum verbum profers; cum autem proferre cœperis, rumpis silentium quodammodo, et generas verbum, quod antea non erat. Non sic Deus genuit Verbum. Dicere Dei sine initio est, et sine fine, et tamen unum Verbum dicit. Dicat alterum, si quod dixit, transierit. Cum vero et a quo dicitur, manet, et quod dicitur manet, et semel dicitur, et non finitur, et ipsum semel sine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non transit, quod semel dicitur.» Et XXII tractatu *in Joannem* : « Quomodo Pater Filio dicit, quando Filius Verbum Patris est? Quidquid nobis Pater dicit, Verbo suo dicit. Verbum Patris Filius est. Ipsi Verbo quo alio Verbo dicit? Unus est Deus, unum Verbum habet, in uno Verbo omnia continet. » Vide et tract. XL in idem Evangelium.

CAPUT III.

De interno sive, ἐνδιαθέτῳ, *et prolatitio verbo accuratius disputatur. Cur ad explicandam divini proprietatem nonnulli hoc posterius aptius esse judicarunt. Qua ratione Sabellius Filium* ἐνδιάθετον λόγον *esse dixerit; Arius vero negaverit. Utrum Pater Verbum dici possit, ac Filius Verbum de Verbo; quo sensu ita veteres quidam locuti sint. Origenis insignis quidam locus de Verbi, sive* λόγου *appellatione declaratur.*

Plures causæ ob quas sæpius veteres *prolatitium* usurparunt verbum quam *internum.*

I. Quamvis divini Verbi similius sit internum, et ἐνδιάθετον, ut appellant, verbum, quam προφορικὸν, quod est *prolatitium*, ut ex antecedenti capite constat; complures tamen arbitror, posteriore hoc magis usos esse, vel solo, vel cum altero conjuncto, tribus præcipue de causis. Quarum una est, quod externum ad institutum suum accommodatius esse duxerunt. Est enim notius, et familiarius, quam internum, quod reconditum est, et abstrusum. Itaque hoc ipsum discernere pauci possunt, nec nisi philosophia paululum eruditi; illud vero nemo est hebes adeo, quin intelligat. « Verbum enim pronuntiatum intelligere vel

1a causa prolatitium instituto suo accommodatius.

a ATHAN. Πρῶτον γὰρ τοιαῦτα λαλοῦντες περὶ θεοῦ, μικροῦ δεῖν ἄνθρωπον τὸν θεὸν ὑπολαμβάνουσιν, οὕτω λαλοῦντα, καὶ παραμείβοντα τοὺς προτέρους τοῖς δευτέροις λόγοις, ὥσπερ οὐκ ἀρκοῦντος ἑνὸς τοῦ ἐκ τοῦ θεοῦ λόγου, πᾶσαν τὴν ἐκ τοῦ βουλήματος τοῦ πατρὸς δημιουργίαν, καὶ τὴν τούτου πρόνοιαν πληρῶσαι. τὸ μὲν γὰρ πολλοὺς αὐτὸν λαλεῖν λόγους, ἀσθένεια τῶν πάντων ἐστὶν, ἑκάστου λειπομένου τῆς τοῦ ἑτέρου χρείας, τὸ δὲ ἑνὶ κεχρῆσθαι λόγῳ τὸν θεὸν, ὡς καί ἐστιν ἀληθῶς, τοῦτο καὶ τοῦ θεοῦ τὴν δύναμιν δείκνυσι, καὶ τοῦ ἐξ αὐτοῦ λόγου τὴν τελειώτητα.

b Idem orat. V initio. Ὥσπερ γὰρ μία οὐσία ἡ ἀρχὴ, οὕτως εἷς οὐσιώδης, καὶ ὑφεστὼς ὁ ταύτης λόγος, καὶ ἡ σοφία.

1 Lib. *de Decret. Nic. synodi.* — 2 *Joan.* I, 1. — 3 Tract. I, cap. VII.

vulgaris quivis potest,» ait Origenes[1]. Deinde cum in illam verbi, sermonisve proprietatem intuerentur, qua id habet, ut sit mentis, et cogitationis interpres, melius externo et prolatitio, quam interiore verbo posse id exprimi putarunt. Nam Dei Filium idcirco λόγον vocari quidam dixerunt, ut jam memini, quod est Patris interpres, ac per illum iste cognoscitur. « Potest, inquit Origenes, Filius etiam sermo esse, eo quod renuntiet occulta Patris sui, qui mens existit perinde, atque Filius, qui vocatur sermo. Ut enim apud nos sermo nuntius est earum rerum, quæ a mente cernuntur; sic ille Dei sermo, qui Patrem agnovit, (nemine alioqui mortalium absque duce in eum intendere valente) Patrem agnitum revelat. » Ita Gregorius Nazianzenus in oratione XXXVI λόγον ait nominari Filium, διὰ τὸ ἐξαγγελτικὸν, quæ est *vis enuntiatrix;* atque ita Semiariani apud Epiphanium, quorum verba paulo post reddemus. Augustinus item copiose id in libro *de Fide et Symbolo*, capite tertio declaravit: « Verbum, inquit, Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur; sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, verbum ejus convenientissime nominatur. » Ac paulo post : « Quid enim aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum, et perspiciendum animo auditoris inferre, ut in nobis quidem ipsi maneamus, nec recedamus a nobis, et tamen tale judicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus : ut quantum facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per quem se indicet, proferatur. Id facimus conantes et verbis, et ipso sono vocis, et vultu, et gestu corporis, tot scilicet machinamentis id, quod intus est, demonstrare cupientes, quia tale aliquid proferre non possumus; et ideo non potest loquentis animus penitus innotescere, unde etiam mendaciis locus patet. Deus autem Pater, qui verissime se indicare animis cognituris et voluit, et potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse, qui genuit. »

II. Tum Richardus Victorinus libro *de Trinitate* sexto, capite XII uberius hanc rationem explicat, causamque reddit, cur solus Filius Verbum nominetur. « Ecce dicamus, inquit quod proferentis verbum sensus, et sapientiæ ipsius, a quo profertur, solet esse indicativum. Recte ergo Verbum dicitur, per quem Patris, qui fons sapientiæ est, notitia manifestatur. » Atenim, objicit sibi, etiam per Spiritum sanctum manifestatur Pater. Respondet, « Quia Verbum nascitur de corde solo, et ipso propalatur proferentis intentio. Jure igitur solius Patris sola genitura Verbum nominatur, per quod ipse qui principalis est sapientia, manifestatur. » Sed *de Spiritu sancto* sequente libro, in quo, et illud exponetur, Græcos Patres nonnullos Verbum Filii appellasse Spiritum sanctum. Quod, si solam vim declarandi, et ad notitiam proferendi respicis, usurpari ab illis potuit. « Ipse enim est, qui nos omnia docet, et suggerit, et in omnem veritatem introducit, » ut ait Richardus. Verum alia est, propriaque Filii ratio, cur sit Verbum; quod dictione, id est generatione proferatur. Porro Richardus ibidem observat « idem esse verbum et quod corde concipitur, et quod voce profertur. Quid est enim vox, nisi verbi vehiculum, vel, si magis placet, verbi indumentum? Numquid est alius aliquis homo indutus, et alius aliquis, cum fuerit exutus?» Ac «si aurem haberet aliquis ad locutionem cordis, quemadmodum habet ad locutionem oris, non omnino opus haberet, ut ei exterior locutio fieret. » Hinc igitur illa, quam diximus, apparet causa, ob quam sæpe verbi, ac sermonis externi similitudo ab antiquis assumitur, quod ad captum nostrum, et intelligentiam sit aptior.

III. Est etiam alia paulo illa quidem reconditior, et exquisitior ratio, propter quam *externum*, et προφορικὸν verbum magis ascivere veterum aliqui, quam *internum*, et quod ἐνδιάθετον nominant; quod posterius hoc Sabellianorum calumniis visum est opportunius. Et ut aliquanto copiosius hunc illustremus locum, in quo fructus constabit operæ, sciri necesse est, in utroque *verbi* genere ab hæreticis insidias esse comparatas Catholico dogmati, ac vocem ἐνδιάθετον alio atque alio sensu, modoque sumptam, partim suspectam fuisse nostris partim ab iisdem receptam. Nam Sabelliani « nomine tenus, ait Basilius, confitentes Filium, reipsa autem, vereque ejus exstantiam negantes, Judaismum instaurant. Etenim, cum Verbum confitentur, cum eo, quod mente conceptum est, illud comparant, et

11. Internum calumniis Sabellianorum aptius visum.

1 Orig. tom. I *in Joan*.

Sapientiam vocantes, similem esse dicunt illi habitui, qui in eruditorum anima conflatur. Ac propterea personam constituunt unam Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quandoquidem unus etiam homo dicitur, neutiquam divisus ab eo, quod inest, verbo, et Sapientia [a]. »

Sabellius solum interius Verbum admittebat.

Igitur Sabellius, qui personam eamdem esse volebat Patris et Filii, hunc ἐνδιάθετον λόγον esse contendebat, ut quemadmodum concepta in animo nostro notio, et cogitatio, a nobis persona non distinguitur; sic a Patre Filius persona minime differret. Arius autem, et hujus discipuli Aetius, et Eunomius, qui non modo persona, sed etiam natura separabant utrumque, Filium negabant ἐνδιάθετον λόγον esse, sed diversum ab eo constituebant alterum, cui se ille communicasset.

Testis est Cyrillus libro primo *in Joannem*, ubi Eunomii verba refert ita garrientis: « Unigenitus Dei Filius non est ex se proprie Verbum ejus, sed internum illud Verbum Dei, ac Patris in ipso movetur, et est semper. Qui autem ab illo genitus dicitur Filius, internum ejus verbum excipiens, tum discendo novit omnia; tum ad ejus similitudinem dicitur, et est Verbum [b]. » Proinde Filium Dei asserebat esse προφορικὸν, id est *prolatitium* verbum Patris, aut Sermonem; « qui particeps interioris, eoque repletus, paternam enuntiat, declaratque substantiam [c]. »

An Pater Verbum appellari possit.

IV. Ad hanc controversiam pertinet illa quæstio, utrum Pater λόγος, aut Verbum appellari posset, ita ut quemadmodum Sapientia de Sapientia, et lumen de lumine, ita λόγος ἐκ λόγου, *Verbum de Verbo* usurpari debeat. Sane quidam ex antiquis affirmare videntur. Irenæus libro secundo, capite XLVIII, Patrem, sive mentem loquentem ait esse Verbum. Deus autem, inquit, totus existens mens, et totus existens Logos, quod cogitat, hoc et loquitur, et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, et logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater. » Hic erit ἐνδιάθετος ille λόγος, hoc est Verbum, sive interior sermo, et cogitatio, eademque cum mente, e qua proficiscitur, quod et titulus ostendit in veteri codice sequentibus præfixus: « Ostensio quoniam Nus logos, et logos Nus, et Nus ipse est Pater omnium. »

An Filius Verbum de Verbo.

Ambrosius vero *Verbum de Verbo* dici posse Filium eodem jure pronuntiat in libro *de Filii divinitate*, capite V. « Hæc est autem, ait, nominis ratio, ut in Patre, et Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam, quæ est inenarrabilis, definire non possis: ut sive lumen de lumine dicas, sive verbum de verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive dominum de domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem, et Filium credas. »

Marius item Victorinus Afer [1], Patrem ipsum esse *Verbum* asseverat, sed *silens*, Filium autem *Verbum sonans, et operans*. Et « Pater, inquit, per Filium, et Filius virtute Verbi Patris facit omnia, id est secum loquens, Verbum per Verbum in manifesto loquens facit omnia. » Tum in quarto libro scribit [2], in Patre esse infinitum esse, et vivere incognitum, et indiscretum, quod nihil aliud sit, quam esse, atque in eo λόγον inesse suum, sed latitantem, et occultum. « Porro, cum foris esse cœperit, tunc forma, inquit, apparens imago Dei est, Deum per semet ostendens, et est λόγος, non jam inde πρὸς τὸν θεὸν λόγος, » etc. Ubi eumdem λόγον, antequam produceretur, intimum in Patre, ac latentem ait fuisse; tum deinde prodiisse. Quinetiam duos esse λόγους [3], « unum, per quem unumquodque sit; alium, per quem quomodo sit; tamen quia eadem vi quomodo, et quidque sit, necessario fit unus λόγος, idem valente forma, quod substantia. » Nam Patrem velut substantiam esse putat, et merum esse, infinitumque, ac λόγον interiorem, et arcanum; Filium vero formam definientem, adeoque definitum esse, et formatum. Proinde, « cum idem sit forma istius substantiæ, quod ista

a BASIL. hom. XXVII *contra Sabell.* Ὀνόματι μὲν ὁμολογοῦντες υἱὸν, ἔργῳ δὲ, καὶ ἀληθείᾳ τὴν ὕπαρξιν ἀθετοῦντες, τὸν Ἰουδαϊσμὸν πάλιν ἀνανεοῦνται. καὶ γὰρ ὅταν ὁμολογῶσι λόγον, τῷ ἐνδιαθέτῳ αὐτὸν παρεικάζουσι. καὶ σοφίαν λέγοντες, ὁμοίαν εἶναι λέγουσι τῇ ἕξει τῇ ἐν ψυχῇ τῶν πεπαιδευμένων συνισταμένῃ· καὶ διὰ τοῦτο πρόσωπον ἓν πατρὸς, καὶ υἱοῦ· ἐπειδὴ καὶ ἄνθρωπος εἷς λέγεται. οὐ διαιρούμενος ἀπὸ τοῦ ἐνυπάρχοντος λόγου, καὶ τῆς σοφίας,

b CYRIL. ex Eun. lib. I *in Joan.* Ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱὸς οὐκ ἔστιν αὐτοκυρίως ὁ λόγος αὐτοῦ. ἀλλ' ὁ μὲν ἐνδιάθετος λόγος τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἐν αὐτῷ κινεῖται, καὶ ἔστιν ἀεί· ὁ δὲ ἐξ αὐτοῦ γεννηθῆναι λεγόμενος υἱὸς τὸν ἐνδιάθετον αὐτοῦ λόγον δεχόμενος, πάντα τε οἶδεν ἐκμαθών, καὶ καθ' ὁμοιότητα τὴν ἐκείνου λόγος καλεῖται, καὶ ἔστιν.

c Idem. Ἕτερός ἐστιν ὁ υἱὸς παρὰ τὸν ἐνδιάθετον, ἤτοι τὸν ἐν κινήσει νοηματικῇ λόγον, οὗ μετέχων, καὶ ἀναπιμπλάμενος καλεῖται λόγος ὁ προφορικὸς, καὶ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἐκφαντικὸς, τουτέστιν ὁ υἱός.

1 Vict. lib. III *cont. Arium.* col. 231 et seq. — 2 Col. 246 et seq. — 3 Lib. IV, col. 250.

ipsa substantia; substantialis enim forma est; idem erit Filius, quod Pater; aut neque Pater, neque Filius ante egressum foras, sed unum ipsum solum. » Hanc vero productionem, qua λόγος ἐκ λόγου, intelligentia de intelligentia, vita de vita prodit, « progressionem esse, non natalem, aut, si placet, natalis magis apparentiam, et manifestationem. » Ad hæc [1]. Patrem velut potentiam, et quietem esse, et Filium, tanquam actum et motum; processionemque in divinis actum esse de potentia, ac cætera ejusdemmodi, partim obscure, partim minus recte, catholiceque prolata missa facimus.

V. At Marcellus Ancyranus Filium Dei Logon ipsum esse dicebat, secundum quem intelligitur λογικὸς Pater, ut ei objicit Eusebius [2]. Ubi incertum est, an λόγον *rationem* esse velit, a qua *rationalis* dicitur, an *sermonem*, a quo *sermocinalis*. Fuit enim Marcelli hæc opinio [3], uti libro primo vidimus, Filium esse λόγον insitum Patri, quo, ut dici solet, *formaliter* λογικὸς vocatur; quod tam de ratione, quam sermone nihil vetat intelligi.

Ariani vero λόγον duplicem, duplicemque σοφίαν statuebant; alterum in ipso Patre residentem λόγον, naturalem ipsius, et proprium, per quem et universitatem rerum omnium, et λόγον alium condidit; alterum a Patre, et insito λόγῳ procreatum, qui et λόγος nominatur, et σοφία, κατ' ἐπίνοιαν, hoc est *sola animi cogitatione;* λόγος quidem, propter rationales creaturas; sapientia, propter eas quibus sapientiam communicat. Ita scribit Athanasius oratione prima, et tertia [a], et in libro *De sententia Dionysii* [4]. Cyrillus item Alexandrinus libro primo *in Joannem*, capite IV ut paulo ante memini. Et ut idem in libro XVI *Thesauri* commemorat [5], alteram δύναμιν, et σοφίαν, id est *virtutem, et sapientiam* in Deo inesse Patre dictitabant, et a Christo Domino diversam.

Græci porro Patres, quorum λόγος, ut jam dixi, ancipitem habet notionem, multo magis λόγον in Patre esse sive potius ipsum esse λόγον indicant trito illo quo passim usi sunt, argumento, ob id sempiternum esse Dei Verbum, nec in tempore procreatum, quoniam Pater nunquam fuit ἄλογος. Sed tum λόγος non personæ notio est, sed rationem, et οὐσιῶδες aliquid significat, ut postea, cum agemus de Sapientia, constabit. Hic autem λόγος, sive Verbum, propriam vim habet, ac soli Filio congruentem. Ideo *Verbum de Verbo* dici non posse asserit Augustinus libro *de Trinitate* sexto capite secundo: « Quia hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt, sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non sunt simul ambo Verbum, sed solus Filius. » De quo etiam fuse Cyrillus Alexandrinus in primo *Commentariorum in Joannem*, capite quarto. Nimirum λόγος, qua est intellectionis terminus, in solam cadit personam secundam. Ut autem ratio est, vel cogitatio, utrique, imo tribus personis congruit. Ac Verbum de Verbo, vel, λόγος ἐκ λόγου, potest dici, utrobique οὐσιωδῶς accepto nomine, sive ejusdem in repetitione, primum κατ' ἐπίνοιαν, postea οὐσιωδῶς. Siquidem Verbo Patre, id est ratione, vel intelligentia oritur.

Substantiale.

Substantialiter.

Ac memorabile est, quod Cyrillus in quarto *Thesauri* posuit, « appellationem Filii significare ex Patre esse Filium; illam autem Verbi, et Sapientiæ, in Patre [b]. « Quod non aliter verum est, nisi quia Pater σοφία est, et λόγος; et utraque dictio etiam οὐσιωδῶς sumitur. Nam alioqui si λόγος secundum notionem capitur, non minus ex Patre esse, quam *Filii* vox indicat. Habet enim σχέσιν quamdam, ut antea diximus, si illo modo ponatur: quia sermo alicujus est sermo, vel ut relatio magis appareat, *dictum*, sive *dictio* alicujus est dicentis.

Sapientia.

Relationem.

VI. Sed ut appellatio ista τοῦ λόγου plenius explicetur, commemoranda est hoc loco uberrima de illa Origenis disputatio, tomo secundo *in Joannem* [6], dum hæc Evangelii verba declarat, *In principio erat Verbum.* Ibi enim nonnulla, more suo, futilia, et ineptæ περιεργίας plena depromit; quibus enucleatis, fiet, id quod quærimus, usus illius vocabuli, ac proprietas illustrior. Primum itaque de *principii* agit nomine, quod ab Joanne positum est; ac

Origenis locus insignis.

a De hoc Athanas. orat. I. Προστιθέασι δὲ τοῦτο ὅτι οὐκ ἔστιν αὐτὸς ὁ ἐν τῷ πατρὶ φύσει, καὶ ἴδιος οὐσίας, καὶ ἡ ἰδία σοφία αὐτοῦ λόγος, ἐν ᾗ τοῦτον πεποίηκε τὸν κόσμον· ἀλλ' ἄλλος μὲν λόγος ὁ ἐν τῷ πατρὶ ἴδιος, καὶ ἄλλη ἐν τῷ πατρὶ ἀΐδία αὐτῷ σοφία, ἐν ᾗ σοφία καὶ τοῦτον τὸν λόγον πεποίηκεν. αὐτὸς δὲ οὗτος ὁ κυριος κατ' ἐπίνοιαν λέγεται λόγος, διὰ τὰ λογικὰ, καὶ κατ' ἐπίνοιαν λέγεται σοφία, διὰ τὰ σοφιζόμενα.

b Cyril. IV *Thes.* Διὰ μὲν τοῦ καλεῖσθαι υἱὸς τὸ ἐξ αὐτοῦ. διὰ δὲ τοῦ καλεῖσθαι σοφία, καὶ λόγος, τὸ ἐν αὐτῷ γνωρίζων.

1 Lib. I, col. 196. — 2 Euseb. lib. II *de Eccles. Theol.* c. III et XIV. — 3 Lib. I, c. XIII. — 4 Orat. III. — 5 Cyr. lib. XVI *Thes.* — 6 Orig. tom. II Operum. col. 165

cum varia sint Christi cognomina, ei soli, quod est *sapientia* convenire asserit notionem *principii;* adeo « ut ne principium quidem existat, in quantum est λόγος, id est verbum, vel ratio. Quandoquidem verbum, vel ratio in principio erat; adeo ut audacter ausit quis dicere antiquiorem omnibus, quæ excogitantur, nominibus primogeniti omnis creaturæ, sapientiam esse. » Non est opus pluribus ad refellendam commenti istius inanitatem. Etenim si, ut videtur, sapientiæ voce eam intellexit, qua Deus sapiens dicitur, ut in scholis mos est loqui, *formaliter;* origine prior est Sapientia, quam λόγος secundum notionem acceptus. Non enim Verbum, sive nata sapientia, illa est ipsa sapientia, qua Pater est sapiens, uti postea docebitur. Tametsi si λόγος perinde, ut Sapientia (nam et hæc secundum notionem interdum dicitur) οὐσιωδῶς usurpetur, ut sit *ratio*, vel aliquid ejusmodi commune personis tribus; nihil ab *Sapientia* discrepat, neque prior una est altera. Priorem autem cum dicimus, aut alteram ab altera differre, non reipsa, sed κατ' ἐπίνοιας, et origine sola utrumque intelligi volumus; de quo identidem, ne erret, admonendus est lector. Quamobrem supervacanea, et inutilis est ista Origenis animadversio. Nam λόγος non minus *principii* rationem meretur, quam Sapientia: siquidem *principii* vox ad res effectas, creatasque referatur, ut facit Origenes. Ac Filius Dei, qua *Verbum* est, et λόγος, vis est efficiens Patris, hoc est *principium*, uti pluribus in tertio libro *de Deo, ejusque proprietatibus* exposui.

VII. Post hæc Origenes longissimam orationem explicat de λόγου nomine; ac mirari se dicit, cur ex tot appellationibus Christi, quæ sunt in sacris Libris innumeræ, Christiani fere solam adsciverunt τοῦ λόγου, ac tanquam propriam illius adoptaverint, prætermissis cæteris; quam etiam ruditatem appellans insectari pergit, maxime quod ex illo nomine, quid sit Filius Dei, non satis intelligatur, et pro eo atque usurpari illa solent, *Eructavit cor meum verbum bonum* [1], videri possit, Filium Dei paternam esse prolationem tanquam in syllabis positam. Et idcirco, ait, hypostasim et subsistentiam illi, si accurate ipsos interrogemus, non tribuentes, neque essentiam ejus explanantes, nondum dicimus talem, vel talem, sed quomodocumque essentiam, » etc. Quo loco *Verbum*, sive λόγον, Origenes non putat esse Filii proprium, nec ejus hypostasim significare, neque οὐσίαν explicare, sed videri potius prolatitium quiddam. Sed fallitur, ut ea demonstrant, quæ de nomine isto copiose a nobis exposita sunt. Nam nullum peræque proprium est Filii Dei; neque aptius vel ad personæ proprietatem directe, vel ad ipsam divinam substantiam, et οὐσίαν oblique significandam. Siquidem eo ipso, quod est λόγος a Deo productus, non potest non ab eo esse distinctus, neque non ejus, cujus imago est, perfecte similis, idemque adeo cum ipso, et ὁμοούσιος. Cur autem proprium id magis Filii Dei sit habitum, quam cætera, quæ ibidem recenset Origenes, velut *ostium*, *lux*, *vita*, et cætera; non illa solum ratio impulit, sed multo magis, quod Joannes initio *Evangelii* declaravit, non illud ex communium, et appellativorum genere esse, sed proprium, et διακριτικὸν, non secus ac *Filii*. Verum Origenes in sequentibus demonstrat, λόγον a se ea sumi notione, qua *rationem* significat; et quemadmodum *vita*, et *lux* nominatur, quia vitam et lucem hominibus impertit, sic λόγον vocari, id est *rationem*, quatenus « ejus sunt participes omnes homines. » Vel certe si λόγος pro sermone accipiatur, ideo sic vocari, « quod renuntiet occulta Patris sui, qui mens existit perinde, atque Filius, qui vocatur sermo. Ut enim apud nos sermo nuntius est earum rerum, quæ a mente cernuntur; sic ille Dei sermo, qui Patrem agnovit, nemine alioqui absque duce intendere in eum valente, patrem agnitum revelat. » Ita mirum non est negasse Origenem, vocabulum τοῦ λόγου proprium, et οὐσιῶδες esse Filii potius, quam aut *sapientiæ*, aut *lucis*, aut id genus cætera. Verum scire debuit veram ac germanam proprietatem illius magis in comparatione, et habitudine ad Patrem, quam ad res externas, creatasque consistere.

Consubstantialis.

VIII. Habet autem et τοῦ λόγου, etiam qua ad res creatas refertur, notionem alteram Origenes, quæ Filii Dei proprietatem magis continet, quam illa rationis, aut sermonis: « eo quod secundum sapientiam, et secundum figuras collectionis intelligentiarum, quæ sunt in ipsa, fiant omnia. Opinor enim, sicut domus, et navis fabricatur, vel ædificatur juxta figuras, et formas mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptas, domo, navique principium sumentibus ab his figuris, et rationibus, quæ sunt in artifice; sic universa

1 *Ps.* XLIV, 1.

facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in Sapientia. Omnia enim in sapientia fecit. » Hæc est *idea*, quem et λόγον, id est *rationem*, sive descriptionem futuri operis appellant: cujusmodi Verbum, Deique esse Filium veteres affirmant, uti tertio in libro de Deo diximus. Nec satis emendata ista sunt Origenis, quæ mox subjicit. « Dicendumque est Deum, cum animatam sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris, et speciebus, quas ipsa habebat, (opinor) subsistentiam, et plasmationem, et formas præberet entibus, et materiæ. » Quæ si ab alio scripta essent, quam ab Origene, possent commode accipi, et vero debent, ut de illius invidia, quoad licet, detrahamus. Licet igitur *creatam* intelligere a Patre *Sapientiam*, σοφίαν ἔμψυχον, hoc est genitam, ut in secundo libro, capite secundo docuimus. Tum quod *illius curæ permisisse* Patrem ait, (Græce sic erat, τῇ ἐκείνου ἐπιμελείᾳ ἐπιτρέψαι) id valet, per illum quæ vellet, omnia condidisse.

CAPUT IV.

De locutione divina; Arii impium de ea dictum, nec non Semiarianorum minus animadversum. Quomodo divinæ personæ invicem loquantur; qua item ratione Pater Verbo mandare dicatur. Omnes[1] personas per Verbum loqui, et intelligere, quinam verum sit. Verbum produci ex notitia rerum omnium etiam creatarum, ad easque referri; non tamen earum similitudinem, aut verbum esse.

De locutione divina impium Arii dictum.

I. Superest illa Verbi contemplatio, quatenus sermo quidam est internus, sive alterius expressa notio: quarum sit rerum expressio, soliusne divinitatis, an rerum insuper a Deo procreatarum. Et quoniam utrobique est locutio quædam, cujus terminus Verbum dicitur; de ipsa prius locutione pauca perstringenda sunt, quæ sit illius ratio. Etenim Arius in *Sotadeis* per ludibrium ista jactabat, non unam locutionem esse Patris, nec unum λόγον, sed plures, quia sæpius in Scripturis locutus fuisse legitur. Totidem ergo λόγους procreasse putandus est. Arii verba ex Athanasio sunt ista. « Multa verba Deus loquitur. Ecquod ex iis Filium et unigenitum Patris Verbum nos esse dicimus[a]? » Ita Cyrillus in dialogo *de Incarnatione Unigeniti*, quosdam hæreticos ait existimasse « Verbum, quod a Deo processit, per se non subsistere, ac sermonem simpliciter, et in sola prolatione intellectum, in homine fuisse[b]. »

Necnon Semiarianorum minus reprehensa.

Est hac de re Basilii Ancyrani, Georgii Laodiceni, et aliorum Semiarianorum insignis sententia, in commentario quodam, quem Ancyrani conciliabuli synodicæ subjecerunt, qui Epiphanio ipsi librariorum culpa hactenus tributus fuerat. In eo commentario declarant, quemadmodum οὐσίας nomen, etsi in Scriptura non sit expressum, tamen Filio Dei merito a Patribus assignetur. Id enim fieri ex eo censent, ut ostendatur, λόγον ejusmodi, sive *verbum* non esse transiens, qualia multa commemorantur in Scripturis, quibus Pater Filium est allocutus. Ut igitur Verbum illud, qui est Dei Filius, ostenderent non esse ῥῆμα, καὶ φθέγμα, id est *vocabulum*, ac *locutionem ex ore prolatam*, οὐσίαν nominarunt. Etenim ῥῆμα, id est vocabulum, per sese exstantiam non habet, neque potest Dei esse Filius. Alioqui multi ad hunc modum erunt Dei Filii. Nam multa Pater ad Filium, ex omnium confessione, locutus est. Ut cum dicit: *Fiat firmamentum: Fiant luminaria: Educat terra;* et, *Faciamus hominem*, etc. Itaque Pater Filio loquitur. Et verba quidem Dei, quæ Filio loquitur, non sunt Filii. Filius autem, ad quem loquitur Pater, præter alia nomina quibus religiose appellatur, ut sunt panis, vita, resurrectio, etiam verbum nuncupatur; quoniam interpres est Dei voluntatum[c]. » Sic illi verba ista, sive sermones, quibus Filium

a Athan. lib. *de Synod.* Πολλοὺς λαλεῖ λόγους ὁ θεός. ποῖον αὐτῶν ἄρα λέγομεν ἡμεῖς υἱὸν, καὶ λόγον μονογενῆ τοῦ πατρός.

b Cyril. tom. V. Ὥστε καὶ ἀνυπόστατον τὸν ἐκ θεοῦ φασὶν εἶναι λόγον, ῥῆμα δὲ ἁπλῶς τὸ κατὰ μόνην νοούμενον προφορὰν ἐν ἀνθρώπῳ γενέσθαι.

c Epiph. hær. LXXIII, num. 12. Ἵνα δείξωσιν ὅτι ὁ υἱὸς ὑπόστασιν ἔχει, καὶ ὑπάρχων ἐστὶ, καὶ ὢν ἔστι, οὐχὶ δὲ ῥῆμά ἐστιν, οὐσίαν εἰπεῖν (ἠναγκάσθησαν) καὶ τὸν υἱὸν, τὴν διαφορὰν τοῦ τε καθ' ἑαυτὸν ἀνυπάρκτου, καὶ τοῦ ὑπάρχοντος, τῷ τῆς οὐσίας ὀνόματι ἐπιδεικνύντες· τὸ μὲν γὰρ ῥῆμα καθ' ἑαυτὸ ἀνύπαρκτόν ἐστι καὶ οὐ δύναται εἶναι υἱὸς Θεοῦ. ἐπεὶ πολλοί γε οὕτως ἔσονται υἱοὶ Θεοῦ. πολλὰ γὰρ ὁ πατὴρ ὁμολογεῖται λαλῶν τῷ υἱῷ· ὅταν λέγῃ, γενηθήτω στερέωμα· γενηθήτωσαν φωστῆρες· ἐξαγαγέτω ἡ γῆ· καὶ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον. ὥστε ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ λαλεῖ. καὶ οἱ μὲν λόγοι τοῦ Θεου, οὓς λαλεῖ τῷ υἱῷ, οὐκ εἰσὶν υἱοί. ὁ δὲ υἱὸς, πρὸς ὃν λαλεῖ ὁ πατὴρ,

1 Apud Epiph. Hær. LXXIII, n. 12.

allocutus est Pater, non *substantias Dei*, sed λεκτικὰς ἐνεργείας, hoc est *locutionis efficientias* esse voluerunt.

Quod nemo mirari debet, siquidem de isto hæreticorum genere illa legerit, quæ in primo libro, capite X scripsimus. Cognoscet enim illos diversam esse Filii a Patre substantiam existimasse, quamvis nonnihil de Arii blasphemia remisissent. Itaque, quod erat consentaneum, putasse Patrem identidem alloqui Filium, et « verbum, ac sermonem suum ad ipsum dirigere; quemadmodum angelis loquens, vel hominibus, significationes quasdam dat in tempore voluntatis suæ, quas vel in eorum mentibus imprimit, vel extrinsecus ostendit.

II. Sic illis multo detestabiliores Anomœi apud Cyrillum[1] libro primo *in Joannem*, Filium Dei non esse interius illud Patris Verbum inde concludebant, quod Christus ipse testetur se verbum, sermonemve Patris servare[2]; tum quod sibi mutuo loquantur Pater et Filius; ut cum *Joannis* XII, Christus, *Clarifica*, dixit, *Filium tuum*. Et Pater, *Clarificavi*, inquit, *et iterum clarificabo*. Cyrillus vero totus in eo est, ut probet, nullum esse aliud ἐνδιάθετον verbum præter Filium unigenitum, ne duo sint in divinitate Filii; siquidem ἐνδιάθετος ille λόγος sit ἐνυπόστατος, hoc est *per se subsistat*, hypostasim habens propriam; tum ἀμέσως, interjectoque medio nullo, Filium ait cum Patre conjungi, a quo et oritur. Demum, « Si est in Patre sermo quidam internus a Filio distinctus, consequens esse, ut et Filius internum in se sermonem habeat, utpote imago Patris, et nulla in re discrepans hypostasis character. Sic etiam Spiritus sanctus, eadem rationis consecutione, proprium et ipse Sermonem habebit. Ita duplicata jam nobis Trinitas erit, et composita demum apparebit divina natura[a]. » Recte hoc postremum Cyrillus, siquidem cum Catholicis res illi sit, qui unam numero in personis essentiam fatentur. Ariani vero non negabunt, esse itidem in Filio suum quemdam λόγον ἐνδιάθετον, ut est in angelis, et hominibus; sed ἐνυπόστατον eo sensu minime esse dicent, quo persona quæpiam, et hypostasis per se subsistit; sed eo potius, quo ita nominatur id, quod in hypostasi aliqua non accidentis instar existit, ut libro superiore docui. Quare ne hoc quidem sequi, quod objicitur, plures in Trinitate esse Filios, si plures in ea Sermones adstruantur. Id enim Filium esse duntaxat, quod priore modo vocatur ἐνυπόστατον, ac distinctum habet, propriumque subsistendi modum. Quemadmodum sapientia, vel omnipotentia, quam inesse Patri iidem illi hæretici profitebantur, non tamen ab ipsis ἐνυπόστατον aliquid, sive distincta ab illo persona constituebatur. Verum adversus Semiarianos, et similem per omnia, etiam substantia, Filium asseverantes, procedet argumentatio illa Cyrilli; uti libro secundo pluribus ostensum est capite undecimo.

Verbum internum.

Subsistentem.

Eadem fere ab Eunomianis objecta de duplici Verbo, vel Sermone, Cyrillus refellit[3]; ac nominatim illud, quod et in illo, quem citavimus, *in Joann.* commentario proposuit; quod mutuo invicem Pater, et Filius loquantur. Sed hoc levissimum est, et facile ab Cyrillo dissolvitur. Non enim propria est, et Deo naturalis ista locutio, sed externa quædam significatio per creaturam edita, ut in octavo libro demonstrabitur. Tum ad Christum hominem sermones istiusmodi diriguntur. Ac denique non ut reipsa se habet interior ille personarum invicem sermo, sed ut capi a nobis potest, figurate, et quibusdam imaginibus adumbratur.

Quomodo Pater loquitur Filio.

III. At idem postremo Cyrillus erudite, et ut præstante theologo dignum est, rationem explicat, qua divinæ inter se personæ loquuntur, de Patre agens ac Filio; et hunc docens, non dici λόγον, nostratis instar, sola prolatione constantem, quamvis « ex nostra consuetudine sic illum Scripturæ nominent. Loquitur enim Pater ad Filium arcano quodam modo, naturaliter id habentem, ut voluntatem ejus sciat, a quo genitus est; neque sermonem expectat, qui occultam illius voluntatem explicet, quoniam et ipse Sermo est[b]. » Hunc

μετὰ τῶν ἄλλων εὐσεβῶς καλεῖται ἄρτος, καὶ ζωὴ, καὶ ἀνάστασις· ἔτι καὶ λόγος ὀνομάζεται, ἐπειδὴ ἑρμηνεύς ἐστι τῶν τοῦ θεοῦ βουλημάτων.

a Cyril. Εἴπερ οὖν, κατὰ τήν τινων ἀβουλίαν, ἐνυπάρχει τῷ θεῷ, καὶ πατρὶ λόγος τις ἕτερος ἐνδιάθετος παρὰ τὸν υἱὸν, ἕξει πάντως καὶ ὁ υἱὸς λόγον ἐνδιάθετον ἐν ἑαυτῷ, ὡς εἰκὼν αὐτοῦ καὶ ἀπαράλλακτος τῆς ὑποστάσεως χαρακτὴρ, καθὼς γέγραπται. ἕξει δὲ ὁμοίως αὐτῷ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, κατὰ τὴν ἴσην τῶν νοημάτων ἀναλογίαν. γεγονεν οὖν ἡμῖν ἡ τριὰς ἐν διπλῷ, καὶ ἐν συνθέσει λοιπὸν ἡ θεία φαίνεται φύσις.

b Cyril. lib. XIX *Thes.* Οὐκ εἰδὼς ὅτι κατὰ μὲν τὴν ἡμετέραν συνήθειαν οὕτως αὐτὸν αἱ θεῖαι κηρύττουσι γραφαί. διαλέγεται δὲ ἀῤῥήτως πατὴρ πρὸς υἱὸν. ἔχοντος

1 Cyr. lib. I *in Joan.* cap. IV. — 2 *Joan.* VIII. — 3 Cyril. lib. XIX *Thes.* CLXXXVII et seq.

locutionis modum præclare Gregorius Nyssenus explicat libro duodecimo *contra Eunom.* similitudine speculi. « Quemadmodum, inquit, si quis seipsum intueatur in speculo, omnino ad prototypum imago formabitur adeo, ut causa formæ illius, quæ est in speculo, sit ea forma, quæ in hoc speculum intuetur; ac neque moveatur, neque inclinetur ex sese, nisi archetypum inclinationis illius, vel motionis principium dederit. Quod si id, quod est principale, motum fuerit; tum necesse sit moveri id, quod est in speculo. Eodem modo dicimus, et imaginem Dei invisibilis Dominum, ad omnem voluntatis motionem, sine medio ullo, et intervallo cum Patre affici. Voluit aliquid Pater; et qui est in Patre Filius, vidit Patris voluntatem, vel potius ipse voluntas est Patris[a]. » Tum postea : « Non igitur opus habet verbo voluntatem Patris discere, cum sit ipse Patris Verbum, secundum sublimiorem Verbi notionem[b]. » Hæc Gregorius Nyssenus, quæ pulcherrime, quantum humano ingenio, et oratione declarari tanta res potest, rationem aperit, qua Pater loquitur Filio: quod non verbo, vel sermone altero fit, sed communicatione ipsa naturæ, quacum omnia Filius, accepit quæ in Patre sunt, sapientiam, cognitionem, voluntatem, jussionem, creandi, vel in tempore faciendi aliquid consilium, et propositum. Hæc enim omnia, quæ ex æterno fuerunt in Deo Patre, et unum idemque sunt cum essentia divina, una cum eadem essentia manant in Filium.

Augustini interpretatio.

IV. Dabo hujus reconditi, et stupendi mysterii interpretem, et enarratorem idoneum Augustinum; qui in libro secundo *de Trinitate* capite X luculenter exposuit, quemadmodum Pater Filium miserit, et humanum corpus assumere voluerit. Cujus nos integrum locum reservabimus octavo libro, cum de personarum missione disputabimus; nunc eam partem illius libabimus, in qua locutionis, et significationis divinæ voluntatis ratio continetur. Hoc enim ipsum, quod sive *jussit*, sive *rogavit*, sive *admonuit*, inquit Augustinus. « verbo utique factum est. Dei autem verbum ipse est Dei Filius. Quapropter cum eum Pater verbo misit, a Patre et Verbo ejus factum est, ut mitteretur, etc. Quis enim se tam sacrilega induat opinione, ut putet temporale verbum a Patre factum esse, ut æternus Filius mitteretur, et in carne appareret ex tempore? Sed utique in ipso Dei verbo, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat, in ipsa scilicet sapientia Dei, sine tempore erat, quo tempore illum in carne apparere oportet, » etc.

Basilius quoque Magnus simillime atque isti omnes, et eodem, quo frater ejus Nyssenus Gregorius, exemplo speculi rem totam illustrat in libro de Spiritu sancto, capite octavo, dum hujusmodi Christi verborum sententiam explicat: *Ego ex meipso locutus sum nihil*[1]. Et, *Sicut dixit mihi Pater, ita loquor* : Et *Quemadmodum mandavit mihi Pater, sic facio.* Cujus verba jam alibi descripta sunt, ut et Didymi, qui idem in libro *de Spiritu sancto* secundo perhibet : nempe « loqui Patrem, et audire Filium ; vel e contrario, Filio loquente, audire Patrem, ejusdem naturæ in Patre, et Filio, consensusque significationem esse[3]. » Quod etiam de Spiritu sancto asserendum ait. Nec prætermitti debet elegans Cyrilli Alexandrini locus ; qui illam locutionis, hoc est cognitionis proprietatem in quinto libro *Commentariorum in Joannem*, ejusdem fere generis, ac Basilius, et Nyssenus, similitudine declarat, nempe picturæ. « Non enim, inquit, itidem, ut nos cognoscimus, Filius Patrem cognoscit. Sola enim animi cogitatione ad Dei contuitum pervenit creata natura, neque congruentes sibi terminos excedens, in rationibus omni sermone majoribus divinam occultari naturam vel invita sinit. At unigenitus ex Deo

αὐτοῦ φυσικῶς τοῦ (for. τὸ) εἰδέναι τοῦ τεκόντος τὴν βούλησιν, οὐ λόγον ἐκφαίνειν δυνάμενον τὰ κεκρυμμένα περιμένοντος· ἐπεὶ καὶ αὐτός ἐστιν ὁ λόγος.

a Creg. Nyss. lib. XXII *contra Eunom.* Ὥσπερ εἴ τις ἑαυτὸν ἐν κατόπτρῳ βλέποι, κατὰ πάντα τρόπον πρὸς τὸ πρωτότυπον καὶ ἡ εἰκὼν μορφωθήσεται· ὡς αἰτίαν τῆς ἐν τῷ κατόπτρῳ μορφῆς εἶναι τὴν ἐνορῶσαν μορφὴν, καὶ μήτε κινεῖσθαι, μήτε ἐπικλίνεσθαι καθ' ἑαυτὴν τὴν εἰκόνα, μὴ τοῦ ἀρχετύπου τῆς ἐπικλίσεως, ἢ τῆς κινήσεως ἄρξαντος, εἰ δὲ κινηθείη τὸ προηγούμενον, συγκινεῖσθαι πάντως καὶ τὸ ἐν τῷ κατόπτρῳ δεικνύμενον. οὕτω φαμὲν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀοράτου, τὸν κύριον, πρὸς πᾶσαν θελήματος κίνησιν ἀμέσως τε, καὶ ἀδιαστάτως συνδιατίθεσθαι τῷ πατρί. ἠθέλησέ τι ὁ πατὴρ, παὶ ὁ ἐν τῷ πατρὶ ὢν υἱὸς εἶδε τὸ τοῦ πατρός· μᾶλλον δὲ αὐτὸς τοῦ πατρὸς ἐγένετο θέλημα, etc.

b Mox : Οὐ χρῄζει τοίνυν λόγῳ μαθεῖν τοῦ πατρὸς τὸ θέλημα αὐτὸς ὢν τοῦ πατρὸς ὁ λόγος, κατὰ τὴν ὑψηλοτέραν σημασίαν τοῦ λόγου.

1 *Joan.* xii, 47. — 2 *Joan.* xii, 60. — 3 Lib. II, cap. iv et lib. III, cap. ?.

Patre natus Filius totum in seipso contemplatur genitorem, et ejus, qui se genuit, essentiam in propria natura depingens, ita ipsum novit, uti verbis exprimi non potest[a].» Est igitur intelligentia Filii, qua Patrem cognoscit, non notio, sive actio mentis, sed expressio quædam similis substantiæ. Ubi et illud obiter notabis, quod ante monuimus,

Propriam naturam. Substantia.

φύσιν οἰκείαν a Cyrillo pro persona, vel hypostasi sumi, et ab οὐσίᾳ discerni, quod singulari observatione dignum. Sic catena Græca in *Psalmum* secundum, quod ex Christi persona dictum est, *Dominus dixit ad me*, sic explicat: « *Dixit* hoc loco posuit pro re ipsa, quasi dicat: Patris natura me Filium declaravit, non ut mandato aliquo trajecta sit in me adoptionis dignitas, sed ut substantia ipsa paternæ in me subsistentiæ formam exprimat[b]. »

Quo sensu Pater mandare Filio dicatur.

V. Sic ergo *mandati* vox, et *præcepti*, aut *jussionis*, aut ejusdemmodi vocabula, cum ab Catholicis Doctoribus usurpantur, atque a Patre edita esse Filio dicuntur, intelligere oportet, ut loqui, vel mandare aliquid Filio, sit Filium gignere, et naturam ei communicare, in qua illud est, quod præcipi nostro more dicitur, sive ipsum Verbum producere, quod Patris mandatum, id est βούλημα nominatur, ut postea dicam. Porro Filius cum loquitur Patri, seipso loquitur; quia ipsum est Verbum, sive sermo, quo personæ tres loqui dicuntur. De hoc subtilis est Augustini disputatio in primo *de Trinitate*, cap. XII. « Non aliud est, inquit, mandatum Patris, aliud Verbum Patris. Nam et verbum hoc appellavit, et mandatum. Videamus ergo, ne forte, quod ait: *Ego non ex me locutus sum*, hoc intelligi voluerit: Ego non ex me natus sum. Si enim Verbum Patris loquitur, seipsum loquitur, quia ipse est Verbum Patris. Plerumque enim dicit: *Dedit mihi Pater;* in quo vult intelligi, quod eum genuerit Pater, non ut tanquam jam existenti, et non habenti dederit aliquid, sed ipsum dedisse ut haberet, genuisse est, ut esset. Non enim sicut creatura, ita Dei Filius ante incarnationem, et ante assumptam creaturam unigenitus, per quem facta sunt omnia, aliud est, et aliud habet, sed hoc ipsum est, quod est id, quod habet. » Non est igitur consequens Verbum, cum loquitur, aliud Verbum edere, cum ipsum sit unicum, et complectens omnia Verbum, quo Pater omnia dixit, et ipsum se dicit, non producendo, ut Pater, sed nascendo, et existendo. Ac denique Spiritus sanctus eodem Verbo loquitur, non utique gignendo, vel producendo, sed procedendo; quatenus cum natura omnia, quæ naturæ insunt, accipit, adeoque Verbum ipsum, et quidquid per Verbum loqui potest, quod nonnisi per Verbum est. »

VI. Verum Anselmus in *Monologio*, cap. LX, enucleatius hoc arcanum explicat. Quærit enim, cur cum « Pater et Filius, et Spiritus sanctus unusquisque seipsum, et alios ambos dicat, sicut se, et alios intelligit, non sint in summa essentia tot verba, quot sunt dicentes, et quot sunt, qui dicuntur. Si enim plures homines unum aliquid cogitatione dicant, tot ejus videntur esse verba, quot sunt cogitantes; qui in singulorum cogitationibus ejus est, » etc. Ac tandem ita respondet, « Non esse tres dicentes, quamvis singulus quisque sit dicens; nec esse plura, quæ dicuntur, cum unusquisque seipsum et alios duos dicit. Nihil autem aliud esse summo spiritui hujus dicere, quam quasi cogitando intueri, sicut nostræ mentis locutio nihil aliud est, quam cogitantis inspectio. Cum ergo constet, quia sicut pertinet ad ejus essentiam scientia, et intelligentia; sic ejus scire, et intelligere non est aliud, quam dicere, id est, semper præsens intueri, quod scit, et intelligit; necesse est, ut, quemadmodum singulus Pater, singulus Filius, et singulus eorum Spiritus est sciens, et intelligens, et tamen hi tres simul non sunt plures scientes, aut intelligentes, sed unus sciens, et unus intelligens; ita singulus quisque sit dicens, nec tamen sint tres dicentes simul, sed unus dicens. » Deinde « cum hi tres dicuntur, inquit, vel a seipsis, vel ab invicem, non sunt plura, quæ dicuntur. Quid namque ibi dicitur, nisi eorum essentia? Si ergo illa una sola est, unum solum est, quod

[a] Cyril. V *in Joan.* Οὐ γὰρ ὥσπερ ἡμεῖς γινώσκομεν, κατὰ τὸν αὐτὸν, οἶμαι, τρόπον οἶδεν ὁ υἱὸς τὸν πατέρα. μέχρι γὰρ ἐννοίας μόνης ἐπὶ τὴν θεοπτίαν ἡ τῶν γεννητῶν ἔρχεται φύσις, καὶ τοὺς αὐτῇ πρέποντας ὅρους οὐχ ὑπερτρέχουσα, ἐν ἀῤῥήτοις κρύπτεσθαι λόγοις, καὶ οὐχ ἑκοῦσα τῇ θείᾳ φύσει παραχωρεῖ. ὁ δὲ ἐκ θεοῦ πατρὸς πεφυκὼς μονογενὴς ὅλων ἐν αὐτῷ θεωρεῖ τὸν γεννήσαντα, καὶ τὴν τοῦ τεκόντος οὐσίαν ἐν τῇ οἰκείᾳ φύσει ζωγραφῶν, οἶδεν οὕτως αὐτὸν, ὡς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν.

[b] *Cat.* a P. Cord. edita. Πάλιν τὸ εἶναι ἐνταῦθα ἐπὶ πράγματος λέγει· ἀντι τοῦ απεφήνατό με ἡ τοῦ πατρὸς φύσις υἱὸν, οὐ προστάγματος εἰς ἐμὲ μεταβιβάσαντος τὸ τῆς υἱοθεσίας ἀξίωμα, ἀλλ' αὐτῆς τῆς οὐσίας ἀποδειξάσης τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, ἐπ' ἐμὲ χαρακτῆρα.

dicitur. Ergo unum solum est in illis, quod dicit, et unum, quod dicitur. Una quippe sapientia est, quæ in illis dicit, et una substantia, quæ dicitur; consequitur non ibi esse plura verba, sed unum. » Addit præterea, nonnisi unum posse esse Verbum, « quod sic nascitur ex eo, cujus est Verbum, ut etiam vera ejus dici possit imago, et vere Filius ejus sit. » Ideo non dici trium Verbum, sed unius tantum, « quia imago est et Filius ejus, cujus est verbum; et patet, quod nec imago, nec Filius suimet, nec a se procedentis Spiritus congrue dici potest. »

Tres personas per Verbum loqui quinam verum sit.

Quocirca ex illis Anselmi summa ista colligitur: tres personas se, et alias intelligere, hoc est *dicere*, per Verbum; quod « ipsum non singularum, aut omnium simul; sed unius tantum sit Verbum[1], » id est ab uno solo productum. Verum, ut jam docere memini, *dicendi* vox dupliciter ab Anselmo sumitur; aut secundum essentiam, aut secundum notionem. Priore modo idem est omnino, quod *intelligere*, et ita trium una est *dictio*, sive intellectio, suntque tres, unus dicens. Posteriore vero, modum quemdam intelligendi significat, hoc est *intellectionem* ejus, quod intelligitur, similitudinem, atque imaginem exprimentem; sive intellectionem fecunditate quadam præditam, qua rei objectæ similitudinem, velut terminum, profert, quæ est vera generatio, uti sequente libro plenius exponam.

VII. At Gregorius papa lib. XXIII *Moral.* cap. XI loqui, quod est idem, ac *dicere*, proprie tribuit Patri, dum idem esse putat ac gignere. Nam illa verba Jobi explicans, *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit*[2]. « Loqui, inquit, Dei, est Verbum genuisse. Semel autem loqui Dei, est Verbum aliud, præter unigenitum, non habere. Unde et apte subditur; Et secundo ipsum non repetit, quia videlicet hoc ipsum Verbum, id est Filium, nonnisi unicum genuit. »

Et alibi de Filio[3], « Ipse vox, inquit, quia eum Pater gignendo dixit. *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* Et de quo scriptum est: *In principio erat Verbum.* » Sed et Richardus Victorinus[4] locutionis auctorem esse solum Patrem asserit. « Nam solus Pater dicit. » Nimirum *dicere*, ac *loqui*, si simpliciter pro eo, quod est *intelligere*, sumitur, et in Verbo fit, hoc est notione illa, quæ in verbum, velut terminum, desinit, et a personis fit tribus. Sin est Verbum ipsum, ac terminum dicendo proferre, solus ejus est auctor Pater.

Enim vero dici ista utrumque possunt, et humano sermone humanisque mandari auribus: « Sed hujus tam sublimis rei secretum, ait Anselmus[5], transcendit omnem intellectus aciem humani, et idcirco conatum explicandi, qualiter hoc sit, continendum puto. Quid enim tam incomprehensibile, quam id, quod supra omnia est? » Verum quia « etsi intueri minime valemus, mirari tamen illa possumus, illius autem nativitatis vim jam mirari posse, aliquatenus videre est, » ut ait Gregorius[6], quo magis tam profunda Dei arcana mirando videamus; quoniam, quod erat e duobus primum, cujusmodi sit divina illa locutio, dictum est; de altero modo pauca reddamus, quarum sit rerum expressio Verbum illud.

Verbum ex cognitione omnium rerum etiam creatarum producitur.

VIII. De quo disputandi non multis opus est. Etenim cum et unicum sit, personarum trium, et per illud unum dicantur, hoc est intelligantur omnia, ut supra demonstravi; necesse est in illo comprehendi omnia. Id autem imagine, ac repræsentatione fit. Siquidem Verbum nihil aliud est, præter similitudinem, et expressionem rei cognitæ. Omnium igitur, quæcumque tandem sunt, aut esse possunt, similitudo est Verbum illud; quatenus in ea, cujus est imago, Dei substantia continentur. Augustinus libro XV *de Trinitate*, capite XIV. « Verbum ergo Dei Patris unigenitus Dei Filius, per omnia Patri similis, inquit, et æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia, est hoc omnino, quod Pater; sed ei nosse de Patre est, sicut esse. Nosse enim, et esse illi unum est. Et ideo Patri, sicut esse non est a Filio, ita nec nosse. Proinde tanquam seipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integre, perfecteque dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in ejus verbo, quam in ipso, » etc. Item. « Quidquid in ea scientia est, de qua genitum est, et in ipso est. Quod autem in ea non est, nec in ipso est. » Item: « Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso tanquam seipsum; in Filio tanquam Verbum suum, *Quod Est De His Omnibus*, *Quæ Sunt In Seipso*. Omnia similiter novit et Filius in se scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt de iis, quæ Pater novit in seipso. In Patre autem tanquam ea

1 Ansel. ib. cap. LXI. — 2 *Job.* XXXII, 14. — 3 Lib. XXXII, *Mor.* cap. VI. — 4 Lib. VI *de Trinit.* cap. XII. — 5 *Monol.* c. XII — 6 Gregor. lib. XXIII, *Mor.* cap. XI.

de quibus nata sunt, quæ Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia, quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim, aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde, vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia ; sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt. »

Quibus ex Augustini verbis multiplex ratio conficitur, ob quam Verbum ipsum ex rerum etiam creatarum cognitione procedit. Primum enim imago est, ut dixi, tum substantiæ, et hypostasis divinæ, quæ est Pater, tum eorum omnium, quæ in ea quoquomodo continentur. At creata omnia, tanquam in causa, et idea continentur in Deo. Quare necesse est eadem in imagine, ac Verbo repræsentari. Referri autem, ac repræsentari non aliter possunt, quam dictione, ac locutione, quæ est cognitio, e qua Verbum oritur, ut proinde ex illarum rerum intelligentia nosci necesse sit Verbum. Deinde novit omnia per Verbum Pater, et in Verbo. Ergo omnia comprehendi oportet in Verbo, quod, uti dictum est, nonnisi dictione, cognitioneque fit. Ad hæc, omnia per Verbum suum condidit Pater, nimirum tanquam per ideam, et exemplar ; in quo delineata, descriptaque sunt opera omnia : « *In ipso condita sunt*, ait Apostolus, *universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates ; omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* »

Omnia creata in Verbo repræsentata.

IX. Libet hic auctoris illius [2], qui *de Cognitione veræ vitæ* scripsit, locum quemdam adscribere, in quo divini Verbi hanc, de qua loquimur, proprietatem, pulchre mihi declarasse videtur. « Tripliciter, ait, Verbum intelligitur ; verbi gratia, cum hoc verbum homo, homo profert ore ; aut cum idem verbum homo, absque motu linguæ in corde suo format ; aut cum res ipsa, quam significat illud verbum homo, qualis sit intellectu cogitatur. Hoc tertio modo Deus Verbum suum genuit, cum seipsum cogitando dixit. Et quia totam mundi formam eadem cogitatione creavit, ideo dicitur, quod omnia in Verbo suo fecerit. » Addit et Verbum nihil aliud esse, quam cogitationem, et artem, et sapientiam Patris.

Augustinus porro libro XI *de Civitate Dei*, capite x illustri sententia nobis ad eamdem argumentationem præit, dum et « infinitos rerum intelligibilium thesauros, ac rationes rerum, etiam visibilium, et mutabilium » inesse ait in Sapientia, per quam omnia facta sunt ; et nihil Deum nescientem facere, sed « ea utique fecisse, quæ noverat. » Ex quo sequitur rerum omnium similitudines inesse Verbo. Hunc Augustini locum libro tertio *de Deo*, ubi de hujus scientia disputatum est, attulimus.

Hinc Augustinus idem libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione LXIII. Melius ait esse λόγον, Latine interpretari *Verbum*, quam *rationem*, « ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia. » Habet igitur appellatio Verbi respectum etiam ad res creatas, tanquam causæ ad rem effectam, sive exemplaris ad opus artis ; quod totum imagine, et expressione constat. Addit Origenes [3], etiam quatenus imago est, ad nos dici, quibus videlicet Patrem revelat ; quatenus autem veritas est, ad Patrem comparari, quod minus accurate dictum est. Rursus ex æqualitate ipsa Filii, aut Verbi cum Patre idem efficitur, quam Augustinus loco illo paulo ante descripto eo definit, « quod nihil minus, aut amplius sit in ejus Verbo, quam in ipso. » Etenim « nascitur de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus, ait Zeno Veronensis [4], totum Patris habens, nihil derogans Patri. » Tum, « Pater, inquit, in ipsum alium se genuit ex se, et innascibili scilicet sua illa substantia, in qua beatus manens in sempiternum, omnibus, quæ habet, habentem Filium paria procreavit. » Quod profecto minime verum esset, nisi « et se, et omnia in Verbo suo dicendo expressisset Pater. » Sic Fulgentius libro tertio *ad Monimum*, capite VII. « Nec minus aliquid, inquit, habet verbum, quod ex mente nascitur, quam est mens, de qua nascitur ; quia quanta est mens, quæ generat Verbum, tantum est etiam ipsum Verbum. Sicut enim de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum. »

X. Anselmus in *Monologio* latius hoc argumentum pertractat, ac primum docet, [5] Ver-

1 *Coloss.* 1, 16. — Tom. IX Operum. Aug. cap. XIV. — 3 Origen. libr. I *Periar.* cap. II. — 4 Serm. I *de Æter. Filii generat.* — 5 Ansel. *Monol.* cap. XXIX.

bum divinum, quam Dei esse locutionem putat, ut supra referebamus, non ex pluribus constare verbis, sed unum esse verbum; quod cum locutio ista sit consubstantialis loquenti, nonnisi simplex esse spiritus potest. Cujus et altera ab Ambrosio[1] ratio redditur, « quia si multa verba, multi et filii. » Deinde quærit an similitudo sit Verbum illud non solum Dei, a quo gignitur, sed etiam creatarum omnium rerum, quæ per illud dicuntur et intelliguntur, adeoque procreantur. Respondet autem[2], non esse similitudinem, neque verbum rerum conditarum; ac si nulla earum esset, aut esse posset, nihilominus ipsius divinæ, ac summæ essentiæ similitudinem, ac Verbum futurum. Porro eodem illo Verbo[3], « quo dicit seipsum, dicere quæcumque fecit. » Ergo « si et seipsum, et ea, quæ facit, consubstantiali sibi Verbo dicit; manifestum est, quia Verbi, quo se dicit, et Verbi, quo creaturam dicit, una substantia est. » Mox: « Verbum autem, quo creaturam dicit, nequaquam similiter est verbum creaturæ, quia non est ejus similitudo, sed principalis essentia; consequitur igitur, ut ipsam creaturam non dicat verbo creaturæ[4]. » Demum capite XXXIII explicat, « quomodo tam differentes res, scilicet creans, et creata essentia, dici possint uno verbo. » Nimirum, « quia ipsa est summa sapientia, et summa ratio, in qua sunt omnia, quæ facta sunt; quemadmodum opus, quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum et antequam fiat, et postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte, non aliud, quam quod est ars ipsa. Idcirco cum ipse summus Spiritus dicit seipsum, dicit omnia, quæ facta sunt. Nam et antequam fierent, et cum jam facta sunt, et cum corrumpuntur, seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis secundum mutabilem rationem creata; in ipso vero sunt ipsa prima essentia, et prima veritas, cui, prout magis utcumque illa similia sunt, ita verius, et præstantius existunt. »

Verbum non est similitudo vel verbum rerum creatarum.

Hinc ergo concluditur Verbum Dei ita rerum omnium in se continere similitudines, ut tamen creatarum similitudo, et imago dici non debeat, quia sic illas repræsentat, quomodo in Dei essentia comprehenduntur. Hoc vero modo non sunt mutabiles, nec a divina ipsa natura differunt. Quare non potest mutabilis rei similitudo esse increata res, et immutabilis. Hoc vero in sequenti capite plenius explicabitur, in quo de imagine, et similitudine accurate disserimus.

CAPUT V.

De vocabulo Imaginis, et characteris, aliisque eodem pertinentibus, quæ Filii propria sunt. Imaginis proprietates duæ; similitudo, et productio ad hoc ipsum, ut repræsentet prototypum; utrumque inesse Verbo. Patrem non esse imaginem Verbi. Verbum dici comparatum ad res creatas, quorumdam opinio. De voce, et proprietate characteris, *et quo sensu Filio tribuitur. Item de signaculo. Explicatur Ezechielis locus,* Tu signaculum similitudinis, *perperam a nonnullis acceptus. Hebraica in iis verbis mendose concepta. Disputatum obiter, an idem sit esse* imaginem, et ad imaginem. *Veterum multorum opinio utrumque distinguentinm. Cur ad imaginem Verbi homo præcipue conditus dicatur. Similitudinis vox ab Hilario cur ab divinis rejecta.*

De Verbo imaginis et characteris.

I. Nomen alterum est Filii proprium, *imago*, vel *figura*, vel *species*, Græcis εἰκών, μορφή, χαρακτήρ, εἶδος, et si qua sunt similia; quorum primum in epistola secunda *ad Corinthios*, capite IV, 54 legitur; et in capite I epistolæ *ad Colossenses*, commate IV. Secundum nomen, *Philip.* II, 6; tertium, *ad Hebr.* c. I, 3; quartum, quod est εἶδος, ex *Joannis* cap. V, 37 colligit Cyrillus Alexandrinus in duodecimo *Thesauri*. Ibi enim Christus Judæos castigans, « *Neque vocem*, inquit, *ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis*[a]. » De quibus ita Cyrillus: « Hæc ergo omnia Filius est, vox, et species, et verbum Patris. Quod si species est, perspicuum est etiam imaginem esse, et characterem[b]. » Sic Justinus martyr in dialogo *cum Thryphone*, angelum illum[5], qui cum Jacobo luctatus est, Filium Dei esse putat; atque idcirco loco ipsi nomen inditum *Phanuel*, quod Septuaginta interpretantur εἶδος

a Joan. V, 37. Οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε· οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε.

b CYRIL. XII *Thes.* Ταῦτα τοίνυν πάντα ἐστιν ὁ υἱὸς, φωνὴ καὶ εἶδος, καὶ λόγος τοῦ πατρός. εἰ δὲ εἶδός ἐστι, δῆλον ὅτι καὶ εἰκὼν, καὶ χαρακτήρ. Vide dial. ejusdem V *de Trin.*

1 Amb. *de Incarnat. Dom.* cap. III. — 2 Ansel. *Mon.* cap. XXX. — 3 Ibid cap. XXXI. — 4 Ibid. cap. XXXII. — 5 *Gen.* XXXII.

θεοῦ. Quia « *Vidi Deum*, inquit, *facie ad faciem.* » Quo illud etiam pertinet, quod alibi notavimus, quosdam Patres πρόσωπον, id est *vultum*, vel *faciem* Dei, intellexisse Filium, quod per eum agnoscatur Pater, uti homo quilibet ex vultu. Vide Cyrillum Alexandrinum in dialogo V *de Trinitate*. Hilarius initio libri secundi, *speciem*, tanquam propriam, attribuit Filio. « Infinitas, inquit, in æterno, species in imagine, usus in munere. » Quæ sic ab Augustino [1] citantur ex Hilario, « Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere. » Ubi *speciem* interpretatur *pulchritudinem*, quæ est imaginis propria. Hæc enim « pulchra dicitur, si perfecte repræsentet rem, quamvis turpem, » ait sanctus Thomas.

Imaginis definitio.

Joannes Damascenus [2] in libro primo *de Imaginibus*, imaginem definit sic : « Imago itaque similitudo est sic exemplar exprimens, ut nonnullam ab eo differentiam habeat. Non enim in omnibus imago assimilatur archetypo. Proinde imago vivens, naturalis, et nulla re discrepans invisibilis Dei Filius est, totum in se ferens Patrem, omnimodam cum eo habens identitatem ; ac solo eo discrepans, quod est a principio [a] » Quod in tertio libro latius diffundit, ibique varias imaginum species explicat ; quarum prima, et præcipua est *naturalis*, quam reliquæ consequuntur.

Imaginis proprietates duæ.

II. Porro quæ sit hujus vocabuli vis et potestas, utque non hæreticorum faveat errori, sed catholicam magis professionem adstruat, si recte id intelligatur, sparsim in secundo [3], et quarto libro hujus operis ostendimus [4]. Nunc de eo quædam adjungemus instituto huic opportuna, quo secundam Trinitatis personam declarare aggredimur, ejusque proprietates, ac notiones expendere. Atque illud ante omnia notari volumus esse hoc nomen ad ambas illas convincendas hæreses aptissimum, quæ utrinque sitam in medio catholicam oppugnant fidem, Sabellianos, inquam, et Arianos. Nam veræ, proprieque dictæ imaginis ea ratio est, ut cum duo inter se diversa, tum naturæ communione juncta significet. Quippe conditiones imaginis sunt duæ ; altera, ut similitudinem habeat cum exemplari ; altera ut ad hoc ipsum producatur, ut illud repræsentet, hoc est id ei ex vi, et natura productionis suæ competat, ut archetypum referat ; quæ duæ proprietates totidem, uti dixi hæreses excludunt. Etenim imago omnis alterius imago est ; nec esse quidquam imago sui, vel sibi ipsi simile, hoc est repræsentare se, dicitur. « Sic Ambrosius Arianos primum redarguit [5], Filium imaginem esse confitentes Patris, et eumdem dissimilem asserentes : « Imaginem, inquit, Apostolus dicit, et Arius dicit esse dissimilem. Cur imago, si similitudinem non habet ? » Mox diversum a Patre esse Filium ita docet : « Vides ergo, quia dum imago dicitur, patrem significat esse, cujus imago sit filius ? quia nemo potest ipse sibi imago sua esse. »

Idem et uberius, et erudita oratione confirmat Chrysostomus ; atque ambas illas, et secum invicem, et a catholico dogmate dissidentes hæreses eodem telo conficit, dum illa Pauli *ad Hebræos* verba declarat, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ; atque inter alia, « Character, inquit, alius est a prototypo, alius autem non omnino, sed eo solum, quod subsistit ; quandoquidem character hoc loco nullam ab eo discrepantiam esse significat, cujus est character, ac per omnia similem esse [b]. » Et quidem cum talis imago sit Patris Filius, cujusmodi intelligentis sese verbum imago dicitur, necessarium est perfectam huic inesse similitudinem [6], uti sæpe docuimus. Omnis autem similitudo habitudo quædam est unius ad alterum, ac relatio, quæ nonnisi inter distinctos cernitur ; quemadmodum et imago, et verbum ex genere sunt eorum, quæ ad aliud dicuntur, ut ex antecedentibus liquet.

Utrasque convenire Verbo.

III. Porro ex vi, et nativa conditione productionis suæ hoc imaginem habere, ut auctorem repræsentet ; adeoque Verbum εἰκόνα, et *imaginem* ideo nominari, quoniam ita procedit a Patre, ut eum necessario exprimat, antiqui omnes theologi demonstrant ; qui imaginem dici Verbum Dei asserunt, quatenus a Patre gignitur. Ita Gregorius

a Damasc. Εἰκὼν μὲν οὖν ἐστιν ὁμοιώμα χαρακτηρίζον τὸ πρωτότυπον μετὰ τοῦ καὶ τινὰ διαφορὰν ἔχειν πρὸς αὐτό. οὐ γὰρ κατὰ πάντὰ ἡ εἰκὼν ὁμοιοῦται πρὸς τὸ ἀρχέτυπον. Εἰκὼν τοίνυν ζῶσα, φυσικὴ, καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ ἀοράτου θεοῦ, ὁ υἱὸς, ὅλον ἐν ἑαυτῷ φέρων τὸν πατέρα, κατὰ πάντα ἔχων τὴν πρὸς αὐτὸν ταὐτότητα, μόνῳ δὲ διαφέρων τῷ αἰτιατῷ.

b Chrys. hom. II in epist. *ad Heb.* Ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἄλλος τίς ἐστι παρὰ τὸ πρωτότυπον· ἄλλος δὲ οὐ πάντη, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἐνυπόστατον εἶναι. ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα ὁ χαρακτὴρ τὸ ἀπαράλλαττον δηλοῖ οὗ ἐστι χαρακτὴρ, τὸ ὅμοιον κατὰ πάντα.

1 Aug. lib. VI *de Trinit.* cap. X. — 2 I Par. quæst. XXXIX, art. 8. — 3 Cap. XI. — 4 Cap. VI. — 5 Lib. *de Fide*, cap. XIV. — 6 Vide et lib. II, cap. XI.

Nazianzenus, cujus testimonium jam adduximus : « Imago, inquit, dicitur, tanquam consubstantialis Patri; et quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Est enim natura hæc imaginis, ut sit imitatio quædam exemplaris, et ejus, cujus imago dicitur [a]. » Quocirca ut aliquid imago sit alterius necesse est, ut ab eo originem traxerit, nec qualemcumque originem, sed eam, quæ ex vi sua, et proprietate similitudinem afferat ei, quod producitur, qualis est generatio; quod in sequentibus exponam pluribus, cum de processione sancti Spiritus agetur. Nunc in Filio Dei hoc universe monstremus eatenus esse imaginem, quatenus a Patre oritur. Atque hoc inter alios accurate sanctus Augustinus [1]; qui imaginis, similitudinis, et æqualitatis discrimen explicat. Nam « ubi est imago, continuo similitudinem esse, non æqualitatem ait; ut in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est; est etiam necessario similitudo, non tamen æqualitas; quia multa desunt imagini, quæ tamen insunt illi rei, de qua expressa est. Ubi æqualitas continuo similitudo, non continuo imago; velut in duobus ovis paribus, quia inest æqualitas, inest et similitudo; quæcumque enim adsunt uni, adsunt et alteri; imago tamen non est, quia neutrum de altero expressum est. Ubi similitudo non continuo imago, non continuo æqualitas; » quod ovi exemplo docet, quia ovum omne, in quantum ovum, alteri ovo simile est; sed neque imago, quia de illo expressum non est, nec æquale, quia potest unum altero esse longius. Quibus ista subjungit : « Potest ergo esse aliqua imago, in qua sit etiam æqualitas; ut in parentibus, et filiis invenitur imago, et æqualitas, et similitudo; » sed ita tamen, ut parens tempore præcedat : « In Deo autem, quia conditio temporis vacat; non enim potest recte videri Deus in tempore generasse Filium, per quem condidit tempora; consequens est, ut non solum sit imago ejus, quia de illo est, et similitudo, quia imago, sed etiam æqualitas tanta, ut nec temporis quidem intervallum impedimentum sit. » Eodem spectat, quod Hieronymus libro primo *contra Pelagianos* docet, « aliud esse similitudinem, aliud æqualitatem; illud picturam, hoc esse veritatem. »

IV. Ergo imago propterea patris est filius, et intelligentis verbum; quia de illo oritur alterum, et exprimitur. « Non enim extrinsecus picta est imago Dei, ait Athanasius; sed ipse Deus genitor est ejus [b]. » Et Basilius [2]. « Qui est imago Dei invisibilis. Imago non inanimata, nec manu fabricata, nec artis, vel commentationis opus, sed imago vivens, imo vero ipsa vita non in figuræ similitudine, sed in ipsa substantia identitatem retinens [c]. » Quin idem erudite alio in loco veram imaginem vel in creaturis ipsis [3], ut in homine, non eam esse demonstrat, quæ manibus elaboratur, industriaque artificis, sed quæ generatione producitur. « Si, inquit, e rebus humanis imagines accipiat, inveniet non ex operibus artificis ad intelligentiam ejus nos substantiæ deduci, sed ex eo, qui genitus est, naturam generantis agnoscere. Non enim ex domo architecti substantia potest percipi; sed ex genitura facile est naturam gignentis intelligere [d]. » Cum igitur imaginis in eo, natura sit, ut archetypum referat, hoc autem nonnisi generatione assequitur imago vera, proprieque dicta, quæ videlicet non externam tantummodo figuram, ac speciem, sed naturam ipsam, et substantiam exprimit; necesse est, eamdem generatione produci, ut sit *imago genita filius*, ut idem loquitur [4]. Hinc putida illa, sed de re tamen verissima, nominis υἱός originatio ab auctore allata quæstionum [5], quæ inter Athanasii spuria leguntur, υἱὸν dici quasi οἷον, quod sit talis, qualis est Pater. Quinetiam ex eo constare potest, ad imaginis essentiam requiri, ut ab altero producta sit, quod ideo filius imago patris appelletur, non

a NAZIANZ. orat. XXXVI. Εἰκὼν δὲ ὡς ὁμοούσιον, καὶ ὅτι τοῦτο ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατήρ. αὕτη γὰρ εἰκόνος φύσις, μίμημα εἶναι τοῦ ἀρχετύπου, καὶ οὗ λέγεται.

b ATHAN. orat. II. Οὐ γὰρ ἔξωθέν ἐστι γραφομένη τοῦ θεοῦ εἰκών· ἀλλ' αὐτὸς ὁ θεὸς γεννητής ἐστι ταύτης.

c BASIL. Εἰκὼν οὐκ ἄψυχος, οὐδὲ χειρόκμητος, οὐδὲ τέχνης ἔργον, καὶ ἐπινοίας· ἀλλὰ εἰκὼν ζῶσα, μᾶλλον δὲ αὐτοοῦσα ζωὴ, οὐκ ἐν σχήματος ὁμοιότητι, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ οὐσίᾳ τὸ ἀπαράλλακτον ἔχουσα.

d BASIL. Ἢ εἴπερ ἐκ τῶν ἀνθρωπίνων τὰς εἰκόνας λαμβάνει, εὑρήσει οὐκ ἐκ τῶν ἔργων τοῦ τεχνίτου ἐν περινοίᾳ τῆς οὐσίας αὐτοῦ γινομένους ἡμᾶς, ἀλλ' ἐκ τοῦ γεννηθέντος τὴν τοῦ γεγεννηκότος φύσιν ἐπιγινώσκοντας. οὐ γὰρ ἐκ τῆς οἰκίας τὴν οὐσίαν τοῦ οἰκοδόμου καταλαβεῖν δυνατόν. ἐκ μέν τοι τοῦ γεννήματος νοῆσαι ῥᾴδιον τοῦ γεγεννηκότος τὴν φύσιν.

1 Tom. IV, l. LXXXIII *Quæst.*, qu. LXXIV.— 2 Lib. I *cont. Eun.*— 3 Lib. II *cont. Eun.* — 4 Lib. II.— 5 Tom. II Ath.

item filii pater; etsi utrique invicem similes dicantur, quando ab imaginis proprietate notio similitudinis abstrahitur.

Deus nullius rei similis.

V. Qua de re Dionysii, ejusque interpretis Maximi præclara sententia est; quorum ille in eo libro, qui est *de Divinis nominibus*, ex theologorum omnium consensu definit, Deum nullius rei dici similem, cum omnibus divinam similitudinem impertiat. « Hæc enim, ait, Deo similia esse dicendum est, et secundum divinam imaginem, et similitudinem. Neque enim Deum istis similem esse dicemus; quoniam neque homo imaginis suæ similis est. Quippe in his, quæ ejusdem sunt ordinis, fieri potest, ut et similia ipsa sint invicem, et de utroque reciproce similitudo dicatur, ut sint ambo sibi mutuo similia secundum primariam similitudinis speciem; at in causa, et iis, quæ ab causa producuntur, reciprocationem non admittemus [a]. » Quem ad locum Maximus notat in iis, quæ dicuntur ὁμοταγῆ, id est ὁμοφυῆ, « quæ eadem natura, naturæque gradu censentur, conversim dici similitudinem, veluti Petrus Paulo similis est natura, et vicissim Paulus Petro similis; at in homine, et ejus imagine non eadem est ratio. Neque enim essentiæ ratio eadem est in ambobus, quam (Dionysius) primariam appellat similitudinis speciem. Quinetiam homo alia de causa non esse imaginis suæ similis dicitur, quoniam imago quidem ad similitudinem hominis est facta : homo vero nequaquam ad imaginis suæ similitudinem factus dicitur [b]. » Quocirca similitudinis vocabulum, quatenus cum imaginis notione jungitur, reciproce, conversimque non dicitur, quemadmodum nec effigies. Non enim Petrus effigies vocatur imaginis suæ, proindeque nec ejus similis, quia ad ejus similitudinem non est expressus, quod si absolute inter se compararentur, sine ullo ad expressionem, atque imaginem respectu, tum lineamentis, aut colore, ac figura similes dici possunt; non secus, ac si Pauli pater sit Petrus, id si ignoretur, non minus Petrus Pauli similis dicetur, quam Paulus Petri. Sed ubi Petrum patrem esse constiterit; tam similis Pauli filii non dicetur, quam nec ejus imago, vel effigies. Huc attinet Epicuri castigatio illa apud Ciceronem in primo *de Natura deorum*, quod « maluerit deos hominum similes dicere, quam homines deorum. Quæres, quid intersit. Si enim hoc illi simile sit, esse illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram pervenissse ad deos. Dii enim semper fuerunt, nati nunquam sunt, siquidem æterni sunt futuri; at homines nati; ante igitur humana forma, quam homines ea, qua erant forma, dii immortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dicenda est. »

Pater non est imago Filii.

VI. Hinc apparet, Verbum Dei proprie imaginem nominari Patris sui; Patrem vero nequaquam imaginem vocari, neque Filii sui, qui ab eo non est genitus, neque alterius cujuspiam, quia ab nullo productus est.

Sed est imago duplex, ut Origenes notat [1]; « Interdum enim dicitur ea, quæ in materia aliqua, id est ligni, vel lapidis depingi, vel exculpi solet. Interdum imago dicitur ejus, qui genuit te, qui natus, cum in nullo similitudinem lineamenta ejus, qui genuit, in eo, qui natus est, mentiuntur. » Ad primum genus refert, quod dictum est [2], hominem ad imaginem, et similitudinem Dei factum esse. Ad secundum, quod Filius Dei ejus imago dicitur, quemadmodum Sethus Adami [3]. « Quæ, inquit, imago etiam naturæ, ac substantiæ Patris, et Filii continet unitatem. » Sed hæc postrema Ruffini interpolationem olent. Nam aliter sensit Origenes, ut libro primo demonstravi ex Hieronymi epistola *ad Avitum*. Quippe ad primum potius imaginis genus pertinere credidit Dei Filium, siquidem ut ait Hieronymus, « non natum esse putavit ipsum, sed factum; eumdemque comparatum Patri, non esse veritatem; apud nos autem qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri. »

a DION. cap. IX *de Div. nom.* Ταῦτα γοῦν ῥητέον ὅμοια τῷ θεῷ, καὶ κατὰ θείαν εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν. οὐδὲ γὰρ αὐτοῖς τὸν θεὸν ὅμοιον, ὅτι μηδὲ ἄνθρωπος τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ὅμοιος. ἐπὶ γὰρ τῶν ὁμοταγῶν δυνατὸν καὶ ὅμοια αὐτὰ ἀλλήλοις εἶναι, καὶ ἀντισρέφειν ἐφ' ἑκάτερα τὴν ὁμοιότητα, καὶ εἶναι ἄμφω ἀλλήλοις ὅμοια κατὰ προηγούμενον ὁμοίου εἶδος· ἐπὶ δὲ τοῦ αἰτίου, καί τῶν αἰτιατῶν οὐκ ἀποδεξόμεθα τὴν ἀντιστροφήν.

b MAXIM. Ὁμοταγῶν φησὶ τῶν ὁμοφυῶν, ἐξ ὧν ἡ ὁμοιότης ἀντίστρεφει· οἷον Πέτρος Παύλῳ ὅμοίος κατὰ τὴν φύσιν. καὶ ἀντιστρόφως Παῦλος Πέτρῳ ὅμοιος· ἐπὶ δὲ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τῆς τούτου εἰκόνος οὐχ ὁ αὐτὸς λόγος. οὐ γὰρ ὁ τῆς οὐσίας λόγος ὁ αὐτὸς ἐπ' ἀμφοῖν· ὅπερ ἐκάλεσε προηγούμενον ὁμοίου εἶδος. ὁ δὲ ἄνθρωπος καὶ ἑτέρως λέγεται οὐχ ὅμοιος τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι, ὅτι ἡ εἰκὼν μὲν πρὸς τὴν τοῦ ἀνθρώπου γέγονεν ὁμοιότητα, καὶ οὐχὶ ὁ ἄνθρωπος πρὸς τὴν ταύτης.

1 Lib. I *Periar.* cap. II. — 2 *Gen.* II, — 3 *Gen.* IV.

Quæ sic Ruffinus expressit : « Imago ergo est invisibilis Dei Patris Salvator noster, quantum ad ipsum quidem Patrem, veritas, quantum autem ad nos, quibus revelat Patrem, imago est, per quam cognoscimus Patrem. » Sed ea non videntur Origenis esse, sed ex Ruffini correctione, qui horrendam illam blasphemiam amputare voluit, et quod ille scripserat, « Filium cum Patre comparatum non esse veritatem, sed apud nos imaginariam esse veritatem, » ita commutavit, ut comparatus cum Patre, veritas sit; quantum autem ad nos, imago ; quia Patrem nobis repræsentat.

VII. Atque hoc posterius, etsi haud absurdum, non tamen accurate dictum est. Nam imago non est Filius eo solum, ac primario, quod nobis Patrem refert, quasi nominis illius ratio ab creatis rebus, et extrinsecus ducta sit. Tametsi similiter veteres quidam, λόγον id est *verbum*, aut *sermonem* nominari Dei Filium existimarunt, *quia per illud Pater innotescit*, ut ait Augustinus [1] ; vel quia paterna nobis arcana nuntiavit, ut Theophylactus. Hinc Cyrillus Alexandrinus idcirco « characterem dici paternæ substantiæ ait, quod per ipsum, et in ipso naturam Patris contemplari possumus [a]. » Quod quidem, si δυνητικῶς, et, ut in scholis vulgo loquuntur, in actu primo intelligitur, verissimum est. Talis enim est imago Filius, ut per ipsum, et in ipso cognosci queat natura gignentis. Sic Origenes, aut Ruffinus supra in Origenis libro primo *Periarchon*, capite secundo, a nobis citatus, quæ totidem descripta verbis habet auctor libri *de Incarnatione*, qui in appendice tomi IV operum Augustini legitur, capite IX. Verum et Verbum, et imago proprie dicitur, quatenus Patrem respicit, quamvis nemo eum intelligat. Neque aut Augustinus, aut Theophylactus, aut si quis alius catholicus tale aliquid usurpavit, sic est interpretandus, ut ideo solum Verbum vel imaginem appellari crediderit, quod hominibus, angelisve significet Patrem ; quemadmodum Marcellus Ancyranus, qui, ut ei objicit Eusebius [2], imaginis rationem in carne Christi sitam esse volebat, quia sola caro est aspectabilis, adeoque priusquam carnem susciperet, imaginem non fuisse, tanquam nulla sit imago, nisi externa, et sensibus patens. Imperite id quidem. Dei enim Filius imago Patris, et figura substantiæ ejus, eo præcise dicitur, quob ab illo genitus, totum illud est, quod est Pater ; hoc uno excepto, quod ipse est Filius, ille Pater, ut inter alios Cyrillus affirmat [3]. Est autem « incorporeus Deus, ait idem, et sine specie, et sine quantitate, et sine magnitudine, et super mentem, et rationem [b]. » Justinus idem in dialogo, « λόγον inde nominari dicit, quod Patris colloquia defert ad homines [c]. » Talis itaque propria, et naturalis, et ab eo genita imago sit oportet, ut sit *imago Dei invisibilis*, quod Apostolus ait [4]. Non enim sic est imago Dei, uti homo, vel angelus, qui factæ, non natæ sunt, genitæque imagines ; ideoque naturam ipsam Dei, et οὐσίαν non participant. « Imagines, ait Hilarius [5], cæteræ ex diversis metallis, aut fucis, aut generibus, reddunt eorum species, quorum sunt imagines institutæ. Sed numquid, ut imagines veræ sint, exæquari possunt inanima viventibus, et vel picta, vel sculpta, vel fusa ? Filius autem Patris non secundum hæc imago est, qui viventis vivens imago est, et ex eo natus non habet naturæ diversitatem, et in nullo diversus tenet naturæ ejus, in qua non diversus est, potestatem. Quod ergo imago est, eo proficit, ut Deum Patrem unigeniti Dei significet nativitas ; significet autem, ut forma et imago invisibilis Dei, et per hoc non amittat naturæ unitam similitudinem, quia nec careat virtute naturæ. » De eodem imaginum discrimine agit Cyrillus libro II *in Joannem*, cap. CXLI et Epiphanius, hær. LXXVI, n. 3.

De voce ac proprietate characteris.

VIII. Hujus non adumbratæ, sed expressæ, ac nativæ similitudinis vim in eo declarari, theologi veteres putant, quod non simpliciter εἰκὼν, id est *effigies*, et *imago* dicitur [6], sed χαρακτὴρ, *expressa imago*, quam Latinus interpres *figuram* vertit ; cujus vocabuli proprietatem præclare Basilius expendit in secundo *adversus Eunomium*, eoque significari dicit, « non imitatione figuratam esse hanc imaginem, sed sic, tanquam sigillo quodam, totam Patris naturam impressam esse Filio [d]. »

a Cyril. dial. VI. Ταύτῃ τοι καὶ ἔστι χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. δι' αὐτοῦ γὰρ, καὶ ἐν αὐτῷ τὴν τοῦ πατρὸς φύσιν καταθρήσαιμεν ἄν.

b Cyril. Τὸ γάρ τοι θεῖον, ὡς ἔφην, ἀσώματον, ἀνείδεόν τε, καὶ ἄποσον, καὶ ἀμέγεθες, καὶ ἀπαξαπλῶς ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον.

c Just. Καὶ λόγον καλοῦσιν, ἐπειδὴ καὶ τὰς παρὰ τοῦ πατρὸς ὁμιλίας φέρει τοῖς ἀνθρώποις.

d Basil. Οὐχ ἐκτυπωθεῖσαν διὰ μιμήσεως· ἀλλ' ὥσπερ ἐν σφραγῖδι τινὶ τῆς ὅλης φύσεως τοῦ πατρὸς ἐναποσημανθείσης τῷ υἱῷ.

1 Lib. *de Fide et symbol.* cap. III. — 2 Lib. IV *contra Marc.* cap. XXIII. — 3 Lib. X *contra Julianum.* — 4 *Col.* 1, 15. — 5 In fine VII. — 6 *Hebr.* I.

Idcirco « totum in se Patrem exhibet, ex tota illius gloria resplendens [a]. » Nam, ut Hilarius scribit [1], « Signaculorum ea natura est, ut omnem impressæ in se speciei explicent formam, et nihilominus ex eo in se habeant, unde signantur ; et dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex se præferunt, quidquid impressum est. » Proinde characteris nomen nulla re ab archetypo evariare demonstrat, sed in omnibus similem esse Filium, ut Chrysostomus [b], Photius, Theophylactus in commentariis ad hanc epist. Basilius item [2], et Gregorius Nyssenus [3] observant. Propterea Gregorius papa libro XXXII *Moralium*, capite XVIII, primi illius, ac rebellis angeli, qui *Ezechielis* XXVIII describitur, eximiam speciem luculenter exprimi docet verbis istis commatis 12 : «*Tu signaculum similitudinis*. Multa enim, inquit, de ejus magnitudine locutus, primo verbo cuncta complexus est. Quid namque boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. »

De voce signaculi. Explicatur Ezechielis locus.

IX. Quare in illis Ezechielis verbis quiddam ἐμφαντικώτερον habet *signaculi* vox, ut sit idem ac *sigillum*, vel *annulus*, ut est in Hebræo. Hujusmodi enim figuram imprimit alteri, hoc est similitudinem sui, cum ipsum prototypi sit imago. Quippe in annulo hominis, exempli causa, imago sculpitur, cujus deinde similitudo in cera, aut alia quavis materia annuli impressione formatur. Itaque Tyrii illius principis, et, qui mystice in eo describitur, primi illius angeli desertoris pulchritudo, et excellentia monstratur eo ipso, quod primigenia in illo Dei imago fuisse dicitur, ab archetypo, nullo interjecto, velut applicatione ipsa divinitatis inscripta. In cæteris vero per eumdem hunc annulum, sive signaculum, trajecta, non a Deo ipso communicata. Hebræa verba hodie perperam leguntur, et tum ab Davide Kimhio, tum ab recentioribus prava interpretatione fœdantur, qui hunc rabbinum sequi maluerunt, quam Chaldæum, quam R. Selomoh, recte, et ad mentem Latini nostri interpretis hunc enarrantes locum. Hebræi in vulgatis codicibus sic legunt אתה חותם תכנית ; quod Kimhius exponit sic in commentario, et in *Radicibus : Tu sigillas, et perficis summam* [c]: quasi diceret : tu claudis, et obsignas perfectionem omnem ; quia in te summa est, et numeris omnibus absoluta, ut sit translatum ab iis, quæ jam perfecta, et elaborata signantur. Hebræum nomen תכנית exponunt *numerum*, *summam*, a verbo תכן. Sed derivativa ista in ית a quiescentibus *lamed he* formantur potius, et omnino תכניח legendum cum Hieronymo, et R. Selomoh, necnon Chaldæo, ut paulo post dicam. Est autem תכנית *forma*, sive *figura* a verbo כנה. Itaque puncta vocalia aliter scribenda, ut sit חותם תכנית, *Sigillum*, vel *annulus similitudinis*, id est, quo *similitudo*, atque *effigies* imprimitur. Ad hunc modum legit, interpretatusque est R. Selomoh, his verbis : « ad obsignandam et imprimendam omnem effigiem, et formam [d]. » Jonathan quoque Paraphrastes Chaldæus : « Tu similis es instrumento formæ [e]. » Quod ergo annulum, et signaculum intellexerim potius, quam vas figuratum, ut vulgo faciunt. Nam מנא est idem quod Hebræis כלי, non solum *vas*, sed etiam *instrumentum*. Itaque appellat eleganter annulum *instrumentum formæ*, quod scilicet figura imprimitur, Græci ἀποσφράνισμα ὁμοιώσεως. Quod bifariam accipiunt. Nam aut figuram intelligunt, quæ sigillo est expressa, atque ita Theodoretus accipit ; aut formam ipsam annuli, quæ similitudinem exprimit, quod Hebræo magis respondet.

X. Hoc modo ille iste, qui sub specie Tyrii principis adumbratur, velut sigillum dicitur, quod Dei figuram excellenter continet. Nimirum qualem se esse putabat, et videri volebat, talem eum irridens Propheta depingit. Revera autem in Dei Filium similitudo ista convenit, qui de se ita loquitur : *Hunc enim Pater signavit Deus* [f]. Quæ verba apud Cyrillum [4] Alexandrinum hæreticus exponit in hunc modum ; tanquam Pater sigilli instar sit, quod

a Basil. Διόπερ καὶ ὅλον ἐν ἑαυτῷ δείκνυσι τὸν πατέρα, ἐξ ὅλης αὐτοῦ τῆς δόξης ἀπαυγασθείς.

b Chrysost. Ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα ὁ χαρακτὴρ τὸ ἀπαράλλακτον δηλοῖ οὗ ἐστι χαρακτὴρ, τὸ ὅμοιον κατὰ πάντα.

c R. D. Kim. משלים התבנית כי כלו שלם בו.

d R. Selom. לחתום ולטביע כל תבנית וצורה.

e Ibid. Paraphr. Chal. את דמי למנא דצירתא .

f *Joan.* VI, 27. Τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισε ὁ θεός.

1 Lib. VIII. — 2 Epist. XLII, quæ et Nysseno tribuitur. — 3 Apud Theophyl. et orat. I *cont. Eun.* — 4 Cyril. lib. V *in Joan.*

impressum ceræ, aut idoneæ alteri materiæ, solam sui similitudinem inussit, integrumque recipitur ab eo, qui eo utitur, nulla ejus jactura facta. At ille potius sic, Filium esse « characterem, sive annulum, aut signaculum, quo per fidem reformamur ad Deum; et Filio, qui est imago Patris, conformes efficimur, ut in nobis verum sit, quod dicimur ad similitudinem, et imaginem facti esse conditoris [a]. » Mox Filium « characterem esse dicit, in quo signat nos Deus; quandoquidem vultus ejus nominatur [b]. » Hilarius in libro octavo, hanc ipsam χαρακτῆρος, et signaculi notionem, ac similitudinem amplectitur; sed cum eo, ut divini illius signaculi discrimen ab communibus ita declaret : « Verum hoc, inquit, ad divinæ nativitatis non proficit exemplum ; quia in signaculis et materies sit, et diversitas, et impressio, per quam mollioribus naturis validiorum generum species imprimuntur. »

Basilius similiter in quinto libro *contra Eunom.* « Divinus, ait, character non sicut humanus est, sed vivens, ac vere existens imago imaginis effectrix, per quam omnia, quæ participant, imagines Dei constituuntur [c]. » Quod Apostoli sententia probat ita scribentis : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui : ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* 1. Cyrillus Alexandrinus lib. I *in Joannem*, « Non enim aliter possemus, inquit, corruptionem evadere nos, qui terreni gestamus imaginem, nisi pulchritudo imaginis cœlestis illius impressa nobis esset, ex eo, quod vocati sumus ad filiorum Dei adoptionem. Nam participes illius redditi per Spiritum obsignati sumus ad similitudinem ipsius, et ad exemplarem formam illius imaginis conscendimus, ad quam nos esse factos divina Scriptura testatur [d]. » Sic in dialogo V cum Filium dixisset esse πρόσωπον, id est *vultum* Patris : « Obsignati, inquit, sumus sancto Spiritu ad effigiem, et similitudinem vultus Patris, hoc est Filii [e] ; » et postea, « Characterem divinum in nobis suscepimus, eoque ditati sumus. Per ipsum enim conformati sumus ad Deum. Species autem illa omnium suprema, nimirum Filius, per Spiritum animis nostris imprimitur [f]. » Philo quoque Judæus sub initium libri *de Opificio mundi*, τὸν λόγον, id est *Verbum Dei*, cujusmodi tandem capere animo potuit, vocat *archetypum sigillum* [g].

Nos imago Dei participatione Filii sumus

XI. Hinc illud frequens apud sanctos Patres, non aliter imaginem nos esse Dei, quam participatione Filii ejus : « Et imago et gloria Dei vocati sumus (verba sunt Athanasii), sed non propter nos ipsos, verum propter imaginem, veramque gloriam Dei habitantem in nobis, quod est Verbum Dei; quod nostra causa postea caro factum est, ejus gratiam appellationis adepti sumus [h]. » Etenim, ut Ambrosius 2 ait, « nisi per imaginem Dei ad imaginem Dei esse non potes. » At vero « Dei imago, ait Clemens Alexandrinus, Verbum est ipsius, et germanus mentis filius verbum divinum, luminis archetypum lumen; porro imago Verbi homo est [i]. » Respexit autem ad illa Mosis 3 verba, *Ad imaginem Dei creavit illum ;* quo Dei nomine Verbum ipsius com

a Cyril. lib. V *in Joan.*. Φῶς δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ τὴν διὰ τοῦ πνεύματος ἐπὶ τὴν κτίσιν διήκουσαν χάριν, δι᾽ ἧς ὡς πρὸς θεὸν ἀναπλαττόμεθα διὰ πίστεως, οἱονεὶ σημάντρῳ τινὶ τὴν πρὸς τὸν υἱὸν συμμορφίαν ἀναλαμβάνοντες δι᾽ αὐτοῦ ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ πατρός· ἵνα σώζηται καλῶς ἐν ἡμῖν τὸ καθ᾽ ὁμοίωσιν, καὶ εἰκόνα γεγενῆσθαι τοῦ κτίσαντος.

b Ibid. Ἐπειδὴ δὲ ὁμολογουμένως πρόσωπόν ἐστι τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ὁ υἱὸς, εἴη δήπου πάντως αὐτὸς καὶ ὁ χαρακτὴρ, ἐν ᾧ σφραγίζει θεός.

c Basil. lib. V *contra Eunom.* Θεῖος δὲ χαρακτὴρ οὐχ οἷος ὁ ἀνθρώπινος, ἀλλὰ ζῶν, καὶ οὕτως ὢν εἰκὼν εἰκονοποιὸς, ᾗ πάντα τὰ μετασχόντα εἰκόνες καθίστανται θεοῦ.

d Cyril. lib. I *in Joan.* Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρως διαφυγεῖν τὴν φθορὰν, τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ τοὺς φορέσαντας, εἰ μὴ τῆς εἰκόνος τῆς ἐπουρανίου, διὰ τοῦ κεκλῆσθαι πρὸς υἱοθεσίαν, τὸ κάλλος ἡμῖν ἐνεσημάνθη· μέτοχοι γὰρ γεγονότες αὐτοῦ διὰ τοῦ πνεύματος κατεσφραγίσθημεν εἰς ὁμοιότητα τὴν πρὸς αὐτὸν, καὶ εἰς τὸ ἀρχέτυπον τῆς εἰκόνος... νόμον σχῆμα, καθ᾽ ἥν περ ἡμᾶς καὶ πεποιῆσθαί φησιν ἡ θεία γραφή. Forte lacuna supplenda per verbum ἀναβαίνομεν.

e Idem, dial. V. Κατεσφραγίσμεθα γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι πρὸς ἐμφέρειαν καὶ ὁμοίωσιν τοῦ προσώπου τοῦ πατρὸς, τουτέστι τοῦ υἱοῦ.

f Ibid. Καὶ χαρακτῆρα τὸν θεῖον εἰσοικισάμενοι, καὶ πεπλουτηκότες ἐν ἑαυτοῖς. μεμορφώμεθα γὰρ δι᾽ αὐτοῦ πρὸς θεὸν, εἶδος δὲ τὸ πάντων ἐπέκεινα, καὶ ὑπέρτατον, τουτέστιν ὁ υἱὸς, διὰ πνεύματος ἐνσημαίνεται ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς.

g Philo. Ἡ ἀρχέτυπος σφραγὶς, ὅν φαμεν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν εἴη τὸ ἀρχέπυπον παράδειγμα, ἰδέα τῶν ἰδεῶν, ὁ θεοῦ λόγος.

h Athan. orat. IV. Καὶ εἰκὼν, καὶ δόξα θεοῦ ἐχρηματίσαμεν, ἀλλ᾽ οὐ δι᾽ ἑαυτοὺς πάλιν· διὰ δὲ τὴν ἐνοικήσασαν ἡμῖν εἰκόνα, καὶ ἀληθῆ δόξαν τοῦ θεοῦ· ἥ τις ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, ὁ δι᾽ ἡμᾶς ὕστερον γενόμενος σάρξ ταύτης τῆς κλήσεως ἔχομεν τὴν χάριν.

i Clem. Alex. *Protrep.* Ἡ μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ εἰκὼν ὁ λόγος αὐτοῦ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος ὁ θεῖος λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς· εἰκὼν δὲ τοῦ λόγου ὁ ἄνθρωπος.

1 *Rom.* VIII. — 2 Lib. I *de Fide.* cap. IV et lib. V, cap. III. — 3 *Gen.* I, 27.

plures intellexerunt. Ac Philo quidem causam, cur ad imaginem Verbi Dei conditus sit, hanc attulit, quod ad supremi Dei, ac Patris imaginem creata res nulla formari queat; cujus verba supra descripsi [1], cum hujus et Platonicorum de Trinitate sententiam exponerem. E christianis idem sensit Origenes [2] : « Quæ est ergo alia, inquit, imago Dei, ad cujus imaginis similitudinem factus est homo, nisi Salvator noster, qui est primogenitus omnis creaturæ? etc. Sicut enim qui viderit imaginem alicujus, videt eum, cujus imago est; ita et per Verbum Dei, quæ est imago Dei, Deum quis videt. Et ita verum erit, quod dixit, *Qui me videt, videt et Patrem.* Ad hujus ergo imaginis similitudinem homo factus est; et propterea Salvator noster, qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad ejus similitudinem factus fuerat, videns illum, deposita sua imagine, maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumpta, venit ad eum, » etc. Sic Athanasius in libro *de Incarnatione*, Verbum Dei, hominis a peccato erigendi gratia necessario venisse dicit, « ut ipse, tanquam imago Patris, hominem recrearet ad imaginem Dei factum [a]. » Marius [3] quoque Victorinus in primo *adversus Arium*, « Homo, inquit, non imago Dei, sed secundum imaginem. Solus enim Jesus imago Dei, homo autem secundum imaginem, hoc est imago imaginis. » Ambrosius tract. *in Symb. Apost.* c. XVI : « Verbum siquidem Dei, quod Dominus Christus est, etc., ad imaginem suam, quam prius ipse condiderat, venit. »

Quo sensu homo sit ad imaginem Dei conditus

XII. Tertullianus vero libro *contra Praxeam* [4], ad imaginem quidem Filii factum ait hominem, at non quatenus imago est invisibilis Dei, sed quia homo futurus erat certior, et verior : « Erat, inquit, ad cujus imaginem faciebat; ad Filii scilicet, qui homo futurus certior, et verior, imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri, et similitudo. » A quo non abludit Eustathius Antiochenus [5] in tractatu de his verbis, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, etc., ubi hunc Apostoli locum expendens, *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* [6], notat Apostolum non scripsisse, conformes Filii Dei, sed conformes imaginis Filii sui, ostendentem, aliud esse Filium, aliud imaginem ipsius, ac Filium imaginem esse Patris; quoniam similes ab similibus gignuntur, suntque geniti filii veræ gignentium imagines; hominem vero, quem gestat, imaginem esse filii; porro aliam esse imaginem factam, aliam naturalem, et generatione productam. Neque vero incorporeum sapientiæ spiritum conformem dici posse corporeis hominibus, sed hominem, qui spiritu corporatus est, et eadem cum cæteris habet membra, eamdemque formam [b]. Hæc Eustathius, a quo non abhorret Augustinus in libro XIV *de Trinitate*, cap. XVI. Vide Primasium, et Anselmum in commentariis ad illum Apostoli locum. Prudentius quoque in *Apotheosi:*

« Christus forma Patris; nos Christi forma, et imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna. »

Cyrillus Alexandrinus libro primo *contra Julianum*, de iis ipsis verbis agens, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, eodem sensu accipit : « Imago, inquit, est Dei et Patris Filius, ad quem et nos conformati sumus [c]. » Sic Hieronymus in primum *Ezechielis*, « *Faciamus enim*, inquit, *hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*. Imago autem, et similitudo Dei, non est corporis forma, sed mentis, descripta ad similitudinem veræ imaginis Christi, qui est imago Dei invisibilis. »

a ATHAN. Ὅθεν ὁ τοῦ θεοῦ λόγος δι' ἑαυτοῦ παρεγένετο, ἵν' ὡς εἰκὼν ὢν τοῦ πατρὸς τὸν κατ' εἰκόνα ἄνθρωπον ἀνακτίσαι δυνηθῇ.

b EUSTATH. Οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Παῦλος συμμόρφους τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· ἄλλο μέν τι δεικνυων τὸν υἱὸν εἶναι, ἄλλο δὲ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. ὁ μὲν γὰρ υἱὸς τὰ θεῖα τῆς πατρῴας ἀρετῆς γνωρίσματα φέρων, εἰκών ἐστι τοῦ πατρὸς. ἐπειδὴ καὶ ὅμοιοι ἐξ ὁμοίων γεννώμενοι εἰκόνες οἱ τικτόμενοί φαίνονται τῶν γεννητόρων ἀληθεῖς. ὁ ἄνθρωπος, ὃν ἐφόρεσεν, εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ, τοῦ (τῷ) καὶ ἐξ ἀνομοίων κηρογραφεῖσθαι χρωμάτων εἰκόνας, καὶ τὰς μὲν εἶναι θέσει χειροτεύκτους, τὰς δὲ φύσει, καὶ ὁμοιότητι γεγεννημένας. ἄλλως τε, καὶ αὐτὸς ὁ τῆς ἀληθείας τοῦθ' ὑπαγορεύει θεσμός. οὐ γὰρ τὸ ἀσώματον τῆς σοφίας πνεῦμα σύμμορφον τοῖς σωματικοῖς ἀνθρώποις ἐστὶν, ἀλλ' ὁ τῷ πνεύματι σωματοποιηθεὶς ἄνθρωπος χαρακτὴρ. ὁ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἰσάριθμα μέλη φορῶν, καὶ τὴν ὁμοίαν ἑκάστοις περιβεβλημένος ἰδέαν.

c CYRIL. I *contra Jul.* Εἰκὼν γάρ ἐστι τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ὁ υἱὸς, πρὸς ὃν καὶ ἡμεῖς μεμορφώμεθα.

1 Lib. I, cap. II. — 2 Hom. I *in Gen.* Vide et lib. VI *contra Cels.* — 3 Tom. IV *Bibliot. Patrum.* col. 192. — 4 Cap. XII. — 5 Apud Theodoretum in dial. I *cont. Hær.* — 6 *Rom.* VIII.

Sed de hoc *Geneseos* loco alias inquirendum erit. Nunc illud asserimus, minus quidem probari interpretationem illam, quæ imaginem ibi proprie de Filio usurpandam putat. Verum ut adhibeatur, nequaquam congruit, ut Verbum ipsum intelligatur, quatenus carne olim induendum erat, sed ut tolerabilis ea ratio sit, divina ipsa Verbi natura, et hypostasis assumenda, cui utcumque propter rationem, intelligentiam, aliaque præstantiora corpore ornamenta, similis homo esse dicatur; de quo pluribus Epiphanius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Theodoretus, Philoponus, Augustinus, Ambrosius, Rupertus, aliique disputant, quos suo loco consulemus.

XIII. Nam quod ad imaginem Filii potissimum fictus homo dicitur, si stricte, et accurate loquimur, non ad hujus magis, quam aliarum personarum imaginem est factus. Divinitatis enim ipsius effigiem, non personæ cujuspiam præ cæteris gerit. Itaque *faciamus hominem ad imaginem nostram* dixit sive Deus Pater, sive tota ipsa Trinitas, non *ad imaginem tuam*, ut adversus Anthropomorphitas Cyrillus ostendit. Quanquam causa peculiaris est, ob quam ad imaginem Filii formatus homo dici possit, quam ille sic exponit : « Quod si aliquid haud absurde dicere oportet, necesse erat, nos, qui Dei filii appellandi eramus, ad imaginem Filii potius fieri; ut et filiationis in nobis character exprimeretur [a]. » Accedit eo, quod imaginis ratio soli Filio congruit, quemadmodum et Verbi. Sed et sapientia eidem proprie tribuitur. Quare cum et Filii dignitatem, et divinæ pariter imaginis communicare Deus homini voluerit; similes eos naturalis, ac germani Filii sui facere constituit, non natura solum, sed etiam gratia; quæ similitudo sapientia maxime continetur. De quo Athanasii luculentus est locus, quem hic describam : « Unigenita ergo, et exemplaris Dei sapientia creatrix et opifex est omnium. *Omnia enim*, inquit, *in sapientia fecisti.* Impleta est terra creatura tua. Verum ut non solum existant producta, sed bene etiam existant, placuit Deo, ut Sapientia sua se ad creaturas accommodaret, ut figuram quamdam, et speciem imaginis suæ cum communiter universis, tum singulis imprimeret, ut et sapientia prædita, et digna Deo, facta ab eo opera monstrentur. Nam ut Verbi, qui Dei Filius est, imago est verbum nostrum; sic ejusdem, qua illius est Sapientia, imago est, quæ nobis inest sapientia; in qua id habentes ut sciamus, et sapiamus, capaces simus opificis sapientiæ, per eamque Patrem ipsius possumus cognoscere [b]. »

Denique, quia et per Verbum suum universa procreavit Deus, et præ reliquis omnibus hominem, cui et rationem, id est λόγον impertiit; merito ad imaginem τοῦ λόγου, id est divini Verbi, vel rationis creati dicimur, « de cujus effectu et nos, et angeli rationales sumus, » ut ait Rupertus [1].

XIV. Ad extremum refelli ex iis omnibus illa Anomœorum tergiversatio potest, debetque, qui cum similem esse Patris Filium omnino negare non possent, frigidum illud commenti sunt, non esse imaginem substantiæ, sed vel notionis, vel voluntatis, vel alterius cujuspiam, quod insit in Patre. De notione, sive idea contendit Eunomius apud Cyrillum Alexandrinum libro XIII *Thesauri* : « Quemadmodum, inquit, domus ad certam constructa speciem, tanquam imago est cogitationis ejus, qui condidit [c]. » Sed ridicula hæc fabula statim ab Cyrillo eodem exploditur; quoniam notio illa Patris non potest ab ejus esse substantia diversa, ne non simplex sit, sed compositus [d].

Deinde non erit perfecta similitudo, si non substantiam ipsam exprimat, sed superficiaria, et communis cum rebus cæteris. Sic in dia-

a Cyril. *contra Anthropom.* cap. vi. Εἰ δὲ χρή τι καὶ οὐκ ἀπιθάνως εἰπεῖν, ἀναγκαῖον ἦν μέλλοντας υἱοὺς ὀνομάζεσθαι θεοῦ ἡμᾶς. κατ' εἰκόνα τοῦ υἱοῦ μᾶλλον γενέσθαι, ἵνα καὶ ὁ τῆς υἱότητος ἡμῖν ἐμπρέπῃ χαρακτήρ.

b Athan. orat. iii. Ἡ μὲν οὖν μονογενὴς, καὶ αὐτοσοφία τοῦ θεοῦ κτίζουσα, καὶ δημιουργός ἐστι τῶν πάντων. πάντα γάρ φησιν ἐν σοφίᾳ ἐποίησας· ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτίσεώς σου. ἵνα δὲ μὴ μόνον ὑπέρχῃ γενόμενα, ἀλλὰ καὶ καλῶς ὑπάρχῃ, ηὐδόκησεν ὁ θεὸς συγκαταβῆναι τὴν ἑαυτοῦ σοφίαν τοῖς κτίσμασιν, ὥστε τύπον τινὰ καὶ φαντασίαν εἰκόνος αὐτῆς ἐν πᾶσί τε κοινῇ, καὶ ἑκάστῳ ἐνθεῖναι. ἵνα καὶ σοφὰ τὰ γενόμενα, καὶ ἄξια τοῦ θεοῦ ἔργα δείκνυται. ὡς γὰρ λόγου ὄντος τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ εἰκών ἐστιν ὁ ἡμέτερος λόγος. οὕτως ὄντος τῆς σοφίας αὐτοῦ εἰκὼν πάλιν ἐστιν ἡ ἐν ἡμῖν γενομένη σοφία· ἐν ᾗ τὸ εἰδέναι, καὶ φρονεῖν ἔχοντες δεκτικοὶ γινόμεθα τῆς δημιουργοῦ σοφίας, καὶ δι' αὐτῆς γινώσκειν τὸν αὐτῆς πατέρα δυνάμεθα.

c Cyril. XIII *Thes.* Ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ οἶκος εἰς εἶδός τι καὶ σχῆμα μεταπεποιημένος ὥσπερ εἰκών ἐστι τῆς τοῦ δημιουργήσαντος ἐννοίας.

d Ibid. Ἔσται γὰρ ἡμῖν σύνθετος, καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ ἔκ τε οὐσίας, καὶ νοήματος.

1 Lib. I *de Trinit et oper.* cap. x.

logo V eodem argumento jugulat id, quod de similitudine voluntatis ab iisdem afferri solebat; quoniam θέλησις, id est, *voluntatis* ipsa motio, nihil in Deo differt ab ejus substantia. Præterea naturalis est imago Patris Filius. Ideo naturam ipsam, et substantiam, non lineamenta solum, externamque speciem illius exprimit; quæ nulla prorsus in Deo sunt.

Basilius quoque libro primo *adversus Eunomium*, eodem modo disserit. Nam cum dixisset Eunomius « idcirco nec æqualem, nec similem esse Patri Filium, quia quantitatis, et qualitatis est expers[a], » sic illi Basilius respondet: « Ego vero in hoc ipso pono similitudinem, quod sicut Pater ab omni compositione liber est, ita et Filius simplex omnino, et incompositus. Et similitudinem non secundum identitatem speciei considerari arbitror, sed secundum substantiam ipsam. Nam quibuscumque forma, et figura circumposita est, iis secundum formæ identitatem inest similitudo. Natura vero, quæ forma, et figura caret, superest ut similitudinem in substantia ipsa, et æqualitatem, non in commensu molis, sed in virtutis identitate possideat[b]. »

XV. Eleganter item Cyrillus alibi: « Non externis dignitatibus nobis Filius ad Patris æqualitatem conformatur; neque sic, tanquam in tabula quadam picta effigies, solis colorum variegata formis regis figuram imitando mentitur. Sed est character, et imago revera illius, a quo genitus est, in propriis, nativisque bonis naturam Patris manifestam exhibens[c]. » Denique sciendum illud est, Hilarium in libro primo *contra Constantium*, « similitudinem inter Patrem, et Filium prædicari » nolle, quod ea vox æqualitatem naturæ videtur excludere. Hinc de homine scriptum esse in libro *Genesis* non tantum « *ad imaginem* Dei esse factum, sed etiam *ad similitudinem*, ne veritatis proprietas existimaretur, cui ad imaginem similitudo esset adjuncta. » Tum, « Mihi, inquit, similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est; sed tibi a me non concedenda est, quia æqualem eumdem, et similem postea fatebor pie. Similem autem Patri, similem quoque et Deo, religiose prædicabo. Similem vero ita, ut similitudini hoc dictum semper anteferam: *Ego et Pater unum sumus*. Tu autem his omnibus contradicis, quia similitudinem excusationi defendis. » Ex quibus apparet, qua ratione similitudinem usurpari de Deo noluerit; nimirum sic, uti ab hæreticis adhiberi solebat; et cum adversus eos disputandum esset. Alioqui si inter catholicos, et bona fide res agatur, non solum ferret, sed etiam magni vocem illam faceret; nec ab eo, quod est ὁμοούσιον, vel æquale, distare quidquam putaret, ut in libro superiore, cap. VI, ex eodem demonstravimus.

[S]imilitudinis vox [a]b Hilario cur a divinis rejecta.

CAPUT VI.

Qua ratione Filius Dei imago Patris dicitur, ac cujusmodi, et ad quid comparata in eo similitudo sit. Ubi locus ille Pauli ad Hebræos I *declaratur*: Qui cum sit splendor gloriæ ejus, et figura substantiæ ejus. *Quid ibi* ὑπόστασις *significet. Variæ de ea sententiæ; sed veterum concordes esse monstratur. Imaginis vera, et propria ratio declarata. Hypostasim in illis Pauli verbis esse naturam, non personam; quod multis antiquorum testimoniis, et argumentis adstruitur.*

I. Imago omnis similitudo quædam est, ut ex antecedente disputatione liquet. Est autem similitudinis ratio non absoluta, sed relativa, quæ ad aliud necessario comparatur. Quare eadem et imaginis natura sit oportet; quod Augustinus multis in locis animadvertit, velut in septimo *de Trinitate*[1]. « Quid autem, ait, absurdius, quam imaginem ad se dici. » Et in quinto[2], «relative dicitur Filius, relative dicitur et Verbum, et imago. » Et Hilarius[3] in libro *de*

a Eun. apud Basil. I *contra Eun.* Διὰ τοῦτο οὔτε ἴσος, φησὶν, οὔτε ὅμοιος, ἐπειδὴ καὶ ἄποσός ἐστι, καὶ ἀνείδεος.

b Basil. Ἐγὼ δὲ κατ' αὐτὸ τοῦτο τὴν ὁμοιότητα τίθεμαι· ἐπειδὴ ὥσπερ ὁ πατὴρ συνθήκης ἐστὶ πάσης ἐλεύθερος, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἁπλοῦς παντελῶς, καὶ ἀσύνθετος, καὶ τὸ ὅμοιον μὴ κατὰ τὴν τοῦ εἴδους ταυτότητα θεωρεῖσθαι, ἀλλὰ κατ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν. ὅσας μὲν γὰρ μορφὴ καὶ σχῆμα περίκειται, τούτοις, κατὰ τὴν ταυτότητα τοῦ εἴδους, ἡ ὁμοιότης. τὴν δὲ ἀνείδεον, καὶ ἀσχημάτιστον φύσιν ἐν αὐτῇ τῇ οὐσίᾳ λείπεται ἔσχειν τὴν ὁμοιότητα, καὶ τὸ ἴσον μὴ ἐν τῇ ὄγκων παραμετρήσει' ἀλλ' ἐν τῇ ταυτότητι τῆς δυνάμεως.

c Cyril. lib. IX *in Joan.* Οὐκοῦν οὐ τοῖς ἔξωθεν ἀξιώμασιν ὁ υἱὸς ἡμῖν εἰς τὴν τοῦ πατρὸς ἰσότητα σχηματίζεται· καὶ οὐ καθάπερ τις ἐν πίνακος γραφῇ, μόναις ἡμῖν ταῖς τῶν χρωμάτων ἰδέαις καταποικίλλεται τὴν τοῦ βασιλέως πλαττόμενός τε, καὶ ψευδόμενος μορφήν· ἀλλ' ἔστι χαρακτὴρ, καὶ εἰκὼν ἀληθῶς τοῦ τεκόντος αὐτόν· ἐν ἰδίοις, καὶ φυσικοῖς ἀγαθοῖς τὴν τοῦ πατρὸς φύσιν ἐμφανῆ καθιστάς.

1 Cap. I. — 2 Cap. XIII. — 3 Ad I anathem. synodi. Ancyr. Vide Mag. in I dist. XXVII et XXIX.

Synodis : « Neque enim ipse sibi quisquam imago est, sed eum, cujus imago est, necesse est, ut imago demonstret. Imago itaque est rei ad rem coæquandæ imaginata, et indiscreta similitudo. » Anselmus item : « Verbum namque hoc ipsum, quod Verbum est, aut imago, ad alterum est; quia nonnisi alicujus verbum est, aut imago. » Quod et superioribus in capitibus ostendimus. Verum creatis in rebus imago omnis proprie dicta, cujusmodi est ea, quæ per generationem existit, ac filii nomen asciscit; naturam, et essentiam ut eamdem specie cum exemplari habet, ita numero, reque ipsa diversam. At in Deo unica est, et singularis, simplexque divinitas in tribus indivisa, distinctis licet numero personis. Ex quo imaginis, et similitudinis ratio difficilius illic intelligitur. Nam cum Patris imago Filius, ac Verbum dicitur, eique similis; cujus proprie similitudinem exprimat, et in quo dicatur similis, quæritur. Duo sunt enim, quibus persona quæque constat, quatenus mente ista capere possumus; essentia, quæ divinitas est; et relatio, sive proprietas, quæ cum essentia personam, et hypostasim constituit. Cujus erit igitur imago, similisve Filius? An essentiæ, ac naturæ? At non potest; nam una et eadem est in utroque; rei autem non ad eamdem, sed ad alteram rem, ac diversam similitudo est, et imago, ut paulo ante dixi. An proprietatis, ut exempli causa, paternitatis? At nec illud verum est. Esset enim et Pater, qui est Filius; quia paternitati similis est paternitas, non filiatio, quæ magis est dissimilis.

Ratio imaginis in divinis difficilis intellectu.

II. Atque hæc ipsa quæstio ex Apostoli potissimum verbis oritur, qui ad Hebræos [1] scribens, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως, vocat Christum, hoc est *splendorem gloriæ*, vel *majestatis*, et *figuram* seu *characterem substantiæ*. Nam quid illic vox *hypostasis* significet, et quæ sit ei subjecta potestas, ambigitur; quod alii essentiam ipsam intelligunt, alii subsistentiam, et personam, et utrique antiquos interpretes, ac Patres, tanquam et ipsos opinionibus divisos, in partes trahere student. Sed non sunt; imo in idem consentiunt, si ad eorum verba prudenter animum advertimus.

Hypostasim quidem interpretari personam Patris asserunt [2] Basilium, Athanasium, Epiphanium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Œcumenium, et ex Latinis Hilarium. At essentiam intelligere quosdam interim ex illis, ut Epiphanium, Athanasium, Hilarium; tum Cyrillum, Eusebium Cæsariensem, Ambrosium, et Ephesinam synodum.

Verum neque illi dissident invicem, ut jam dixi, et in verbis, ac modo loquendi potius, quam in re conflictus iste recentiores theologos exercet; ac denique, si præcise loquimur, magis est ut ὑπόστασιν pro essentia, et natura, quam pro persona, sive proprietate ipsa sumptam putemus; quod hoc modo licet exponere. Imago omnis, ut supra docuit, alterius, ac diversæ rei est imago, sed ita diversæ, ut nihilominus idem sint ambo secundum id, quod imago repræsentat. Nam nisi in uno aliquo congruant, in eoque sint idem, neutrum imago erit alterius. De perfecta imagine loquor, cujusmodi vera, et substantiali generatione producitur, ne quis ad pictam, vel sculptam manibus effigiem recurrat animo, quæ proprie imago dici non meretur. Quanquam ne ipsa quidem *identitate* ista (ita enim ταυτότητα Latine dicamus quomodo possumus) carere potest, ut qua ratione imago est, idem sit quodammodo cum exemplari.

Veræ imaginis ratio.

III. Hoc enim docet Athanasius oratione IV *contra Arianos*, ubi Filii cum Patre τὸ ὁμοούσιον exemplo regis, et imaginis ejus insigniter explicat. « In imagine, inquit, species regis inest, et forma ; et in rege inest species, quæ est in imagine. Etenim nulla re dissimilis est species, quæ est in imagine, adeo ut qui imaginem intuetur, regem in ipsa contempletur ; ac rursus qui regem videt, hunc esse, qui sit in imagine, cognoscat. Ex eo porro, quod similitudo non discrepat, si quis post imaginem regem velit aspicere, huic imago posset dicere : Ego, et rex unum sumus. Ego enim in illo sum, et ille in me; et quod vides in me, hoc in illo cernis ; et quod in illo vidisti, hoc in me vides [a]. » Cyrillus itidem in quinto *Dialogorum* : « Nihil est, quod imaginem cum suo exemplari, et exemplar cum sua imagine diversa esse faciat, secundum quod in simili-

a ATHAN. orat. IV. Ἐν γὰρ εἰκόνι, τοῦ βασιλέως τὸ εἶδος, καὶ ἡ μορφή ἐστι· καὶ ἐν τῷ βασιλεῖ δὲ, τὸ ἐν τῇ εἰκόνι εἶδός ἐστιν. ἀπαράλλακτος γάρ ἐστιν ἐν τῇ εἰκόνι τοῦ βασιλέως ὁμοιότης· ὥστε τὸν ἐνορῶντα τῇ εἰκόνι ὁρᾷν ἐν αὐτῇ τὸν βασιλέα, καὶ τὸν πάλιν ὁρῶντα τὸν βασιλέα, ἐπιγινώσκειν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ἐν τῇ εἰκόνι. ἐκ δὲ τοῦ μὴ διαλλάττειν τὴν ὁμοιότητα, τῷ θέλοντι μετὰ τὴν εἰκόνα θεωρῆσαι τὸν βασιλέα εἴποι ἂν ἡ εἰκὼν, ἐγὼ

1 Cap. I, 3. — 2 Ruis. disp. XXIII, sect. III; Esthius, a Lapide, Justinian.

tudine, et specie idem sunt[a]. » Verum ut imaginis hoc genus minime perfectum est, sic non exquisita ejus, et archetypi est identitas, sed adumbrata et tropica ; quia nec exactam similitudinem habet, ac sola figura, qualitate, aut quantitate, aut habitu, ac proportione, ut ait Cyrillus[1], non natura, et substantia respondet. Quod genus similitudinis, ut et identitatis, *intentionale* vulgo in scholis nominant, nos *repræsentativum* appellare possumus. Cujusmodi ab Semiarianis, et Homœusiastis, imprimisque ab Eusebio Cæsariensi intellectum esse docuimus[2], cum Filium dicerent per omnia Patris esse similem, adeoque substantia ipsa, et οὐσίᾳ. Nam duas non solum numero diversas, sed etiam specie, imo genere toto discrepantes naturas, et essentias ponebant ; alteram increatam, immensam, æternam, quæ sola, et simpliciter Deus esset ; alteram inferiorem, et ab summa illa derivatam, ac procreatam, quamvis excellentiore aliquo modo, ac creata cætera, ut propterea generatio dicatur illius productio, et qui per eam existit, Filius insigniter appelletur. Hanc porro prioris illius, ac non dignitate solum, sed ævo quoque superioris, similem esse, et ejus imaginem externa tantum repræsentatione, ac specie, ob idque Deum, et ipsum esse, non οὐσιωδῶς, quasi divinitatem propriam habeat, ac suam, sed quatenus Deum verum fert, ut propterea nec duo sint Dei, sed unus ; quemadmodum et regis imago rex dicitur ; neque tamen reges sunt duo, nec imago ipsa naturam regis, et substantiam intime, et οὐσιωδῶς complectitur. Hæc germana mens Eusebii fuit, et Arianorum quorumdam, qui minus impii, ac semicatholici habiti sunt, uti pluribus in primo libro declaravimus.

In quo sita imaginis perfectio.

IV. Quocirca inest in imagine omni tam diversitas, quam identitas cum exemplari, et archetypo ; et hæc posterior eo major est, quo perfectior est imago, ut in animantibus, ac creatis omnibus, quæ gignuntur invicem. Hæc enim unam, et eamdem habent naturam et essentiam, sed specie duntaxat, cum reipsa numero sint plures, ac separatæ. Perfectissima vero imago, similitudoque naturæ, perfectissima identitate constat, quæ non specie sola, sed etiam numero eamdem substantiam, et οὐσίαν continet ; quod in solo Deo cernitur, quo in uno perfectam esse tum generationem, tum Patris, Filiique proprietatem supra demonstravimus. Hinc perfectam similitudinem nihil ab æqualitate, et identitate naturæ differre, passim Hilarius, aliique veteres affirmant, quos in secundo libro, et hoc etiam ipso citavimus, e quibus complures Semiarianorum opinionem, ac decreta super absoluta Filii similitudine pro Catholicis admittunt, tanquam τὸ ὁμοιούσιον idem sit plane, quod ὁμοούσιον, hoc est simile substantia non aliud sit, quam idem substantia.

Cæterum imago quælibet sic ad exemplar refertur, ut sint in eo discernenda cogitatione duo ; alterum est archetypum ipsum, seu persona, quæ repræsentatur ; alterum id, in quo similitudo ipsa consistit, hoc est forma, et proprietas, secundum quam similis dicitur ; quod utrumque eodem modo sæpius effertur. Nam et imaginem Alexandri vocamus formæ, staturæ, coloris ac figuræ illius effigiem ; et imago Sethus est non Adami solum, sed etiam naturæ, quæ in eo est, et indolis, aut virtutis ; quod ipsum et de filiis omnibus usurpari solet. Quæ duæ imaginis σχέσεις ita invicem conjunctæ sunt, ut cum alterius imaginem esse aliquid audimus, velut Alexandri pictam tabulam, aut Adami Sethum, statim animo feramur ad id, in quo similitudo posita est, prout genus est imaginis. Cum enim duplex, ut ante collegimus, imago sit, una naturalis, quæ generatione oritur, altera constans arte ; cum de priore sermo est, ut cum Filium dicimus imaginem esse patris, subinde nobis occurrit similitudo naturæ, et in utroque eadem hominis essentia ; cum autem ab Apelle pictam, aut a Lysippo sculptam Alexandri imaginem audimus, non naturæ in utroque similitudinem cogitamus, sed figuræ, uti dictum est, et habitus externi. Hinc illud Basilii citatum ab Joanne Damasceno libro primo *de Imaginibus* : « Quod igitur ratione imitationis hic est imago, illic naturaliter est Filius. Et quemadmodum in rebus, quæ arte constant, in ipsa forma sita est similitudo ; sic in divina, et compositionis experte natura, in divinitatis communione copulatio consistit[b]. »

Relationes.

V. His velut jactis fundamentis, ad id, quod

a Cyril. dial. V. Εἰκόνι μὲν γὰρ πρὸς τὸ ἀκριβῶς καὶ ὁ βασιλεύς ἕν ἐσμεν· ἐγὼ γὰρ ἐν ἐκείνῳ εἰμὶ, κἀκεῖνος ἐν ἐμοὶ. καὶ ὃ ὁρᾷς ἐν ἐμοὶ, τοῦτο ἐν ἐκείνῳ βλέπεις· καὶ ὃ ἑώρακας ἐν ἐκείνῳ, τοῦτο βλέπεις ἐν ἐμοί.

b Basil. lib. *de Spiritu sancto*, cap. XVIII, apud ἰσότυπον, ἰσοτύπῳ δὲ αὖ πρὸς ἐμφερεστάτην εἰκόνα, τὸ διαλλάττον οὐδὲν, κατά γε, φημὶ, τὸ ἐν ὁμοιώσει τε, καὶ ὡς ἐν εἴδει τοὺτόν.

1 Lib. II *in Joan*. cap. XIV. — 2 Lib. I.

erat propositum, revertamur. Negamus invicem discrepare veteres illos, qui Patris imaginem, aut figuram dicunt esse Filium, ab iis, qui paternæ substantiæ, aut essentiæ, aut bonitatis imaginem appellant, et utrumque recte, ac catholice dici; tum in illo Pauli interpretando loco, ubi ὑποστάσεως χαρακτὴρ Filius nominatur, concordes inter sese Patres esse; ac denique ὑποστάσεως vocabulum magis pro οὐσίᾳ sumi, quam pro persona, quatenus directe, et, ut vulgo loquuntur, *formaliter*, personalem proprietatem significat. Hic igitur explicanda duo sunt, quid sit apud Apostolum ὑπόστασις, et quo sensu Patris imago, vel paternæ essentiæ dicatur Filius. De priore sic statuimus, ὑπόστασιν a Paulo nominari *substantiam*, hoc est essentiam, et naturam, quam οὐσίαν dicimus. Qua in opinione est Guillelmus Esthius, ut alios omittam. Idque hoc argumento persuadet, quod cum epistola illa scriberetur, nihil dum aliud ὑπόστασις significabat, quam essentiam, ut et nos fuse in quarto libro superiore demonstravimus [1]. Cum hoc utatur argumento Esthius, itaque sentiat de hypostasis significatione, satis indicat, quod de Dionysio librorum *de Cœlesti hierarchia*, cæterorumque scriptore judicium fecerit. Nam apud eum ὑπόστασις pro persona non semel sumitur; ut cum in septimo capite libri *de Cœl. hierar.* et in primo libri *de Divin. nom.* Deum vocat οὐσίαν τρισυπόστατον. Atque Hieronymus quidem testatur, hypostasim communi usu nihil ab οὐσίᾳ differre, cujus verba in eodem tertio libro citavimus [2]. Addit et Syrum Paraphrasten Esthius vertere *imago essentiæ* צלמא דאיתותה. Quanquam vox איתותה pro ὑπάρξει potest accipi, hoc est rei *exstantia*, ut infinite tam essentiam ipsam, sive τὸ τί ἦν εἶναι, quam existentiam, ac modum essentiæ significet. Quare ὑπόστασιν videtur Syrus intellexisse naturam, et οὐσίαν existentem, ac subsistentem; hoc sensu « Filium imaginem esse naturæ et essentiæ subsistentis in Patre; » quæ germana est, et sincera loci illius interpretatio. Neque enim ὑπόστασις ibi *persona* esse potest, prout *in concreto* nomen hoc sumitur, idemque est ac *pater;* aut *in abstracto*, quatenus *personalitatem;* et, ut modo loquuntur, *subsistentiam;* nempe *paternitatem* exprimit; sed quatenus *essentiam* ipsam, et *naturam* indicat, quam his modis, velut formis affectam cogitatione fingamus.

Omnes Patres Filium paternæ substantiæ imaginem esse asserunt, licet in loquendi modo discrepent.

Essentiam tri-hypostaticam.

Quidditatem

VI. Quod ex ipso contextu orationis apparet; quæ in hanc sententiam brevi compendio redigitur: « Deus Pater, postquam variis modis per patriarchas, et prophetas locutus est, tandem per Filium locutus est nobis, qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.» Hic nimirum ὑπόστασις, sive substantia non ipse Pater est, si præcise loquimur, sed aliquid, quod est in Patre, quodve Pater quodammodo continet; proprietas, inquam, aliqua, sed οὐσιώδης, vel οὐσία ipsa, modo quodam abstractionis intellecta, quemadmodum et δόξα, hoc est *gloria*, sive *majestas*, cujus splendor est Filius, in ipsa Patris persona comprehenditur, tanquam naturalis conditio, quæ relucet in Filio, velut in imagine, ac speculo. Sane cum Sethus Adami patris imago dicitur, nullus est, qui propriam, et, ut dicunt, formalem notionem Adami putet esse vel *personalitatem* ipsam, et *subsistentiam* singularis illius hominis, vel individuam hanc naturam, prout *personalitate* est affecta; verum directus ac proprius vocabuli istius intellectus est, natura, et essentia singularis, et subsistens, quatenus rationalis est, et hominis natura, vel humanitas dicitur. Itaque duo sunt distinguenda in usu *concretorum* nominum; alterum proprietas ipsa significationis, quæ est *formalis*, et directa notio; alterum conditio quædam ad formalem exprimendam notionem necessaria. Ut cum *album* dicimus parietem, huic voci subjecta notio propria, et directa, color est parieti superfusus; conditio vero, sine qua concipi animo non potest, singularis est existentia coloris illius, ut et subjecti, quod afficit; quæ ambo sic discernimus, ut prior *significatio*, posterior *assignificatio* nominetur. Atque hoc in concretorum usu nominum cernitur. In abstractis vero multo id magis locum habet; ut si dicam, Adamus Sethum genuit imaginem substantiæ suæ. Hic enim substantia τὸ οὐσιῶδες aliquid demonstrat, nec aliud, quam humanitatem ipsam, sive rationalem naturam, sed cum ea conditione, quatenus singulari subest existentiæ, ac subsistentiæ. Nam non alterius, quam hujus, et in hoc subsistentis essentiæ, figuram refert genitus filius.

Essentiale.

Damasc. Ὃ οὖν ἐστιν ἐνταῦθα μιμητικῶς ἡ εἰκὼν, τοῦτο ἐκεῖ φύσικῶς ὁ υἱός. καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῶν τεχνητῶν, κατὰ τὴν μορφὴν ἡ ὁμοίωσις· οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς θείας, καὶ ἀσυνθέτου φύσεως, ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς θεότητος ἐστὶν ἡ ἕνωσις.

1 Cap. I. — 2 Cap. IV.

VII. Atque ut pressius pedem conferamus, nomen *hypostasis*, quod ex genere est concretorum, duo quædam continet, naturam ipsam, sive essentiam, et existendi proprietatem, quæ in Deo absoluta non est, sed σχετικὴ, meraque relatio, ut supra docuimus [1]. Quæro igitur, cum Filius Patris appellatur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *figura substantiæ ejus*, an substantia præcise sit proprietas ipsa relativa, quæ subsistentia hodie dicitur. At absurdum est. Non enim Filius est imago paternitatis, nec ejus similis, imo vero oppositus est ei, ab eaque reipsa filiatio differt. An pater ipse, vel hic Deus, prout proprium habet subsistendi modum, ita ut formalis notio sit proprietas essentiam connotans? Sed hoc perinde est ridiculum. Nam dicitur Filius figura substantiæ Patris, hoc est, quam Pater habet. Pater autem non habet Patrem, neque est in Patre; tum, quod contra priorem significationem objectum est, idem et adversus istam valet. Neque enim Patris, ut Pater est, imago est Filius, sed ut est Deus, cum ea tamen conditione, ut sit singularis, et subsistens. Itaque Sophronius Hierosolymitanus proprietates appellat personarum « dissimilitudines. Dissimilitudinem, inquit, proprietatum, quæ citra confusionem unamquamque personarum propria nota designant [a]. » Et Joannes Damascenus in oratione tertia *de Imaginibus*, « Filium ait esse imaginem nativam, et nulla re discrepantem Patris, per omnia ei similem, excepta Ingeniti proprietate, et paternitate [b]. » Ac profecto si proprietatis hypostaticæ Patris similitudo esset in Filio, valeret id, quod Ariani adversus utriusque similitudinem apud Athanasium objiciunt, oportere Filium ipsum gignere, ut sit Patris similis. Siquidem Pater et ipse deberet esse. Superest igitur, ut *substantia ejus* nihil sit aliud, quam natura, et essentia, hoc est divinitas existens, ac subsistens in illo; propter quam solam similis ejus est Filius. Atque ut idipsum clarius explicetur, fingamus, in lacte, ac nive candorem eumdem esse numero; tum si lac nivis esse simile dicatur, vel ejus, quod in nive est, profecto neque subjectum ipsum corpus, qui dici illud audierit, mente concipiet, neque candorem præcise, ac formaliter, ut inhæret nivi, sed ut talis est color; ita tamen, ut et singularitas ejus, et existentia tacite cogitetur. Similis est ratio in illis Apostoli verbis: *Filius est imago substantiæ Patris*, sive quæ est in Patre. Hæc enim ostendunt eamdem prorsus numero in Filio esse substantiam, hoc est essentiam, quæ inest in Patre. His accedit, quod, ut libro superiore dixi, Paulus alio in loco τὴν ὑπόστασιν itidem sumpsit pro οὐσίᾳ, id est pro exstantia rei, quæ non specie tenus adumbrata sit, sed solida; ut cum ad Hebræos scribens, fidem esse dicit τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασιν. Et in alia epistola [2], τὴν ὑπόστασιν τῆς καυχήσεως *substantiam gloriationis* vocat *segetem*, et *argumentum gloriolæ* [3], hoc est causam justam, et reipsa exstantem, non fictam, aut ementitam. Ad hæc Paulus hunc locum videtur expressisse e libro *Sapientiæ* [4], ubi similiter legitur ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, *Splendor, vel refulgentia lucis æternæ, et imago bonitatis ipsius.* Bonitas autem οὐσίαν magis, quam personam significat. Præterea dicitur eatenus imago Patris Filius, qua ejusdem est cum illo substantiæ, quod est ὁμοούσιος. Ideo Gregorius Nazianzenus, « Imago est, inquit, tanquam consubstantialis Patri [c], » at ex sola οὐσίᾳ nominis illius origo petitur. Neque consubstantialis dicitur, quod ejusdem sit personæ; id enim impium est. Igitur neque imago personæ, ut est persona, vocari debet, sed *naturæ* et οὐσίας. Huc pertinet quod Theodoretus in dialogo secundo Filium ait sic esse Patris imaginem, ut non omnia in se habeat, quæ sunt in Patre, velut paternitatem, et alias proprias ejus notiones. « Quippe « imaginem non habere omnia, quæ sunt in archetypo [d]. » Ex quo sequitur, id, cujus gratia imago dicitur, non esse hypostasim ipsam, qua hypostasis est, hoc est secundum id, quod proprium est, sed communem substantiam.

Filius imago Patris non qua Pater, sed qua Deus.

Essentiam.

Consubstantialis.

Usia.

VIII. Operæ pretium est, non tam Pauli interpretandi gratia (non enim pluribus est opus) quam ut imaginis ratio penitus intelligatur, quædam commemorare loca veterum Patrum, quibus aut illa Pauli verba declararunt, aut similes sententias expresserunt. Imprimis vero Chrysostomus audiendus est;

Veterum placita de loco Pauli: *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ.*

a Sophron. act. II, syn. 6. Τὸ τῶν ἀσυγχύτως ἕκαστον χαρακτηριζόντων πρόσωπον ἰδιωμάτων ἀνόμοιον.

b Joan. Damasc. Ἔστι μὲν ὁ υἱὸς εἰκὼν τοῦ πατρὸς φυσικὴ, καὶ ἀπαράλλακτος κατὰ πάντα ὁμοία τῷ πατρὶ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας, καὶ τῆς πατρότητος.

c Nazianz. orat. XXXVI. Εἰκὼν δὲ ὡς ὁμοούσιον.

d Theodoret. Ἡ εἰκὼν οὐ πάντα ἔχει ὅσα τὸ ἀρχέτυπον ἔχει.

1 Lib. IV. — 2 Cap. XI. — 3 I *Cor.* I, 17. — 4 Cap. VII, 26.

qui in Commentariis ad epistolam Pauli *ad* Splendor. *Hebræos*, « ἀπαύγασμα vocari ait, eo quod ex ipso sine perpessione, integro manente, nec diminuto oritur [a]. » Quod autem refulgentia Splendor. lucis, ac splendor, qui Græcis ἀπαύγασμα dicitur, per se non subsistit, hoc est, non est ἐνυπόστατον, ideo statim subjecisse « καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, et *figura substantiæ ejus;* ut ostenderet, quemadmodum subsistens est Pater, et ad subsistendum nullius est egens, et esse Filium. Hic enim, inquit, demonstrare volens, nulla in re dissimilem esse, istud adjecit, ut te ad propriam figuram prototypi transmitteret, ac doceret, ipsum in sua subsistentia per se consistere [a].» Paulo post vero ait Apos- Splendoris. tolum nomine ἀπαυγάσματος æqualitatem essentiæ notare voluisse, cognationemque cum Patre. Ita ipsum et οὐσίαν singularem expressisse, et ὑπόστασιν, ad hypostases duas demonstrandas. « Nam character, sive figura diversa est a prototypo, diversa vero non omnino, sed eo ipso, quod est subsistens. Quandoquidem, et hoc loco characteris nomen in nullo dissimilem esse demonstrat ejus, cujus est character, imo per omnia similem [a]. »

Quem locum Chrysostomi, ut et alia quædam, imitatus est Isidorus Pelusiota ; qui utrumque nomen assumpsisse dicit Apostolum, ut et ἀπαύγασμα τῆς δόξης vocaret , et χαρακτῆρα τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, « illud quidem, ut æternum esse, vel potius coæternum ostenderet ; hoc vero ut subsistentem esse doceret, et veris ac germanis notis insignem. Nam, ut ne splendor non per se subsistere putetur, characteris addita vox subsistentiam promittit [b]; » quod et brevius epistola LVIII declarat. His consentaneus est Theodoretus, qui verba illa, *Et figura substantiæ ejus*, sic enarrat : « Per se subsistit, totum in se Patrem ostendens. In se enim patrios characteres continet. Huic simile est, quod Philippo a Domino dictum est : *Qui vidit me* [1], *vidit et Patrem meum* [c]. » Ac subinde : « Porro autem adjecit etiam eum esse characterem substantiæ, utrumque simul docens, nempe quod per se subsistit, et in se paternos ostendit characteres [d].» Vide et Isidorum Pelusiotam, epist. CCCLV lib. tertii.

IX. Videntur illi quidem ὑπόστασιν intelle- Hypostasis. ibi naturam potius significat quam personam. xisse personam potius, quam οὐσίαν. Sed non est ita. Primum enim personæ Patris imaginem Filium esse sentiunt, non quatenus est persona, vel ut tali proprietate præditus est, sed qua divinitatem habet propria subsistentem hypostasi, uti supra diximus. Proinde ratio similitudinis in exemplari non est proprietas personalis, sed essentia. Deinde cum Filium aiunt imaginem esse subsistentiæ Patris, eo quod per se ipse subsistit eodem modo, quo Pater ; subsistentiam interpretantur non de proprietate ipsa, qui tanquam modus quidam cogitatur a nobis essentiæ additus, quique ratione saltem a prima et individua substantia secernitur, ut in homine, quem Verbum assumpsit, singularis est substantia, sive propria, id est creata proprietate subsistendi ; sed intimam, innatamque substantiæ primæ, et οὐσιώδη proprietatem intelligunt a qua ejus definitio petitur, hoc est *gradum*, ut vocant *essentialem*.

Quocirca Damascenus « Filium ait et characterem vocari paternæ hypostasis, quod perfectus sit, et subsistens, et per omnia Patri similis, excepto eo, quod est ingenitus [e]. » Ubi vides a similitudinis, et imaginis notione

a CHRYS. hom. II in epist. *ad Hebr.* Ἀλλ' ὅρα πρὸς τί αὐτὸ ἐκλαμβάνει, καὶ οὕτω καὶ αὐτὸς δέχου· ὅτι ἐξ αὐτοῦ, ὅτι ἀπαθῶς, ὅτι οὐ μειωθέντος, οὐδέ ἐλαττωθέντος. Et mox : Τί δέ φησι; καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. δηλῶν διὰ τῆς ἐπαγωγῆς, ὅτι ὥσπερ ἐστὶν ὁ πατὴρ ἐνυπόστατος, καὶ πρὸς ὑπόστασιν οὐδενὸς δεόμενος, οὕτο καὶ ὁ υἱός. ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἀπαράλλακτον δεικνὺς τοῦτό φησι, καὶ πρὸς τὸν ἰδιάζοντα χαρακτῆρα τοῦ πρωτοτύπου παραπέμπων σε, καὶ δικάσκων ὡς ἐν ὑποστάσει ἐστὶ καθ' ἑαυτόν.

b CHRYS. Διὰ δὲ τοῦ ἀπαυγάσματος τὸ ἴσον ἐσήμανε τῆς οὐσίας καὶ τὴν πρὸς τὸν πατέρα ἐγγύτητα ἐννόησον τὴν λεπτότητα τῶν εἰρημένων. οὐσίαν μίαν ἔλαβε, καὶ ὑπόστασιν, εἰς δύο ὑποστάσεων παράστασιν. Mox : Εἶτα ἐπήγαγεν ὅτι καὶ χαρακτήρ. ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἄλλός τίς ἐστι παρὰ τὸ πρωτότυπον· ἄλλος δὲ οὐ πάντη, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἐνυπόστατον εἶναι. ἐπεὶ καὶ ἐνταῦθα ὁ χαρακτὴρ τὸ ἀπαράλλακτον δηλοῖ οὗ ἐστι χαρακτὴρ, τὸ ὅμοιον κατὰ πάντα.

c ISID. PEL. lib. III, epist. CXXX. Τὸ δὲ διὰ τὸ ἀΐδιον, μᾶλλον δὲ συναΐδιον· τὸ δὲ διὰ τὸ ἐνυπόστατον, καὶ διὰ τὸ γνησίοις χαρακτῆρσιν ἐμπρέπειν. ἵνα γὰρ μὴ τὸ ἀπαύγασμα ἀνυπόστατον νομισθῇ, ὁ χαρακτὴρ τὴν ὑπόστασιν ἐγγυᾶται.

d THEODORET. in ep. *ad Hebr.* Καθ' ἑαυτὸν γὰρ, φησὶν, ὑφέστηκεν, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν πατέρα. τούτῳ ἔοικε τὸ ὑπὸ τοῦ κυρίου πρὸς τὸν Φίλιππον εἰρημένον· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα μου. Mox : Προστέθεικε δὲ ὅτι καὶ χαρακτήρ ἐστι τῆς ὑποστάσεως, ἀμφότερα κατὰ ταὐτὸν διδάσκων, ὅτι καὶ καθ' ἑαυτὸν ὑφέστηκε, καὶ ἐν ἑαυτῷ δείκνυσι τοὺς πατρικοὺς χαρακτῆρας.

e JOAN. DAMASC. lib. I *de Fide*, cap. IX. Υἱὸς δὲ καὶ χαρακτὴρ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως διὰ τὸ τέλειον, καὶ ἐνυπόστατον, καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον τῷ πατρὶ εἶναι, πλὴν τῆς ἀγεννησίας.

1 *Joan.* XIV.

personalem proprietatem excipi. Sic etiam Athanasius sub initium lib. V *contra Arianos:* « Ut enim ex Deo Deus est, et ex sapiente sapientia, et ex rationali ratio, et ex Patre Filius; sic ex subsistentia subsistens, et ex substantia substantivus, et essentialis, et ex ente ens[a]. »

Hypostasim et usiam. Quo in loco Athanasius ὑπόστασιν et οὐσίαν pro substantia, et ejus naturali et essentiæ ingenita proprietate sumpsit, qua differt ab accidente, ac per se subsistere natura potest; nec alieno adminiculo indiget, hoc est non inhæret accidentis more, modoque. Id enim contendit Athanasius, Verbum divinum non esse quippiam fluxum, ac transiens, vel inhærens Patri, ut in nobis verbum interius, et cogitatio nostra. Itaque οὐσιώδη, et ὑφεστῶτα λόγον proxime ante nominavit, id est *substantivum*, et *subsistentem*, sive solidum, et in exstantia permanentem.

Ita Cyrillus Alexandrinus in libro *de Recta in Christum fide ad Theodosium*, fuse demonstrat Christum non esse ἀνυπόστατον λόγον, vel ἀνύπαρκτον, hoc est *non subsistens, vel non exstans Verbum.* Quod etiam ex imaginis proprietate persuadet. « Siquidem imagines tales esse debent, qualia sunt archetypa. Ita enim, et non aliter habere se illas oportet. Quare si non subsistens est imago, neque in propria exstantia intelligitur esse character; etiam illum minime subsistentem esse necessario concedent, cujus est imago, et character; et imaginis vitium omnino ad archetypum recurret[b]. »

X. Etenim substantiæ omnis in eo sita est natura, ut per se subsistat, quod est, in nullo, tanquam subjecto, hæreat velut accidens; quæ ratio, et *essentialis*, ut loquuntur, gradus in primis, ac singularibus substantiis singularis est, nec ab illis separari potest. Præter hunc vero, sive modus aliquis existendi, sive alia quædam proprietas personalis, de qua libro quarto egimus, accedit, quæ ab creata substantia divelli potest; ut in humana Christi natura contigit, quæ alienæ hypostasis adminiculo fulta, proprio subsistendi modo caret. Sic igitur Filius imago paternæ substantiæ dicitur, quia similiter ut ille per se subsistit, quod idem est, ac si dicas illum perinde ac Patrem esse subsistentiam, eamque cohærentem per se, ac solidam, non fluxam, et transeuntem, neque inhærentem alteri; quæ omnia τοῦ ἐνυποστάτου vocabulum exprimit, ut Sabellii, et Patripassianorum convincatur error. Quod recte Theophylactus his verbis explicat: « Dicit ergo eum esse characterem, hoc est, figuram substantiæ ejus; ut quemadmodum Pater in sua persona subsistens nullius alterius indiget ad sui perfectionem, sic et Filius[c]. » Nec minus apposite Photius: « Figura, inquit, substantia ejus, tanquam totam in seipso exprimens essentiam, et existentiam, Deus est, potestatem habet, omnipotens, artifex, et si quid aliud est, quod tanquam propria nota paternam existentiam delineat, excepto eo, quod Pater est, omnia est Filius[d]. » Ita Sœbadius, libro *cont. Arianos* sub finem, Filium ait imaginem Patris, hoc est « Dei sermonem esse, non sonum vocis, sed rem substantivam, ac per substantiam corpulentivam. Non enim sine substantia consistit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei sermo spiritus Dei instructus est, et ut evidentius dicam, sermonis corpus est Christus. Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. » Hic Sœbadius faciendi verbo usus est in divina generatione. De hac enim loquitur; et corpus usurpavit pro substantia, cum dixit, *sermonis corpus esse Christum*, hoc est, in Christo, ut est Verbum, et sermo, hunc ipsum sermonem non inanem, et fluxum esse, sed *substantivum, et corpulentivum.* Ergo figura est substantiæ, quia paternas in se dotes omnes, omnipotentiam, bonitatem, et ante omnia hæc essentiam eamdem, et existentiam obtinet, nec ulla re

a Athan. lib. V *cont. Arian.* Ὡς γὰρ ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ ἐκ σοφοῦ σοφία, καὶ ἐκ λογικοῦ λόγος, καὶ ἐκ πατρὸς υἱός· οὕτως ἐξ ὑποστάσεως ὑπόστατος, καὶ ἐξ οὐσίας οὐσιώδης, καὶ ἐνούσιος, καὶ ἐξ ὄντος ὤν.

b Cyril. in I *Par. concil. Eph.* Καί τοι πῶς τοῦτό ἐστιν οὐχ ἅπασιν ἐναργὲς, αἱ δὲ εἰκόνες, ὡς τὰ ἀρχέτυπα; δεῖ γὰρ οὕτως αὐτὰς, καὶ οὐχ ἑτέρως ἔχειν. οὐκοῦν εἰ μὴ ἐνυπόστατος ἡ εἰκὼν, μήτε μὴν ἐν ὑπάρξει νοοῖτο τῇ καθ' ἑαυτὸν ὁ χαρακτὴρ, ἀνυπόστατον εἶναι δώσουσιν, ὡς ἐξ ἀναγκαίου λόγου καὶ τὸν, οὗπερ ἐστὶν ὁ χαρακτὴρ, καὶ τὸ τῆς εἰκόνος ἀκαλλὲς ἀναδραμεῖται πάντως ἐπὶ τὸ ἀρχέτυπον.

c Theophyl. Φησὶν οὖν καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ἐστιν· οἷον, ὥσπερ ἐστὶν αὐτὸς ἐνυπόστατος, οὐδενὸς δεόμενος εἰς τελείωσιν· οὕτω καὶ ὁ υἱός.

d Photius. Καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ· οἷον ὅλην ἐν ἑαυτῷ ἀπομάξας τὴν οὐσίαν, καὶ τὴν ὕπαρξιν. Θεός ἐστιν, ἐξουσιαστής ἐστι, παντοδύναμος, δημιουργὸς, καὶ εἴ τι ἄλλο τὴν πατρικὴν ὕπαρξιν χαρακτηρίζει, πλὴν τοῦ εἶναι πατὴρ, πάντα ἐστιν ὁ υἱός.

discrepat; tum quod similiter, atque ille, per se subsistit, quod substantiis omnibus convenit.

XI. Eodem et Basilii oratio pertinet, epistola XLIII quæ est de differentia οὐσίας et ὑποστάσεως, quod opusculum inter Gregorii Nysseni opera legitur; ubi ὑπόστασιν sumit pro natura subsistente, cujus character et imago Filius est. « Proinde qui pulchritudinem, inquit, imaginis animadvertit, et cognovit, plenam archetypi intelligentiam habet, et qui filii quasi formam mente concipit, paternæ hypostasis effigiem animo describit, per hunc illum intuens; non ut ingeniti proprietatem, quæ est in Patre, in effigie perspiciat; alioqui prorsus idem esset, minimeque diversum. Sed ingenitam pulchritudinem contemplatur in genita[a]. » Quocirca sic est imago Patris Filius, ejusque hypostaseos, ut sola ejus essentia, et quod οὐσιῶδες est, in Filio cernatur, hoc est, intimum sit ejus substantiæ, et, ut ita dixerim συνουσιωμένον, atque ad ejus integritatem pertinens; proprietas vero personalis illius, quæ est ἀγεννησία, vel paternitas, quasi extrinsecus in eo spectetur, quoniam, ut est eorum natura, quæ invicem referuntur, cognosci, viderique Filius non potest, quin simul cognoscatur et Pater. Quod paulo ante citata verba sic Basilius exponit: « Adeo ut, qui oculis animæ imaginem unigeniti contuitus fuerit, paternam quoque hypostasim mente comprehendat; sed ita, ut non alternet, aut misceatur proprietas, quæ in ipsis cernitur; sic tanquam vel in Patre nativitas, vel in Filio innati proprietas informetur, verum, ut, quatenus licet, alterum ab altero se jungentes, per se solum capiamus, quod reliquum est. Non enim potest nominari Filius, quin Patrem una complectamur animo, cum ita se habeat hæc appellatio, ut propter habitudinem Patrem simul ostendat[b]. »

Usiæ et hypostaseos.

Essentiale.

Consubstantiatum.

Innascibilitas.

Jam Athanasius non uno in loco demonstrat, essentiæ ratione, et ejus proprietatum dici imaginem Filius. Velut oratione secunda. « Talem, inquit, esse oportet imaginem, qualis imaginis Pater. Age ergo videamus, quæ sint Patris, ut et imaginem agnoscamus, an sit ipsius. Æternus est Pater, immortalis, potens, lumen, rex, omnipotens, Deus, Dominus; creator, et factor; hæc inesse oportet in imagine, ut revera, qui Filium viderit, videat et Patrem[c]. »

Epiphanius quoque diserta, et copiosa oratione idem asserit, cum adversus Anomœos Filii cum Patre similitudinem, et eamdem substantiam propugnat[d]. Siquidem catholicos ait non nudam similitudinem profiteri, sed ejusmodi, quæ identitatem potius significet. Nam et alia pleraque dici similia Deo, quæ non sunt eadem, ut cum regnum cœlorum grano sinapis simile dicitur, aut decem virginibus, in quibus eadem natura non cernitur; at Filius ita Patri similis est, ut ea similitudo nihil ab identitate, æqualitateque discrepet. Et paulo post duplicem ait esse imaginem « Altera est, quæ coloribus effigiatur, altera genitali consubstantialitate constat; utpote cum genitus Filius ad Patrem generis sui notam, et characterem exprimat; et assimilatio ipsa demum idem esse reperiatur cum identitate, et consubstantialitate, et expressione[e]. »

XII. Præclare hoc quidem, quod ἀπεικόνισμα,

a Basil. tom. II Greg. Nyss. Οὐκοῦν ὁ τῆς εἰκόνος κατανοήσας κάλλος, ἐν περινοίᾳ τοῦ ἀρχετύπου γίνεται· καὶ ὁ τοῦ υἱοῦ τὴν οἱονεὶ μορφὴν τῇ διανοίᾳ λαβὼν, τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως τὸν χαρακτῆρα ἀνετυπώσατο, βλέπων διὰ τούτου ἐκεῖνον, οὐ τὴν ἀγεννησίαν τοῦ πατρὸς ἐν τῷ ἀπεικονίσματι βλέπων. ἢ γὰρ ἂν διόλου ταὐτὸν ἦν, καὶ οὐχ ἕτερον. ἀλλὰ τὸ ἀγέννητον κάλλος ἐν τῷ γεννητῷ κατοπτεύσει.

b Basil. ibid. Ὥστε τὸν τῷ χαρακτῆρι τοῦ μονογενοῦς διὰ τῶν τῆς ψυχῆς ὀμμάτων ἐνατενίσαντα, καὶ τῆς τοῦ πατρὸς ὑποστάσεως ἐν περινοίᾳ γενέσθαι, οὐκ ἐπαλλασσομένης, οὐδὲ συναναμιγνυμένης τῆς θεωρουμένης (ἐν) αὐτοῖς ἰδιότητος, ὥστε ἢ τῷ πατρὶ τὴν γέννησιν, ἢ τῷ υἱῷ τὴν ἀγεννησίαν ἐπιμορφάζειν· ἀλλ' ὡς ἐνδεχόμενόν ἐστι, τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου διαζεύξαντας, ἐφ' ἑαυτοῦ μόνον λαβεῖν τὸ λειπόμενον. οὐδὲ γάρ ἐστι δυνατὸν υἱὸν ὀνομάσαντα μὴ καὶ πατρὸς ἐν περινοίᾳ γενέσθαι, σχετικῶς τῆς προσηγορίας ταύτης καὶ τὸν πατέρα συναναφαινούσης.

c Athan. orat. II. Τοιαύτην γὰρ εἶναι δεῖ τὴν εἰκόνα ὡς ἔστιν ὁ ταύτης πατήρ. φέρε τοίνυν ἴδωμεν τὰ τοῦ πατρὸς, ἵνα καὶ τὴν εἰκόνα ἐπιγνῶμεν, εἰ αὐτοῦ ἐστιν. ἀΐδιός ἐστιν ὁ πατὴρ, ἀθάνατος, δυνατὸς, φῶς, βασιλεὺς, παντοκράτωρ, θεὸς, κύριος, κτίστης, καὶ ποιητής. ταῦτα εἶναι δεῖ ἐν τῇ εἰκόνι· ἵνα ἀληθῶς ὁ τὸν υἱὸν ἑωρακὼς ἴδῃ τὸν πατέρα.

d Epiph. hær. LXXVI, num. 2. Καὶ οὐδ' ὅτι ἡμεῖς τῷ ὁμοιώματι ἐπερειδόμεθα. ὑπὲρ γὰρ τὴν ὁμοίωσιν οἴδαμεν τὸν υἱὸν πρὸς τὸν πατέρα, ὡς ταὐτὸν τῇ θεότητι, καὶ ἴσον, καὶ οὐδ' ὅλως ἠλλοιωμένον,

Et mox : Τοῦ δὲ υἱοῦ ὁμοίου ὄντος τῷ πατρὶ, καὶ ὑπερομοίου, διὰ τὸ ταὐτὸν εἶναι πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἴσον πατρὶ, οὐ τὸ ὅμοιον συνιστᾷν ἡμῖν μόνον ἐπιμελὲς πεφιλοτίμηται, ἀλλὰ ταὐτὸν, καὶ ἴσον, ὡς θεὸν ἐκ θεοῦ, καὶ υἱὸν ἐκ πατρὸς, καὶ οὐκ ἀλλοῖον τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένον.

e Idem. Καὶ γὰρ καὶ ἀνθρώπου εἰκὼν λέγεται, καὶ οὐχ ὁμοία. ἡ μὲν γάρ ἐστι διὰ χρωμάτων ἀπεικαζομένη· ἡ δὲ διὰ τῆς γεννητικῆς ὁμοουσιότητος, ὡς τοῦ γεννωμέ-

Essentiam identitatem et consubstantialitatem.

idest, ipsum τὸ τί ἦν εἶναι, et rationem imaginis nihil in Filio esse putat aliud, quam ταυτότητα, et ὁμοουσιότητα; quod verum non est, nisi imago sit essentiæ potius ratione, quam subsistentiæ. Quo et alter ille locus Athanasii spectat, quem supra retuli ex oratione IV ubi quod Christus ait, *Ego et Pater unum sumus*, declarat similitudine imaginis, ac regis, quæ unum quodammodo dici queunt, quatenus eadem inest in ambobus species, ac forma. « Unde, inquit, cum et Filius imago sit Patris, necessario id intelligitur divinitatem, et proprietatem Patris esse hoc ipsum, quod est Filius[a]. » Manifestum est autem ibi *proprietatem Patris* non personalem intelligi, sed οὐσιώδη, cujusmodi sunt, quæ *attributa* dicuntur *essentialia*. Quemadmodum et Cyrillus Alexandrinus in XII *Thesauri* usurpavit; ubi illum Athanasii locum, et eamdem imaginis similitudinem expressit; quam ita demum concludit: « Etenim proprietatem paternæ substantiæ sine ulla differentia habens Filius, accurata est imago Patris, et forma genitoris, totum in sese ostendens illum, a quo genitus est[b]. » Ergo Patris est imago Filius ea ratione, qua paternæ substantiæ, hoc est essentiæ, proprietates in se continet.

Hypostasim.

Utitur et imaginis comparatione Basilius in homilia XVII *contra Sabellianos, et Arianos*, ubi ὑπόστασιν in illo primi *ab Hebræos* capitis loco, de eo, quod est essentia Patris, interpretatur: « Illic, inquit, cum audieris imaginem, splendorem intellige gloriæ. Quid est autem splendor? quæ gloria? Ipse statim explicavit Apostolus dicens; *Et figura substantiæ*. Idem est ergo substantia cum gloria; cum splendore vero figura. Quare perfecta manente, neque diminuta gloria, perfectus æque splendor procedit; et ad hunc modum imaginis ratio ita, uti Deo congruit, accepta, unitatem nobis divinitatis ostendit[c]. »

Characterem hypostaseos.

XIII. Jam χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως dici Filium, quod essentiam ipsam Patris referat, docet insuper Gregorius Thaumaturgus in *Expositione fidei*, ubi Filium vocat χαρακτῆρα, καὶ εἰκόνα τῆς θεότητος, *Figuram, et imaginem divinitatis*. Origenes in primo *Periarchon*, capite secundo, ubi duplicem distinguit imaginem, unam elaboratam arte, alteram naturalem, qua « imago dicitur ejus, qui genuit, is, qui natus; » atque ad hanc posteriorem pertinere Dei Filium asserit. « Quæ imago, inquit, etiam naturæ, ac substantiæ Patris, et Filii continet unitatem. » Alexander item Alexandriæ episcopus in epistola encyclica *adversus Arium* ait Filium « omnimodam cum Patre similitudinem expressisse ex ipsa natura[d]. »

Memorabilis est et Cyrilli Alexandrini locus ex libro primo *Thesauri*, cum eo collatus, quem ex epistola Basilii XLIII paulo ante retulimus. Illic enim Cyrillus ἀγένητον, id est, *non factum* esse Verbum docet, quia Pater ejus est ἀγένητος; atque ita loquitur: « Si Filius est, inquit, imago est nulla re discrepans Patris; adeo ut hic in illo appareat, sicut scriptum est, *Qui vidit me, vidit et Patrem*[1]; necesse est dicere non esse factum eum, qui ex non facto Patre prodiit. Alioqui quomodo in eo, qui factus est, videri unquam posset ille qui non est factus? Si enim archetypum in imagine cernatur; erit omnino tale illud, qualis est ista[e]. » Quamobrem Filius, qua est imago, est *increatus*, et hanc naturæ paternæ proprietatem habet. At Basilius in epistola illa XLIII ait, in eo, quod imago archetypi similis est, in illa videri τὴν ἀγεννησίαν, hoc est, proprietatem personæ Patris, qua ingenitus dicitur, et quæ hypostasim ejus constituit. Igitur

νου υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα χαρακτηρίζοντος τὸ γένος, ἀπεικονίσματος δὲ λοιπὸν εὑρισκομένου ταὐτότητός τε, καὶ ὁμοουσιότητος, καὶ ἐκτυπώματος.

a Athan. Ἐπεὶ τοίνυν καὶ ὁ υἱὸς εἰκών ἐστι τοῦ πατρὸς, ἐξ ἀνάγκης ἐστὶ νοεῖν, ὅτι ἡ θεότης, καὶ ἡ ἰδιότης τοῦ πατρὸς, τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἐστι.

b Cyril. XII *Thes.* Τὸ γὰρ ἴδιον τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἀπαραλλάκτως ἔχων ὁ υἱὸς, εἰκών ἐστι τοῦ πατρὸς ἀκριβὴς, καὶ μορφὴ τοῦ γεννήσαντος, ὅλον ἐν ἑαυτῇ δεικνύουσα τὸν γεγεννηκότα.

c Basil. tom. I. Ἐκεῖ δὲ ὅταν ἀκούσῃς εἰκόνα, ἀπαύγασμα νόει τῆς δόξης. τί δὲ τὸ ἀπαύγασμα; καὶ τίς ἡ δόξα; αὐτὸς εὐθὺς ἑρμήνευσεν ὁ ἀπόστολος λέγων· καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως. ταὐτὸν οὖν ἐστι τῇ δόξῃ μὲν ἡ ὑπόστασις· τῷ ἀπαυγάσματι δὲ ὁ χαρακτήρ. ὥστε τελείας μενούσης, καὶ μηδὲν μειουμένης τῆς δόξης, τέλειον πρόεισι τὸ ἀπαύγασμα. καὶ οὕτως ὁ τῆς εἰκόνος λόγος θεοπρεπῶς παραδεχθεὶς τὴν ἑνότητα ἡμῖν παρίστησι τῆς θεότητος.

d Alex. in epist. apud Theodor. lib. I, cap. IV. Τὴν κατὰ πάντα ὁμοιότητα αὐτοῦ ἐκ φύσεως ἀναμαξάμενος.

e Cyril. I *Thes.* Εἰ τοῦ πατρὸς εἰκὼν ἀπαράλλακτος ἐστιν ὁ υἱὸς, ὡς ἐκεῖνον ἐν αὐτῷ φαίνεσθαι, κατὰ τὸ· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε καὶ τὸν πατέρα· ἀνάγκη λέγειν ἀγένητον εἶναι τὸν ἐξ ἀγενήτου προελθόντα πατρός. ἐπεὶ πῶς ἂν ἐν τῷ γενητῷ ὀφθείη ποτὲ τὸ ἀγένητον; εἰ γὰρ τὸ ἀρχέτυπον ἐν τῷ μιμήματι φαίνοιτο, ἔσται πάντως κατὰ τοῦτο κἀκεῖνο.

1 *Joan.* XIV.

χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως non est figura personæ, qua persona est, sed qua tali est substantia, naturaque prædita. Vide eumdem Cyrillum libro XXXII *Thesauri*, nec non in homilia Paschali XII et XIII. Idem libro IX *in Joannem* χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως interpretatur τῆς οὐσίας, ut et in Paschali IV. Tum in XII *Thesauri* ait « Filium solius essentiæ similitudinem ferre in se, et naturæ characteres. Ita enim verius esse Patris imaginem, ut possit dicere: *Ego in Patre, et Pater in me est*; et, *Qui vidit me, vidit et Patrem meum*[a]. Sic in libro XII, *Commentariorum in Joannem*, et libro XI, capite VII, Filium vocat ἀῤῥήτου φύσεως χαρακτῆρα, *ineffabilis naturæ figuram*, et cap. VIII χαρακτῆρα τῆς οὐσίας.

Characterem hypostaseos.

Figura substantiæ.

XIV. Valet etiam ad idem probandum, quod similitudinis illa ratione, propter quam imago, et figura Patris appellatur Filius, idem prorsus esse cum naturæ identitate aut hanc ex illa necessario consequentem esse antiqui Patres affirmant; de quo vide, quæ in secundo[1], et quarto libro disputavimus[2]. Tum Cyrillus Alexandrinus in dialogo V *de Trinitate*, Filium ait « in identitate esse omnimoda cum Patre, propter naturalem similitudinem, et essentiæ velut identitatem[b]. » Quod ipsum Epiphanius[3] quoque scripsit in eo loco, quem paulo ante citavimus. Unde colligas similitudinem illam imaginis, quæ identitatem habet utriusque, in natura esse spectandam, in qua sola ambo sunt idem. Sic etiam, quod in illis locis disputavimus, similitudo ista, in qua consistit imaginis proprietas, æqualitatem personarum indicat. Atqui æqualitas non secundum personalem proprietatem dicitur, sed secundum naturam, ut Augustinus in lib. V *de Trinitate*, capite VI, asserit. Quare nec similitudo aliter, quam secundum naturam convenit. Denique Maximus martyr in dialogo secundo *de Trinit.* diserte Apostoli locum illum, de quo disputamus, enarrans, « Figura, inquit, substantiæ nihil aliud est, quam imago essentiæ[c]. »

Longum sit percensere omnes, qui imaginem dici Filium existimant, ratione naturæ solius, ac naturalium omnium proprietatum, non autem personalium; quorum haud pauca sparsim collecta sunt his in libris testimonia[4], quorum nonnulla imaginem essentiæ, vel naturæ, aut bonitatis, aut veritatis paternæ, aut alterius denique, quod οὐσιῶδες sit, Filium nominant. Est autem illustris præsertim Hilarii locus in lib. *de Synodis* ad anathem. XXIV. « Omnibus, inquit, creaturis substantiam voluntas Dei contulit, sed naturam Filio dedit ex impassibili, ac non nata substantia. Talia enim cuncta sunt creata, qualia esse Deus voluit. Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis et Deus est, nec dissimilem sui edidit natura naturam. Sed ex substantia Dei genitus, naturæ secundum originem attulit essentiam, non secundum creaturam voluntatis essentiam. » Et in libro XI quem locum alibi citavimus; ubi « Deum vocat viventis Dei vivam imaginem, et beatæ naturæ plenissimam formam, et innascibilis substantiæ unigenitam nativitatem; quæ nisi perfectam paternæ beatitudinis habeat formam, et absolutam naturæ totius referat speciem, non est in imaginis veritate. » Ambrosius[5] quoque *characterem substantiæ* interpretatus est *naturæ*. « Dicunt, inquit de Arianis loquens, non esse scriptum Dei esse substantiam, atque naturam, cum utique Filium Dei Patris esse splendorem gloriæ, et characterem substantiæ ejus Scriptura testetur. » Et in lib. VI *Hexaem.* c. VII. « Imago Dei virtus est, non infirmitas; imago Dei sapientia est; et imago Dei justitia est. Sed sapientia divina est sempiterna justitia. Imago Dei est solus ille, qui dixit: *Ego et Pater unum sumus.* » Nimirum quatenus virtus, sapientia, justitia est: quæ sunt οὐσιώδη. Et in libro I *de Fide*, cap. IV. « Imago voluntatis, quod non corpus in corpore, sed virtus in Filio tota cernatur. » Ac mox: « Vides, quam imaginem dicat. Imago ista veritas est; imago ista justitia est; imago ista Dei virtus est, » etc. Et in libro tertio, capite septimo, tam aperte, ut nemo quidquam disertius, « De substantia, inquit, autem, imperator Auguste, quid loquar, unius Filium cum Patre esse substantiæ, cum imaginem paternæ substantiæ Filium legerimus, ut in nullo secundum divinitatem a Patre intelligas discrepare? » Sic Epiphanius[6] idem esse ait ὑπόστασιν, et οὐσίαν,

a CYRIL. XII *Thes.* Ἀνάγκη φέρειν τὴν ὁμοιότητα κατὰ μόνης τῆς οὐσίας, καὶ τοὺς τῆς φύσεως χαρακτῆρας. οὕτω γὰρ ὄντως ἀληθέστερον εἰκὼν τοῦ πατρὸς, ὁ υἱὸς ἀναδειχθήσεται, ὡς καὶ δύνασθαι λέγειν· ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. καὶ πάλιν. ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα.

b CYRIL. dial. V. Ὅτι δέ ἐστιν ἐν ταυτότητι τῇ κατὰ πάντα τῷ θεῷ, καὶ πατρὶ, διὰ τὴν φυσικὴν ἐμφέρειαν, καὶ τὸ τῆς οὐσίας οἱονεὶ ταυτοειδές, etc.

c MAXIM. dial. II, tom. II Athan. Τὸ γὰρ, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, οὐδὲν ἄλλό ἐστιν ἀλλ' ἢ εἰκὼν τῆς οὐσίας.

1 Cap. XI.— 2 Cap. VI.— 3 Hær. LXXVI, n. 2.— 4 Vide lib. II, cap. XI et l. c. VI— 5 Lib. *de Inc.* c. VIII — 6 Hær. LXIX, n. 70.

eoque locum Apostoli refert, ut sit idem χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, et οὐσίας quomodo et Gregorius Thaumaturgus accepit[1], a quo Filius appellatur χαρακτὴρ, καὶ εἰκὼν θεότητος *character, et imago deitatis;* quem in eadem professione *Patris imaginem* nuncupat.

Quod autem ad idem demonstrandum Eusebii Cæsariensis, vel Sirmiensis synodi, ac similium auctoritates adferunt quidam, id eo non facimus, quoniam istos scimus plures in Deo non subsistentias solum, ac personas, sed etiam οὐσίας, ac naturas agnovisse, ut in primo hujus Operis libro planum fecimus. Proinde essentiæ ad essentiam, hoc est, diversæ rei ad diversam, similitudinem, et imaginem esse voluerunt.

XV. Quin et illud magnopere persuadet imaginem dici Filium propter solam essentiam, quod idem sit in Scripturis *imago*, et *forma*, ut εἰκὼν, ac μορφὴ, aut etiam σχῆμα, quem *habitum* Latinus reddidit. At Filius Dei forma, et μορφὴ ratione solius essentiæ dicitur, non personalis proprietatis, ut ex eo concluditur, quod ad Philippenses scribit Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*[a]. Ubi nomen *Deus* pro Patris persona sumitur. Hinc vero perspicuum est formam Dei, sive imaginem, ac similitudinem, ad solam essentiam pertinere. Nam *forma Dei* proportione respondet *servi*, sive *hominis formæ;* ut tam vere, proprieque de illo Dei, ac Patris forma dicatur, quatenus ab illo genitus est, quam forma servi, id est, hominis, quatenus ab homine est ortus. Atqui secundum solam naturam forma, et imago servi, et hominis illi tribuitur, per quam solam matris est similis; non ratione personalis proprietatis, sive subsistentiæ creatæ, quam nullam habuit; neque vero femina fuit, quæ erat personalis conditio matris. Igitur et forma Dei solam Patris essentiam respicit, sed subsistentem, non tamen ut est subsistens ; idque apud Paulum vox ὑπόστασις significare debet.

Expenditur locus Apost. Qui cum in forma Dei esset, etc.

Certe vocabulum τῆς μορφῆς apud eumdem Apostolum in epistola *ad Philippenses* pro οὐσίᾳ sumitur, ut ex Basilio Ephræmius Antiochenus apud Photium observat, nec non ex Amphilochio Iconii episcopo, Chrysostomo, Proclo Constantinopolitano, Cyrillo Alexandrino, Cyriaco Paphi episcopo. Cyrillus item in dialogo primo *de Trinitate* ὁμοούσιον, id est *consubstantialem*, declarat per σύμμορφον, et ὁμορφυῆ.

Ejusdem formæ et naturæ.

XVI. Huic argumento, cujus vis est sine dubio maxima, pondus addit auctoritate sua sanctus Hilarius in decimo *de Trinitate* verbis istis : « Accepisse autem formam servi eum, qui esset in Dei forma, de contrariis comparatur ; ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui et in forma Dei est, et cum hoc naturæ, illud dispensationis sit, in ejusdem tamen est veritatis proprietate; quod utrumque est; ut tam verus sit in Dei forma, quam verus in servi. Ut vero assumpsisse formam servi non aliud est, quam hominem natum esse; ita in forma Dei esse, non aliud est, quam Deum esse; unum tamen, eumdemque non Dei defectione, sed hominis assumptione profitentes, et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti, secundum habitum hominis repertum fuisse. » Cui quidam Hilarii loco germanum alterum Gregorii Nysseni[2] alibi protulimus, in quo præter alia scribit μορφὴν θεοῦ, *formam Dei*, ipsam Dei οὐσίαν exprimere. Sed et Augustinus libro I *de Trinitate*, capite I : « Si ergo ita accepta est forma servi, ut non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi, et in forma Dei idem ipse sit Filius unigenitus Dei Patris, in forma Dei æqualis Patri, in forma servi mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus; quis non intelligat, quod in forma Dei etiam seipso major est, in forma autem servi etiam seipso minor est ? » Et in secundo ejusdem operis, capite primo, regulam figit, « quomodo intelligatur Dei Filius, et æqualis Patri secundum Dei formam, in qua est, et minor Patre secundum servi formam, quam accepit, etc. quia forma servi accepta, formam Dei non amisit. » Qua in re considerandum etiam est, quod ad propositam quæstionem imprimis attinet, cum Christus una sit persona, et unicam personalem proprietatem increatam divinam habeat, qua natura utraque subsistit, adeo ut eadem persona tam Deo, ac Patri, quam homini, ac matri similis, et utriusvis imago, sive forma dicatur; non tamen Christum, qua divina

a Paulus *ad Philip.* II, 6. Ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ.

1 In *Conf. fid.* — 2 Lib. II, cap. XI.

subsistentia, vel, ut ita dicam, *personalitate* præditus est, dici matris similem, aut hominis imaginem, sed quatenus veram in se continet hominis naturam. Non igitur similitudinis, et imaginis ratio personalem proprietatem includit in *servi forma*. At eodem modo *in forma Dei* est comparatus cum Deo, qui *in forma hominis* cum homine collatus. Ergo neque imago Dei est, ut est hypostasis, sive persona, sed ut natura Deus est.

XVII. Potest et ex imaginis ratione illa, quæ homini convenit, argumentum peti, quo in Filio dici secundum essentiam probetur. Etenim homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus dicitur proportione quadam, uti Filius imago est Dei : quod sic Patres explicant, ut vel Filium imaginem Dei genitum esse, hominem vero factum asserant, vel Filium imaginem esse Dei ac Patris, hominem vero ad hanc imaginem factum. Horum prius ab Augustino ponitur in septimo *de Trinitate*, capite VII. « Cujus imaginis, ait, exemplo et nos non discedamus a Deo, quia et nos imago Dei sumus, non quidem æqualis; facta quippe a Patre per Filium, non nata de Patre sicut illa ; » posterius multis veterum testimoniis illustratum est antecedenti capite. Ex utroque autem argumentatio ista ducitur. Cum enim imago omnis id, quod in exemplari est, exprimere, ac suo modo continere debeat ; homo, qui imago Dei similiter est, ac Filius, non aliud habet, ac repræsentat in sese, quod quidem in archetypo sit, quam quod Filius exhibet, in quantum imago est uterque.

At homo imago Dei vocatur, quia id, quod est Deo naturale, et οὐσιῶδες, imitando refert. Hoc autem non uno modo declaratur a Patribus. Quidam in anima collocant imaginem, ac similitudinem, quatenus rationalis, et immortalis est, ac spiritualis, materiæque expers, et virtutis, sapientiæque capax [1], ut Eusebio placet et Basilio [2]. Alii in mentis vigore, « quod anima nostra libera est, et diffusis cogitationibus, atque consiliis huc, atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia [a], » ut ait Ambrosius [3]. Nonnulli τῷ ἀρχικῷ, hoc est *summo dominandi jure, ac principatu* definiunt; quod in bruta omnia, terræque, ac maris incolas animantes imperium acceperit. Ita Chrysostomus [4], Isidorus Pelusiota [5], Cyrillus [6], Cæsarius [7]. Alii hæc omnia vel eorum pleraque conjungunt. Quæ profecto non ad personales proprietates Dei pertinent, sed ad ejus essentiam, et naturam. Igitur Verbum Dei Patris imago non alia de causa vocatur, nisi quod essentiam eamdem, quæ est in Patre, ejusque proprietates omnes obtinet.

Rursus cum antiquorum aliqui sic imaginem esse Filii, aut ad ejus imaginem factum esse hominem velint, quemadmodum imago Patris est Filius, ut antecedenti capite docuimus; homo vero non personalis Filii proprietatis similitudinem adumbret, sed naturæ, et eorum, quæ sunt οὐσιώδη; consentaneum est eadem de causa Patris imaginem existimari Filium.

XVIII. Facit ad hoc illustrandum, quod multi veterum unam esse Patris, et Filii, imo sanctissimæ Trinitatis imaginem asserunt, ad quam homo est factus. Basilius, « Filii etenim, inquit, et Patris necesse prorsus est unam esse formam; ita tamen, ut quomodo Deo dignum est, formæ nomen accipiatur, non ut in corporea aliqua figura sed in divinitatis proprietate collocetur [b]. »

Et Hilarius [8], ac Fulgentius [9] ; ex quibus Lombardus colligit [10] nomen imaginem dici aliquando secundum essentiam. Qus insignem Faustini locum libet adjungere [11]. «Nemo, inquit, non unam imaginem Patris, et Filii annuntiavit; et ideo unum Deum novit dicere in confessione fides catholica, non tamen ut per confessionem unius Dei Filius negetur esse, quod Deus est; quia sicut Pater Deus est, ita et Filius Deus est. Nam si non sicut Pater Deus est, ita et Filius Deus, quomodo illis una imago est secundum Mosem, vel quomodo secundum Paulum in forma Dei Christus est æqualis existens Deo ? Sed et Joannes cum Verbum Dei asserit in principio apud Deum esse, non extra Deum esse, per hanc verbi Dei a Deo inseparabilitatem idem mihi videtur significare, quod in significantia

a Euseb. quod sit ψυχὴ λογικὴ, καὶ ἀθάνατος, καὶ νοῦς ἀπαθής. καθ' ὅσον ἄϋλος, καὶ ἀσώματος, νοερά τε, καὶ λογικὴ τὴν οὐσίαν καθέστηκεν, ἀρετῆς οὖσα, καὶ σοφίας δεκτική.

b Basil. hom. IX *in Hexaem.* Υἱοῦ μὲν γὰρ, καὶ πατρὸς πᾶσα ἀνάγκη τὴν αὐτὴν εἶναι μορφὴν, θεοπρεπῶς δηλονότι τῆς μορφῆς νοουμένης, οὐκ ἐν σχήματι σωματικῷ, ἀλλ' ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς θεότητος.

1 In Catena Gr. *in Gen.* — 2 Hom. X in *Hexaem.* — 3 Lib. VI in *Hexaem.* cap. VIII. — 4 Hom. *in Gen.* et lib. *de Virg.* cap. XLVI et alibi passim. — 5 Lib. VIII, ep. XCV. — 6 Lib. *contra Antropo.* cap. II et III. — 7 Quæst. CLXIV. — 8 Lib. V *de Trinit.* — 9 Lib. *de Fide*, cap. I. — 10 In I dis. XXVIII. — 11 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 666.

imaginis, et formæ est. Nam si per unam imaginem, eamdemque formam, Patris et Filii inseparabilitas ostenditur, cur non cum Joannes Dei, et Dei inseparabilitatem annuntiat, per hoc, quod ait, et Verbum erat apud Deum, et hoc erat in principio apud Deum, unam imaginem, eamdemque formam Patris, et Filii significasse credatur ? » Hæc Faustinus; qui eodem sensu dici putat a Mose, unam esse Patris, ac Filii imaginem, ad quam creatus homo est, quo Paulus in forma Dei fuisse Christum ait, hoc est, in imagine, vel imaginem Dei [1]. Epiphanius item in *Ancorato*, unam esse trium personarum imaginem docet. Nec non auctor sermonis *de Trinitate*, qui est inter Augustini opera XXXVIII *de Tempore*, qui verbis illis « ad imaginem nostram, ait ostendi unam naturam esse, ad cujus imaginem homo fiebat, non unam esse personam. » Vide Ambrosium libro I *de Fide*, cap. IV et lib. III cap. VII.

Refellitur Erasmi, Calvini, etc., interpretatio.

XIX. Neque vero personarum ob id proprietates miscentur invicem, quod figuram, vel imaginem essentiæ dici interpretamur a Paulo, ut eodem consensu Erasmus, Calvinus, ac Beza in commentariis epistolæ illius existimant; qui propterea figuram personæ significari volunt : Beza vero etiam in Latina sua versione *character personæ* posuit. Quin et posteriores duo negant hæc verba de ipsa interiori secundum essentiam, ac divinitatem similitudine Filii accipi debere, sed ut in assumpta carne cernitur; ac nostra præcipue causa imaginem Dei nominari Christum, quoniam in ipso majestatem Dei, et splendorem intuemur, tanquam in imagine, quam alioqui videre in sese nequeamus. In quo consentaneum habent Originem libro primo *Periarchon*, cap. II, ubi duplicis statuæ similitudine utitur. Quæ præpostera interpretatio eo repudianda magis est, quod et communis eam Patrum refellit usus, qui ex eo loco passim τὸ ὁμοούσιον, et identitatem naturæ comprobant, tum Verbi divinitatem, et æqualitatem cum Patre; quod argumentum, si vera est hæreticorum istorum explanatio, funditus evertitur. Nam ex eo, quod in Christi humana natura divinæ fulgorem substantiæ, claritatemque conspicimus sic, tanquam in imagine; non est consequens Deum esse ipsum, vel eamdem in eo substantiam esse, quæ est in Patre; imo vero contrarium inde concluditur, si imaginis ratio sola hominis in Christo natura, hoc est creata re, definiatur. Creatura quippe a plerisque Patribus natura ipsa, quæ in Christo est, humana censetur, ut suo loco videbimus. At vero Dei germana, et consubstantialis, et æqualis imago, creata res esse nulla potest, ut Athanasius, et reliqui fere omnes Arianis objiciunt, dum et hunc, et similes alios Scripturæ locos proferunt, in quibus imago, vel similitudo Patris ac Dei, esse Filius ostenditur; quod sæpe, ac copiose supra demonstravimus. Neque enim fingi causa potest ulla, cur imaginis, ac figuræ notio ad humanam Christi naturam referatur in illo potius epistolæ *ad Hebræos* loco, quam in reliquis, ut in secunda *ad Corinthios* [2], ubi *imago Dei;* aut in ea, quæ est *ad Colossenses* [3], ubi *imago Dei invisibilis* appellatur. Itaque nusquam Filius secundum id, quod Deus est, vera, et naturalis imago Patris dicetur, ac Dei; neque ex imaginis proprietate recte Patres argumentari potuerunt, ut et Filii divinitatem, et identitatem essentiæ contra Arianos adstruerent. Vides quo principes istos hodiernæ perfidiæ stultus, et importunus novitatis amor induxerit.

XX. Nobis constat Filium secundum naturam, et essentiam divinam, sed subsistentem, imaginem esse perinde subsistentis Patris, ac Dei, quatenus Deus est, et ratione solius essentiæ, quod Græce sic explicari potest, imaginem esse ἐνυποστάτου essentiæ, non ὑποστάσεως, quatenus præcise *hypostasis* personalem proprietatem significat. Horum vero discrimen præclare, ac subtiliter exponit Leontinus Byzantinus, lib. I *contra Nestorium, et Eutychem* [4] ; ubi adversus Nestorium ostendit, humanam Christi naturam ἐνυπόστατον esse, non tamen ὑπόστασιν. « Qui igitur dicit, inquit : Non est natura sine hypostasi, verum dicit ; non tamen recte concludit, cum concludit, quod non est sine hypostasi, hypostasim esse ; ut si quis dicat non carere corpus figura, quod verum est ; deinde non recte concludat figuram ergo esse corpus , et non potius cerni in corpore. Natura igitur, id est substantia, nunquam sine hypostasi esse poterit; non tamen natura est hypostasis, quia neque remeat. Natura enim rationem essentiæ recipit; hypostasis vero rationem per se essentiæ. » Eamdem differentiam in capite VIII libri IV *de Trinitate* commemoravimus. Uti ergo si vera esset illorum opinio, qui hominem ad imaginem Dei factum eo dici

1 Epiph. *Ancor.* n, 28. — 2 Cap. IV, vers. 4. — 3 Cap. I, 15. — 4 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 960.

putant, quod ad Christi jam tum designati hominis effigiem fabricatus sit; vere ad humanæ illius naturæ imaginem creatus diceretur, vel ad hominis subsistentis, tametsi non propria, nec humana, createque subsistentia; unde nec imaginem haberet homo hypostasis illius, quatenus præcise proprietatem personalem significat, sed naturæ quocumque tandem modo subsistentis, sed subsistentis tamen. Eodem modo Filius Patris est imago propter solam ejus naturam, et essentiam, eamque subsistentem; adeoque imago est essentiæ subsistentis. Hoc vero non magis absurdum videri potest, quam quod a multis usurpari libro quarto didicimus[1], essentiam, vel naturam gignere, aut gigni, nascive, vel divinitatem; aut *essentiam de essentia:* aut illud denique tritum usu communi, et imprimis catholicum, *ex substantia*, hoc est *ex essentia vel natura Filium a Patre gigni*, quod est ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, ut est in Nicæno Symbolo. Quod Cyrillus ita declarat : « Qui ex natura sua, quasi quodam ex fonte, filium edidit, licet ex æterno esse cum ipso in Scriptura omni asseratur [a], » de qua natura sic proxime ante locutus erat, « Filium enim honorantes, ipsam naturam Patris in Filio fulgentem honorabimus [b]. » Igitur quamvis una, et singularis in utroque natura sit, nihilominus ex hac eadem natura gigni, nascique dicitur Filius, et Pater Filium gignere. Et eodem loco, paucis interjectis, « Deus ex Deo nascitur, sicut etiam homo ex homine; nec frustrabitur suprema Dei, ac Patris natura, ut dissimilem sui fructum producat [c]. » Illud vero præclare, quod idem habet eodem in libro, Patrem eo sensu dici ab Joanne demonstrare se Filio, « quia totum seipsum in natura Filii sic pingit, ut quæcumque in se habeat, in Filio demonstret [d]. » Sic etiam Augustinus[2] « Filium ait æqualem essentiam cum Patre possidere. »

XXX. Ex iis omnibus facillimum est ei respondere, quod ab illis, qui secus sentiunt, opponitur, velut Bellarmino; qui in libro secundo *de Christo*, capite quarto, ratiocinatur ita. Ejus imaginem esse Filium, cujus est Filius; esse autem non essentiæ Filium, sed Patris ; quod sane concedimus. Est enim revera Patris imago, tanquam ejus, qui repræsentatur ; etsi non qua Pater est, refertur, sed qua Deus. Quod alias ita declarant : Imaginem esse Patris, ut id est, quod exprimitur ; id vero, quo exprimitur, ipsam ejus esse divinitatem.

Indidem vero falli quoque non dubium est Bisterfeldium Albensem in Dacia professorem, qui in libro primo *contra Joannem Crellium Anabaptistam*, sectione secunda, capite xxx, Filium existimat non esse imaginem Patris *ratione essentiæ*, quoniam eo modo est idem, sed *ratione subsistentiæ*, qua est ei simillimus. Quod utrumque ex antecedenti tota disputatione convincitur. Nam et *subsistentia*, hoc est, personali proprietate, non est Patris similis, sed diversus omnino, et essentiæ solius ratione similis est non minus, quam idem cum Patre.

CAPUT VII.

Richardi Victorini falsa de imagine opinio refellitur ; ac multo magis ostenditur, ejus notionem in essentiæ, ac naturæ similitudine esse sitam ; atque antecedentium capitum doctrina corroboratur.

I. Sed ut liquidius nobis de imaginis ratione constet, consideranda sunt hoc loco, quæ de eodem argumento Richardus Victorinus eruditus, ac subtilis theologus in sexto *de Trinitate* libro disseruit. Hic enim capite xx quærit, in quo sita sit imaginis notio ; ac primum negat in eo versari, quod Filius Patris sit « in potentia, sapientia, et bonitate per omnia similis, et omnino æqualis ; » quod sic refellit. Si, inquit, ex hac consideratione diceretur Filius imago Patris sui, cur non eadem ratione Spiritus sanctus dicitur imago Patris simul, ac Filii ? Nam ubi dictum est : Qualis Pater, talis Filius, statim adjunctum est : Talis Spiritus sanctus, » etc. Quocirca minus proprie dici putat similitudinem, aut imaginem, aut etiam æqualitatem in divinis ob substantiam, vel omnipotentiam, vel æternitatem,

Quænam sit ratio imaginis juxta Richardum Victorinum.

a Cyril. II *in Joan.* Καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τῆς οἰκείας φύσεως, ἀνέντα τὸν υἱὸν, εἰ καὶ συνυπάρχων ἀϊδίως αὐτῷ διὰ πάσης ὁρᾶται τῆς ἁγίας γραφῆς.

b Ibid. Αὐτὴν γὰρ ἤδη τιμῶντες τὴν τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ἁλωσόμεθα φύσιν, καλῶς ἐν υἱῷ διαλάμπουσαν.

c Ibid. Θεὸς γὰρ ἐκ θεοῦ τεχθήσεται, καθάπερ οὖν ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου τυχὸν, καὶ οὐ διαψεύσεται τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ἡ τὰ πάντα ὑπερκειμένη φύσις, τὸν αὐτῇ μὴ πρέποντα τεκοῦσα καρπόν.

d Ibid. Ὅλον ἑαυτὸν ἐν τῇ τοῦ γεννήματος φύσει ζωγραφῶν, καὶ τὰ ἰδίως αὐτῷ προσπεφυκότα δεικνύων ἐν ἑαυτῷ.

1 Cap. II in fine. — 2 Ser. CXCII *de Temp.*

…ssentialia. vel cætera, quæ sunt οὐσιώδη. Ideo subinde, « quæ minus proprie dicta erant, evidentiori expressione corrigi. Hinc est, quod, ubi præmittitur : Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, quasi ad veritatis expressionem ; statim annectitur : Et tamen non tres æterni, sed unus æternus ; » quod idem et in *omnipotentis* appellatione fit, et in *Dei*. Siquidem « ubi est, inquit, simplex unitas, et summa simplicitas, quid ibi facit qualis, et talis ? Nihil recte dicitur sibi ipsi æquale. Ubi vera unitas est, non tam æqualitas, quam identitas convenienter dici potest. » Ac mox : « In humana natura substantia Filii convenienter dici potest imago Patris sui ; quoniam alia est substantia Patris, alia Filii. In divina autem natura, una eademque est substantia Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quæ igitur comparatio esse potest, ubi vera unitas est ? In summa namque simplici unitate non potest similitudo, vel dissimilitudo inesse. » Demum imaginis paternæ rationem inquirendam in eo esse docet, « ubi est mutua congruentia, non sine differentia aliqua, « hoc est in proprietate aliqua personali; quam in eo constituit, quod cum Patri, ac Filio commune sit « plenitudinem divinitatis habere; proprium sit Patri non accepisse, sed dare; proprium Filio tam accepisse, quam dare. Convenientia itaque est in dando, differentia vero in accipiendo. »

Refellitur sententia et argumentatio Rich. Vict.

II. Hinc apparet ideo Richardum putare imaginem Patris esse Filium, quod cum hic ab illo differat in eo, quod Pater a nullo divinitatem acceperit, Filius acceperit ; in eo tamen conveniant, quod, ut Pater naturam suam cum altero communicat, qui est Filius, ita Filius eamdem dat Spiritui sancto. Hæc Richardus. Quæ et contraria sunt his, quæ tanto rationum , et auctoritatum pondere hucusque statuimus ; et sine dubio falsa sunt, ac cum veterum omnium Patrum, conciliorumque, atque ipsius decretis Ecclesiæ pugnantia. Principio quod in potentia, sapientia, et substantia similem, aut æqualem Patri proprie dici Filium non judicat, haud satis considerate facit. Quid enim magis antiquorum omnium usu, scriptis, ac sermone contritum est, quam et essentia, et sapientia, et bonitate, et æternitate, et per omnia denique similem esse Filium Patris ? Repetantur omnia illa Patrum testimonia, quæ tot capitibus exposita sunt. Ut cum Gregorius Nazianzenus εἰκόνα id est *imaginem* vocari Filium ait, ὡς ὁμοούσιον, *quatenus est consubstantialis*. Hic si Richardi valet argumentatio, ubi summa est identitas, neque imaginem, neque æqualitatem proprie dici; male ista scripsit Gregorius. Nam ὁμοούσιος idem est, atque *ejusdem substantiæ*. Si ergo præcise eo ipso, quod ejusdem est cum Patre substantiæ, ejus imago nominatur; falsum est, quod Richardus docet, ea ratione imaginem non esse, qua idem est cum Patre. Sic Athanasius, sic Gregorius alter Nyssenus, sic Hilarius, et ad unum omnes, quos illic citavimus, una voce pronuntiant, rationem ipsam imaginis, ac similitudinis, et æqualitatis in eo consistere, quod non modo commune habet uterque, sed idem prorsus, ac singulare. Imo vero τὸ ὁμοούσιον, et unitatem amborum in essentia colligunt ex eo, quod propria, perfectaque sit imago Patris Filius, adeoque solus hoc sibi nomen defendat; creaturæ vero proprie imagines non sint, ne creaturarum quidem aliarum, a quibus oriuntur, uti libro secundo demonstravimus; quo quid esse potest Richardi opinioni magis adversum, qui in humana, id est, creata natura convenienter dici Filium asserit imaginem Patris sui, quoniam alia est substantia Patris, alia Filii ; in divina vero proprie dici negat, quia summa ibi est unitas, et identitas ? Atqui Patres illi diserte tam imaginis, et similitudinis, et æqualitatis ejus, quæ de Filio dicitur, notionem eamdem esse cum identitate volunt, quam ob hoc ipsum proprie, ut jam dixi, vocari imaginem Dei Filium ; ac Patris et Filii nomina in solam competere divinitatem ; cæteris cum imaginis nomen, tum Filii, ut et Patris, abusione quadam, et illius imitatione tribui. « Similitudo, ait Hilarius in octavo, proprietas est; proprietas æqualitas est; et æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, unum sunt, non unione personæ, sed æqualitate naturæ. »

Homousio et homœousio.

III. Accedant his, quæ de ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου controversia a plerisque Patrum agitata sunt; cum quidem dici essentia similem, maxime adjuncto eo, ut *per omnia sit similis* , hoc est ὅμοιος ἀπαραλλάκτως κατὰ πάντα, καὶ κατ' οὐσίαν, nihil differre vellent ab eo, quod est ὁμοούσιος, *idemque substantia*. In quo adstruendo totus versatur Hilarius, præsertim in libro *de Synodis;* ut de Athanasio, Basilio, Epiphanio, aliisque taceam , quos in libro quarto capite sexto adduximus , cum de ὁμοιουσίῳ sermo nobis esset. Nam quod Richardus opponit, si id verum sit, in substantia, *Homœousio.*

1 Orat. xxxvi.

eoque, quod secundum eam dicitur, imaginem esse positam, etiam Spiritum sanctum imaginem fore Patris, ac Filii; ex argumentatione hac ipsa opinio nostra probatur, et illius evertur. Etenim nonnulli Patres, ut Basilius, aliique, quos suo loco commemorabimus, Spiritum sanctum imaginem vocant Filii. Quod non alia de causa sentiunt, nisi quod eadem, quæ a Patre est accepta, substantia, per Filium, et a Filio derivatur in Spiritum sanctum, non utique ob personalem aliquam proprietatem, quam nullam habet cum Filio communem Spiritus sanctus. Proinde qui sic loquuntur, imaginem in οὐσίᾳ, et iis, quæ οὐσιώδη sunt, non in subsistendi proprietate constituunt.

Jam illud quale est, quod Richardus scribit, « Ubi est simplex unitas, et summa simplicitas, quid ibi facit qualis, et talis? » Quasi nulla similitudinis comparatio inter Patrem, et Filium sit in iis, quæ eadem sunt in utroque, ut puta substantia, æternitate, omnipotentia. Atqui vel Athanasii Symbolum ipsum, quod Richardus eo loco citavit, demonstrat in essentia præsertim, et essentiæ proprietatibus comparationem institui, quæ vocibus illis exprimitur *talis*, *et qualis*. Cum enim dixisset, « Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, » mox in quo talis unus sit, qualis est alter, declarat in sequentibus: « Increatus Pater, æternus Pater, omnipotens, Deus, Dominus. » In eo sunt itaque similes, invicemque conferuntur, quod est idem in tribus, non in eo, quod diversum habent singuli; cujusmodi nihil isto loco memoratur.

IV. Quod autem opponitur; « nihil recte dici sibi ipsi æquale; » tum, « ubi vera unitas est, non tam æqualitatem, quam identitatem convenienter dici, » item, « In summa simplici unitate, non posse similitudinem, vel dissimilitudinem inesse; » hæc omnia quam maxime veterum Patrum decretis, ac sententiis refragantur, quas magno numero supra percensuimus; tum paulo ante refutata sunt. Constitutum enim est imaginem rei alicujus esse cum re altera similitudinem, a qua diversa sit. Ideo nihil proprie imago sui dicitur, ut ex Hilario docuimus. Sed nihilominus perfecta similitudo eorum, quæ reipsa distinguuntur invicem, potest in eo consistere, quod in utroque unum est et idem; ut in Deo fit, in quo similitudo, et imago nihil ab æqualitate, et identitate differt, ut Hilarius, aliique, quos laudavimus, ostendunt. Discernamus ea solum in imagine duo, quæ sub initium capitis antecedentis exposuimus; nempe id, quod imago directe, et in recto dicitur, (hoc enim reipsa diversum sit oportet, ut Filius Patris est imago) et id, in quo sita est utriusque comparatio; quod unum simpliciter, idemque in ambobus existit.

Postremo ratio illa, quam Richardus affert, imaginis in Filio, falsa est, ne quid dicam acerbius; dum in eo sitam putat, quod personæ Filii proprium est; nempe quod ut Pater essentiam, quam accepit a nullo, communicat alteri, ita Filius acceptam a Patre similiter dat Spiritui sancto; ubi « convenientiam esse ait in dando; differentiam vero in accipiendo, » hoc enim postulare imaginis naturam, ut in uno conveniant, in altero separentur. Verum tantum abest, ut in illo conveniant, ac similes sint, quod ut Pater Filium gignit, ita Filius producit Spiritum sanctum; ut vel maxime dissimiles sint. Non enim Filius Spiritum sanctum itidem generat, ut a Patre gignitur, sed dissimili ratione producit. Non est ergo in ea productione similis Patri Filius. Deinde non animadvertit, qui sic argumentatur, Richardus, se in id recidere, cujus vitandi gratia novum illud commentum explicarat. Nam productio illa, qua Pater, et Filius Spiritui sancto communem substantiam tribuunt, una est et eadem in utroque; neque enim duplex est spiratio perinde, ac paternitas, et filiatio. Quare si propterea « ex substantiæ, et bonitatis, et omnipotentiæ consideratione non potest Filius imago Patris dici, » quia summa est substantiæ unitas, et identitas, atque ex personali proprietate ducenda est imaginis notio; non erit imago Patris Filius eo ipso, quod substantiam dat Spiritui sancto, cum *activa*, ut vocant, *spiratio* non sit personalis proprietas Filii, quatenus cum Patre confertur, uti conferri debet, dum illius imago dicitur. Sin est ut imago nihilominus ob eam *spirationem* vocari possit, quoniam ex alia proprietate differt, qua non gignit Filius, ut eum Pater gignit; nihil ergo prohibet, quin similiter ejus ratione, quod in ambobus idem est, hoc est essentiæ, imago dici queat Filius, cum adjuncta sit communi huic substantiæ proprietas personalis, qua a Patre distinguitur.

V. Cæterum hæc illa contra Richardum disputatio quoddam Arianorum adversus Catholicos argumentum in memoriam revocat, ac Patrum in eo dissolvendo aptam huic loco sententiam; unde majorem in modum confirmari, quæ sunt a nobis explicata, possunt. Sic enim opponebant hæretici, ut est apud

Athanasium : « Si genitus est a Patre Filius, et imago ejus, similisque ei per omnia : debet omnino, quemadmodum ipse est genitus, ita quoque de se gignere, ipseque fieri alicujus Filii Pater [a]. » Huic ita præscribit Athanasius, non esse divinæ generationis eamdem conditionem, atque humanæ, creatorumque propriæ. In hac enim qui propagantur ex aliis, primum Filios esse; deinde cum se corroborarunt, et ipsos aliorum parentes fieri, quoniam natura sunt mutabiles, neque in eodem statu consistunt; propterea neque vere, proprieque esse Patres, aut Filios, quia in alterutro constanter non hærent, sed in aliud transeunt; ut eorum natura, quæ per se caduca est, successione perpetuitatem quamdam obtineat. At in Deo aliter id habere; atque ut Pater ab alio non est; ita Filium gignere, qui alium de se Filium minime producat. Illic ergo tantum veram Patris, et Filii appellationem inesse. Proinde qui sic quærat, cur Filius alterum non gignat Filium , tam absurde facere, quam si percontetur, cur Pater ex altero Patre non sit ortus. Denique in eo maxime demonstrari Filium esse imaginem, et characterem Patris, quod similiter atque ille non mutetur, neque ab Filii proprietate desciscat. Hæc Athanasius. Ex quibus primum ea causa colligitur, cur Filius itidem, ut in hominibus, alterum non gignat Filium ; quod non ἐξ ἀποῤῥοίας, profluvio quodam, ac desectione substantiæ ex Patre nascitur, sed totam ipsam, et eamdem accipit; adeoque sola hac generatione tota genitalis naturæ fecunditas exhauritur. Quæ ratio tum melius intelligitur, si qualis ista generatio sit, expendimus. Est enim intellectio, ac verbi productio, quod non solum unicum a Patre producitur, quia non pluribus opus habet, cum uno se, aliaque comprehendat omnia; sed nec alterum fundit ex sese, quoniam verbi verbum esse non potest, cum hoc sit primigenium illud, quod alterum esse fingetur, nec sit in infinitum facienda progressio. Deinde imaginis, et characteris vim in eo constituit Athanasius, quod in ambobus est idem, nempe in ἀτρεψίᾳ et immutabilitate, quæ est naturalis, non personalis proprietas, contra quam Richardo videtur.

Cyrillus in decimo tertio *Thesauri* eamdem, quam Athanasius, Arianorum sibi argumentationem objicit, eodemque modo respondet. « Nemo sanus dixerit dissimilem videri Patris Filium, quod non similiter genuerit, neque filii factus sit Pater. Quin potius ob idipsum admirabilem quamdam, et exactissimam videbit in Filio Patris imaginem. Ut enim Pater invariabilis, et immutabilis cum sit, semper manet Pater, et in Filium non convertitur, ita quod ex ipso procedit Verbum Filius manet hoc ipsum, quod est, illam Patris immutabilitatem vel hoc ipso demonstrans in seipso; atque in eo Patri similis [b]. »

VI. Ex hoc vero loco nostra illa de imaginis natura firmatur opinio, et Richardi aliorumque convincitur; qui substantiæ imaginem negant esse Filium. Etenim si Filius Patris, ut Pater est, id est ratione personalis proprietatis imago foret, Patrem eum esse similiter oporteret; paternitatis enim similis est, ut jam dixi, non filiatio, sed paternitas. Nec Ariani aliunde sibi persuaserant, tali se argumento catholicos expugnare posse , quam quod ex ὁμοουσίου professione, et identitate substantiæ consequens putabant nihil in Patre esse, quod non esset in Filio, imo quod non esset Filius, adeoque Patrem esse; unde et homousianis Sabellianam impingebant hæresim. Proinde cum quidquid habet a Patre Filius, id habeat quatenus imago naturalis est illius , expressaque similitudo; talem ab catholicis fingi credebant imaginem Filium, ut perfecte totum Patrem exprimeret, hoc est non modo substantiam ipsam, sed etiam paternitatem ; essetque et ipse Pater. Cum hoc ergo catholici ex adverso negarint, ex eo, quod una sit essentia utriusque, eaque in imagine comprehensa, sequi imaginem Patris esse Patrem, necesse est non illos perinde paternitatis, personalisve proprietatis similitudinem inesse Filio putasse, atque essentiæ, bonitatis, lucis, ac cæterorum, quæ οὐσιώδη sunt, quorum in Filio expressam esse speciem, tam luculenter asserebant. Siquidem, ut recte, et

a Athan. orat. II. Εἰ γέννημά ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, καὶ εἰκὼν, καὶ ὅμοιός ἐστι κατὰ πάντα τοῦ πατρὸς, ὀφείλει πάντως, ὥσπερ γεγέννηται, γεννᾷν καὶ ὁ υἱὸς, καὶ γίνεσθαι καὶ αὐτὸς πατὴρ υἱοῦ.

b Cyril. XII *Thes.* Οὐκ ἄν τις εἴποι νοῦν ἔχων, ἀνόμοιον φαίνεσθαι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν, ἐπεὶ μὴ καὶ αὐτὸς ἐγέννησε, μηδὲ υἱοῦ γέγονε πατήρ. ἀλλὰ μᾶλλον καὶ διὰ τοῦτο θαυμαστήν τινα, καὶ ἀκριβεστάτην ὄψεται τοῦ πατρὸς ἐν υἱῷ τὴν εἰκόνα. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἄτρεπτός τε, καὶ ἀναλλοίωτος ὢν ἀεὶ μένει πατὴρ, καὶ εἰς υἱὸν οὐ μεταβάλλεται· οὕτως ὁ ἐξ αὐτοῦ λόγος υἱὸς προελθὼν, μένει καθ' ὅπερ ἐστι, τοῦ πατρὸς τὸ ἀναλλοίωτον καὶ διὰ τούτου δεικνύων ἐν ἑαυτῷ, ὅμοιος ὢν καὶ κατὰ τοῦτο πατρί.

ad mentem nostram aptissime scribit Hilarius[1], « qui imago est, ut vere imago sit, speciem necesse est, et naturam, et essentiam, secundum quod imago est, in se habeat auctoris. » Animadvertenda ista sunt, *secundum quod imago est*. Id est enim, quod in scholis auditur, « secundum præcisam, et formalem rationem imaginis, ac repræsentationis. » Hoc quia divinitas est, ideo Deus est Filius; quia bonitas, æternitas, sapientia, idcirco bonus est, æternus, sapiens Filius. Si ipsa personalis proprietas, id est paternitas, vel *activæ generationis* notio esset, ut putat Richardus, id in quo similitudo posita est, esset et profecto Filius Pater itidem, ut bonus, ut sapiens, ut Deus.

VII. At etiam Pauli ad Hebræos locum illum, qui disputationem hanc exercet, Richardus[2] in eodem attigit libro, et secundum ea, quæ de imagine dixerat, majori etiam absurditate, quo sensu *figura substantiæ* vocetur, explicat. Hæc enim summa est ejus orationis : Duplicem esse figuram ; unam quæ est in archetypo, et ejus substantiam informat; alteram imaginis figuram, quæ illud repræsentat, ut in speculo alia est figura intuentis se hominis, alia imaginis; porro ubi gemina est substantia, diversam esse informantem, ac repræsentantem figuram. « Sed Patris et Filii est una, eademque substantia. Juxta itaque hunc modum non potest Filius dici paternæ substantiæ figura. Sed neque figura dici potest informans Patrem ; nam « cum utique eo ipso formosum redderet ; et tunc non tam Filius a Patre, quam Pater a Filio pulchritudinem acciperet.» Quare ita rem exponit: Spiritualem ait naturam formosam, aut deformem fieri ex voluntate sua. Formosam autem fieri bonitate, benignitate, et ejusmodi reliquis. Atqui « eadem perfectionis forma potest, inquit, informare animam tuam, et animam meam. Si itaque juxta voluntatis similitudinem, Patris, ac Filii conformitatem, vel configurationem quærimus, absque dubio, et sine omni contradictione inveniemus, quod sicut Pater vult habere personam procedentem de se, cui possit impensæ sibi dilectionis delicias communicare, ita Filius similiter et habere vult, et habet pro voluntate. » Ita Richardus *figuram substantiæ Patris esse* Filium interpretatur similiter, atque ille, de se alium velle producere ; tanquam similitudo ista in voluntatis actione sita sit, qua uterque vult producere Spiritum sanctum. Hæc enim inest ambobus cum differentia proprietatum, quod alter a se habeat, alter a Patre. Cujus quidem opinionis falsitas iisdem, quibus superior, argumentis convincitur. Nam neque, quod vult, assequitur, ut in proprietate aliqua similitudinis ratio consistat; quippe producere Spiritum sanctum, una et simplex est, communisque duorum, non propria singulorum notio. Quare in eo similes erunt, in quo alter ab altero non differt. Deinde quid absurdius, quam ob eumdem præcise voluntatis actum figuram dici Filium paternæ substantiæ? Erit enim hæc voluntatis similitudo, non naturæ; quod Ariani libenter audiunt; quos eo nomine veteres, imprimisque Athanasius insectantur.

VIII. Postremo suapte confessione Richardus, induitur, dum in capite XXII eadem illa Apostoli verba, *figura substantiæ*, idem ait valere, ac si diceret : «figura substantiæ ingenitæ, » vel « ingenitæ personæ ; » tum quosdam sui temporis redarguit, quibus non placebat dici, « quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam ; » hos vero antiquorum testimoniis oppugnat, qui sæpissime ita sunt locuti. Cum autem objecisset sibi, « Si Filii substantia est genita, substantia Patris ingenita, quomodo utriusque erit una, eademque substantia ? » sic respondet : « Absque dubio substantia Filii est genita, substantia Patris ingenita, nec ingenita substantia est genita, nec genita est ingenita ; nec tamen sequitur, ut ibi sit alia, et alia substantia, sed alia et alia persona. » Hic neque consentaneus est sibi, et suapte voce refellitur. Si enim *substantiæ* nomen iis in Apostoli verbis non naturam ipsam significat, quia secundum hanc imago dici non potest, cum sit eadem, sed proprietatem personalem, ut paulo ante docuit; cur nunc asserit non aliam atque aliam, sed unam esse substantiam ? hoc enim dicere est, unam esse personam. Sin est verius, substantiam a Paulo intelligi naturam, ergo in natura similes erunt, ob eamque Patris imago Filius appellabitur, quod ab Richardo negatum vidimus. Præterea cum, ut eodem capite refert, Filius ex substantia Patris Deus ante sæcula dicatur genitus, neque substantiæ unitas obstet, quin substantia de substantia genita pronuntietur, vel sapientia de sapientia; non magis obstare poterit, quominus substantia imago sit substantiæ, vel sapientia sapientiæ, quamvis una sit, eademque substantia,

1 Lib. *de Syn.* ad anath. I. — 2 Cap. XXXI.

vel sapientia. Non enim aliud est, unum alterius esse imaginem, quam esse Filium, et ab illo genitum. Cujus ergo rationis est, nolle in essentia, et substantia sitam esse imaginis notionem, quod eadem sit; velle in eo, «quod eamdem, quam ista, de se personam, et eodem modo producit, et ejusdem doni causa, et origo, auctor, et principium existit,» quæ est una, et eadem utriusque proprietas?

CAPUT VIII.

Ecquid Pater voluntate genuerit Filium. Catholicorum cum Arianis de eo conflictus; quorum illi asserebant, horum alii dissimili mente fassi sunt, atque etiam ex omnipotentia productum a Patre dixerunt, aut ex charitate aut ejusmodi aliquid. Petri Abælardi falsa sententia notatur. Explicatur Gregorii Nysseni de ea re locus insignis; tum aliorum Patrum, qui ad hæreticos refellendos illud usurparunt, aut qui ex suapte mente locuti sunt, ac Patrem dixerunt sine invidia omnia ex voluntate communicasse Filio. Alii vero istud ipsum negarunt, voluntate Patris genitum. De concomitante, *ut vocant voluntate, qua Pater vult generare Filium, quam* σύνδρομον *Græci nominant. De ea Cyrilli, et Plotini illustrata loca, et hujus reprehensa sententia. Explicatur ratio, qua Pater velle dicitur Filium gignere; tum, quod ab aliis usurpatur, Filium esse voluntatem, et consilium Patris. Conciliantur inter se Patres illi, qui contraria sensisse videntur. Quid sit naturale, et quemadmodum cum voluntario consentiat. Maxentius notatus. Explicatur locus quidam sancti Ephrem, et ab erroris suspicione purgatur. Tum quod Clemens ait, inter Patrem et Filium* μεσιτείαν *nullam intercedere, idipsum declaratur.*

[margin: An Pater voluntate Filium genuerit.]

I. Richardi Victorini locus ille superiori allatus capite, in quo similem dicit Patri esse Filium, et imaginem ejus, quatenus ut Pater consortem habere vult personam unam, ita et Filius, quæstionis nobis alterius occasionem dabit : ecquid voluntate Filium genuerit Pater, uti mente, et intelligentia genuisse constat.

Qua in re prima cum Arianis conflictio catholicorum fuit. Illi enim Patrem volebant decreto quodam liberæ voluntatis ita produxisse Filium, ut neque ex æterno neque naturaliter, atque ex ipsa illius substantia procederet; quamvis præstantiore quodam, ac creata cætera, modo prodiisset. Ita sanctus Athanasius oratione IV qui hæreticos ait absterritos a profanis illis usurpandis vocibus, « ex nihilo productum esse Filium, » aut « fuisse tempus aliquando, cum non esset, » ad alias minus suspectas, sed perinde impias, receptum habuisse, ut *voluntate productum* dicerent *a Patre*. Gregorius item Nazianzenus orat. XXXV qui illorum etiam dilemma proponit : Aut volens Pater Filium genuit, aut nolens. Si posterius; ergo vim passus est. Si prius; igitur θελήσεως, id est, voluntatis est Filius; quod et Epiphanius [1] in *Ancorato*, et Cyrillus dialogo secundo *de Trinitate*, et in *Thesauris*, et Augustinus, aliique referunt, quos lib. II cap. V commemoravi. Quocirca voluntate Patris editum ante omnia tempora Filium profitebatur Arius, ut in epistola sua posuit, quam Eusebio Nicomediensi, et Alexandro Alexandriæ episcopo scripsit, « Voluntate, et consilio ante tempora substitisse. » Idcirco non esse συναΐδιον, *coæternum* Patri, quasi media inter utrumque voluntas intercederet; ut Athanasius [2], Gregorius Nyssenus [3], Cyrillus [4], ac cæteri testantur; ac non Patris, sed ejus voluntatis esse similem aiebant, ait Cyrillus [5]. In quo primum ethnicos imitabantur, e quibus Mercurius ille Trismegistus apud August. serm. *De quinque Hæresibus*, cap. III. «Filium benedicti Dei, atque bonæ voluntatis esse dicebat;» tum veteres hæreticos, imprimisque Valentinum, ut Athanasius orat. IV iis objicit quatenus antecedentem, ut ille, voluntatem introducebant; qua de hæresi Gnosticorum plura sunt apud Irenæum, et Epiphanium [6], ac Tertullianum [7]. Idem et Eusebius Cæsariensis [8] docuit, ut libro primo demonstravimus.

[margin: Affirmant Ariani.]

[margin: Necnon aliqui veteres.]

II. Porro antiqui Patres haud pauci numero, quos libro I percensuimus, Filium Dei voluntate Patris esse productum asseverarunt; ut Justinus, Athenagoras, Theophilus, Tertullianus, et qui sub Novatiani nomine editus est auctor libri *de Trinitate*, cap. XXXI. Lactantius, nondum scilicet Trinitatis professione distincte, perspicueque cognita. Post Arii vero vulgatam, et Nicænis decretis confossam hæ-

a Arius in epist. apud Epiph. hær. IX, num. 6. Ὅτι θελήματι, καὶ βουλῇ ὑπέστη πρὸ χρόνων.

1 Num. 51. — 2 Orat. IV. — 3 Lib. VII *contra. Eunom.* — 4 Dial. II. — 5 In I *Thes.* cap. IX et dial. V. — 6 Hær. XXXI. — 7 Lib. *cont. Valent.* — 8 Vide IV *de Demonst.* cap. II, lib. I *contra Marc.*

resim, non defuere, qui idem illud ex catholicis, aut Arium certe non aperte propugnantibus, auderent asserere. Marius Victorinus [1] in primo *adversus Arium*, « Est autem lumini, inquit, et spiritui imago non a necessitate naturæ, sed voluntate magnitudinis Patris. Ipse enim seipsum circumterminavit, etc. Filius ergo in Patre imago, et forma, et λόγος, et voluntas Patris; juxta quod voluntas Patris Filius. Omnis enim voluntas progenies est; juxta quod universalis voluntas, unigenitus, etc. Sic igitur voluntate Patris, voluntas apparuit ipse λόγος, Filius. Est igitur Dei voluntas λόγος cum ipso, qui semper est, et ad ipsum ipsa voluntas filietas est. Pater ergo, cujus est voluntas; Filius autem voluntas est, et voluntas ipse est λόγος: λόγος ergo Filius. Atque eodem in libro potentiam ait naturalem omnem in Deo esse voluntatem. Itaque cum vita, qui Pater est, semetipsam moveret, ut scilicet alterum produceret, eam motionem fuisse voluntatem. «Si ergo movit vita semetipsam, motio autem voluntas; patria ergo motio, et patria voluntas, quoniam patria potentia vita. » Concilium Sirmiense, in *Decreto fidei* contra Photinum edito in *Anathematismo* apud Hilarium [2] quinto et vicesimo. « Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium; sed mox (ut) voluit, sine tempore, et impassibiliter ex se congenitum demonstravit [a]. »

III. Quo in canone hæreticorum licet indolem, ac morem cognoscere, qui ut virus suum clam, et latenter insinuent, falsam opinionem suam cum ejus, quæ apertiorem, ac damnatam ab omnibus impietatem habet, detestatione sententiæ solent exponere; quemadmodum Valens, et Ursacius, qui creatum a Patre Filium esse credebant, non hoc simpliciter in Ariminensi concilio promulgare ausi sunt, sed subdole id, quod vulgo invidiosum erat, adjecerunt: Non esse creatum a Patre Filium, sicut creaturas cæteras; quoniam in creaturarum cæterarum ordinem revocare Dei Filium, id plane impium, atque execrandum est. Ita etiam Sirmienses isti Patres, cum et voluntate libera Patris genitum esse vellent Filium, scirentque naturaliter, et ex substantia ipsa dici eumdem a catholicis esse productum, non ab invito tamen coactove; hoc posterius sumpserunt, damnaruntque, qui dicerent, nolente, et invito Patre prodiisse, quo minus offensionis haberet, Patrem voluntate sua genuisse dicere. At Hilarius, qui in libro *de Synodis* professiones illas Arianorum, quæ nonnullam speciem pietatis haberent, pro catholicis commendavit, ut recentem e Sirmio blasphemiam refelleret; istam etiam contra Photinum illic alias editam probavit, et pie est interpretatus. Quare canonem illum a concilio scriptum esse testatur, ne « data hæreticis occasio videretur, ut necessitatem Deo Patri gignendi ex se Filii adscriberent, tanquam naturali lege cogente, invito se ediderit. » Mox addit: « Sed hæc passionum non est in Deo Patre conditio, cum inenarrabili, et perfecta nativitate Filii nec voluntas sola genuit Filium, nec demutata, aut coacta imperio naturalis legis essentia est; etc. Sed ante tempora omnia Pater ex naturæ suæ essentia impassibiliter volens, Filio dedit naturalis nativitatem essentiæ. » Proinde ita voluntate genitum esse Filium sentit Hilarius, ut nihilominus naturaliter, et ex ipsa substantia sit ortus.

IV. Idem porro aliis in locis generationem Filii voluntati, vel charitati, et omnipotentiæ Patris adscribit, ut in tertio *de Trinitate*: «Sed incomprehensibiliter, inquit, inenarrabiliter, ante omne tempus, et sæcula unigenitum ex his, quæ ingenita in se erant, procreavit, omne, quod Deus est, per charitatem, atque virtutem nativitati ejus impartiens; ac sic ab ingenito, perfecto, æternoque patre, unigenitus, et perfectus, et æternus est Filius. » Mox productum sic esse Filium docet, « ut voluit, qui potuit, ut scit, qui genuit. » Atque in sexto libro, « Omnipotentem te scio, ait æternum alloquens Patrem, nec consciæ tibi tantum, atque ipsi unigenito tuo nativitatis inenarrandæ expecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est, et genitum a te Filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim, jam omnipotentem te negabo. Bonum te etiam ex nativitate mea didici; atque ob id, non invidum te bonorum tuorum in Unigeniti tui nativitate esse confido. » Sic Petrus Chrysologus, serm. LX et LXI Symbolum explicans,

Pater æqualem sibi genuit Filium, quia omnipotens nec invidus.

a Sirm. concil. Εἴ τις μὴ θελήσαντος τοῦ πατρὸς γεγεννῆσθαι λέγοι τὸν υἱὸν, ἀνάθεμα ἔστω. οὐ γὰρ βιασθεὶς ὁ πατὴρ ὑπὸ ἀνάγκης φυσικῆς ἀχθεὶς ὡς οὐκ ἠθέλησεν, ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἅμα τε ἠβουλήθη, καὶ ἀχρόνως, καὶ ἀπαθῶς ἐξ ἑαυτοῦ αὐτὸν γεννήσας ἐπέδειξεν.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 200. — 2 Col. 212. — 3 Lib. *de Synod.* et apud Athan. *de Syn.* et Epiphan. hær. LXXIII.

æqualitatem Filii ex Patris omnipotentia concludit. « Omnipotens, ait serm. LXI, potest omnia; et si omnia potest, quod in se, ex se, et semper secum habeat Filium, quis negabit?» Ambrosius, lib. IV *de Fide*, cap. IV, contra Arianos concludit non fore omnipotentem Patrem, si Filium generare non potuit, sed creavit.

Maximus Taurinensis in homilia *de Expositione Symboli*, « Creditis, inquit, in Deum patrem omnipotentem. In Deo natura innascibilis, in Patre unigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Est namque per ingenitam deitatem omnipotens, et per omnipotentiam Pater. » Ibi *innascibilem* putat Abælardus[1] idem esse, atque increatum. Sed potest intelligi sic, ut proprietatem significet, et modum existendi in Patre; de quo in primo isto Symboli articulo agitur. Porro Maximus ex omnipotentia Patris consequentem facit Filii generationem.

V. Eodem spectat et multorum veterum argumentatio ; qui similiter æternitatem Filii, et naturæ, proprietatumque omnium perfectam æqualitatem probant ex eo, quod Pater sit omnipotens, infinitæque bonitatis, quæ invidia vacat. Ita Origenes, lib. I *Periarchon*, c. II. Et Gregorius Nyssenus in primo *contra Eunomium*, posterioris editionis, hæreticum hunc refellit asseverantem, minorem, quam pro Patris vi, ac potentia, Filium esse productum. « Quis enim infelix adeo est, inquit, ut ne divinam quidem, et beatam illam naturam ab invidiæ affectu immunem esse affirmet? Quæ est igitur consentanea ratio, cur hæc ad eum modum ab universorum Deo constituta fuissent in unigenito Filio, atque Spiritu sancto[a]?» Ambrosius, lib. V *de Fide*, cap. VII: «Si minorem generavit Deus Filium, minus contulit: si minus contulit, aut minus voluit, aut minus potuit. Sed nec infirmus, nec invidus Pater, quia nec voluntas, ante Filium, nec potestas. » Quæ posteriora Ambrosii eam vim habent, idcirco non minorem, quam ipse sit, Filium voluisse Patrem gignere ; neque sibi æqualem non potuisse, quoniam nulla sine Filio voluntas est, aut potestas in Patre. Quæ ratio nonnihil est obscura. Videtur enim voluntatem illam, qua Pater Filium producere voluit, aut potestatem, qua potuit, ipsum esse putare Filium, quod minime consentaneum sit. Verum ex adversariorum opinione, et principiis ita ratiocinari videtur Ambrosius. Nam illi Filium a Patre procreatum in tempore certa voluntatis destinatione, et potentia volebant. Atqui Filius ipsa est Patris virtus, ac potentia, imo, ut plerique loquuntur, voluntas ejusdem ipsa, hoc est consilium. Hoc modo recte concludit Ambrosius ; quia de potestate ibi agitur, qua extrinsecus, et voluntatis suæ consilio opus aliquod efficit.

VI. Est inter Hieronymi[2] spuria, epistola XVIII quæ est *Explanatio fidei ad Cyrillum*; ubi idem argumentum contexitur. « Si enim plus minusve, inquit, aut tale aliquid invenitur, excepto hoc, quod genuit Pater Filium, et excepto hoc, quod Filius non a semetipso natus est, sed de Patre natus est proprie, non in tempore, sed semper, non aliunde, sed de sua substantia ; forte secundum verbum eorum aut invidens, aut impotens Pater putatur, insuper et temporalis agnoscitur. » Quibus ex verbis Abælardus[3] hoc Hieronymum sentire colligit, « juxta naturam vel modum existentiæ, non operationis, hanc quasi propriam Patri ascribi potentiam ; quod solus ipse per se subsistere queat, vel a seipso existere habeat, hoc est non ab alio ; cæteras vero duas in Trinitate personas ab ipso necesse sit esse, nec per se habeant subsistere. » Quod sane non sequitur, neque hoc ista verba suadent, proprietatem illam personæ Patris, qua nullo est ab alio, sed a seipso, nescio quam potentiam esse, quæ in Patre sit solo, et cujus gratia proprie dicatur omnipotens, ut ibidem disputat Abælardus. Quod nemo illi, qui aut catholicus sit, aut, quod dicat, noverit, concedendum existimet. Est quidem in Patre potentia quædam generandi, ratione duntaxat, et pro captu intelligentiæ nostræ, eidem attributa, cum reipsa potentia sit nulla, sed totum actus occuparit, ut alias diximus. Verum *omnipotens* non ab intestina illa, et naturali operatione, ac necessaria dicitur, sed ab ea, qua voluntate sua, et extrinsecus, et sic tanquam ex arte, molitur aliquid, ut in libro tertio *de Deo, ejusque proprietatibus* exposui.

Porro cum *omnipotentis* vox non tantum, imo non ex primaria impositione nominis, quidvis faciendi, ac producendi potestatem

a Nyss. Grets. Καὶ τίς οὕτως ἄθλιος, ὥστε μηδὲ τὴν θεῖαν τε, καὶ μακαρίαν φύσιν καθαρεύειν ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν φθόνον πάθους ὑπολογίζεσθαι ; ποῖα οὖν εὐπρεπὴς αἰτία τοῦ ταῦτα οὕτω παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν, ὅλων ἐπὶ τοῦ μονογενοῦς, καὶ τοῦ πνεύματος διατετάχθαι ;

1 Abæl. lib. I *Introd* . cap. x. — 2 Tom. IV Oper. Hier. — 3 Loco sup. cit.

significet, sed in omnes, et in omnia summam potentiam, et imperium, quod illi respondens Græcum παντοκράτορος vocabulum indicat, ut illic ostendimus; potest eatenus *Omnipotens* dici proprie, ac secundum personæ suæ notionem Pater, quod ab eo procedant omnia, ac fons quidam sit, et origo totius entis, adeoque potentia sua, et principii quadam amplitudine comprehendat omnia creata pariter, et increata. Sed hanc ipsam continentem universa potentiam, qua est οὐσιῶδες aliquid, et citra notionem, cum Filio, ac Spiritu sancto communicat. Ideo non minus ambobus istis, quam illi, omnipotentis appellatio convenit, tametsi peculiari modo in Patrem competat.

Substantiale.

VII. Ita sanctus Augustinus contra Maximinum Arianum disputans: « Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater æqualem sibi gignere Filium aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus; si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falsum est. Patri ergo Deo verus Filius æqualis est. » Et c. XXIII. « Tantum enim, quantus est ipse, et talem, qualis est ipse, si non potuit gignere, quomodo Deus est? Si noluit, quomodo bonus est? » Basilius item in secundo *adversus Eunomium*, « Si honestum, et decorum est Dei beatitudini Patrem esse, quomodo ergo a principio, quod decebat, ipsi non aderat? Aut enim melioris ignorationi, aut impotentiæ hunc defectum imputabunt. Ignorationi quidem, si postea quod est melius adinvenit: impotentiæ vero, si sciens, atque intelligens, quod optimum est, assequi non poterat[a]. » Quam Basilii rationem illudens nefarius Eunomius apud Gregorium Nyssenum instabat exemplo mundi istius, quem similiterprobare possimus ex æterno fuisse, cum neque ignoratio, neque imbecillitas, aut aliud quippiam moram afferre potuerit, quominus a Deo procrearetur. Et eodem sane argumento gentiles philosophi apud Zachariam Mitylenæum mundi æternitatem adstruebant. Sed huic objectioni præscribit Gregorius, aliam esse creatarum rerum conditionem, aliam unigeniti Filii, neque quod de hoc uno verum est, id ad cætera posse transferri; quæ quidem responsio illustrari potest observata productionis utriusque differentia. Nam generatio Filii, etsi voluntate fiat, ut et Nyssenus, et alii quidam existimant, quod subinde fusius enarrabitur; tamen naturalis est Deo, non adventitium, et accidens aliquid. Naturalem dico, non ut essentia sit, aut essentiæ proprietas; sed ut intelligamus non esse accidens, verum οὐσιῶδες, et ad substantiam Patris pertinens, sine quo talis esse substantia, ac persona non potuit. .

VIII. Quod autem hæretici inde concludebant, non esse coæternum Patri Filium, quod inter utrumque interjecta erat voluntatis actio; Gregorius idem Nyssenus refellens, ita voluntate Patris existere confitetur Filium, ut nullum inter ambos interpositum sit spatium. « Neque enim, ait, hæc immediata conjunctio voluntatem Patris excludit, tanquam necessitate quadam naturæ, et citra voluntatem Filium habuerit; neque voluntas Filium a Patre disjungit, velut medium quoddam intercurrens spatium. Quare neque ab fidei dogmate licet excludere in Filii generatione voluntatem ejus, qui genuit, tanquam angustiis quibusdam arctata sit in cohærentia unitatis Filii cum Patre; neque indisjunctam cohærentiam dissolvere, quando voluntas in generatione spectatur[b]. » Mox imbecillitatis hoc esse nostræ dicit, quod non eodem tem-

a Basil Καί τοι εἰ μὲν καλὸν, καὶ πρέπον τῇ μακαριότητι τοῦ θεοῦ τὸ εἶναι πατέρα, πῶς οὐκ ἐξ ἀρχῆς τὸ πρέπον αὐτῷ παρῆν; ἢ γὰρ ἀγνοίᾳ τοῦ βελτίονος, ἢ ἀδυναμίᾳ πάντων λογιοῦνται τὴν ἔλλειψιν· ἀγνοίᾳ μὲν, εἴπερ ὕστερον ἐξεῦρε τὸ βέλτιον· ἀδυναμίᾳ δὲ εἴπερ εἰδὼς, καὶ συνιεὶς ἀπετύγχανε τοῦ καλλίστου.

b Gregorius Nyssenus VII *contra Eun.* Οὔτε γὰρ ἡ ἄμεσος αὕτη συνάφεια ἐκβάλλει τὴν βούλησιν τοῦ πατρὸς, ὡς κατὰ τινὰ φύσεως ἀνάγκην ἀπροαιρέτως τὸν υἱὸν ἐσχηκότος· οὔτε ἡ βούλησις διΐστησι τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὥς τι διάστημα μεταξὺ παρεμπίπτουσα. ὡς μήτε ἐκβάλλειν τοῦ δόγματος τὴν ἐπὶ τῷ υἱῷ βούλησιν τοῦ γεννήσαντος, οἷον στηνοχωρουμένην ἐν τῇ συναφείᾳ τῆς τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα ἑνότητος· μήτε μὴν τὴν ἀδιάστατον διαλύειν συνάφειαν, ὅταν ἐνθεωρῆται τῇ γεννήσει βούλησις.

Ibid. Ἐπὶ δὲ τῆς ἁπλῆς, καὶ παντοδυνάμου φύσεως, ὁμοῦ τὰ πάντα καὶ κατὰ ταὐτὸν νοεῖται, και τὸ θέλειν τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἔχειν ὅπερ ἠθέλησε· πάντα γὰρ ἐνεργὸν, καὶ ἐνούσιον, καὶ ἐνυπόστατον τῇ ἀϊδίῳ φύσει τὸ ἀγαθόν τε, καὶ τὸ ἀΐδιον ἐνθεωρεῖται θέλημα, οὔτε ἀπό τινος ἰδιαζούσης ἀρχῆς ἐγγινόμενον, οὔτε δίχα τοῦ θελητοῦ νοηθῆναι δυνάμενον. οὔτε γὰρ ἐνδέχεται παρὰ τῷ θεῷ ἢ τὸ ἀγαθὸν θέλημα μὴ εἶναι, ἢ μὴ συνεῖναι τῷ θελήματι.

Ibid. Ἐπεὶ οὖν φύσει ἀγαθὸν μᾶλλον δὲ παντὸς ἀγαθοῦ ἐπέκεινα ὁ μονογενὴς θεὸς, οὐκ ἀβούλητον δὲ τῷ πατρὶ τὸ ἀγαθὸν, φανερῶς ἀποδείκνυται διὰ τούτων, ὅτι καὶ ἄμεσός ἐστι τοῦ υἱοῦ ἡ πρὸς τὸν πατέρα συνάφεια, καὶ οὐκ ἐξωθεῖται, οὐδὲ ἐξείργεται ὑπὸ τῆς ἀδιαστάτου συναφείας τὸ βούλημα τὸ τῇ ἀγαθῇ φύσει διὰ πάντος ἐνυπάρχον.

1 Lib. III, cap. VIII. — 2 Lib. VII *cont. Eun.* — 3 Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* et seq.

pore habere aliquid, et id velle possimus. Nam nunc quidem velle nos quippiam, quod non habemus, ea vero post consequi, quæ minime vellemus. « At in simplici, inquit, et omnipotenti natura simul omnia, et eodem momento intelliguntur, et velle bonum, et habere, quod velit. Omnino enim efficax, et essentiæ insita, et subsistens in immortali natura spectatur bona, et sempiterna voluntas; neque ab aliquo proprio principio ingeneratur, neque sine voluntario potest animo concipi. Neque enim in Deum cadit vel bonam voluntatem non esse, vel bonum simul cum voluntate non adesse. » Demum ita colligit: « Quoniam igitur natura bonum, vel, ut rectius dicam, supra omne bonum unigenitus est, non est autem involuntarium Patri bonum; perspicuum inde fit, tum immediatam esse Filii cum Patre conjunctionem, tum non expelli, nec excludi ab individua cohæsione voluntatem, quæ bonæ naturæ semper inest.»

Atque hoc apposito deinceps ostendit exemplo ut si ignis rationem habeat, ac voluntatem, eodem tempore et splendorem profundet ex sese, et eum volet profundere; nec impedit quidquam, quominus id, quod velit, efficiat. Aut ut eodem momento cernimus oculis, et cernere volumus; sic in illa inexplicabili, et omni cogitatione sublimiori natura, æternam Patris consideramus existentiam, et eodem momento voluntatem, qua vult Filium, et ipsummet, quem vult, Filium.

IX. Ac pleraque sane veterum loca, in quibus talis argumentatio proponitur, nihil accipi sic prohibet, ut ex sensu, opinioneque sua non loquantur, sed eo utantur, quod dant adversarii, atque ex ipsorum eos oratione convincant. Nam cum dicerent Filium a Patre non naturaliter, sed sponte, ac voluntate esse genitum, uti homines liberis, quando volunt, operam dant; id illi sumentes, indidem efficiebant, æqualem, et consubstantialem esse genitum, ne illa ipsa Patris effectrix voluntas aut imbecilla videatur, aut maligna; tum hoc etiam, nunquam non apud Patrem exstitisse Filium, ne tanto ille bono, vel quod nondum gignere posset, caruisse dicatur, vel inscitia, aut invidia suppressisse. Ita enim apud Gregorium Nyssenum Eunomius, « Tunc, inquit, pulchrum, et decorum fuit generare Filium quando voluit, ita ut nulla de eo quæstio sit apud prudentes, cur non prius genuerit[a]. » Contra quem disputans Basilius tum illa posuit, quæ paulo ante descripsimus, tum quæ apud eumdem in quarto contra hæreticum illum disserit sic: « Si Deus non gignit, ideo non gignit, vel quia non potest, vel quia non vult. Sed si quidem non potest, minor est generante, ac perfecta natura, præterquam quod imbecillus est. Quod si potest, et noluit, quod habet natura, voluntate cohibuit. Quare etsi nondum genuit, tamen cum voluerit, aliquando generabit[b]. » Gregorius quoque frater illius, ex eo sic interpretando commemorat. « Quod natura bonum est, pium non est in Deo semper fuisse non credere. Nullam enim videre se causam, propter quam consentaneum sit bonum bono non adesse, neque propter potestatis defectum, neque propter voluntatis infecunditatem[c]. »

X. Sic Augustinus[1] Maximino Ariano ita loquente. « Homo si posset perfectum mox generare filium, non parvulum generaret; » hoc in illum retorquet: « Sed ut contra te non sit quod loqueris, agnosce æqualitatem Patris, et Filii, quia et homo, si posset, filium mox generaret æqualem, nec expectaret annos, per quos in forma filii posset voluntas ejus impleri. Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarii fuerunt, per quos adimpleretur, nec omnipotentia defuit? An forte noluit? Ergo, quod absit, invidit. Sed non invidit; æqualem ergo genuit, ac per hoc unius, ejusdemque substantiæ, quandoquidem homo, qui propterea, quia non potest, non gignit æqualem, ejusdem tamen substantiæ gignit Filium cujus est ipse. » Quod idem et c. XVIII et XXIII repetit.

Rursus vero Nyssenus idem Gregorius, in

a Eunom. apud Nyssen. lib. VIII, cap. CCXXVIII. Τότε γὰρ φησὶ, καλὸν, καὶ πρέπον γεννῆσαι τὸν υἱὸν, ὅτε ἐβούλετο, μηδεμιᾶς ἐκ τούτου ζητήσεως ἐγγινομένης τοῖς σώφροσιν τοῦ διὰ τί μὴ πρότερον.

b Basil. IV *contra Eunom.* Εἰ ὁ θεὸς οὐ γεννᾷ, ἢ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι πάντως, ἢ διὰ μὴ βούλεσθαι. ἀλλ' εἰ μὲν οὐ δύναται, ἥττων γεννητικῆς, καὶ τελείας φύσεως, φρὸς τὸ καὶ ἀδυναμεῖν. εἰ δὲ δυνάμενος οὐκ ἐβουλήθη, ὃ φύσει ἔσχεν, βουλήσει κατέσχεν. ὥστε εἰ καὶ μή ποτε ἐγεννήσε, βουληθεὶς ἄρα γεννήσει ποτὲ.

c Nyssenus lib. VII *contra Eunom.* Ὅτι τὸ μὲν φύσει καλὸν οὐκ εὐαγές ἐστι μὴ ἀεὶ ἐν τῷ θεῷ πιστεύειν εἶναι. μηδὲ γὰρ αἰτίαν ὁρᾷν τινα, καθ' ἣν εἰκός ἐστι τὸ ἀγαθὸν τῷ ἀγαθῷ μὴ παρεῖναι, μηδὲ κατὰ δυνάμεως ἔλλειψιν, μήτε κατὰ τὴν τῆς βουλῆς ἀγονίαν.

1 Lib. III, cap. XV.

octavo libro, ex eo, quod Eunomius scripserat, Patrem genuisse Filium, quando ipsi libitum est, sic hominem concludit: « Si quidem tunc genuit Filium, quando voluit, ut ait adversarius; voluit autem, quod bonum est semper; porro concurrentem habet cum voluntate potestatem; igitur semper cum Patre Filius intelligetur, qui et semper velit bonum et habere possit quidquid velit [a]. » Quæ quidem argumentatio laxior esse, ac nimium patere videtur. Ita enim colligere licebit: nihil non ex æterno fuisse, quia bonum illud est omne, quod quovis tempore molitus est Deus. Sed quemadmodum fulcienda illa sit, ut pondus suum, ac vim obtineat, paulo post aperiam.

Agnellus quoque Ravennas episcopus in epistola *ad Armenium*, Arianos ita repercutiendos esse demonstrat: « Deinde, inquit, etiamsi hoc ipsum illi consentiat, quia voluntate genuit, cogere illum potest catholicus, aut ut dicat, antequam vellet generare Filium, noluit, et ideo non genuit; aut voluit, et non potuit. Si noluit, bonum est, quod noluit. Si autem voluit, et blasphemum est, ut dicatur, fuit Deus, quando bonum noluit, et non potuit; est blasphemum, ut dicatur, aliquando voluisse, et non potuisse Deum.

Patrem voluntate gignere Filium extra controversiam nonnulli opinantur.

XI. Verum extra controversiam, ac per sese ita quidam ex illis arbitrati sunt, non necessitate, sed voluntate genitum a Patre esse Filium. Sane Gregorius Nyssenus[1] eodem illo loco id unum reprehendit, et oppugnat in Eunomiana sententia, quod assereret. Patrem ante Filium exstitisse, ac nondum eo genito, primum voluisse, inde eo pervenisse, ut Pater fieret; a quo errore velle se ait ipsos ad rectam sententiam deflectere. « Quippe intimam illam, nullo interposito, Filii cum Patre copulationem non excludere paternæ voluntatis actionem, tanquam naturæ quadam necessitate, ac citra voluntatem, Filium habuerit; neque voluntatis actionem dirimere a Patre Filium, quasi intervallum quoddam inter ambos intercedens [b]. » Itaque non naturæ necessitate gigni putavit Filium, sed sponte, ac voluntarie, ita tamen, ut voluntatis hæc actio ne momento quidem Filium antecedat; quod ignis exemplo illo declaravit, cui ratio insita sit, ac voluntas. Basilius item in calce homiliæ XXIX ex animi sententia idem informat argumentum. « Deus, inquit, qui concurrentem habet cum voluntate potestatem, dignum seipso genuit, ac cujusmodi volebat, genuit [c]. » Cyrillus Alexandrinus libro *Thesauri* nono luculentissime hanc ratiocinationem instruit sic. Cum enim Ariani genitum a Patre Filium esse cum catholicis sentiant; ex eo illos arguit, qui consubstantialem negant. « Aut enim, quia non aliter potuit, talem ipsum genuit; aut quia noluit. Si non potuisse dicant, pudeat illos tantam substantiæ Patris inferre contumeliam, dum imbecillitatis eam arguunt. Sin alterum malunt, ut noluisse potius affirment consubstantialem sibi generare Filium; alia ratione contumeliosi sunt, pravam ac turpissimam rem illi tribuentes, in melioribus faciendis negligentiam. Nam si melius erat consubstantiale, quam quod non est ejusmodi, nonne blasphemiam omnem superat dicere, substantiam divinam circa illa, quæ sunt præstantiora et congruentiora, pigrari, ac non potius id voluisse, quod melius est, quam quod ita sese non habet? Atqui potest omnia facere Pater, et id mavult, quod melius est. Nihil ergo prohibet, consubstantialem esse Filium [d]. » Idem et in primo *Commentariorum in Joannem* repetit[2], capite tertio.

a Nyss. lib. VIII *cont. Eunom* Εἰ γὰρ τότε ἐγέννησε τὸν υἱὸν, ὅτε ἐβούλετο, καθώς φησιν ὁ ἀντίπαλος· ἐβουλέτο δὲ τὸ ἀγαθὸν ἀεί. σύνδρομος δὲ τῇ βουλήσει ἡ δύναμις· ἀεὶ ἄρα ὁ υἱὸς μετὰ τοῦ πατρὸς νοηθήσεται, τοῦ ἀεὶ καὶ βουλομένου τὸ καλὸν, καὶ δυναμένου ἔχειν ὃ βόυλεται.

b Nyssen. Βουλόμεθα γὰρ τοὺς λέγοντας πρότερον βεβουλῆσθαι τὸν πατέρα, εἶθ' οὕτως ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ γενέσθαι πατέρα, καὶ διὰ τούτου τὸ μεταγενέστερον τῷ λόγῳ κατασκευάζοντας, πεῖσαι δι' ὧν ἂν γένοιτο δυνατὸν ἡμῖν ὑποδειγμάτων μετάγειν πρὸς τὸ εὐσεβὲς τὴν διάνοιαν. οὔτε γὰρ ἡ ἄμεσος αὕτη συνάφεια ἐκβάλλει τὴν βούλησιν τοῦ πατρὸς, ὡς κατὰ τινὰ φύσεως ἀνάγκην ἀπροαιρέτως τόν υἱὸν ἐσχηκότος· οὔτε ἡ βούλησις διίστησι τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὥς τὸ διάστημα μεταξὺ παρεμπίπτουσα.

c Basil. tom. I. Ὁ δὲ θεὸς σύνδρομον ἔχων τῇ βουλήσει τὴν δυνάμιν ἐγέννησεν ἄξιον ἑαυτοῦ. ἐγέννησεν ὡς αὐτὸς οἶδεν.

d Cyril. IX *Thes.* Ἀδυνατήσας ἄρα τοιοῦτον αὐτὸν γεννᾷ, ἢ μὴ θελήσας. εἰ μὲν οὖν ἀδυνατήσας λέγουσιν, αἰσχυνέσθωσαν τὴν τοῦ πατρὸς οὐσίαν ὑβρίζοντες, δι' ὧν αὐτῇ προσάπτειν τὸ μὴ δύνασθαι τετολμήκασιν. εἰ δὲ ἐπὶ θάτερον μεταστήσονται, καὶ μὴ ἐθελῆσαι φήσουσιν ὁμοούσιον αὐτῷ γεννῆσαι τὸν υἱὸν, ἑτέρως ὑβρίζουσι, πρᾶγμα χαλεπὸν, καὶ τὸ πάντων αἴσχιστον περιτιθέντες αὐτῷ, τὸν ἐπὶ τοῖς ἀμείνοσιν ὄκνον. Εἰ γὰρ κρεῖττον ἦν τὸ ὁμοούσιον τοῦ μὴ τοιούτου, πῶς οὐκ ἔσται δυσφημίας ἁπάσης ἐπέκεινα τὸ λέγειν ὀκνῆσαι περὶ τὰ κρείττονα, καὶ πρεπωδέστερα τὴν θείαν οὐσίαν, καὶ μὴ μᾶλλον ἐθελῆσαι τὸ κάλλιον, ἢ τὸ μὴ οὕτως ἔχον; Ἀλλὰ πάντα δύναται ποιεῖν ὁ πατὴρ, καὶ θέλει μᾶλλον τὸ κρεῖττον. οὐδὲν οὖν ἐστι τὸ κωλῦον ὁμοούσιον εἶναι τόν υἱόν.

1 Lib. VII *cont. Eun.* et seq. — 2 Cyril. I *in Joan.*

XII. Eodem spectant illa Hilarii loca, quæ antea posuimus, in quibus fatetur, sponte, ac voluntate, non necessitate genitum esse a Patre Filium, sed ita tamen, ut naturaliter, hoc est ex ipsa Patris substantia prodierit; quod negabant hæretici. Sic Ambrosius libro V *de Fide*, cap. VII. « Si minorem generavit Deus Filium, minus contulit. Si minus contulit, aut minus voluit, aut minus potuit. » Sed nec infirmus, « nec invidus Pater, quia nec voluntas ante Filium, nec potestas. » Ausonius quoque, sive Paulinus in carmine matutino ad Deum Patrem,

« Nate Patris summi, nostroque salutifer ævo,
Virtutes Patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum. »

Augustinus libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione L. « Deus quem genuit, inquit, quoniam meliorem se generare non potuit, (nihil enim Deo melius) generare debuit æqualem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est. Si potuit, et non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium. » Vide et sermonem *de Tempore*, cap. VI ubi Filium potestate, et prudentia probat æqualem esse Patri. Quippe « Injustus est, inquit, Deus, si minori prudentiæ potesatem dedit æqualem. Si prudentia æquales sunt, sed minor est Filius potestate, invidus est Deus; quia æquali prudentiæ potestatem dedit minorem. » Tum in lib. *De natura boni contra Manichæos*, cap. I, « Quia justus est, ait, et quod de se genuit, ea, quæ de nihilo fecit, non æquavit. »

Æneas denique Gazæus in *Theophrasto*, Patrem « ideo sine passione genuisse dicit, quia non necessitate genuit[a]. »

Sed huic veterum argumentationi, ex natura, et conditione productionis illius robur est addendum. Est enim naturalis. Naturæ autem id est proprium, quatenus opposita est libero, et ad utrumque facultatem habenti, ut vim omnem exerceat, et quantum potest, enitatur in agendo. Ut si ignis voluntate esset præditus, siquidem naturali actione propagaret ex sese alterum ignem, naturam omnem suam, et quidquid in se habet in eum generando transfunderet. Quare tametsi voluntate genitum a Patre Filium nonnulli antiquorum dixerint; quia naturalis eadem est illa productio; æqualitatem, ac τὸ ὁμοούσιον amborum inter se nihilominus retinet.

Eodem sensu illa quoque interpretanda sunt, quæ veterum aliqui scripserunt: Patrem amore, et charitate produxisse Filium; quod præter Hilarium, quem supra commemoravi, Maximus martyr asseverat: « Patrem enim ait ex charitate progressum ad distinctionem hypostaseon[b]. » Et Cæsarius[1] ἀγάπην πατρὸς, charitatem Patris appellat Filium. Alii voluntatem Patris, ut Faustinus[2], Augustinus[3] notitiam cum amore, vel amatam notitiam. Gregorius vero Nazianzenus, etsi non affirmat, dubitat tamen, « an generatio sit ipsa generandi voluntas[c]. » Et Cyrillus[4] multis in locis Verbum « voluntatem Patris viventem, ac subsistentem » esse dicit.

XIII. Richardus denique Victorinus plenissime ita sentit, et explicat, divinas personas duas a prima voluntate, et quadam omnipotentiæ, ac charitatis largitate productas. Nam in tertio *de Trinitate*, personarum pluralitatem affirmat imprimis ex eo, quod id perfectæ bonitatis, et felicitatis ratio exigit, ut sint plures ejusdem boni participes, qui se summe diligant, ac mutua communione fruantur; quod cum capite II et III disputasset in quarto nihil esse dicit, quod communicationem istam prohibeat. Unde enim istud accideret? « An quia communicantem habere non possit, cum velit? an quia habere nolit, cum possit? Sed qui absque dubio omnipotens est, per impossibilitatem excusari non potest. Sed quod constat non esse ex defectu potentiæ, numquid non erit ex solo defectu benevolentiæ? » et cætera; quæ deinde latius prosequitur, asserens ideo, quia communicare vult Pater, quæ in se habet, duas ex se propagare personas; tum in XI ac XII capitibus, utriusque productionem ad charitatem, et amorem refert. Rursus in libro quinto, capite VII idem repetit, hinc oriri personarum pluralitatem, quod plenitudo bonitatis, et charitatis, quæ inest plenitudini divinitatis, exigit ut condignum habeat, « ut sit, quem possit, et merito debeat ut seipsum diligere. Si igitur primordialem personam veraciter constat esse

a ÆNEAS : Οὐ πάθει γεννήσας· οὐ γὰρ ἐξ ἀνάγκης.

b MAXIM. ad cap. II *de Div. nom.* Ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ κινηθεὶς ἀχρόνως, καὶ ἀγαπητικῶς προῆλθεν εἰς διάκρισιν ὑποστάσεων.

c NAZIANZ. orat. I *de Filio.* Ὦ γέννησις ἴσως καὶ ἡ τοῦ γεννᾶν θέλησις.

1 Dial. I, inter. XXXIX. — 2 Lib. I *contra Arian.* cap. I. — 3 Lib. IX *de Trin.* cap. X. — 4 Lib. I *Thes.* c. V et lib. V, c. III.

summe bonam, nolle omnino non poterit, quod summa charitas exigit. Et si veraciter constat eam omnipotentem esse, quidquid esse voluerit, non poterit non esse. Exigente itaque charitate condignum habere volet, et exhibente potestate, habebit quem habere placet. » Item in sexto libro capite XVII producendi modum esse ait omnipotentiam, et utrumque illum, quo et Filius, et Spiritus sanctus procedit, *in voluntate constare*.

Bene multi Filium voluntate genitum negant.

XIV. At ex adverso antiqui bene multi Filium voluntate Patris productum esse negant, ut qui naturaliter exstiterit. Sic Athanasius in oratione IV ubi hæreticos id usurpare queritur, quod nusquam sit in Scriptura, voluntate Filium esse genitum, quasi voluntatis antecesserit actio, neque coæternus sit Patri Filius, neque nullo interposito ab eo sit productus; quod ea ratione probat, quia Dei voluntas, seu *velle* Dei in Verbo ejus est, per quod omnia facit. Ideo non potest ipsum voluntate produci, ne alterum Verbum requiratur, per quod illud existat. Et in oratione secunda discrimen hoc inter creaturas, et creatorem Filium statuit, quod illæ voluntate fiunt, quando visum est opifici, « nec existunt necessario. At Filius non voluntate producitur, sed substantiæ proprietas est, et substantiæ fœtus[a]. » Et multis interpositis in eadem oratione, prius id esse dicit, quod secundum naturam est, quam quod ex voluntate oritur; « Transcendit enim voluntatem id, quod naturaliter Patri convenit, ut sit Verbi sui genitor. Quare si id, quod est prius, et naturale, non erat; quonam pacto id, quod posterius est, secundum voluntatem exstitit[b]? » At oratione quarta illud Anomœorum cavillum exponit, ac diluit: Nisi voluntate Patris exstitit Filius consequens esse, ut necessitate, ac nolens habuerit Filium. Verum illos respondet « id quod oppositum est voluntati animadvertentes, id, quod majus, ac sublimius est, non aspicere. Ut enim opponitur voluntario id, quod est præter animi sententiam; ita sublimius est, et prius voluntate id, quod est secundum naturam[c]. » Quare non ex voluntate produci Filium asserit, sed neque ingratus, et præter voluntatem; verum medio quodam modo inter utrumque, quod est *naturaliter*. Quod in eadem oratione, interjectis pluribus, ita declarat: « Num igitur, quoniam natura, non ex voluntate Filius existit, sequitur jam, ut præter voluntatem, Patrique invito, ac nolenti Filius sit? Minime vero, etc. Ut enim bonus esse non ex voluntate cœpit, non tamen invitus, ac nolens bonus est. Quod enim est, hoc cum voluntate sua est. Ita quod existit Filius, etsi non ex voluntate cœperit, non tamen invito illi, ac præter voluntatem existit. Nam ut volens est propriam hypostasim, sic et Filius, qui ejus substantiæ proprius est, non est illi præter voluntatem[d]. » Sic etiam Basilius[1] φύσει, *natura*, non βουλήσει, *voluntate* esse Filium asserit, idemque ei, quod est φύσει, opponit τὸ γεννητὸν, *factum* et *adventitium*. Nam γεννητὸν cum γενητῷ confundit.

XV. Epiphanius hæresi LXIX, num. 26 tritæ illi Arianorum percontationi, « Volens, an nolens Pater Filium genuerit, » respondet, « neque volentem, neque nolentem genuisse, sed in natura, quæ omnem deliberationem superat. Natura enim inest ipsi divinitatis, quæ neque voluntate indiget, neque absque voluntate quidquam agit, sed simul ex seipsa habet omnia, neque ulla re deficitur[e]. » Et in *Ancorato* luculenter eamdem argumentationem hæreticorum per-

a ATHAN. orat. II. Διὸ καὶ τὸ μὲν ποίημα, οὐκ ἀνάγκη ἀεὶ εἶναι. ὅτε γὰρ βούλεται ὁ δημιουργὸς ἐργάζεται. τὸ δὲ γέννημα, οὐ βουλήσει ὑπόκειται, ἀλλὰ τῆς οὐσίας ἐστὶν ἰδιότης, καὶ τῆς οὐσίας γέννημά ἐστιν.

b Ibid. Ὑπερανα6έ6ηκε δὲ τῆς βουλήσεως τὸ πεφυκέναι, καὶ εἶναι αὐτὸν πατέρα τοῦ ἰδίου λόγου. εἰ τοίνυν πρότερον ὅπερ ἐστὶ κατὰ φύσιν. οὐχ ὑπῆρξε κατὰ τὴν ἐκείνων ἄνοιαν, πῶς τὸ δεύτερον, ὅπερ ἐστὶ κατὰ βούλησιν, γένοιτ' ἄν;

c Ibid. Τὸ μὲν γὰρ ἀντικείμενον τῇ βουλήσει ἑωράκασι· τὸ δὲ μεῖζον, καὶ ὑπερκείμενον οὐ τεθεωρήκασιν. ὥσπερ γὰρ ἀντίκειται τῇ βουλήσει τὸ παρὰ γνώμην· οὕτως ὑπέρκειται καὶ προηγεῖται τοῦ βούλεσθαι τὸ κατὰ φύσιν.

d Ibid. Ἆρ οὖν, ἐπεὶ φύσει, καὶ μὴ ἐκ βουλήσεώς ἐστιν ὁ υἱὸς, ἤδη καὶ ἀθέλητός ἐστι τῷ πατρὶ, καὶ μὴ βουλομένου τοῦ πατρός ἐστιν ὁ υἱός; οὐμενοῦν, etc. Ὡς γὰρ τοῦ εἶναι ἀγαθὸς ἐκ βουλήσεως μὲν (οὐκ) ἤρξατο· οὐ μὴν ἀ6ουλήτως, καὶ ἀθελήτως ἐστὶν ἀγαθός· ὃ γάρ ἐστι, τοῦτο καὶ θελητὸν αὐτῷ ἐστιν· οὕτω καὶ τὸ εἶναι τὸν υἱὸν, εἰ καὶ μὴ ἐκ βουλήσεως ἤρξατο, ἀλλ' οὐκ ἀθέλητον, οὐδὲ παρὰ γνώμην ἐστὶν αὐτῷ. ὥσπερ γὰρ τῆς ἰδίας ὑποστάσεώς ἐστι θελητὴς, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἴδιος ὢν τῆς αὐτοῦ οὐσίας, οὐκ ἀθέλητός ἐστιν αὐτῷ.

e EPIPH. hær. LXIX. Οὔτε οὖν θέλων ἐγέννησεν, οὔτε μὴ θέλων· ἀλλὰ ἐν τῇ ὑπὲρ βουλὴν φύσει. φύσις γάρ ἐστιν αὐτῷ θεότητος οὔτε βουλῆς ἐπιδεομένη, οὔτε ἄνευ βουλῆς τι πράττουσα, ἀλλ' ἅμα ἐξ αὐτῆς τὰ πάντα ἔχουσα, καὶ οὐδὲν λείπουσα τῶν ὄντων.

1 In IV *contra Eunom.*

tractat, qua catholicos intercludere conabantur, sciscitantes, volens, an nolens Pater Filium genuisset. Nam « si responderes, nolentem : Ergo, statim inserebant, necessitati Deum subjicimus; necessitate, inquam, naturæ actum est divinum numen, non libertate voluntatis suæ, etc. quod si diceres volentem genuisse, voluntatem præcessisse concederes Verbi generationem[a]. » Ad hæc respondet Epiphanius, « nequaquam inesse Deo talia. Itaque nec volentem genuisse, neque nolentem, sed naturæ quadam excellentia. Excedit enim divina natura deliberationem, neque tempori subjicitur, neque necessitate ducitur[b]. » In iis βουλῆς nomen, etsi proprie *consilium* est, tamen pro fixa, et deliberata voluntate sumitur. De hac enim, non de solo consilio istic agitur. Genuit ergo non voluntate, ac deliberatione, neque consultatione usus aliqua, ut in humanis rebus assolet; quod subinde addit Epiphanius, sed præstantia quadam naturæ, quæ neque deliberationem, neque necessitatem patitur, hoc est, ut postea loquitur, « excellenti quadam, et inexplicabili sua natura[c]. » Ubi Turrianus [1], ex veteri codice legit, ἐν τῇ ὑπὲρ βουλήν. Sed cum paulo ante scripserit, ἀλλ' ὑπερβολῇ φύσεως, nihil mutandum censuerim.

Gregorius Nyssenus Eunomium asserentem Filium opus esse voluntatis paternæ, ut et Spiritum sanctum voluntatis Filii, refellit inde, « quod omnia voluntatis opera non sint effecta naturæ[d]. »

Cyrillus item Alexandrinus multis in locis copiosam de ea re tractationem explicat, ut in septimo *Thesauri*; ubi voluntate non esse genitum Filium, variis argumentis efficit. Tum in dialogo secundo *de Trinitate*, et in oratione undecima paschali. Huc illud referendum est Didymi in lib. *cont. Manichæos* [2] : « In iis, inquit, quæ ad substantiam pertinent, non assumitur voluntas. Nullus enim dicit, voluntate esse animal, aut lapidem. Hæc enim οὐσιώδη sunt, id est ad substantiam pertinentia, quare nihil hic voluntatis est. In illis enim sunt ea, quæ ad voluntatem spectant, in quibus est voluntas. »

XVI. Ambrosius item libro IV *de Fide*, cap. IV neque ex voluntate, neque ex necessitate censet generari Filium a Patre, sed sublimiori quodam modo, itidem ut Athanasius. Nam Arianorum calumniam jam a nobis allatam refellens, « Ergo, inquit, nec invitum dixerim, nec volentem, quia generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in jure quodam, et proprietate paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus Pater non aut ex voluntate est, aut necessitate, sed super utrumque, hoc est natura ; ita non generat ex voluntate, aut necessitate Pater. »

Augustinus idipsum habet in XV libro *de Trinitate*, cap. XX. Et auctor libri *de Trinitate et unitate Dei*, qui exstat inter ejus opera, cap. II erudite rationem hujus rei sic exponit : « Nec voluntate, nec necessitate genuit Pater Filium, non necessitate, quia necessitas in Deo non est; non voluntate, quia voluntas præire sapientiam non potest, quæ est Filius. Igitur prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Unde nec voluntate, nec necessitate, sola sapientia Pater genuit Filium, » quæ totidem verbis in altero libro peræque pseudepigrapho leguntur in calce tomi IV Augustini, in dialogo LXV, *Quæst.* cap. VII. Et in appendice *De diversis* [3] : « Pater Filium genuit non voluntate, non necessitate, sed natura. »

Fulgentius in libro *Responsionum contra Arianos* probat Filium ex voluntate Patris natum non esse; quia « si ex seipso illum genuit, non potuit voluntas generationem præcedere, quia nefas est credere, in Deum aliquid, quod non semper fuit, noviter accidisse. Unde cognoscitur quoniam Deus omnem quidam creaturam de nihilo condidit voluntate sua ; Filium vero substantia genuit, vel natura. » Et in libro tertio *ad Monimum*, cap. VIII. « Nos Deus voluntarie genuit, quia voluntas generationem præcessit ; in unigeniti autem generatione, nulla generantis præ-

a Epiph. *Ancor.* num. 51. Θέλων οὖν ἐγέννησεν, ἢ μὴ θέλων· ἐὰν εἴπωμεν μὴ θέλων, ἀνάγκῃ περιβάλλομεν τὸ θεῖον· καὶ ἐὰν εἴπωμεν ὅτι θέλων, διδόαμεν ὅτι ἦν τὸ θέλημα πρὸ τοῦ λόγου, etc. Καὶ ἐὰν εἴπωμεν ὅτι οὐ θέλων ἐγέννησεν, ἄρα ἀνάγκῃ φύσεως ἧκται τὸ θεῖον, καὶ οὐκ ἐλευθεριότητι θελήματος.

b Ibid. Οὐκ ἔστι δὲ τούτων οὐδὲν εἰς θεὸν, ὡς ὑπολαμβάνεις, ὦ κενόδοξε. παρὰ θεῷ γὰρ ταῦτα οὐκ ἔστιν· οὔτε θέλων τοίνυν ἐγέννησεν, οὔτε μὴ θέλων, ἀλλ' ὑπερβολῇ φύσεως· ὑπερβαίνει γὰρ ἡ θεία φύσις βουλὴν, καὶ οὐχ ὑποπίπτει χρόνῳ, οὔτε ἀνάγκῃ ἄγεται.

c Mox : Ἀλλ' ἐν τῇ ὑπερβολικῇ, καὶ ἀφράστῳ αὐτοῦ φύσει.

d NYSSEN. I *contra Eunom.* edit. Grets. Πάντα δὲ ἔργα προαιρέσεως, οὐ φύσεως ἀποτελέσματα.

1 Ad lib. VIII Const. *Apoc.* cap. XII. — 2 Tom. II *Biblioth. Patrum.* col. 871. — 3 Tom. X August. serm. XLVII.

cessit voluntas, ubi sine initio naturali permanet æterna nativitas. » Quod adversus Arianos procedit, qui Patrem aiebant diu exstitisse sine Filio; postea sponte ipsum, ac voluntate sua produxisse. Hoc enim modo oriri creaturarum proprium est; quod ait Augustinus libro *contra Felicianum*, cap. VII ubi « inter Filium, et creaturam ista, inquit, discretio est, quia ille ex Patre substantialiter gignitur; creata non ex substantia facientis, sed ex sola voluntate, ac potestate perficitur. » Cui et Maximus martyr consonat *Capitum Theologicorum* centuria I numero 2.

Addendum est et Toletanum concilium undecimum in *Professione fidei* : « Hinc etiam Filius Dei, inquit, natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendum est, quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam prævenit. » Necnon Arnobius in *Disputatione cum Serapione Ariano;* « Necessitatem, inquit, qui patitur, Deus omnino nec dici debet, nec credi. » Mox de voluntate sic: « Si prior est sapientia, quam voluntas, præcessit Filius voluntatem, et ante est genitus, quam genitor aliquid vellet, aut nollet; quia quando voluntas cœpit, jam sapientia, quam ipse confessus es, erat anterior. » Atqui Filius, auctore Apostolo, *Dei virtus est, et Dei sapientia* [1].

Agobardus item in libro *contra Felicem*, hoc ipsum quod iste in scheda sua posuerat, « In vero Filio de substantia Patris genito, voluntas nativitatem præire non potest, ubi natura præcedit; sed neque necessitate, quæ in Deo utique non est, » reprehendit, ac « superfluam, et vanam interrogationem » esse dicit. Tum hæc addit: « Naturæ, quæ initio caret, et incremento non indiget, quod est habere, hoc est esse, et quod est esse, perpetuum est; et sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Non ergo in illo natura præcedit voluntatem, neque voluntas consilium, neque consilium verbum; quia sicut nunquam fuit sine verbo, ita nunquam fuit sine sapientia, sine consilio, sine voluntate, vel quidquid veraciter de Deo dici potest. » Rupertus in libro *De voluntate Dei*, cap. VIII. « Illud tantum, quod est super omnia, ultra omnia, extra omnia, omnipotens, inquit, non potentialiter, aut voluntarie fecit, sed naturaliter genuit. Horum quæ dicimus, a nota imagine Dei, scilicet ab homine, documentum capiamus. Ecce homo et naturaliter generare, et operari potest voluntarie. Quod generat, aliud esse non potest, quam quod est ipse, quod operatur, nullatenus esse potest id, quod est ipse. »

De concomitante voluntate qua Pater vult generare Filium.

XVII. Ex quo duplicem in Deo voluntatem, id est voluntatis operationem in scholis theologi discernunt; alteram præcedentem, et natura, tempore, et æternitate priorem eo, quod producitur; qualis est ea, qua Deus creata omnia produxit; alteram *concomitantem*, ut vocant, quæ non præcedit, sed comitatur id, quod producitur. Ita sanctus Thomas [2], qui cum aliquid ex voluntate fieri dicitur, dupliciter ait intelligi: « Uno modo, ut ablativus designet concomitantiam tantum; sicut possum dicere: Quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem. Et hoc modo potest dici, quod Pater genuit Filium voluntate, sicut et est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, et vult generare Filium. Alio modo sic, quod ablativus importet habitudinem principii, sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis. Et secundum hunc modum dicendum est, quod Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam. » Hæc sanctus Thomas, qui ad idem ostendendum, Hilarii testimonium affert ex libro *de Synodis*, sive potius Sirmiensis contra Photinum synodi canonem XXIV. « Si quis voluntate Dei, tanquam unum aliquid de creatura factum dicat Filium, anathema sit. » Verum callide hoc Ariani hæretici jactitabant, non ut Filium, quod ad originem, et producendi modum attinet, dissimilis esse ac creata omnia conditionis putarent, quippe qui a Patre factum illum assererent, et coæternum negarent; sed quod longe cæteris excellentior esset factus, tum nullius interventu operis alterius, sicut creaturæ per verbum fabricatæ sunt. Proinde non sola *concomitante* voluntate productum esse Filium, ut una etiam naturæ necessitate prodierit, Sirmienses illi, Arianique reliqui credebant; sed prorsus libere ita, ut natura saltem Pater Filium præcederet, et posset, si ita visum esset, non producere. Ut autem catholicorum fidem in invidiam adducerent, qui naturaliter, et ex substantia, et necessario genitum esse dicebant, Filium, necessitatem illam sic interpretabantur, tanquam ab invito, et coacto, præterque voluntatem genitum esse defenderent; quod in sequenti

1 I *Cor.* I, 24. — 2 In I par. qu. XLI, art. 2.

Anathematismo idem Sirmienses condemnant: « Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium, sed mox, ut voluit, sine tempore, et impassibiliter ex se eum genitum demonstravit. » Quare voluntas ista, quam necessitati opponunt Sirmienses præsules, mera est libertas, ac non solum violento, et coacto contraria, sed etiam ei, quod ita naturæ est consentaneum, ut ex arbitrio, consilioque minime pendeat. Quæ fuit Eusebii Cæsariensis opinio tum aliis in locis, tum in quarto *de Demonstratione evangelica*, capite tertio, ubi « a volente Patre Filium exstitisse ait, ac de ejus consilio, et virtute; » quod frustra laborant aliqui, ut ad verum, et catholicum sensum referant. Fuit enim, ut in primo libro fuse demonstravimus, Ariano veneno imbutus Eusebius.

De eo Cyrilli locus illustratur.

XVIII. Apud Cyrillum Alexandrinum *concomitantis* illius voluntatis mentionem aliquam invenio, sed non eo sensu, quo theologi isti recentiores accipiunt. Locus est in secundo dialogo, quem supra majori ex parte descripsimus [1]. In quo Patrem esse dicit οὐσιωδῶς γεννήτορα, id est *substantia ipsa genitorem*, et habere φύσιν γεννητικὴν, *genitalem naturam*, neque, ut talis sit, ex ejus voluntate fieri: « Alioqui seipso, inquit, esset antiquior, siquidem jam existens, ac subsistens, id quod est esse voluit, nimirum Pater. Sed hæc in montem, ut aiunt, fluctumque jaciantur, quæ intolerabili laborant absurditate. Nos autem recte ratiocinantes asserimus, supervacaneum, et imperitum esse, putare Patrem vel citra voluntatem, vel voluntarie esse genitorem, cum id sit natura potius, et substantia. Est enim non citra voluntatem illa ipsa, quæ est naturaliter, concurrentem habens cum natura voluntatem, ut sit ea, quæ est [a]. » Perspicuum est hoc loco σύνδρομον, id est *cum natura concurrentem*, idcirco voluntatem dici ab Cyrillo, quod tempore non antecedat, nec sequatur, sed simul sit. Idque inde constat, quod alioqui docet, antiquiorem fore seipso Deum, ut qui prius se esse voluerit, quam esset. Quare cum οὐσιωδῶς Pater sit, non potuit velle se esse Patrem; neque posterior est generatio, quam esse ipsum id, quod est; quod in sequentibus explicare pergit. Sic in septimo *Thesauri*, « Patrem ait velle suam hypostasim; non tamen ex ulla voluntate id, quod est esse. Ita Filius ex Patris substantia procedens, non ei adest citra ipsius voluntatem, tametsi nullo modo voluntas generationem illius præcurrere videatur [b]. » Quare σύνδρομος opponitur ei, quod est προδραμεῖν, vel προηγεῖσθαι, ut Athanasius simili in re loquitur, Valentini dogma id esse scribens προηγουμένην aliquam fuisse βούλησιν, id est *antecedentem voluntatis deliberationem*, qua Filium voluerit gignere.

Substantialiter.

XIX. Utitur eadem illa voce Plotinus de summo bono disputans, et quiddam commemorat, quod ad rem præsentem facit. Nam summum illud bonum, quod est Deus, tale esse dicit, ut « sit voluntatis ejus actio idem plane cum essentia sua. Quod si ita est, quemadmodum voluit, ita et est ipsum. Quare non magis, quomodo natura comparatum est, vult, et agit, quam quemadmodum vult et agit, ita substantiam habet suam [c]. » Mox ita pergit: Cum unaquæque res bonum appetat; hoc ipsum, id est bonum, malle esse, quam id, quod est. Itaque summum bonum, quia nihil præter se appetit, seipsum vult, ac suam exstantiam. Idcirco voluntaria est illi substantia sua, eique voluntate suppetit. Debet enim in illo id esse primario, ac præcipue, quod in cæteris inest. At hæc, uti dictum est, bona esse volunt, et eum boni statum voluntate obtinent. Quare summum bonum idipsum non acquirit quidem, sed est voluntate sua. « Quapropter concurrit quodammodo secum

a Cyril. dial. II *de Trinit.* Καὶ δὴ νοοῖτ' ἂν εἰκότως ἑαυτοῦ πρεσβύτερος, εἴ γε ὢν, καὶ ὑφεστηκὼς, ὅπερ ἐστὶν εἶναι βεβούληται, φημὶ δὴ πατήρ. ἀλλ' εἰς ὅρος μὲν ἐῤῥίφθω, καὶ κῦμα ταυτὶ, φορητὴν οὐκέτι νοσοῦντα τὴν ἀτοπίαν. ἡμεῖς δὲ τοῖς ἐξ ὀρθότητος ἑπόμενοι λογισμοῖς φαμὲν, ὅτι περιττὸν ἂν εἴη καὶ ἀμαθὲς, τὸ γοῦν ἀνεθελήτως, ἢ θελητῶς γεννήτορα ὑπάρχειν οἴεσθαι τὸν πατέρα, φύσει δὲ μᾶλλον, καὶ οὐσιωδῶς. ἔστι γὰρ οὐκ ἀνεθελήτως ἅ ἐστι φυσικῶς, σύνδρομον ἔχων τῇ φύσει τὴν θέλησιν τοῦ εἶναι ἅ ἐστιν.

b Idem, VII *Thes.* Καὶ καθάπερ ὁ πατὴρ, τῆς ὑποστάσεως τῆς ἑαυτοῦ θελητής ἐστιν, οὐκ ἐκ βουλήσεως τινὸς τοῦτο ὢν ὅπερ ἐστίν· οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας προελθὼν, οὐκ ἀθελητός ἐστιν αὐτῷ· εἰ καὶ βούλησις οὐδαμοῦ τῆς γεννήσεως προδραμοῦσα φαίνεται.

c Plotin. *Enn.* VI, lib. VIII, cap. XIII. Αἱ δὲ ἐνέργειαι ἡ οἷον οὐσία αὐτοῦ, ἡ βούλησις αὐτοῦ, καὶ ἡ οὐσία ταὐτὸν ἔσται. εἰ δὲ τοῦτο, ὡς ἄρα ἐβούλετο, οὕτω καὶ ἐστίν. οὐ μᾶλλον ἄρα ὡς πέφυκε βούλεταί τε, καὶ ἐνεργεῖ, ἢ ὡς βούλεταί τε, καὶ ἐνεργεῖ, ἡ οὐσια ἐστὶν αὐτοῦ.

1 Lib. V, cap. IV, n. 10.

Deus, volens ipse esse, et hoc, quod vult, existens; ac voluntas ejus, et ipse, unum est et idem [a]. »

Necnon Plotini et hujus reprehensa sententia.

Apparet Plotinum putasse, Deum hoc ipso esse, quod se esse vult, ac seipsum quodammodo producere, et hoc appellare σύνδρομον, id est *concurrentem* cum actu voluntatis exstantiam. Quod putidum est, ac ridiculum, et seipsum evertit. Non enim Marsilio Ficino assentior existimanti Plotinum velle, « Christianorum more, Deum per voluntatis actum aliquam in se producere, ut ita dixerim, subsistentiam. » Quod de Spiritus sancti persona intelligitur. Sed multum hoc ab illo Plotini discrepat. Quippe Spiritus sanctus sua se voluntate non producit, sed ab alio, et reipsa differente producitur. Nec est omnino res ulla, quæ seipsam aut voluntate, aut cognitione producat. Id enim manifestam habet repugnantiam. Itaque stulta est, et communis sensus expers Platonici istius ratio. Cujus in verbis συνδρόμου vocabulum absolute ponitur, ut non minus naturæ et originis, quam temporis antecessionem excludat. At recentiores, qui *concomitantem voluntatem* usurpant, non temporis, sed naturæ solius ordinem spectant. Nam de tempore, de quo nulla quæstio est, supervacaneum erat dicere. Verum antiqui illi Patres, ut jam docui, qui συνδρόμου voce, aut simili aliqua sunt usi, in illo, de quo agimus, negotio, solam temporis antegressionem segregrare voluerunt.

Ita Gregorius Nyssenus libro *in Hexaemeron* ait, in divina « natura concurrere cum voluntate efficiendi vim, » etc. Mox : « Quare statim ac facienda deliberavit, nulla interposita mora, concurrit rerum effectrix vis, quæ cogitata perficiat, et sine ullo intervallo, continenter conjunctum cum voluntate opus ostensum est [b]. » Quæ verba notionem illam τῆς συνδρομῆς, quam a Patribus usurpari diximus, egregie demonstrant, eam nimirum, quæ temporis differentiam tollit, non rationis, intelligentiæque nostræ ordinem. Etenim certum est, priorem in Deo ratione saltem esse voluntatem, quam efficientiam. Proinde cum ait Gregorius, ambas concurrere, hoc unum vult, simul ac Deus actu quodammodo aliquid existere voluit, nullo temporis interjecto spatio statim fieri.

Explicatur ratio qua Pater dicitur velle Filium gignere.

XX. Porro cur nostri voluntatem illam, qua Pater generare vult Filium, concomitantem vocent, equidem non video. Nam quomodo eam explicant, consequens potius videtur; quippe prius est ratione, Deum esse, quam ipsum velle esse se; prius item bonus est, et justus, et sapiens, quam se talem esse velit; prius, inquam, non natura, sed ratione, quemadmodum prius est Pater, quam Filius; neque eo sensu *concomitanter* existere cum Patre dicetur Filius, id enim esset origine, ac ratione esse simul. Multo minus exempla de nobis, vel angelis petita congruunt, quæ ab illis afferri solent. Neque enim *concomitante* voluntate vult homo esse Socrates, sed plane consequente ut et angeli, qui natura saltem prius sunt, quam se esse intelligant, ac velint. Quod ad Deum vero pertinet, etsi naturæ, nedum temporis, ordo sit nullus, quo prius esse dicatur Pater Filio, vel prius voluisse gignere, quam gigneret; nihil tamen prohibet, quin prior origine, ac ratione sit in Patre voluntas gignendi Filium, quam Filius; quemadmodum prior est *intellectio* qua seipsum cognoscit Pater, producitque Verbum, quam ipsummet Verbum; prius item origine, ac ratione Pater est Deus, et divinitas est in Patre, quam communicetur Filio; ita et voluntas gignendi Filii prius in Patre sit, quam gignatur Filius. Siquidem Dei essentia actus est simplex, ut intelligendi, sic volendi; et quidquid vult, actu vult secundum essentiam citra notiones, ac proprietates, quæ secundum essentiam minime dicuntur.

Ens.

Proinde Deus sicut Pater, quoniam secundum essentiam actus est intelligendi, et intellectio, totum id, quod est, et τὸ ὄν dicitur, comprehendens, ideo prius ratione et se, et Verbum cognoscit, quam sit ipsum Verbum; ita cum sit essentia sua βούλησις, sive *actus volendi*, totum id amplectens, quod est, et cujus auctor est; necesse est prius origine et ratione velit Filium, ejusque productionem, quam actu ipso sit Filius. Quocirca antecedente voluntate Pater vult Filium, ejusque productionem, non comitante, solave, uti dicunt, complacentia : sicut antecedente intellectione seipsum, omniaque sua intelligit, quoniam utrumque essentia ejus est.

XXI. Hinc Augustinus recte Filium dici ait

a Plotin. *Enn.* VI, lib. VIII, cap. xiii. Καὶ σύνδρομος αὐτὸς ἑαυτῷ θέλων αὐτὸς εἶναι, καὶ τοῦτο ὤν, ὅπερ θέλει, καὶ ἡ θέλησις, καὶ αὐτὸς ἕν.

b Nyssen. Ἐπὶ τῆς θείας φύσεως σύνδρομός ἐστι τῇ βουλήσει ἡ δύναμις, etc. Ὥστε ὁμοῦ ἔγνω τὸ δέον γενέσθαι, συνέδραμεν ἡ ἐξεργαστικὴ τῶν ὄντων ἰσχὺς τὸ νοηθὲν εἰς ἐνέργειαν ἄγουσα, καὶ οὐδὲν μετὰ τὴν γνῶσιν ἐφυστερίζουσα· ἀλλὰ συνημμένως, καὶ ἀδιαστάτως συναναδείκνυται τῇ βουλῇ τὸ ἔργον.

...m qua ...atione ...lius sit ...silium et ...oluntas ...Patris.

consilium de consilio [1], et voluntatem de voluntate. « Quidam, inquit, ne Filium consilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia. » Ita expressissime sanct. Augustinus, et quidem ex sententia sua, de quo miror dubitasse nonnullos [2]. Quare uti Pater, quatenus est sapientia, prius origine se et Filium intelligit, quam producat actu ipso; ita qua voluntas est, prius ipsum vult, ejusque generationem, quam actu generet. Quod autem Augustinus non probat absolute dici voluntatem Patris Filium, sed *voluntatem de voluntate*, id statim explicat; « ne scilicet Filius dicatur Patrem facere sapientem, vel voluntatem, si non habet Pater in substantia sua consilium, vel voluntatem ; » hoc est ne *formalis*, et *essentialis*, ut vocant, sapientia, vel voluntas Patris habeatur Filius ; de qua re sequenti capite proprie dicetur. Nihil tamen obstat, quin ut sapientia notionalis intelligitur Filius, cum *sapientia Patris* rite, et catholice vocatur; sic etiam *voluntas Patris* eodem modo nominetur, nempe voluntas essentialis, qua notione procedentis per generationem afficitur; ut dicatur voluntas genita, sicut sapientia genita. Quod Faustinus in libro *contra Arianos*[3] explicat his verbis : « Pie ergo dictum est, quod Filius voluntas est Patris, sicut idem ipse est sapientia Dei. Et tamen, si adhuc movet hic sensus, intende ad ea, quæ dicimus. Certe Dei sapientia Christus est. Quid autem est Dei voluntas, quam Dei sapientia ? Non enim in Deo aliud voluntas, et aliud sapientia. In hominibus quidem potest esse voluntas, non tamen hæc ipsa sapientia, quia voluntas hominis eruditione, et meditatione, et profectu ad sapientiam sibi possibilem pervenit; Dei autem voluntas non eruditione, non meditatione, non profectu ad sapientiam pervenit, sed ipsa nihil indigens, naturaliter substantiva sapientia est. Unde et Christus Dei sapientia existens, Dei quoque voluntas est; quia in Deo non aliud voluntas, et aliud sapientia. »

Cerealis vero, quanquam vitio forte librariorum haud satis sincerus est locus, ac Patrem dicat [4], nec volentem nec nolentem genuisse Filium, nihilominus voluntatem hunc esse Patris affirmat, indeque colligit, Patrem auctorem non esse Filii, hoc est eo majorem, et anteriorem; « quia Pater sine voluntate esse non potuit. » Quod et Origenes olim existimavit; qui in primo *de Principiis*, cum Filium asserit per voluntatem esse productum, tum ipsum esse velut voluntatem quamdam ex ejus mente procedentem ; quod dictum, pro cætera hominis indole, constat haud sincere ab illo esse prolatum. Præclare enim, et opportune ad hoc institutum sanct. Athanasius admonet, eorum verba, qui voluntatem Dei in Filii generationem invehunt, prout ii sunt, qui loquuntur, æstimanda esse. « Ejusmodi enim si quis forte jaciat e catholicis, ac recta fide præditis, nihil fore suspectum, quia simpliciorem verborum enuntiationem catholicus sensus evincit; quando vero ab hæreticis eadem illa proficiscuntur, suspicione non carere [a]. »

Quocirca adversus Arianam cavillationem, qua voluntate Patris, et consilio productum aiebant Filium, hac se præscriptione tutati sunt veteres aliqui, ut hunc ipsam esse voluntatem Patris, ipsumque dicerent esse consilium; ex quo id efficiebant, non eo priorem esse Patrem, quia sine voluntate consilioque esse non potuit. Quo argumento nititur et Cyrillus in septimo *Thesauri*, ubi Filium « vivens, ait, esse Patris consilium, per quod universa fecit. Quare si consilium, et voluntas Patris est, quomodo generationem suam voluntas præcedet ? Videbitur enim ipse seipsum fecisse. Et qui nondum factus erat, secundum hæreticos de seipso deliberasse videbitur; quod si absurdissimum est, non ergo voluntate, ut creaturæ, factus est; sed erat, ut consilium Patris, in Patre, cum proprium paternæ sit essentiæ quiddam [b]. » Et mox : « Non ergo voluntate natus est, sed ipse volun-

a Athan. orat. iv. Τοῦτο δὲ εἰ μέν τις τῶν ὀρθῶς πιστευόντων ἁπλούστερον ἔλεγεν, οὐδὲν ἦν ὑποπτεῦσαι περὶ τοῦ λεγομένου, νικώσης τῆς ὀρθοδόξου διανοίας τὴν ἁπλουστέραν τῶν ῥημάτων προφοραν· ἐπειδὴ δὲ παρ' αἱρετικῶν ἐστιν ἡ φωνή· ὕποπτα δὲ τῶν αἱρετικῶν τὰ ῥήματα.

b Cyrill. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ζῶσα βουλὴ τοῦ πατρὸς, ἐν ᾗ τὰ πάντα ἐργάζεται, etc.

Mox : Εἰ βουλὴ, καὶ θέλημα τοῦ πατρός ἐστιν ὁ υἱὸς, ὥσπερ οὖν καί ἐστι, πῶς ἡγεῖται θέλησις τῆς ὑπάρξεως αὐτοῦ· αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔσται πεποιηκὼς, καὶ ὁ μήπω γεγονὼς, κατὰ τοὺς χριστομάχους, περὶ ἑαυτοῦ φανεῖται

1 Libr. XV *de Trinitate*, cap. xx. — 2 Ruis. Disp. xciii *de Trinitat.* section. v. — 3 Cap. i. tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 4 Lib. *adver. Max.* cap. iv, tom. IV *Biblioth. Patrum.*

tas Patris est; » quod et sæpius inculcat isto in libro, nec non dialogo V *de Trinit.* Eodemque usus est argumento et Ambrosius V *de Fide*, c. v. Gregorius quoque Nyssenus Filium ait esse τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, *voluntatem Patris*[1], ut et Marius Victorinus libro primo *adversus Arium*. Quod alias ita efferunt, voluntatem Patris esse in Filio, ut Athanasius orat. IV [a]. De qua re, et locutione veterum alibi diximus.

Conciliantur diversæ Patrum sententiæ.

XXII. Sed ut quæstioni tandem huic modum adhibeamus, facile esse dicimus antiquos illos omnes inter se conciliare, qui aut Filium asserunt a Patre naturaliter, ac sine voluntate genitum esse, aut non necessario, sed voluntate. Nam utrique voluntatem illam rejiciunt a generatione Filii, quæ libera sit, et cum deliberatione, atque utriuslibet potestate conjuncta; qualem ad producendas creatas res habuisse Deum intelligimus quomodo possumus. Sed eam admittunt, quæ necessaria sit, neque naturalem oriendi modum excludat. Naturale id voco, non solum, quod naturæ consentaneum est, aut ex naturali principio oritur; ita enim et liberæ hominum electiones naturaliter fieri dicuntur, quia natura insitum est homini, ut libere agat, eligatque, quod ei placitum fuerit: verum ejusmodi hoc appello, quod uni affixum, ac determinatum est, ut integrum non sit amplecti alterum. Hoc eo necesse est observare, quod ambigue conflictatur illo in loco Maxentius [2] dialogo II, ubi contra Nestorianum disputans asserentem, « Deum Verbum naturaliter humanæ naturæ unitum credere, impium esse, quia quidquid fit naturaliter, non voluntate, sed necessitate fieri intelligitur; et ideo si naturaliter Deus Verbum propriæ carni unitus est, non jam misericorditer, sed impulsu naturali hoc fecisse credendus est, » tanquam ea, quæ naturaliter dicuntur, necessitate fiant, non voluntate; respondet, hæc ipsa « compositæ, et passibilis naturæ esse propria; impassibili autem, et incompositæ non est aliud naturaliter, aliud voluntarie quippiam facere, sed prorsus unum atque idipsum est. Quia ibi non aliud est natura, aliud voluntas, sed natura voluntas est, et voluntas natura. Idcirco Deus Verbum, cui nulla voluntas est accidens, aut natura passibilis, quum dicitur naturaliter carni unitus, non necessitate, sed voluntate creditur hoc fecisse. Alioquin quæro, utrum naturaliter Deum credas esse, an voluntarie. Si enim voluntarie dixeris, sequitur non ut sit naturaliter Deus. Si autem naturaliter pergis asserere; erit ergo juxta nos Deus necessitate, non voluntate; quod de Deo credere magna dementia est. » Hæc Maxentius, qui in Verbi ambiguitate se jactat.

Maxentius notatus.

Quid sit naturale et quomodo cum libero consentiat.

XXIII. Etenim naturalis est quidem Deo, ut et homini, voluntas, ac quidquid voluntate fit, naturaliter, hoc est naturali facultate fit; quamvis libere geratur. Sed naturale alio sensu dicitur, quod una re definitum est sic, ut ejus contrarium fieri nequeat, ac proinde necessario fit; non tamen ingratiis, aut coacte. Sicut voluntas omnis naturaliter, ac necessario bonum appetit; aut beati Deum amant sponte, ac voluntate, sed necessario, quia nec odisse possunt, nec ab amando desistere, in quo necessitatis est sita ratio; sic et Deus naturaliter, ac necessario, et voluntarie nihilominus Deus est, non utique antecedente voluntate, sed consequente; quia prius est ratione Deum esse, quam intelligere, adeoque velle esse se. Neque Deo indignum haberi debet, necessario esse Deum; imo summæ dignitatis est, aliter esse non posse. Quod autem aliter esse non potest, id necessario est. Sed necessarium pro invito, et coacto, sive violento perperam usurpavit Maxentius, quemadmodum id, quod sine voluntate fit, quod ἀθέλητον appellant, *minime voluntarium*, Athanasius cum eo confundit, quod invito, ac renitenti accidit, et *coactum* dicitur, cum ita scribit oratione IV « non ideo, quod natura, et non ex voluntate Filius existit, ipsum esse Patri ἀθέλητον, id est, *contra voluntatem* ejus, ac nolente illo [b]. » Quod probat, quia Filius a Patre mittitur, et amatur. Perinde vero non esse ἀθέλητον Patris Filium ait, atque ipsimet, uti bonus sit, aut Deus, non est ἀθέλητον, etsi talis ex voluntate esse non cœpit; ac cætera ejusmodi, quæ superius adduximus.

Sic Theodoretus in *Confutatione Anathematismi* tertii Cyrilli, cum hic σύνοδον φυσικὴν, hoc

βουλευόμενος· εἰ δὲ τοῦτο λέγειν ἄτοπον, οὐκ ἄρα βουλήσει γέγονεν, ὥσπερ τὰ ποιήματα· ἀλλ' ἦν ὡς βουλὴ τοῦ πατρὸς, ἐν αὐτῷ, αὐτὸ τῆς οὐσίας ὑπάρχων τοῦ γεννήσαντος τὸ ἴδιον.

1 Nyss. lib. XII. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum*. col. 474.

a Athan. orat. IV. Οὐκ ἄρα βουλήσει γέγονεν· ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς βούλησις.

b Athan. Ἆρ' οὖν, ἐπεὶ φύσει καὶ μὴ ἐκ βουλήσεως ἐστιν ὁ υἱὸς, ἤδη καὶ ἀθέλητός ἐστι τῷ πατρὶ, καὶ μὴ βουλομένου τοῦ πατρός ἐστιν ὁ υἱός; οὐ μὲν οὖν.

est, *naturalem concursum* dixisset esse duarum in Christo naturarum, castigandum hoc putavit, quod ea vox *naturalis* coactum aliquid significet. « Quare, si naturalis factus est formæ Dei, et formæ servi per unionem concursus ; sequitur necessitatis cujusdam vi coactum, non humanitate adductum Deum Verbum cum forma servi copulatum fuisse [a]. » Quod Cyrillus facile confutavit. Non enim id omne, quod naturaliter fit, coacte fit. Velut rationalis est homo natura sua, non tamen contra voluntatem suam, et coactione quadam; ubi ἠναγκασμένον pro necessitate illa sumpsit, quæ violenter accidit, quemadmodum et Maximus Martyr in *Disputatione cum Pyrrho* : « Nam, si, inquit, secundum hanc propositionem, quidquid est naturale, necessitate est expressum; porro Deus natura Deus est, natura bonus, natura opifex : necessitate Deus erit Deus, et bonus, et opifex ; quod vel cogitare, nedum dicere, extremæ est blasphemiæ. Quis enim necessitatem inferat [b] ? » Verum Cyrillus nomen φυσικῆς usurpatum a se dicit pro eo, quod est *vera*, et *non confusa*. Anselmus porro initio libri *de Concordia præscientiæ et gratiæ cum libero arbitrio,* necessitatem distinguit duplicem, nec omnem esse cum vi conjunctam probat.

Explicatur locus quidam .Ephræm.

XXIV. At sanct. Ephræm oratione *de Confessione*, et sui ipsius reprehensione, *necessitatis* nomen ambigue sumit, ac parum perspicue loquitur. Nam primum ait, creatas res omnes non necessitate esse factas ; quia « necessitas liberam excludit voluntatem. Ipse autem suapte voluntate fecit illa, non autem aliqua coactus necessitate; et singula fecit sicut voluit; propriam autem voluntatem habet; quæ nulli necessitati subjecta est, atque ideo non sunt illi coæterna, quæ fecit. Nam si voluntas ipsius necessitati conjuncta esset; coæterna quoque forent ei, quæ ab ipso sunt procreata. » Hic necessitatem intelligit, quæ libertati opponitur. Atqui subinde Filii generationem ita declarat. « Quoniam, inquit, prævidit nihil eorum, quæ fecit, ipsum capere posse, produxit Filium sine principio ex substantia sua, et Spiritum sanctum, non ex necessitate, vel causa aliqua, sicut diximus, cum de Verbo ageremus, ut bonitatis ipsius plenitudinem acciperet; quia naturaliter ipsum ex substantia sua genuit. Omnis autem natura ejus a necessitate, et causa est aliena, ac libera; et maxime, quia voluntati naturam admiscuit, et utramque bonitati conjunxit. Nam bonitas plenitudinem ostendit, quia genuit, a quo essentialiter caperetur. Natura vero dignitatem, quia non indignus, quia capit, nempe Filius, utpote non factus. At voluntas necessitatem exterminavit; quia non propter aliquid est genitus, sed ut semper perfectum esset æternitatis mysterium, et ut non asseramus voluntate necessitati subjecta naturaliter genitum esse Dei Filium. » Hoc vero loco necessitatis nomen non itidem ut prius, usurpat pro eo, quod libertati opponitur, sed pro eo, quo quis indiget, et necessario comparat, ut aliud obtineat; quomodo artifici necessarium est instrumentum, ut opus suæ artis efficiat, et ut Ariani Filium a Patre ideo factum asserebant, ut creatas res alias moliretur; quod, ut quidam etiam ex antiquissimis aiebant, manantem ab solo Patre Deo, nullo interjecto, vim et efficacitatem creatura nulla caperet. Contra quos Ephræm contendit, Patrem sola bonitate inductum, non necessitate, hoc est indigentia, et alterius potiundæ rei gratia, produxisse Filium. Ac subinde in ejus rei testimonium, quod scilicet « non necessitate, aut alia quacumque causa Pater Filium genuit, sed natura ab omni necessitate remota; ac libera, » processisse dicit Spiritum sanctum, *alium consortem*, et quidem *volentem* hunc *produxisse* Patrem *ex substantia sua*, *non genuisse*. Cæterum utramque illam productionem non in tempore esse factam ait; neque Patrem ambobus esse priorem : « Quod porro post Filium, Spiritum sanctum dicimus, id non temporis, sed personæ est significativum, cum Spiritus, et Verbi una et eadem sit principii expers essentia, atque substantia [c]. » Mox : « Quapropter et coæterna sanctissimæ Trinitati est divinitas. Pater et Filius, et Spiritus sanctus tres quidem sunt personæ, sed una substantia, et una divinitas. Quamobrem et unus Deus est sancta, et consubstantialis Trinitas. » Hæc satis indicant pie et catholice de Trini-

a Theodor. *contra Anathem.* III. Εἰ τοίνυν φυσικὴ γέγονε τῆς τοῦ θεοῦ μορφῆς, καὶ τῆς τοῦ δούλου μορφῆς ἡ καθ' ἕνωσιν σύνοδος, ὑπ' ἀνάγκης τινὸς βιαζόμενος, ἀλλ' οὐχὶ φιλανθρωπίᾳ κεχρημένος ὁ θεὸς λόγος συνήφθη τῇ τοῦ δούλου μορφῇ.

b Maxim. in *Disp. cum Pyr.* Εἰ γὰρ κατ' αὐτὴν τὸ φυσικὸν, πάντως καὶ ἠναγκασμένον, φύσει δὲ θεὸς ὁ θεὸς, φύσει ἀγαθὸς, φύσει δημιουργὸς, ἀνάγκῃ ἔσται ὁ θεὸς θεὸς, καὶ ἀγαθὸς, καὶ δημιουργός· ὅπερ καὶ ἐννοεῖν, μή τί γε λέγειν, ἐσχάτης ἐστὶ βλασφημίας. τίς γὰρ ὁ τὴν ἀνάγκην ἐπάγων ;

c Συνάναρχος ὕπαρξις.

tate sensisse beatum Ephræmum, quamvis nulla necessitate, sed voluntate genitum esse dicat Filium, ac processisse Spiritum sanctum. Non enim necessitatem illam sustulit, quæ libero est opposita, sed pro indigentia sumpsit. Quippe creaturas dicit non ex necessitate productas esse, quod alioqui coæternæ essent. Igitur cum Filium, et Spiritum sanctum coæternos esse statuat, necessitate productos existimavit.

XXV. Est et alia necessitatis notio, quam a generatione Filii veteres illi rejiciunt, nimirum ea, quæ adjunctam non habet ejus, quod geritur, notitiam, ac voluntatem, ut sunt naturales propagationes ab inanimis rebus, aut inanimatorum simili modo factæ, quales in Deo fuisse negant; qui cum essentia sua simplicissimus sit intelligendi actus, et volendi; hoc ipsum, quod gignebat, intellexit, ac voluit. Quo Nysseni maxime pertinet exemplum ab igne sumptum; qui si sensu ac ratione esset præditus, ignem alium sciens, volensque produceret.

Hanc tamen gignendi voluntatem, quæ productionem Filii non solum comitata est, sed etiam ratione præcessit, et origine, quomodo Pater Filio prior habetur, nequaquam amorem appellem, sed necessariam, ac naturalem electionem, quam προαίρεσιν vocant, quæ ab amandi actu discernitur.

At qui ex adverso Filium asserunt non esse voluntate productum, eam voluntatem respuunt, quæ et libera est, atque ad opposita pertinet; quemadmodum creaturas condidit Deus, cum eas non facere posset; et est adventitia, minimeque coæterna, sed tum, quando libuerit, suscepta, quæ non potest naturalis in Deo esse, neque ex substantia, et essentia proferre quippiam. Cujusmodi voluntatem, velut mediam, inter auctorem operis, et opus ipsum intercedere, Patres iidem adnotant; qui propterea Arianos refellunt, quod μεσιτεῦσαι aliquid, id est, interjectum fuisse dicerent inter Patrem et Filium. De quo luculenter scriptum est ab Athanasio cum plerisque in locis, tum in oratione IV, ubi «furere dicit eum, qui inter Patrem, atque Filium voluntatem interponat, et consilium. Nam ita dicere, *ex voluntate exstitit*, primum hoc significat, illum aliquando non exstitisse; deinde propensionem ad utrumque præ se fert adeo, ut cogitare quispiam possit, potuisse ipsum etiam Filium nolle producere[a]. » Cui consentanea passim apud Basilium, Gregorium Nyssenum, Cyrillum, et alios occurrunt.

Necnon S. Clementis.

XXVI. Hujusmodi voluntatis *interpositionem*, ac μεσιτείαν Patrem inter, et Filium apud Clementem ab Jacobo Apostolo damnari, Franciscus Turrianus, et schoslatici quidam putant, quibus non assentior. Dicit apud illum inter cætera Jacobus Zebedæi filius Deum Patrem alloquens: « Qui omnia ex nihilo produxisti per unigenitum Filium tuum; ipsum vero ante omnia sæcula genuisti voluntate, et potentia, et bonitate sine ullo medio, Filium unigenitum, Deum Verbum[b]. » Turrianus in *Explanationibus* ad hunc locum adnotat ἀμεσιτεύτως, id est, *nullo interjecto medio*, dici Patrem genuisse Filium, quia nulla præcessit voluntatis actio, quæ se velut mediam interponeret, ut in creatarum productione rerum accidit. Verum aliud in animo Clemens ille habuit; qui quidem discrimen hoc inter productionem Filii, et creaturarum fuisse significat, quod Filius ab ipsomet Patre per alium nullum productus fuerit; mundus autem, et creatæ res omnes a Patre per Filium. Quod Eusebius Cæsariensis, et cum eo Ariani passim usurpabant, et vere alioqui, catholiceque dictum prava interpretatione vitiabant, asserentes Filium, tanquam primarium instrumentum, prius a Patre conditum, ac per ipsum deinde reliqua. Ideo μονογενῆ vocari Filium, quod a solo Patre nullius sit alterius adminiculo factus; de quo plura dixi in secundo hujus operis libro[1]. Porro Clemens idem in septimo libro, c. XXX, Deum Patrem alloquens, et creatas res ab eo percensens, ait illius esse ἀμεσίτευτον ἔργον, *opus sine intermedio;* quod ad voluntatem nonnisi falso referas. Ita ergo loquitur, ut nullius interventu creaturæ, nulloque instrumento res omnes a Deo Patre conditas esse significet.

a ATHAN. Μαίνοιτο γὰρ ἄν τις μεταξὺ τιθεὶς πατρὸς, καὶ υἱοῦ βούλησιν, καὶ σκέψιν, etc. Τὸ μὲν γὰρ λέγειν, ἐκ βουλήσεως γέγονε, πρῶτον μὲν τὸ μὴ εἶναί ποτε τοῦτον σημαίνει· ἔπειτα δὲ, καὶ τὴν ἐπ' ἄμφω ῥοπὴν ἔχει, καθάπερ εἴρηται· ὥστε δύνασθαί τινα νοεῖν, ὅτι ἠδύνατο καὶ μὴ βούλεσθαι τὸν υἱόν.

b CLEM. VIII *Const.* cap. XII. Τὰ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ· αὐτὸν δὲ πρὸ πάντων αἰώνων γεννήσας βουλήσει, καὶ δυνάμει, καὶ ἀγαθότητι ἀμεσιτεύτως υἱὸν μονογενῆ, λόγον θεόν.

1 Cap. XII.

CAPUT IX.

De sapientia, quæ proprie Filio tribuitur. An ipsa sapientia, qua Pater sapiens est, sit Filius. Hoc nonnulli veterum significasse videntur, qui et inde argumentando, Filium coæternum esse Patri colligunt : quorum expenduntur sententiæ ; neque solum id de sapientia, bonitate, etc., usurpant, sed etiam de λόγῳ, *quod personale videtur. Explicatur Augustini sententia quædam ab nonnullis theologis accepta perperam ; ac demum ejusdem sententia comprobatur : non ea sapientia, quæ est Filius, sapientem esse Patrem ; et qui contra sentire videntur, verum ad sensum accommodantur.*

I. Tertium nominum genus, quæ de Filio Dei Scripturæ, teste Ambrosio, prædicant, uti capite primo supra meminimus, « perspicuam divinæ majestatis unitatem exprimit, » veluti sunt *sapientia*, *virtus*, *veritas*, *vita*. Hæc enim plane eadem sunt in utroque, imo in tribus, quamvis Filio proprie tribuantur, « qui *Dei sapientia*[1], ac *Dei virtus*[2] » dicitur ; isque se *veritatem*, ac *vitam* esse declarat.

In quo primum illud inquiri debet, quemadmodum ista dicantur, et quem sensum habeant : utrum scilicet ea ipsa sapientia, qua sapiens Pater dicitur, aut vita, qua vivit, et virtus, qua fortis, ac potens est, sit ipse Filius. Ac nos quidem sapientiam in Deo, et vim, ac cætera similia sic animo describimus, quasi forma sit quædam substantiam illius afficiens et ex utroque tanquam compositum aliquid existat ; quod aliter revera se habet. Est enim Deus hoc, quod est sapientia, et virtus, et vita ; nec harum, et essentiæ, vel substantiæ ulla est diversitas. Verum ratione nihilominus ista separantur, hoc est non uno modo subjecta sunt intelligentiæ nostræ ; quippe essentiam ipsam, et οὐσίαν quasi subsistens cogitamus aliquid, et subjacens ; sapientiam vero, velut afficientem, et formantem. Ex quo existit illa quæstio : an cum Filius sapientia, et virtus Dei vocatur, in modum qualitatis illius animo concipi debeat, qua sapiens est Pater, aut potentia, qua potens, aut vita, qua vivit. Quod similiter et de λόγῳ quæritur, quem non solum *sermonem*, sed etiam *rationem* interpretamur ; de hac vero dubitatur, an ratio ipsa, qua rationalis est Pater, sit ejus λόγος, ac Filius.

Omitto vetustissimos scriptores illos, qui libro *de Trinitate* primo[3] a nobis adducti sunt ; quique Filium insitam, et interiorem esse Patris sapientiam, ac λόγον arbitrati sunt ; qui cum hactenus in ipso Patre contineretur, foras deinde productus sit ad res omnes procreandas, et prolatione generatus.

Præter hos vero plerique exstiterunt alii, qui sic existimasse videntur, Filium ipsam esse sapientiam, aut vim, ac potentiam, aut vitam, rationem, et hujus generis alia, a quibus Deus ipse, Paterve sapiens, potens, vivens, rationalis, et cætera nominatur. Ita Origenes ab Athanasio allatus in libro *de Decretis Nicœnæ synodi*, cujus in libro primo meminimus. Et in primo *de Principiis*, capite secundo, ubi sempiternum, ac ne momento quidem posteriorem esse Patre Filium inde probat, quod Filius sit ipsa Patris sapientia, qua carere nunquam ille potuit.

Plerique veteres existimasse videntur Filium esse sapientiam qua Pater est sapiens.

Sic Alexander episcopus Alexandrinus in epistola *ad Constantinopolitanum episcopum* cognominem, eodem argumento confutat Arianam illam blasphemiam, fuisse aliquando, cum non esset Filius. Quod argumentum etsi refellit Augustinus[4], ut postea dicemus, a multis tamen usurpatur antiquis Patribus, ut Athanasio ; qui de sapientia id argumentatione tali colligit oratione prima : « Si enim est, ait, in Patre sapientia altera, quam Dominus, sapientia producta est in sapientia ; ac si sapientia est Dei Verbum, et Verbum in Verbo productum est ; tum si Verbum Dei est Filius, etiam Filius in Filio factus erit[a]. » Et in oratione tertia, « Nonne, inquit, furiosior est, qui vel in cogitationem suam admittit, Deum aliquando ἄλογον, id est, rationis, vel sermonis expertem, et ἄσοφον, id est, sapientia carentem fuisse[b] ?» In quinta autem tale ex eo conficit argumentum : « Sic igitur dicendum est. Aut Deus sapiens, minimeque irrationalis est ; aut contra sapientiæ,

a Athan. orat. i. Εἰ ἄλλη ἐστιν ἡ ἐν τῷ πατρὶ σοφία παρὰ τὸν κύριον, καὶ ἡ σοφία ἐν σοφίᾳ γέγονεν· εἰ δὲ σοφία ἐστὶν ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, εἴη ἂν καὶ ὁ λόγος ἐν λόγῳ γεγονώς. καὶ εἰ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐστιν ὁ υἱὸς, εἴη ἂν καὶ ὁ υἱὸς ἐν τῷ υἱῷ ποιηθείς.

b Id. Ἢ πῶς οὐ μαίνεται πλέον ὁ κἂν ἐνθυμούμενος ἄλογον, ἢ ἄσοφόν ποτε τὸν θεόν.

1 I *Cor.* ii. — 2 *Joan.* xiv, 6. — 3 Cap. iii et v. — 4 Aug. lib. VI *de Trin.*, cap. i.

et rationis expers. Si hoc secundum probas, statim absurditas apparet. Sin prius ponitur, interrogandum est, quomodo sapiens est, et non irrationalis; an sic, ut extrinsecus rationem, et sapientiam acquisierit, an ut ex se habuerit. Si extrinsecus, erit aliquis, qui illi ante dederit, adeoque priusquam acciperet, irrationalis erat, et insipiens. Sin ex sese habuit, manifestum est, non ex nihilo processisse, neque fuisse tempus aliquando, cum non erat. Semper enim erat[a]. » Mox respondentibus, Patrem proprium quemdam in seipso λόγον, ac propriam habere sapientiam, per quam Christus est factus; ita occurrit Athanasius, ergo mentiri dicentem illum, *Ego in Patre, et Pater in me est*, cum sit alter in Patre. Item cum dicitur, *Et verbum caro factum est*, de eo intelligi, *per quem omnia facta sunt*, quique est in Patre; non autem de eo, qui Christus a nobis dicitur, siquidem diversus est ab illo. Tum multis interjectis, « aliud esse docet sapientem Deum, aliud sapientiam; sicut non idem est Pater, qui et Filius. Est enim indecorum, eumdem suimetipsius esse Patrem[b]. »

Indeque coæternum esse Patri Filium colligebant.

II. Basilius quoque libro quarto *contra Eunomium*: « Si est, inquit, Christus Dei virtus, et sapientia; hæc autem increata, et coæterna sunt Deo (non enim fuit aliquando sapientiæ, ac virtutis expers), increatus et coæternus est Deo Christus[c]. »

Sic Basilii frater Nyssenus Gregorius in septimo *contra Eunomium*, indidem probat æternitatem, ac τὸ συναΐδιον Filii, quod cum sit *lux, beatitudo, vita, incorruptio, justitia, sanctificatio, virtus, veritas*, etc., si quis Filium dicat aliquando non exstitisse, consequens erit, non fuisse lumen, non virtutem, non incorruptionem, non alia omnia, quæ insunt Deo. Et in octavo, ex eo, quod Filius sit plenitudo boni omnis, semper ipsum in Patre fuisse contendit: quoniam bono nunquam vacuus esse potuit Deus. Quæ ratio sumit, Filium ipsam esse bonitatem, qua bonus est Pater.

Ad hæc in fine ejusdem octavi libri demonstrat non esse factum Filium; quod alioqui, antequam exstitisset, neque veritas fuisset, neque lux intelligibilis, neque vitæ fons; ac si lux nondum erat, necessario tenebræ fuerint; ut et mendacium nondum orta veritate; vita itidem nondum producta, mors fuit; et malum, antequam bonum exstaret. Objiciente autem Eunomio, tametsi nondum esset Filius, non idcirco fuisse tenebras, eo quod Pater ipse sit lux ingenita; respondet Gregorius, saltem ei lumini, quod est Filius, suas esse tenebras oppositas, quarum depellendarum gratia lux illa procreata sit. Qua argumentatione non valde urgetur Eunomius, qui instare hoc modo poterat, depulsis semel tenebris, ab primaria, et ingenita luce, nihil opus fuisse ab secunda repelli. Ita porro lucem appellari Filium; quemadmodum et angelos quidam arbitrati sunt illam esse lucem, quæ primo die verbis istis a Deo facta est, *Fiat lux;* quod Augustino[1] non displicet. Quare aliter constringendus est Eunomius, uti paulo post demonstrabimus. Vide ejusdem Gregorii Nysseni librum primum *contra Eunomium* a Gretsero editum.

III. Gregorius Nazianzenus oratione XXXV similiter, « Non enim Pater, inquit, sine ratione fuit aliquando; nec unquam fuit, quin Pater esset; nec unquam non verus, non sapiens, non vi carens, vitæ indigus, splendore, ac bonitate destitutus fuit[d]. »

Cyrillus item Alexandrinus passim in eodem illo commoratur. Ut in lib. IV *Thesaurorum*, et in libro quartodecimo ejusdem operis: « Vita, inquit, quam in seipso Pater habet, non est a Filio diversa; ac vicissim quæ inest in Filio vita, non est a Patre diversa[e]. » Nam alioqui non simplex esset, sed compositus Pater. Et in libro XXXII, ex eo, quod Christus est *sapientia*, et *virtus Patris*, si idem ex nihilo

a ATHAN. orat. V. Λεκτέον οὖν, ὁ θεὸς σοφὸς, καὶ οὐκ ἄλογός ἐστιν, ἢ τοὐναντίον ἄσοφος, καὶ ἄλογος. εἰ μὲν οὖν τὸ δεύτερον, αὐτόθεν ἔχει τὴν ἀτοπίαν. εἰ δὲ τὸ πρῶτον, ἐρωτητέον πῶς ἐστι σοφὸς, καὶ οὐκ ἄλογος· πότερον ἔξωθεν ἐσχηκὼς τὸν λόγον, καὶ τὴν σοφίαν, ἢ ἐξ ἑαυτοῦ. εἰ μὲν οὖν ἔξωθεν· ἔσται τις ὁ προδεδωκὼς αὐτῷ. καὶ πρὶν λαβεῖν, ἄσοφος καὶ ἄλογος. εἰ δὲ ἐξ αὐτοῦ, δῆλον ὅτι οὐκ ἐξ οὐκ ὄντων, οὐδ' ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν.

b ATHAN. ibid. Οὐ γὰρ καθ' Ἕλληνας ὁ αὐτὸς σοφὸς, καὶ σοφία ἐστίν· ἢ ὁ αὐτὸς πατήρ, καὶ λόγος ἐστίν· ἀπρεπὲς γὰρ αὐτὸν ἑαυτοῦ πατέρα εἶναι.

1 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. XXII.

c BASIL. Εἰ Θεοῦ Χριστὸς δύναμις, καὶ σοφία, ταῦτα δὲ ἄκτιστα, καὶ συναΐδια Θεῷ· οὐ γὰρ ἦν ποτε ἄσοφος, καὶ ἀδύναμος· ἄκτιστος, καὶ συναΐδιος Χριστὸς Θεῷ.

d GREGOR. NAZIANZ. orat. XXXV. Οὐ γὰρ ἦν ὅτε ἄλογος ἦν· οὐδὲ ἦν ὅτε οὐ πατήρ· οὐδὲ ἦν ὅτε οὐκ ἀληθὴς, ἢ ἄλογος, ἢ ἀδύνατος, ἢ ζωῆς ἐνδεὴς, ἢ λαμπρότητος, ἢ ἀγαθότητος.

e CYRIL. lib. XIV *Thes.* Ἡ ζωὴ ἄρα, ἣν ἔχει ὁ πατὴρ ἐν ἑαυτῷ, οὐχ' ἑτέρα τίς ἐστι παρὰ τὸν υἱόν. καὶ πάλιν ἡ ἐν υἱῷ ζωὴ οὐχ ἑτέρα τίς ἐστι παρὰ τὸν πατέρα.

sit factus, consequens esse dicit, « aliquando sapientia, et potentia caruisse Patrem, et eas adeptum esse postea, cum productus est Filius[a]. » Quod ipsum insigniter repetit in dialogo IV *de Trinitate*, et in primo *Commentariorum in Joannem*, capite tertio, ac passim alibi.

Joannes vero Damascenus idem illud plenius asseverat his verbis : « Non est Patri verbum aliud, neque sapientia, vel virtus, nisi Filius, qui est sola virtus Patris [b].»

Ambrosius libro *de Symbolo*, capite II, Arianos similiter refellit, ita loquentes : « Erat aliquando tempus, quando non erat ; et antequam nasceretur, non erat. Numquidnam potuit esse tempus, ait, quando Pater sine vita, sine sapientia, sine virtute, sine verbo, quod Christus est, fuerit ? » In libro quoque secundo *in Hexaemeron*, cap. III, Patrem dixisse Filio ait, ut crearet omnia, id est « brachio suo, virtuti suæ, sapientiæ suæ, justitiæ suæ.» Sœbadius libro *contra Arianos:* « Qui ergo probaverit sine verbo, sine sapientia, sine ratione, sine virtute, sine spiritu aliquando Patrem fuisse, is probavit cum Patre, et in Patre Filium ante omne principium non fuisse. » Et mox : « Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo initio non caret. » Faustinus item libro *cont. Arian.* cap. VI : « Valde impium est credere, quod aliquando Deus sine sua fuerit sapientia. »

Idacius Clarus [1] libro *contra Varimadum*, « Sacrilegium est, inquit, dicere Patrem lucem sine splendore, aut fortem sine virtute, aut sapientem aliquando sine sapientia sua fuisse ; cujus perfecta divinitas nihil ad perfectionem suam ex accidentibus rebus assumpsit, quem in semetipso continere, quæ sua sunt, rationalis universitas credendo cognoscit. » Cerealis item libro *adversus Maximum*[2], cap. IX, æternitatem Filii ex Patris æternitate probat, quia ipse est voluntas Patris ; Pater autem sine voluntate esse non potuit. Sic *Breviarium Fidei* antiquissimi auctoris inter opuscula dogmatica editum, Deum Patrem cum Filio suo una voluntate cuncta, et una operatione perfecisse docet, quia hoc est sapientia, et virtus Patris.

IV. Quin et Augustinus ipse libro *de Fide et Symbolo*, c. IV, hoc ipso usus est argumento : « Neque ex tempore genitus, inquit, quia sempiternus Deus sapiens, sempiternam secum habet sapientiam suam. » Et in oratione *contra quinque Hæreses*, c. VI : « Vides ergo, quia semper erat, de quo tu audes dicere non erat. Aut si dicis Deum aliquando sine verbo, aut sine ratione fuisse, jam non Filio tantum, sed et Patri adversarius eris. » Eusebius ille, qui falso Emissenus dicitur, in homilia prima *de Symbolo :* « Sicut autem esse non potest sol sine splendore, vel ignis sine calore, vel immortalitas sine æternitate, vel æternitas sine immortalitate, vel virtus sine fortitudine. Sicut, inquam, esse non potest vel ratio sine sapientia, vel veritas sine justitia, vel bonitas sine misericordia , ita nunquam potuit esse Pater sine Filio. Omnes enim istæ virtutes continentur in Filio. » Agnellus [3] episc. Ravennas in epist. *ad Armenium* contra hæreticos scribens, qui Patrem aiebant « sua voluntate genuisse Filium quia, si noluisset, non eum genuisset, » sic disputat : « Ad hæc exigendum est, ut dicat : Quando voluit generare Filium, habueritne virtutem generandi, et sapientiam hoc ipsum volendi ? Si dixerit, non habebat, confutas blasphemum. Si dixerit, habebat, obtines victoriam. *Filius enim*, ut dicit Apostolus, *Dei Patris virtus est*, *et sapientia.* Nam qui dicit, virtutem non habuit, blasphemat ; qui dicit, sapientiam non habuit, blasphemat. » Arnobius in conflictu cum Serapione, similiter non esse creatum probat Filium ; quia si sapientia crearetur , Pater antea esset insipiens. Vide et Hugonem Victorinum [4] qui ipsammet Patris esse sapientiam Verbum indicare videtur.

Non dispar est eorum ratio, qui Spiritum sanctum ipsam Dei Patris, ac Filii esse sanctitatem asserunt, ideoque coæternum et ipsum esse Patri, ac Filio. Ita Ambrosius libro *de Symbolo*, cap. I et Gregorius Nazianzenus, oratione XXXVII.

V. Sed de sapientia, potentia, virtute, bonitate, ac reliquis, quæ divinam essentiam sequuntur, ac tribus sunt communia personis, non tam mirum videtur, in hunc modum ista pronuntiari, ut ipsa Patris sapientia, qua sa-

a CYRIL. lib. XXXII. *Thes.* Ἀνάγκη συνομολογεῖν ἄσοφον μέν ποτε, καὶ ἀδύνατον εἶναι τὸν θεὸν, ὕστερον δέ πως γενέσθαι τοῦτο, πρὸς τὸ εἶναί ποτε κληθέντος τοῦ υἱοῦ.

b DAMASC. lib. I, cap. XIII. Οὐκ ἔστι τῷ πατρὶ λόγος, σοφία, δύναμις, θέλησις, εἰ μὴ ὁ υἱός· ὅς ἐστιν ἡ μόνη δύναμις τοῦ πατρός.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 292. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 3 Tom. III *Biblioth. Patrum.* — 4 *Erudit. theol.* tr. I, cap. VI et lib. I *de Sacram.* part. III, cap XXI.

piens est, appelletur Filius; quod, qua ratione dicatur, postea declarandum erit. Illud ab usu communi remotius est, idem et de λόγῳ ab veteribus usurpari, non solum quatenus *rationem*, sed etiam quatenus *Verbum* significat, quod personale nomen est. Græci quidem, ut ex iis locis constat, quæ proxime sunt allata, multum eo utuntur argumento ad demonstrandam Filii æternitatem, quod nunquam Pater ἄλογος fuerit. Id vero, quo sensu capiatur, ambiguum est. Nam aut *rationem* intelligunt, aut *sermonem*, ac *verbum*; et potest tam hæc, quam illa notio illorum dictis attribui. Ut cum Athanasius orat. II *contra Arianos*[a], τὸν λόγον non esse Patri adventitium, aut eo posteriorem probat, quia Pater nunquam ἄλογος fuit; ac proinde, quia τὸν λόγον negant, eorum interrogationem esse ἄλογος. Ubi vox ista λόγος *rationem* significare videtur. Nam secundum illam notionem ab λόγος derivatur ἄλογος, quod est *alienum a ratione*, et insipiens. Ita et Gregorius Nazianzenus orat. XXXV, quæ est prima *de Filio*.

Id etiam de *Logo* usurpabant.

Gregorius vero Nyssenus in *Oratione catechetica*, rudem hominem instruens, eum ad secundæ personæ notitiam, ac professionem inducit eo argumento, quod qualiscumque tandem cogitatur Deus, non potest esse ἄλογος, adeoque λόγον habet; quam vocem subinde ad sermonem refert, ut et ejus imitatione Damasc. lib. I, cap. VI, et alii complures.

VI. Verum, omissa Verbi appellatione, ac reliquis, quæ relativæ sunt, in absolutis exercenda quæstio est, velut sapientia, bonitate, magnitudine, ac cæteris; explorandumque, num ea sapientia, et magnitudine, quæ Filius est, Pater sapiens dicatur, et magnus. De quo fuse, ac subtiliter disserit Augustinus in sexto et septimo *de Trinitate*.

Explicatur sententia Augustini a non nullis theologis perperam accepta.

Nam initio sexti, catholicos Patres ait, qui contra priores Arianos disputabant asserentes « fuisse tempus, quando non erat Filius, hanc ratiocinationem inseruisse : Si Dei Filius virtus, et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine virtute, et sapientia fuit, coæternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus, *Christum Dei virtutem*, *et Dei sapientiam*; et Deum aliquando non habuisse virtutem, aut sapientiam, dementis est dicere. Non igitur erat tempus, quando non erat Filius. » Quæ eadem est illa ratio, quam bene multos ex antiquis Patribus usurpasse supra demonstratum est. At ex ea quædam absurda consequi, ibidem docet Augustinus. Primum ad id nos coget ista ratiocinatio, « ut dicamus Deum Patrem non esse sapientem, nisi habendo sapientiam, quam genuit, » ita ut per se non sit ipsa sapientia. Deinde, si non est sapientia per se, sed gignendo Filium, non dicetur Filius sapientia de sapientia, sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, sed tantum genitor sapientiæ. « Quod si tenemus, cur non et magnitudinis suæ, et bonitatis, et æternitatis, et omnipotentiæ suæ generator sit, ut non sit ipse sua magnitudo, et sua bonitas, et sua æternitas, et sua omnipotentia, sed ea magnitudine magnus sit, quam genuit, et ea bonitate bonus, et ea æternitate æternus, et ea omnipotentia omnipotens, quæ de illo nata est, sicut non ipse sua sapientia est, sed ea sapiens est, quæ de illo nata est? » Hinc etiam consequens esse concludit idem, ut Pater id solum esse dicatur *in seipso*, hoc est singulus, et solus, quod ad Filium dicitur, nimirum quod relativum est, veluti pater, vel genitor, vel principium Filii; « quidquid autem aliud dicitur, cum Filio dicatur, vel potius in Filio. » Ita ergo solus quidem Pater dicetur, aut genitor, solus item Filius aut Verbum; non autem solus Pater appellabitur Deus, omnipotens, aut sapiens, sed cum Filio; ut quod scriptum est, *Verbum erat apud Deum*, hunc sensum habeat, « Verbum, quod solus est Filius, erat apud Deum, quod non solus est Pater; sed Pater et Filius simul Deus. » Ex quo regula ista oritur : « Quidquid ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero, id est, quidquid dicuntur, quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, jam ergo nec Deus est Pater sine Filio, nec Filius Deus sine Patre, sed ambo simul Deus. » Hoc est, si vera sit illa regula, non poterit dici, *Pater est Deus*, quin una jungatur et Filius, *Pater cum Filio Deus est.* Hæc Augustinus c. I et II libri sexti.

VII. Quæ sic a theologis quibusdam intelliguntur, tanquam serio, atque ex animi sui sententia Augustinus ista scripserit, ac decreverit. Alcuinus enim in primo *de Trinitate*, cap. VII, illam ipsam Augustini sententiam, secundi capitis sexti libri descripsit, ut et Magister sententiarum [1]; ac velut generalem regulam uterque proposuit eorum, quæ ad se, et eorum, quæ relativa dicuntur. Quod et apud

a ATHAN. Ἀρνούμενοι γὰρ τὸν λόγον, ἄλογον ἔχουσι καὶ τὴν ἐρώτησιν.

1 Lib. I, dist. XXVII.

August. legitur homilia XXXVIII *de Tempore;* quæ in Appendicem merito rejecta est a Lovaniensibus tomi X, estque ordine XXX. Porro isti omnes ita illud Augustini dictum intellexerunt, tanquam hoc velit : Quidquid ad se dicuntur Pater et Filius, non dici unum sine altero, hoc est ambos simul dici, non autem alterutrum separatim, nisi adjuncto dici altero. In quo verum quidem dicunt; sed male Augustinum interpretantur, et plurimum ab illius mente discedunt. Nam aliud voluit, ac tanquam consectarium falsæ opinionis adduxit, ipsum utique falsum. Non, inquam, ex opinione sua ita scivit ille : Patrem, exempli causa, non posse dici sapientem, aut bonum, nisi nominatim exprimatur et Filius, quasi solus, et singulus dici id nequeat. Sed tanquam consequens istud posuit ejus, quod quidam asserebant, Filium esse sapientiam eam, qua Pater est sapiens, ita ut sapientiam suam genuerit, et magnitudinem, et omnipotentiam, qua sapiens est, et magnus, et omnipotens. Hinc enim concluditur, per se, ac sine Filio non esse sapientem, aut magnum, aut omnipotentem, sed solummodo patrem sapientiæ. Quod ut est revera, sic absurdum duxit Augustinus; idque verbis istis significavit: « Itane ergo dicimus, ut Pater sit generator magnitudinis, hoc est, generator virtutis, vel generator sapientiæ suæ ; Filius autem magnitudo, virtus, et sapientia ; Deus vero magnus, omnipotens, sapiens, ambo simul? Quomodo ergo Deus de Deo, lumen de lumine? Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet ex Patre ; nec ambo simul lumen de lumine, sed solus Filius de lumine Patre.» Quocirca libro illo sexto quæstionem proposuit Augustinus, ac dubitationem informavit suam, et quid utrinque consequens, ac consentaneum foret, exposuit; atque, ut solet, ex aliis in alia digressus, nondum ea dissoluta, librum terminavit. Tum in sequenti eamdem de integro quæstionem repetiit, « utrum et singula quæque in Trinitate persona posset et per seipsam, non cum cæteris duabus dici Deus, aut magnus, aut sapiens, aut verus, aut omnipotens, aut justus, et si quid aliud dici de Deo non potest non relative, sed ad seipsum; an vero non dicantur ista, nisi cum Trinitas intelligitur. » Etenim quia Christus ab Apostolo dicitur *Dei virtus, et Dei sapientia*[1], quæritur, an sit ita pater virtutis, et sapientiæ suæ, ut ea sapientia sit sapiens, quam genuit, atque adeo, an Pater singulus sit sapiens; an ita sit sapiens, quomodo dicens. Verbo enim, quod genuit, dicens est; porro non singulus dicens intelligitur, sed cum eo Verbo, quod genuit, sine quo non est utique dicens. « Itane sapiens, sicut dicens, ut ita sit sapientia, sicut Verbum; et hoc sit Verbum esse, quod est esse sapientiam; hoc etiam esse virtutem, ut virtus, et sapientia, et verbum idem sit, et relative dicatur, sicut Filius, et imago, atque ille non singulus potens vel sapiens, sed cum ipsa virtute, et sapientia, quam genuit, sicut non singulus dicens, sed eo Verbo, et cum eo Verbo, quod genuit, atque ita magnus ea, et cum ea magnitudine, quam genuit? » Quoniam autem non est illi aliud esse, et aliud Deum, aut magnum, aut sapientem esse; sequitur essentiam Patris esse Filium, sicut est Verbum, et Imago; ac proinde, quæ causa illi est, ut sapiens sit, ipsa illi causa est, ut sit; quod fieri non potest, nisi gignendo eum, aut faciendo. Sed neque genitricem, neque conditricem Patris ullo modo quisquam dixerit sapientiam. Itaque aut Christus non erit Dei virtus, et sapientia; aut Pater non erit Pater virtutis, et sapientiæ suæ; quod utrumque est impium. Addit his et alia quædam absurda, impiaque consectaria; velut quod si Filius sit essentia Patris, ad eum essentia relative dicatur; ideoque ne essentia sit quidem, cum relativum ab essentia diversum sit, Deinde in omni relativo aliud est essentia, aliud id, quod refertur; ut in domino aliud est homo, aliud id, quod dominus dicitur.

VIII. His ad eum modum acute, ac subtiliter expensis, sub primi capitis finem, et in sequenti, quæstionem ita decidit: Tam Patrem singulum esse sapientiam, quam Filium; ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque sit una sapientia. « Pater igitur, ait cap. II, et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una veritas, et una sapientia. Sed non Pater, et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius; » quia Verbum, Imago, Filius non ad se, id est, absolute, sed ad Patrem, ac relative dicitur; et propterea non eo Verbum, quo sapientia, quia sapientia eo, quo essentia dicitur. Itaque cum dicitur Verbum, idem est, ac si dicatur « nata Sapientia. Et hæc duo cum

[1] I *Cor.* I, 18 et 21.

dicuntur, id est nata sapientia, in uno eorum, quod nata est, et Verbum, et imago, et Filius intelligatur; et in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relative dicuntur. At in altero, quod est sapientia, quoniam et ad se dicitur, seipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstretur; et hoc ejus esse, quod sapere. Unde Pater et Filius simul una sapientia, quia una essentia, et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. »

Ad extremum capite tertio causam affert Augustinus, cur cum Pater peræque sapientia sit, ac Filius, tamen in Scripturis nunquam fere de sapientia quidquam dicitur, nisi ut ostendatur a Deo genita, vel creata, « quia, inquit, illa nobis sapientia commendanda erat, et imitanda, cujus imitatione formamur. » Quippe « Filius factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, qua temporaliter nos ad illum convertimus, id est ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in æternum; » quemadmodum et per ipsum, atque ejus imitatione sumus imago Dei. Propterea « cum pronuntiatur in Scripturis, aut enarratur aliquid de Sapientia, sive dicente ipsa, sive cum de illa dicitur, Filius nobis potissimum insinuatur. »

Concluditur Patrem non esse sapientem, in sensu formali, sapientia quam genuit.

IX. Ex hac Augustini disputatione liquet, Patrem non dici sapientem ea sapientia, quam genuit, si formali, ut aiunt, sensu istud usurpetur. Alioqui cum sapientia idem sit, quod essentia, Filius esset essentia Patris, et a Filio Pater essentiam haberet, hoc est ut esset, et saperet; tum vero Pater esset Filius, cum sit sapientia, et omnipotentia sua. Merito igitur Augustinus in primo *Retractationum*, cap. XXVI revocavit id, quod in libro *Octoginta trium quæstionum* dixerat, quæst. XXIII. « Deum dici sapientem, quod ipse eam genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam. » Duobus enim modis ab forma quapiam appellationem trahi, velut castum dici ab castitate, « vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate, quam gignit, et cui principium, atque causa est, ut sit; vel ut participatione castitatis castum sit, quod potest aliquando esse non castum. » Priore modo Deum nominari vel bonum, vel sapientem, vel æternum ibi Augustinus affirmat, quod æternitatis ipsius est auctor, et bonitatis, et sapientiæ. Verum hoc retractavit Augustinus, ac se « melius istam quæstionem in libro postea *de Trinitate* tractasse » dicit.

Ac non solum in sexto, et septimo, quos citavimus, sed etiam in decimo quinto libro [1] operis ejusdem de hoc argumento disserens, plenius demonstrat, non esse sapientem Patrem ea sapientia, quam genuit; atque in eo distare ab imagine sua, quæ homo est, sanctissimam Trinitatem, quod sive mentem dicamus in homine, ejusque notitiam, et dilectionem, sive memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus, nisi per memoriam, nec intelligimus, nisi per intelligentiam, nec amamus, nisi per voluntatem. » At in Deo non ita se res habet. « Quis enim audeat dicere Patrem nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere, nisi per Filium, vel diligere, nisi per Spiritum sanctum; per se autem meminisse tantummodo vel sui, vel Filii, vel Spiritus sancti, eodemque modo Filium nec sui, nec Patris meminisse, nisi per Patrem, nec diligere, nisi per Spiritum sanctum, per se autem nonnisi intelligere et Patrem; et seipsum, et Spiritum sanctum; similiter et Spiritum sanctum per Patrem meminisse et Patris, et Filii, et sui, et per Filium intelligere et Patrem, et Filium, et seipsum, per se autem nonnisi diligere et se, et Patrem, et Filium; tanquam memoria sit Pater et sua, et Filii, et Spiritus sancti; Filius autem intelligentia et sua, et Patris, et Spiritus sancti; Spiritus vero sanctus charitas et sua et Patris, et Filii? » Quæ quidem absurda esse colligit; quod alioqui « Pater, exempli gratia, non sit sapiens de seipso, sed de Filio, nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse, quam genuit. Deinde si hoc est Deo esse, quod sapere, et ea illi essentia est, quæ sapientia, non Filius a Patre, quod verum est, sed a Filio potius habet Pater essentiam, quod absurdissimum, atque falsissimum est. » Quocirca Patrem esse sapientem ait ea sapientia, quæ est ipse; et Filium sapientiam esse Patris de sapientia, quod est Pater, de quo genitus est Filius. Item « Pater intelligens est ea, qua ipse sua est intelligentia; Filius autem intelligentia Patris, de intelligentia genitus, quod est Pater. »

Ad verum sensum revocantur, qui contra sentire videntur.

X. Atque ut uno verbo colligam, eadem prorsus est ratio sapientiæ, ac cæterorum, quæ de Patre dicuntur, quæ est essentiæ. Ut igitur nemo dixerit Patrem esse, id est essentiam habere per Filium, vel esse τὸ ὄν ea οὐσίᾳ, et essentia, quæ est Filius, si præcise, ac formaliter loquimur; sic neque sapiens est, aut

1 Cap. VII.

bonus ea sapientia, et bonitate, quam genuit, sed ea, quæ est ipse, et quam ratione, et origine prius habet, quam Filius, eique gignendo communicat.

Nam quod ad veteres illos attinet, qui sic disputant, ideo συναΐδιον esse Patri Filium, quia nunquam Pater sine sapientia, virtuteque sua exstitit, neque lux sine splendore suo, et hujus generis alia; recte ab illis usurpantur ista, si non *formali*, ut appellant, sensu, sed *causali*, vel *illativo* capiantur. Quamvis enim Filius, qua Filius est, non sit illa ipsa sapientia, qua Pater est sapiens; necessario tamen cum illa conjungitur, ab eaque oritur. Quippe Sapientia, vel intelligentia, quæ est in Patre, imo quæ est Pater, *actus* est simplex, non habitus, aut facultas. Porro actus omnia sapiendi, intelligendique, expressam notionem, sive sapientiam, hoc est Verbum, necessario complectitur; neque sine illo potest vel animo concipi. Merito itaque Patres æternitatem Verbi ex Patris æternitate concludunt. « Nunquam enim mens erit sine Verbo, ait Cyrillus [1], nec Verbum, nisi mentem in se formatam habeat, intelligi potest [a], » quod et in libro quinto *Thesauri* uberius explicat. Atque ut sapientiam illam, qua *formaliter* sapiens est Pater, ex æterno in Patre fuisse recte inde concludimus, quia nunquam sine sapientia Pater exstitit; sic etiam natum ex ea, expressamque sapientiam ex omni æternitate fuisse, non minus necessario probamus, quod actu ipso sapiens esse, id est, intelligere, sine expressa notione, ac Verbo non potuit; præsertim cum Patrem esse sapientem, eo ipso, quo Pater est, hoc est secundum proprietatem, et hypostasim suam, nihil sit aliud, quam esse dicentem; quod ne intelligi quidem potest sine expressa notione, ac Verbo, tanquam termino, adeo ut Verbum sic, tanquam exstrinseca quædam forma, dici possit, a qua Pater habet, ut sit dicens, vel intelligens actu. Quod præclare [2] sanctus Thomas animadvertit, cum ita ratiocinatur. « Res omnes communiter denominari a suis formis, sicut album ab albedine, et homo ab humanitate; » quare « omne illud, a quo aliquid denominatur, quantum ad hoc, habet habitudinem formæ. Ut si dicam, iste est indutus vestimento, iste ablativus construitur in habitudine causæ formalis, quamvis non sit forma. » Eodem modo denominari aliquid ab eo dicit, quod ab eo procedit; non solum tanquam actio, ut cum ignis calefaciens calefactione dicitur; sed etiam velut terminus, ut cum arbor florere floribus dicitur, quamvis non sint arboris forma, sed effectus. Itaque quoties in actionis cujuspiam notione peculiari quidam effectus includitur, ab eo, tanquam externa quadam forma, principium producens appellationem accipit. Sicut arbor florens dicitur a floribus; ad eumque modum sapiens, et intelligens, hoc est dicens, vocatur Pater ab expressa, nataque sapientia, quod est Verbum Filius. Sic illa verissima sunt, quæ antiqui de Filii æternitate disputando conficiunt, non fuisse ἄλογον, vel ἄσοφον Patrem. Nam revera expers fuisset rationis, sermonis, ac sapientiæ, nisi actu ipso intellexisset ab æterno; quod sine Verbo nequit fieri. Quod autem negatur ab aliis, præsertimque ab Augustino, Patrem esse sapientem sapientia genita, non minus est verum, si in sensu formali proprie dicto id interpretemur; vel secundum essentiam, non proprietatem ac notionem; quod in eodem, quem citavimus, loco tradit sanctus Thomas.

Nam quod ad λόγον spectat, quæ vox Græca magis est ambigua, quam Latina *Verbi*, si secundum notionem, personalemque proprietatem intelligatur, multo magis secundum *illationis*, ut jam diximus, sensum, antiquorum illa Patrum argumentatio debet accipi, nisi ex æterno productus a Patre fuerit λόγος sequi, ἄλογον fuisse aliquando Patrem. Nimirum quia rationalis esse, et uti ratione sua non potuit, nisi τὸν λόγον, qui est terminus dictionis, et ἐνεργείας illius οὐσιώδους, οὐσιώδης et ipse, produceret. Atque hoc modo Athanasius oratione secunda æternitatem Filii approbat; quoniam « simul atque Pater est, necesse est ejus esse imaginem, et characterem [b]. » Quod sane *causali* sensu interpretandum est, non *formali*. Vide quæ de λόγῳ in quarto libro, cap. x n. 4 diximus; et in sexto libro, capite tertio.

Logos... sine logo...

logon... et operationis illius substantialis, substantialis et ipse...

Logo.

a CYRIL. IV *in Joan.* Ἄλογος γὰρ οὐκ ἔσται ποτὲ νοῦς. ἀλλ' οὐδὲ λόγος οὐκ ἔχων τὸν ἐν αὐτῷ μορφωθέντα νοῦν.

b ATHAN. Καὶ τῆς ὑποστάσεως ὑπαρχούσης, πάντως εὐθὺς εἶναι δεῖ τὸν χαρακτῆρα, καὶ τὴν εἰκόνα ταύτης.

1 Lib. IV *in Joan.* cap. XLII. — 2 In I Par. qu. XXXVII, art. 2.

CAPUT X.

Exponuntur formulæ istæ loquendi, nata sapientia, natura genuit naturam, essentia de essentia, *etc. in quibus personam non proprie, ac directe significari asseritur, sed oblique: recta autem substantiam. Sitne Spiritus sanctus amor ille, quo se Pater, et Filius diligunt. Magistri Sententiarum hæsitatio ab Richardo derisa. Ea vero quæstio dissolvitur. Retractantur deinde loquendi formulæ illæ;* essentia de essentia, *etc. Toletanæ XV synodi cum Benedicto papa contentio declaratur super istis vocibus, Filium esse* voluntatem de voluntate.

I. Ad ea, quæ de sapientia, voluntate, cæterisque, quæ personis communia sunt tribus, exposui in antecedentibus duobus capitibus, multum conducet præsens disputatio; in in qua sensus eorum inquiritur, quæ ab antiquis bene multis usurpata scimus, *Nata Sapientia*, vel *genita*, tum *nata sapientia de sapientia*, aut simpliciter *sapientia de sapientia, lumen de lumine,* vel *essentia de essentia*. Sic enim martyr Ignatius οὐσίαν γεννητήν, id est essentiam, sive *substantiam genitam*, *natamve* dixit epist. III et Gregorius [1] Nyssenus γέννησιν τῆς οὐσίας, *generationem essentiæ* probavit. Hilarius [2] « naturæ ex natura gignente nativitatem; » necnon « essentiæ de essentia nativitatem, et naturam unigenitam ex innascibili genitam essentia. » Item, « Vita, (inquit in libro *de Synodis* ad *Anathematismum* IV) in unigenito, quæ ex Patre generata est, essentia intellecta, ita similitudinem essentiæ ad essentiam significari connectitur. Tali confessione originis suæ indiscretæ naturæ perfecta nativitas est. Quod enim in utroque vita est, id in utroque significatur essentia et vita quæ generatur ex vita, id est essentia, quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet quia vita ex vita est, » etc. Sic Augustinus [3] « essentiam de essentia dixit, et divinitatem Filii de natura Patris esse natam. » Et alibi [4], « de seipso genuisse patrem id, quod est. » Fulgentius [5] « substantiam de substantia, » Item [6], « Filium essentialiter natum esse » de Patre. Et « naturam genitam [7]. » Idatius Præfatione libri *contra Varimadum*, « Naturam de se Filium generare » Anselmus *Monologii* capite XLIII. « Natam essentiam de Patris essentia. » Athanasius quoque oratione V οὐσίαν οὐσίας πατέρα *essentiam essentiæ Patrem* dixit. Non enim οὐσίαν pro hypostasi, sive *prima substantia*, ut Aristoteles, usurpavit Athanasius. Sic Epiphanius [8], σοφίαν ἐκ σοφίας ζωὴν ἐκ ζωῆς. *Sapientiam de sapientia vitam de vita.*

Exponantur voces illæ: *nata sapientia de sapientia lumen de lumine* essentia de essentia.

II. Quibus in loquendi generibus illud imprimis tenendum, cum dicitur *Nata sapientia de sapientia*, vel *lumen de lumine*, vel *essentia de essentia*, falli quosdam, qui ista vocabula significare personas existimant, quasi ille sit sensus, persona illa, quæ « nata sapientia, id est Verbum proprie dicitur, nata, vel genita est de ea persona, quæ est ingenita sapientia. » Quod verum non puto: sed utrobique id, quod est essentia, et absolute, atque ad se dicitur, exprimi. Id enim ex Augustino colligitur, qui eam quæstionem cæteris accuratius, ac subtilius instituit; cujus loca illa, quæ adduximus, præsertim e septimo libro *de Trinitate* non obscure significant, sapientiam, quæ Filio proprie tribuitur, et nata dicitur, ab essentia nihil differre, nec minus Patri convenire, quam Filio, utriusque salva proprietate, quam genitæ, vel natæ, et innatæ, atque ingenitæ vocabula demonstrant. Est enim nata, et innata sapientia una prorsus, eademque sapientia, hoc est essentia; quia tam essentia de essentia, quam sapientia de sapientia ab Augustino dicitur. Proinde Sapientia non hic præcise Verbum est, sive expressa sapientia, nisi cum *natæ* vox additur. Sed perinde se habet, ac cum Deus de Deo, æternus ex æterno, bonus de bono, lumen de lumine, et hujus generis cætera dicuntur; quorum notionibus subest οὐσιῶδες, et absolutum quippiam, etsi personales proprietates ex obliquo significentur.

Hæ voces naturam recta personam oblique significant.

Quanti porro momenti sit, notata, et observata hæc habere, constat ex Toletano concilio XV et Flavii Egicanis regis epistola, quam ab Juliano Toletano dictatam ad synodum direxit; quæ apologiam ac purgationem continet super nonnullis capitibus, quæ Benedictus papa Sergii antecessor in illius fidei professione, per Petrum Regionarium Romanæ Ecclesiæ ante biennium missa, notaverat, tamquam incautius, ac minus Catholice concepta. E quibus primum illud erat, « Voluntas genuit voluntatem, sicut sapientia sapientiam. » In quo Benedictus papa non probavit

1 Nyss. II *cont. Eun.* — 2 Hilar. *de Syn.* et IX *de Trinit.* — 3 Lib. VII *de Trinit.* cap. II. — 4 Lib. *de Fide et Sym.* cap. III et epist. LXVI. — 5 Lib. *de Fide ad Petr.* cap. II. — 6 Ibid. cap. III et XIII. — 7 Ibid. cap. II. — 8 In *Ancorato.*

dici *voluntatem ex voluntate;* quia, etsi « verbum, et voluntas de mente procedit, non tamen mens de verbo, aut voluntate. » At Julianus respondet Romanum pontificem sic illa verba intellexisse, quasi « relativum aliquid aut ad humanæ mentis comparationem» exprimerent, cum tamen « *secundum essentiam* usurpentur, in qua « hoc est Deo esse, quod velle, hoc velle, quod sapere. Quod tamen de homine dici non potest. Aliud quippe est homini id, quod est, sine velle, et aliud velle etiam sine sapere. » Adjungit ad id probandum Athanasii dictum, quo idem esse Dei voluntatem asserit, quod naturam. Tum ita concludit : « Filius igitur Dei de essentia Patris natus est essentia de essentia, sicut natura de natura, et substantia de substantia; et tamen nec duæ essentiæ, nec duæ naturæ, nec duæ substantiæ possunt dici, sed una essentia, natura, atque substantia. Sicut et lumen de lumine non duo lumina, sed unum lumen; sicut essentia de essentia, non duæ essentiæ, sed una essentia; sicut natura de natura, non duæ naturæ, sed una natura ; sic et voluntas de voluntate. » Quamobrem in istis locutionibus, *sapientia de sapientia*, *voluntas de voluntate*, utrobique secundum essentiam, non secundum proprietatem, nomina sumuntur.

III. Idem et Anselmus adstruit in *Monologio* [1], ubi eamdem rationem esse dicit sapientiæ, et essentiæ, quæ in utroque plane est eadem, adeo quidem, ut « alter alterius dicatur essentia, non quasi alter non possit subsistere per se, sed per alterum, sed ad designandum quam habent communionem summe simplicis, summeque unius essentiæ, si congrue dici, et intelligi potest, quod sic est alter idipsum, quod alter, ut alter habeat essentiam alterius. Hac itaque ratione, quoniam utique non aliud est habere essentiam, quam essentiam esse, sicut habet alter alterius essentiam, ita est alter alterius essentia; id est, idem esse est alteri, quod alteri. » Sic et sapientia dici potest altera alterius, quia una et eadem est utriusque sapientia; adeoque, ut alter alterius habet sapientiam, ita alter alterius est sapientia, « Sicut enim Pater, ait idem, habet essentiam, et sapientiam, et vitam in semetipso, ut non per alienum, sed per suam essentiam sit, per suam sapientiam sapiat, per suam vitam vivat; ita gignendo dat Filio essentiam habere, et sapientiam, et vitam in semetipso, ut non per extraneam, sed per suam essentiam, sapientiam, et vitam subsistat, sapiat, et vivat. » Nihilominus in sequenti LXIV capite, magis esse consentaneum ait, « Filium dici essentiam Patris, quam Patrem essentiam Filii. Quoniam namque Pater a nullo habet essentiam, nisi a seipso, non satis apte dicitur habere essentiam alicujus nisi suam; quia vero Filius essentiam suam habet a Patre, et eamdem habet Pater, aptissime dici potest habere essentiam Patris. » Nam « neuter aliter habet essentiam, quam existendo essentia. » Ideo, « sicut aptius intelligitur habere Filius Patris essentiam, quam Pater Filii ; ita convenientius dici potest Filius Patris essentia, quam Pater Filii. » Denique, « Similiter, inquit, est Filius Patris essentia, virtus, et sapientia, sicut veritas, et justitia. »

In his omnibus liquet sapientiam, et essentiam, ac reliqua, secundum naturam accipi, nec aliud esse vel essentiam de essentia, vel sapientiam de sapientia, quam eamdem essentiam, et sapientiam, quæ est in Patre, communicari Filio, et ejus fieri propriam, ut est Patris, non alienam. Filium autem dici Patris essentiam, et sapientiam, hoc est, « eamdem essentiam habere cum Patre, sed hanc ipsam habere de Patre. » Addit tamen mox cap. XLV alio sensu dici Filium Patris sapientiam, et scientiam, quoniam « est Verbum, id est perfecta intelligentia, sive perfecta totius paternæ substantiæ cognitio, et scientia, et sapientia; id est, quæ ipsam Patris intelligit essentiam, et cognoscit, et scit, et sapit. » Et quoniam « ipsa substantia Patris est intelligentia et scientia, et sapientia, et veritas; Filius est intelligentia intelligentiæ, scientia scientiæ, sapientia sapientiæ, et veritas veritatis ; » nimirum quia Deus secundum essentiam est actus intelligendi, ac sciendi, idipsum est Pater, et Filius ; sed ille a se hoc est, hic ab altero.

IV. Non dissimilis est, et eadem perstringenda disputatione quæstio de amore, ac Spiritu sancto. Etenim non minus amor essentia Dei est, quam sapientia, et scientia. Unde dubitari potest, an Spiritus sanctus amor ille sit, quo se Pater, ac Filium diligit, et vicissim diligitur a Filio ; an uti Filius sapientia est e sapientia, sive nata sapientia de sapientia, ita Spiritus sanctus amor sit ex amore procedens. Quod a Richardo Victorino peculiari in opusculo, tum a Petro Lombardo,

Utrum Spiritus sanctus sit amore quo Pater seipsum et Filium diligit.

1 Cap. XLIII.

et sancto Thoma disputatur, quæstione ita concepta; ab Richardo quidem, « Quomodo Spiritus sanctus est amor Patris, et Filii; » ab sancto Thoma [1], » Utrum Pater, et Filius diligant se Spiritu sancto. » Porro hujus disceptandæ quæstionis occasionem dedit Augustinus; qui cum doceat Patrem non sapere, nec dici sapientiam ea sapientia, quam genuit, qui est ejus Filius, eo quod Deo hoc sit esse, quod sapere; non habeat autem ut sit a Filio, quod capite superiori diximus; idem tamen asserit Spiritum sanctum ab utroque diversum, eum esse, quo se Pater, ac Filius diligunt [2]: « Manifestum est, inquit, quod non aliquis duorum est, quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat; sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicujus, sed suo proprio servantes unitatem in vinculo pacis. » Sed et Ambrosius tractatu *in Symbolum*, sub initium, « Unus est diligens eum, qui ab ipso est; unus est dilectus ab eo, a quo est; una est dilectio utriusque Spiritus sanctus. Idem tamen Deus. » Hanc quæstionem Magister Sententiarum inexplicabilem putat [3], ejusque se difficultate obrui fatetur; quem tacito nomine ideo Richardus irridet, qui ne ipse quidem ex ea se expedit. Nam neque satis intelligenter, quid velit, explicat; et hoc ipsum, quod utcumque de ejus responsione capimus, nihil ad rem facit. Quippe status iste propositæ quæstionis ab illo ponitur: quomodo verum sit, quod Augustinus dicit, quod Pater Spiritu sancto diligat Filium, et Filius eodem Spiritu diligat Patrem suum, cum tamen idem dicat Patrem non sapere ea sapientia, quæ Filius est; quoniam si ea sapientia, quæ Filius est, saperet, non tam Filius a Patre, quam Pater a Filio esset, quibus est idem esse, quod sapere. Atqui idem etiam illis est esse, quod diligere. Quare non se diligent eo amore, vel dilectione, quæ est Spiritus, qui ab utroque habet esse, ne et ab ipso uti diligere, sic esse dicantur accipere. Huic igitur Richardus ita satisfacit: Aliud esse *facere*, aliud *fieri*; interesse itidem « inter erudire, et erudiri; inter sapientem facere, et sapiens fieri. » Patrem ergo « ea sapientia, quæ Filius est, non sapere, nec sapientem fieri; alioqui ab ipso procul dubio esset, cui idem est esse, quod sapere, quod sapientem esse. » Sed per Filium erudire, et sic « ea sapientia, quæ Filius est, aliquid facere; nec tamen sequi ut a Filio sit. Sicut itaque Pater Filio erudit, nec tamen sequitur ut a Filio sit; sic Spiritu sancto diligit, nec tamen sequitur, ut a Spiritu sancto sit. » Jam quo sensu dicat, Patrem Spiritu sancto diligere, paulo post distinctius explicat: « Dicitur, inquit, Pater Spiritu sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, sed exhibeat; non quod amorem ab eo accipiat, sed per eum impendat. » Quæ omnia pertinent eo, ut Pater et Verbo sapere dicatur, quia per illud sapientes facit, et Spiritu sancto diligere, quia per eum amorem impendit, tanquam ad externas, creatasque res utrobique habitudo sit, et comparatio; et Pater Verbo sapiat, dum nos sapientes facit, diligat Spiritu sancto, dum nos per eum vel diligit, vel diligentes facit; quod posterius intellexisse Richardus debuit, ut utrinque similitudo respondeat. Siquidem *erudire*, *et sapientem facere*, quod per Verbum Pater efficere dicitur, non est actio, quam theologi vocant *ad intra*, sed *ad extra*. Unde et *diligere*, quod per Spiritum sanctum facere Pater, et Filius dicuntur, non videtur intima illorum actio, hoc est *ad intra*, sed *ad extra*. Quanquam perplexe ibi Richardus loquitur; qui Spiritum sanctum esse amorem utriusque scribit; ideoque Patrem dici recte Spiritu sancto, hoc est suo amore diligere, ut et Filium sua dilectione amare.

Magistri sententiarum hæsitatio a Richardo derisa.

V. Quamobrem si eatenus Patrem Verbo suo sapere, et intelligere, et Spiritu sancto ambos diligere Richardus asserit, quatenus sapientiam, et dilectionem foras profundunt, ac derivant in res conditas; non recte disputat. Sin in eo sensu id accipiat, ut Pater Verbo non *formaliter*, ut aiunt, sit sapiens, sed sapientiam suam, ut ita dixerim, exerendo sapientiam exprimat, quæ expressa sapientia, vel intelligentia, hoc est notio, Verbum, et Filius dicitur; itidemque Spiritu sancto non *formaliter* sit diligens, sed dilectionem suam exprimat, quæ expressa dilectio sit Spiritus sanctus, vere, ac consentanee loquitur. Quod hoc uno verbo complectemur, Patrem Verbo sapere, sive potius intelligere, tanquam termino, non forma ipsa sapientiæ, intellectionisve. Similiter Patrem, et Filium diligere Spiritu sancto, velut termino, non forma dilectionis. Etenim Augustinus, cujus ex dictis orta est, ut jam admonuimus, ista quæstio, Patrem et Filium mutuo se Spiritu sancto, non solas res creatas, diligere, perspicue fatetur.

Ea quæstio absolvitur.

1 In I Par. qu. XXXVII, art 2. — 2 Aug. VI *de Trinit.* cap. V. — 3 In I, disp. XXXVII, 1.

At Magister Sententiarum quæstionem hanc « absolvere nolens, sed errorem excludens, » hoc unum affirmat, « non esse dictum Patrem diligere Filium, vel Filium Patrem ea dilectione, quæ ab utroque procedit, quæ non est aliquis eorum, sed tantum Spiritus sanctus, tanquam ea dilectione Pater sit, vel Filius. Sed sic ea Pater diligit Filium, et Filius Patrem, ut etiam Pater per se, ea, quæ ipse est, dilectione diligat. Sic et Filius; non autem sic, ut Pater per se non diligat, et Filius, sed per eam tantum. » Quod ita brevius a theologis solet efferri: Patrem et Filium vel diligere *essentialiter*, vel *notionaliter;* priore modo non diligere Spiritu sancto tanquam sit ipsa *formalis*, et *essentialis* dilectio, sed posteriore tantum, utpote qui sit dilectionis terminus. Quæ est sancti Thomæ[1] disputatio asserentis id, quod superiori postremo capite diximus, quando in actione aliqua effecta res, sive terminus includitur, et assignificatur; ut sine eo intelligi nequeat, principium producens tam ab illo, quam ab actione ipsa nomen accipere. Ut quoniam *florendi* vocabulum in sua notione *flores* continet, ideo florere dicimus arborem floribus perinde, ac *floritione*, ut ita dicam, ipsa; sic igitur Pater diligere se Spiritu sancto, vel Filium dicitur, quatenus *diligere*, secundum notionem accipitur, ut idem sit, ac dilectionem producere, sive amorem, qui est Spiritus sanctus. Quare tam Spiritu sancto, id est amore, quam dilectione diligere Pater dicitur. Quod in istis vocibus, *esse sapientem*, *intelligentemve*, locum habere negat sanctus Thomas; quia non aliter, quam secundum essentiam usurpantur, Ideo non potest dici, « Patrem intelligentem esse, vel sapientem Filio. » Cæterum si eo modo loquamur, *Pater sapit, vel intelligit Filio*, ac sic interpretemur, « sapientiam exerit, et intelligit per Verbum, qui Filius est, » non minus admitti potest, quam illud de Spiritu sancto. Nam *esse sapientem*, aut *intelligentem* ad modum habitus, et formæ dicitur, hoc est essentiæ, non actionis terminum producentis.

Retractantur formulæ : *essentia de essentia*, etc.

VI. Verum ut quæ ad Spiritum sanctum attinent, seponam interim, et ad ea revertar, quæ de Filio, ac Verbo ab antiquis dicta notavimus, constat in locutionibus istis οὐσίαν ἐξ οὐσίας, *substantiam de substantia*, vel *essentiam de essentia*, et similibus, non proprie, et, ut dixi, directe personas indicari, quod Andreas Rhodius in Florentino concilo sessione XIX credidit, sed ipsam, potius essentiam, et naturam, ita tamen, ut in persona aliqua subsistens intelligatur. Etenim natura vel essentia, quæ est in Patre, utique natura et essentia, est non persona, a qua ratione distinguitur. Nec tum solum essentia notio istiusmodi subjecta vocibus intelligitur, cum a personis et proprietatibus abstrahunt id, quod significant; sed etiam cum proprietatum cum illis est implicata significatio. Ut cum dicimus, *Deus hominem assumpsit*, nomen istud *Deus*, divinitatem, et naturam proprie ac directe; subsistentiam vero velut oblique designat. Naturam enim in certa hypostasi existentem indicat. At Verbum, sive Filius e contrario proprietatem hypostaticam directa notione, obliqua vero naturam significat. Hinc illæ apud theologos usitatæ locutiones, « Pater de substantia sua gignit Filium; Filius e Patris substantia gignitur. » In quibus vox ista *substantia*, quamvis reciproco pronomine restricta, et certa definita persona videtur, directe nihilominus essentiam exprimit; personam ex obliquo, ut loqui solent, *connotat*.

Neque vero qui hæc dicunt, aut ista, quæ initio capitis attuli, *naturam natura gignit*, aut, *essentia de essentia nascitur*, sic intelligendi sunt; tanquam proprie gigni, producive naturam velint. Ut enim recte Euthymius docet, « Gigni non est naturæ, sed hypostasis. Nam si esset naturæ, neutiquam in eadem natura genitum consideraretur, et ingenitum[a]. » De quo scriptor ille legendus, qui sub Bedæ nomine commentarios edidit in Boetii librum *de Trinitate*. Quare sic enuntiationes istæ declarandæ sunt, ut hoc significent Patrem gignendo Filium suam ipsi communicasse naturam: Hoc enim est *gignere naturam*, derivare eam in Filium; et *natura genita* idem est ac generatione transfusa; non autem altera ei similis ex illius vi, ac naturali potentia profecta, ut in rebus creatis usuvenit. Hoc ipsum Hilarii ex libro quarto verba illa demonstrant: « Nihil nisi natum habet Filius, » quod est, nihil nisi nascendo communicatum, et acceptum. Augustinus

a Euthym. in par. I *Panopl.* tit. VII in fine. Τὸ γὰρ γεννᾶσθαι, οὐ φύσεως, ἀλλ' ὑποστάσεως. εἰ γὰρ τῆς φύσεως ἦν, οὐκ ἂν ἐν τῇ αὐτῇ φύσει τὸ γεννητὸν ἐθεωρεῖτο, καὶ τὸ ἀγέννητον.

1 In I Par. quæst. XXXVII, art. 2.

vero libro VII *de Trinitate*, capite secundo, docet in iis verbis, « nata sapientia in uno eorum eo quod nata est, et Verbum, et imaginem, et Filium intelligi; et in his omnibus nominibus non ostendi essentiam, quia relative dicuntur. At in altero, quod est sapientia, quoniam et ad se dicitur, seipsa enim sapiens est, etiam essentiam demonstrari. » Quare certum est, quod supra diximus, in istis loquendi rationibus, *nata est natura*, vel *sapientia*, id, quod est essentia, vel natura significari, cum adjuncta proprietate.

Hinc recte Vigilius [1] in secundo *contra Eutychem*, « Gemina, inquit, nativitas geminam uni Christo dedit naturam, dum qui Deus est de Patre, idem et homo est de matre. » Si ergo nativitas illi naturam, id est, divinitatem dedit; jure ab Augustino, aliisque nata, et genita dici potuit, et essentia de essentia; quemadmodum Cyrillus καρπὸν τῆς οὐσίας, id est, *fructum essentiæ* Filium plus semel appellat [2]. Et Joannes Damascenus in libro *De duabus voluntatibus*, eumdem Filium « habere dicit esse a Patre, et omnia quæ habet [a]. »

Synodi Toletanæ XV cum Benedicto papa contentio super his vocibus: Filium esse *voluntatem de voluntate.*

VII. Cæterum locus ille Toletanæ synodi XV quem initio capitis adduximus, diligenter expendendus est. Nam non satis apparet, quæ vis sit argumentationis illius, qua Benedictus papa Hispanorum præsulum verba illa redarguit, « Essentia de essentia, sapientia de sapientia, voluntas de voluntate, » præsertim vero postrema illa, *voluntas de voluntate*. Sic autem disputat: « Naturali ordine cognoscitur, quia Verbum ex mente originem ducit, sicut ratio, et voluntas; et converti non possunt, ut dicatur, quia sicut Verbum, et voluntas de mente procedit, ita et mens de Verbo, aut voluntate. » Nimirum putavit Benedictus, illos nomina ista, *voluntatis*, *sapientiæ*, et *essentiæ*, non absolute usurpasse, sed cum notione, ac proprietate, ut is sensus sit: Voluntas, quæ est Filius, de Voluntate est, quæ est Pater. Ita enim reciproca non potest esse pronuntiatio. Est autem, si simpliciter dicas, Voluntas est ex voluntate. Nam utrobique eadem est significatio. Verum non idcirco reciprocatio fit, si ad absolutam notionem proprietas intelligatur addita. Non enim ab voluntate illa, quæ est a voluntate, illa est voluntas, a qua voluntas esse dicitur; sed etsi una est voluntas, proprietatibus tamen invicem separantur. Jam quod Toletani illi Patres addunt, se non illa dixisse « secundum comparationem mentis humanæ, » qua usus erat Benedictus, interpretandum est sic: Cum ex similitudine mentis humanæ, quæ voluntatem producit, assumi soleret exemplum ad explicandam personarum divinarum proprietatem, ac differentiam: Benedictus Papa credidit Hispanos ita loquentes, *Voluntatem de voluntate*, priorem illam vocem *Voluntatis* pro *mente* sumpsisse, posteriorem vero pro *Verbo*; ut Græci Patres loqui solent, est βουλή, id est, non *consilium* modo, sed etiam *voluntas* Patris. Ita enim cavenda reciprocatio est; neque promiscue de altero enuntiatur alterum. At Hispani respondent se ista nomina non *secundum relativum*, vel, quod idem est secundum, comparationem accepisse mentis humanæ, sed secundum essentiam. » Itaque cavendum, ne sic illa verba « secundum comparationem mentis humanæ, » intelligamus, tanquam existimaverint, processione ex mente, vel intelligentia Patris in Filio, et ex voluntate Patris ac Filii in Spiritu sancto, non reipsa consistere, sed sola mentis nostræ cogitatione, ita ut absolute, præciseque loquendo, tam *per intellectum* procedere dici possit Spiritus sanctus, quam Filius; et hic *per voluntatem* non minus, quam Spiritus sanctus. Hoc enim falsum est; quia tametsi nullum reipsa discrimen insit in Deo voluntatis, et intelligentiæ, et ab utroque substantiæ; non tamen permisceri proprietates originum invicem debent, quarum differentia non ex mentis humanæ cogitatione oritur, sed tantummmodo declaratur; cum interim reipsa fiat in infinita illa, simplicique natura, quod nonnisi obscure, confuseque potest a nobis animo comprehendi.

a Dam. Ἐκ τοῦ πατρὸς οὖν ἔχει τὸ εἶναι, καὶ πάντα ὅσα ἔχει.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum*. col. 501. — 2 Ut lib. X *in Joan.*

CAPUT XI.

An Filius a seipso essentiam habeat, sitque αὐτόθεος. *Explicatur vis pronominis* αὐτὸ *in talibus vocabulis. Calvinus, ejusque partiarii perperam de eo statuerunt, nec recte excusantur a nonnullis catholicis. Itaque Calvini potissimum sententiæ refutantur, necnon Beza, Danæus.*

I. Ad æternam Filii generationem, ac personam liquidius explicandam, illa nobis pertractanda quæstio est, an a seipso Filius essentiam habeat : hoc est, an *a seipso Deus esse* dici queat, quod Græci αὐτόθεον vocant. Etenim si essentia ipsa nihil aliud est quam divinitas, et vicissim divinitas nihil aliud, quam essentia, quocumque tandem modo essentia Filio convenit, eodem et Deus esse modo censebitur. Qua in controversia disceptanda primum illud inquirendum est, quis de ea veterum Patrum sensus exstiterit ; tum quid recentiores eadem de re judicarint.

Igitur Filium αὐτόθεον dici debere ex Athanasio primum efficitur * ; qui in fine *Protreptici* illum nominat αὐτόσοφίαν, αὐτολόγον, αὐτοδύναμιν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθειαν, αὐτοδικαιοσύνην, αὐτοαρετὴν, αὐτοαγιασμὸν, αὐτοζωήν. Atqui *sapientia*, *lux*, *justitia*, *veritas*, *vita* idem sunt omnino, quod essentia, et divinitas. Unde si per se vita est, et sapientia; per se item, et *a se Deus*, hoc est αὐτόθεος putandus est. Sic in libro *de Incarnatione Verbi*, Dei Filium vocat αὐτοζωὴν, et in oratione *contra Arianos* , et in oratione ad illa verba, *Quicumque dixerit Verbum* , etc. Tum αὐτοσοφίαν oratione III. Gregorius item Nazianzenus Spiritum sanctum, cujus eadem est, quæ Filii, ratio, quod ad propositam quæstionem attinet, appellat αὐτοκίνητον, αὐτοδύναμον, αὐτοάγαθον. Theodoretus *contra Anathematismum* IV Cyrilli Verbum vocat αὐτοσοφίαν. At vero Athanasius idem oratione V sub initium, negat Filium αὐτοσοφίαν, vel αὐτολόγον dici debere, « alioquin idem esset sui ipsius pater, et filius[a].

Explicatur vis pronominis αὐτὸ (ipsum) in talibus vocabulis

II. Hæc facile conciliantur invicem, si vim pronominis istius αὐτὸ in compositione spectemus. Etenim si sic interpretemur, ut a nullo principio prodeuntem, sed ἀγέννητον substantiam, aut bonitatem, aut sapientiam, et id genus alia significet, non erit αὐτόθεος, neque αὐτοσοφία, neque αὐτολόγος Filius, ut postremo illo loco orationis V scripsit Athanasius. Hoc enim Sabellianæ proprium est hæresis, nullam neque personæ differentiam, neque originem admittere. Verum si αὐτὸ id solum demonstret, quod non μετοχῇ, *participatione* divinitatem habet, aut *sapientiam*, ac reliqua, quibus ista vox annectitur; neque ut ἕξιν, aut σχέσιν hoc est *tanquam habitum*, *aut affectionem*, ut in angelis, et hominibus accidit, quorum natura, creata et effecta participatio quædam est divinitatis, eademque sapientia, et bonitate, velut qualitatibus, et affectionibus perficitur ; hoc sensu Filius est αὐτόθεος, at αὐτοσοφία, et cætera, quatenus essentiam ipsam, et fontem τοῦ εἶναι, et bonitatis, et sapientiæ generatione ipsa communicatum accipit a Patre [1]. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* Filio, hoc est divinitatis particulam quamdam, et imaginem aspergit ; sed eamdem, quam in se, et a se habet essentiam, bonitatem, ac sapientiam in solidum confert. Quod Athanasius docet in fine *Protreptici ;* ubi Filium αὐτοσοφίαν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθειαν, et cætera, esse dicit, « quatenus, inquit, non participatione est omnia ista, neque extrinsecus advenientia possidet, quemadmodum ii, qui ipsius sunt participes, et per ipsum sapientes fiunt, ac potentes, et rationales in ipso redduntur. Sed est ipsissima sapientia,

a ATHAN. orat. V. Ἐκτὸς εἰ μὴ ἄν τις εἴποι αὐτοσοφίαν εἶναι, καὶ αὐτολόγον τὸν θεόν. ἀλλ' εἰ τοῦτο, εἴη ἂν αὐτὸς ἑαυτοῦ πατὴρ, καὶ υἱός.

* Præclarissimum Athanasii opus sub nomine *Protreptici* citatum, non aliud est ab *Oratione contra gentes ;* Λόγος κατὰ Ἑλλήνων : hunc enim titulum habet in manuscriptis et editis. Vocatur autem *Protreptica*, sive *hortatoria*, quia sanctus doctor gentiles hortatur ad idola relinquenda, verumque Dei cultum amplectendum.

Igitur Filium *a seipso Deum* dici debere ex Athanasio primum efficitur, qui in fine *Protreptici* illum nominat : *Ipsam per se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se virtutem, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem, ipsam per se justitiam, ipsam per se virtutem, ipsam per se sanctificationem, ipsam per se vitam.*

Gregorius Nazianz..... appellat : *Seipsum moventem, per se potentem, per se bonum :* Theodoretus... vocat , *ipsam per se sapientiam.*

At vero Athanasius... negat Filium *ipsam sapientiam*, vel *ipsam rationem* dici debere, etc.

J. B. F.

1 *Joan.* III, 34.

ipsissima ratio, vel Verbum, ipsissima virtus, ac Patris propria, ipsissimum lumen, ipsissima veritas, ipsissima justitia, et virtus ipsissima [a]. » Quibus verbis causam eam, quam dixi, egregie declarat, cur αὐτόθεος, et αὐτοσοφία nominetur; nempe quia non participationem quamdam divinitatis accipit, hoc est naturam, et sapientiam ad archetypæ, et primigeniæ illius exemplar expressam, sed archetypum ipsum. Proinde non vivus tantum, aut sapiens, aut potens dicitur uti creatæ res, sed vita ipsa, et sapientia, et potentia [1], ut idem Athanasius observat ex illis ad Martham Domini verbis, *Ego sum vita.* Ideo enim αὐτοζωὴ *ipsa per se vita* nominatur. Hanc ipsam rationem similium appellationum perstringit Gregorius Nazianzenus [2] loco citato, cum de Spiritu sancto disserit, quod nimirum sit μεταληπτὸς, οὐ μεταληπτικὸς, *participatus, non participans.* Quin et Catena Græca calamo scripta in Joannis *Evangelium*, ejusque caput primum verba illa declarans, *De plenitudine ejus accepimus omnes,* causam ita reddit : « Quod scilicet non participatum habet donum, sed ipsissimus fons, ipsissima radix omnium est bonorum, ipsissima vita, ipsissima lux, ipsissima veritas; non in seipso continens divitias, sed etiam in alios omnes effundens, et cum effuderit, plenus nihilominus manens [b]. »

Ipse per se Deus, ipsa per se sapientia.

Duplex genus formarum a Dionysio constitutum

III. In libro tertio tomi primi, ubi de divinis ideis egimus, ostendimus Dionysium duplex genus exemplarium, formarumque constituere, quas ideas plerumque nominant : alterum est essentia divina, vel Deus ipse : alterum productum a Deo ; cujusmodi est forma quædam ab singularibus semota, cujus ista participatione talia fiunt, ac denominatur; ac posteriores has ideas diximus addita voce αὐτὸ, sic efferri, αὐτοζωὴ, αὐτοουσία, αὐτοσοφία. Ex quibus colligitur, etiam illos, qui de Filii divinitate non rectam, et catholicam sententiam habuerunt, ut Origenem, et Eusebium Cæsariensem, non gravate Verbum iisdem affecisse nominibus, ut αὐτοσοφίαν, vel αὐτοδύναμιν vocarent ; neque propterea putandos esse cum Ecclesia Catholica consentire. Nam et Origenes libro VI *contra Celsum*, Christum appellat αὐτοσοφίαν, et tomo primo *in Joannem*, *ipsam potentiam*, quod est αὐτοδύναμις. Eusebius vero Cæsariensis eumdem Filium αὐτοφῶς nominat, id est *ipsissimum lumen.* Neque propterea parem illum summo Deo, ac Patri fecerunt, quem quidem Origenes [3], eodem *in Joannem* ait vocari αὐτόθεον, singulari quadam ratione addito articulo ὁ. Denique αὐτὸ in similibus compositis germanam ipsam, et nativam aut essentiam, aut essentiæ proprietatem, et qualitatem significat, quæ causa est et origo cæterarum, quæ illius participatione, efficientiaque tales existunt. Sic αὐτόγρημα Μακκαβαῖον dixit Synesius [4] de homine, qui ipsissimum Machabæum refert generositate animi, et mortis contemptu pro patriis ritibus obeundæ, Chrysostomus idem αὐτοθηρίον vocat non hominem, sed *ipsissimam feram*, propter immanitatem, ac truculentiam, et αὐτολίθον [5], qui ob animi duritiem non lapidis similis, sed ipsissimus esse lapis videtur. Et Cyrillus [6] Alexandrinus Christum αὐτόγρημα τἀγαθὸν, *ipsissimum bonum* appellat. Sic αὐτοάγαθος, et αὐτόσοφος dicitur, qui non partem aliquam, aut effectum primigeniæ in se bonitatis habet, aut sapientiæ, sed illam ipsam bonitatem et sapientiam, quæ est ipsa divinitas, atque adeo αὐτόθεος vocatur, qui ipsissimam in se divinitatem habet. Quo sensu Filius his omnibus vocabulis afficitur; quoniam sic a Patre gignitur, ut non aliam quampiam divinitatem, vel numero diversam aut sapientiam, aut vitam accipiat, sed illam ipsam, qua Pater Deus est, et sapiens, ac vivens. Atque hoc præclare Christus ipse his verbis exposuit *Joannis* v. *Sicut Pater vitam habet in seipso, sic et Filio dedit vitam habere in seipso.* Quoniam, ut ait Cyrillus, « naturaliter natus ex Patre, omnia nascendo, quæ Patri naturalia sunt, naturaliter consequitur [c]. » Tum multo expressius Augustinus [7], « Deus, cum Verbum genuit, id quod est ipse, genuit, neque de nihilo, neque de aliqua jam facta, conditaque

Ipsam per se sapientiam ipsam per se virtutem.

a Athan. *in Protrep.* Οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὤν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ, κατὰ τοὺς αὐτοῦ μετέχοντας, καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοὺς, καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους. ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ πατρὸς ἐστὶν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαρετή.

b Catena regia M. S. Ὅτι οὐ μεθεκτὴν ἔχει τὴν δωρεάν· ἀλλ' αὐτοπηγὴ, καὶ αὐτορίζα πάντων ἐστι τῶν ἀγαθῶν, αὐτοζωὴ, καὶ αὐτοφῶς, καὶ αὐτοαλήθεια, οὐκ ἐν εαυτῷ συνέχων τὸν πλοῦτον, ἀλλὰ καὶ εἰς τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὑπερβλύων αὐτὸν, καὶ μετὰ τὸ ὑπερβλύσαι μένων πλήρης.

c Cyril. lib. XIV *Thes.* Καὶ καθὸ ἐκ πατρὸς φυσικῶς γεγενημένος, ἐπάγεται πάντα τὰ ἴδια τοῦ πατρός.

1 Orat. v Vide et orat. iv.— 2 Orat. xliv.— 3 Ep. iv.— 4 Hom. ii in epist. *ad Rom.* — 5 Hom. xxvii in I *ad Cor.* ad cap. xi, v. 23. — 6 Cyr. Par. II *Glaphyr.* lib. II. — 7 Tom. III lib. *de Fide et Sym.* cap. iv.

materia, sed de seipso id, quod est ipse. » Quod Magister [1] Sententiarum ita declarat: « Pater genuit Filium, qui est illud, quo Pater est. Nam quod Pater est, et Filius hoc est, sed non qui Pater est, et Filius hic est*. »

IV. Hoc ipsum et Græci Patres indicant, qui Filium vitam, et sapientiam, et justitiam esse dicunt, non ut habitus sit, aut aptitudo quædam, et qualitas, sed substantia viva, et efficax. Ita Basilius in secundo *contra Eunomium* [a].

Substantialem rationem et sapientiam. Athanasius vero οὐσιώδη λόγον, et σοφίαν generatione illa Filium existere probat; quia « uti ex Deo Deus est, et ex Sapiente sapientia, et ex rationali ratio, sive Verbum; sic ex subsistentia subsistens, et ex substantia substantialis, et substantiam habens, et existens ab existente [b]. » Proinde quemadmodum Pater est vita, et sapientia, et bonitas, et divinitas subsistens; sic et Filius. *Per se Deus.* Potest igitur αὐτόθεος, *Per se divinitas.* imo αὐτοθεότης nominari, quia « Christus sic est Deus, ut sit etiam divinitas sua, » ait Fulgentius [2]. Augustinus, serm. LXIV *de Verbis Domini secundum Joannem* cap. VI. « *Sicut enim Pater*, inquit, *habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Non participando, sed in semetipso. Non enim nos habemus vitam in nobis ipsis, sed in Deo nostro. Ille autem Pater vitam in semetipso habet, et talem genuit Filium, qui haberet vitam in semetipso: Non fieret vitæ particeps, sed ipse vita esset, cujus nos vitæ participes essemus, plane ut haberet vitam in semetipso, et esset ipse vita. » Et in libro *de Fide et Symbolo*, cap. IV. « Naturalis ergo Filius de ipsa Patris substantia unicus natus est, idem existens, quod Pater, Deus de Deo, lumen de lumine; nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus. »

V. Quod ad recentiores attinet, non parva Catholicorum est cum hæreticis altercatio, maxime Calvino, Beza, et eorum asseclis. Etenim Genebrardus in libro primo *de Trinitate* acerrime illos insectatur, et *autotheanos* nominat, quod Filium a se ipso divinitatem, et essentiam habere dicerent; cujus erroris meminit et Guillelmus Lindanus [3]. Bellarminus vero quod ad Calvinum spectat [4], eum reipsa de Trinitate recte sentientem, verbis tantummodo peccasse putat. Ego vero, dum Calvini, Bezæ, et Lamberti Danæi, amborum discipuli scripta diligentius relego, non verbi tantum, sed dogmatis, ac rei controversiam versari arbitror. Video enim istos sic interdum de hoc mysterio recte, et ut Catholica fides postulat, loqui, ut in aliis pessime non dicant modo, sed etiam sentiant. Itaque magis est, ut ex pravis istis suspecta illa fiant, quæ sincera videntur, quam hæc ad illorum tegendam impietatem satis firma, et idonea judicentur. Neque enim cum de eadem repugnantia invicem, ut sæpe fit, profitentur hæretici, ac mendacia veris admiscent, præjudicium ex iis, quæ recta sunt, ad excusanda illa, quæ falsa, impiaque sunt, solet ac debet fieri. Quippe « hæretici (ut scribit Theophilus Alexandrinus [5], interpretante Hieronymo) quamvis scripserint aliqua, quæ Ecclesiasticæ fidei non repugnent, tamen non erunt absque crimine, et in iis, quæ principalia sunt, et ad salutem credentium pertinent, Ecclesiasticæ fidei repugnantes. » Calvinus, ut ab illo primum ordiar, quædam de Trinitate non incommode scripsit tum *Institutionum* libro primo, tum in opusculis, quæ contra Servetum, ac Gentilem, contraque Polonos edidit. Sed idem absurda quædam iis adspersit, ac nefaria, cujusmodi sunt hæc: « Sermo semper fuit Deus [6]. Unde sequitur non ei fuisse datum, ut esset. Similiter cum pronuntiat Christus ipse: *Antequam fieret Abraham, ego sum*, sibi profecto essentiam absque principio vendicat. » Et alio loco [7]: « Si Pater suum esse habet a seipso, Filius suum esse habet a Patre,

Calvinus ejusque partiarii non solum vocabulo sed etiam sensu erraverunt.

a Basil. II *contra Eunom.* Καὶ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ δικαιοσύνη θεοῦ, οὐχ ὡς ἕξις, οὐδ' ὡς ἐπιτηδειότης, ἀλλ' οὐσία ζῶσα, καὶ ἐνεργής.

b Athan. orat. V. Ὡς γὰρ ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ ἐκ σοφοῦ σοφία, καὶ ἐκ λογικοῦ λόγος, καὶ ἐκ πατρὸς υἱός· οὕτως ἐξ ὑποστάσεως ὑπόστατος, καὶ ἐξ οὐσίας οὐσιώδης, καὶ ἐνούσιος, καὶ ἐξ ὄντος ὤν.

* Observandum eas ex pronomine αὐτὸς compositiones apud Platonicos esse frequentissimas, nec tantum summam illam Μονάδα quam vocant αὐτοέν, sic solent describere, sed etiam ideas quas ab illo distinguunt. Sic αὐτόζωον vocant ideam ad quam quidquid vivit factum est. Proclus in *Theolog. Platon.*, lib. III, cap. XVIII, κάλλιστον ζώων τῶν νοουμένων τὸ αὐτόζωον *Pulcherrimum animalium intelligibilium est ipsum animal.* Idem *Theol. Platon.* cap. XXVII, describit αὐτοζωὴν ab alio vitam accipientem, ubi quod immortalitatem in se habens καὶ ὡς ἐκθεοῦν τὴν αὐτοζωήν, *Et ut deificans ipsam vitam.* Talia sunt multa apud eumdem et apud Platonicos. T. AL.

1 Lib. I, dist. V. — 2 Inquis. II *ad Ferr.* — 3 Dial. II dubitan. — 4 Lib. II *de Christo*, cap. XIX. — 5 Lib. Paschas. I. — 6 Lib. *de Impietate Gentilis*, in Opusc. — 7 In *Adin. ad fratres Polonos.*

Spiritus ab utroque; annon tres essentiæ emergunt, atque ita una discerpitur? » Hinc apparet, quo sensu αὐτόθεον, et αὐτοούσιον pugnet esse Filium; nempe quod a se, non a Patre, hunc habere velit essentiam, quod dictu est impium. Siquidem ab eo habet essentiam, a quo est genitus; quoniam generatio ejusdem est naturæ communicatio, vel specie, ut in creatis rebus fit, vel numero, ut in divina Verbi productione. Neque enim vel cogitando concipi potest generatio, quin natura, et essentiæ communicatio quædam occurrat animo. Quippe nihil aut est, aut intelligi potest sine essentia sua; nec aliud est esse, quam essentiam habere. Igitur a quo res habet ut sit, ab eo essentiam accipit. In quo vere, proprieque dicta generatio ab reliquis productionibus secernitur, quod illa sit οὐσιώδης, hoc est, substantia, et natura per eam acquiritur; reliquæ nonnisi accidentia, qualitates scilicet, aut quantitates subjectis afferunt.

Autotheon et autousion

VI. Quinetiam Calvinus ipse non solum in primo *Institutionum*, cap. XIII, § 23, diserte scribit, Patrem communicasse Filio essentiam suam, quem locum citat Bellarminus; sed etiam in *Explicatione Perfidiæ Valentini Gentilis*[1], « Quid jam, inquit, reperies, in quo Patrem a Filio distinguas. Non erit certe essentia. Nam si eam communicavit cum Filio, vel in solidum, vel ex parte communicavit. Si ex parte, dimidium nobis Deum fabricas, » etc. Cum idem sit communicare essentiam, ac dare; *essentia* autem idem sit, atque *esse;* qui essentiam communicat, esse utique dat. Proinde dat essentiam Pater Filio, neque eam habet a se Filius; ut non falsa solum, et absurda, sed etiam contraria secum Calvinus loquatur. Qui et illud perperam in primo *Institutionum*[2] Patribus affingit: « Nunc eos Patrem Filii principium esse tradere; nunc Filium a seipso et divinitatem, et essentiam habere; » quorum prius est verum, posterius falsum, neque ab ullo Catholico pronuntiatum. Sed neque nominatim citavit ullum Calvinus, qui ita scriberet. Qui enim ad oram adnotati sunt, Augustinus homilia XXXVIII *de Tempore*, et epistola CLXXIV *ad Pascentium*, et *in Psalmum* CIX ac tractatu XXXIX *in Joannem;* ac Cyrillus, libro VII *de Trinitate* (quod, quid sit nescio; nam de Trinitate tot libros non scripsit Cyrillus: ac videtur *Thesauri* libros sic appellare, quandoquidem a dialogis *de Trinitate* illos separat) et lib. III *Dialogorum;* isti, inquam, nihil ejusmodi memorant, « Filium a seipso et divinitatem, et essentiam habere; » quibus verbis subdole, et imperite Calvinus hæc addit; « Adeoque unum esse cum Patre principium; » tanquam idem sit, « unum esse cum Patre principium, quod a seipso divinitatem, et essentiam habere. » Sane Augustinus *in Psalmum* CIX et tractatu XXXIX *in Joannem*, Deum Patrem, et Filium unum docet esse principium, sicut unum Deum, non duo principia, uti nec Deos duos. Neque tamen Filium a se dicit habere divinitatem, et essentiam. Sunt enim ambo hæc magnopere diversa. Quippe non eodem sensu Filius unum cum Patre principium dicitur, quo Pater Filii principium; quod est divinitatem, et essentiam communicare Filio. Illud comparationem habet ad res creatas, quarum personæ tres unum, idemque sunt principium, hoc autem ad Filium dicitur Pater; quod non est commune Filio.

VII. Sed mira insuper est vel calumnia, vel hallucinatio Calvini, dum ista duo, *ad se*, et *a se* promiscue capere videtur; itemque ista *ad alium*, et *ab alio*, quæ solet Augustinus in explicando Trinitatis mysterio libenter adhibere, ut in locis illis, quæ Calvinus citat, nec non in libris *de Trinitate;* ut in V, cap. V, VI et VII et in lib. VI cap. II et in VII cap. I, II et alibi passim. Ad se enim ea dici intelligit Augustinus, quæ secundum substantiam, et essentiam, absoluteque dicuntur; ad alium autem, quæ secundum relationem. At Calvinus in illo, quem adduximus, *Institutionis* loco, bene illa dicit ab Augustino conciliari, quæ inter se contraria videntur a Patribus usurpari; nempe, « nunc Patrem Filii principium esse, nunc Filium a seipso divinitatem, et essentiam habere; » *in Psal.* LXVIII cum ait, « Pater ad se Deus dicitur, ad Filium dicitur Pater. Quod dicitur ad Filium Pater, non est Filius; quod dicitur Filius ad Patrem, non est Pater; quod dicitur ad se Pater, et Filius ad se, est idem Deus. » Ex iis Augustini verbis concludit hoc modo Calvinus: « Ergo cum de Filio sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene et proprie ipsum a se esse asserimus, et ideo unicum vocamus principium; cum vero relationem, quæ illi est cum Patre, notamus, Patrem Filii principium merito facimus. » Atqui in illo Augustini loco littera nulla est, quæ Filium a se esse dicat, aut a se essentiam habere. Nisi ergo *ad se* idem esse, atque *a se,*

Calvinus refutatur.

[1] In Opusc. — [2] Cap. XIII, § 19.

et *ad alium* idem, atque *ab alio* Calvinus existimasset, illa Augustini sententia non esset usus. Quod quam absurde fecerit, nemo non videt. Quocirca falsa, et impia illa vox est, « Filium a se divinitatem, et essentiam habere, vel a se esse. » Nec minus conscelerata hæc argumentatio, qua idem utitur [1] : « Si Pater suum esse habet a seipso, Filius suum esse habet a Patre, Spiritus ab utroque ; an non tres essentiæ emergunt ? » Quæ mera est Arianorum, ac præsertim Eunomianorum cavillatio, contra quam Basilius, ac Gregorii ambo, Nazianzenus et Nyssenus, imo Patres omnes enixe pugnant. Augustinus quidem, tractatu XIV *in Joannem*, Christum ait lumen esse non illuminatum, sed illuminans : « Lumen autem illuminans a seipso lumen est, et sibi lumen est, et non indiget alio lumine, ut lucere possit ; sed ipso indigent cætera, ut luceant. » Sed cum a seipso illuminare dicit, hoc tantum significat, non participatione alieni luminis illuminare, sed ex propria natura, et substantia. In quo ab Joanne Baptista differt, qui etsi lumen erat, non tamen illuminans, sed illuminatum, eo quod luce lucebat aliena.

VIII. Nec illud Calvinum juvat, quod essentia Filii principium non habet, neque genita dicitur, ut et Lateranense concilium decrevit. Multum enim ista discrepant, « essentia Filii principium non habet ; et Filius essentiam non habet a principio. » Quinetiam *genitam essentiam* eo sensu plerique veteres dixerunt, quod sit generatione transfusa, vel communicata potius, ut in superioribus ostendimus. At Lateranensis synodus eatenus *genitam* dici *essentiam* non probat, quatenus hoc significat, existendi originem habere. Hoc enim modo nefas est dictu, gigni essentiam Filii, quod Valentinus Gentilis asserebat (ut est apud Calvinum [2] in illius *Prothesi* XI) qui et solum Patrem ideo dicebat esse αὐτόθεον, id est « a nullo superiore numine essentiatum, sed a seipso Deum. » Putida vox, et barbara, quam ille sic intelligebat, ut esset informare individua, quæ in divinitate subsistunt. Quippe Patrem ipsam esse dicebat essentiam ; ac negabat a persona Patris, quam Sophisticam vocabat, genitum esse Filium : « Quamobrem, inquit Gentilis [3], « assero Patrem esse ipsam unicam essentiam : Verbum autem splendorem gloriæ Dei, et expressam imaginem substantiæ illius, hac ratione a Patre distinctum, quod Pater, ut ait Christus, est solus verus Deus, et essentiator, hoc est informator individuorum. » Quod perplexum, et inextricabile commentum est. Ita enim nonnisi personæ duæ erunt, quæ ab communi informantur essentia, nempe Filius, et Spiritus sanctus, quorum forma, et essentia sit Pater ; hunc enim individuum esse personamve non putat Gentilis. Vel certe *essentiare* pro eo sumetur, ut sit procreare, et essentiam producere, quomodo Calvinus exponit, ex eoque Gentili invidiam facit. Anastasius Sinaita, « Naturam dicit causam, et generatricem esse hypostaseon, quæ insunt ipsi. Ideo ὑποστάσεις vocantur, quod naturæ subsunt [a]. » Quod non satis accurate dictum videtur, præsertim si universe de tribus hypostasibus intelligatur. Non enim hypostasis Patris ab natura divina gignitur : Potest tamen de Filii hypostasi istud usurpari, quatenus a Patre ex substantia gignitur ; estque natura ipsa principium, quo gignitur. Verum de Spiritu sancto ne hoc quidem modo dici hoc potest, ad quem generatio non pertinet.

Quo sensu tolerabilis vox *essentiandi.*

IX. Cæterum si *essentiare* sic acciperet, ut esset *communicare essentiam*, et eum producere, qui essentiam haberet, tolerabilis vox esset ; aut si eo sensu dicatur, quo Græci οὐσιοῦν exprimunt, et οὐσιοῦσθαι, quod de substantia intelligunt, vel subsistente essentia. Itaque Genebrardus in primo *de Trinitate* verbum illud *essentiandi* eatenus tuetur, ut significet, Filium a Patre esse ; et Eusebium Cæsariensem imprimis testem citat [4], asserentem Christum ante Luciferum a Deo genitum, et οὐσιωμένον. Qua voce usus est in secundo *de Demonstratione Evangelica*, τὴν πρὸς αἰῶνος οὐσίωσιν Christi nominans. Et in quarto libro, capite tertio, Filium esse dicit, καθ' ἑαυτὸν οὐσιωμένον. Et in quinto libro, capite secundo, « Verbum divinum per se οὐσιῶσθαι [b] » asserit, eamque vocat πρώτην οὐσίωσιν. Sed in istis locis verbum οὐσιῶσθαι nequaquam *essentiatum esse* verterim, si communem essentiæ notionem sequi velim, quæ est τὸ τί ἦν εἶναι rei alicujus, aut ejus natura ; verum *substantiatum* malim, hoc est *per se subsistens, ac cohærens editum.*

Essentiatum. Ante sæcula substantiationem.

Essentiare. Primam essentiationem.

Quidditas.

a ANAST. in ὁδηγῷ. Ἡ οὖν φύσις ἐστὶν ἡ κυρία, καὶ αἰτία, καὶ γεννητικὴ τῶν ὑποστάσεων τῶν ἐν αὐτῇ. καὶ διὰ τοῦτο ὑποστάσεις λέγονται, ὡς ὑπὸ τὴν φύσιν ἱστάμεναι.

b EUSEB. V *Dem.* Ὁ δέ γε τοῦ θεοῦ λόγος καθ' ἑαυτὸν οὐσίωταί τε, καὶ ὑφέστηκε.

1 Calvin. *in Admo. ad fratr. Pol.* — 2 *Explic. perfid. Fal. Gen.* — 3 Apud Calvin. ibid. — 4 Lib. I *Hist.* c. IV.

Ita enim docere voluit, non esse Filium, ut Sabelliani fingebant, κατ' ἐπίνοιαν, et *sola cogitatione* a Patre diversum, sed per se, ac solide subsistentem, uti substantia quæpiam individua reipsa ab altera distinguitur, tanquam res ab re altera. At Chrysostomus homilia XIII in epistolam *ad Ephesios* οὐσίωσιν sumpsit pro rei productione, cum existere incipit. Nam virtutis οὐσίωσιν appellat hanc ipsam virtutem, « quæ ex non exstantibus ad hoc ut sit producitur [a]. »

Sic Dionysius, quem idem Genebrardus laudat, οὐσίωσιν, et οὐσιοῦσθαι pro simplicis essentiæ communicatione accipit, ut cum οὐσιώσεις, et ζωώσεις, et σοφοποιήσεις appellat *essentiæ, vitæ, ac sapientiæ transfusiones*, quæ ab summo principio derivantur, atque eodem capite τὴν αὐτοζωὴν non dici proprie vivere, neque τὸ αὐτοφῶς illuminari, uti neque ignis uri, vel calefieri; » nisi quatenus excellenti quadam ratione, et secundum essentiam, quæ sunt in effectis, prius in causis inesse dicuntur [b]. » Οὐσιωδῶς hic inesse ait, quod non participatione alicujus, vel derivatione, quasi adventitium habetur, sed naturaliter insitum est, et ingenitum, imo ipsa est rei natura, et essentia.

X. Igitur *essentiare* si sic intelligas, ut sit essentiam communicare alteri, vel alterum producere, qui essentiam, et subsistentiam habeat : potest usurpari de æterna Filii generatione, ut et *substantiare*. In quo rursum Calvinus [1] errat, qui quod Valentinus Gentilis dixerat, Patrem *essentiatorem* esse Filii, non aliter exponit, quam ut creare significet. « Quid est, inquit, essentiare nisi creare? Actus enim essentiandi necessario id secum trahit, ut qui ante non erat, incœperit esse. Unde sequitur Christum non alio jure Deum censeri, nisi quod dono accepit, quod non habebat. » Ubi præter modum effertur, dum ita sentit, non aliter posse communicari essentiam, nisi ita, ut cui communicatur esse hoc, incœperit, ac mera sit creatio communicatio omnis essentiæ ; quam ob causam Filium a se essentiam habere, atque a se Deum esse non dubitavit dicere. In quo et ejus, et *Autotheanorum*, ut eos Genebrardus vocat, consistit error ; qui mihi non verbi solum, et locutionis, ut Bellarmino placet, sed prorsus rei videtur esse, et quidem gravissimus. Id enim in Trinitate funditus delet, et evertit, quod alioquin aperte profiteri videatur, generari a Patre Filium. Neque enim generatio sine alicujus rei communicatione potest animo concipi ; rei porro non alterius, quam naturæ, essentiæ, substantiæ, cum sit οὐσιώδης, id est *substantialis* productio, in eoque ab reliquis propagationibus, quæ secundum qualitatem, et quantitatem fiunt, generatio discrepet. Cæterum si generatione communicatur essentia Filio ; utique hic a Patre essentiam habet, non a se. Alioquin aut non gigneretur, aut non ab alio gigneretur. Hinc recte Damascenus, « Omnia, inquit, quæcumque habet Filius, et Spiritus sanctus a Patre habet, etiam ipsum esse [c]. » Est autem esse idem, quod essentia. Jam si essentiam habet a Patre, non a seipso, a Patre profecto Deus est, non a seipso. Hoc est enim Deum esse, Dei essentiam habere. Quare neutrum Catholica fides admittit, aut a se essentiam habere Filium, aut a se Deum esse, quod ille αὐτόθεος significat.

Neque propterea vel creari censendus est Filius, vel alieno dono, ac precario Deus est, vel denique essentia plures una sunt ; quæ pro opinione sua Calvinus, Beza, et qui contra Genebrardum de hac quæstione scripsit, Lambertus Danæus Genevensis minister opponunt. Quasi non aliter expedire ista possimus, quam ita, uti hæc argumenta præscribunt.

XI. Atqui non sic communicari essentia dicitur a Christianis (qui enim aliter sapit, eum Christianum vix arbitror) ut vel altera, quam quæ est in Patre, detur, atque ab eo dimanet essentia ; aut posterius tempore aliquo, vel spatio transeat in Filium, quam eam possidet Pater ; quod utrumque in hominum, atque animantium reliquorum procreatione accidit. Prius autem in eorum productione, quæ orta de causis, ut natura posteriora sunt, sic sunt simul tempore ; quo modo lux a sole, calor ab igne, statim ac cœperunt esse, diffunduntur. Pater autem Deus Deum Filium sic ex omni æternitate generat, ut eamdem numero, quam habet, essentiam illi tribuat;

a Chrysost. hom. XIII in epist. *ad Ephes.* Τὴν ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραχθεῖσαν.

b Dion. cap. II *de Div. nom.* Καὶ ζῆν εἴ τις φαίη τὴν αὐτοζωὴν, ἢ φωτίζεσθαι τὸ αὐτοφῶς, οὐκ ὀρθῶς ἐρεῖ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον· εἰ μή που καθ' ἕτερον ταῦτα εἴποι τρόπον, ὅτι περισσῶς, καὶ οὐσιωδῶς προένεστι τὰ τῶν αἰτιατῶν τοῖς αἰτίοις.

c Dam. lib. I, cap. X. Πάντα οὖν ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι.

1 Lib. *de Impietate Val. Gent.*

neque vel puncto temporis, aut æternitatis ullo, vel natura sit anterior, sed sola ratione, et origine, ut ait Novatianus[1] libro *de Trinitate.* Unde non satis apte auctor idem *divinitatem, traditam, et porrectam* a Patre Filio scripsit in calce libri; quod de creaturis melius usurpavit, capit. XXIII quibus *divinitatem* ait a Christo esse *porrectam.* Proinde ridicule facit Calvinus, qui non alio modo, quam creatione essentiam ab alio posse accipi putat. Nec minus inepte tam iste, quam ejus disciLipuli hoc ipsum quod dicitur, *habere esse ab alio* nihil aliud esse dicunt, quam *precario esse Deum.* Ita Beza[2] in libro *de Unitate essentiæ divinæ,* « Majus esse ait non esse aliunde, quam habere suum esse ab alterius esse, sive precario Deum esse. » Et Lambertus Danæus in *Responsione ad Genebrardum*, nisi Filius, ac Spiritus sanctus a se habeant essentiam, solum ait Patrem fore verum Deum; Filium autem, et Spiritum sanctum « Fictitios, emendicatos, deificatos, precario, ac mutuative Deos; neque a seipsis Deitatem, neque omnipotentiam, neque omniscientiam habere. » Tum: « Qualis autem obsecro est iste Deus, qui omnia quæ habet, alieno beneficio, non suo jure, aliena concessione, non sua virtute, emendicatione, non sua potentia habet? et qui non a se, sed ab alio habet, ut sit Deus, Deus non futurus, nisi alius hoc ei gratuito donasset? » Atqui non solum impia, sed inscitiæ plena est ista causatio. Neque enim lux a sole dimanans, aut ab igne calor, precario, ac de eorum voluntate (ut intelligentes fingamus ambos, quod alibi cum Patribus fecimus) hoc ipsum, quod sunt habent, sed necessario. Idque multo in divinis productionibus magis locum habet, quo magis necessariæ sunt. Tum, ut recte Gregorius Nazianzenus ait, non minus amplum, et honestum est Filio, sic a Patre produci, quam Patri ab nullo alio produci. Postremo neque plures ideo fiunt essentiæ, quod aliunde Filius eam accipiat. Non enim alteram, aut ab una eademque, quæ est in Patre, diversam obtinet; neque hæc ipsa sic gignitur, ut per generationem existat, sed ut communicetur existens.

XII. Atenim nisi essentiam habeat a se Filius, erit in Deo essentia et essentia, etiam seclusa relatione. Item in divina essentia, id est re una simplicissima, aliquid erit ex se subsistens, aliquid non ex se subsistens. Tum essentia Filii erit Deitatis Patris filia. Rursus, « geniti, et ingeniti appellationes constituentur esse, dicique respectu ipsius essentiæ, et deitatis; non autem ratione personæ, et τρόπου ὑπάρξεως. » Denique Filius Dei falso nominabitur Jehovah. « Nam si a se Deus non est, quomodo Deus erit? » Hæc fere sunt argumenta, quibus Calvini, ac Bezæ præceptorum suorum, suamque adeo causam approbat Lambertus Danæus; quæ cassa omnia sunt, et inepta. Etenim quod ad primum attinet, de quinque istis, (nam cætera duo paulo ante refellimus) tametsi genitam dicamus essentiam, eo sensu, quem plus semel expressimus, nempe ut non existat generatione, sed existens in alio, communicetur alteri, nullum est periculum, ne alia atque alia constituatur essentia. Eadem quippe numero in Patre est a nullo, nulliusque productione; in Filio est a Patre, ac per veram propriamque generationem. In secundo ridicule conflictatur Danæus, ac vocis ambiguitate fucum facit. Nam *ex se* multis modis dicitur, quemadmodum quod ei ex adverso respondet, *ex aliquo, vel ex alio.* Hoc autem in profanis litteris vel efficientem causam, atque artificem designat, ex qua opus effectum prodiit, vel materiam, ex qua fit aliquid. In Scripturis vero principem etiam causam, ac supremam omnium rerum. Ut cum Paulus ita scribit : *Unus Deus, ex quo omnia*[3], uti Basilius[4] contra Pneumatomachos observat. Totidem itaque modis et *ex se* dicitur. Proinde si sic usurpetur *ex alio*, ut sit ex efficiente aliquo, et opifice, ac procreante; non est dubium, quin *ex se* sit Filius, uti ἀγέννητον, vel potius ἀγένητον appellari posse supra demonstravi; quatenus ei, quod est effici, ac de nihilo creari, utraque vox opponitur. Sin *ex alio* tanquam principio producente, ac generante, et essentiam, ac divinitatem communicante dicitur, non est ex se Filius, sed ex alio subsistens. Ab eo quippe habet ut sit et subsistat, a quo producitur. Quocirca futilis est hæc vocum, ac syllabarum aucupatio, quæ « haud simplex tamen, ac mediocre tendit ad malum, (ait Basilius de his ipsis voculis agens) sed profundum habet, et obtectum adversus pietatem consilium[a]. »

Danæi argumenta exponuntur et refelluntur.

Modi se exstantiæ.

Ingenitum. Infectum.

[a] Basil. lib. *de Sp. sancto*, cap. II. Ἡ περὶ τὰς συλλαβὰς καὶ τὰς λέξεις τῶν ἀνδρῶν τούτων μικρολογία οὐχ ἁπλῆ τίς ἐστιν, ὡς ἂν τῷ δόξαι· οὐδὲ εἰς μικρὸν τοῦ κακοῦ φέρουσα, ἀλλὰ βαθεῖαν ἔχει, καὶ συνεσκιασμένην βουλὴν κατὰ τῆς εὐσεβείας.

1 Cap. XXXI. — 2 In Opusc. — 3 I *Cor.* VIII. — 4 Lib. *de Spirit. sanc.* cap. II, III et IV.

XIII. Tertio quod objicitur, essentiam Filii divinitatis, quæ est in Patre, fore filiam, si illam Filius habet a Patre, eodem modo dissolvitur. Id enim utcumque dici posset, si diversa numero in Filio essentia foret. At non est, sed eadem, quam non gignendo producit Pater, sed communicat.

Sic et illud absurdum est, et inane, quod quarto loco posui de geniti, et ingeniti vocabulis, quæ non ad essentiam proprie attinent, sed personam, nisi hæc ipsa paulo laxius accipere velimus, ut non simplicem rei productionem *geniti* vox significet, neget ingeniti; sed communicationem ac transfusionem.

Postremum illud de *Jehovæ* nomine eadem opera refellitur. Quanquam vox ista barbara, et in usum ante annos aliquot accepta, ignota veteribus fuit. Sed quocumque tandem modo tetragrammaton illud nomen exprimatur, non minus Filio, quam Patri congruit, ut et *Deus;* quod utrumque vocabulum etsi Patri plerumque in Scripturis tribuitur, pertinet tamen etiam ad illum, qui ita vere Deus est, ut ab alio divinitatem, et essentiam habeat. Est autem tum ad perfidiam, tum ad inscitiam implicata ista vox, « Si a se Deus non est, quomodo Deus erit? » Nam aut Filio divinitatem eripit, aut Deum ex Deo patre negat esse genitum. Pauca hæc ad argumenta Danæi; quæ itidem et Calvini sunt, et Bezæ, et si qui alii Filium Dei αὐτοούσιον, et αὐτόθεον eo sensu, quem repudiavimus, appellant. Quorum est et reliqua minime cohærens oratio, « Personæ ratione Filium esse a Patre; essentiæ vero respectu non esse Filium a Patre. » Quasi aliter a Patre persona Filii esse possit, quam ut ab eo id habeat, sine quo persona ne concipi quidem animo potest, hoc est naturam, et essentiam. Deinde Lambertus ipse Danæus asserit, « essentiam, quatenus in personis ipsis est, atque reipsa subsistit, relativeque consideratur, eam a se esse, in Filio autem a Patre. » Tum postea Calvini dictum probat ex epistola *Ad fratres Lausannenses:* « Cum personæ notantur, vere dici fateor, Verbum seu Filium Dei a Patre esse etiam secundum æternam suam essentiam. »

XIV. Atqui si essentia, ut in Filio est, a Patre est, ac secundum essentiam Filius est a Patre; falsum est, quod ab illis inculcatur, Filium essentiam habere a se, aut a se esse Deum, ideoque dici αὐτόθεον, et αὐτοούσιον. Quæ quidem vocabula haud recte interpretando detorquent. Calvinus [1] enim αὐτοουσίαν nihil esse aliud affirmat quam *essentiæ singularitatem;* quod etsi illius significatione continetur, non tamen solum. Lambertus vero Danæus cum multa de vocis αὐτὸς in istiusmodi compositione garrit, tum hoc indicare asserit, non alieno beneficio adeptum esse, vel extraneum, et adventitium, aut foris illatum; quod ut verum est, sic ad rem nihil attinet. Non enim beneficii jure, vel ut insulse jactare solent, precario Filius essentiam habet a Patre, aut quasi adventitiam, alienamque rem, sed naturaliter, ac proprio jure, quatenus vera generatione producitur. Hoc modo αὐτόθεος, et αὐτοούσιος est, imo αὐτοουσία, et αὐτοθεότης. Sin istis nominibus sic utantur, ut a seipso, non ab alio essentiam, ac divinitatem haberi quoquo modo significent; solus hæc Pater sibi vindicabit, non Filius. Itaque Cyrillus in epistola Paschali VIII de Filii divinitate, et omnipotentia loquens, utrumque declarat, et non aliunde hæc illum habere, et a Patre tamen accepisse: « Non adventitiam divinitatis dignitatem habens, sicut nos, quando Deos Scriptura nos appellat, sed substantialiter potius existentem in ipso; tanquam ei, qui secundum naturam Deus est, et ejus a quo genitus est, proprietatis hæres. Habet autem et ut omnia facere possit, non ab altero acceptum, sed velut virtutum Dominus, atque ex substantia Dei, et Patris [a]. »

Per se Deus, per se substantialis.... ipsissima substantia, et ipsissima Divinitas.

CAPUT XII.

Hæreticorum inter se conflictus super antecedentis capitis quæstione. Richardi Victorini contra Magistrum Sententiarum velitatio; deque Lateranensis synodi decreto contra Joachimum abbatem, et hujus errore. Richardus ab hæreticorum imperita criminatione defenditur. Varia Patrum loca perperam ab iisdem usurpata.

I. Hic illud intueri operæ pretium puto, quam parum inter se, quod ad propositam

[a] Cyril. *in Pasch.* VIII. Οὐκ ἐπακτὸν ἔχων τὸ τῆς θεότητος ἀξίωμα, καθάπερ ἡμεῖς, ὅταν ἡμᾶς λέγῃ ἡ θεία γραφὴ θεούς· οὐσιωδῶς δὲ μᾶλλον ἐνυπάρχον αὐτῷ, ἅτε δὴ καὶ ὄντι κατὰ φύσιν θεῷ, καὶ τῆς τοῦ γεννήσαντος ἰδιότητος κληρονόμῳ. ἔχει δὲ καὶ τὸ πάντα δύνασθαι δρᾷν, οὐ παρ' ἑτέρου λαβών· ἀλλ' ὡς τῶν δυνάμεων κύριος, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ, καὶ πατρός.

[1] In *Expl. perf. Val. Gent.*

æretico- rum onflictus super tecedentis capitis æstione.

quæstionem attinet, concordes sint hæretici. Nam Calvinus, ejusque fautores ab eo vehementius abhorrent, ut vel generans, vel genita essentia dicatur; quod ut vitarent, eo sunt prolapsi, ut ne ab alio quidem essentiam accipere Filium dicerent, ut superiore capite docui. At Lutherus[1] libro *de Captivit. Babylon.* inter alia « multa perperam ab Ecclesia determinata, » istud enumerat : « Essentiam divinam nec generari, nec generare. » Et Philippus [2] Melanchthon vere dici putat « nasci essentiam, quæ Filius est ; sicut in Symbolo dicitur, *Deus de Deo*, *lumen de lumine.* » Tum huic argumento, quod opponitur : Idem seipsum non gignere; quare cum essentia sit eadem, non posse essentiam gignere essentiam ; respondet, « Idem quatenus est incommunicabile, non gignere se, sed idem, quod est communicabile, communicari genito. Est autem essentia communicabilis, ideo communicatur genito. » Cujus sententiam approbat, illustratque Christophorus[3] Pezelius ejus discipulus; imo eam pervertit, et obscurat falsis, et absurdis pluribus admistis. Etenim quo sensu nasci essentiam interpretatus est Melanchthon, etsi id minus proprie dicitur, tolerari tamen potest, præsertim si aut Græcum οὐσίας ex Aristotelis mente, aut Latinum *substantiæ* nomen assumitur. Nam οὐσίαν γεννητὴν, et οὐσίαν ἐξ οὐσίας, et *substantiam ex substantia* gigni, veteres passim usurpant; quod in *essentiæ* vocabulo nonnihil offensionis habet, quanquam et hoc posterius quidam etiam ex illis assumpserunt. Si igitur essentiam pro subsistente natura, hoc est hypostasi Patris, aut Filii velis accipere, nulla nisi de verbis controversia jam erit ; quibus modum aliquem Lateranensis synodus adhibuit. Hunc sensum Philippus exprimit, dum essentiam, quatenus incommunicabilis est, dici gignere confirmat. Nam essentia, ut est incommunicabilis, nihil est præter hypostasim. Rursus, quod idem Philippus habet, essentiam gigni, id est communicari per generationem, verissimum est ; eoque modo tam Augustinus, quam alii nobis intelligendi videntur, qui generare, vel gigni asserunt essentiam.

II. At Pezelius cum alia falso, uti diximus, et inepte ad magistri sui doctrinam accumulat, tum ista : Quando hæc controversia inter sententiarios, et scholasticos agitatur, id quæri : « Quæ res constituat personam Filii, seu quæ res sit terminus generationis æternæ, hoc est, quæ res sit, quæ gignitur, num relatio tantum an essentia. » Item : « Sententiarii, inquit, dicunt essentiam nec constituere personam, nec esse terminum generationis. Itaque relatione dicunt constitui personam. » Hæc sunt falsissima. Nemo enim theologus dubitavit unquam, quin persona ex essentia constet, et ad illius notionem necessaria, eique intima sit essentia. Relatione itidem sola, citra essentiam, constitui personam neque ullus asserit, nec nisi ridicule potest defendi. Denique perperam statum quæstionis informat, dum idem esse ait, quærere, an essentia gignat, aut gignatur; et quæ res personam constituat. Vel essentiam non posse dici terminum generationis, nisi proprie ipsa gignatur.

Est enim terminus generationis, ac cujuslibet productionis duplex : alter proprius, et integer, quem *adæquatum* vocant, hoc est res illa, quæ gignitur existitque generatione ipsa; ea vero persona est, nempe Filius ex essentia, et proprietate constans, qui solus vere, ac directe gigni dicitur : alter *formalis* terminus appellatur, hoc est id, quod generatione illa communicatur, ac derivatur in genitum. Sed utcumque de verbis statuatur, tenendum illud est, verum, proprium, et ædæquatum terminum divinæ generationis neque essentiam, neque relationem esse, sed personam Filii ex utroque complexam. Proinde neque gigni, neque gignere essentiam sic, ut existere generatione ipsa fingatur, verum eatenus, ut existens communicetur Filio, vel existat in Filio.

III. Hoc vero modo, dixi supra, interpretandos, conciliandosque esse Patres, qui essentiam, aut sapientiam, aut divinitatem genitam, Græceque οὐσίαν γεννητὴν dixerunt, vel quod aliquanto usitatius, commodiusque quam essentia dicitur, *substantiam genitam.* De quo posteriore disputat accurate Richardus[4] Victorinus, ac theologos quosdam perstringit ætatis suæ, qui negabant « substantiam gignere substantiam, vel sapientiam sapientiam. » Substantiam autem perspicue pro essentia sumit, et quatenus a persona distinguitur. Atque hos ipsos communi Patrum omnium auctoritate refelli ait. Creditur autem ad Petrum Lombardum, æqualis qui fuit Richardi, illa hujus reprehensio pertinere. Siquidem in primo *Sententiarum*, distinct. v.

Richardi Victorini contra Magistrum Sententiarum velitatio.

1 Tom. II Op. fol. 70. — 2 In Enar. Sym. Nic. et alibi passim. — 3 Par. I Arg. et Obj. *de Art. fidei discrim. trium pers.* — 4 Lib. VI *de Trinit.* cap. XXII.

Magister affirmat, essentiam non gignere essentiam, et Augustinum, cæterosque qui aliter pronuntiasse videntur, explicat eo sensu, ut essentiam de essentia natam esse, vel substantiam de substantia, sit, Filium, qui est sapientia et substantia, de Patre natum esse, qui est eadem substantia, et sapientia; idque sanctus Thomas [1], ac cæteri complexi sunt. Quod uti vere dictum est, sic ad veterum interpretandam mentem minus accommodatum est, quam quod paulo ante posui. Neque vero causæ satis habuit Richardus, cur Magistrum Sententiarum argueret; qui re consentiens, verbo solum pugnabat, genitam essentiam ab essentia dici nolens, ne sic producta putetur in Filio, ut exstiterit productione ipsa, atque alia et diversa numero essentia sit in Filio, quomodo persona. Dicam amplius, ne verbis quidem, ac modo loquendi ab Richardo discrepare Lombardum; neque hunc ab illo notatum, ac designatum videri. Proinde quod plerique omnes scholastici, ac theologi sentiunt, adversus Richardi doctrinam pro magistri dogmate Lateranensem præjudicasse synodum, haud equidem assentior.

Non absolute essentiam de essentia gigni negat Lateranensis synodus.

IV. Non enim καθόλου, *absoluteque* essentiam de essentia, vel potius substantiam de substantia gigni, (quod habet Richardus) negat illa synodus, itave loquentes condemnat; neque absolute itidem fidei decretum est, « Quod essentia, seu divinitas non generat, aut generatur, » ut plures ex synodi sanctione, ac Joachimi damnatione colligunt, præsertim Suarez [2], Vasquez [3], Canariensis [4], et ante hos Argentina [5]. Verum essentiam divinam absolute, ac per sese, et ut a personis tribus abstracta, præcisaque spectatur, Lateranensis synodus intellexit; non autem ut in quaque persona consideratur, et est peculiari affecta proprietate. Id enim ex causa illius decreti, et occasione cognoscitur. Nam adversus Joachimum abbatem editum illud est, qui in Petrum Lombardum fuerat commotior, quod is ita scripsisset, « Quoniam quædam summa res est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et illa non est generans, neque genita, neque procedens.»

Ab errore vindicatur Petrus Lombardus.

Quæ verba ex primo Lombardi libro, distinctione v deprompta vulgo feruntur, nec tamen illic exstant, sed hæc sola: « Unam et summam quamdam rem esse divinam essentiam, » ideoque non dici « divinam essentiam genuisse essentiam, ne eadem res seipsam genuerit; » quæ longe ab illis discrepant. Nihilominus Joachimus ex Lombardi doctrina collegisse videtur, quod reprehensione dignum credidit, « Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum quamdam summam esse rem, quæ neque sit generans, » etc. hoc est unam, et eamdem esse substantiam, et essentiam, seu naturam divinam, ut Lateranense decretum explicat. Hoc vero Joachimus oppugnat eo argumento, quoniam inde concluditur quaternitas, non trinitas. Siquidem præter Patrem, qui genuit, et Filium, qui gignitur, et Spiritum sanctum, qui procedit, summa illa res in numerum venit, quæ neque gignit, neque gignitur, neque procedit. Ipse autem personas tres non solum relationibus, proprietatibusque separabat, sed etiam naturis, et essentiis, quas numero distinctas in tribus ita constituebat, una ut esset natura, et essentia, non vera et propria unitate, sed quasi collectiva; « quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una anima.» Ita substantiam, vel essentiam Joachimus eo modo consideravit, quo communis est, neque uni personæ affixa, vel certa proprietate devincta; qua sane ratione neque generat, neque generatur. At eadem si ut est in Patre consideretur, generat; si ut in Filio est, gignitur, hoc est, gignendo communicatur.

Lateranensis synodi decretum contra Joachimum abbatem.

V. Porro Lateranense concilium in Joachimi opinione illa damnanda similiter essentiam accepit; nimirum in eo statu, quo communis est, ut ex ejus verbis ostenditur. Quod si quis essentiam in qualibet etiam persona, et cum singulis proprietatibus conjunctam ab illo spectatam esse pertinacius contendat; non tamen efficiat, ut essentiam dici genitam, aut generantem vetuerit omnino, ac pro hæretico habuerit, etiam illo sensu, quo plures antiquos usurpasse ista constat. Quare ex Joachimi errore, quod decreto illo damnatur, synodi mens interpretanda est. Cum igitur distinctam numero divinitatem, et naturam inesse Filio Joachimus putaret, eam non minus genitam, et productam a Patre credidit, quam personam ipsam, ut generatione ipsa principium habuerit existendi, sicut Filii persona. Existit enim generatione Filius, nec esse habet aliunde, quam a Patre. Proinde generantis, et geniti, et procedentis vocabula, stricta et usitata creatis in rebus notione sumpsit, quatenus productione res accipit ut existat. Quocirca

1 In I part. qu. XXXIX — 2 Lib. VI, cap. VII, n. 10. — 3 In Schol. ad locum cit S. Thom. — 4 Ibid. — 5 In I dist. V.

Lateranenses Patres eodem modo voces illas usurparunt, ac merito hæreticum id esse pronuntiarunt. Quippe essentia neque sic gignit essentiam, ut ei absolutam existentiam tribuat; neque sic gignitur, ut existat. Sed generare, cum ad essentiam pertinet, est generando communicare; gigni est communicari. Filius vere, ac proprie a Patre gignitur; essentia autem ejus non eodem modo gigni dicitur, sed generatione accipi. Vel gignere est dare substantiam; gigni est datam accipere, ut ejusdem decreti verbis utar. Atqui non aliter aut Richardus, aut antiqui omnes Patres essentiam de essentia, vel substantia gigni dixerunt.

Richardus ab errore vindicatur.

VI. Frustra ergo sunt scholastici quidam, qui Richardi sententiam decreto illo notatam existimant, ut inter cætera Franciscus Maironis in *Scholiis* ad lib. XV Augustini *de Trinitate*, cap. XX, cujus hic verba describam, quæ et Genebrardus in primo *de Trinitate* refert: « Intelligendum est, quod cum de ista quæstione fuerit controversum inter Magistrum Sententiarum, et Richardum de sancto Victore, et Magister negaverit essentiam gignere, et Richardus affirmaverit, Augustinus magis pendet in partem Richardi. Quia tamen abbas Joachim sequens Richardum, inseruit errorem contra unitatem deitatis, ponens ipsam collectam in tribus personis, passa est detrimentum in capitulo. *Firmiter credimus*. Unde accipitur documentum, quod adjungens errorem alicui opinioni susceptibili, ipsam dissipat ex adjunctione. » Hæc ille neque multum eleganter, et parum accurate, ac vere. Non enim Magister Sententiarum a Richardo, nedum Augustino, re discrepat; ac ne verbo quidem, si *gignendi* vox significatione sumatur, quam proxime ante posui; neque Lateranense decretum contra ambos illos quidquam facit. Sed et falsum est Joachimum Richardi sententiam secutum. Hic enim unitatem substantiæ, hoc est, essentiæ, et quidem numericam, ubique commendat in personis tribus; a quo Joachimus abhorruit. Itaque de sola loquendi ratione, ut multum, inter illos controversia est, cum de re ipsa summa sit concordia, quod essentiam ex essentia genitam dici negent alii, alii sentiant; utrique autem generatione nullum existendi principium essentiæ dari fateantur. Sed ut mea fert opinio, ne de locutione ipsa quidem inter se pugnant; neque Lateranensis synodus absolute dici prohibet generantem aut genitam essentiam; sed tum eo sensu, atque ea gignendi notione, quam qui decreto illo damnabatur, Joachimus intelligebat; tum ut essentia, vel substantia communiter, et a personis abstracta spectatur, non autem ut proprietatibus est affecta.

S. Thomas Joachimi opinionem non recte interpretatus.

VII. Quamobrem, quod pace tanti viri dictum velim, sanctus Thomas Joachimi opinionem non recte satis interpretatus est in prima parte, quæstione XXXIX, articulo V, ubi abstracta cum concretis nomina comparans, illud ipsum inquirit, dicine possit essentia generare. Sic enim scribit: Respondeo « dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Joachim, asserens, quod sicut dicitur: Deus genuit Deum, ita potest dici, quod essentia genuit essentiam, considerans, quod propter divinam simplicitatem, non est aliud Deus, quam divina essentia. » Atqui longe ab eo Joachimus abfuit, ut propter divinam simplicitatem promiscuum assereret usum esse talium locutionum. Non enim vel de solo modo loquendi litigabat ille; vel divinam simplicitatem causam esse dicebat, cur ita loqui liceret. Imo contrarium potius existimabat, essentiam ab essentia gigni, quia non una numero, ac simplex trium esset personarum essentia sed totidem, quod personæ sunt.

Rursus in opusculo contra Græcorum errores, capite IV, idem sanctus Thomas putat Joachimi sententiam super loquendi formula ista, *Essentia generat essentiam*, convenire cum usu illo, et consuetudine sermonis, quam ex Athanasio, Basilio, Cyrillo memoravit, cum passim ita illi prædicant, *usiam*, sive *essentiam generari ab usia*, vel *sapientiam a sapientia;* de quo capite X supra diximus. Atqui toto cœlo distant antiqui illi Patres Græci, ac Latini ab Joachimi impietate, et inscitia, quæ ad Philoponi, et Tritheitarum descivit insaniam, ut ex antecedentibus liquet. Neque putandum est Lateranensem synodum decreto suo, quo Joachimi damnavit errorem, veteres illos complexam fuisse, qui nihil cum isto commune unquam habuerunt.

Varia Patrum loca ab hæretici perperam usurpata.

VIII. Temere igitur, absurdeque Lambertus Danæus in libro *contra Genebrardum*, Richardum intemperanter exagitat, quod essentiam divinam gignere, ac gigni scripserit; etsi ille non essentiam, sed substantiam ingenitam, ac genitam dixit. Tamen non erat, quod tam acerbe expostularet, aut illius vitandi gratia, alterum in illud confutatum a nobis, et hæreticum incurreret, Filium a se, non ab alio essentiam habere. Quod alienum a catholica professione, et antiquis inauditum,

frustra ille Patrum veterum auctoritate conatur asserere. Nam quos dicti sui testes citat, ii tale nihil vel littera ulla significant, imprimisque Cyrillus, quo uno maxime nititur. Hic enim adversus Arianos hoc solum contendit, ut et reliqui omnes, Filium non a Patre, itidem ut creatas res, productum, naturam ac substantiam, quæque consequentia sunt, bonitatem, sapientiam, reliquaque accepisse, velut gratuita quædam dona, et liberaliter concessa, sed ea naturaliter, ac vera generatione esse transfusa. Hoc enim nihil prohibet, quin et vere, ac naturaliter Deus sit, nihilominus quam Pater; imo divinitas, et bonitas, et sapientia, et lumen; sed ita, ut sit Deus de Deo, sapientia de sapientia, lumen de lumine. Hæc una interpretatio ad omnia illa valet argumenta, quæ ex Cyrillo, ac reliquis incassum movet. Quorum nemo, ut dixi, Filium a se divinitatem, ac sapientiam, cæteraque habere scripsit; quin diserte tam hic ipse, quam reliqui, quorum testimoniis Danæus utitur, contrarium prædicant, e quibus pauca in specimen adducam.

Nullus Patrum Filium a se habere divinitatem asseruit.

IX. Cyrillus itaque libro primo *in Joannem*, capite VI Filium ait per naturam esse vitam. « Fons, inquit, vitæ apud solum Deum est, etc. Per naturam ergo Filius vita est; » hoc autem, qua ratione sit, mox explicat, « ut Deus, ait, ex Deo, et vita ex vita[a]. » Ergo natura Filii, quæ est vita, ex natura Patris est, quæ similiter est vita. Proinde vitam, hoc est naturam, habet a Patre, non a seipso, Filius. Inde enim habet ut sit, a quo esse dicitur. Subinde vero demonstrat Filium non participare vitam, cum vita ipse sit; adeoque creaturam non esse, cujus proprium est vitæ esse participem. Quod acute Theodoretus[1] ita declarat, Deum « οὐσίᾳ esse ἀθάνατον non μετουσίᾳ; οὐ γὰρ παρ' ἑτέρου τὴν ἀθανασίαν ἔχει λαβών. *Essentia, non participatione immortalem esse. Non enim ab altero acceptam habet immortalitatem.* Nimirum quia Filius naturam ipsam numero eamdem, ac vitæ fontem, qui in Patre est, accipit, non rivulum aliquem, hoc est efficientiam naturæ divinæ, quæ creatæ res a Deo propagantur. Quod artificis exemplo declarat Athanasius, qui opus artis suæ non eadem ratione moliri, qua Filium gignere dicitur; quoniam in opere faciendo solam naturæ suæ efficientiam derivat; in altero naturam ipsam, ac fontem efficientiæ eumdem, quem in se habet, non numero tamen, sed specie. Ita Deus in creaturis fabricandis solam vim exerit naturæ suæ, ac potentiæ; in Filium autem naturam ipsam, et potentiam, eamdemque numero, quam habet, hoc est, plenitudinem divinitatis effundit. Unde tam Filius vita est, fonsque divinitatis, quam Pater; quod ipsum tamen non ex sese habet, ut Pater, sed ab alio. Quæ res ab theologastris istis hæreticis non animadversa, fraudi illis fuit, ut dicerent, Filium a seipso, non ab alio divinitatem habere.

X. Rursus idem Cyrillus c. VII lib. I *in Joann.* « Deum, inquit, naturaliter, et bonorum Patris substantialium hæredem nobis etiam per hæc Filium Evangelista demonstrat[b]; » nempe per hæc Joannis verba, *Et vita erat lux hominum.* Igitur si Filius, ut Deus, hæres est substantiæ, naturæque Patris, quæ est divinitas, non a se eam habet, sed a Patre.

Tum eodem capite Filium ait natura esse lucem perinde ac Patrem, sed lucem de luce. Naturam ergo non a seipso habet, sed a Patre. Ex quo id etiam sequitur, quod iidem illi negant hæretici, tam naturam ex natura, sive essentiam de essentia dici posse, quam lucem ex luce.

Et libro XI, cap. II, Filium dicit, quæ sunt Patris, secundum naturam attrahere; quod est, non a se habere, sed ab alio accipere; idque etiam in Spiritus sancti processione luculenter enarrat.

Sed libro *Thesauri* quarto decimo, cap. II, in confutandis Arianis, hæreticorum nostrorum arctius ora præstingit. Ita enim objicientibus: Non posse Filium essentialiter Patri esse similem, et eo esse posteriorem, quoniam ab ipso dante multa recipit; « hunc in modum respondet: « Cum hoc dicit Filius: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dedit habere vitam in semetipso;* nulla re prorsus evariantem similitudinem, quam habet cum genitore, apertissime demonstrat. Sic enim habet vitam, ut eam Pater habet, nempe naturalem, et substantivam. Quod autem additum est, *dedit*, naturalem, et substantivam ab ipso processionem significat.

a CYRIL. I *in Joan.* Παρὰ μόνῳ τῷ θεῷ πηγὴν ζωῆς εἶναι λέγων, etc. Οὐκοῦν ζωὴ κατὰ φύσιν ὁ θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ ζωὴ ἐκ ζωῆς.

1 Dial. III.

b CYRIL. Καὶ διὰ τούτων ἡμῖν ὁ μακάριος Εὐαγγελιστὴς θεὸν ὄντα κατὰ φύσιν ἐπιδεικνύει τὸν υἱὸν, καὶ τῶν τοῦ γεννήσαντος ἀγαθῶν οὐσιωδῶς κληρονόμον.

Non enim utique Pater sic dedit, tanquam aliquid, quod prius inerat, sibi detrahens, et non habenti adjiciens Filio, velut corporea quadam abscissione, vel separatione unius ab altero, sive secundum locum, sive secundum modum divisionis intellecta; sed similiter ac planta prodeunti ab sese fructui insitam sibi qualitatem ferre tribuit. Ita Filius intelligitur accepisse a Patre, quæ sibi insunt, cum sit omnia, quæcumque Pater est, præter hoc ipsum, quod est Patrem esse[a]. » Ac paulo post : « Quocirca non obstabit quominus Filius ista sit naturaliter, quæ et esse Pater dicitur; quod de hoc solo illa dicantur. Omnia enim, quæ Patri insunt, naturaliter, ac necessario ad Verbum, quod ex ipso procedit, transeunt[b]. »

XI. Plura ex Cyrillo ejusdemmodi colligi poterant; sed hæc satis sunt, ut et falso dictum esse appareat, Filium a seipso, non a Patre essentiam, ac divinitatem habere; et de Danæi vel inscitia, vel impudentia constet, quæ præcipuum illius sententiæ fautorem Cyrillum non dubitavit asserere, quo nemo gravius, ac disertius eam oppugnat. Nam quod ejus locum illum citat, « Vitam non aliter possidet Filius, quam si esset Pater; » indeque concludit Cyrillum velle, « Qua ratione Deus Pater essentiam, et vitam, et potestatem habet, eadem quoque ratione, et Filium Deum omnia habere; quia sit non tantum similis, aut ejusdem essentiæ, et naturæ, sed quia sit identitas essentiæ in tribus illis personis. Et quod differentia quædam inter personas ponitur, eam non secundum essentiam, sed secundum relationem inveniri (hæc enim Danæi verba sunt); dupliciter captiosa est oratio. Tum enim voces istæ, *Qua ratione*, etc., *eadem ratione*, etc., ambiguam habent significationem; tum hæ, *differentia non secundum essentiam invenitur, sed secundum relationem*. Quarum in ancipiti sensu hæresis illa calumniandi latebram habet, ut iisdem patefactis, suapte sponte palam ejus falsitas proditura sit.

Quod igitur *eodem modo*, vel *eadem ratione* Patrem ait essentiam et vitam habere, qua Filium; verum id est, si modus ille ac ratio οὐσιώδης intelligatur, hoc est essentiam ipsam consequens, et communis tribus. Est enim divinitatis modus quidam ejusmodi, velut est increatum esse, indivisibile et simplex. Nam Filius perinde citra creationem ac divisionem habet essentiam, ac Pater, et si qui alii modi sunt, qui secundum essentiam dicuntur. Qui autem secundum relationem, ac personales proprietates usurpantur, non sunt communes ambobus, sicut ingenitum, et genitum. Quippe Filius non eadem ratione habet essentiam, qua Pater; quatenus ἀγεννήτως ille eam habet, iste γεννητῶς. Quo et ista pertinent, de quibus nostra instituta quæstio est, *a se habere*, vel *ab alio;* tantumdem enim ac priora illa valent. Siquidem *a se habere*, est ἀγεννήτως ἔχειν *ab alio*, est γεννητῶς, cum de Filio agitur. Quocirca tam est absurdum, imo impium, asseverare Filium a se divinitatem, et essentiam habere, quam dicere, habere illam *ingenito modo;* quod Patres omnes præsertim Græci, damnare ac detestari solent.

Substantialis.

XII. Jam illud alterum, « differentiam non secundum essentiam inveniri, sed secundum relationem, » sensum perinde duplicem continet. Aut enim significat differentiam omnem, et proprietatem personalem, sive notionem ab relatione, tanquam a fonte, proficisci; non autem ab essentia, et eo, quod est in divinis absolutum; aut essentiam nulla ejusmodi affici differentia, neque proprietatem personalem ad illam adhærescere. Quorum prius est verum, posterius falsum. Tametsi enim essentia principium est unitatis, nec ullam differentiam parit, sed solum id, quod relativum est, uti pluribus in secundo libro declaravimus; nihilominus proprietates omnes personales, et notiones essentiam afficiunt, ac modificant adeo, ut eadem illa manens, et invariata per sese, varias rationes induat, ac modos, ab quibus diversas trahit appellationes. Nam eadem essentia, quatenus paternitate, ut

a Cyril. lib. XIV *Thes.* Λέγων ὁ υἱὸς τὸ, ὥσπερ γὰρ ὁ Πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτω καὶ τῷ υἱῷ δέδωκεν ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, τὴν ἀπαράλλακτον ὁμοιότητα δεικνύει σαφῶς, ἣν ἔχει πρὸς τὸν γεννήσαντα. ἔχει γὰρ οὕτω τὴν ζωὴν, ὥσπερ καὶ ὁ πατὴρ, φυσικὴν δηλονότι, καὶ οὐσιώδη. τὸ δὲ δέδωκε προσθεὶς, τὴν ἐξ αὐτοῦ φυσικήν τε, καὶ οὐσιώδη σημαίνει πρόοδον. οὐ γὰρ δήπου δέδωκεν ὁ πατὴρ, ὥσπερ τι τῶν αὐτῷ προσόντων ἀφελομένος, καὶ οὐκ ἔχοντι ποστεθεικὼς τῷ υἱῷ, κατὰ σωματικὴν ἀποτομὴν, ἢ διάστασιν τὴν ἐκ τινὸς ἑτέρου πρὸς ἕτερον, ἢ τοπικῶς, ἢ διαιρετικῶς νοουμένην· ἀλλ' ὥσπερ δίδωσι τὸ φυτὸν τῷ ἐξ αὐτοῦ προελθόντι καρπῷ τὴν αὐτῷ κατὰ φύσιν προσοῦσαν ποιότητα φορεῖν. οὕτως ὁ υἱὸς εἰληφέναι παρὰ πατρὸς τὰ αὐτῷ προσόντα νοεῖται, πάντα ὢν ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ.

b Idem. Οὐκοῦν οὐκ ἀποστερήσει τὸν υἱὸν τὸ εἶναι ταῦτα φυσικῶς, ἅπερ ἂν λέγοιτο καὶ ὁ πατὴρ, εἰ καὶ ἐπ' αὐτοῦ μόνον τάττοιτο. φθάσει γὰρ πάλιν ἐπὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ προελθόντα λόγον πάντα τὰ αὐτῷ προσόντα φυσικῶς τε, καὶ ἀναγκαίως.

ita dicam, imbuitur, aut ἀγεννησίᾳ, Patris est persona; ut autem cum filiatione conjungitur, Filius est. Vel, quod eodem recurrit, eadem essentia ab paternitatis proprietate habet, ut non ab alio communicetur; ab filiatione vero, ut ab alio derivetur. Hinc Dionysius capite II *de Divinis nominibus*, θεότητα, id est *divinitatem*, ut in Patre est, θεογόνον, hoc est *Dei genitalem*, vocat; ut in Filio est, υἱκὴν, *filialem*. Proinde stulte concluditur Filium a seipso, non ab alio essentiam consequi, ex eo quod differentia omnis ab relatione pendet.

Quemadmodum corpus idem hominis, nulla sui varietate, diversos modos recipit; ac subinde sessione affectum sedere dicitur, statione stare; iisque modis corpus ipsum varie conformatur, et pro quolibet habitu diversas appellationes accipit; sic essentia prorsus eadem ac simplex diversis adjunctis proprietatibus, non easdem ἐνεργείας, ac denominationes suscipit.

Denique frivola est Calvini, Bezæ, Danæi, et id genus Theologastrorum exceptio, Filium, quatenus Deus est, a se essentiam habere; quatenus vero persona est, ab alio. Quasi hoc ipsum, quod est personam esse, quippiam sit ab essentia separatum, aut sine hac vel cogitari possit. Atqui persona nihil aliud est, quam essentia hoc vel illo modo affecta, et, ut persona est, Deus est Filius. Quare ab eodem habet ut Deus sit, a quo habet ut persona sit.

XIII. Atenim Cyrillus dialogo tertio, Filium « a se vitam, et immortalitatem possidere » dicit. Quod enim « vita, et immortalitate caret, et a se hoc non habet, mortale erit omnino, et aliunde sumit vitam, quasi ab alio datam[a]. » Ita enim Danæus objicit. Verum *a se* hoc loco tantumdem est ac *naturaliter*, et secundum essentiam; hoc est, uti mox explicat, « Substantialem esse vitam, et insitam immortalitatem, non adventitium bonum[b]. » Quippe fontem ipsum vitæ, et immortalitatis, hoc est αὐτοζωὴν, et αὐτοαθανασίαν, ut et αὐτοθεότητα, Pater communicat Filio, non rivulum aliquem, aut principii efficientiam, quomodo creatæ res vita, et immortalitate donantur; ut quod paulo ante statuimus, illud ipsum, quod est a se, vel οὐσιωδῶς sumatur, quatenus creaturis opponitur, vel secundum notionem; quod de ἀγεννήτου vocabulo antiqui Patres observarunt.

At etiam Damasceni locum pro se Danæus objicit, ubi de Spiritu sancto agens ait, eum « virtutem essentialem esse, quæ a seipsa sit. » In quo mirus est hominis stupor. Nihil enim tale Damascenus scripsit. Verba ejus ista sunt; Spiritum sanctum non esse nostri similem spiritus, qui in aerem spargitur, minimeque subsistit: « Sed esse virtutem quamdam substantivam, ipsam per sese in propria spectatam hypostasi, ex Patre procedentem, et in Verbo acquiescentem[c]. » Danæus vero Græca ista αυτὴν ἀφ' ἑαυτῆς, *quæ per se ipsa sit*, pessime interpretatus est, *quæ seipsa sit*, tanquam esset ἀφ' ἑαυτῆς, quod sequens oratio refellit. Nam si hæc ipsa virtus *a Patre procedit*, non utique *est a seipsa*. Quinetiam Damascenus idem, capite IX libri primi, Patris a Filio discrimen in eo situm esse dicit, quod sit ἀγέννητος, quod sic explicat: « Non enim ex alia hypostasi habet esse; » Filius autem sit γεννητὸς, « quoniam ex Patris substantia sine initio, ac tempore genitus est[d]. » Igitur si ἀγέννητος est, qui esse non habet ab alio, γεννητὸς erit, qui esse habet ab alio. Proinde Filius, qui hoc posterius est, non a se, sed ab alio habet τὸ εἶναι hoc est *esse*, vel *essentiam*.

XI. Præter hunc, Basilium Danæus citat ita scribentem de Filio: πότ' οὖν εἰς τὸ εἶναι παρὰ τοῦ πατρὸς παρήχθη; *Quandonam ergo ad hoc ut esset a Patre productus est?* Unde colligit Filium, qua Deus est, *esse* a Patre non habere. Atqui incredibilis est hæretici istius in eo citando loco temeritas, et oscitantia. Etenim verba illa Basilius ex Eunomii persona sibi objicit. Quippe coæternum esse Patri Filium contra illum adstruit, quamvis ab eo sit productus; cum ex adverso pugnaret Eunomius, « Si ab æterno erat Filius, non potuisse gigni. » Ita ergo percontantem inducit Eunomium: Si ex omni æternitate Filius est, « quandonam ad esse a Patre productus est? » cui statim respondet: « Ex quo Pater est. » Sed integrum Basilii locum præstat hic describere. Nam et alioqui

a Cyril. dial. III *de Trin.* Τὸ ζωῆς καὶ ἀθανασίας τητώμενον οἴκοθέν τε τοῦτο οὐκ ἔχον, θνητὸν ἔσται πάντως, καὶ εἰσκεκριμένον ἔχει τὸ ζῆν, ὡς παρ' ἑτέρου δοτόν.

b Ibid. Οὐσιώδη τὴν ζωὴν, καὶ ἔμφυτον τὴν ἀθανασίαν, οὐκ εἰσποίητον ἀγαθόν.

c Damasc. lib. I *de Fide*, cap. VII. Ἀλλὰ δύναμιν οὐσιώδη, αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει θεωρουμένην, ἐκ τοῦ πατρὸς παρερχομένην, καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἀναπαυομένην.

d Dam. Μόνος καὶ ὁ πατὴρ ἀγέννητος· οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρας ἐστὶν αὐτῷ ὑποστάσεως τὸ εἶναι. καὶ μόνος ὁ υἱός γεννητός. ἐκ τῆς πατρὸς γὰρ οὐσίας ἀνάρχως, καὶ ἀχρόνως γεγέννηται.

Danæi, et Calvini, cæterorumque dogma, quod hic oppugnamus, disertissime redarguit sic, ut nullum contra se testimonium illustrius afferre Danæus potuerit.

« Sed si erat, inquit Eunomius, non est genitus. Respondeamus ergo. Imo quoniam genitus est, erat; cum esse ingenitum non habeat, existens porro semper, et coexistens Patri, a quo etiam existendi causam habet. Quandonam igitur ad esse a Patre productus est? Ex quo Pater est. Atqui ex æterno, inquit, est Pater. Ex æterno igitur est Filius, genitaliter ingeniti, quæ est in Patre, proprietati conjunctus[a]. » Ex his Danæi primum inscitia detegitur, qui Eunomii instantiam pro Basilii sermone, ac sententia sumpsit; deinde perspicuum est eumdem affirmare Basilium, Filium a Patre essentiam habere. Id enim est τὸ εἶναι, *esse*, sive ὕπαρξις : quod utrumque non ἀγέννητον, id est *a se*, uti Pater, habere dicit Filium, sed *a Patre*. Est igitur γεννητὸν τὸ εἶναι Filii, hoc est *generatione communicatum*; ac proinde non *a se*, ut isti putant, sed *ab alio*.

XV. Ridicule quoque Danæus idem Augustinum depravat, ejus verba sic referens ex quinto *de Trinitate*, cap. VIII, «Quidquid a se dicitur præstantissima illa, et divina sublimitas, et de tribus, et singulis æqualiter pariter, et substantialiter dicitur. » Verum Augustinus aliter scripsit : « Quapropter, inquit, illud præcipue teneamus, quidquid ad se dicitur præstantissima illa, et divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative. » Ubi Augustinus *ab se*, et *ad aliquid* ita invicem comparat, ut prius sit idem, atque absolute, et sine σχέσει et habitudine ad alterum, qualia sunt, quæ secundum essentiam dicuntur; posterius sit *relativum;* atque istis vocibus passim illo in libro eo sensu utitur. Danæus vero piaculari audacia pro eo, quod est *ad se*, *a se* substituit. Et mirum est Augustini ab eo mentionem factam, qui tam sæpe, ac luculenter docet, Filium et essentiam, et sapientiam, et id omne, quod est, a Patre accepisse. Velut in quinto *de Trinitate* capite XV. « Filius, inquit, non tantum, ut sit Filius, quod relative dicitur, sed omnino ut sit, ipsam substantiam nascendo habet. » Et in septimo, capite II, Verbum ait esse *natam sapientiam*; Sapientiam porro in ista complexione dici *ad se*, hoc est secundum essentiam, et absolute. « Unde Pater, inquit, et Filius simul una sapientia, quia una essentia; et singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Non est igitur Filius sapientia, vel essentia *de se*, vel *a se;* quod idem est atque habere sapientiam, vel essentiam *a se;* sicut non est Deus *a se*, sed Deus de Deo, et quod idem est lumen de lumine; quod utrumque secundum essentiam dicitur. Hinc Augustinus alio in loco[1]. « Dominus Christus dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, et lumen æquale, quod ex lumine, simul unum lumen, non duo lumina. » Et libro XV *de Trinitate*, capite XXVI, « Patrem ait *Filio* præstare essentiam. »

XVI. Postremo Anselmum opinionis suæ vindicem profert Danæus, et quidem absurdissime. Nam neque ad rem facit locus illius quem citat; et alia passim exstant ejusdem Anselmi loca, in quibus contrarium aperte, graviterque demonstrat : « Summam, ait Danæus, omnium naturarum naturam, et substantiam a se sine alterius naturæ auxilio esse quidquid est, vere affirmat » Anselmus[2]. Credo equidem. Sed quid deinde? An naturæ alterius auxilio erit quidquid est Filius, si a Patre habeat ut sit Deus? Non enim natura est altera Patris, quam Filii. Et perspicuum est, de Deo absolute loqui Anselmum citra personarum discrimen, ac proprietatem, ac summæ illius naturæ, quæ communis est, existentiam cum naturarum cæterarum, hoc est creatarum, existentia conferre. «Tantum, inquit Anselmus, omnino distat summa substantia ab his, quæ non sunt idem, quod ipsa. Cumque sola omnium naturarum habeat a se sine alterius naturæ auxilio esse, quidquid est; quomodo non est singulariter absque suæ creaturæ consortio, quidquid ipsa est? » Nec minus alienus est locus alter Anselmi, quem ex cap. XVII *Monologii* Danæus affert. « Quidquid ex aliquo, vel per aliquid incipit esse, non est omnino idem illi, ex quo, et per quod incipit esse. » Unde sic concludit

[a] BASIL. II *contra Eun.* Ἀλλ' εἰ ἦν, φησὶν, οὐ γεγέννηται. ἀποκρινώμεθα τοίνυν, ὅτι ἐπειδὴ γεγέννηται ἦν, οὐκ ἀγέννητον ἔχων τὸ εἶναι, ὢν δὲ ἀεὶ, καὶ συνὼν τῷ πατρὶ, ἐξ οὗ δὲ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἔχει. πότε οὖν εἰς τὸ εἶναι παρὰ τοῦ πατρὸς παρήχθη; ἀφ' ου ἔστιν ὁ πατήρ. ἀλλ' ἐξ ἀϊδίου, φησὶν, ὁ πατήρ· ἐξ ἀϊδίου τοίνυν δὲ ὁ υἱὸς, γεννητῶς τῇ ἀγεννησίᾳ τοῦ πατρὸς συναπτόμενος.

1 Tract. XXIX *in Joan.* — 2 *Monol.* cap. XXV.

hæreticus : « Ergo si illa essentia divina est in Patre a se, in Filio autem ab alio ; alia atque alia sit illa essentia necesse est. » Nec animadvertit de eo loqui Anselmum, quod incipit esse, et utique creatum est ; Filium autem sic a se non esse, aut essentiam habere, ut sine initio ullo a Patre eam acceperit.

XVII. Cæterum Anselmus idem manifeste Autotheanos istos jugulat, et quod hactenus exposuimus, validissime comprobat in cap. XLIII libri ejusdem : ubi non minus per se esse, ac perfectum esse Filium quam Patrem asserit, quamvis ab hoc ille sit. « Non enim, inquit, idcirco minus perfecta est essentia vel sapientia Filius, quia est essentia nata de Patris essentia, et sapientia de sapientia. Sed tunc minus perfecta essentia, vel sapientia esset, si non esset per se, aut non saperet per se. Sicut enim Pater habet essentiam, et sapientiam, et vitam in semetipso, ut non per alienam, sed per suam essentiam sit, per suam sapientiam sapiat, per suam vitam vivat ; ita gignendo dat Filio essentiam habere, et sapientiam, et vitam in semetipso, ut non per extraneam, sed per suam essentiam, sapientiam, et vitam subsistat, sapiat, et vivat. Alioquin non erit idem esse Patris, et Filii, nec erit per Patri Filius. » Et capite sequenti magis ait congruere, dici Filium essentiam Patris, quam Patrem essentiam Filii ; « quoniam Pater a nullo habet essentiam, nisi a seipso ; Filius vero essentiam suam habet a Patre. » Et in opusculo *de Processione Spiritus sancti* multis in locis, *Filium* dicit *a Patre essentiam habere*. Plura sunt alia ejusdemmodi apud Anselmum ; sed et Hilarium, Fulgentium, ac Latinos omnes, Græcosque Patres, quorum nonnulla sparsim hoc ipso, et superioribus in libris adduximus. Quin Danæus ipse « cum tota pia, et erudita vetustate *concedit*, Personæ ratione esse genitam in Filio essentiam, » quod unum contendimus ; eoque posito, ruit illud, quod cum Calvino, Bezaque præceptoribus suis affirmat, Filium, ut est Deus, a se esse non ab alio ; vel essentiam a se habere, non a Patre. Etenim non aliter Deus est, quam ut in ipso est essentia, sive divinitas. Quare si non alio modo inest ipsi, quam ut ab alio est, hoc est γεννητῶς (hoc enim est esse genitam essentiam, ab alio esse) neque Deus a se erit, sed ab alio. Quippe Filius, ut Filius est, ac persona, non est ipsa essentia communis, et a personis τῇ ἐπινοίᾳ, hoc est *cogitatione* præcisa ; quomodo neque genita est, neque ingenita, quatenus ingenitum *notionaliter*, ut dicunt, accipitur. Sed essentia est proprietate tali conjuncta, per eamque Deus est, et divinitatem habere dicitur. Proinde si hac ratione genita est, et ab alio habetur ; Filius neque Deus est a se, neque essentiam habet a se, sed a Patre, quod temere, ac contra seipsos hæretici illi scribunt, ac sentiunt.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER SEPTIMUS

IN QUO DE PROCESSIONE SANCTI SPIRITUS AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

Historica narratio controversiarum, quæ de processione Spiritus sancti, hoc est ejus principio, sunt exortæ. De Theodoreto, qui a solo Patre putavit procedere. Gallicana concilia de eadem re habita. Photii hæresis, et schisma; quod deinceps Græci complexi sunt. Barense concilium, et Anselmi strenua per illud opera. Lateranense concilium Innocentio III pontifice, in quo de concordia est actum; tum in Lugdunensi maxime, Gregorio XII sedente. De Nicephoro Blemmyde, et Joanne Becco. Michaelis Palæologi studium, ac labor in restituenda concordia. De Florentino concilio.

I. Primarum Trinitatis personarum duarum, Patris et Filii, proprietates totidem libris expositæ sunt, quinto hujus operis, et sexto. Tertia nunc persona restat, cujus propria septimus hic debet; imprimisque procedendi modum, quo a Patre, Filioque sic originem accipit, ut a neutro generetur, neque vel amborum, vel alterutrius sit filius. In hac vero processione tractanda, nihil prius occurrere solet, quam celebris illa cum Latinis controversia Græcorum; in qua non ipsa Spiritus sancti divinitas, et cum Patre æqualitas, ac Filio, in discrimen vocatur; sed tota de modo procedendi, vel auctore ac principio utrinque suscepta contentio est. Cujus pugnæ, ac controversiæ, nostro, et ut arbitror bono, more, primum historia proponenda videtur, paulo ea repetita quidem altius, tum ambarum partium rationes, et momenta ponderabimus; quibus pro captu nostro accurate dijudicatis, demum processionis ipsius, et originis naturam, rem omnium, quæ versantur in theologia, difficillimam explicare conabimur.

Historica narratio controversiarum de processione Spiritus sancti.

De processione Spiritus sancti, eaque controversia, utrum a Patre solo, an etiam ab Filio originem habeat, hæc sunt, quæ apud antiquos reperiebamus. Prima illius mentio, quæ quidem disertis, et expressis verbis concepta sit, apud Theodoretum legitur in *Disputatione contra Cyrillum*, et ejus *Anathematismi* noni confutatione. Nam cum Cyrillus in Nestorium, et eos omnes anathema dixisset, qui Christum Spiritu sancto tanquam aliena vi usum esse docerent ad facienda miracula, et non potius *illius esse proprium* agnoscerent illum ipsum Spiritum; Theodoretus hanc *Anathematismi* particulam, qua *proprium esse Filii Spiritum* dixerat Cyrillus, calumniari sic instituit: *Proprium esse Filii Spiritum sanctum*, si hoc sensu intelligatur, quod sit ὁμοφυὲς, et a Patre procedat, esse verissimum. « Sin ita, ut ex Filio, aut per Filium exstantiam habeat, id esse blasphemum et impium[a].» Hanc Theodoreti futilem sine dubio, ac temerariam sententiam, in responsione sua dissimulavit Cyrillus, quod minime id tunc agebatur; ac satis hoc illi erat ad institutam contra Nestorium disputationem, Spiritum sanctum esse Filii proprium, non adventitium, et quasi ex accidente illi inditum.

II. Post hæc, sopita ista controversia, demum Iconoclastarum grassante hæresi, instaurata videtur imperante Constantino Leonis Isaurici filio Copronymo, sub ejus annum 27. Etenim annales nostri hoc ipso anno, qui

a Theodor. in *Confut. Anath.* IX *Cyr.* Εἰ δὲ ὡς ἐξ υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάσφημον τοῦτο, καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν.

Christi est DCCLXVII, Pipino Francorum rege, testantur, « quæstionem ventilatam inter Græcos, et Romanos (verba sunt Adonis in *Chronico*) de Trinitate ; et utrum Spiritus sanctus sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio. » Quod concilium in villa Gentiliaco, quæ ad Lutetiam est, habitum fuisse, Regino demonstrat. Neque plura de hoc conventu ex historia constant. Post annos duos et quadraginta, Christi DCCCIX, rursus de eadem quæstione synodus Aquisgranis celebrata proditur in Adonis *Chronico*, et *Annalibus* Adelmi, sive Ademari. Actum igitur est in illa synodo, mense Novembris, « de Processione Spiritus sancti : utrum sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio (ait Ado.) Hanc quæstionem Joannes monachus Hierosolymitanus moverat (Adelmus non eum Hierosolymitanum monachum, sed Hierosolymis ab illo commotam refert) « cum regula, et fides ecclesiastica firmat Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, non creatum, non genitum, sed Patre et Filio coæternum, et consubstantialem. » Hunc porro Joannem Pithœus suspicatur fuisse Damascenum illum sanctissimum et eruditissimum monachum, qui Spiritum sanctum nequaquam ἐκ τοῦ υἱοῦ, id est *e Filio* existere, disertissime post Theodoretum professus est ; de qua illius sententia post agemus[1]. Hujus definiendæ causa controversiæ, scribit Adelmus legatos a Carolo M. Romam missos esse Bernharium episcopum Wormacensem, et Adalardum abbatem monasterii Corbeiæ ; quibus addendus est Jesse Ambianensis episcopus, ut ex actis collationis cum Leone papa liquet. Missi autem sunt ad Leonem tertium Romanum pontificem, quocum colloquium habuerunt super additione illa syllabarum quatuor ad symbolum facta. *Filioque*, quæ nuper in Galliis recepta cum Symbolo cantari in missa cœperat. De qua additione postea. Apparet autem ex actis collationis illius non de ipsa Spiritus sancti processione litigatum Romæ fuisse, sed de vocis ad Symbolum adjectione, quam Leo pontifex improbavit ; etsi de re ipsa, et origine Spiritus sancti ex utroque concordaret. Ex quo conjici potest, in Aquisgranensi illa synodo non de processione ipsa, sed de nova ad Symbolum additione deliberatum fuisse. Nam si de eo mota fuisset quæstio, an a Patre, et Filio procederet Spiritus sanctus, de eo Romanum pontificem interrogassent legati, qui ob id ipsum, quod in concilio disputatum erat, missi referuntur. Nunc de processione ipsa, ut jam dixi, consentiunt invicem ; de additione duntaxat altercantur. Hanc igitur solam in synodo pertractatam fuisse verisimile est, quantum quidem ex actis illis constat.

III. Vehementius post hæc eodem illo sæculo jactata ista quæstio est, et in apertam erupit hæresim, auctore præsertim Photio spadone[2] ; qui ejecto sancto Ignatio, in sedem Constantinopolitanam per vim, et ambitionem intrusus est anno Christi DCCCLVIII. Imperabat tunc in Oriente Michael Theophili, ac Theodoræ filius ; qui Bardæ avunculi, pessimo usus consilio, Theodoram matrem, quacum annis quatuordecim rempublicam feliciter administrarat, redegit in ordinem. Tum ascitum sibi Bardam, ac Cæsaris ornatum nomine, ac dignitate ; rerum summæ præfecit. Hic vero Ignatium, cum nulla ratione persuadere illi posset, ut Theodoram tonderet invitam, simul ob incestam cum nuru stupri consuetudinem communione ab eo prohibitus, ab episcopatu repulit, eique Photium ex laico suffecit, qui anno DCCCLXI Ignatium in conciliabulo damnavit. Cujus rei gratia ab Nicolao Papa damnatus ipse, vicissim in Nicolaum ex synodo sententiam dixit anno DCCCLXIII. Exinde odio furens in Romanam Ecclesiam, varias in eam calumnias commentus est, ac multa illi tum crimina, tum capita hæresum objecit. Horum unum istud fuit, de quo agimus, quod Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere Latini dicerent. Quibus acceptis, Nicolaus ad Hincmarum Remensem archiepiscopum, ac cæteros episcopos, qui in regno erant Caroli Calvi[3], prolixam scripsit epistolam, in qua rei totius accuratam narrationem instituit, atque illos hortatus est, ut de iis, quæ ab Photio proposita erant, diligenti per synodos tractatione facta, quidquid statuissent, Romam ad se perscriptum mitterent. Data hæc epistola legitur 10 calendas Novembris, indictione I qui est annus Christi DCCCLXVII. Paulo post vero mortuus est Nicolaus, idibus Novembris. At Constantinopoli, occiso Barda anno DCCCLXIV Basilius Macedo a Michaele in collegium imperii assumptus est. Isque anno sequenti, Michaele sublato, solus rerum potitus est ; ac dejecto Photio, Ignatium pristinæ dignitati restituit. Photius anno DCCCLXIX in œcumenica octava synodo condemnatus est. Quæ antequam fierent, Michaele adhuc superstite,

Photii hæresis et schisma quod Græci amplexi sunt.

1 Cap. XVII libri hujus. — 2 Curopal. Zon. Cedr. — 3 Tom. III *Conc. Gall.*

communi hujus, et Basilii imperatorum nomine criminationes illas contra Nicolaum, et Latinam Ecclesiam ab Photio subornatas esse, Romamque missas, ex Rathrammo Corbeiæ majoris monacho constat; qui libros quatuor pro Ecclesia Romana contra imperatores illos scripsit. Cujus operis initium est : « Oppositorum, quibus Michael, et Basilius Græcorum imperatores Romanam Ecclesiam infamare conantur, vel falsa, vel hæretica, vel superstitiosa, vel irreligiosa fore cognoscuntur. » Tum de singulis, quæ in epistola Nicolai leguntur, disputat; imprimis autem de processione Spiritus sancti. Fit autem libri illius adversus Nicolaum a Photio editi mentio in octava synodo, quæ contra Photium habita est, actione VIII necnon in canone VI.

IV. Quamobrem plena, et aperta contentione in catholicum dogma primus est invectus Photius; idque multis argumentis, ac sophisticis astutiis labefactare est aggressus, quas ex ejus libro commemorat, ac dissolvit Hugo Etherianus [1], « Hic enim est, ait, qui post Theodoritum in æquorea puteum fodiens arena, non semina, sed venena sepeliendo, diri valde languoris fidei Christianorum causa factus est. » Exinde Græcum omne nomen in illam conspiravit opinionem, eamque velut publicam tesseram habuit, qua se ab Latinis disjungeret. Ac deinceps multa inter ambas partes inita sunt certamina, partim obscura, partim illustria; quæ si percensere singula cupiam, neque modum habeat hic labor, neque lectori magnum fructum afferat. Licet tamen hic aliqua memorare, præsertim publica: quæ scitu non indigna credimus *. Ex his autem insigne maxime fuit, quod anno MXCVII in Barensi synodo gestum est, Urbano secundo pontifice. In quo Anselmus Cantuariensis episcopus utilem Romanæ Ecclesiæ navavit operam, multumque veræ laudis inde reportavit. Nam cum Græci pro suo dogmate contra Latinos strenue decertarent, eosque disputando acrius urgerent ; productus in publicum Urbani jussu pontificis Anselmus, erudite ac subtiliter de ea quæstione disseruit, et adversariorum impetum, atque audaciam compressit, ut illius vitæ scriptor Edmerus, et Willelmus Malmesburiensis in primo libro *de Gestis Anglorum Pontificum* referunt. Ac summam postea disputationis illius in librum redegit; qui *de Processione Spiritus sancti contra Græcos* inscribitur. Quem credibile est Hildeberti rogatu Cenomanensis episcopi ab eo confectum. Nam ille in epistola XXI sic Anselmum alloquitur. « Appulsorum relationibus didici, vos in concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Græcorum versutia a Filio minime procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam in præfato promulgastis concilio, succincto tractatu deprecor annotari. Et quia ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt, his auctoritatibus opus flagitatum mutare non tædebit, quas Græca calliditas, et suas fateatur, et nostras. » Tum in epistola sequente Anselmo gratias agit de eodem misso ad se opusculo.

[Margin: ...arense ...cilium.]

V. Post, Innocentio tertio pontifice, Græci ad Ecclesiæ Romanæ communionem reversi sunt, ut ex decretis Lateranensis concilii, capite quarto, colligitur. Sed ut levia, et mobilia sunt illorum ingenia, non diu in fide, ac concordia manserunt; sed subinde pristinum in schisma, et errores suos relapsi sunt. Exinde post annos circiter tres et triginta, eadem Latinos inter et Græcos instaurata contentio est. Joanne Duca Theodori Lascaris genero, Nicææ in Bithynia Græcis imperante, quo, ab Latinis occupata Constantinopoli, sedem ille imperii sui transtulit. Auctorem hujus habeo Nicephorum Gregoram in quinto *Historiæ*. Qui de Manuele Palæologo, et Joanne Becco paulo post patriarcha facto loquens, refert, imperante Manuele, renovatam illam ipsam Latinos inter Græcosque controversiam, post annos XXV quam Joanne Duca imperatore, plurimum agitata fuerat. De posteriore illo Manuelis ac Becci tempore orto certamine dicam postea. De eo vero, quod Joanne regnante accidit, memorabile est, quod Nicephorus Gregoras ibidem narrat, Nicephorum Blemmydem virum præstantissimum, et pietate, eruditioneque per id tempus facile principem, pro Latinorum dogmate stetisse. Et operæ pretium est historicum illum hic legi suis verbis ista prodentem, ut recentiores Græculi discant a suis, qui, et quales viri ei, quod oppugnant, dogmati patrocinati sint. « At imperatori, inquit, tandem

[Margin: Lateranense concilium.]

[Margin: Laus Nicephori Blemmydis.]

* Fortasse tamen quæ narrarentur, digna erant a Michaele Cerulario iterum excitata sæculo XI dissidia, de quibus ne Annales ecclesiasticos memorem, vide Mabillonii Præfationem in partem secundam sæculi sexti Ordinis S. Benedicti, § 1. Z.

1 Lib. II *contra Græc.* cap. XV.

venit in mentem, rem eamdem ante annos quinque et viginti, Joanne Duca imperante, a Latinis agitatam fuisse; ac tum doctum virum exstitisse Nicephorum Blemmydem divinarum litterarum peritissimum, qui cum se in otium contulisset, multa e sacris Litteris testimonia colligere cœpit, quæ Latinorum dogmati suffragari videbantur, et ad ea nonnulla disputare, clam id quidem faciens ob vulgi opinionem; sed quædam tamen interim scribens [a]. » Neque vero sola de Scripturis testimonia selegit ille, verum etiam e scriptis sanctorum Patrum, ut subinde Nicephorus Gregoras testatur; cujus verba, quoniam ad Beccum pertinent, cum de hoc agetur, paulo post referam.

VI. Est hoc vero maximum adversus Græcos Latinorum hostes in illa causa præjudicium, quod tantus vir, quantum istum Blemmydem fuisse prædicant, hoc est, omnium ætatis suæ, ut illi volunt, sanctissimus, ac doctissimus, Latinorum opinioni subscripsit; Græcos vero populares suos erroris coarguit. Etenim illustre de hoc ipso Blemmyda testimonium cum egregii cujusdam ab eo editi facinoris narratione perhibet Nicephorus idem Gregoras in secundo libro; ubi refert ab illo pulcherrimum templum domesticis ædificatum sumptibus, eique asceterium, hoc est, monasterium adjunctum, sanctorum ac divinorum virorum domicilium, quibus ille præerat. Eo cum Marcesina Joannis Ducæ imperatoris concubina visendi simul, et adorandi gratia, cum ingenti pompa et comitatu venisset, fores ob os occludi jussisse Blemmydam, nefas esse ducentem, meretricis vestigiis sacrum illud pavimentum pollui. De quo cum furibunda mulier apud imperatorem questa esset, eum lacrymis obortis, culpam suam confessum, juste hanc sibi contumeliam illatam dixisse; nec se ideo viro justo mali aliquid inferre posse. De quo insuper tale ibidem præconium intexuit: « Vir iste porro multis erat insignitus virtutibus, summaque doctrina præditus, tam profana, quam Græci celebrant; quam sacra, cujusmodi christianæ antitistes Ecclesiæ ad utilitatem nostram in commune proposuerunt [b]. » Hæc de Blemmyda paulo diligentius adnotavimus. Ejusdem Nicephori Blemmydæ honorificam quoque mentionem facit Manuel Caleeas; qui monachum illum vocat, et « duos ab eo libros de Spiritu sancto scriptos esse refert ad imperatorem Theodorum Lascarim, viro utique, cujus celebre nomen est apud omnes ob virtutem, et sapientiam. Quibus in libris Spiritum sanctum demonstrat dici ab sanctis Patribus, e Filio ac per Filium exstantiam habere [c]. » Nos istius Blemmydæ Professionem fidei penes nos habemus, in qua nondum catholicum illud dogma comparet, sed suorum more a Patre dicit eum procedere. Hæc de Blemmyda paulo, ut dixi, uberius; quod in ejus commemoratione duplex adversus Græcos recentiores argumentum inde colligitur: primum ex auctoritate summi viri, et illorum ipsorum prædicatione celeberrimi: tum ex Scripturis, ac sanctorum Patrum monimentis, quorum ille quamplurima testimonia congesserat. Et vero melius, quam hodiernæ Græciæ fæces ac quisquiliæ, illorum mentem ac sententiam intellexerat, utpote luculenter utroque genere doctrinarum eruditus.

VII. Nunc ad Beccum, et repetitam de processione Spiritus sancti controversiam veniamus. Michael Palæologus Comnenus Andronici Palæologi filius [1], Joanni Lascari puerulo tutor a Theodoro Lascari illius patre datus, Constantinopolim a Latinis ante annos occupatam octo et quadraginta recuperavit anno MCCLXI. Post, orbato luminibus pupillo, imperium, Becci elogi[a]
quod pro tutore hactenus gesserat, suo nomine administrare cœpit. Qui cum a Carolo Siciliæ rege sancti Ludovici fratre, Orientis rebus imminente male sibi metueret, ad Romanum Pontificem, et Ecclesiarum inter se concordiam respexit. Erat tunc pontifex Gregorius X

a NICEPH. GREG. lib. V. Ὀψὲ δὲ ἐπὶ νοῦν ἀναβιβασάμενος ὁ βασιλεὺς, ὡς καὶ πρὸ πέντε, καὶ εἴκοσι ἐτῶν ἐπὶ τῆς τοῦ Ἰωάννου τοῦ Δούκα βασιλείας, ἡ τοιαύτη παρὰ Λατίνων ἐκινήθη ὑπόθεσις· καὶ ἦν τηνικαῦτα σοφὸς ἀνὴρ Νικηφόρος ὁ βλημμύδης, θείων γραφῶν ἐμπειρότατος· ὃς σχολῇ δεδωκὼς ἑαυτὸν, ἤρξατο συλλέγειν πολλὰς παρὰ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας συγκροτεῖν δοκούσας τῷ τῶν Λατίνων δόγματι, καὶ λογογραφεῖν ἐπὶ τούτοις· λάθρα μὲν διὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν· ἐλογογράφει δὲ οὖν ἔστιν ἅ.

b NICEPH. GREG. Ἀνὴρ δὲ οὗτος πολλαῖς περιηνθισμένος ταῖς ἀρεταῖς, καὶ πολλῇ τῇ σοφίᾳ ἐξησκημένος, ὁπόσην τε ἑλλήνων ὑμνοῦσιν παῖδες, καὶ ὁπόσην οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας προστάται, καὶ ῥήτορες ἐς ἡμετέραν ὠφέλειαν προὔθηκαν.

c CALECAS. Καὶ δηλοῦσιν οἱ τοῦ μοναχοῦ Νικηφόρου τοῦ βλεμμύδου δύο λόγοι, οὗ μέγα ἐπ' ἀρετῇ, καὶ σοφίᾳ παρὰ πᾶσιν ὄνομα, πρὸς βασιλέα Θεόδωρον τὸν Λασκάρην περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος συγγραμμένοι, ἀποδεικνύντες ἐκ τοῦ υἱοῦ, καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχειν αὐτὸ παρὰ τῶν ἁγίων θεολογεῖσθαι.

1 Nicephor. Greg. lib. IV.

qui Græcis impense favebat; cujus hortatu, promissisque confirmatus Michael, totus in sarciendam pacem incubuit. Sed patriarcha Josepho, ac clericis, necnon plerisque principum acerrime resistentibus, partim eos blandimentis, ac promissis delinire, partim exiliis, ac proscriptionibus, variisque pœnis ad suam voluntatem trahere conatus est. Repugnabat imprimis Joannes Beccus Ecclesiæ chartophylax, ac reliquos auctoritate sua continebat, ne imperatori cederent; quippe « excellenti vir ingenio (ut de eo Nicephorus idem Gregoras prodidit) et in doctrinæ studiis ab ineunte versatus ætate; præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius illius ætatis [a]. » Hic igitur tot naturæ, doctrinæque præsidia adversus imperatorem, et Latinorum dogma conferebat; et quæ ad hoc propugnandum ab adversariis argumenta proferebantur, mira facilitate diluebat. « Ille vero, inquit Gregoras, ingenii et orationis copia, cunctos, ut ita dicam, permiscebat auditores, et proposita ab illis argumenta sic, tanquam Penelopes telam, retexebat. Nam Græcarum, id est, profanarum litterarum scientia erant qui illum superarent; sed acumine ingenii, et linguæ celeritate, usuque dogmatum ecclesiasticorum, omnes cum eo comparati, pueri videbantur [b]. »

VIII. Hoc historici Græci de Becco, Græco itidem homine, judicium, egregiumque præconium notandum, ac memoria retinendum est. Plurimum enim ad causam nostram pertinet domestico illum potius, quam alieno teste sic ornari. Beccum igitur imperator cum omni fere propinquitate in teterrimos carceres conjicit, ut eum vel invitum assentiri sibi cogeret. Post in mentem illi venit, quæ ab Nicephoro Blemmyde pro Latinorum sententia collecta Scripturæ, ac Patrum testimonia fuerant, quæque ad ea commentatus idem erat, ut supra docui, ad Beccum mittere. Quæ cum « attente, ac studiose ille legisset, et solerter apud se perpendisset (verba sunt Gregoræ), libros illos sanctorum dari sibi petiit, ex quibus Blemmydes sententias istas collegerat; iisque lubentissimo imperatore acceptis, in eo occupabatur, ut accurate illos legeret, expenderet, et ad verbum conferret. Itaque brevi tempore tantam vim testimoniorum confecit, ut integra volumina complere posset. Et qui dudum tanquam gladius anceps contra Latinos pugnabat, mutata sententia, in eorum modo partes victoriam inclinaret [c]. » De hoc Becci commentario dicam postea. Nunc institutum narrationis ordinem et Græcorum cum Latinis de quæstione illa consensionem persequar.

Mutata sententia Beccus stat pro Latinis.

Michaelis Paleologi studium in restauranda concordia.

IX. Imperator talem nactus adjutorem facile quod voluit, ab suis partim impetravit, partim extorsit. Missi sunt ad Pontificem legati (ut refert Georgius Pachymeres [1]) Germanus, qui quondam patriarcha fuerat, Theophanes Nicææ metropolita, Georgius acropolita, e senatorio ordine magnus logotheta, cum aliis quibusdam [d]. Qui augusto mense ineunte solventes Constantinopoli (ita enim Κρόνιον mensem interpretor apud Pachymerem), *aliena anni tempestate*, naufragium fecerunt, ac Romam denique pervenerunt [e]. Profectis legatis, cum Josepho patriarcha, qui quominus cum Latinis concordaret, jurisjurandi religione tenebatur, pactus est imperator, ut tantisper, dum ab legatis Romæ aliquid actum esset, pontificatu cederet, et in monasterio privatus degeret, ac si inter legatos et Latinos conve-

a Niceph. Greg. lib. IV. Ἐν τούτοις μέν τοι τοῖς καιροῖς μεγάλης ἦν ἐκκλησίας χαρτοφύλαξ ὄνομα βέκκος, συνετὸς ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ λόγου, καὶ παιδείας τρόφιμος. τοσούτοις δὲ καὶ παρὰ φύσεως συγκεκροτημένος χαρίσμασιν, ὅσοις τῶν τότε ἀνθρώπων οὐδείς.

b Niceph. Greg. ibid. Ἀλλ' ἐκεῖνος τῇ εὐθηνίᾳ τοῦ νοῦ, καὶ τῆς γλώττης, ἅπασαν συγκυκῶν, ὡς εἰπεῖν, ἀκοὴν, ἀνέλυε τὰ τούτων προβλήματα, καθάπερ τινὰ Πηνελόπης ἱστόν. Ἑλληνικῆς μὲν γὰρ παιδείας ἕνεκα ἦσαν οἳ τότε προεῖχον αὐτοῦ· φύσεως δὲ ὀξύτητι, καὶ γλώττης δρόμῳ, καὶ ἀσκήσει δογμάτων ἐκκλησιαστικῶν, παῖδες ἀνδρὶ παραβαλλόμενοι πάντες ἐδόκουν ἐς αὐτόν.

c Niceph. Greg. Ἅπερ αὐτὸς ἀναγνοὺς μετὰ πολλῆς ἀγχινοίας, τὰς τῶν ἁγίων ἐζητήκει βίβλους, ἐξ ὧν ὁ Βλεμμύδης τὰς μαρτυρίας ἦν ἐκείνας ξυνειλοχώς· καὶ μάλα ἀσμένως παρὰ τοῦ βασιλέως τὸ ἐνδόσιμον εἰληφότι, ἔργον ἦν αὐτῷ τοῦ λοιποῦ ἐπιμελῶς αὐτὰς ἐπιέναι, καὶ ἀνιχνεύειν, κατὰ λέξιν ἐπιστατεῖν· ὡς ἐν ὀλίγῳ τοσοῦτον αὐτὸς συνηθροικέναι μαρτυριῶν ὁρμαθὸν, ὡς ἱκανὸν εἶναι βίβλους ὅλας πληροῦν. καὶ ὁ πρὶν μαχαίρα διστόμος κατὰ Λατίνων ἱστάμενος, πρύμναν ἤδη κρουσάμενος ἑτεραλκέα τὴν νίκην ποιεῖται. Vide et Pachym. *Frag.*

d Pachym. in *Fragm.* Οἱ δ' ἦσαν ὁ πατριαρχεύσας Γερμανὸς, καὶ ὁ Νικαίας Θεοφάνης, καὶ τῶν συγκλητικῶν ὁ μέγας λογοθέτης Ἀκροπολίτης, ὁ προκαθήμενος τοῦ βεστιαρίου Πανάρετος καὶ ὁ μέγας διερμηνευτὴς Βερῥιώτης.

e Idem. Ἐκεῖνοι γὰρ παρὰ καιρὸν πλεύσαντες· Κρονίου γὰρ ἀρχομένου μηνὸς ταῖς ναυσὶν ἐμβάντες ἀπέπλεον.

1 In fragmento a nobis edito.

niret, abdicaret se penitus; sin pacis, et concordiæ spes falleret, pontificatum resumeret. Hæc anno mundi ✓MDCCLXXXII, indictione secunda, hecatombæonis XI gestas esse refert Pachymeres, qui annus esse debet Christi MCCLXXIV, augustique, vel julii dies 11, cum ineunte mense legati, uti diximus, Romam navigassent; siquidem Κρόνιος idem est cum hecatombæone. Sed cum iidem illi legati ad concil. Lugd. quod anno illo eodem MCCLXXIV celebratum est, missi sunt ab imperatore Michaele, non bene cum historia, et actis illius synodi Pachymeri convenit *. Et alioqui multa sunt in ea animadversione digna, quæ in præsens omittimus. Satius ducimus ad actorum fidem narrationis nostræ cursum dirigere. Lugdunense itaque concilium a Greg. X papa est indictum, cum ad res alias ecclesiasticas ordinandas, tum ad Græcæ Ecclesiæ cum Latina instaurandam pacem, et amicitiam. Inchoatum est maii septimo, anno MCCLXXIV, cum Græcorum legati nondum venissent. Qui junii 24 die tandem adfuerunt, litteras afferentes ab imperatore Michaele Palæologo, necnon a Græcis omnibus episcopis et clericis Constantinopolitano patriarchæ subjectis. Nam patriarcha ipse, ut cum Romano pontifice pacem faceret, adduci non potuerat; quod horum litteræ testantur. Quamobrem Michaelis imperatoris, Græcorumque præsulum nomine legati Romano Pontifici fidem, et obsequium jurejurando polliciti sunt, ac nominatim processionem Spiritus sancti a Patre, et Filio professi sunt; quam Michael in litteris suis accurate complexus est. Hæc ex actorum monimentis Lugdunensis concilii.

Lugdunense concilium.

X. Pace et quiete inter Ecclesias ad hunc modum constituta, Josephus patriarchatum licet invitus deposuit, eique substitutus est Joannes Beccus ex chartophylace; quem mutata sententia, Latinorum de processione dogma secutum esse supra meminimus, postquam e Scripturis, ac sanctorum Patrum scriptis diligentius perlectis comperit, verius id esse, fideique catholicæ magis consentaneum. Hujus Becci patriarchæ commentarium de Spiritus sancti processione ab utroque, pro Latinis contra Græcorum errorem, reperi in vetusto codice Bibliothecæ regiæ, in duodecim capita distinctum; quæ nihil præter Patrum testimonia continent, ad argumentorum, et probationum genera totidem accommodata. Præclarum opus, et imprimis utile, ex quo plurima nos loca decerpsimus, quæ huic libro mandavimus, præsertim Cyrilli, antequam Græce esset editus in lucem. Postea vero Romæ idem ille Becci liber vulgatus est a Petro Arcudio, una cum aliis ejusdem argumenti, quibus titulum hunc inscripsit, *Opuscula aurea theologica*. Sed multo uberior, ac distinctior, est in regio codice, quam Romæ editus. Contra hunc librum scripsit Gregorius Palamas Thessalonicensis episcopus, qui quinquaginta circiter annis post Beccum floruit sub Joanne Cantacuzeno; de quo in primo libro tomi prioris diximus. Palamam rursus confutavit Bessario. Utrumque opusculum inter aurea illa Romæ publicatum est. Nos paulo pluribus ista prosequi necesse putavimus, ut duorum exemplo summorum, et in omni eruditionis genere florentissimorum virorum, ut illi ipsi prædicant, Græci tandem sapere discant, ac tantæ auctoritati cedere. Nicephorum Blemmydem, et Joannem Beccum intelligo, de quibus perhonorificum Gregoræ testimonium adduximus. Cui quidem multo major de Becco fides est habenda, quam Georgio Pachymeri, qui in *Fragmentis* a nobis editis contra atque Nicephorus Gregoras de Becco scripsit, eum sacrarum Litterarum minore, quam Græcarum, id est, exoticarum, scientia fuisse præditum; eaque de causa pristina de sententia facile esse deductum.

Pax inter Græcos et Latinos non diuturna.

XI. Cæterum Græcorum, ac Latinorum pax illa, quia metu magis ab illis expressa, quam sponte expetita fuerat, diuturna non fuit. Vixit post Lugdunensem synodum annis circiter novem Michael Palæologus, ac mortuus anno Christi MCCLXXXIII cum in castris esset, ab Andronico filio ne plebeio quidem ritu sepultus est, sed jussu illius haud procul a stativis noctu a paucis cadaver humo est obrutum, tantum ut ne a feris laniaretur. Quod ob Romanæ communionis invidiam factum esse scribit Gregoras in quinto libro. Itaque statim

a Pachym. in *Fragm.* Καὶ ἡ αἰτία τὸ ἐφ' ἑλληνικαῖς σχολάζοντι, μὴ θείαις γραφαῖς ἐγγενέσθαι οἱ ἐμμελετῆσαι.

* Errat hic doctissimus Petavius. A Petro Possino viro Societatis nostræ præclarissimo in observationibus *ad Pachymerem* libro III, *Chronol.* cap. I, demonstratum fuit, Pachymerem præter morem usumque cæterorum in mensibus appellandis novasse, hecatombæonem vero ipsi eumdem esse, qui nobis januarius, Cronium, qui martius. Tunc enim vero belle omnia procedunt. Z.

ad pristinam dissensionem, et perversum dogma relapsi sunt Græci; Beccoque exauctorato, Josephus in sede est repositus. Tum vero de illis omnibus, qui Michaelem imperatorem secuti, Latinorum ad partes defecerant, severa, imo crudelis est quæstio habita, quam Nicephorus Gregoras libro sexto attigit. Cum enim Andronicus patrii Græcorum dogmatis ingens præ se studium ferret, et ad pristinam formam revocare Ecclesias cuperet, ac popularis alioqui studeret esse; nimiam seditiosis, ac turbulentis ordinis utriusque viris licentiam in episcopos, ac primores alios fecit impune grassandi. Itaque complures exauctorati sunt episcopi, ac clerici, multi relegati, non pauci proscripti, ac fortunis exuti omnibus. Quorum e numero fuit, ut ipse testatur, Manuel Calecas, auctor eruditus, et catholicus, cujus habeo volumen egregium pro Latinis adversus Græcos, in quo de processione sancti Spiritus uberrime, accuratissimeque disputat, nihil ut hoc de argumento scribi possit doctius, ac subtilius. Vixit ergo insignis iste scriptor, Lugdunensis concilii tempore. Cujus etiam decreta, et constitutam Ecclesiarum omnium assensu pacem, et concordiam post Michaelis obitum turbari, ac violari queritur ab illis ipsis, qui synodo illi subscripserant; et qui in Romana communione perseverabant, spoliatos rebus omnibus, exilio, fame, atque egestate confici, e quibus unum se, ut dixi, esse memorat. Secundum hæc variæ, ac minutæ aliæ velitationes partium inter se fuerunt, sed obscuræ, et privatim magis, quam publice susceptæ, quas accuratius persequi non est consilii. Postremo cum Romana Ecclesia Græci rursus inito fœdere sociati sunt in concilio Ferrariensi, sive Florentino, imperante Joanne Palæologo Constantinopoli, qui cum patriarcha, aliisque Græciæ primoribus ei synodo interfuit anno MCDXXXIX, Eugenio IV pontifice. In ea, post multas et eruditas altercationes, in quibus Marcus Ephesinus Græcorum causam pervicacissime defendit, tandem pax est confecta, et de processione sancti Spiritus in eamdem cum Latinis professionem coiere Græci. Quarum rerum seriem non putavi diligentius exponendam esse, cum ad manum sint acta ipsa synodalia Græce Latineque edita. Verum post concilium, Marco Ephesino, qui concordiæ subscribere noluerat, aliisque seditiosis obnixe contra illud agentibus, paulo post ad ingenium rediere Græci. Constantinopolis ipsa post annos circiter XIV a Turcis expugnata, et Orientis imperium funditus est exstinctum.

[Margin: Manuelis Calecæ dotes]

[Margin: Concilium Florentinum.]

CAPUT II.

De addita voce Filioque *ad symbolum Constantinopolitanum; quo tempore id factum videatur. De eo falsa quorumdam opinio. Prius hoc in Galliis, et Hispaniis, quam Romæ receptum. Leonis tertii cum Francorum legatis super ea re collatio. De Symbolis in missa cantari solitis. Photii encyclica virulenta contra Romanam Ecclesiam. Rathramni monachi tempus, et liber contra Græcos. Videri Nicolai primi ætate Romanos additamentum illud admisisse.*

I. In Florentino concilio, cum acerrime, ac subtilissime inter utrosque disputatum est, tum disputationis capita præcipua fuere duo de processione Spiritus sancti: alterum an a Patre solo, ut Græci pugnant; an etiam a Filio procedat, quod Latini sentiunt: alterum an, utcumque processio hæc habet, fas Latinis fuerit in symbolum Constantinopolitanum inculcare voculam unam, *Filioque*, ut ita publice canatur: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Horum prius, quod majoris est altero momenti, plenius a nobis toto hoc fere septimo libro pertractabitur. De posteriore vero, quantum necesse videtur, hoc est brevius, postea dicetur. Non enim multum ad rei summam interest. Sed quæ ad hujus additamenti pertinent historiam, perinde hic paucis, ut solemus, enarrabimus.

Quonam tempore, quove auctore, Occidentis Ecclesia publice in ecclesia canere, vel Symbolo voculam illam intexere cœpit, non satis compertum esse, testis est Antoninus[1] in *Chronico*. Quod enim dicere ausi sunt aliqui, id in secunda œcumenica synodo Constantinopoli esse factum, pro ridiculo merito ducitur. Manuel Calecas in libro *contra Græcos*, Damasum ejus additamenti facit auctorem; idque institutum ab illo scribit ad novam compescendam hæresim, quam υἱοπατρίας vocant; « quod Filium affirmaret Patrem esse Spiritus sancti, et hunc Patris nepotem. Idcirco Damasus Romanus episcopus, collecta synodo, ad Symbolum adjecit, a Filio proce-

[Margin: Quo tempore addita vox *Filioque* ad Constant. concilium.]

1 Par. III, tit XXII, sect. 13.

dere Spiritum sanctum, ut illud refelleret, quod gigni dicebatur a Filio[a]. » Hujus rei testem citat historicum quemdam nomine Σκολίτζην. Josephus[1] vero Methonensis in *Confutatione epistolæ encyclicæ Marci Ephesini*, historicum illum vocat Georgium Aristinum; qui memoriæ prodidit, statim post secundam œcumenicam synodum, Damasum ad Symbolum istud addidisse. Genebrardus quoque in libro tertio *de Trinitate* idem refert ex historia Alexii Aristini.

Longe post Damasi tempora addita in Symbolo vox *Filioque*.

II. Sed hoc falsissimum est. Longe enim id postea factum est, ut vel ex eo constat, quod Romanus Pontifex post aliquot sæcula, cum primum de eo consultus est, vehementer improbarit, uti mox dicam. Quinetiam ratio illa, quam affert Calecas, nihil habet virium. Non enim *procedere a Filio*, ei adversatur, quod est gigni a Filio; sicut a Patre Filius tam procedere, quam gigni dicitur. Sed fortasse Calecas non a Filio tantum, sed etiam a Patre procedere, Damasum adscripsisse voluit. Quod utrum generationem excludat, in sequentibus exponam.

Falsa quorumdam opinio.

Cæterum iidem Calecas, et Josephus, aliique Græci catholici, Maximi etiam martyris testimonio probare nituntur, haud ita recentem, ut Græci alii Romanæ communionis hostes putant, additionem illam videri. Siquidem in epistola quadam *ad Marinum*, iste ipse, qui Heraclii, et Constantis ejus filii tempore floruit, hoc est, circa annum Christi DCXL. sanctissimus martyr Latinorum causam sublevat, quod Spiritum sanctum dixerint a Filio procedere. Verum de Symbolo, et additione Maximus verbum nullum, sed de solo dogmate, cujus apud Latinos antiquissima est professio. Quare nihil ad rem Maximi locus ille spectat. Est illud quidem satis exploratum, non solum veteres Patres privatim, ac singulos in Occidente longe antea docuisse, Spiritum sanctum ex ambobus procedere; sed etiam synodus integras id in Fidei professione posuisse, ut inter alias Toletana prima fecit anno Christi CD, vel potius (ut recte Petrus Pithœus vir eruditissimus in opusculo *de Processione sancti Spiritus* animadvertit ex Bracarensis primi præfatione) Calleciensis anno Christi CDXLVII. Toletana tertia Ricaredo regnante, anno Christi DLXXXIX et quarta anno DCXXXIII, Maximi martyris tempore, et undecima anno DCLXXV; verum in Symbolo ipso nihil adjecerunt, neque publice id in ecclesia cani præceperunt. Quod quidem, quando primum institutum sit, hactenus ignotum est.

Prius hoc in Gallia et Hispania quam Romæ receptum.

III. Constat tamen prius in aliis Occidentis Ecclesiis, quam in Romana id usu receptum. De Gallicana quidem illustre testimonium habetur ex actis legationis e synodo Aquisgranensi ad Leonem papam tertium, Carolo Magno imperante, anno Christi DCCCIX[2]; de qua supra mentionem fecimus. Tum igitur, post longam altercationem, cum Romanus Pontifex displicere sibi significasset, quod innovatum aliquid in Symbolo fuisset, idque publice caneretur, tandem ita discessum est, ut idem pontifex legatos hortaretur in hæc verba. « Si prius, quam ita cantaretur, interrogatus essem, ne insereretur, utique respondissem. At nunc, quod tamen non affirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri, ut paulatim in palatio, quia in nostra sancta ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem symboli intermittatur; sicque fiat, ut, quod idipsum ut cantaretur, non quælibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas, si dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus; et ita fortasse, quantum esse potest, non incongrue utrumque fieri possit; ut quod jam nunc a quibusve prius nescientibus recte creditur, credatur: et tamen illicita cantandi consuetudo sine cujusque fidei læsione tollatur. »

Leonis tertii cum legatis Gallorum collatio.

Hinc igitur apparet, sub illud tempus in Galliis, et forte in aliis etiam provinciis, Symbolum cum addita illa voce *Filioque* cani publice cœpisse. Hoc Romana postmodum Ecclesia ab illis accepit, una cum ritu ipso Constantinopolitani symboli publice canendi in missa; quem ritum haud scio an non Galli, et Germani ab Hispanis acceperint. Scribit enim Joannes Biclariensis, Justinum secundum, anno primo imperii sui, qui est Christi DLXV, « Symbolum Constantinopolitanum centum quinquaginta Patrum in omni catholica Ecclesia a populo concinendum intromisisse, priusquam Dominica dicatur oratio. »

a Calec. Οἱ μὲν γάρ φησιν, ὅτι μετὰ τὴν πρώτην σύνοδον ἡ τῆς υἱοπατρίας λεγομένη αἵρεσις ἀνεφάνη λέγουσα τὸν μὲν υἱὸν πατέρα τοῦ πνεύματος εἶναι· αὐτὸ δὲ τοῦ πατρὸς υἱωνόν. καὶ τηνικαῦτα διὰ τοῦτο Δάμασος ὁ Ῥώμης ἐπίσκοπος σύνοδον συναθροίσας, τῷ συμβόλῳ προσέγραψεν, ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πρὸς τὸ ἐκ τοῦ υἱοῦ γεννᾶσθαι ἀνθιστάμενος.

1 Tom. VIII *Conc.* edit. Paris. — 2 Tom. II *Conc. Gall.* Vide supra. n. 2.

Quod post annos quatuor et viginti Hispanorum Ecclesiæ, Ricaredo rege auctore, susceperunt ex decreto canonis secundi Toletanæ tertiæ synodi, anno Christi DLXXXIX, quarto Ricaredi ejusdem. Nam illo canone constituerunt Patres, « ut per omnes ecclesias Hispaniæ, et Galliciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum concilii Constantinopolitani CL episcoporum symbolum recitetur, ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur. » At Walafridus Strabo in libro *de Rebus ecclesiasticis*, capite XXII, scribit apud « Gallos, et Germanos, post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rege damnati, idem symbolum latius, et crebrius in missarum cœpisse officiis iterari. » Constantinopolitanum, inquam, symbolum, quod, ut idem paulo ante dixit, « aptius videbatur modulis sonorum, quam Nicænum. » Quandonam vero Romana primum Ecclesia idem symbolum Constantinopolitanum auctum illo vocabulo receperit, et quo auctore Pontifice, haud satis constare dixi.

irulenta Photii ıcyclica contra cclesiam manam.

IV. Photius in encyclica epistola, quam contra Nicolaum ad Orientales sedes primarias scripsit, quæ exstat in regia bibliotheca, et sic inscribitur, Ἐγκύκλιος ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς ἀρχιερατικοὺς θρόνους, significare videtur, vel ab Nicolao primo, vel circa ejus tempora institutum fuisse. Nam inter cætera, quæ de Latinis calumniose jactat, ea posuit, quæ ab Hugone Etheriano in II libr. cap. XVII descripta sunt; sed haud satis integre translata de Græco. « Præter illa, quæ commemoravimus, inquit, absurda, sacrum etiam, et sanctum Symbolum, cui synodica omnia, et œcumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis rationibus, et non sinceris sermonibus, non sine incredibili audacia falsare aggressi sunt. O mali dæmonis machinamenta! Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam e Filio procedere vanissime prædicantes[a]. » Quæ verba indicant, in Symbolum jam tum novitatis aliquid admissum. Quinetiam Rathramnus Corbeiensis monachus in libro secundo *pro Romana Ecclesia contra Græcos*, quem circa annum DCCCLXVIII scripsit, Photii tempore, illud ipsum, tanquam ab illis objectum, corrupti Symboli crimen diluit. Postquam enim dixit, in Constantinopolitana synodo contra hæreticos decretum esse, « Spiritum sanctum a Patre procedere, et esse coadorandum ; » mox ita pergit : « Dein Ariana repullulante vesania, volenteque confirmare, non esse rectæ fidei, Spiritum sanctum dicere de Patre procedere, hoc quia videretur esse blasphemum, quoniam duorum profiteretur Pater esse, id est Filii, et Spiritus sancti, hanc quoque blasphemiam propellendam decernentes Ecclesiæ doctores, superaddidere Symbolo, Spiritum sanctum de Filio quoque procedere ; ne si de Patre tantum procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filii. » Nimirum in ea fuisse sententia videtur, quam supra quibusdam probari diximus, additionem illam paulo post Constantinopolitanum primum concilium intextam fuisse Symbolo. Scripsit autem Rathramnus, ut jam dictum est, opus illud, post acceptam Nicolai encyclicam, quam ad Hincmarum, et alios episcopos in regno Caroli Calvi constitutos miserat anno DCCCLXVII, ut eos hortaretur ad refellendas Græcorum calumnias adversus Romanam Ecclesiam objectas a Michaele imperatore et Basilio in epistola quadam ad se scripta. Qua in epistola[1] accusari Latinos a Græcis Nicolaus asserit, quod « Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere dicant. » De symbolo vero tacet. At Manuel Calecas, quem Lugdunensis synodi, et Gregorii XII ætate floruisse docuimus, Photium in Encyclica sua testis est, illud de symbolo Romanis Pontificibus exprobrasse. Quanquam ille longe, ut jam dixi, ante Nicolaum, adeoque Damasi tempore additum fuisse in Symbolo Filii nomen existimat, ejusque mentionem ab Maximo fieri in epistola *ad Marinum*. Quod non est ita; nam solius dogmatis meminit. Antoninus[2] itidem in *Chronico* apertissime rem totam explicat. Refert enim Photium in illa synodo latrocinali, quam contra Nicolaum subornavit, inter cætera crimina istud posuisse, « quod apposuerit ad Symbolum, Spiritum sanctum a Filio procedere; » qua de causa ex concilii tertii, id est, Ephesini decreto, excommunicatum esse eumdem statuit. Cui et

a PHOTIUS in *Encyclica epistola*. Πρὸς τοῖς εἰρημένοις ἀτοπήμασι, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σύμβολον, ὃ παρὰ πᾶσι τοῖς συνοδικοῖς καὶ οἰκομενικοῖς ψηφίσμασιν ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχὺν, νόθοις λογισμοῖς, καὶ παραγράπτοις λόγοις, καὶ θράσους ὑπερβολῇ, κιβδελεύειν ἐπεχείρησαν. ὢ τῶν τοῦ πονηροῦ μηχανημάτων· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ πατρὸς μόνον, ἀλλά γε καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι κενολογήσαντες.

1 Extat. tomo. III *Conc. Gall.* — 2 Par. III, tit. XXII, cap. XIII, § 10.

Petrus Pithœus subscribit in erudito illo opusculo, quod *De processione sancti Spiritus* elucubravit*. Sed de Symboli negotio, et argumentis adversus προσθήκην illam, agemus sub hujus libri finem. Ita enim partienda res fuit, ut hic tantum nudam persequamur historiam; quæ autem ultro citroque disputando solent argumenta proferri, ea postmodum explicemus.

Additionem.

CAPUT III.

Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere, Græcorum Patrum testimoniis adstruitur: Epiphanii, qui ab nupera calumnia vindicatur; Gregorii Nysseni; Didymi; Cyrilli Alexandrini. De duobus locis Gregorii Nysseni, et Basilii accurata disputatio.

Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere Græcorum Patrum testimoniis astruitur.

I. De processione sancti Spiritus Græci a Latinis in eo discrepant, quod hi a Patre illum, et Filio; isti solo a Patre procedere per Filium existimant. Latinorum causæ Patres imprimis omnes fere patrocinantur Latini nominis, ac linguæ; tum vero plerique Græcorum, qui similiter ac Latini ab utroque produci asserunt Spiritum sanctum; reliqui etsi minus id aliquanto diserte significant, tamen ex eorum dictis hoc ipsum ratiocinando deducimus. Nos pro Latinis contra Græcos, imo vero pro Græcis catholicis contra gentis ejusdem hæreticos prælium aggressuri, Græcos ipsos antiquiores primam in aciem educemus. Tum quæ ad illorum eludenda testimonia afferre Græci solent, exponere, ac refutare conabimur. Latinorum deinde instruemus agmen; quorum propositis auctoritatibus, ad eamdem sententiam præcipua, et firmissima quæque argumenta succedent. Rursus in Græcorum Patrum dictis explicandis eum ordinem tenebimus, iis ut primus locus detur, quæ a Filio Spiritum oriri palam ac dilucide profitentur; sequantur ea, quæ non iisdem illud verbis nos docent, sed idem fere significantibus, aut necessariam ejus rei consequentiam habentibus.

Primus testis Epiphanius.

II. Primus ex illo testium genere aderit Epiphanius, quo nemo apertius locutus est. Is in *Ancorato* ita scribit: «Jam vero cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ambobus, ut Christus his verbis asserit[1]: *Qui a Patre procedit*, et, *Hic de meo accipiet*[a],» etc. Nihil hoc loco afferri potest expressius. Nam Spiritum sanctum sic e Christo procedere dicit, quomodo Christus ex Patre, hoc est Deus ex Deo. Item ab utroque prodire ait; idque iisdem ex *Evangelii* verbis asserit, quibus Latini contra Græcos utuntur, *Hic de meo accipiet*. Hunc locum Gennadius[2] citat, et Bessario[3]; et ante hos Joannes Beccus Patriarcha Constantinopolitanus in *Collectaneis sententiarum de Spiritu sancto*[4].

Idem Epiphanius Spiritum sanctum παρ' ἀμφοτέρων *ab ambobus* esse, bis eadem pagina repetit in *Ancorato*. Ac posteriore in loco diligenter expendenda illius verba sunt. Cum enim quæsisset, cur Spiritus sanctus non sit Filius, adeoque Filii duo sint; respondet: « Tu quis es, qui contradicas Deo? Nam si Filium vocat eum, qui ab ipso; Spiritum vero sanctum, qui ab ambobus[b], » etc. Hic de productione substantiæ, ac personæ Spiritus sancti agitur, non de donorum, et charismatum profusione, quæ interdum Spiritus nomine censentur, ut Græculorum tergiversationi locus esse nequeat; de qua postea. Etenim cum Filium dicit ex ipso esse, originem et processionem non aliam intelligit, quam οὐσιώδη. Proinde neque cum de Spiritu sancto loquitur, et παρ' ἀμφοτέρων esse dicit, de altera id interpretari licet, ut et Bessario loco citato colligit.

Substantialem. Ab ambobus.

At etiam clarius eodem in libro, sub ejus initium, « Spiritus, inquit, Dei, et Spiritus Patris, et Spiritus Filii, non compositione

a Epiph. in *Ancor*. num. 67. Εἰ δὲ Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, ὡς φησὶν ὁ Χριστός· ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορέυεται· οὗτος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται.

b Epiph. in *Ancor*. num. 71. Ἀλλ' ἐρεῖ τίς· οὐκοῦν φαμὲν δύο εἶναι υἱούς· καὶ πῶς μονογενής; σὺ τίς εἶ ὁ ἀντιλογιζόμενος τῷ θεῷ; εἰ γὰρ τὸν υἱὸν καλεῖ τὸν ἐξ αὐτοῦ, τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα τὸ παρ' ἀμφοτέρων.

* Serius tamen Nicolai ætate, ac fortasse XI tantum sæculo a Romana Ecclesia additam fuisse Symbolo particulam *Filioque* nullus dubito. Photii, et Rathramni verba, quæ Natalis Alexander quoque recitat in hist. sæc. IV, disser. XXXVII, art. 3, ut Nicolai I temporibus factam uisse hanc additionem in Romana Ecclesia confirmet, non Romanam spectant Ecclesiam, sed Gallicanos, Germanos, Hispanos Italicosque Longobardici Regni. Vide, ne alios commemorem, egregiam P. de Rubeis de hoc argumento dissertationem in libro ann. 1753 Venetiis typis expresso, ac prænotato : *Georgii seu Gregorii Cyprii Patriarchæ Constantinopolitani Vita*, etc. Z.

1 *Joan.* XV, 26 et XVI, 24. — 2 Lib. I *cont. Græc.* — 3 *Lib. dogm.* cap. VII in conc. Flor. — 4 Cap. I.

aliqua, quemadmodum in nobis anima, et corpus, sed inter Patrem Filiumque medius, ex Patre, et Filio appellatione tertius [a]. » Manifeste Spiritum sanctum ex Patre, Filioque esse declarat. Nam particula ἐκ productionem substantialem, et originem significat; atque ita passim eodem in libro ab Epiphanio sumitur, Ut cum paulo ante [1] Filium ait esse
eum de Deo
θεὸν ἐκ θεοῦ, itidemque Spiritum sanctum. Tum ἐκ τῆς αὐτῆς θεότητος, *ex eadem divinitate* esse Filium et Spiritum sanc. Et, « Spiritus sanctus semper est, non genitus, non creatus, non frater, non patruus, non avus, non nepos, sed ex eadem substantia Patris et Filii, Spiritus sanctus. *Spiritus enim est Deus* [b] [2].» Item [3], *Deum verum de Deo vero* esse Filium ait ex Nicæno symbolo, et *Spiritum ex Patre procedere*, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, et alia ejusdemmodi, in quibus præpositio ἐκ ad substantialem productionem adhibetur.

Item Epiphanius, «Spiritus, inquit, sanctus, Spiritus veritatis, est lumen tertium a Patre, et Filio [c]. » Rursus cum multi in Scripturis appellentur spiritus, ut *spiritus timoris*, *spiritus compunctionis*, etc., «Solus, ait, Spiritus sanctus appellatur a Patre, et Filio *procedens*, Spiritus veritatis, et Spiritus Dei, Spiritus Christi [d].» Prætereaidem Epiphanius, « Igitur, inquit, si a Patre procedit, et de meo, ut ait Dominus, accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater; ita dicere audeo, neque Spiritum, nisi Pater et Filius, a quo procedit, et a quo accipit; et neque Filium ac Patrem, nisi Spiritus sanctus, qui vere glorificat, qui docet omnia, qui testatur de Filio, qui a Patre, et ex Filio [e]. »

Et in hæresi LXXIV, « Porro Spiritus sanctus, ait, ex ambobus, Spiritus e Spiritu. Deus enim est Spiritus [f]. » Utrobique ex ambobus, Patre ac Filio, Spiritum sanctum docet existere; atque in posteriore loco παρ' ἀμφοτέρων idem valere, quod ἐξ ἀμφοτέρων, et οὐσιώδη, id est *substantivam* productionem exprimere, satis indicat, quod explicandi causa subjicit πνεῦμα ἐκ πνεύματος. Nam ideo *Spiritum e Spiritu* dicit oriri, quia *Deus Spiritus est*, ut Christus [4] ait. Spiritus vero sanctus a Deo est, quia est a Patre et Filio. Quare præpositiones istæ παρὰ, et ἐκ, manifeste processionem et originem significant. Sic in eadem hæresi postea, « Spiritum ait a Patre esse, et ex Filio [g] ; » ubi παρὰ, Græcis ipsis fatentibus, substantivam productionem declarat. Siquidem a Patre non aliter existit. Igitur et in aliis locis, ubi παρὰ τοῦ υἱοῦ, vel παρ' ἀμφοτέρων posuit, substantiva itidem origo monstratur, quam altera vocula ἐξ attributa Filio significat. Sed expressissimus, et pulcherrimus omnium locus est in hæresi LXII quæ est *Sabellianorum*, ubi ita scribit : « Non alienus est a Patre, et Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio, cum Patre et Filio, subsistens semper Spiritus sanctus [h]. »

Ab ambobus. *Ex ambobus* *Ab et ex.* *A Filio vel ab ambobus.*

Cum tot sint, ac tam diserta Epiphanii testimonia de processione sancti Spiritus a Patre Filioque, ut nemo clarius, ac dilucidius etiam Latinorum Patrum locutus sit ; quis non nupero exercitatori succenseat, qui in exercitationibus ad priorem *ad Corinthios*, cap. V, Epiphanium ait « non cogitasse σχέσιν illam, quam habet Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, qui cum Græcis, suoque more, ex solo Patre sancti Spiritus processionem profitetur?»

Relationem.

a Epiph. in *Ancor.* num. 8. Πνεῦμα γὰρ θεοῦ, καὶ πνεῦμα τοῦ πατρὸς, καὶ πνεῦμα υἱοῦ· οὐ κατάττνα σύνθεσιν, καθάπερ ἐν ἡμῖν ψυχὴ, καὶ σῶμα, ἀλλ' ἐν μέσῳ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ.

b Idem, num. 7. Πνεῦμα ἅγιον ἀεὶ, οὐ γεννητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐ συνάδελφον, οὐ πατράδελφον, οὐ προπάτορον, οὐκ ἔκγονον, ἀλλ' ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας πατρὸς, καὶ υἱοῦ. πνεῦμα ἅγιον· πνεῦμα γὰρ ὁ θεός.

c Idem, num. 71, et hær. LXXIV, num. 8. Καὶ πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα ἀληθείας, ἔστι φῶς τρίτον παρὰ πατρὸς, καὶ υἱοῦ.

d Idem, *Ancor.* num. 72, et hær. LXXIV, num. 9. Τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα μόνον καλεῖται ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ, πνεῦμα ἀληθείας, καὶ πνεῦμα θεοῦ, καὶ πνεῦμα χριστοῦ.

e Ibid. Εἰ τοίνυν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ ἐκ τοῦ ἐμοῦ, φησὶν ὁ κύριος, λήψεται, ὃν τρόπον οὐδεὶς ἔγνω τὸν πατέρα, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, οὐδὲ τὸν υἱὸν, εἰ μὴ ὁ πατὴρ, οὕτω τολμῶ λέγειν ὅτι οὐδὲ τὸ πνεῦμα, εἰ μὴ ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς παρ' οὗ ἐκπορεύεται, καὶ παρ' οὗ λαμβάνει· καὶ οὐδὲ τὸν υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ δοξάζον ἀληθῶς, τὸ διδάσκον ἅπαντα τὸ μαρτυροῦν περὶ τοῦ υἱοῦ, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ.

f Idem, hær. LXXIV, num. 7. Τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα παρ' ἀμφοτέρων, πνεῦμα ἐκ πνεύματος· πνεῦμα γὰρ ὁ θεός.

g Ibid. num. 10. Ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς, ὃ ἐκ τοῦ υἱοῦ.

h Epiph. hær. LXII, num. 4. Οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ υἱοῦ, ἀλλὰ ἐκ τῆς αὐτῆς οὐσίας, ἐκ τῆς αὐτῆς θεότητος, ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ, ἐνυπόστατον ἀεὶ πνεῦμα ἅγιον.

1 Num. 6. — 2 *Joan.* IV. — 3 Num. 8. — 4 *Joan.* IV, 14.

Quod esse falsissimum, superiora illa bene multa Epiphanii loca testantur.

II° Gregorius Nyssenus.

III. Epiphanio subjiciendus est Gregorius Nyssenus, cujus eximius est locus in calce libri primi *contra Eunomium*, qui seorsim a Gretsero nostro editus est; ubi de personarum ordine, ac differentia in sancta Trinitate disserens, sola inter se origine, ac principii, sive causæ ratione distare ait : « Porro, inquit, idem nobis et de Spiritu sancto dicendum est; cujus in solo ordine differentia constituta est. Nam ut Patri conjunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit; sic etiam Spiritus sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione, secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quæ sæculum omne præcedit, locum non habent; adeo ut, detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a seipsa dissideat[a]. » Vel hic locus ad frangendam Græcorum pervicaciam unus instar omnium esse potest. Nam quatuor docet, quæ a Filio procedere Spiritum sanctum aperte declarant. Primum est, solo ordine differre Spiritum sanctum ab duabus reliquis personis; cujusmodi ordo non alius est, quam originis, ac processionis, uti postea constabit. Alterum est, quemadmodum cum Patre copulatus est Filius, ita ut licet esse ab illo habeat, non tamen posterius existat; sic cum Unigenito hærere Spiritum sanctum. Hoc enim Græca vox sonat ἔχεσθαι. Proinde uti cum Patre Filius non alia ratione conjunctus est, quam quia esse ab eo accipit; ita Spiritus sanctus eamdem ob causam Filio copulatur; quod et subinde explicat, dum, quod tertium est e quatuor, diserte asserit, κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον, hoc est *ratione principii*, *vel causæ* priorem considerari Filium, quam Spiritum sanctum. Quarto denique, sublata ratione principii nullam in Trinitate differentiam esse dicit; ex quo sequitur, nisi principium sit alter alterius, nullum inter Filium, ac Spiritum sanctum fore discrimen.

IV. Huic geminus est alter ejusdem Gregorii locus ex epistola *ad Ablabium*, qui hic omnino describendus est. « Quod si quis calumnietur orationem, quasi ex eo, quod non admittat differentiam circa naturam, mistionem quamdam, et confusionem hypostaseon facientem; hoc adversus hanc accusationem respondebimus, nos ita naturam diversitatis expertem asserere, ut eam differentiam, quæ ex ratione principii, ejusque, quod est a principio, petitur, minime denegemus. Quo uno alterum ab altero discerni comprehendimus, quod videlicet alterum credamus esse principium, alterum ex principio. Ac rursus ejus, quod est ex principio, discrimen aliud intelligimus. Nam aliud proxime, et sine medio ex primo est; aliud vero per illud, quod proxime est a primo, ut et Unigeniti proprietas sine ambiguitate maneat in Filio, et ex Patre Spiritum esse non dubium sit, cum et Filii interpositio proprietatem ipsi servet Unigeniti, neque ab naturali ad Patrem habitudine Spiritum excludat. Porro cum principium, et quod est ex principio dicimus, nequaquam iis nominibus naturam significamus (non enim quispiam eamdem principii, sive causæ, et naturæ rationem esse censeat); sed eam solum, quæ secundum existendi modum est, differentiam ostendimus[b]. » Tum sub finem : « Talem ergo differentiam in sancta Trinitate profitentes, ut aliud principium, aliud ex principio esse credamus; non jam amplius accusari poterimus, quod per communionem naturæ rationem hypostaseon confundamus. Quoniam igitur hypostases sanctæ Trinitatis principii ratio distinguit, quæ aliud expers

a Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Ὁ δὲ αὐτὸς ἡμῖν καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγος, ἐν μόνῃ τῇ τάξει τὴν διαφορὰν ἔχων. ὡς γὰρ συνάπτεται τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ εἶναι ἔχων, οὐχ ὑστερίζει κατὰ τὴν ὕπαρξιν. οὕτω πάλιν καὶ τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως. αἱ δὲ χρονικαὶ παρατάσεις ἐπεὶ τῆς προαιωνίου ζωῆς χώραν οὐκ ἔχουσιν· ὥστε τοῦ λόγου τῆς αἰτίας ὑπεξῃρημένου, ἐν μηδενὶ τὴν ἁγίαν τριάδα πρὸς ἑαυτὴν ἀσυμφώνως ἔχειν.

b Idem. Εἰ δέ τις συκοφαντοίη τὸν λόγον, ὡς ἐκ τοῦ μὴ δέχεσθαι τὴν κατὰ φύσιν διαφορὰν, μίξιν τινὰ τῶν ὑποστάσεων, καὶ ἀνακύκλησιν κατασκευάζοντα· τοῦτο περὶ τῆς τοιαύτης ἀπολογησόμεθα μέμψεως, ὅτι τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα, ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν, τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου· καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας καὶ αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης. αἴτιον δὲ, καὶ ἐξ αἰτίου λέγοντες, οὐχὶ φύσιν διὰ ταύτων τῶν ὀνομάτων σημαίνομεν· οὐδὲ γὰρ τὸν αὐτὸν ἄν τις αἰτίας, καὶ φύσεως ἀποδοίη λόγον· ἀλλὰ τὴν κατὰ τὸ πῶς εἶναι διαφορὰν ἐνδεικνύμεθα.

principii, aliud ex principio existens dici postulat; divina autem natura invariata et indivisa secundum omnem considerationis modum intelligitur; propterea una proprie divinitas, et unus Deus, ac cætera omnia Deo digna vocabula singulariter efferuntur[a]. » Et hic locus ostendit nullam in personis Trinitatis aliam esse differentiam, quam quod altera principium sit, altera ex principio. Proinde cum Spiritus principium esse Filii dici nequeat, ac vel tale quid cogitare nefas habeatur; necesse est Filium esse principium Spiritus sancti. Cum autem ratio principii, et ejus, quod a principio est, non naturam, sed existendi modum significet, ut ait Gregorius; idem erit τὸ ἐξ αἰτίου, et certo modo esse ex principio. Quare Spiritus sanctus a Filio erit, tanquam a principio.

Hunc locum Hugo Etherianus [1] adduxit; quem, ut et antecedentem, miror in Florentina synodo esse prætermissum; nam nullus expressior, atque illustrior afferri potest. Itaque Joannes Beccus e Græcis ante annos fere quadringentos, et Calecas contra popularium suorum errorem attulerunt; multo autem mirandum magis est, Cræcos ipsos tam luculenta auctoritate convictos mutire hactenus audere. Vide insignem alium locum ejusdem Gregorii Nysseni ex primo *contra Eunomium* editionis Gretseri.

III° Didymus. V. Tertius auctor est Didymus, cujus exstant de Spiritu sancto libri tres longe eruditissimi, Latine a sancto Hieronymo redditi. Horum in secundo Christi verba illa declarans, *Non enim loquetur a semetipso,* sic scribit: « Hoc est non sine me, et Patris arbitrio; quia inseparabilis a mea, et Patris est voluntate. Quia non ex se, sed ex Patre, et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, a Patre, et me illi est. » Deinde quid sit personam unam loqui alteri declarans, « Spiritus quoque sanctus, ait, qui est spiritus veritatis, spiritusque sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est procedens a veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo Spiritus veritatis procedens. » Ac nonnullis interpositis, ubi hæc ex *Evangelio* [2] Joannis verba protulit, *Ille me clarificabit*, *quia de meo accipiet;* « Rursum hic, inquit, accipere, ut divinæ naturæ conveniat, intelligendum. Quomodo ergo Filius dans, non privatur his, quæ tribuit, neque cum damno suo impertit aliis; sic et Spiritus non accipit, quod ante non habuit. Si enim, quod prius non habebat, accepit, translato in alium munere, vacuus largitor effectus est, cessans habere, quod tribuit. Quomodo igitur supra de naturis incorporalibus disputantes intelleximus, sic et nunc Spiritum sanctum a Filio accipere id, quod suæ naturæ fuerat, cognoscendum est; et non dantem, et accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem et Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur a Patre; neque alia substantia est Spiritus sancti, præter id, quod datur ei a Filio. » Hæc Didymus; quæ sane Latinorum dogma evidenter affirmant.

VI. Quartus erit Cyrillus, cujus bene multa loca sunt, quibus passim Græci utuntur catholici propugnatores dogmatis, Joannes Beccus, Bessario, Gennadius. Imprimis libro primo τῶν ἀντιῤῥητικῶν πρὸς Παλλάδιον, qui primus est e septemdecim, qui interrogatione, et responsione constant, colloquente Palladio, ac de lapsu, et conversione hominis inscribitur, sub initium probat, animam hominis non esse Spiritum sanctum, quod sit mutabilis: « Mutabilis autem nullo modo, inquit, Spiritus est, aut si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam hæc labes pertinebit; siquidem est Dei et Patris, et Filii ille, qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit Spiritus[b]. » Ergo Spiritus sanctus ab utroque οὐσιωδῶς *secundum substantiam* profunditur, hoc est, *procedit*. Non enim de temporali Spiritus sancti emissione, hoc IV° Cyrillus Alexandrinus.

a Greg. Nyss. Τὴν οὖν τοιαύτην διαφορὰν ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος λέγοντες, ὡς τὸ μὲν αἴτιον, τὸ δὲ ἐξ αἰτίου εἶναι πιστεύειν· οὐκετ' ἂν ἐν τῷ κοινῷ τῆς φύσεως τὸν τῶν ὑποστάσεων λόγον συντίκτειν (for. συντήκειν) αἰτιαθείημεν. Ἐπειδὴ τοίνυν τὰς μὲν ὑποστάσεις τῆς ἁγίας τριάδος ὁ τοῦ αἰτίου διακρίνει λόγος, τὸ μὲν ἀναιτίως εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου πρεσβεύων, ἡ δὲ θεία φύσις ἀπαράλλακτός τε, καὶ ἀδιαίρετος διὰ πάσης ἐννοίας καταλαμβάνεται· διὰ τοῦτο κυρίως μία θεότης, καὶ εἷς θεὸς, καὶ τὰ ἄλλα πάντα τῶν θεοπρεπῶν ὀνομάτων μοναδικῶς ἐξαγγέλλεται.

b Cyril. lib. I *de Adorat.* Τρεπτὸν δὲ οὔ τοί που τὸ πνεῦμα ἐστιν· ἢ εἴπερ τὸ τρέπεσθαι νοσεῖ, ἐπ' αὐτὴν ὁ μῶμος ἀναδραμεῖται τὴν θείαν φύσιν· εἴπερ ἐστὶ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, καὶ μὴν καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, εἴτουν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα.

1 Lib. III, cap. xiii. — 2 *Joan.* xvi.

est, donorum et charismatum largitione, Cyrillum interpretari poterunt Græci : primum quia non est οὐσιώδης ista Spiritus processio, neque οὐσιωδῶς profluit, cum in creaturas effunditur ; deinde quia Cyrilli argumentatio nulla prorsus est, nisi de ea processione loquatur, per quam ex ipsa Patris, ac Filii substantia Spiritus sancti substantia oritur, ut et ipsa similiter, atque illa, mutationis expers, hoc est ὁμοούσιος asseratur. Quippe si ad solam illam, quæ identidem fit in tempore, missionem communicationemque Spiritus sancti respicimus, magis erit, ut mutabilis, et a Patris et Filii substantia alienus existimetur, cum subinde in alios, atque alios effundatur, et ab iis plerumque recedat, in quos emissus venerat. Igitur ἐξ ἀμφοῖν, id est, *ex utroque* profluit.

Consubstantialis.

Rursus in *Commentariis ad Joelem* Cyrillus idem Spiritum sanctum ex Filio esse testatur : « Nam qua Deus, et ex Deo secundum naturam est, inquit, Filius (natus enim est ex Deo, et Patre) proprius ipsius est, et in ipso Spiritus, quemadmodum utique et in ipso intelligitur Deo, ac Patre[a]. » Item in libro *ad Theodosium imperatorem de recta fide*, qui inter acta Ephesinæ synodi exstat, Christum probat vere esse Deum, neque Spiritum sanctum tanquam alienum dare, sed velut proprium, qui ex ipso sit, et per ipsum[b].

VII. Sic in *Responsione ad Orientalium objecta ad anathematismum* IX, « Omnia, inquit, existens, quæcumque est Pater, excepto eo solo, quod Pater est, et proprium habens, qui ex ipso est, et substantialiter inest ei, Spiritum sanctum, divina miracula faciebat[c]. » Utrobique Spiritum sanctum ait esse ἐξ αὐτοῦ, id est, *a Filio ;* quod de temporaria profusione Spiritus sancti, ac missione falso Græci interpretari solent. Nam eodem jure loca omnia, quæ a Patre procedere Spiritum eumdem asserunt, de donorum illius largitione, non substantiali processione, licebit accipere. Imo et quæcumque Filium a Patre, vel ex Patre prodiisse declarant, referemus ad illius adventum in carne suscepta; sicque dogmatis utriusque catholici firmamenta, ac præsidia omnia detrahemus. Sed de hac tergiversatione Græcorum postea pluribus. Nunc quod est peculiare testimonii illius, quod ex libro *ad Theodosium imperatorem* sumptum est, animadverti volumus, non posse de temporali missione, ac donorum effusione intelligi, quod ibi dicitur, « ex ipso, et per ipsum esse Spiritum sanctum, » sed de sempiterna, et substantiali ejus productione necessario accipi. Nisi enim sic interpretemur, inepta erit ταὐτολογία, et ludicra prorsus argumentatio, imo nulla. Quippe id agit eo loco Cyrillus, ut Christum, etiam assumpta carne, unicum naturalemque esse Dei Filium probet inde, quod, quæ Dei propria sunt, habeat, ut Spiritum sanctum tribuat, non tanquam administer ac servus, alienum, sed utpote Deus, proprium sibi, *ut qui sit ex ipso, et per ipsum.* Hic si præpositio *ex* temporalem Spiritus sancti, ac donorum ejus communicationem significat, nihil efficit Cyrillus; quinetiam ridicule, quod controversum est, ad hujus ipsius probationem adducit. Nam temporalem illam, quæ fit in baptismo, Spiritus sancti missionem a Christo plena auctoritate, non servili conditione administrari ex eo concludet, quod ab ipso, et per ipsum temporali itidem missione procedit Spiritus. Quod frivolum est et insulsum. Itaque necesse est, ut substantialem productionem adhibeat, ex qua sola consequens fit, Christum, non tanquam alienum quiddam, largiri Spiritum sanctum ; sed velut proprium, utpote quod ex se, ac per se sit. Etenim ex eo, quod Spiritus sanctus a Christo naturaliter, et secundum substantiam oritur, ut ἐξ αὐτοῦ esse dicatur, sequitur hunc ab illo velut proprium, suopte jure, et auctoritate mitti ; non autem sequitur ex eo, quod temporali missione tribuitur.

Ex ipso.

VIII. Huic affinis est alter Cyrilli locus, ex XXXIV *Thesauri*, et eo capite, quod inscribitur, *Ex substantia Patris et Filii esse Spiritum sanctum.* Sic igitur Cyrillus : « Cum ergo Spiritus sanctus in nobis existens, conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre, et Filio, perspicuum est, divinæ ipsum esse substantiæ, substantialiter in ipsa, et ex ipsa

a Cyril. *in Joel.* cap. II. Ἧ μὲν γάρ ἐστι θεὸς, καὶ ἐκ θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱός, (γεγέννηται γὰρ ἐκ θεοῦ, καὶ πατρὸς) ἴδιον αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμά ἐστι, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ νοεῖται τοῦ θεοῦ καὶ πατρός.

b Idem, in conc. Eph. Οὐ τὸ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντα πνεῦμα δουλοπρεπῶς, καὶ ὑπουργικῶς· ἀλλ᾽ ὡς θεὸν κατὰ φύσιν μετ᾽ ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω τὸ ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ δι᾽ αὐτοῦ.

c Idem. Πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατὴρ, καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, εἰργάζετο τὰς θεοσημείας.

procedentem, quemadmodum utique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit[a]. » Non potest hæc processio Spiritus sancti alia fingi, quam substantialis, qua ex Patre, Filioque progredi dicitur, ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, cum hoc subinde interpretans dicat οὐσιωδῶς ἐξ αὐτῆς προϊὸν; ut sit idem procedere ex Patre et Filio, quod procedere ex substantia Patris et Filii. Proinde cum ex substantia utriusque οὐσιωδῶς, id est, *substantialiter* procedat; consequens erit ipsum ex Patre, et Filio substantialiter procedere. Sane hic Cyrilli locus eximius est, et ἀναντίῤῥητος; qui quidem a Joanne Becco ante annos fere quadringentos allatus est in capite primo *Testimoniorum contra Græcos*, et a Manuele Caleca, capite XXIII magni operis, quod adversus eosdem scripsit. Ubi et aliud citat testimonium Cyrilli non minus insigne, quod in eodem *Thesauri* libro reperitur. « Cum igitur legem fert Christus, inquit, Spiritus ipse, utpote qui in ipso, et ex ipso naturaliter existit, legem fert[b]. » Hæc ὕπαρξις, id est *existentia*, vel *productio*, ne fingi quidem alia potest, quam origo, vel processio Spiritus sancti; quod vocabulum φυσικῶς evincit. *Naturaliter* enim *existere* ab aliquo, est oriri ab eo, atque produci. Nec ad missionem, quæ in tempore fit, referri hoc potest, ut recentiorum Græcorum habet calumnia; quam alius ex eodem libro locus evidentius refellit: « Necesse est, ait, fateri Spiritum e substantia esse Filii. Nam ut ex ipso naturaliter existens et in creaturam ab ipso missus, renovationem efficit, complementum nempe sanctæ Trinitatis. Quod si ita est, Deus ergo et ex Deo est Spiritus, et non creatura[c]. » Hic et *naturaliter existere Spiritum a Filio* dicit, et hanc ipsam existentiam ab missione distinguit, ne Græcorum cavillatio locum habeat. Tum quod illis ex verbis concludendo subjicit, plane rem demonstrat. Probat enim Spiritum sanctum Deum esse, et ex Deo, quoniam existit ex Filio; nam nullam ibi mentionem Patris expressit. Talis ergo sit oportet existentia illa, et illa processio, ut per eam, ejusque vi id habeat, ut sit Deus, hoc est Dei naturam, et divinitatem accipiat ab eo communicatam, a quo existit. Prorsus igitur oritur a Filio Spiritus sanctus, et est invictum illud testimonium, quod eludere versutia nulla Græcorum potest.

Ex Patre et Filio. Substantialiter ex ipsa procedens.

IX. Ad hæc in dialogo septimo *de Trinitate*, Spiritum sanctum in eo distare ait a creaturis, quod hæ participatione sanctitatis alienæ sanctæ fiant; at Spiritus sanctus neutiquam adventitia sanctitate perfusus sit, sed *substantivam* ipsam, id est, οὐσιώδη sanctitatem accipiat a Christo; quod verbis illis significari putat, *De meo accipiet*[1]. Cum igitur ille, quocum loquentem se facit, objecisset: Quoniam Christus dixit, « Spiritum de suo accepturum, videri participem esse Filii. » Cyrillus ita respondet: « Minime vero: multum, opinor, abest. Qui enim ex ipso est, et in ipso, et ipsius proprius, quomodo unquam participabit ipsum, et perinde atque externa quadam habitudine sanctificabitur, alienusque secundum naturam futurus est ab eo, cujus etiam proprius esse dicitur[d]? »

Item in *Commentariis in Joannem* « similitudinem ait nulla re discrepantem esse Filii cum proprio suimetipsius Spiritu, qui ab ipso naturaliter profunditur[e]. » Ubi cum dicat, κατὰ φύσιν, *naturaliter profundi Spiritum a Filio*, nonnisi naturalis et οὐσιώδης processio significatur. Alioqui temporalis illa missio, donorumque largitio non minus a Spiritu sancto fit, quam a Filio et Patre.

Præterea libro *de Recta fide ad Reginas*, qui est inter acta Ephesini concilii, « Vivificatio, inquit, attribuenda est, et jure quidem meritissimo, non ipsi utique naturæ corporis, etsi

a Cyril. lib. XXXIV *Thes.* Ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ὅτε τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν γενόμενον συμμόρφους ἡμᾶς ἀποδεικνύει θεοῦ, πρόεισι δὲ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, πρόδηλον ὅτι τῆς θείας ἐστὶν οὐσίας, οὐσιωδῶς ἐν αὐτῇ, καὶ ἐξ αὐτῆς προϊὸν, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ τὸ ἐξ ἀνθρωπείου στόματος ἐκτρέχον ἐμφύσημα.

b Cyril. ibid. Νομοθετοῦντος τοιγαροῦν τοῦ χριστοῦ, ὡς ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς ὑπάρχον τὸ πνεῦμα, αὐτὸ νομοθετεῖ. Græci illi auctores legunt τὸ πνεῦμα αὐτοῦ.

c Ibid. Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα τῆς οὐσίας ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ. ὡς γὰρ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχον, καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν παρ' αὐτοῦ πεμπόμενον, τὸν ἀνακαινισμὸν ἐργάζεται, συμπλήρωμα τῆς ἁγίας ὑπάρχον τριάδος. εἰ δὲ τοῦτο, θεὸς ἄρα, καὶ ἐκ θεοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ οὐ ποίημα.

d Cyril. dial. VII *de Trin.* Μέτοχον οὖν ἄρα, φασὶ, τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ. B. Ἥκιστά γε, πολλοῦ γε, οἶμαι, καὶ δεῖ. τὸ γὰρ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ, πῶς ἂν αὐτοῦ μεταλάχοι πώποτε, καὶ ἐν ἴσῳ τοῖς θύραθεν σχετικῶς ἁγιάζοιτο, καὶ ἀλλότριον ἔσται κατὰ φύσιν, οὗ καὶ ἴδιον εἶναι λέγεται;

e Cyril. II *in Joan.* Ἀπαράλλακτον τὴν ὁμοιότητα τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸ ἴδιον αὐτοῦ, καὶ παρ' αὐτοῦ κατὰ φύσιν προχεόμενον πνεῦμα. Sic in epistola *ad Nestorium*.

1 *Joan.* XVI, 14.

id proprium Verbi fuerit, quod ex Deo natum est, sed supremæ potius virtuti, ac naturæ creatas res omnes superanti, tanquam ex persona Dei ac Patris, ex quo prodiit Filius, æqualis et similis ipsi per omnia; procedit autem per ambos et vivificans Spiritus [a]. » Jam ut processio Filii, de qua Cyrillus hic loquitur, prorsus naturalis intelligitur illius a Patre productio; sic et Spiritus sancti ex utroque processio, quam subjicit, naturalis debet videri.

X. Præterea in dialogo sexto *de Trinitate* : « Deinde quomodo in nobis Filius per Spiritum sanctum habitat ? quomodo autem, quod melius est secundum naturam, per seipsum deterioris participationem efficiet ? ac si divinæ reddimur naturæ participes, cum Spiritum recipimus, quomodo secundas habet a Filio Spiritus ? aut quomodo melior hic illo est, et non magis tanquam ipse, et ab ipso totam habens ipsius efficientiam, et ipsius participationem ingenerans [b] ? » Hic Spiritum sanctum ait παρ' αὐτοῦ, a Filio nimirum existere, ab eoque efficientiam ipsius habere ; quod nonnisi naturali productione fieri potest.

Sic in dialogo decimo *ad* eumdem *Hermiam* (ut quidem a Joanne Becco citatur ; non enim plures septem hac inscriptione vulgo sunt editi), Cyrillus ex Filio esse Spiritum his verbis asserit. « Itaque Dominus noster Jesus Christus de omni, opinor, fideli ac bono, *Veniemus*, inquit, *ego et Pater*, *et mansionem apud eum faciemus*. Et, *In hoc cognoscimus*, *quoniam in nobis est, e Spiritu*, *quem dedit nobis*. Etenim domestico, et in sese habitante, naturali, veroque Deo eatenus dicatur quispiam, quatenus Spiritum ipsius accipit, non ut alienum aliquid, et substantialiter separatum, sed ejusmodi, quod ex ipso, et in ipso, ac proprium est ipsius et æqualem cum ipso dominatum gerit [c]. » Ex his recta concluditur, quoniam non alia ratione Deum in se habere dicitur aliquis, quam quod ex ipso procedentem, et in ipso residentem Spiritum habet ipsius; Filius autem Dei itidem, ut Pater, mansionem facit in homine; ex ipso procedere Spiritum sanctum.

Quod in sequentibus declarat idem Cyrillus : « Misit, inquit, ad nos e cœlo Paracletum, per quem, et in quo nobiscum est, et in nobis habitat, non tanquam peregrinum in nos effundens, sed substantia tam ipsius, quam Patris sui proprium Spiritum [d]. » Igitur per Spiritum sanctum Christus in nobis habitat, atque adeo Spiritus ab ipso procedit, ut ex anterioribus verbis apparet. Neque vero, quod ἐξ αὐτοῦ, id est, a Filio, procedere dicit Spiritum sanctum, calumniari Græcus potest, ut de temporaria missione id accipiat. Huic enim contextus repugnat orationis ipsius, quæ non peregrinum, atque ab substantia Filii alienum esse Spiritum ex eo colligit, quoniam ab ipso procedit. Quare necesse est οὐσιώδης intelligatur ista processio, hoc est, ejusmodi, quæ substantiæ Filii conjunctum, et ὁμοούσιον illum constituat; quod temporalis missio non efficit.

Substantialis.

Consubstantialem.

XI. Sed pulcherrimum ejusdem Cyrilli, et invictum plane testimonium religio sit omittere, quod est in X *Comment. in Joannem*, et a Joanne Becco descriptum est. Ibi cum dixisset, Spiritum sanctum esse « Spiritum Christi, et mentem ipsius, » atque ideo « nosse omnia, quæ sunt in ipso ; » statim ista subjicit : « Itaque tanquam sciens ea, quæ in voluntate sunt Unigeniti, omnia nobis nuntiat, non eam habens ex disciplina notitiam, ne ministri partes obire videatur, et alterius deferre sermones, sed tanquam ipsius Spiritus, uti modo dicebamus ; et nullo docente sciens omnia, quæ sunt ejus, ex quo, et in quo est, divina

a Cyrill. Ἀναθετέον οὖν ἄρα τὴν ζωοποίησιν, καὶ μάλα εἰκότως, οὐκ αὐτῇ που πάντως τῇ τοῦ σώματος φύσει, κἂν εἰ γέγονεν ἴδιον τοῦ ἐκ θεοῦ φύντος λόγου· δυνάμει δὲ μᾶλλον τῆς ὑπερτάτης (τῇ ὑπερτάτῃ) καὶ φύσει τῇ ὑπὲρ τὴν κτίσιν, ὡς ἐν προσώπῳ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, ἐξ οὗ πέφηνεν ὁ υἱὸς, ἴσος τε, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα αὐτῷ. πρόεισι δὲ δι' ἀμφοῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν.

b Idem. Εἶτα πῶς ἡμῖν ὁ υἱὸς διὰ τοῦ πνεύματος αὐλίζεται; πῶς δὲ τὸ ἄμεινον κατὰ φύσιν τὴν τοῦ χείρονος ἐμποιήσει μέθεξιν δι' αὐτοῦ; καὶ εἰ θείας φύσεως ἀποτελούμεθα κοινωνοὶ τὸ πνεῦμα δεχόμενοι, πῶς ἐν δευτέροις τοῦ πνεύματος ὁ υἱός; ἢ πῶς ἄμεινον αὐτοῦ, καὶ οὐχὶ δὲ μᾶλλον ὡς αὐτός τε, καὶ παρ' αὐτοῦ ὅλην ἔχον αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, καὶ τὴν αὐτοῦ μέθεξιν ἐμποιοῦν;

c Idem, dial. VII. Καὶ γοῦν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς περὶ παντὸς, οἶμαι, πιστοῦ τε, καὶ ἀγαθοῦ· ἐλευσόμεθα, φησὶν, ἐγώ τε, καὶ ὁ πατὴρ, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. καὶ, ἔν γε τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν ἡμῖν ἐστιν ἐκ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔδωκεν ἡμῖν. ἔνοικον γὰρ καὶ ἐνηυλισμένον καταπλουτοίη τις ἂν τὸν φύσει τε, καὶ ἀληθῶς ὄντα θεὸν, οὐκ ἀλλότριόν τι, καὶ διεσπασμένον οὐσιωδῶς αὐτοῦ τὸ πνεῦμα λαβών· ἀλλὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ ἐκ αὐτῷ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ, καὶ τὴν ἴσην ὡς πρὸς αὐτὸν κυριότητα φοροῦν.

d Ibid. Ἔπεμψε δὲ ἡμῖν ἐξ οὐρανοῦ τὸν παράκλητον· δι' οὗ, καὶ ἐν ᾧ μεθ' ἡμῶν ἐστι, καὶ ἐν ἡμῖν αὐλίζεται, οὐκ ὀθνεῖον ἡμεῖν ἐγχέων, ἀλλὰ τὸ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, καὶ τῆς πατρὸς αὐτοῦ ἴδιον πνεῦμα.

sanctis mysteria patefacit, uti nimirum humana mens omnia, quæ sunt in homine, cognoscens, prolatitio verbo foras enuntiandi voluntates ipsius ministerium præstat animæ, cujus est mens, cum diversum quiddam ab illa notionibus esse videatur, ac nominetur, non sit tamen altera natura, sed velut pars totum complens, et in anima existens, et ut creditur, ex ipsa prodiens [a].»

Præclarus omnino locus; atque haud scio, an ullus possit esse disertior, aut ad Græcorum cavillationes eludendas opportunior. Quippe ad particulas ἐξ οὗ, et ἐν ᾧ substantivum addidit verbum, de quo in Epiphanii verbis a Latinis adductis calumniam struxerat Ephesinus Marcus in Florentina synodo. Proinde ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐστι, *existit e Filio Spiritus*. Id autem οὐσιωδῶς interpretandum esse tota illa disputatio convincit. Tum etiam quod ἐν ᾧ conjunxit cum ἐξ οὗ. At illud ἐν ᾧ substantialem in Filio Spiritus existentiam indicat. Ergo et ἐξ οὗ substantialem ab eodem processionem exprimet.

Georgius Pachymeres in septimo *Historiæ* ex Cyrillo verba illa citat, quæ sunt expressissima: « Spiritus ex utroque essentialiter est [b]. » Quibus simillima sunt nonnulla, quæ superius attulimus.

Philo Carpathius in *Commentario ad Canticum Canticorum*, « Os, inquit, Dei Patris est Filius. Propterea cum Deus et ipse sit æqualis natura Patri, Verbum appellatur, quoniam quæcumque vult Pater, per Filium loquitur, creat, conditque simul ac servat, una cum divino illo Spiritu, qui a Patre, Filioque procedit. »

Duorum locorum Gregorii Nysseni et Basilii accurata disputatio.

XII. Sic duo sunt alia Patrum testimonia a Græcis adducta catholicis, quæ in nostris libris desiderantur; quorum prius est Gregorii Nysseni ex homilia tertia *in Orationem Dominicam*: « Nam et Filius, inquit, exivit a Patre, ut ait Scriptura; et Spiritus ex Deo, et a Patre procedit. Sed quemadmodum sine principio esse, cum sit Patris solius, Filio, et Spiritui convenire non potest, sic e contrario a principio esse, quod est proprium Filii, et Spiritus, in Patre considerari natura non patitur. Jam cum Filio, et Spiritui sancto commune sit, ut non ingenito modo existant, ne qua in subjecto confusio spectetur, rursus incommunicabilem in eorum proprietatibus differentiam invenire possumus, ut et quod commune est servetur, et quod proprium est, non confundatur. Etenim unigenitus Filius ex Patre in Scriptura sacra dicitur, et hactenus ejus proprietatem illius doctrina definit. At Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse perhibetur. Si quis enim, ait, spiritum Christi non habet, hic non est ipsius. Igitur Spiritus, qui ex Deo est, etiam Dei spiritus est. At Filius, cum ex Deo sit, non jam Filius Spiritus aut est, aut dicitur; neque hæc relativa consecutio convertitur [c].» Hactenus Gregorius Nyssenus ex oratione, ut dixi, tertia *in Pater noster*, cujus initium est: « Cum magnus ille Moses ad eam sacrorum disciplinam, quæ in monte instituebatur, populum Israeliticum adduceret [d].» Qui locus etiam ab Hugone Etheriano [1] majori ex parte refertur ex oratione tertia. Verum in vulgata Nysseni editione Græco-Latina, secunda poni-

a Cyril. X *in Joan.* Ἐπειδὴ γάρ ἐστι πνεῦμα χριστοῦ, καὶ νοῦς αὐτοῦ, etc. Οἶδε πάντα τὰ ἐν αὐτῷ.

Mox : Οὐκοῦν ὡς εἰδὸς τὰ ἐν τῇ βουλήσει τοῦ μονογενοῦς, πάντα ἡμῖν ἀναγγέλλει, οὐκ ἐκ μαθήσεως ἔχον τὴν εἴδησιν, ἵνα μὴ φαίνηται διακόνου τάξιν ἀποπληροῦν, καὶ τοὺς ἑτέρου τυχὸν διαπορθμεῦον λόγους· ἀλλ' ὡς πνεῦμα αὐτοῦ, καθάπερ ἀρτίως εἰρήκαμεν, καὶ εἰδὸς ἀδιδάκτως πάντα τὰ ἐξ οὗ, καὶ ἐν ᾧ περ ἐστὶ, τὰ θεῖα τοῖς ἁγίοις ἀποκαλύπτει μυστήρια· καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς πάντα γινώσκων τὰ ἐν αὐτῷ, διακονεῖ πρὸς τὸ ἔξω, λόγῳ τυχὸν τῷ προφορικῷ, τὰ θελήματα τῆς ψυχῆς, ἧς ἐστι καὶ νοῦς, ἕτερον μέν τι παρ' αὐτὴν ταῖς ἐπινοίαις δρώμενός τε, καὶ ὀνομαζόμενος, ἕτερος δὲ κατὰ φύσιν οὐκ ὤν. ἀλλ' ὡς μόριον τοῦ παντὸς συμπληρωτικὸν, ἐν αὐτῇ τε ὑπάρχον, καὶ ἐξ αὐτῆς ἀναφύεσθαι πιστευόμενον.

b Cyril. Τὸ ἐξ ἀμφοῖν οὐσιωδῶς ὑπάρχειν.

c Gregor. Nyssen. Ὅ, τε γὰρ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἐξῆλθεν, καθὼς φησιν ἡ γραφὴ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. ἀλλ' ὥσπερ τὸ ἄνευ αἰτίας εἶναι, μόνου τοῦ πατρὸς ὂν, τῷ υἱῷ, καὶ τῷ πνεύματι ἐναρμοσθῆναι οὐ δύναται· οὕτω τὸ ἔμπαλιν τὸ ἐξ αἰτίας εἶναι, ὅπερ ἴδιόν ἐστι τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, τῷ πατρὶ ἐπιθεωρηθῆναι φύσιν οὐκ ἔχει. κοινοῦ δὲ ὄντος τῷ υἱῷ, καὶ τῷ πνεύματι τὸ μὴ ἀγεννήτως εἶναι, ὡς ἂν μή τις σύγχυσις περὶ τὸ ὑποκείμενον θεωρηθείη, πάλιν ἐστὶν ἄμικτον, τὴν ἐν τοῖς ἰδιώμασιν αὐτῶν διαφορὰν ἐξευρεῖν, ὡς ἂν καὶ τὸ κοινὸν φυλαχθείη, καὶ τὸ ἴδιον μὴ συγχυθείη. ὁ γὰρ μονογενὴς υἱὸς ἐξ τοῦ πατρὸς παρὰ τῆς ἁγίας γραφῆς ὀνομάζεται, καὶ μέχρι τούτου ὁ λογος ἵστησιν αὐτῷ τὸ ἰδίωμα· τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται. εἰ γάρ τις πνεῦμα χριστοῦ οὐκ ἔχει, φησὶν, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ. οὐκοῦν τὸ μὲν πνεῦμα ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ θεοῦ πνεῦμά ἐστιν· ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ θεοῦ ὢν, οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος οὔτε ἐστὶν, οὔτε λέγεται, οὐδὲ ἀντιστρέφει ἡ σχετικὴ ἀκολουθία αὕτη.

d Nyss. Ὅτε προσῆγεν ὁ μέγας Μοϋσῆς τῇ κατὰ τὸ ὄρος μυσταγωγίᾳ τὸν Ἰσραηλίτην λαόν.

1 Lib. II, cap. III.

tur illa oratio, cujus initium ex Joanne Becco deprompsi, non tertia. Sed neque in eadem secunda, neque in cæteris quatuor, (sunt autem quinque omnes numero) verba ista reperiuntur. In quibus expressissima illa sunt : « At sanctus Spiritus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse perhibetur; » quæ omisit Hugo. Manuel autem Calecas, capite XVII, particulam ejusdem loci refellens, hoc est, ὁ μονογενὴς, υἱὸς ἐκ τῆς ἁγίας γραφῆς ὀνομάζεται, usque ad ista, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται, tribuit orationi illi in *Pater noster*, cujus initium est, ὁ τὴν σκὰν τῶν μελλόντων περιέχων νόμος, quæ tertia est in editione Græco-Latina; neque tamen in ea verba ista leguntur. Ac similiter et ille particulam ἐκ germanam, non adscititiam esse contendit.

XIII. Nos in veteri codice Bibliothecæ regiæ, in quo Græca erant opuscula varia, et inter hæc Joannis Becci, et Bessarionis contra Græcorum dogma de processione sancti Spiritus libelli quidam, synodicam testificationem reperimus Constantinopoli factam, de sancti Gregorii Nysseni loco illo ab Ecclesiæ referendario dedita opera corrupto. Qui cum ab Græcorum hæresi ad Romanæ concordiam Ecclesiæ rediisset, fassus est se, cum illarum esset partium, Xiphilini Œconomi vetustissimum codicem nactum, in quo erant Gregorii Nysseni opera, particulam ἐκ scalpro abrasisse ex illo loco, quem ex homilia *in Orationem Dominicam* attulimus; ac cum inter se deliberarent Patres, quid facto opus esset, atque utrum deletam hanc voculam rescribi oporteret; placuisse nihil in scriptura mutandum, ne qua fraudis deinde suspicio posteris relinqueretur, sed hanc apud acta referendarii confessionem litteris prodendam. Hæc illi. Ego vero, cum illum Gregorii locum diligentius intueor, in eam opinionem adducor, alienam ab isto esse præpositionem ἐκ, scripsisseque Gregorium τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται. Ita enim consequens oratio postulat, cum e contrario Filium dicit sic ex Patre esse, ut non dicatur Spiritus : ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ θεοῦ ὢν, οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος οὔτε ἐστιν, οὔτε λέγεται. Non dicit ἐκ τοῦ πνεύματος, quod consentaneum erat si quidem ante scripsisset, Spiritum et esse ex Deo, et esse ex Filio. Scripsit ergo Spiritum et esse ex Deo, et esse Filii; ut ei respondeat ex adverso, Filium et esse ex Deo, et non esse Spiritus. Quanquam hæc sermonis formula, quæ *Spiritum Filii* nominat, idem valet atque, *ex Filio*, ut postea docebitur. Sed aliter scripto concepisse Gregorium arbitror, quam nostris videtur.

XIV. Locus alter est Basilii in tertio *contra Eunomium*, plurimum Græcorum, et Latinorum disputatione jactatus, præsertim in Florentina synodo. Nam hujus in codicibus varia lectio est. Et quoniam momenti maximi est ad propositam quæstionem, diligenter hic a nobis explicandus est.

Basilius itaque Eunomii, ut solet, verba primum describit initio tertii libri : « Cum vero hæc de Unigenito dicta sufficiant; consequens est, ut de paracleto deinceps agamus, non ut citra examinationem multorum sequamur opinionem, sed ut sanctorum in omnibus doctrinam teneamus, a quibus cum dignitate, et ordine tertium ipsum esse didicerimus, etiam natura tertium esse credidimus[a]. » Tum ad ea ita respondet : « Cum multorum opinionem contemnat, qua Spiritum sanctum glorificant, sanctorum se doctrinam tenere simulat, et qui eam sibi tradiderint, etiam nunc tacet; quemadmodum et in iis sermonibus, quos *de Unigenito* instituit, fecisse probatus est. Deinde dicit se ab sanctis quidem didicisse tertium illum ordine esse, ac dignitate ; per se vero credidisse etiam tertium esse natura. At quinam isti sancti sint, quibusve libris eam doctrinam mandaverint, non potest dicere. Fuitne unquam homo sic audax, qui de divinis dogmatibus novitates induceret? Quid enim necesse est, si dignitate, et ordine tertius est Spiritus, tertium ipsum esse natura? Nam dignitate secundum esse a Filio, (ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, et omnino ex illa causa pendeat) pietatis sermo fortasse tradit; verum tertiam usurpare naturam neque ab sacris Litteris edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi. Nam ut Filius ordine quidem est secundus a Patre, quoniam ab eo est, et dignitate, quoniam principium, et causa existendi ipsi Pater est, tum quod per ipsum accessus est, et introductio ad Deum, et Patrem; natura vero non est secundus, quia una est in utroque divinitas. Eodem modo Spiritus sanctus, etsi

a ΕΥΝ. Ἀρκούντων δὲ ἡμῖν τοσούτων περὶ τοῦ μονογενοῦς, ἀκόλουθον ἂν εἴη καὶ περὶ τοῦ παρακλήτου λοιπὸν εἰπεῖν, οὐ ταῖς ἀνεξετάστοις τῶν πολλῶν ἀκολυθοῦντας δόξαις, τὴν δὲ τῶν ἁγίων ἐν ἅπασι φυλάσσοντας διδασκαλίαν, παρ' ὧν τρίτον αὐτὸ ἀξιώματι, καὶ τάξει μαθόντες, τρίτον εἶναι καὶ τῇ φύσει πεπιστεύκαμεν.

posterior Filio est ordine, ac dignitate, ut hoc omnino concedatur a nobis, non tamen perinde id, tanquam alienæ naturæ sit, habebit[a]. »

XV. Hic Basilii locus magna, ut dixi, contentione partium agitatus est in Florentina synodo, quod mira in libris lectionis esset varietas. Quidam enim ea non habebant, quæ parenthesi clausimus, habebant ea, quæ asteriscis utrinque stipavimus; cujusmodi sunt typis excusi nostrates omnes, nisi quod desunt in iis voculæ tres post τὴν διδασκαλίαν πεποίηνται, nempe εἰπεῖν οὐκ ἔχει, quas ex Manuele Caleca supplevimus, deleta interrogatione [1], quam Parisiensis addit editio. Aliis in libris inerant ea, quæ parenthesi continentur; aberant, quæ inter asteriscos posita sunt. In actis Florentinæ synodi [2], cum hæc periocha ex tertio Basilii libro *contra Eunomium* a Joanne Latinorum patrono esset allata itidem, ut posteriores habent libri; Marcus Ephesius Græci dogmatis propugnator exceptione usus est, mendosos ac falsatos esse codices asserens, unde ea lectio a Joanne prompta erat, et ejusmodi quatuor, vel quinque esse Constantinopoli libros; sed alios ibidem exstare sinceros amplius mille, qui priorum lectionem exprimerent; quam et alteri præferendam aiebat ideo, quod cum oratione reliqua minime cohæreant illa, quæ parenthesis habet. Cum enim jactaret Eunomius, ab sanctis eam se doctrinam accepisse, quæ Spiritum sanctum dignitate, et ordine tertium faceret, ex ea vero colligere se diceret, etiam natura esse tertium; Basilius primum quærit, quinam illi sancti sint, a quibus priorem illam doctrinam se didicisse confirmat. Deinde quamvis vera hæc esse concedatur, non esse consequens ait, ut, si dignitate, et ordine posterior est, sit etiam natura posterior. Ad hunc modum explicata Basilii sententia, pugnabat Marcus, non videri consentaneum, ut ejus doctrinæ, quam a sanctis falso dici traditam asserebat, causam, et probationem adduceret, demonstraretque Spiritum sanctum ordine, ac dignitate esse tertium; quod parenthesis verba probant. Adde reliqua verba, quæ asteriscis inclusimus, quæ dubitationem significant, ἴσως, et ἵνα ὅλως καὶ συγχωρήσωμεν, tum his similia, quæ postea leguntur. « Etsi, inquit, Spiritus sanctus dignitate, et ordine posterior est, ut aiunt, ὡς λέγουσι [b]; » quasi id non ex animi sui sententia dicat, sed ex aliorum placitis; quod ipse per concessionem usurpet, ut ex abundanti Eunomii argumentationem obruat. Quare absurdum esse Marcus aiebat, ejus a Basilio probationem afferri, quod nonnisi καθ' ὑπόθεσιν injecerit.

Contra hæc Joannes pro Latinis respondet; primum codicem illum, quo usus est, antiquissimum esse, notæque perbonæ sic, ut omnem suspicionem falsationis excludat, ut qui ante sexcentos annos, quam Florentina synodus haberetur, et ante exortam de Spiritus sancti processione controversiam scriptus fuerit, et quidem in membranis, non in chartis. Addebat hunc Constantinopoli advexisse Nicolaum Cusanum cardinalem. Quod autem ad sententiam attinet, negabat dubitasse, aut pro incerto habuisse Basilium, an Spiritus sanctus posterior sit Filio dignitate, atque ordine, et a Patre tertius; neque id in Eunomii argumento reprehendisse, sed hoc solum, quod inde consequens putabat iste, etiam natura esse tertium. Plura ad eamdem disputationem ambo illi afferunt, quæ ex actis Florentinis peti possunt.

XVI. Mihi vero accuratius de Basilii loco

a Basil. Ἀτιμάζων γὰρ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, ἧ δοξάζουσι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, προσποιεῖται τὴν τῶν ἁγίων φυλάσσειν διδασκαλίαν, καὶ τοὺς ταύτην αὐτῷ παραδεδωκότας ἀποσιωπᾷ καὶ νῦν· ἅπερ κἂν τοῖς περὶ τοῦ μονογενοῦς λόγοις ποιῶν ἀπεδείχθη. εἶτα φησὶ, παρὰ μὲν τῶν ἁγίων μεμαθηκέναι τὸ τρίτον εἶναι τῇ τάξει, καὶ ἀξιώματι, παρ' ἑαυτοῦ δὲ πεπιστευκέναι καὶ τὸ τρίτον εἶναι τῇ φύσει. τίνες δὲ οἱ ἅγιοι, καὶ ἐν ποίοις λόγοις τὴν διδασκαλίαν πεποίηνται, εἰπεῖν οὐκ ἔχει. ἆρα γέγονεν οὕτω τολμηρὸς ἄνθρωπος, τὰς περὶ τῶν θείων δογμάτων καινοτομίας εἰσηγούμενος; τίς γὰρ ἀνάγκη εἰ τῷ ἀξιώματι, καὶ τῇ τάξει τρίτον ὑπάρχει τὸ πνεῦμα, τρίτον εἶναι αὐτὸ καὶ τῇ φύσει; Ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ, (παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον) παραδίδωσιν * ἴσως * ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος· φύσει δὲ τῇ τρίτῃ χρῆσθαι οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεδιδάγμεθα, οὔτε ἐκ τῶν προειρημένων κατὰ τὸ ἀκόλουθον δυνατὸν συλλογίσασθαι· ὡς γὰρ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς, ὅτι ἀπ' ἐκείνου· καὶ ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ πατὴρ, καὶ ὅτι δι' αὐτοῦ ἡ πρόσοδος, καὶ προσαγωγὴ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ πατέρα· φύσει δὲ οὐκέτι δεύτερος, διότι ἡ θεότης ἐν ἑκατέρῳ μία. οὕτω δηλονότι καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἰ καὶ ὑποβέβηκε τὸν υἱὸν τῇ τε τάξει, καὶ τὸ ἀξιώματι, * ἵν' ὅλως καὶ συγχωρήσωμεν, * οὐκέτ' ἂν εἰκότως ὡς ἀλλοτρίας ὑπάρχων φύσεως.

b Basil. Οὕτω δηλονότι καὶ τὸ πνεῦμα, εἰ καὶ ἀξιώματι, καὶ τάξει ὑποβέβηκεν, ὡς λέγουσι.

1 Libro M. S. cap. x. — 2 Sess. xx, 1.

illo cogitanti certissima res videtur, veriorem eam esse lectionem, quam Latini proferebant; quem autem Græci tuebantur, falsam, ac dedita opera corruptam fuisse; adeoque in nostris libris priorem restituendam, quam et codicum vetustissimorum auctoritas commendat, et non solum Hugo Etherianus agnoscit [1], sed etiam Græci ipsi catholici, Joannes Beccus [2], Gennadius [3], et Manuel Calecas in libro quem pro Latinis contra Græcos edidit, cujus e decimo capite quædam hic exscribam: « Quod si quis, inquit, additamentum hoc esse dicit (nimirum quod parenthesi conclusimus), calumniatur. Primum enim in antiquissimis libris ista lectio reprehenditur, quorum tanta est vetustas, ut eos ante schisma perscriptos esse quivis fateatur; quorum aliqui lituras etiam exhibent, cum quidam doctoris sententiam, tanquam spuriam, calumniati essent, ob idque ferro in scripturam grassati, ut contradicere possent. Sed et consequentia sermonis, et phrasis ipsa valde cohærens est, et doctoris proposito consentanea [a]. » Quare si quibus in libris interjecta illa non leguntur, fraude id esse factum apparet, ut idem paulo post asserit, eorum hominum, qui ad opinionem suam locum illum accommodare studuerunt, demptis quibusdam, et aliis insertis.

Cujus rei argumenta nobis ista suppetunt. Imprimis quod Basilius nunquam dubitavit, quin ordine, et dignitate secundus a Filio, et a Patre tertius sit Spiritus sanctus, perinde, ac Filius a Patre secundus est, ut postea demonstrabitur; et videri interim potest epistola illius trecentesima *ad Canonicas*, cujus in fine nefas esse dicit Spiritum sanctum ante Filium collocare, aut aliter, quam ordine tertium a a Patre; quod similiter et alii Patres docuerunt. Ideo supposititia sunt omnia illa vocabula, quibus in Basilii citatis verbis dubitationis de ea re aliquid exprimitur. Quod adeo ex illis ipsis verbis, etiam ut a Græcis interpolata sunt, manifeste convincitur. Etenim Spiritum sanctum eodem modo tertium esse a Patre, ut secundus est Filius, aut falsum putavit Basilius, aut de eo dubitavit, aut denique verum arbitratus est. Non id falsum judicasse ex eo saltem ostenditur, quod ἴσως, id est, « fortasse in pietatis doctrina contineri *, » dicat, ut Græci in suis codicibus legunt. Sed neque dubitavit; cum alio in loco, ut diximus, diserte hoc, asseveranterque tradiderit. Restat igitur, ut ita reipsa senserit, et, quod ex eo consequens est, a Filio procedere Spiritum sanctum. Non enim secunda, vel tertia persona ab alia dicitur, nisi ab ea procedat, uti post explicabitur. Sane ut observat Calecas, si Basilius non a Filio secundum, et a Patre tertium esse Spiritum existimasset, sed a solo Patre sine interventu Filii procedere; poterat adversus Eunomium firmius, validiusque contendere, tam secundum ordine a Patre esse Spiritum sanctum, quam Filium. Sic enim hæretico isti prorsus os præcluderet affirmanti se a sanctis didicisse, tertium ordine, et dignitate esse a Patre Spiritum, præsertim si neminem hoc sanctorum dixisse constabat.

XVII. Quamobrem vel ex hoc uno liquet, Basilii mentem hanc fuisse, Spiritum ordine, ac dignitate secundum esse post Filium, quemadmodum Filius Patre posterior est. Neque enim *dignitatis* vox absterrere quempiam

a Calecas. cap. x. Εἰ δὲ τοῦτο προσθήκην τις εἶναί φησιν, συκοφαντεῖ. πρῶτον μὲν ἐν τοῖς παλαιοτάτοις βιβλίοις οὕτως ἔχον εὑρίσκεται· ἃ διὰ τὴν ἀρχαιότητα, καὶ πρὸ τοῦ σχίσματος πᾶς τίς ἂν εἴποι γεγράφθαι· ὧν τινὰ καὶ ἀπεληλειμμένα ὁρᾶται, τινῶν τὴν τοῦ διδασκάλου ῥῆσιν ὡς νόθον διαβαλόντων, καὶ διὰ τοῦτο σιδήρῳ κατὰ τῶν γραμμάτων χρησαμένων πρὸς τὴν ἀντιλογίαν. ἀλλὰ καὶ ἡ συνέχεια καὶ τοῦ λόγου φράσις λίαν σύμφωνός ἐστι, καὶ συνᾴδουσα τῇ τοῦ διδασκάλου ἐπαγγελίᾳ.

* Doctissimo Petavio non adstipulantur editores Benedictini in sua operum S. Basilii editione; qui lectionem Græcorum simpliciter referunt absque additamento intra parenthesim incluso, in quo tota vis argumenti residet. Insuper de hoc additamento hæc annotant: « Latini proferebant codicem vetustissimum in quo sic legebatur: ἀξιώματι μὲν γὰρ δεύτερον του Υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν καὶ ὅλος τῆς αἰτίας ἐκείνης ἐξημμένον. *Dignitate namque secundum esse a Filio, cum habeat esse ab ipso, atque ab ipso accipiat et annuntiet nobis et omnino ab illa causa dependeat. (Sermo pietatis tradit)*. Græci vero hæc verba, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον et sequentia usque ad verbum ἐξημμένον, in suo libro vetussissimo quoque et optimo deesse affirmabant, hodieque in editis et in nostris septem manuscriptis desunt. Sequitur in Græco non procul ab initio sessionis XX παραδίδωσιν ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος. *Tradit pietatis sermo*. Sed hic Græci vocabulum ἴσως omissum esse aut potius sublatum esse conquerebantur. Consentit cum libro Latinorum noster Regius secundus, in quo vox ἴσως deest; consentiunt vero cum libro Græcorum tum editi, tum reliqui sex manuscripti, in quibus omnibus hæc vox ἴσως invenitur. » J. B. F.

1 Lib. III, cap. xiii. — 2 In cap. i. — 3 Lib. I.

debet, quasi divinitatis imminutio sit. Siquidem in Filio utrumque gradum Basilius admittit et τάξεως, et ἀξιώματος; et ambo sic interpretatur, ut *ordine secundus sit* a Patre, quoniam ab ipso oritur; *dignitate* vero, quoniam *principium, et causa essendi* sit ipsi. Quo sensu Christi verba illa plerique veterum accipiunt, *Pater major me est*, ut libro secundo declaravimus. Quare etsi nihil aliud expressisset Basilius, ac tametsi parenthesi clausa illa verba delerentur; sufficeret ad Latini dogmatis auctoritatem, quod Spiritum sanctum τάξει, et ἀξιώματι secundum numeraret a Filio, cum ex eo illius ab hoc origo monstretur. Nam quod Marcus Ephesius, Græcique cæteri pugnant, Basilium perspicue demonstrare, non se ei credere, quod Eunomius ex sanctorum testificatione dicebat, « tertium esse dignitate, et ordine Spiritum sanctum, » cum de eo percontetur, quinam illi sancti sint, a quibus hoc se accepisse confirmat, nec ullos esse significet, non multum hoc moramur. Primum enim saltem hoc verisimile putavit, cum, ut illorum codices habent, « fortasse pietatis hoc sermonem tradere » velit; quod de hæresi, falsoque dogmate nunquam diceret. Deinde verba ipsa Basilii diligentius attenderent, quæ sic explicanda sunt. Aiebat Eunomius se in disputatione sua de Spiritu sancto non vulgi placita sequi, sed sanctorum doctrinam, quæ affirmaret natura tertium esse Spiritum. Quamvis enim expresis, ac disertis verbis sancti illi minime istud asseveraverint, prudenter hoc tamen æstimandum reliquisse ex eo, quod ordine, dignitateque tertium illum posuerint. Basilius vero primum hoc incusat, quod, cum universe professus sit, se quod a sanctis traditum esset, vel proponere, nullum tamen certum auctorem nominet, qui tale commentum de tertio naturæ gradu constituerit; deinde argumentationem illam examinat; qua sancfis doctrinam istam tribuit, eamque futilem, et inanem esse contendit.

rdine gnitate.

Proinde quod Basilius objicit, « Quinam vero illi sancti sint, et quibus libris eam doctrinam mandaverint, non potest dicere, » non debet ad illud prius referri, quod ex Patribus attulit, « Ordine ac dignitate tertium esse Spiritum sanctum. » Alioqui minime cohærebit oratio, ut sequentia demonstrant. Statim enim concludendo sic exclamat : « Fuitne unquam homo sic audax, qui de divinis dogmatibus novitates induceret ? » Quæ explanatio cum eo connexa est, quod proxime præcedit, « neque quemquam sanctorum, qui hoc diceret, testem citatum, neque quo in libro, » quod audaciæ summæ ac temeritatis accusat. Quid illud tandem ? Nimirum quod subjicit ; « ex eo, quod ordine ac dignitate tertius sit, perinde et natura esse tertium. » Hoc, inquam, est temerarium illud, et nove dictum, ac præter sanctorum mentem, de quo, ubinam ab iis proditum esset, siluisse queritur Eunomium. Nam et particula causalis γὰρ in his verbis τίς γὰρ ἀνάγκη, causam continet, cur sit τολμηρὸς, qui talia dixerit, quæ subinde posuit, « tertium esse natura, si sit ordine, et dignitate tertius. » Quocirca verba ista, τίνες δὲ οἱ ἅγιοι, καὶ ἐν ποίοις λόγοις πὴν διδασκαλίαν ποποίηνται, εἰπεῖν οὐκ ἔχει, cum sequentibus, τίς γὰρ ἀνάγκη εἰ τῷ ἀξιώματι, καὶ τῇ τάξει τρίτον ὑπάρχει τὸ πνεῦμα, τρίτον εἶναι αὐτὸ καὶ τῇ φύσει, necessario copulanda sunt. Si enim divulsa essent, scripsit τίς δὲ, non τίς γὰρ. At hæc posteriora non expresse traditum illud a sanctis de tertio gradu ordinis, et dignitatis vellicant, sed quod ex eo concluditur, de naturæ gradu. Ergo neque priora alio quam ad eamdem conclusionem pertinent.

XVIII. Hæc loci hujus est sententia [1]. Manuel vero Calecas dupliciter respondet. Aut enim Basilium velle dicit, nondum de ordine illo liquido aliquid a sanctis proditum fuisse, quemadmodum postea factum est; cum ante Athanasii, et Basilii tempora nemo illud definite, aperteque scripserit; ut non doctrinam ipsam allatam e sanctis ab Eunomio falsitatis arguat, sed eam quamlibet veram, falso tamen sanctis iis imputari dicat. Aut certe, quod magis probat, non qualemcumque gradum ordinis, et dignitatis ex sanctorum placitas ostentabat Eunomius; sed eum, qui substantiarum differentias amplectitur, quod solum Basilius impugnat. Sed neutra Calecæ probanda ratio est, ut ex superioribus constat. Non prior, quia sancti illi, quos Eunomius citat, apostoli, et evangelistæ maxime videntur ; at isti tertium ordine, et ἀξιώματι, ut quidem hæc vox a catholicis usurpatur, esse Spiritum apertissime demonstrant. Non posterior, quia Basilii doctrinæ, et verbis quam maxime refragatur; qui sub ambiguo saltem concedit, ἀξιώματι tertium esse Spiritum sanctum; quod de substantiæ gradu, et dignitate nunquam concederet, imo execraretur, ac pro hæretico damnaret. Deinde frivola esset ejus

1 Cap. x.

argumentatio; non sequi, natura esse tertium ex eo, quod τάξει, et ἀξιώματι tertius putetur, si ordo et ἀξίωμα substantiæ discrimen habeat; nam illud recte, ac necessario sequeretur. Quod posterius miror non animadvertisse Calecam, ut ne hac in secunda responsione duarum malarum pejore potissimum acquiesceret.

XIX. His omnibus antiquorum Patrum testimoniis, quæ Spiritum ἐκ τοῦ υἱοῦ, *ex Filio* existere aperte docent, addenda sunt et alia, quæ a Becco, Caleca aliisque promuntur.

Auctor homiliæ *de Incarnatione Domini*, quæ Chrysostomo tribuitur a Photio, sed inter dubias a Savillio conjicitur, « Venit, inquit, ad nos Christus, dedit nobis Spiritum qui est ex ipso, et assumpsit nostrum corpus [a]. » Ita apud Beccum, et Calecam, et in Savilliana editione. Ac Photius expuncta præpositione ἐξ, legit τὸ αὐτοῦ πνεῦμα.

Anastasius Sinaita Antiochenus episcopus in primo *De rectis dogmatibus*, « At vero Dominus, inquit, ostendens ex semetipso Spiritum existere, insufflans discipulis, dixit: *Accipite Spiritum sanctum* [b]. »

Symeon Metaphrastes in *Martyrio sancti Dionysii*, sub initium: «Et in cœlos Christus meus attollitur, et ad paternum thronum revertitur, et procedentem a se Spiritum ad infideles deducendas gentes, in discipulos immittit [c]. »

CAPUT IV.

Græcorum Patrum alia testimonia, ex quibus Spiritus sancti processio ab utroque suadetur. Quod Filius fons hujus dicitur, et ab eo profluere Spiritus sanctus. Quod e substantia Filii procedere. Quod esse Filii, vel ejus proprius. Refelluntur Græculorum falsæ interpretationes vocis proprii. *Item quod consubstantialis vocatur Filio, quæ ratio fuse declaratur. An consubstantialia dicantur ea solum, quorum unum est ab alio; ut Basilius, et Cyrillus docent. Consubstantiale duobus modis dici. Hugo Etherianus, Calecas, Demetrius notati.*

I. Sequuntur auctoritates illæ Græcorum Patrum, quæ Spiritum sanctum a Filio procedere, hoc est existentiam habere, aliis loquendi modis, sed eamdem fere vim habentibus ostendunt. Tales eæ sunt imprimis, quæ Filium docent fontem esse Spiritus sancti, et hunc ab illo scaturire, profundi, profluere, prodire, ac cætera ejusdemmodi continent vocabula, quæ substantialem processionem significant.

Athanasius igitur in libro *de Humana natura suscepta*, e Scriptura locis allatis, in quibus Deus fonti, Spiritus sanctus aquæ comparatur, ut *Joannis* VII, 38: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et cap. IV, 13: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et *Psalmo* XXXV, 10: *Quoniam apud te est fons vitæ*: ex iis ita colligit: « Noverat enim David apud Patrem Filium esse fontem Spiritus sancti. Ac per Hieremiam Filius dicit [2]: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* [d], etc. » Filius dicitur fons Spiritus sancti.

Chrysostomus vero copiose hoc in homilia

a Phot. cod. CCLXXVII. Ἦλθεν ὁ χριστὸς πρὸς ἡμᾶς· ἔδωκεν ἡμῖν τὸ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα, καὶ ἀνέλαβεν τὸ ἡμέτερον σῶμα.

b Anastas. Καὶ μὴν ὁ κύριος δεικνὺς αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχειν, ἐμφυσῶν τοῖς μαθηταῖς ἔλεγε· λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

c Sym. Met. Καὶ εἰς οὐρανοὺς ὁ ἐμὸς χριστὸς ἀναφέρεται· καὶ πρὸς τὸν πατρικὸν ἐπάνεισι θρόνον· καὶ τὸ ἐκπορευόμενον αὐτοῦ πνεῦμα ἐπὶ τῇ τῶν ἀπίστων ἐθνῶν καταπέμπει τοῖς μαθηταῖς ὁδηγίᾳ.

d Athanas. Οἶδε γὰρ παρὰ τῷ θεῷ πατρὶ ὄντα τὸν υἱὸν πηγὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὡς καὶ διὰ Ἱερεμίου ὁ υἱὸς λέγει· δύο καὶ πονηρά ἐποίησεν ὁ λαός μου· ἐμὲ ἐγκατέλιπε πηγὴν ὕδατος ζῶντος, etc.

1 Tom, V hom CXXXIV. — 2 *Jer.* II, 13.

quadam explicat, ubi eadem illa fere de aqua testimonia proferens, « Ob id, inquit, Salvator ostendit seipsum fontem esse vitæ, et aquam vivam esse Spiritum sanctum [a]. » Mox eumdem Spiritum ait esse ex Deo, tanquam ex fonte, ut Hieremiæ verba illa demonstrant : Vides, inquit, fontem aquæ Deum, aquam autem vivam Spiritum sanctum; fons aquæ vivæ Pater est; flumen ex fonte procedens Filius; aqua fluminis Spiritus sanctus [b]. »

II. Cyrillus in *Commentariis in Joannem* eadem verba declarans [1], Christum esse fontem, Spiritum sanctum aquam, interpretatur. Et dialogo septimo, sub finem observat, quemadmodum Pater apud Hieremiam fontem se aquæ vivæ nominat [2], ita Christum *Joannis* VII itidem se appellare fontem : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*, etc. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Quæ Joannis in *Evangelio* verba interpretationem esse superiorum illorum Hieremiæ, Cyrillus asserit, et ad sancti Spiritus *naturam, et efficientiam* referri [c].

Solent et a Græcis orthodoxis citari acta Nicæni concilii in disputatione Leontii episcopi Cæsareæ Cappadociæ cum philosopho, qui locus apud Gelasium Cyzicenum actorum illorum scriptorem legitur. In quo similitudo ista fontis, fluminis, et aquæ latius edisseritur; atque inter alia Spiritum ait ἀναβλύζειν, id est, *scaturire* ex Filio; idque ex Joannis verbis probat : *Si quis sitit, veniat ad me*, et *Hoc autem dixit de Spiritu*, etc [d]. »

A Filio profluere Spiritus S. dicitur.

Procedere profluere.

Eodem pertinent et alia verba, quibus Spiritus sancti processio a Patre, Filioque declaratur, quæ aquæ de fonte manantis eruptionem indicant, ut προχεῖσθαι, προϊέναι, et cætera. Hæc enim non minus processioni Spiritus a Filio, quam a Patre, tribuuntur,

Ita Cyrillus in epistola *ad Nestorium* : « Quamvis enim Spiritus in subsistentia propria sit, quatenus Spiritus est, et non Filius; est tamen ab ipso non alienus. Profunditur autem ab ipso, non minus profecto, quam ex Deo, et Patre [e]. » Qui locus eo pluris est faciendus, quod ibidem de eo Cyrillus agit, quod οὐσιῶδες est Spiritui sancto. Nam consubstantialem esse Filio probat ex eo, quod ab ipso perinde, atque a Patre profluit. Ergo substantialis processio significatur, non externa illa charismatum largitio, quæ non minus ab ipsomet Spiritu, quam a Patre, Filioque proficiscitur, neque substantiam ipsius attingit. Vide et alia Cyrilli testimonia superiori allata capite, in quibus Spiritus sanctus προχεῖσθαι, et προϊέναι dicitur a Filio, sicut et a Patre. Velut in primo *Disputationum cum Palladio;* ubi ἐξ ἀμφοῖν προχεῖσθαι, *ex ambobus profluere* dicitur. Et in secundo *Commentariorum in Joannem*, προχεῖσθαι ἐξ υἱοῦ, In secundo vero *Thesaurorum*, προϊέναι ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, *procedere ex Patre et Filio*. Et *ad Reginas*, προϊέναι δι' ἀμφοῖν, *per ambos procedere*.

Substantiale.

III. Jam vero omnia ista vocabula quibus persona quæpiam πηγὴ, id est *fons* alterius esse dicitur, et hanc πηγάζειν, *scaturire facere;* vel hæc ab illa προχεῖσθαι, προϊέναι, ἀναβλύζειν *profundi*, *prodire*, aut *erumpere*, substantialem emanationem significant, ac processionem ejusmodi, qua persona subsistentiam accipit; quam ἐκπόρευσιν appellant Græci theologi. Idque ex antiquorum testimoniis ostenditur.

Fontis.

Athanasius in oratione secunda luculenter τῆς πηγῆς significationem ejusmodi commendat, dum Patrem Filii esse fontem asserit; indeque concludit Filium ex æterno exstitisse, hoc est ab illo fonte manasse; et Arianos contradicentes redarguit, quod fontem illum aliquando fuisse siccum velint. « Nonne igitur, inquit, impie loquitur, qui dicit : Erat aliquando, cum non esset Filius? Perinde est enim, ac si diceret : Erat aliquando fons ille siccus; erat sine vita et sapientia. At ejusmodi fons esse nequit. Quod enim e seipso non gignit, non est fons [f]. » Tum in libro *ad Serapionem de Spiritu sancto*, et in oratione *contra Sabellia-*

a Chrys. tom. V. Διὰ τοῦτο ὁ σωτὴρ δείκνυσιν ἑαυτὸν πηγὴν ζωῆς, καὶ ὕδωρ ζῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

b Idem. Ὁρᾷς πηγὴν ὕδατος τὸν θεὸν, ζῶν δὲ ὕδωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πηγὴ ὕδατος ζῶντος ὁ πατήρ· ποταμὸς ἐκ τῆς πηγῆς προερχόμενος, ὁ υἱός· ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

c Cyrillus. Ὃ δὴ διατρανῶν εὖ μάλα, καὶ καθιστῶν ἐναργές ὁ θεσπέσιος, καὶ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης εἰς τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος φύσιν τε, καὶ ἐνέργειαν ἀποφέρει, λέγων· τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν.

1 Lib. V et seq. — 2 Cap. v.

d Gelasius lib. II, cap. xxii. Ὅτι δὲ ἐξ αὐτοῦ ἡμῖν ἀναβλύζον ἐστὶ, σαφέστατα ἐν Εὐαγγελίοις ἐδίδαξεν αὐτὸς ὁ Κύριος· εἰπών· ἐάν τις διψᾷ ἐρχέσθω πρός με, etc.

e Cyril. Εἰ γὰρ καί ἐστιν ἐν ὑποστάσει τὸ πνεῦμα ἰδικῇ, καθὸ πνεῦμά ἐστι, καὶ οὐχ υἱὸς, ἀλλ' οὖν ἐστι οὐκ ἀλλότριον αὐτοῦ. προχεῖται δὲ παρ' αὐτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρός.

f Athan. orat. ii. Πῶς τοίνυν οὐκ ἀσεβεῖ ὁ λέγων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός; ἴσον γάρ ἐστιν εἰπεῖν· ἦν ποτε ἡ πηγὴ ξηρὰ· ἦν χωρὶς τῆς ζωῆς, καὶ τῆς σοφίας.

nos, Patrem vocat « radicem et fontem Filii, et Spiritus sancti [a]. » Basilius item in homilia adversus eosdem, Deum ait esse ῥίζαν καὶ πηγὴν id est *radicem et fontem* Spiritus sancti. Ut et Cyrillus in paschali epistola XI. Et libro primo *in Joannem* « Filium in Patre, tanquam in fonte inesse dicit. Nam in istis vocabulum fontis tantummodo id ex quo significat [b]. » Et capite V Patrem vocat « fontem artificis Verbi [c]. » Item in libro primo *contra Nestorium*, matrem appellat « fontem carnis Filii sui [d], » hoc est causam: nec non dialogo primo.

Maximus quoque martyr centuria prima *Capitum Theologicorum*, capite IV Patrem esse dicit « genitorem Filii, Spiritus vero sancti fontem [e]. »

Sic Lactantius libro secundo, capite VIII. « Quod ortum est, habuit fontem, unde oriretur. »

Basilius itidem in quinto *contra Eunomium*: « Spiritus, ait, sanctus nihil in seipso habens adventitium, sed ex æterno habens omnia, tanquam Spiritus Dei, et ex ipso progressus, principium hunc habens, tanquam sui fontem, indeque scaturiens. Sed et ipse quoque fons est bonorum illorum, quæ recensuimus. Verum ille, qui ex Deo scaturit, subsistens est; hæc vero dona, quæ ex ipso manant, illius sunt efficientiæ [f]. » Quo ex loco perspicuum est notionem huic voci πηγῆς subjectam, principium, id est τὸ αἴτιον, causamque continere. Siquidem Deum fontem esse Spiritus sancti declarat eo ipso, quod sit ejus αἴτιον, hoc est *principium*. Tum ipsummet Spiritum sanctum πηγὴν esse dicit, donorum et charismatum, quorum utique causa est, et efficiens principium.

Chrysostomus item in homilia quadam *de Spiritu sancto*, quæ sic incipit, χθὲς ἡμῖν, ὦ φιλόχριστοι, vim et proprietatem earum vocum accurate sic explicat: « Quæ est vis vocabuli processionis? Ut generationis nomen Scriptura prætermittat, ne Filium appellet ipsum, Spiritum sanctum nominat, qui a Patre procedit. Inducit ipsum procedentem, velut aquam a fonte manantem, secundum illud, quod de Paradiso [1] dictum est: *Fluvius autem egreditur ex Edem; egreditur, et scaturit.* Pater fons aquæ vivæ dicitur secundum prophetam Jeremiam [2] dicentem, etc. Qui a Patre procedit. Quid procedit? Spiritus sanctus. Quomodo? Sic tanquam aqua de fonte. Unde hoc? Quia Spiritus sanctus aqua vocatur. Ait Salvator: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ipsius fluent aquæ vivæ.* Et hanc aquam interpretans Evangelista, subjicit: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum* [g]. Si igitur Joannes evangelista declarans Spiritum sanctum, dixit aquam vivam; Pater vero dicit, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ;* fons est Spiritus Pater. Ob id etiam ex Patre procedit. » Ad hæc Chrysostomi verba tam diserta, et luculenta nihil est opus addere, ut hanc fontis, emanationisque de fonte, et aliorum ejusmodi similitudinem principium substantiale esse monstremus, a quo persona

ἡ δὲ τοιαύτη οὐκ ἂν εἴη πηγή. τὸ γὰρ μὴ ἐξ αὐτοῦ γεννῶν, οὐκ ἔστι πηγή.

a Athan. orat. *contra Sabell.* Ἀλλ' ἔστι μὲν ὁ πατὴρ, τέλειον ἔχων τὸ εἶναι, καὶ ἀνελλιπὲς, ῥίζα, καὶ πηγὴ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος.

b Cyril. I *in Joan.* Ἀδικήσει δὲ ὅλως οὐδὲν τὸ ὡς ἐν πηγῇ τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὑπάρχειν ἐννοεῖν. μόνον γὰρ τὸ ἐξ οὗ τὸ τῆς πηγῆς ἐν τούτοις ὄνομα σημαίνει.

c Idem. Πηγὴ τοῦ δημιουργοῦντος λόγου.

d Idem, lib. I *contra Nestor.* cap. IV. Ἀλλ' ἡ τεκοῦσα γυνὴ καί τοι μόνης οὖσα πηγὴ τῆς σαρκὸς, etc.

e Maxim. Εἷς θεὸς, ἑνὸς υἱοῦ γεννήτωρ πατὴρ, καὶ πνεύματος ἑνὸς ἁγίου πηγή.

f Basil. cap. ult. lib. V *contra Eunom.* Οὐδὲν ἔχον ἐν ἑαυτῷ ἐπίκτητον· ἀλλ' ἀϊδίως πάντα ἔχων ὡς πνεῦμα θεοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ πεφηνός, αἴτιον αὐτὸν ἔχον ὡς πηγὴν ἑαυτοῦ, κἀκεῖθεν πηγάζον. πηγὴ δὲ καὶ αὐτὸ τῶν προειρημένων ἀγαθῶν. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἐκ θεοῦ πηγάζον, ἀνυπόστατόν ἐστι· τὰ δὲ ἐξ αὐτοῦ πηγάζοντα, ἐνέργειαι αὐτοῦ εἰσι.

g Chrys. Τίς δὲ ἡ δύναμις τοῦ ἐκπορεύεται; ἵνα τὸ τῆς γεννήσεως ὄνομα παρέλθῃ ἡ γραφή· ἵνα μὴ υἱὸν αὐτὸν καλέσῃ, λέγει πνεῦμα ἅγιον, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. εἰσάγει αὐτὸ ἐκπορευόμενον ὡς ὕδωρ ἀπὸ πηγῆς βρύον, κατὰ τὸ εἰρημένον περὶ τοῦ παραδείσου· ποταμὸς δὲ ἐκπορεύεται ἐξ Ἐδέμ. ἐκπορεύεται, καὶ πηγάζει. ὁ πατὴρ πηγὴ ὕδατος ζῶντος λέγεται κατὰ τὸν προφήτην Ἰερεμίαν τὸν λέγοντα, etc. Ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, τί ἐκπορεύεται; τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. πῶς; ὡς ἀπὸ πηγῆς ὕδωρ. πόθεν τοῦτο; ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὕδωρ καλεῖται. λέγει ὁ σωτὴρ· ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. καὶ ἑρμηνεύων ὁ Εὐαγγελιστὴς τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἐπάγει· τοῦτο δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. εἰ τοίνυν ὁ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης σαφηνίζων τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἶπε τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν, ὁ δὲ πατὴρ λέγει, ἐμὲ ἐγκατέλιπον πηγὴν ὕδατος ζῶντος, πηγὴ τοῦ πνεύματος ὁ πατὴρ, διὰ τοῦτο καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.

1 *Gen.* II. — 2 Cap. I.

profluens habet ut existat, in seque subsistat.

Sic auctor dialogi primi Macedoniani cum orthodoxo, qui inter Athanasii opera editus est, Spiritum sanctum ait esse « natura sanctum, natura bonum, natura incorruptum, natura immortalem, tanquam Spiritum Dei, et ex ipso scaturientem, hoc est, procedentem [a]. » Igitur πηγάζειν idem est, quod ἐκπορεύεσθαι, hoc vero substantialem processionem significat.

Tum in altero dialogo, qui est *de Trinitate* secundus contra Anomœum, egregie ad mentem nostram sic loquitur : « Spiritum sanctum ingenitum dicimus, quia effectorem non habet : non tamen principio carentem. Habet enim principium Deum, non ut effectorem ; sed ut sui ipsius fontem. Nam uti fons, quam emittit aquam, eam non extrinsecus efficit, sed a seipso scaturire faciens habet ; sic etiam Deus fons est Spiritus sancti ; ut dictum est, et præbitor ipsius, non ipsum extrinsecus assumens, sed ex seipso manere faciens [b]. » Quamobrem cum Filius πηγὴ, id est *fons* dicatur Spiritus sancti, et hic ex illo πηγάζειν, et ἀναϐλύζειν, nihil aliud significari potest, quam οὐσιώδης a Filio processio, cujusmodi a Patre esse cognoscitur.

Substantialis.

V. Secundo persuadent hoc ipsum loca illa veterum, quæ Spiritum sanctum asserunt ἐκ τῆς οὐσίας, *ex substantia* esse Filii, vel Patris simul, ac Filii. Etenim locutionis istius vis hæc est, ut substantivam personæ unius ex altera processionem, et originem significet ; ex persona, inquam, alterius, et hypostasi, ne Græculorum tergiversatio locum hic habeat, qui aliud esse volunt ἐκ τῆ ͻοὐσίας esse, aliud ἐκ τῆς ὑποστάσεως.

Ex substantia esse Filii.

Quod quidem iis ex Patrum testimoniis efficitur, quæ Filii generationem, et οὐσιώδη productionem a Patre non aliter declarant, quam ut ex Dei, vel Patris substantia exstitisse dicant. De qua re luculenta est Nicænorum Patrum auctoritas ; qui in symbolo suo scripserunt : « Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris [c]. » Quam ἐπεξήγησιν contra subdolam Eusebii Nicomediensis, et sodalium ejus calumniam dedita opera Patres adjecisse narrat Athanasius [1]; quod expressius, quam si simpliciter ex Deo esse dicatur [d], Filii cum Patre germanitatem significet. Citatur ejusdem Athanasii locus ab Joanne Becco ex epistola [2], quæ hoc initium habet : « Recte fecisti, quod mihi commotam a te quæstionem exposuisti, » ubi inter alia ita scripsit : « Non extrinsecus quæpiam est inventa Filii substantia, neque ex non exstantibus introducta ; sed ex Patris substantia ortum habuit, velut a luce splendor, aut ut vapor ex aqua [e]. »

Substantialem.

Sic in dialogo disputationis cum Ario apud Nicæam habitæ apud Athanasium eumdem, Davidis illa verba, *Ex utero ante luciferum genui te*, dicuntur « significare nativitatem Filii ex paterna substantia [f]. » Et subinde : « Nulla igitur alia de causa ventrem nominat, quam ut demonstret, Filium ipsum ex Patris genitum esse substantia [g]. » Item : « Cum igitur Scriptura dicit : Ex utero genitum esse Filium, germanitatem Filii ex divina hypostasi significat [h]. » Hæc ex dialogo illo Beccus attulit, qui liber falso Athanasio inscribitur. Idem porro Beccus epistolam synodi Hierosolymitanæ *ad Ecclesiam Alexandrinam* lau-

a Athan. tom. II. Φύσει ἅγιον, φύσει ἀγαθὸν, φύσει ἄφθαρτον, φύσει ἀθάνατον, ὡς πνεῦμα θεοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ πηγάζον, ἤτοι ἐκπορευόμενον.

b Idem. Καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ λέγομεν ἀγέννητον. οὐ γὰρ ἔχει γενεσιουργὸν, ἀλλ' οὐκ ἀναίτιον. ἔχει γὰρ αἴτιον τὸν θεὸν, οὐχ ὡς γενεσιουργὸν, ἀλλ' ὡς πηγὴν ἑαυτοῦ. καθάπερ γὰρ ἡ πηγὴ οὐ γενησιουργεῖ ἔξωθεν ὃ χορηγεῖ ὕδωρ, ἀλλ' ἐξ ἑαυτῆς πηγάζουσα ἔχει. οὕτω καὶ ὁ θεὸς πηγὴ τοῦ Πνεύματός ἐστιν, ὡς εἴρηται, καὶ χορηγὸς αὐτοῦ, οὐκ ἔξοθεν αὐτὸ προσλαμϐάνων, ἀλλ' ἐξ ἑαυτοῦ πηγάζων.

c Nic. Symb. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός.

d Athan. *de Syn.* Ἐκ μὲν γὰρ τούτου τὸ γνήσιον ἀληθῶς υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα γνωρίζεται.

e Idem in oratione, cujus initium est : Καλῶς ἐποίησας δηλώσας μοι τὴν γενομένην παρὰ σοῦ ζήτησιν. Οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη· ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἔφυ, ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα, καὶ ὡς ὕδατος ἀτμίς.

f Tom. I Athan. Οὐκοῦν ὁ θεὸς λέγων πρὸς τὸν ἴδιον υἱὸν διὰ τοῦ Προφήτου· ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε, σημαίνει τὴν ἐκ τῆς πατρικῆς οὐσίας γέννησιν τοῦ υἱοῦ.

g Mox : Δι' οὐδὲν οὖν ἕτερον γαστέρα ὀνομάζει, ἢ ἵνα παραστήσῃ αὐτὸν υἱὸν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας γεγεννῆσθαι.

h Mox : Ὅταν οὖν φάσκει ἡ γραφή· ἐκ γαστρὸς γεγεννῆσθαι τὸν υἱὸν, τὴν ἐκ τῆς θεϊκῆς ὑποστάσεως γνησιότητα τοῦ υἱοῦ σημαίνει.

1 Lib. *de Decret. Nic. synodi.* et lib. *de Synodis.* — 2 Cap. xi.

dat; quæ sic incipit: « Omnibus nobis ex diversis provinciis in unum congregatis; » ubi ista legi dicit: « Qui enim Arianam hæresim damnarunt, agnoscunt non creaturam esse Verbum, sed fetum ex substantia prodeuntem; et substantiam Patris principium, et radicem, et fontem esse Filii [a]. » Qui locus etiam a Demetrio [1] citatur in libro *de Processione Spiritus sancti*.

VI. Verum synodus ista Hierosolymitana ab Arianis celebrata est anno Christi CCCXXXV in Ecclesiæ dedicatione, quam sub Martyrii nomine Constantinus extruxerat; neque synodica illius, quam Athanasius [2] descripsit, tale quidquam habet, ac dogmaticum nihil omnino continet; sed tantummodo Arium, et qui cum eo ab catholica communione ejecti fuerant, imperatoris jussu restitutos in integrum esse testatur, eorum approbata fide. Tantum abest, ut ea in epistola sua posuerint, quæ a Becco commemorantur. Sed nihil istis auctoritatibus opus est. Nam satis aliunde constat, cum persona aliqua ἐκ τῆς οὐσίας, *ex substantia* procedere personæ alterius dicitur, nihil esse aliud, quam ab ea secundum substantiam existere, ac produci. Quod cum cæteri passim Græci Patres significant, tum Damascenus; qui « Solum ait Filium esse genitum; quippe qui e substantia Patris sine ullo principio, ac tempore sit genitus. Solum item Spiritum e substantia Patris, non genitum, sed procedentem [b]. » Sic etiam Cyrillus Alexandrinus libro XXXI *Thesauri* Spiritum sanctum « ex Patris ait esse substantia, vel essentia [c]. » Et in libro secundo *contra Nestorium*, « Verbum, inquit, cum sit natura Deus et ex ipso, id est, e substantia ipsius, factum est caro [d]. » Igitur *ex Deo*, et *ex Dei substantia* prodire, unam et eamdem habent notionem. Quod et libro IX *in Joannem* Cyrillus idem docet: « Quomodo, inquit, non est ex Deo Spiritus, id est ex ipsius substantia [e]? » Citantur et ab Emmanuele Calcca, capit. XXVII, Cyrilli varia loca, ex quodam capite de æternitate Filii. Ut cum ait « ipsum tanquam ab fonte aliquo, ex Paterna scaturire substantia [f]. » Item: « Hic enim ex Patris substantia prodiens, Patrem eum statim, qui se genuit, ostendit [g]. » Tum: « Totum esse Filii ex Patris substantia prodit [h]. » Item: « Quæ enim passio circa solem fieri videtur, cum lumen parit? Quænam in igne divisio accidit, cum ex seipso illuminationem suam emittit? Quod si istæ res et circa divisionem generant, et quæ ex sese prodeunt, citra passionem emittunt; nonne multo magis illarum conditor naturæ suæ splendorem emittit [i]? » Vide Bessarionem, libro *de Processione Spiritus sancti*.

VII. In his, et similibus Patrum testimoniis nihil aliud est, ex substantia, vel usia Patris gigni, aut prodire Filium, vel Spiritum sanctum, quam ex ejus hypostasi, ac persona, ut vel Græculi ipsi fatebuntur. Atqui eodem modo veteres iidem asserunt, ex substantia Filii procedere Spiritum sanctum. Cyrillus enim Joannis verba illa declarans, *Non enim loquetur a semetipso*, hoc inter alia scribit: « Non enim alienus ab Unigeniti substantia Spiritus sanctus intelligitur; procedit vero naturaliter ex ipsa, cum nihil præter illum aliud sit, quod ad naturæ identitatem attinet, quamvis in propria forte subsistentia intelligatur existens [k]. » Tum postea. « Propterea addidit: *Quæ ventura sunt, nuntiabit vobis*, tantum non ita dicens: Id signum erit vobis

a Synodica epist. Hier. Conc. quæ sic incipit: Πᾶσι μὲν ἡμῖν τοῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνελθοῦσιν ἐξ ἐπαρχιῶν διαφόρων, etc. Οἱ γὰρ Ἀρειανικὴν αἵρεσιν ἀναθεματίσαντες, γινώσκοντές εἰσι μὴ κτίσμα, ἀλλ' ἐκ τῆς οὐσίας γέννημα εἶναι τὸν λόγον, καὶ τὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν, καὶ ῥίζαν, καὶ πηγὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ.

b Damasc. Μόνος ὁ υἱὸς γεννητὸς, ἐκ γὰρ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ἀνάρχως, καὶ ἀχρόνως γεγέννηται. καὶ μόνον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς οὐ γεννώμενον, ἀλλ' ἐκπορευόμενον.

c Cyr. Διὰ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ πατρός.

d Id. lib. II *contra Nestor.* Ὅτι Θεὸς ὢν φύσει, καὶ ἐξ αὐτοῦ τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, γέγονε σὰρξ ὁ λόγος.

e Lib. IX *in Joan.* Πῶς οὐκ ἐκ Θεοῦ τὸ πνεῦμα, τοῦτ' ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ;

f Idem. Ἦν ἄρα τῷ πατρὶ συναΐδιος ὁ υἱὸς, ὥσπερ ἀπό τινος πηγῆς τῆς πατρῴας ἀναβλύζων οὐσίας.

g Item. Ὁ μὲν γὰρ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς προελθὼν πατέρα εὐθὺς ἔδειξε τὸν γεννήσαντα.

h Item. Σύμπαν τὸ εἶναι τοῦ υἱοῦ ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας πρόεισι.

i Tum. Ποῖον γὰρ πάθος περὶ τὸν ἥλιον ὁρᾶται γινόμενον. ὅτε τίκτει τὸ φῶς; ποῖος συμβαίνει περὶ τὸ πῦρ μερισμὸς, ὅταν ἐκπέμπει τὸν ἐξ ἑαυτοῦ φωτισμόν; εἰ δὲ ταῦτα γεννᾷ μὲν ἀμερίστως, ἐκπέμπει δὲ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀπαθῶς· οὐ πολλῷ μᾶλλον ὁ τούτων ποιητὴς τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐκπέμπει τὸ ἀπαύγασμα.

k Cyr. X *in Joan.* Οὐ γὰρ ἀλλότριον τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα, πρόεισι δὲ φυσικῶς ἐξ αὐτῆς, οὐδὲν ἕτερον παρ' αὐτὸν ὑπάρχον ὅσον εἰς ταυτότητα φύσεως, εἰ καὶ νοοῖτο τυχὸν ἰδιοσυστάτως.

1 Cap. VI. — 2 Lib. *de Synodis.*

omnino ex mea substantia Spiritum sanctum, ac velut mentem esse meam, quod ventura dicet vobis, quemadmodum et ego [a]. »

Rursus ex *Thesauris* citantur hæc a Joanne Becco : « Tanquam enim e substantia existens illius, qui sanctis eum præbet ; nimirum Filii [b]. » Item, « Necesse est deinceps fateri, ex substantia ipsum existere Filii, ac Dei, cum omnem ejus vim, et efficientiam habeat. » Ac rursus, « Necesse est Spiritum confiteri ex substantia esse Filii [c]. » Et, igitur [1] « ex substantia Filii Spiritus est [d]. » Item in eodem libro *Thesauri* XXXI ex eo, quod Paulus Spiritum Christi nominat, ita concludit : « Hinc habes, ex Salvatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab unius deitatis essentia [e]. »

Alii ex amborum, Patris scilicet, ac Filii, substantia dicunt existere Spiritum sanctum, ut Epiphanius [2] superiori a nobis capite citatus, necnon Cyrillus in secundo *Thesaurorum*, capite illo, cujus inscriptio est : *Ex substantia Patris, et Filii esse Spiritum sanctum.* Quocirca fatendum est, ex utriusque tum οὐσίᾳ, tum persona et hypostasi prodire, et existere Spiritum sanctum ; idque οὐσιωδῶς, ut Cyrillus expresse loquitur in plerisque locis, quos antecedens caput ostendit.

[S]ubstantialiter.

Proprius Filii esse dicitur.

VIII. Tertio ex iis Patrum sententiis, quæ Spiritum sanctum proprium esse Filii, vel substantiæ Filii declarant, substantialis illius ab hoc processio colligitur. Etenim idcirco Filium a Patre produci, vel existere nonnulli ex illis asserunt, quoniam proprius est Patris, vel substantiæ paternæ. Sic Athanasius ab Joanne Becco citatus in oratione prima *contra Arianos*, cujus initium est, Αἱ μεν αἱρέσεις, etc., quæ tamen secunda in vulgatis inscribitur, sic ait : « Quoniam enim Verbum proprium est natura substantiæ Dei, ex ipso est, et in ipso [f]. » Tum in eadem oratione passim ἴδιον τῆς οὐσίας, id est, *proprium substantiæ Patris* esse Verbum, aut Filium, pro eodem usurpat, atque a Patre esse productum. « Filius, inquit, verus natura germanus est Patris, proprius ejus substantiæ, Sapientia unigenita [g]. » Idque opponitur ei, quod est ἔξωθεν, *extrinsecus* produci : « Non igitur Verbum creatura est, sed solus Patris proprius [h]. » Item : « Non peregrinus, sed Patris substantiæ proprius est [i] ; » atque ejusmodi complura ibidem loca sunt, quæ hoc efficiunt, propriam esse substantiæ alicujus personæ personam alteram, idem esse, atque ab ea procedere. At vero Spiritus sanctus proprius Filii, vel substantiæ Filii non raro ab illis vocatur. Athanasius certe in epistola *ad Serapionem* insigniter hoc docet : « Ergo, inquit, non ex creatarum rerum genere est Spiritus sanctus ; ac demonstratum est, magis proprium ipsum esse Filii, neque alienum a Deo [k]. » Idem : « Quod si Filius, quoniam ex Deo est, proprius est substantiæ ipsius ; necesse est et Spiritum, qui ex Deo dicitur, proprium esse Filii secundum substantiam [l]. » Cyrillus Alexandrinus libro nono *Commentariorum in Joannem* ad illa Evangelistæ verba : *Et ego rogabo Patrem*, etc. « Nonne, inquit, dicendum est, imo omnino credendum, quia una cum Patre naturalibus deitatis bonis substantialiter Filius communicet, eodem modo Spiritum habere, quo Pater habere intelligitur, non adventitium, neque deforis ? Stultum enim, atque furiosum est ita sentire. Sed quemadmodum unusquisque nostrum proprium in seipso Spiritum continet, et ab intimis visceribus ad exteriora profundit. Propterea corporaliter Christus

a Cyrill. X *in Joan.* Διὰ γάρ τοι τοῦτο προστέθεικεν, ὅτι καὶ τὰ ἐρχόμενα ἐναγγελεῖ ὑμῖν· μονουχὶ λέγων, ὅτι σημεῖον τοῦτο ἔσται ὑμῖν, ὅτι δὴ πάντως ἐκ τῆς ἐμῆς οὐσίας τὸ πνεῦμά ἐστι, καὶ οἷον ἐμός ἐστι νοῦς, τὸ ἐρεῖν αὐτὸν τὰ ἐρχόμενα, καθάπερ ἐγώ.

b Idem in XXXI *Thes.* Ὡς γὰρ ἐκ τῆς οὐσίας ὑπάρχον τοῦ χορηγοῦντος αὐτὸν τοῖς ἁγίοις τοῦ Χριστοῦ δηλαδή.

Item : Ἀνάγκη λοιπὸν ἐκ τῆς οὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν αὐτὸ τῆς τοῦ υἱοῦ, καὶ θεοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τήν τε δύναμιν, καὶ τὴν ἐνέργειαν ἔχον.

c Idem. Ἀνάγκη τὸ πνεῦμα ἐκ τῆς οὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν τοῦ υἱοῦ.

d Idem. Οὐκοῦν ἐκ της οὐσίας τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα.

e Ibid. Δέχου μοι πάλιν ἐντεῦθεν ὀρθὰς περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὰς ἐννοίας, ἵνα δὴ καὶ ἐκμάθῃς ἀπὸ τῆς τοῦ σωτῆρος ὑπάρχον οὐσίας, καὶ τῆς μιᾶς θεότητος οὐκ ἀλλότριον.

f Athan. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ λόγος ἐστὶν ἴδιος φύσει τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ, ἐξ αὐτοῦ τέ ἐστι, καὶ ἐν αὐτῷ.

g Athan. orat. II. Υἱὸς ἀληθινὸς φύσει γνήσιός ἐστι τοῦ πατρὸς, ἴδιος τῆς οὐσίας αὐτοῦ, σοφία μονογενής.

h Ibid. Οὐκ ἄρα κτίσμα ἐστὶν ὁ λόγος, ἀλλὰ μόνος ἴδιος τοῦ πατρὸς.

i Ibid. Οὐ ξένος, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἐστίν ἴδιος.

k Athan. *ad Serap.* Ἄρα οὖν, οὐ οἷων κτισμάτων ἐστὶ τὸ πνεῦμα· καὶ δέδεικται μᾶλλον ἴδιον εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ οὐ ξένον τοῦ θεοῦ.

l Ibid. Εἰ δὲ ὁ υἱὸς, ἐπειδὴ ἐκ θεοῦ ἐστιν, ἴδιος τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἐστιν, ἀνάγκη καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ θεοῦ λεγόμενον, ἴδιον εἶναι κατ' οὐσίαν τοῦ υἱοῦ.

1 Cap. IV. — 2 *Ancor.* num. 7.

sufflavit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus Spiritus procedit, sic ex divina substantia congruenter divinitati Spiritus, qui ab ea est, profunditur [a]. »

IX. Hic tametsi Cyrillus mentionem inserat profusionis illius, qua dona Spiritus sancti extrinsecus a Deo communicantur, pertinet hoc tamen ad intimam, et substantialem processionem Spiritus ejusdem, qua *ex divina Filii substantia profunditur*, uti flatus noster ex visceribus nostris emittitur ; præsertim cum externa illa Spiritus sancti missio ab æterna, et substantiali processione minime discrepet, quod ad personam ipsam attinet, quæ mittitur, uti postea dicetur. Ad hæc Spiritus sancti dona nequaquam ex divina substantia profunduntur ; unde necesse est οὐσιώδη esse manationem illam, de qua Cyrillus loquitur, ut ex ea Spiritum demonstret non adventitium esse Filio, sed ex ejus interiore substantia proficisci. Atque hoc præclare Cyrillus idem in decimo *Commentariorum in Joannem* adstruit. « Nam cum Spiritum veritatis, inquit, id est suum (ipse enim veritas est) paracletum appellaverit, ex Patre ipsum procedere ait. Nam sicut Filii Spiritus est naturaliter in ipso manens, et per ipsum procedens, sic certe Patris quoque Spiritus est [b]. » Et mox : « Credere namque debemus, quoniam Spiritus sic proprius Filii est, sicut sane ipsius quoque Dei Patris. » Tum in eodem libro, verba hæc interpretans : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* : « Vide, inquit, ut vigilanti voce usus est ; vide, quam prudenter loquitur. Cum enim ante dixisset, venturum ad ipsos Paracletum, Spiritum veritatis ipsum nominavit, hoc est suimetipsius. Est enim ipse veritas. Ut autem scirent discipuli, non alienum, ac peregrinum ipsius adventum, sed seipsum alio modo daturum promittere ; Spiritum veritatis, id est, sui ipsius, Paracletum nominat. Non enim alienus ab Unigeniti substantia Spiritus sanctus intelligitur. Sed ex ipsa naturaliter procedit, nihil ab ipso diversum existens, quantum ad naturæ identitatem attinet, etsi per se consistens fortassis intelligitur [c]. » Longum esset omnia percensere loca, in quibus Cyrillus substantiæ Filii proprium dicit esse Spiritum sanctum vel Filii proprium. Ut in nono *Anathematismo;* ubi « proprium ipsius esse Spiritum » ait. Et ad eumdem *Anathematismum* Theodoreto respondens, « perinde esse Filii Spiritum ait, atque ipsius Patris [d]; » idque in libro etiam *ad Reginas* docet. Tum in libro *contra Nestorium* quarto plus semel. Quinetiam sæpius Filii proprium esse dicens Spiritum sanctum, addit explicandi gratia, ex ipso esse, ut antecedenti capite demonstravimus ; quod recte Manuel Calecas [1] observavit. Adjungamus illustrem sancti Maximi locum, quem Beccus adducit ex tractatu *de Candelabro Zachariæ prophetæ*, in quo ista scribit : « Nam Spiritus sanctus, quemadmodum natura Dei est, ac Patris secundum substantiam ; sic est Filii secundum substantiam, tanquam qui ex Patre substantialiter per Filium genitum inexplicabili modo procedat [e]. » Quocirca fatendum est, Spiritum sanctum, qui et ex Filii substantia procedere et substantiæ Filii proprius esse dicitur, aut etiam Filii Spiritus, originem a Filio ducere ;

Substantiale.

a Cyr. IX *in Joan.* Τῶν γὰρ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς φυσικῶν ἀγαθῶν οὐσιωδῶς ὑπάρχων ὁ υἱὸς κοινωνὸς, ἔχει τὸ πνεῦμα κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, καθ' ὅνπερ ἂν νοοῖτο καὶ ὁ πατὴρ, οὐκ ἐπακτὸν, οὐδὲ ἔξωθεν· εὔηθες γὰρ, μᾶλλον δὲ μανικὸν τὸ οὕτω φρονεῖν· ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἡμῶν ἕκαστος τὸ ἴδιον ἐν ἑαυτῷ πνεῦμα συνέχει, καὶ ἐκ τῶν ἐνδοτάτων σπλάγχνων εἰς τὸ ἔξω προχέει. διὰ γάρ τοι τοῦτο καὶ σωματικῶς αὐτὸ ἐνεφύσησεν ὁ Χριστὸς, δεικνὺς ὅτι καθάπερ ἐκ στόματος τοῦ ἀνθρωπείου πρόεισι τὸ πνεῦμα σωματικῶς, οὕτω καὶ ἐκ τῆς θείας οὐσίας θεοπρεπῶς προχεῖται τὸ ἐξ αὐτῆς.

b Cyril. X *in Joan.* Ἰδοὺ γὰρ ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τουτέστιν ἑαυτοῦ τὸν παράκλητον εἰπὼν, παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸν ἐκπορεύεσθαι φησίν. ὥσπερ γάρ ἐστιν ἴδιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φυσικῶς ἐν αὐτῷ τε ὑπάρχον, καὶ δι' αὐτοῦ προϊόν· οὕτω καὶ τοῦ πατρός.

Ibid. Πιστεύειν δὲ μᾶλλον ἀκόλουθον, ὡς ἐπεί περ ἴδιόν ἐστιν αὐτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, ἀποστέλλει τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς πρὸς ἁγιασμόν.

c Ibid. Βλέπε ὡς ἐγρήγορεν ἡ φωνή· ὅρα τοῦ λόγου τὴν νῆψιν. προειρηκὼς γὰρ ἥξειν ἐπ' αὐτοὺς τὸν παράκλητον, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὠνόμασεν αὐτὸν, τουτέστιν ἑαυτοῦ. αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ἀλήθεια. ἵνα δὲ εἰδεῖεν οἱ μαθηταὶ, ὡς οὐκ ἀλλοτρίαν, καὶ ξένην αὐτοῦ ἐπιφοίτησιν, ἀλλ' ἑαυτὸν ἑτέρως ἐπιδώσειν ἐπαγγέλλεται, πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τουτέστιν ἑαυτοῦ τὸν παράκλητον ἀποκαλεῖ. οὐ γὰρ ἀλλότριον τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας τὸ ἅγιον νοεῖται πνεῦμα. πρόεισι δὲ φυσικῶς ἐξ αὐτῆς, οὐδὲν ἕτερον παρ' αὐτὸν ὑπάρχον ὅσον εἰς ταὐτότητα φύσεως· εἰ καὶ νοεῖται τυχὸν ἰδιοσυστάτως.

d Cyril. Ἦν γὰρ, καί ἐστιν αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καθάπερ ἀμέλει καὶ τοῦ πατρός.

e Maxim. Τὸ γὰρ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὥσπερ φύσει κατ' οὐσίαν ὑπάρχει τοῦ θεοῦ, καὶ πατρός· οὕτω καὶ τοῦ υἱοῦ κατ' οὐσίαν ἐστὶν, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς οὐσιωδῶς δι' υἱοῦ γεννηθέντος ἀφράστως ἐκπορευόμενον.

1 Cap. xxi.

quemadmodum ex eo, quod Filius proprius Patris, ejusque substantiæ dicitur, ex eodem oriri ab Athanasio colligitur, ut paulo ante didicimus.

Falsæ interpretationes vocis proprii.

X. Hunc locum erudite pertractarunt Manuel Calecas in libro *contra Græcos*, cap. XXII et Demetrius Cydones in libro *de Processione Spiritus sancti*, capite X. Qui hoc probant, non posse ista dici, Spiritum sanctum esse *Filii Spiritum*, vel *proprium Filii*, nisi principii, et ejus, quod oritur a principio, inter ambos intercedat ratio. Primum, quia ἀναφορικῶς, id est, *secundum relationem* usurpantur ista; at relatio nulla est in divinis, nisi ex origine petita. Deinde « cum unum alterius dici, vel hoc hujus proprium (ait Calecas, et iisdem fere verbis Demetrius) in divinis, rejecta materia, et iis, quæ materiam consequuntur, neque tanquam membrum, neque ut possessio, neque ratione alicujus excellentiæ, vel alterius cujuspiam affinitatis queat, sed ratione sola principii, et ejus, quod est a principio, in quo uno alterum ab altero discerni comprehendimus; perspicuum est, cum dicimus, Spiritum sanctum proprium esse Filii, id sola illa principii ratione dictum intelligi posse[a]. » Non enim idcirco ita loquimur, quod sint invicem ὁμοούσιοι, id est *ejusdem substantiæ*; quia si vera hæc esset ratio, non minus Filius dici posset esse Spiritus sancti, vel ejus proprius, quam hic illius. At est inauditum, Filium esse proprium Spiritus sancti. Prorsus igitur alterum ideo dicitur, quod a Filio procedat Spiritus, non a Spiritu Filius. Hæc illi; quibus et Bessario [1] in libro *de Processione sancti Spiritus* accedit: et ante hos omnes Anselmus in libro *de Processione Spiritus sancti* idipsum erudite pertractavit capite XIII. Sed neque ob id proprius Filii Spiritus sanctus dicitur, quod ab illo donatur, ac mittitur; primum quod istud ipsum, donari, ac mitti, originis indicium est ejus, quod mittitur, a mittente, ut sequens liber ostendet. Deinde ita Calecas disputat: « Donari Spiritum sanctum, res est, quæ fit in tempore; at proprium esse Filii, Spiritum sanctum, sempiternum est quippiam. Non potest autem, quod in tempore fit, causa illius esse, quod est æternum. Nam si homini, quod ei proprium est, inest semper, quandiu vivit; multo magis hoc in divino Verbo accidet[b]. » Hoc posterius argumentum Calecæ non satis concludit. Nam et donum appellatur Spiritus sancti ex habitudine quadam ad res creatas, quibus tribuitur; et est nihilominus personalis in eo doni notio. Siquidem non tam id spectatur, quod reipsa, et *actu* communicatur, quam quod ejusmodi est ex vi processionis suæ, ut sit communicabile, vel donabile. De quo libro sequente pluribus. Possent igitur eodem modo respondere Græci, ideo proprium dici Filii Spiritum sanctum, non contra hujus illum, quoniam dari potest a Filio. Sed cur non et a Spiritu Filius, ut ejus merito proprius appelletur, hujus vero probabilem afferre causam nequeunt, nisi ad originem, ac principium referant.

Consubstantialis Filio dicitur

XI. Quarto ex eo veteres aliqui processionem a Filio sancti Spiritus affirmant, quod ὁμοούσιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, id est, *consubstantialis Filio Spiritus* sit. Nam ὁμοούσια duo appellari debere negant, nisi inter quæ ratio est ejusmodi, quæ est causæ vel principii ad id, quod ex principio oritur; quod Græce vocant αἴτιον καὶ αἰτιατόν. Unde fratres inter se ὁμοουσίους dici non putant, quia neuter ex altero propagatur. Ita Basilius in epistola trecentesima *ad Canonicas*, ubi de Nicæni concilii decreto agens, quod Patri Filium ὁμοούσιον esse statuit, de eadem voce sic loquitur: « Non enim quæ fraternam cognationem habent invicem, consubstantialia inter se dicuntur, ut quidam existimant; sed tunc, cum principium, et quod est a principio, ejusdem naturæ sunt, consubstantialia nominantur[c]. » Sic etiam Cyrillus Alexandrinus in dialogo primo *de Trinitate;* qui ex eo consequi dicit Filium a Patre procedere, quod ei sit ὁμοούσιος. « Nam si consubstantialis, inquit, est Patri Filius, ex

Causam et causatum.

Consubstantialem.

a Calec. Ἐπεὶ γὰρ ἐν τοῖς θείοις τόγε τοῦδε· τῆς ὕλης καὶ τῶν αὐτῇ παρεπομένων ἀπεληλαμένων· οὔθ' ὡς μέλος, οὔθ' ὧς κτῆμα, οὐδὲ κατά τινα ὑπεροχὴν, καὶ τοιάυτην ἄλλην οἰκειότητα λέγεται, κατὰ δὲ μόνον αἴτιον, καὶ αἰτιατὸν, ἐν ᾧ μόνον τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου διακρίνεσθαι καταλαμβάνομεν· φανερὸν ὅτι καὶ τὸ λέγεσθαι ἴδιον εἶναι τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα κατὰ τοῦτον μόνον τὸν τῆς αἰαίας λόγον δύναται καταλαμβάνεσθαι.

b Calec. ibid. Ἀλλὰ τὸ μὲν χορηγεῖσθαι, ἔγγρονον· τὸ δὲ ἴδιον εἶναι αὐτοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, αἰώνιον. οὐκ ἂν δὲ τὸ ἔγχρονον αἰτία τοῦ ὑπὲρ χρόνον εἴη. εἰ γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ τὸ ἴδιον αὐτοῦ ἀεὶ σύνεστιν αὐτῷ ἐφ' ὅσον ζῇ, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ τοῦτ' ἔσται.

c Basil. epist. ccc. Οὐ γὰρ τὰ ἀδελφὰ ὁμοούσια ἀλλήλοις λέγεται· ὅπερ τινὲς ὑπειλήφασιν· ἀλλ' ὅταν καὶ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον τῆς αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται.

1 In *Opuscul.. aureis.*

ipso, et in ipso secundum naturam, ac substantialiter exístit [a].» Quamobrem cum Spiritus sanctus consubstantialis Filio dicatur a Patribus, sequitur inter eos rationem, et habitudinem intercedere τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ, ut Græci theologi loquuntur, ac proinde Spiritum sanctum a Filio, velut principio, proficisci. Ex iis autem, qui Spiritum sanctum ὁμοούσιον esse Filio diserte asserunt, unus omnium instar potest esse Cyrillus, cujus hæc verba sunt ad illa *Joannis* XVI: *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis :* « Verum, quoniam consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ipsius in omnibus perfectissimam habens efficientiam, et virtutem; ideo dicit : *De meo accipiet* [b].» Et in libro IV *contra Nestorium*, cap. tertio, « Consubstantialis est (inquit de Spiritu sancto loquens) Deo et Patri, necnon et Filio ipsi; ac Deus esse, et ex Deo creditur [c]. » Sic etiam Cyrillus alter Hierosolymitanus catechesi XVII Spiritum eumdem ὁμοούσιον Patri et Filio esse scribit. Et vero, cum ἐκ τῆς οὐσίας, *e substantia* Filii procedere Spiritum sanctum plerisque in locis Cyrillus idem scripserit, ut supra demonstravi, necessario sequitur ὁμοούσιον esse Filio. Siquidem hac ipsa ratione Filium Patri ὁμοούσιον esse Cyrillus ipsemet, et alii veteres probant, quod ab ipso ducat originem. Etenim Cyrillus ad illa *Joannis* VI: *Descendi de cœlo, non ut faceam voluntatem meam*, etc., hæc adnotat : « Quod enim ex Patre genitus sit Filius, coget nos omnino vel invitos consubstantiale ipsi tribuere [d]. » Ac nihil usu veterum contritum magis est, quam ideo ὁμοούσιον Patri Filium esse, quod ex ejus substantia prodierit; de quo libro secundo [1] late disputavimus. Nunc unicum sancti Basilii locum afferemus ex homilia contra Sabellianos, et Arium, atque Eunomianos : « Cum vero, inquit, unam substantiam dixero, cave duo intelligas ex uno partita, sed ex Patre, ut principio, subsistentem Filium. Non Patrem, et Filium ex una superposita natura. Non enim fratres illos dicimus, sed Patrem et Filium profitemur. Substantiæ porro identitas ideo inest, quoniam ex Patre Filius non jussione factus est, sed natura genitus [e].» Quo in loco Basilius significat τὸ ὁμοούσιον, id est, naturæ identitatem ex eo derivari, quod Filius a Patre sit productus; ac nisi principii, et ejus, quod ortum habet a principio, ratio intercederet, fratres ambos illos fore. Quocirca cum Filius, ac Spiritus sanctus fratres non sint invicem, necesse est alterum alterius esse principium.

Causæ et causati.

Consubstantialem.

Consubstantiale dupliciter usurpatum.

XII. Verum ista Basilii, et Cyrilli argumentatio non incuriose prætereunda est, quæ hoc habet : ea sola dici ὁμοούσια, quorum unum originem capit ab altero. Hoc enim falsum videtur. Nam homines, etiam alienissimi, qua homines sunt, et eadem natura, sive substantia constant, ὁμοούσιοι dicuntur. Quamobrem adjuvanda hæc illorum ratio est adjuncto illo, quod ex Caleca [2], Bessarione [3], ac Demetrio [4] Cydone colligitur. Docent enim illi, ὁμοούσιον dupliciter usurpari : primum communiter de iis, quæ utcumque eamdem habent substantiam, etsi unum ab alio propagatum non fuerit; ut Petrus et Paulus. « Sed hoc consubstantialis genus, ait Calecas, non proprie consubstantiale vocatur. Sed id solum, quod alterum cum altero ita copulat, tanquam per ipsum, aut ex ipso naturaliter existens, ac substantive [f]. » Altero ergo modo, et proprie τὸ ὁμοούσιον de iis accipitur, quæ originis habitudine junguntur. Quod solum genus τῆς ὁμοουσιότητος in Deum convenit. Etenim prius illud ea, quæ sunt ὁμοούσια, fraternitatis necessitudine conjungit invicem, ut Basilius docet; quemadmodum homines plures fratres inter se nominantur. At in Deo nulla esse potest ejusmodi cognatio; quæ profecto tum erit,

Consubstantialitatis.

a Cyril. dial. I. Ὁμοούσιος γὰρ εἴπερ ἐστὶν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν, καὶ οὐσιωδῶς ἐστιν.

b Cyril. lib. II. Ἐπειδὴ δὲ ὁμοούσιόν τε ἐστὶ τῷ υἱῷ, καὶ πρόεισι θεοπρεπῶς ἐξ αὐτοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἐφ' ἅπασι τελεωτάτην ἔχον ἐνέργειάν τε καὶ δύναμιν. διὰ τοῦτό φησιν· ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται.

c Cyril. *contra Nestor.* Ὁμοούσιον γάρ ἐστι τῷ θεῷ καὶ πατρί· καὶ μὴν καὶ αὐτῷ τῷ υἱῷ· καὶ θεὸς εἶναι, καὶ ἐκ θεοῦ πιστεύεται.

d Cyril. IV *in Joan.* Τὸ γὰρ ἐκ πατρὸς γεγεννῆσθαι τὸν υἱὸν, ἀναγκάζει δὴ πάντως καὶ οὐχ ἑκόντας ἡμᾶς ἀποδοῦναι, τὸ ὁμοούσιον αὐτῷ.

e Basil. Ὅταν δὲ εἴπω μίαν οὐσίαν, μὴ δύο ἐξ ἑνὸς μερισθέντα νόει. ἀλλ' ἐξ τῆς ἀρχῆς τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν ὑποστάντα. οὐ πατέρα καὶ υἱὸν ἐκ μίας οὐσίας ὑπερκειμένης. οὐ γὰρ ἀδελφὰ λέγομεν· ἀλλὰ πατέρα καὶ υἱὸν ὁμολογοῦμεν. τὸ δὲ τῆς οὐσίας ταυτὸν, ἐπειδὴ ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς οὐ προστάγματι ποιηθεὶς, ἀλλὰ ἐκ τῆς φύσεως γεννηθείς.

f Calec. Καὶ δὴ καὶ ἡ τοιαύτη ὁμοουσιότης οὐδὲ κυρίως ὁμοουσιότης ἐστι· ἀλλ' ἡ συνάπτουσα τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ, ὡς δι' αὐτοῦ, ἢ ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχον φυσικῶς τε, καὶ οὐσιωδῶς.

1 Cap. X. — 2 Cap. XXII. — 3 In *Lib. dogm.* qui est in sess. XXV Flor. conc. cap. VI. — 4 Lib. *de Proces. Spirit. sanc.*

eodem auctore Basilio, si *consubstantiales* personæ sine mutuo respectu originis habeantur, hoc est, nisi una procedat ab altera. Itaque Filius, et Spiritus sanctus, ex Græcorum recentiorum opinione, fratres invicem erunt, si Basilio credimus. Jam vero ex hoc posteriore modo τῆς ὁμοουσιότητος consectaria ista sunt, ut unum alterius dicatur esse, vel ejus proprium, nec vicissim, ac reciproce etiam hujus illud, quod in priore non sit. Non enim magis Petri Paulus est, quam Petrus Pauli, si naturæ communionem spectes. In divinis autem, quia τὸ ὁμοούσιον ex productione, et origine petitur, Filium Patris proprium esse dicimus, non Patrem Filii; quatenus *proprii* vox id significat, quod origine est posterius altero, eique, quod est, et habet, acceptum refert; detracto tamen eo omni, quod imperfectum est, et obnoxium nescio quid, inferiusque sonat; quod rerum est creatarum proprium.

Consubstantialitatis.

Consubstantiale.

XIII. Verum duo hic subtilius invicem secernere oportet, quæ fallere propinquitate possunt. Aliud est enim affirmare, ideo ὁμοούσιον esse unum alteri, quoniam ab illo est, et oritur; aliud ideo esse ab aliquo, producique, quoniam consubstantiale est ipsi. Hoc enim posterius id assumit, quod ex Basilio, ac Cyrillo paulo ante referebamus, ea proprie vocari ὁμοούσια, quorum unum oritur ab altero; propria, inquam, et restricta notione τῆς ὁμοουσιότητος. Nam alioqui, quæ sub eadem infima specie comprehenduntur individua, ea sunt ὁμοούσια, velut homines duo; quod Basilius ipse fatetur in epistola XLIII, ubi Paulum, Timotheum et Silvanum « consubstantiales esse invicem ait, quoniam eadem penitus essentiæ ratione describuntur [a]. » Et Cyrillus Alexandrinus lib. I *in Joannem*, c. IV, idem tradit, necnon Gregorius Nazianz. orat. XXXVII. Sed est peculiaris quædam τοῦ ὁμοουσίου ratio personis divinis sola conveniens, ut diximus. Cujus discriminis, et τοῦ ὁμοουσίου notionis non multi veterum meminerunt. At vero prior argumentatio, quæ ex eo probat ὁμοούσιον esse unum alteri, quoniam ex eo oritur, communis est omnium Græcorum Latinorumque Patrum; qui adversus Arianos inde Filii æqualitatem, et substantiæ cum Patre *identitatem*, ut sic dicam, asseverant, quemadmodum ex libro secundo, et quarto hujus operis liquet. Atqui nonnulla sunt ab catholicis theologis exposita, cum de illa ipsa, quam modo pertractamus, processione sancti Spiritus agunt, quæ argumento illi robur, auctoritatemque detrahunt; imo quidam aperte eam impugnant, ut Hugo Etherianus libro secundo *contra Græcos*, c. XX, in quo Photii argumenta diluit; qui Spiritum sanctum et Patri consubstantialem esse dicebat, et Filio, sed non eodem modo. Nam Patri consubstantialis est eo, quod ex ipso procedit; Filio vero, non « quia procedit ex ipso, sed quoniam ex una, et indivisibili causa ante sæcula æqualiter utrique progressio. » Adversus hunc Hugo primum ita contendit: Absurdum esse, consubstantiale dici æquivoce de Filio, et Spiritu sancto, et non eadem ratione. Deinde falsum esse, idcirco consubstantialem esse Spiritum Patri, quoniam ab ipso procedit. Etenim « nullam possident differentiam in eo, quod consubstantiales sunt. Quare non quia procedit, consubstantialis est Patri Spiritus. » Deinde, « quoniam consubstantialis est Spiritus Patri, non differt a Patre; quoniam vero procedit, differt a Patre. Ergo quoniam procedit, non est ei consubstantialis. » Hæc ille. In quo fugit eum ratio.

Consubstantialia. Consubstantialitatis.

Consubstantialia.

Hugo Etherianus notatur.

XIV. Non enim animadvertit, se in ambiguo conflictari, dum hoc adstruit, non ideo consubstantialem esse Spiritum Patri, quod ab ipso procedat; quoniam tantum abest, ut ab alio procedere causa sit, cur sit consubstantialis, ut eo ipso, quod consubstantialis est, nihil ab illo differat; quatenus autem ab eo procedit, non sit consubstantialis, sed ab eodem differat. Verum causa dupliciter dicitur, aut *formaliter*, aut *efficienter*. Ut si nectam sic: « Petrus homo est, quia anima præditus est rationis participe; » formam afferam, quæ hominem illum facit, causamque formalem. Sin ita concludam: « Petrus homo est, quia ab homine genitus; » hoc ad efficientem causam pertinet. Sic in divinis hæc enuntiatio: « Filius consubstantialis est Patri, quia Deus est, » formalem habet consequentiam; hæc autem, « Filius consubstantialis est Patri, quoniam ab eo genitus est, » non formalem continet, sed tanquam efficientis causæ propriam, vel producentis potius. Non enim efficientiæ locus est in divinis originibus. Ex quo Hugonis captiosa conclusio patet, qui de formali consecutione intellexit id, quod usurpari de altera debuit. Nam consubstantialem dici Spiritum Patri, eo quod a Patre procedit, verissimum est, si producentem causam, vel potius princi-

[a] BASIL. epist. XLIII. Καὶ εἰσὶν ἀλλήλοις ὁμοούσιοι, οἱ τῷ αὐτῷ λόγῳ τῆς οὐσίας ὑπογραφόμενοι.

pium spectes. Non enim a Deo nisi Deus procedere potest, adeoque consubstantialis Deo. Falsum autem, si sic interpreteris, tanquam processio ipsa forma sit, quæ consubstantialem reddat Filium; sive proprietas personalis. Quippe Filius non est Deus, eo præcise, quod Filius est, vel propter *filietatem*. Sed divinitate Deus est, quæ ab hac ratione distinguitur.

Necnon Calecas et Demetrius.

XV. Ab hac Hugonis Etheriani ut argumentatione, sic etiam reprehensione non alieni sunt Græcorum recentiorum, et catholicorum eruditissimi duo, Manuel Calecas, et Demetrius Cydones: quorum ille in capite secundo, popularium suorum dictum hoc refellens, Spiritum sanctum propterea dici *proprium Filii*, quod ei sit consubstantialis; consubstantialis autem idcirco, quod ab eodem principio prodeat; sic illud oppugnat. Antiquos ait Patres eam causam afferre, « cur Filius proprius sit Patris, quoniam ex ipso est; itemque cur Spiritus proprius sit Filii, quoniam in ipso, et per ipsum naturaliter procedit, et ex ipso est. Quod quidem Filii cum Patre, et Spiritus sancti cum Filio consubstantialitatem ostendit. Etenim non propterea quod consubstantialis est, ideo est ex ipso. Siquidem secundum id, quod consubstantiale dicitur, unum sunt, nec ullus ordo, vel habitudo, vel processio consideratur; quandoquidem una substantia, et illud unum per se indivisibile est. Sed quia ex ipso est, idcirco consubstantialis est. Nam consubstantiale ex illa principii, et a principio exorti cognatione sequitur [a]. »

Demetrius vero similiter probat non dici Filii Spiritum, ejusque proprium, eo quod illi consubstantialis est; « propterea quod una amborum est substantia, neque unum alterius esse secundum hanc dicitur [b], » etc. Ac subinde: « Neque qua consubstantialia sunt, ad se invicem dicuntur. Hoc enim modo sunt unum, neque ad aliquid dicuntur. Etenim relatio in duobus spectatur. Unum porro, quatenus reipsa est unum, relative non dicitur ad seipsum. Sed videlicet, qua personæ sunt, ad invicem certo ordine comparantur, ac secundum immutabilem hunc, et sempiternum ordinem, quem ad se mutuo habent, hoc istius esse dicitur; et hoc istius hoc vel illud, utputa imago, vel virtus, » etc. Hæc Græcorum longe doctissimi theologi; qui mihi tamen, dum nimis subtiliter enucleare ista volunt, secum ipsi pugnare videntur. Imprimis enim, quod scribit Calecas, non ideo quod consubstantialis una persona est alteri, protinus ab ea procedere; id est Basilio, et Cyrillo contradicere, imo vero a seipso dissentire. Nam τὸ ὁμοούσιον aliud perfectum esse Calecas idem docet, de quo Basilium interpretatur; aliud commune. Quare in illo saltem perfecto, quod solum Deo convenit, valere consequentia ista debet, ut si sit consubstantialis una persona alteri, ab ea procedat. Quod ipsum tamen fatendum est *a posteriore*, ut loquuntur, non *a priore* deduci. Prius enim est *ratione*, et ἐπινοίᾳ procedere, quam ejusdem, quod procedit, esse substantiæ. Nihilominus recte ita concluditur.

XVI. Jam vero ratio illa, quam Calecas, et Demetrius adhibent, vereor ut probari possit, cum sic disputant: Quandoquidem, quatenus consubstantiales sunt, non differunt, sed unum sunt; ideo vel non existere unam ab altera personam, vel non dici hanc illius esse, nec ad se mutuo referri. Etenim *consubstantialis* vox non minus duo, quam unum significat. Quippe nulla res una *consubstantialis* est sibi. Sed in hoc nomine plurium inclusa notio est, sine qua prorsus intelligi non potest. Quod argumento est, plurativum numerum in *consubstantialis* essentia, ac τῷ τί ἦν εἶναι contineri; quod nostri sic exprimunt, *de formali ejus esse conceptu*. Falso itaque Patrem, exempli causa, et Filium unum esse dicunt, qua consubstantiales sunt, si nihil nisi unitatem, vel potius

a CALEC. Μάλιστα καὶ διαῤῥήδην παρὰ τῶν ἁγίων εἰρημένου, ὡς μὲν υἱὸς ἴδιος τοῦ πατρὸς, ὅτι ἐξ ἐκείνου, τὸ δὲ πνεῦμα ἴδιον τοῦ υἱοῦ, ὡς ἐν αὐτῷ, καὶ δι' αὐτοῦ φυσικῶς προϊὸν, καὶ ἐξ αὐτοῦ ὄν. ὅπερ ἐμφαίνει καὶ τὴν μὲν τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα, τὴν δὲ τοῦ πνεύματος πρὸς τὸν υἱὸν ὁμοουσιότητα. οὐ γὰρ διότι ὁμοούσιον, διὰ τοῦτο καὶ ἐξ αὐτοῦ. κατὰ γὰρ τὸ ὁμοούσιον ἕν εἰσι. καὶ οὐδεμία τάξις, ἢ σχέσις, ἢ πρόοδος θεωρεῖται. ἐπεὶ μία οὐσία, καὶ τὸ ἓν ἐκεῖνο καθ' ἑαυτὸ ἀδιαίρετον. ἀλλ' ὅτι ἐξ αὐτοῦ, διὰ τοῦτο καὶ ὁμοούσιον, ἕπεται γὰρ τῇ τοιαύτῃ τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ οἰκειότητι τὸ ὁμοούσιον.

b DEMETR. lib. *de Proc. Spir. sancti.* Ἔπειτα οὐδὲ κατὰ τὴν οὐσίαν ταῦτα λέγεται. μία γὰρ ἡ αὐτή ἐστιν οὐσία καὶ οὐ τόδε τοῦδε κατὰ ταύτην λέγεται, etc.

Mox: Οὐδέ καθὸ ὁμοούσια πρὸς ἄλληλα λέγονται. κατὰ τοῦτο γάρ εἰσιν ἕν, καὶ οὐ λέγονται πρός τι. ἡ γὰρ ἀναφορὰ ἐπὶ δύο θεωρεῖται. καὶ τὸ ἕν, ἐφόσον ἐστὶν ἓν τῷ πράγματι, ἀναφορικῶς πρὸς ἑαυτὸ οὐ λέγεται. ἀλλὰ δῆλον ὅτι καθὸ πρόσωπα, πρὸς ἄλληλά πως τάξεως ἔχουσι· καὶ κατὰ τὴν τούτων ἀκίνητον, καὶ ἀΐδιον πρὸς ἑαυτὰ τάξιν, τόδε τοῦδε λέγεται, καὶ τόδε τοῦδε τόδε τι εἶναι, εἰκόνα, ἢ δύναμιν, etc.

identitatem in eo cogitant. Sunt enim una quidem substantia, et qua substantia sunt, unum sunt; sed ut consubstantiales sunt, necessario sunt duo. De quo vide omnino, quæ in quarto libro de vocabulo isto diximus[1]. Quocirca, etiam, ut consubstantialis est Filius Patri, ad eum refertur. Sic enim ejus est imago, et *figura substantiæ ejus*[2]. Quod quidem propter naturam, et essentiam dici, non ob personalem proprietatem, alibi pelnius expositum est. Quippe id, quod refertur, persona est ipsa, re ab alia differens; id autem, quo, vel cujus ratione referri dicitur, ipsa est essentia, in qua sola similitudo, et æqualitas, atque amborum unitas consistit; ob quæ imago alterius altera nominatur.

Quinetiam ipsa se Calecæ argumentatio collidit. Scribit enim, ideo non esse dicendum, eo ipso, quod consubstantialis est unus alteri, ab eo procedere; quia quatenus consubstantialis est, unum est cum altero, nec ad eum refertur. Idem vero mox consequens esse ait, si unus ab altero producitur, huic esse consubstantialem; nec attendit, quod in priori argumentando posuit, si recte conclusum est, contra posterius istud non minus valere, ac retorqueri sic posse : Propterea non sequi, consubstantialem esse, si ab altero procedit; quoniam quatenus procedit, differt ab eo; quatenus vero consubstantialis est, cum eodem est unum. Nam qua procedit, non est unum; qua consubstantialis est, unum est. Igitur qua ratione non est unum, unum esse non potest. Vides ut isti in argumenti sui sic, tanquam teli, ac mucronis aciem incurrant. Ergo nihil obstat omnino, quin, ut consubstantiales sunt personæ, una referatur ad alteram, ejusque propria dicatur, et ab ea originem accipere. Imo vero non fit hoc aliter, quam ut consubstantiales sunt.

XVII. Illud vero comprimis opportune Calecas, quo Photii, ac cæterorum ejusdem sectæ inscitiam elidit; qui causam ejusmodi reddunt, cur Filii Spiritus esse dicitur, ejusque proprius, quod consubstantialis sit. Sic autem refellit : Cum eo ipso, quod persona quæpiam esse alterius, ejusque propria dicitur, intelligatur ab ea procedere, quod ex veterum locis pluribus efficit; stultum esse id tanquam causam prioris assignare, quod est posterius. Siquidem prius est procedere unum ab altero, quam ei consubstantialem esse. At est idem, unum esse proprium alterius, atque ab eo originem habere. Non est igitur, cur sit proprius illius hæc assignanda ratio, quod sit consubstantialis eidem. « Quemadmodum, inquit, nomen Filii per sese quidem primario processionem unius ab altero in eadem specie significat; ex consequenti vero etiam consubstantiale. Quod enim ita productum est, necessario consubstantiale est. Quare istud ipsum, hoc ex illo esse, tanquam causa sumitur; at illud, ista, propter ejusmodi processionem, quæ univoca est, etiam consubstantialia esse, causatum est. Non oportet vero causatum tanquam causam ponere. » Quibus ex verbis illustriora sunt ea, quæ de Basilii loco illo, ac sententia supra disserui.

CAPUT V.

Alia ad eamdem processionem a Filio sancti Spiritus argumenta. Ut quod a Filio accipit, quod odor, vapor, et qualitas substantiæ Filii dicitur. Item flatus, et halitus oris; tum ἐνέργεια, *et operatio ejusdem.*

Aliud ex antiquorum theologorum placitis argumentum ducitur, quod quintum a nobis ordine numeratur, quo Spiritum sanctum a Filio procedere, ab eoque substantiam, et omnia, quæ habet, accipere theologi veteres indicant, dum ad eam sententiam accommodant illa Christi verba, *Ille me clarificabit quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*[3]. Spiritus S. a Filio accipit. His enim verbis, *de meo accipiet*, significari putant essentiam, et subsistentiam, et omnino, quidquid habet, a Filio habere, et accipere Spiritum sanctum; a Filio, inquam, et Filii hypostasi, sive ab *natura* et οὐσίᾳ Filii, qua Filii est, et in Filio.

Demonstrat hoc egregie sanctus Athanasius in oratione *adversus Arianos* quarta, ut quidem in vulgatis libris ponitur; nam Græci[4] tertiam numerant. In qua Filium Dei vere Deum esse, neque creatarum rerum similem probat, quæ

a Calec. Ὥσπερ καὶ τὸ υἱὸς ὄνομα καθ' ἑαυτὸ μὲν προηγουμένως πρόοδόν τινος ἀπό τινος σημαίνει ἐν τῷ αὐτῷ εἴδει, ἑπομένως δὲ καὶ τὸ ὁμοούσιον. τὸ γὰρ οὕτω προελθὸν ἐξ ἀνάγκης καὶ ὁμοούσιον. ὥστε τὸ μὲν τόδε ἐκ τοῦδε εἶναι ὡς αἴτιον λαμβάνεται· τὸ δὲ ταῦτα, διὰ τὴν τοιαύτην πρόοδον συνώνυμον οὖσαν. καὶ ὁμοούσια εἶναι, ὡς αἰτιατόν ἐστιν. οὐ δεῖ δὲ τὸ αἰτιατὸν ὡς αἴτιον τιθέναι.

1 Cap. v, num. 12. — 2 *Hebr.* I. — 3 *Joan.* XVI, 41 et 15. — 4 Ut Man. Calec. cap. X.

accepto Spiritu sancto, in Deo esse, et conjungi cum Deo dicuntur. « Non enim et Filius, inquit, particeps est Spiritus, ut propterea sit in Patre; neque accipit Spiritum, quin ipse potius hunc omnibus largitur. Neque vero Spiritus Verbum cum Patre copulat, sed potius Spiritus a Verbo accipit[a]. » Idem: « Ipse enim, ut dictum est, Spiritum dat; et quæcumque habet Spiritus, hæc habet a Verbo[b]. » Calecas in postremis illis Athanasii verbis addit λαβόν. παρὰ τοῦ λόγου λαβὸν ἔχει. Ergo quidquid habet Spiritus sanctus, id accepit a Filio. Habet autem imprimis naturam, et existentiam. Quare hanc a Verbo et Filio habet acceptam. Hoc enim *Verbi* vocabulum, cum personam et hypostasim significet, aperte demonstrat, ab ipsa Filii persona manare, et existere Spiritum sanctum, neque solum ab ipsa Dei essentia, quæ sit in Filio, ut Græci nugantur. Sed nec aliter vox *accipiendi* detorqueri potest, quin id, quod οὐσιῶδες sit Spiritui sancto, communicari, ac derivari in ipsum intelligatur a Verbo. Quippe non tantum accipere dixit Athanasius a Verbo Spiritum sanctum, quæcumque habet, sed habere ab ipso, quæcumque habet. At externa illa dona et χαρίσματα, quæ utcumque dici posset a Filio, id est, communi ab essentia, ceu fonte, proferre, non habet Spiritus sanctus; sed ea sola, quæ in ipso manent, ac divina sunt, et οὐσιώδη. Itaque quantivis pretii est iste locus Athanasii.

Accipiens. A Verbo accipiens habet.

Substantiale.

Charismata.

Substantialia.

II. Non minus expressa sunt Epiphanii testimonia, quorum nonnulla superiori capite attulimus ex *Ancorato*, quæ similiter a Filio dicunt accipere Spiritum sanctum, ex eoque concludunt ab illo existere, ac procedere. Nam in primo loco[1] quemadmodum Christus ex Patre est, Deus ex Deo; ita Spiritum sanctum ex Christo, et ab ambobus esse probat, quoniam Christus ipse dixit, *Qui a Patre procedit*, et, *Ille de meo accipiet*. Igitur id, quod a Filio Spiritus accipit, essentia est, ac subsistentia, uti et quod Filius accipit a Patre.

Idem et antea scripserat: « Spiritus sanctus incomprehensibilis est, non alienus a Patre, et Filio. Etenim Unigenitus ipse dicit: *Spiritus Patris;* et, *Qui a Patre procedit;* et, *De meo accipiet*. Ne alienus a Patre, Filioque credatur[c]. » Proinde verba ista *De meo accipiet*, non alienum esse a Patre, Filioque Spiritum probant. Quod non faciunt, nisi οὐσιῶδες illud sit, quod Spiritus accipit, hoc est substantia ipsa, per quam ὁμοούσιος est utrique. Per id enim non alienus, sed germanus est, et conjunctus, per quod consubstantialis est. Huic egregie consentit Anastasius patriarcha Antiochenus a Becco, et Caleca citatus, in primo *de Rectis dogmatibus*: « Spiritus sanctus, inquit, veritatis est Spiritus. Hic autem a Patre quidem procedit; accipit autem a Filio omnia, quæ sunt Patris, habente; ut hoc demonstretur, ac planum fiat, unicam esse substantiam ejus qui accipit, et ejus, a quo accipit, et ejus, ex quo naturaliter procedit. Non enim ex eo procederet, cujus diversa esset substantia; nec aliquid accepisset ab eo, qui consubstantialis non esset. Quod si consubstantialia sunt ipsi tam illud a quo processit, quam id, a quo accipit; etiam illa prorsus invicem erunt consubstantialia. Nam quæ sunt eidem consubstantialia, ea sunt inter se quoque consubstantialia[d]. » Quo in loco Anastasius ostendit, quid a Filio Spiritus sanctus accipiat. Hoc enim accipere dicit, per quod consubstantialis est ipsi. Quod esse aliud non potest, quam substantia. Nam consubstantiale est, quod eamdem habet substantiam. Quare quidquid ab altero accipit, per quod ei consubstantiale sit; ab eo substantiam accipit. Quippe omnia, quæ a Patre accipit, a Filio etiam accipit; quoniam Filius habet omnia, quæ Patris sunt, ut idem asserit.

Consubstantialis.

III. Cyrillus item variis in locis Joannis illa

a ATHAN. orat. IV. Οὐ γὰρ καὶ ὁ υἱὸς μετέχων ἐστὶ τοῦ πνεύματος, ἵνα διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῷ πατρὶ γένηται, οὐδὲ λαμβάνων ἐστὶ πνεῦμα· ἀλλὰ μᾶλλον αὐτὸς τοῖς πᾶσι τοῦτο χορηγεῖ. καὶ οὐ τὸ πνεῦμα συνάπτει τὸν λόγον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ λόγου λαμβάνει.

b MOX: Αὐτὸς γὰρ, ὥσπερ εἴρηται, τὸ πνεῦμα δίδωσι, καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ τοῦ λόγου ἔχει.

c EPIPH. Τὸ πνεῦμα ἀκατάληπτον, οὐκ ἀλλότριον πατρὸς, καὶ υἱοῦ. καὶ αὐτὸς γὰρ ὁ μονογενὴς λέγει· τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς. καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον· καὶ ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται· ἵνα μὴ ἀλλότριον νομισθείη πατρὸς, μηδὲ υἱοῦ.

d ANAST. Τὸ πνεῦμα ἅγιον, ἀληθείας πνεῦμά ἐστι. τοῦτο δὲ παρὰ μὲν τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, λαμβάνει δὲ παρὰ τοῦ υἱοῦ πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἔχοντος, πρὸς ἀπόδειξιν, καὶ φανέρωσιν τοῦ ὅτι μία οὐσία ἐστὶ τοῦ τε λαμβάνοντος, καὶ τοῦ παρ' οὗ λαμβάνει, καὶ τοῦ ἐξ οὗ φυσικῶς ἐκπορεύεται. οὐ γὰρ ἂν προῆλθεν ἐξ ἑτερουσίου, ἢ ἔλαβέ τι παρὰ τοῦ μὴ ὁμοουσίου. εἰ δὲ ὁμοούσιά ἐστιν αὐτῷ τὸ ὅθεν προῆλθεν, καὶ τὸ ἐξ οὗ λαμβάνει, κἀκεῖνα πάντως ἑαυτοῖς ἐστιν ὁμοούσια. τὰ γὰρ τῷ αὐτῷ ὁμοούσια, καὶ ἀλλήλοις ἔσται καί ἐστιν ἀληθῶς ὁμοούσια.

1 *Ancor.* n. 67.

verba non secus interpretatur; et quod a Filio Spiritus sanctus accipit, id οὐσιῶδες esse declarat. *stan- ale.* Velut in undecimo *Commentariorum in Joannem*, ubi illa ipsa sic exponit: « Clarificat itaque Paracletus Filium, hoc est proprius ejus Spiritus, quia potest, et novit omnia. Quinam vero clarificat? Quæ enim novit, et potest ipsius Spiritus, quomodo non ipse noverit, aut non possit? Et si, ut ipse dicit, ex ipso Spiritus accipit, qui quidem novit, ac perficit omnia; quomodo non ad omnia ipse fortis erit? Nullo itaque modo suspicandum est, insitæ ac nativæ fortitudinis indigentem esse Paracletum, id est, Spiritum; quasi nisi prius acceperit, non possit ipse sibi sufficere ad divina efficienda, perficiendaque facinora. Extremæ quippe impietatis accusandus merito fuerit, qui ejusmodi de illo aliquid vel levissime sibi persuadeat. Verum quia consubstantialis est Filio, et, ut Deo congruens est, ex ipso procedit, universam illius in omnibus, eamque perfectissimam habens efficientiam, et virtutem, propterea de meo, inquit, accipiet [a]. » Ergo Spiritum sanctum a Filio accipere, quod Christus ait, hoc ipsum est ab eo procedere, et scientiam, ac potestatem, hoc est, substantiam et existentiam, quæ in Deo sunt eadem, accipere. Atque idem etiam in sexto *Dialogorum ad Hermiam*, sub initium, verba illa, *de meo accipiet*, eodem modo explicat: « Adjiciens, inquit, quia de meo accipiet, substantialem, et naturalem proprietatem ostendit evidenter, secundum quam unus est cum ipso Spiritus ejus. Non enim participative sapientem fore ab ipso Spiritum dicit, neque ministrorum modo Filii sermones allaturum, sed quasi si quis fragrantissimus flos suum diffunderet odorem, et circumstantium sensibus se infundens, dicat: De meo accipiet, et naturalem proprietatem significaret, et non aliquid quasi participans discretim. Sic intelligas de Filio, et de Spiritu sancto. Spiritus enim sapientiæ, et virtutis existens sapientia omnino, et virtus est totum ex toto efficaciam emittentis in seipsa conservans, et quasi in propria natura bene ostendens eam, cujus (est) scilicet [b]. » Nihil dici potuit expressius, ac disertius, ut ex Filio procedere, et ab eo τὴν οὐσίαν, ac quidquid eam *Essentiam.* sequitur, habere Spiritum sanctum ostenderet. Nam ut odor e flore tanquam e principio, manat ac diffunditur; sic e Filio spiritum oriri manifeste asserit. Sed de hac odoris similitudine, ac cæteris ejusdemmodi, mox agetur. Nunc illud addendum, quod subinde eodem in loco pertexit, ut eadem illa Christi verba declararet: « Ut enim, inquit, natura sanctus est, quoniam sancti Patris spiritus est; ita et sapiens, quandoquidem sapientiæ spiritus est; sapientia porro Filius est. Nec vero dicimus, habitudine quadam, et participatione esse sanctum, et sapientem Spiritum, sed substantive potius, ac velut naturalem quamdam qualitatem sanctæ, et sapientis deitatis [c]. » Quæ Cyrilli verba manifestissime demonstrant perinde a Filio, ut a Patre, procedere Spiritum sanctum. Eodem enim modo sanctum esse Spiritum ait, quo sapientem; sanctum autem dici, quia sancti Patris est; sapientem, quia sapientis est Filii. Igitur uti sanctitatem a Patre habet non aliter, quam ab eo procedendo; ita sapientiam itidem procedendo habet a Filio. Quod etiam indicat similitudo illa qualitatis, quæ ab divi-

a Cyr. Δοξάζει τοιγαροῦν τὸν υἱὸν ὁ παράκλητος, τουτέστι τὸ ἴδιον αὐτοῦ πνεῦμα πάντα ἰσχύον, καὶ πάντα εἰδός. δοξάζει δὲ πῶς; ἃ γὰρ οἶδε, καὶ δύναται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, πῶς ἂν αὐτὸς οὐκ εἰδείη τυχὸν, ἢ πῶς οὐκ ἂν δύναιτο; καὶ εἰ, καθάπερ αὐτός φησιν, ἐξ αὐτοῦ λαμβάνει τὸ πνεῦμα, καί τοι πάντα ἰσχύον καὶ κατορθοῦν, πῶς ἂν αὐτὸς οὐκ ἔχει τὸ ἐφ' ἅπασιν ἰσχυρὸν; ὑποτοπητέον δὲ οὐδαμῶς ἰσχύος ἐπιδεᾶ τῆς ἐμφύτου, καὶ φυσικῆς καθεστάναι τὸν παράκλητον, τουτέστι τὸ πνεῦμα, ὡς εἰ μὴ λάβοι τυχὸν, μηδ' ἂν ἐξαρκέσειν αὐτὸν ἑαυτῷ δύνασθαι πρὸς τὴν τῶν θείων κατορθωμάτων ἐνέργειαν ἀποτελεστικήν. δυσσεβείας γὰρ τῆς ἁπασῶν ἐσχάτης ὑπομεῖναι γραφὴν, καὶ σφόδρα εἰκότως ὁ καὶ μόνον ἀληθές τι τῶν τοιούτων εἶναι περὶ αὐτοῦ. Ἐπειδὴ δὲ ὁμοούσιόν τέ ἐστι τῷ υἱῷ, καὶ πρόεισι θεοπρεπῶς ἐξ αὐτοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ἐφ' ἅπασι τελειοτάτην ἔχον ἐνέργειάν τε, καὶ δύναμιν, διὰ τοῦτό φησιν, ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται.

b Id. VI dial. *de Trin.* Προστιθεὶς δὲ ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, τὴν οὐσιώδη, καὶ φυσικὴν οἰκειότητα δέδειχεν ἐναργῶς, καθ' ἣν ἕν ἐστι πρὸς αὐτὸν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ· οὐ γάρ τοι μεταληπτῶς σοφὸν ἔσεσθαι παρ' αὐτοῦ τὸ πνεῦμά φησιν, οὔτε μὴν ἐν τάξει τῇ ὑπουργικῇ τοὺς παρ' υἱοῦ λόγους τοῖς ἁγίοις διακομίσειν· ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἴ τι τῶν εὐοσμοτάτων ἀνθέων περὶ τῆς ἐξ ἑαυτοῦ διασκιδναμένης ὀσμῆς, καὶ ταῖς τῶν περιεστώτων αἰσθήσεσιν ἐμπιπτούσης λέγοι· ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, τὴν φυσικὴν οἰκειότητα κατασημήνειεν ἂν, καὶ οὔτι που τὸ ὡς ἐν μεθέξει διῃρημένως. ὧδέ πῃ νοήσεις καὶ ἐφ' υἱοῦ, καὶ πνεύματος. πνεῦμα γὰρ σοφίας, καὶ δυνάμεως ὂν, σοφία φάντως, καὶ δύναμίς ἐστιν, ὅλην ἐξ ὅλου τὴν τοῦ προϊέντος ἐνέργειαν ἀποσώζον ἐν ἑαυτῷ· καὶ ὡς ἐν ἰδίᾳ φύσει καταδεικνύον εὖ μάλα τὴν οὗπέρ ἐστι.

c Cyril. ibid. Ὥσπερ γὰρ ἅγιόν ἐστι κατὰ φύσιν, ἐπείπερ ἐστὶν ἁγίου πνεῦμα πατρὸς· οὕτω καὶ σοφὸν, ἐπεί τοι σοφίας πνεῦμά ἐστι· σοφία δὲ ὁ υἱὸς, καὶ οὔτιπου φαμὲν, ὡς κατὰ σχέσιν τινὰ, καὶ μέθεξιν ἅγιον, καὶ σοφὸν τὸ πνεῦμά ἐστιν, οὐσιωδῶς δὲ μᾶλλον, καὶ οἱονεί τις ποιότης φυσικὴ τῆς ἁγίας τε, καὶ σοφῆς θεότητος.

nitate, id est, Patre et Filio per communem utrique divinitatem existit. Ita enim, nec aliter, est verum, quod Christus ait, *De meo accipiet*, ut ab hoc oriendo sapientiam acceperit. « De Filio ergo accepit (verba sunt Fulgentii in fragmento libri septimi *contra Fabianum*), et omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, quæ Spiritus sanctus accepit; quia non de solo Filio, sed simul de utroque procedit. »

IV. Porro ut in eo, quod Spiritus sanctus accipere dicitur a Filio, ab hoc illius origo monstratur; sic etiam eo ipso, quod ab eodem audire Filio dicitur. Nam *Joannis* itidem cap. XVI, 13, ita legitur: *Non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur;* ubi etsi non exprimat eum, a quo Spiritus audiat, hunc tamen ipsummet esse Filium, verborum contextus arguit. Etenim mox illud explicans, quod dixerat, *quæcumque audiet, loquetur*, adjungit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Nimirum idem est *audire*, quod *accipere;* et *loqui*, quod *annuntiare.* Ab eo itaque Christus *audire* dicit Spiritum, quæ *loquatur*, a quo *accipit*, quæ *annuntiat*, hoc est, a Filio; quemadmodum Basilius exponit in *Asceticis*, tractatu *de Vera fide:* « Qui docet, inquit, et memoriæ suggerit omnia, quæcumque audit a Filio[a]. »

Atqui idem in Deo est audire, quod videre, vel scire; idem scire, quod esse, ut et Augustinus tractatu *in Joannem* XVIII, XIX et XCIX pluribus disserit. Atque in hoc postremo tractatu de Spiritu sancto agens, et illa verba explicans, *Quæcumque audiet, loquetur*, similiter habere se dicit, atque ista, quæ Filius de semetipso dixit: *Non possum a me ipso facere quidquam; sicut audio, judico*[1]. Quæ sic enarravit in vicesimo tractatu: « Quare habet a Patre, ut faciat? Quia a Patre habet, ut Filius sit. Quare a Patre habet, ut Filius sit? Quia a Patre habet, ut possit; quia a Patre habet, ut sit. Filio enim hoc est esse, quod posse. » Item: « Quia videre Filii, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio ejus, et alia substantia ejus, nec alia potentia ejus, alia substantia ejus. Totum, quod est, de Patre est; quoniam quod potest, et est, hoc unum est, et de Patre totum est. » Quocirca cum audire dicitur a Filio Spiritus sanctus, sic intelligere debemus, « non eum esse a semetipso, ait Augustinus[2]. Non ergo loquetur a semetipso, qui non est a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet a quo procedit. Audire illi, scire est, scire vero, esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo, a quo procedit; a quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia. » Ac subinde Spiritum sanctum ostendit a Filio non minus procedere, quam a Patre. Sed de Augustino, et Latinis postea. Adde Augustinum tract. *in Joann.* XXI et XXII.

V. Ut a Græcis modo non recedam, perspicuum est, hæc verba, quibus divina aliqua persona audire, vel scire, vel discere ab alia dicitur, sic eos intelligere, ut processionem, et substantialem productionem significent; tum illa quoque, accipere aliquid ab altera, vel ei dare. Nam ad se invicem ista dicuntur, ut si accipere ab aliquo sit ab eo produci, dare illi, nihil aliud sit, quam producere. Ac Chrysostomus Joannis[3] hæc verba declarans: *Pater omne judicium dedit Filio*, idem ait esse dare Filio judicium, quod judicem illum gignere: « Et ut intelligas, ait, verbum illud *dedit* idem esse cum isto *genuit*, audi quemadmodum id alio ex loco demonstretur. *Ut enim Pater*, inquit, *habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Quid igitur? utrum prius ipsum genuit, et tunc vitam dedit? Nam qui dat, jam existenti dat alicui. Ergone genitus erat absque vita? At hoc ne dæmones quidem ipsi suspicentur. Quippe præter impietatem, magnam etiam stultitiam habet. Ut igitur, dedit vitam, idem est quod genuit ipsum vitam, sic et istud, dedit judicium, est judicem ipsum genuit[b]. » Igitur, si personam unam dare aliquid alteri, est eam producere; accipere ab altera est ab ea produci, ex sententia Chrysostomi. Hinc Athanasius[4] verbum illud *accipiet*, quod est λήψεται, interpretatus est δέξεται, quod *relatio-*

a Basil. tom. II. Τὸ διδάσκον, καὶ ὑπομιμνῆσκον ὅσα ἂν ἀκούῃ παρὰ τοῦ υἱοῦ.

b Chrys. hom. XXXIX *in Joan.* Καὶ ἵνα μάθῃς, ὅτι τὸ, ἔδωκεν, ἴσον τῷ ἐγέννησέν ἐστιν, ἄκουσον ἐξ ἑτέρου τοῦτο αὐτὸ δηλούμενον. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ φησίν. οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ· τί οὖν; πρότερον αὐτὸν ἐγέννησε, καὶ τότε ἔδωκε τὴν ζωήν; ὁ γὰρ διδοὺς ὄντι τινὶ δίδωσι. οὐκοῦν ἦν τῆς ζωῆς χωρὶς γεννηθείς; ἀλλὰ τοῦτο οὐδ' ἂν δαίμονες ὑποπτεύσαιεν. μετὰ γὰρ τῆς ἀσεβείας, πολὺ καὶ τὸ ἀνόητον ἔχει. ὥσπερ οὖν τὸ, ἔδωκε ζωήν, ἐγέννησεν αὐτὸν ζωήν ἐστιν. οὕτω καὶ τὸ ἔδωκε κρίσιν, κριτὴν αὐτόν ἐστιν ἐγέννησεν.

1 *Joan.* V, 29. — 2 Tract. LXIX. — 3 Cap. V, 22. — 4 Epist. *ad Serap.*

nem et σχέσιν magis exprimit. Nam potest aliquid *accipi*, hoc est λαμβάνεσθαι, etiam dante nemine; ut si e *promptuario*, vel thesauro quis accipiat, quod nemo det. At δέχεσθαι, quod est *recipere*, necessario dantem aliquem respicit. Igitur si « Spiritus omnia recipit a Filio, » ut ex Joannis illo loco concludit Athanasius[a], omnia dat illi Filius; dat autem non alia ratione, quam producendo. Sic illa Cyrilli Hierosolymitani intelligenda sunt e catechesi XVI. « Et Pater quidem dat Filio, et Filius communicat Spiritui sancto. Ipse enim est Jesus qui dicit, non ego: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et de Spiritu sancto dicit: *Cum venerit ille Spiritus veritatis*, etc. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*[b]. » Tractat hoc argumentum latius Manuel Calecas[1], atque ex Dei natura, quæ est simplicissima, contendit, nihil vel accipere, vel audire, vel discere ab una persona dici alteram, nisi ab eodem oriendo, et existendo idipsum, quod accipiet; quoniam quidem, ut ex Augustino supra memoravi, hoc est scire in Deo, quod esse. Quare cum Spiritus sanctus id sit omne, quod habet; habeat autem acceptum a Filio quidquid habet, ut Athanasius[2] loquitur; esse

...ssentiam. itidem ab eo, et οὐσίαν accepit, in quo est productio posita. Rursus quia totum id, quod est, ex toto accipit Spiritus sanctus, quidquid accipit, et a quocumque accipit; non est autem aliud totum Pater, aliud Filius, sed unum ambo sunt idemque totum, una quippe substantia est; necesse fit a Patre simul et Filio, tanquam uno toto, ac principio, accipere, id est, procedere Spiritum sanctum, nisi relativa oppositio proprietatem aliquam accipi, ac derivari prohibeat; ut paternitatem.

...piritus S. ...por, odor, halitus ...ominatus.

VI. Sexto Spiritus sancti processionem a Filio non obscure significant Patres, dum eas translationes, ac similitudines adhibent, quæ substantialem emanationem continent; ut cum Spiritum sanctum Filii, ejusve substantiæ vaporem, halitum, odorem, vel qualitatem ex eo profectam nominant. Athanasius[3], sive quis alius, in epistola *ad Serapionem*, cum dixisset, Spiritum sanctum esse chrisma, quo creaturæ perunguntur, mox addit: « Nam chrisma istud halitus est Filii adeo, ut qui Spiritum hunc habet, dicat: Christi bonus odor sumus[c], » etc. Tum: « Quod si Spiritus est bonus odor, et forma Filii, perspicuum est, Spiritum non posse esse creaturam. » Non possunt tergiversatione solita hic uti Græculi, ut Spiritum dicant pro donis ejus, et charismatibus; emanationem autem illius pro temporaria missione sumi. Siquidem id, quod est οὐσιῶδες Spiritui sancto, hoc est, divinitatem ipsius, et creatarum rerum conditione præstantiorem naturam ex eo colligit, quod sit odor Filii et ex eo manans halitus. Quod concludi non potest inde, quia dona Spiritus sancti odor quidam sint, et halitus Filii. Quare necesse est, personam ipsam Spiritus sancti dicat instar esse jucundi odoris, qui ex Filio halat, et afflatur; idque substantialem emanationem exprimere Cyrillus itidem Alexandrinus sæpius isto genere similitudinum utitur. Memorabilis autem imprimis est locus ille ex undecimo *Commentariorum in Joannem*, capite primo, cujus nonnulla supra memoravi; quibus ista subtexit. « Subsistere namque per se Spiritum credimus, et id esse vere, quod dicitur. Verum cum insit in substantia Dei, et ex ea procedat, omnia, quæ Dei sunt, in seipso naturaliter habet. Non enim participatione, aut habitudine, sed nec sic tanquam ab ipsa diversus; quandoquidem proprius est ipsius. Quemadmodum enim suavis odor, ex fragrantissimis emanans floribus, cum eorum quodammodo, quæ insunt ipsis, substantialem, et naturalem efficientiam acceperit, sive qualitatem, ad eos, qui foris sunt, notitiam derivat, in olfactorias corporis incidens partes; ac videtur quidem, intelligentiæ consideratione spectata, diversa quædam ab ea, quæ eam emittit, esse natura; verum non jam per sese diversam habere naturam intelligitur ab eorum natura, ex quibus et in quibus existit. Sic in Deo, ac Spiritu sancto rem habere intelliges, dum tamen exempli supra rationem assurgas. Quamobrem extra reprehensionem, ac vitu-

Spiritus a Deo velut odor e flore procedit.

a Athan. Καὶ εἰ τοῦ υἱοῦ ἐστι τὸ πνεῦμα, καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ πάντα δέχεται, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν ὁ Κύριος δηλονότι.

b Καὶ πατὴρ μὲν δίδωσιν υἱῷ, καὶ υἱὸς μεταδίδωσιν ἁγίῳ πνεύματι. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ Ἰησοῦς ὁ λέγων, οὐκ ἐγώ· πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου. καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λέγει· ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ ἑξῆς· ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

c Athan. Καὶ γὰρ τὸ χρίσμα τοῦτο πνοή ἐστι τοῦ υἱοῦ· ὥστε τὸν ἔχοντα τὸ πνεῦμα λέγειν, Χριστοῦ εὐωδία ἐσμέν.

Item. Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα εὐωδία, καὶ μορφὴ τοῦ υἱοῦ ἐστιν, εὔδηλον ὡς οὐκ ἂν εἴη τὸ πνεῦμα κτίσμα.

1 Cap. x. — 2 Orat. IV. — 3 Tom. II, Initium ejus, Ἴσως θαυμάσεις.

perationem omnem erit, si dicatur ab Unigenito aliquid accipere Spiritus ipsius. Cum enim procedat per ipsum naturaliter, tanquam ejus proprius, cum omnibus, quæ habet perfecte, quæ sunt ipsius dicitur accipere [a].» Vides ut Spiritum sanctum sic a Filio dicat omnia, quæ habet, accipere, hoc est naturam et substantiam, necnon qualitates omnes, quemadmodum odor ex flore dimanans naturam ejus, et qualitates accipit; ita tamen, ut eo solum comparatio ista pertineat, ut ab Deo, ac Filio procedere intelligamus Spiritum sanctum, ejusque ideo dici proprium.

VII. Sic in capite secundo libri ejusdem Cyrillus, « Accipere, inquit, hoc modo dicimus, Spiritum ex Patre pariter ac Filio, quæ sunt ipsorum ; non tanquam aliquando non habentem insitam illis cognitionem, ac potentiam, tunc autem vix habentem, cum accipere ab iis intelligitur. Nam semper sapiens, et potens est Spiritus, vel potius ipsissima sapientia, et potentia, non participatione aliqua, sed naturaliter. Sed quemadmodum fragrantiam illam, quæ ex aromatibus ad olfactum nostrum appellit, diversam quodammodo ab illis esse dixerimus, ut cogitationibus nostris tale aliquid concedamus ; prodire vero non aliter quis eam putaverit, quam illorum, e quibus existit, vim excipientem, ad ejus ostensionem, sed ita, ut minime diversa sit, quoniam ex ipsis, et in ipsis naturaliter existit. Ejusmodi aliquid, vel potius amplius quiddam in Deo, ac Spiritu sancto cogitabis. Est hic velut odor quidam illius substantiæ vivens, et efficax, ad creaturas ea derivans, quæ a Deo sunt, et supremæ omnium substantiæ per sese participationem immittens [b].»

Eadem similitudo et in sexto *Dialogorum* legitur, loco illo, quem supra descripsimus. At in *Thesauris* Spiritus sanctus ex substantia Patris et Filii, ceu vapor ex aqua oriri dicitur : « Quoniam igitur vita quidem est natura Filius ; vivificat autem Spiritus, qui ab ipso suppeditatur ; necesse est utique confiteri ex substantia ipsum existere Filii, ac Dei, omnem ipsius vim, et efficientiam habentem ; quemadmodum si ex aqua vapor ascenderet [c].»

VIII. Est ejusdem Cyrilli perillustre testimonium in *Thesauri* lib. XXXIV, quo illa Christi verba, *Non enim loquetur a semetipso ; sed quæcumque audiet, loquetur, quia de meo accipiet*, ejusdemmodi similitudine declarat : « Perinde enim est, inquit, ac si mel de insita sibi naturali dulcedine diceret. Nihil a seipsa gustantibus inseret, sed ex meo accipiet ; transeunte videlicet naturaliter substantiarum, ut ita dixerim, qualitate in ea, quæ sine ulla separatione ex illis procedunt ; quemadmodum, quod jam commemoravimus, e melle dulcedo, ex igne calor, ex aqua refrigeratio [d].» Quo ex loco concluditur Spiritum sanctum ex Filii substantia, adeoque ab ipso Filio procedere

a Cyrill. lib. II *in Joan.* Ὑφεστάναι γὰρ αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ πνεῦμα πιστεύομεν, εἶναι τε κατὰ ἀλήθειαν τουθ' ὅπερ ἐστὶ, καὶ λέγεται, ἐνυπάρχον γέ μην τῇ οὐσίᾳ τοῦ θεοῦ, προκύπτει τε, καὶ πρόεισιν ἐξ αὐτῆς, πάντα αὐτῆς ἔχον ἐν ἑαυτῷ φυσικῶς. οὐ γὰρ κατὰ μέθεξιν, ἀλλ' οὐδὲ κατὰ τρόπον σχετικὸν, ἀλλ' οὐχ ὡς ἕτερον ὂν παρ' αὐτὴν, ἐπείπερ ἐστὶν ἴδιον αὐτῆς. ὃν περ γὰρ τρόπον ἡ ἐκ τῶν εὐοσμοτάτων ἀνθέων εὐωδία λαβοῦσα τρόπον τινὰ τῶν προσόντων αὐτοῖς τὴν οὐσιώδη, καὶ φυσικὴν ἐνέργειαν, ἤτοι ποιότητα, διακομίζει τοῖς ἔξω τὴν γνῶσιν, τοῖς ὀσφραντικοῖς τοῦ σώματος μορίοις ἐμπίπτουσα· καὶ δοκεῖ μέν πως, ὅσον ἧκεν εἰς ἐπινοίας λόγον, ἑτέρα τις εἶναι παρὰ τὴν πέμπουσαν αὐτὴν φύσιν, νοουμένη γέ μην οὐκέτι καθ' ἑαυτὴν ἑτέραν ἔχειν φύσιν, ἢ τὴν ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς ἐστίν. οὕτω νοήσεις ἐπί τε θεοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, τὸν τοῦ παραδείγματος ἀναβαίνων λόγον. ἀκατηγόρητον ἄρα παντελῶς, καὶ λοιδορίας ἁπάσης ἔξω κείσεται, τὸ λαβεῖν λέγεσθαί τι παρὰ τοῦ μονογενοῦς τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. προϊὸν γὰρ δι' αὐτοῦ φυσικῶς, ὡς ἴδιον αὐτοῦ μετὰ πάντων ὧν ἔχει τελείως, λαμβάνειν λέγεται τὰ αὐτοῦ.

b Cyril. II *in Joan.* Λαμβάνειν τε οὕτω φαμὲν τὸ πνεῦμα ἐκ τε τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ τὰ αὐτῶν, οὐχ ὡς ποτὲ μὲν οὐκ ἔχον τὴν ἐνοῦσαν αὐτοῖς γνῶσίν τε, καὶ δύναμιν, ἔχον δὲ τότε μόλις, ὅταν νοεῖται λαμβάνον. ἀεὶ γὰρ σοφὸν, καὶ δυνατὸν τὸ πνεῦμά ἐστιν, μᾶλλον δὲ αὐτόχρημα σοφία, καὶ δύναμις, οὐκ ἐκ μετοχῆς τινος, ἀλλὰ φυσικῶς. ὥσπερ δ' ἂν φῶμεν τὴν ἐκ τῶν ἀρωμάτων ταῖς ἡμετέραις ὀσφρήσεσιν προσβάλλουσαν εὐωδίαν ἑτέραν μὲν ὥσπερ πρὸς αὐτὰ, εἰ ταῖς ἐπινοίαις δοίη τις ἄν· προεκκύπτειν γε μὴν οὐχ ἑτέρους οἴοιτο τυχὸν, ἢ τῶν ἐξ ὧν περ ἐστὶ, δεχομένην τὴν δύναμιν εἰς ἔνδειξιν αὐτῆς, οὐκ οὖσαν γε μὴν ἑτέραν διὰ τὸ ἐξ αὐτῶν τε, καὶ ἐν αὐτοῖς πεφυκέναι. τοιοῦτό τι, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦτο νοήσεις ἐπί τε θεοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· οἱονεὶ ὀσμή τίς ἐστι τῆς οὐσίας αὐτοῦ, ζῶσά τε, καὶ ἐνεργὴς, διακομίζουσα τῇ κτίσει τὰ παρὰ θεοῦ, καὶ τῆς ἀνωτάτω πασῶν οὐσίας ἐντιθεῖσα δι' ἑαυτῆς τὴν μέθεξιν.

c Cyril. lib. XXXIII *Thes.* Ἐπειδὴ οὖν ζωὴ μὲν ἐστι κατὰ φύσιν ὁ υἱὸς, ζωοποιεῖ δὲ τὸ πνεῦμα τὸ παρ' αὐτοῦ χορηγούμενον· ἀνάγκη λοιπὸν ἐκ τῆς οὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν αὐτὸ τῆς τοῦ υἱοῦ, καὶ θεοῦ, πᾶσαν αὐτοῦ τήν τε δύναμιν, καὶ τὴν ἐνέργειαν ἔχον, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ ἐξ ὕδατος ἀτμὶς ἀναβαίνοι.

d Cyril. XXXIV *Thes.* Ὅμοιον γὰρ εἰ καὶ τὸ μέλι περὶ τῆς ἐνούσης αὐτῷ φυσικῆς ποιότητος λέγοι· οὐκ ἐνθήσει τι ἀφ' ἑαυτῆς τοῖς ἀπογευομένοις, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. φυσικῶς διαβαινούσης τῆς ἐκ τῶν οὐσιῶν, ἵν' οὕτω, εἴπω, ποιότητος ἐπὶ τὰ ἐξ αὐτῶν ἀμερίστως προερχόμενα· οἷον, καθάπερ ἤδη προείπομεν, ἐκ μέλιτος ἡ γλυκύτης, ἐκ πυρὸς ἡ θερμότης, ἐξ ὕδατος ἡ ψύξις.

non secus, atque dulcedo ex melle, cæteræque qualitates. Ita enim οὐσιώδη propagationem Filii a Patre idem Cyrillus expressit libro *Thesauri* XXXII. « Odor, igitur, inquit, cum sit Dei, et Patris, non erit diversæ ab illo substantiæ. Sed ut odor ex floribus afflatus, naturaliter, et substantive prodiens formam, unde gignitur, declarat, ita etiam Filius, qui velut odor est quidam paternæ substantiæ, a qua est ipse, genitorem ostendit [a]. »

Sic Hugo Etherianus libro I *contra Græcos*, capite XIV, Cyrillum refert in septimo dialogo *ad Hermiam* Spiritum sanctum appellasse « velut qualitatem Patris, ac Filii. » Cujus hic verba reddam. « Igitur si signa, et prodigia per Paulum Christus operatur in virtute Spiritus sancti, velut efficientia quædam naturalis, et viva, et, ut ita dicamus, qualitas divinitatis Filii est Spiritus sanctus ; ac tanquam vapor, aut qualitas est substantiæ Patris, cum non factus sit, neque creatus Pater ; quinam factus sit profusus ex ipso Spiritus [b] ? » Sic eodem in opere, ut testatur Beccus, Patrem vocat rosam, Filium vero florem, Spiritum sanctum odorem. Omnes autem hæ loquendi formulæ substantialem originem a Patre, Filioque sancti Spiritus adumbrant. Quare Cyrillus *in Thesauro*, « Filium a Patre secundum naturam gigni ait, tanquam ex igne calorem, et odorem ex flore [c]. »

Spiritus S. Patris ac Filii flatus seu halitus.

IX. Septimo Spiritum sanctum a Filio procedere declarant veteres, dum illum vocant flatum, sive halitum, ac spirationem Filii non secus, ac Patris ; sive oris Dei flatum, aut Spiritum, quod os esse Filium quidam eorum interpretantur.

Spirationem

Primum enim, afflatum, sive πνεῦσιν, nomen esse substantialis processionis, qua Spiritus sanctus existentiam accipit, Athanasius ostendit in *Refutatione Meletii*, etc., ubi queritur ab hæreticis Pneumatomachis « alienum a Patre, Filioque dici Spiritum sanctum, quod non generationi processio illius, sed spirationi comparatur ob participationem ; velut flatu ex ore prodeunte, et eum sanctificante, qui fit particeps, pro eo ac Spiritus dicitur [d] ; » quæ postrema sic in Græco legerim, κατὰ δὲ λέγεται πνεῦμα στόματος, *pro eo, ac Spiritus oris dicitur*. Alioqui mendosus sit locus. Jam ut *generatio* processionem a Patre Filii secundum substantiam exprimit ; ita πνεῦσις, id est *spiratio*, propriam sancti Spiritus processionem secundum substantiam significare debet. Quod et Basilius demonstrat in lib. de *Spiritu sancto* c. XVI; tum etiam in quinto *adversus Eunomium*. Utrobique enim asserit, quemadmodum Filius Verbum, aut sermo Dei cum dicitur, eoque facta omnia memorantur, non debemus prolatitium quemdam sermonem animo cogitare ; ita neque Spiritum Dei, quo omnia facta, instaurataque leguntur, aerium quemdam profusum a Deo halitum, ac spiritum oportere fingere. « Etenim Spiritus vivo Verbo ad procreandum adjunctus viva virtus est, ac divina natura, inexplicabilis inexplicabili ex ore producta [e]. » Idem habet et homilia *in Psal.* XXXII.

Citatur et a Manuele Caleca ex quarto *Antirrheticon* [1] Basilii contra Eunomium locus iste : « Non enim minus aliquid eramus habituri ad id, ut cognosceremus Spiritum existere a Deo, dici Spiritum oris audientes ipsum. Sed vel hoc nomen satis est ad illius ex Deo significandam existentiam [f]. » Quamobrem, ut inde Calecas argumentatur, si Spiritum esse ex Deo idem valet, ac dici *Spiritum oris ipsius* ; os autem Patris ab antiquis doctoribus nominatur Filius ; idem erit Spiritum existere

a Idem XXXII *Thes.* Ὀσμὴ τοιγαροῦν ὑπάρχων τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, οὐκ ἂν εἴη πρὸς αὐτὸν ἑτερούσιος· ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἐξ ἀνθέων εὐωδία φυσικῶς τε, καὶ οὐσιωδῶς προεκκόπτουσα, τοῦ γεννήσαντος αὐτὴν εἴδους ἐστὶν ἐκφαντική· οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ὀσμή τις ὥσπερ ὑπάρχων τῆς πατρῴας οὐσίας, ἀφ' ἧς ἐστιν αὐτὸς, τὸν γεννήσαντα δηλοῖ.

b Cyril. lib. VII *Dial.* Οὐκοῦν εἰ σημεῖα, καὶ τέρατα διὰ Παύλου Χριστὸς ἐργάζεται ἐν δυνάμει πνεύματος ἁγίου, ὡς ἐνέργειά τις φυσικὴ, καὶ ζῶσα, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπωμεν, ποιότης τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστι. καὶ ὥσπέρ τις ἀτμὶς, ἢ ποιότης ἐστὶ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός· εἰ ἀγέννητος δὲ καὶ ἄκτιστος ὁ πατὴρ, πῶς ἂν εἴη γεννητὸν τὸ ἐξ αὐτοῦ προχεόμενον πνεῦμα;

c Cyril. *Thes.* Γεννητῶς καὶ ἐξ αὐτοῦ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἅμα, καὶ συναΐδιος· ὡς ἐκ πυρὸς θερμότης, ἢ καὶ ἐξ ἄνθους εὐωδία.

d Athan. Τὸ πνεῦμα ἀλλοτριοῦσι πατρὸς καὶ υἱοῦ, ὅτι μὴ γεννήσει ἡ τούτου πρόοδος, ἀλλὰ πνεύσει ὁμοιοῦται διὰ τὴν μετάληψιν· ὡς πνοῆς ἐκ στόματος ἐρχομένης. καὶ τὸν μεταλαμβάνοντα ἁγιαζούσης, καθὰ δὲ λέγεται πνεύματος.

e Basil. V *contra Eunom.* Πνεῦμα γὰρ τῷ ζῶντι λόγῳ συντεταγμένον εἰς τὸ δημιουργεῖν, ζῶσα δύναμις, καὶ θεία φύσις ἄῤῥητος ἐξ ἀῤῥήτου στόματος πεφυκυῖα. Alias πεφηνυῖα.

f Basil. Οὐδὲ γὰρ ἔλαττόν τι ἕξειν ἐμέλλομεν εἰς τὸ γινώσκειν τὸ πνεῦμα ὑπάρχειν ἐκ τοῦ θεοῦ, πνεῦμα στόματος ἀκούοντες αὐτό. ἀλλ' ἱκανὸν καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα τὴν ὕπαρξιν αὐτοῦ δηλῶσαι τὴν ἐκ θεοῦ.

1 Cap. XI.

a Patre dicere, ac Spiritum appellare Filii. Atqui prius illud sancti Spiritus existentiam e Patre significat, ut ait Basilius. Igitur et quod Filii Spiritus appellatur, existentiam ipsius a Filio declarat.

Item Spiritus oris

X. Rursus *Spiritum oris* substantialem exprimere processionem, pulchre indicat Basilius idem in libro *de Spiritu sancto* verbis istis : « Patri vero ac Filio in tantum unitus est, quantum consortii habet unitas cum unitate. Sed nec hinc solum probatur naturæ communio ; verum illinc quoque, quod ex Deo esse dicitur, non eo modo, quod ex Deo esse dicuntur omnia, sed tanquam ex Deo procedens, neque per generationem, sicut Filius, sed tanquam Spiritus oris ipsius. Omnino tamen nec os membrum est, nec flatus resolubilis Spiritus, sed et os sic usurpatur, ut Deo consentaneum est, et Spiritus vivens est substantia, sanctificationis domina ; adeo ut communio naturæ inde monstretur, et existentiæ modus ineffabilis servetur [a]. » Proinde cum oris Spiritus vocatur, substantialis illius processio, non temporaria missio significatur, ut quæ cum Filii generatione comparatur ; et similiter atque ista Filio dat, ut sit Filius, sic ipsa Spiritui, uti proprio quodam modo producatur, sitque tertia, et a Filio distincta persona.

Sic in homilia *ad Psalmum* XXXII verba illa declarans, *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, idem esse dicit, « Spiritum oris Dei, ac Spiritum, qui ex Deo, et qui ex Patre procedit [b] ; » quippe hac locutione monstrari, nequaquam illum creatarum rerum more procedere, sed a Deo subsistentiam habere. Cui consonat Athanasius, aliusve quis auctor dialogi primi *de Trinitate*, qui perinde *spiritum oris Dei*, vel *ex ore Dei manantem*, ac *Filium ex utero*, substantialem processionem significare scribit, quorum neutrum creatis rebus convenit.

Jam vero Dei Patris os appellari Verbum, sive Filium diserte asserit Cyrillus Alexandrinus in quarto libro *contra Nestorium ;* et Philo Carpathius *in Cantica* [1]. Et Anastasius Antiochenus libro primo, qui est *de Rectis dogmatibus*, « Mentem, inquit, proinde dicimus Patrem Verbi, mentem, in qua Verbum, quocum et Spiritus sanctus ; qui quidem appellatus est Spiritus oris Dei. Os enim Patris est Filius [c]. » Et eodem in libro : « Corporis vero proprietate in exemplum assumpta, mutuum complexum divinarum personarum expressimus proportione membrorum, ac similitudine. Ita enim et Spiritus oris ipsius, nempe Dei, Spiritus sanctus dicitur, cum sit os Unigenitus ; et rursus Spiritus ex ipso procedens, et qui mittitur non solum a Patre, sed etiam a Filio [d]. »

Hunc Anastasii locum ex Joanne Becco [2], et Manuele Caleca [3] Græce descripsimus, qui sane luculentus est, aperteque demonstrat, Spiritum sanctum non minus a Filio procedere, quam a Patre ; quod et expresse his verbis ait, « Spiritus ex ipso procedens. » De Filio quippe intelligenda ista sunt, ut ex iis patet, quæ statim subjicit : « At vero Dominus ostendens, ex semetipso Spiritum existere, insufflans discipulis dixit : *Accipite Spiritum sanctum* [e] ; » quæ capite primo retulimus. Sic in eodem libro « Spiritus oris Dei Spiritus vocatur ; os enim Patris est Filius [f]. » Idipsum asserunt Petrus Damiani opusculo I, cap. X, et Anselmus contra Græcos.

XI. Athanasius vero in epistola *ad Serapio-*

a Basil. lib. *de Sp. sancto.* Πατρὶ δὲ καὶ υἱῷ κατὰ τοσοῦτον ἥνωται, καθόσον ἔχει μονὰς πρὸς μονάδα τὴν οἰκειότητα. Καὶ οὐκ ἐντεῦθεν μόνον τῆς κατὰ τὴν φύσιν κοινωνίας ἡ ἀπόδειξις, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι λέγεται. οὐχ ὡς τὰ πάντα ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ θεοῦ προελθόν. οὐδὲ γεννητῶς ὡς ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὡς πνεῦμα στόματος αὐτοῦ. πάντως δὲ, οὔτε τὸ στόμα μέλος, οὔτε πνοὴ λυομένη τὸ πνεῦμα· ἀλλὰ καὶ τὸ στόμα θεοπρεπῶς, καὶ τὸ στόμα οὐσία ζῶσα, ἁγιασμοῦ κυρία· τῆς μὲν οἰκειότητος δηλουμένης ἐντεῦθεν, τοῦ δὲ τρόπου τῆς ὑπάρξεως ἀῤῥήτου φυλασσομένου.

b Idem. Ὡς οὖν ὁ δημιουργὸς λόγος ἐστερέωσε τὸν οὐρανόν· οὕτω τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· τουτέστιν ὃ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. ἵνα μὴ τῶν ἔξωθέν τι, καὶ τῶν κτισμάτων αὐτὸ κρίνῃς, ἀλλ' ὡς ἐκ θεοῦ ἔχον τὴν ὑπόστασιν δοξάζῃς.

c Anast. Νοῦν δέ φαμεν τὸν πατέρα τοῦ λόγου, ἐν ᾧ λόγος, μεθ' οὗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ χρηματίζον. στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

d Idem. Τοῦ δὲ στόματος τὸ ἰδίωμα λαβόντες ὡς παράδειγμα, τὴν ἀλληλουχίαν τῶν θείων παρεστήσαμεν προσώπων διὰ τῆς τῶν μελῶν ἀναλογίας τε, καὶ εἰκασίας. ταύτῃ γὰρ καὶ πνεῦμα στόματος αὐτοῦ, δηλονότι τοῦ θεοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγεται, στόματος ὄντος τοῦ μονογενοῦς, καὶ πνεῦμα πάλιν ἐξ αὐτοῦ ἐκπορευόμενον, καὶ ἀποστελλόμενον οὐ μόνον παρὰ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ.

e Anast. Καὶ μὴν ὁ κύριος δεικνὺς αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχειν, ἐμφυσῶν τοῖς μαθηταῖς ἔλεγε· λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

f Ibid. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ χρηματίζει. στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum.* — 2 Cap. I. — 3 Cap. XXIII.

nem prima, quæ est *de Spiritu sancto*, cum dixisset Spiritum sanctum esse unguentum, et sigillum, quo creaturæ unguntur, ac signantur; ex eo concludit nequaquam illum inter creaturas esse censendum; quia « quod ungit, non est ejus simile, quod ungitur. Etenim unguentum illud flatus est Filii; adeo ut, qui Spiritum habet, dicat: *Christi bonus odor sumus* [a]. » Quare, ut halitus ex ore prodit, sic e Filio Spiritus sanctus.

Est et Cyrilli Hierosolymitani præclarus ea de re locus in catechesi XVII, ubi declarat « unum et eumdem esse Spiritum sanctificantem, et subsistentem, qui perpetuo Patri adest, et Filio, non qui ab ore, et labris Patris aut Filii loquendo formetur, vel spiretur, aut in aerem diffundatur, sed substantialis [b]. » Significat igitur ex ore Patris, nec non et Filii, suo more, hoc est, ut Græci Patres loquuntur, θεοπρεπῶς exire, ac procedere Spiritum sanctum.

Sic Epiphanius « ex Patre, et Filio spirare Spiritum sanctum » dixit in *Ancorato* [1]; cujus loci superiori capite meminimus.

Cyrillus item Alexandrinus exponens illa Christi verba, quæ sunt *Joannis* XIV, 16: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis ;* idipsum aurea plane sententia commendat: « Etenim Dei, ac Patris naturalium bonorum substantialiter particeps Filius, habet Spiritum sanctum eo modo, quo habere intelligatur et Pater, non adventitium, nec extrinsecus ascitum. Stultum enim est, vel furiosum potius ita sentire. Sed quemadmodum unusquisque nostrum proprium in seipso spiritum continet, et ex intimis visceribus foras effundit. Propterea et corporaliter ipsum Christus insufflavit; ea re demonstrans, uti humano ex ore corporaliter exit Spiritus, sic ex divina substantia eo modo, qui Deo congruit, illum, qui est ex ea, prodire Spiritum [c]. »

Et in secundo *Dialogorum*, « Spiritum vero sanctum, inquit, appellabis eum, qui ex Deo Patre per Filium naturaliter profunditur, et ut in figura respirationis ex ore manantis propriam nobis existentiam significat [d]. »

XII. Ad idem etiam refertur, quod Spiritus sanctus perinde Filii ἐνέργεια, id est *operatio*, et *efficacitas* dicitur, ac Patris Filius. Talis autem cogitanda est operatio, quæ non accidentis more transeat, sed solida sit, et subsistens; ex quo liquet originem, et productionem substantialem ea voce significari. Id enim ex eo cognoscitur, quod Filius Patris æterni vis, atque ἐνέργεια vocatur; quod sine dubio naturalem illius originem exprimit. Testatur hoc de Filio Cyrillus in sexto *Dialogorum de Trinitate :* « Itaque divinus, inquit, David vivam, et subsistentem operationem, ac virtutem Patris agnoscens Filium, orabat, dicens : *Manda, Deus, virtuti tuæ : confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Paulus vero sapientissimus Christum Dei virtutem, ac Dei sapientiam aperte prædicat [e]. » Item operatio Filii.

Et in primo *Thesaurorum* : « Filius est viva, et substantialis operatio, et virtus, et sapientia Patris [f]. » At idem in secundo *Thesaurorum* Spiritum sanctum appellat ἐνέργειαν Filii: « Manifeste, inquit, ostenditur non alienus esse a Filio Spiritus sanctus, sed in ipso, et ex ipso; ac velut operatio quædam naturalis,

a Athanas. tom. II. Οὐ γὰρ ὅμοιον τὸ χρῖον τοῦ χριομένου· καὶ γὰρ τὸ χρίσμα τοῦτο πνοή ἐστι τοῦ υἱοῦ· ὥστε τὸν ἔχοντα τό πνεῦμα λέγειν· χριστοῦ εὐωδία ἐσμέν.

b Cyril. Hierosol. Ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τὸ ἁγιάζον, καὶ ὑφεστὼς, καὶ πάντοτε πατρὶ, καὶ υἱῷ συμπαρόν· οὐκ ἀπὸ στόματος, καὶ χειλέων πατρὸς, ἢ υἱοῦ λαλούμενον, ἢ ἀναπνευόμενον· οὔτε εἰς ἀέρα διαχεόμενον, ἀλλ' ἐνυπόστατον.

c Cyril. lib. IX *in Joan.* Τῶν γὰρ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς φυσικῶν ἀγαθῶν οὐσιωδῶς ὑπάρχων ὁ υἱὸς κοινωνὸς, ἔχει τὸ πνεῦμα κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, καθ' ὅν περ ἂν νοοῖτο καὶ ὁ πατὴρ, οὐκ ἐπακτὸν, οὐδὲ ἔξωθεν. εὔηθες γὰρ, μᾶλλον δὲ μανικὸν τὸ οὕτω φρονεῖν· ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἡμῶν ἕκαστος τὸ ἴδιον ἐν ἑαυτῷ πνεῦμα συνέχει, καὶ ἐκ τῶν ἐνδοτάτων σπλάγχνων εἰς τὸ ἔξω προχέει. διὰ γάρ τοι τοῦτο καὶ σωματικῶς αὐτὸ ἐνεφύσησεν ὁ χριστὸς, δεικνὺς ὅτι καθώς περ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ἀνθρωπίνου πρόεισι τὸ πνεῦμα σωματικῶς, οὕτω καὶ ἐκ τῆς θείας οὐσίας θεωπρεπῶς προχεῖται τὸ ἐξ αὐτῆς.

In cusis αὐτοῦ.

d Idem in II *Dial.* Ἅγιον δὲ πνεῦμα πρεσερεῖς τὸ ἐκ θεου πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς· καὶ καθάπερ ἐν τύπῳ τῆς ἐκ τῶν στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν κατασημαῖνον ὕπαρξιν.

e Cyril. Καὶ γοῦν ὁ θεῖος Δαβὶδ ζῶσαν τε, καὶ ἐνυπόστατον ἐνέργειάν τε, καὶ δύναμιν τοῦ πατρὸς εἰδὼς τὸν υἱὸν, κατηντιβόλει, λέγων· ἔντειλαι ὁ θεὸς τῇ δυνάμει σου, δυνάμωσον ὁ θεὸς τοῦτο ὃ κατειργάσω ἐν ἡμῖν. Παῦλος δὲ ὁ σοφώτατος χριστὸν θεοῦ δύναμιν, καὶ θεοῦ σοφίαν κέκραγε σαφῶς.

f Idem. Ὁ υἱός ἐστιν ἡ ζῶσα, καὶ οὐσιώδης ἐνέργεια, καὶ δύναμις, καὶ σοφία τοῦ πατρὸς.

1 Num. 75.

quæ complere potest omnia, quæcumque vult [a]. » Et in *Thesaurorum* XXXIV : « Operatio quædam naturalis, inquit, et vivens, et, ut ita dicamus, qualitas deitatis Filii est Spiritus sanctus [b]. »

Sed et ante hunc Athanasius in epistola *ad Serapionem*, eumdem Spiritum vocat ἐνέργειαν Filii. Hæc omnia testimonia Joannes Beccus [1], et Manuel Calecas [2] referunt. Hic vero scribit insuper antiquos Patres Spiritum sanctum passim appellare « naturalem, et substantialem Filii virtutem, et operationem [c]. » Ut ergo Filius ἐνέργεια Patris dicitur, non alia de causa, nisi quia procedit a Patre ; ita Spiritus sanctus, qui perinde Filii vocatur ἐνέργεια, ab eodem ducit originem ; quod diserte Cyrillus explicat [3], dum ἐξ αὐτοῦ, hoc est *e Filio esse*, idipsum interpretatur, ἐνέργειαν illius esse. Et in quarto *contra Nestorium* illam Evangelii historiam, qua femina dicitur a profluvio sanguinis curata, pertractans ex iis Christi verbis, *Ego enim novi virtutem a me exisse* [4]; tum ex istis: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes* [5] ; ita concludit : « Virtus igitur ipsius, ait, est Spiritus ipsius ; idque ex Davide comprobat, qui Spiritum vocat oris ejus [6]: *Os autem Filius est* ;» quem locum supra retuli.

Operationem.

Operationem.

CAPUT VI.

Ex mutua Filii et Spiritus sancti relatione hujus ab illo processio probatur. Esse ordinem quemdam in divinis personis, eumque fixum, et naturalem, non arbitrarium a Patribus constitui. Explicatur, quemadmodum nonnulli ordinem illum sustulerint, neque dignitatis ullum in personis discrimen agnoverint ; alii vero utrumque statuerint. Nullum ratione naturæ ordinem, aut differentiam esse, sed ratione personalium proprietatum, ex posteriorum sententia docetur. Quid sit naturale, vel οὐσιῶδες, *et quatenus personis accommodetur. Numerum ibidem esse, quo prior, et posterior una altera dicitur. Exponitur deinde accuratius habitudo Spiritus sancti ad Filium ; in eaque priores attribui Filio propter solam principii notionem, ob quam etiam pendere ab hoc ille ab quibusdam dicitur.*

I. Firmissimum et illud argumentum est substantialis in Spiritu sancto processionis a Filio, et veterum Theologorum usu contritum, quod ex amborum relatione mutua petitur ; quam ejusmodi esse demonstrant, ut priores in ea partes habeat Filius. Nam eorum, quæ ad se invicem referuntur, genera sunt duo. Quædam ita comparantur, ut æqualiter inter se dicantur, nec alterum anteponatur alteri ; ac proinde idem sit nomen amborum : ut simile, propinquum, amicus, et cætera. Est enim similis simile, et amicus amici, nec majus, aut superius est unum altero. Ea vulgus dialecticorum nominat *relata æquiparantiæ*. Alia sic referuntur, ut unum superius sit, alterum inferius ; eaque diversas habent appellationes, uti sunt Pater, et Filius, servus, et dominus ; quæ *relata disquiparantiæ* barbare dicantur. In quibus alterum excellit, quod ideo *superpositionis* vocatur : alterum subjicitur, idque *suppositionis* dicitur. Jam etsi in divinis personis nulla sit alia præstantior, aut dignitate potior, sed summa sit

a Cyril. Δείκνυται σαφῶς οὐκ ἀλλότριον τοῦ υἱοῦ, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' ἐν αὐτῷ· καὶ ἐξ αὐτοῦ· καὶ ὥσπερ ἐνέργειά τις φυσικὴ, πάντα δυναμένη πληροῦν ὅσα καὶ βούλεται.

b Idem, lib. XXXIV *Thes.* Ἐνέργειά τις φυσικὴ, καὶ ζῶσα, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπωμεν, ποιότης τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστι.

c CALECAS. Καὶ πολλαχοῦ οἱ διδάσκαλοι φυσικὴν, καὶ οὐσιώδη τοῦ υἱοῦ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον θεολογοῦσιν.

1 Cap. III. — 2 Cap. IX. — 3 In II *Thes.* — 4 *Luc.* VIII. — 5 *Luc.* cap. VI. — 6 *Psal.* XXXII, 6.

æqualitas ; auctoritate tamen major una dicitur altera, quia causa, vel principium ejus est. Itaque majorem Patrem esse Filio *propter auctoritatem*, dixit Hilarius [1], aliique complures, uti libro secundo docuimus [2]. Ad hunc itaque modum Filium dicimus sic ab antiquis conferri cum Spiritu sancto, ut priores illi partes tribuantur, ac major appelletur ; quod necesse est ad solam originem, ac principium pertinere. Quare duo hic auctoritate veterum adstruenda sunt : alterum, esse quemdam ordinem inter Filium, et Spiritum sanctum, et eum quidem naturalem, neque temere, ac solo pronuntiantis arbitrio constantem, ut in iis relatis evenit, quæ *æquiparantiæ* dicuntur : alterum, hunc ordinem ex mutua personarum inter se relatione sumi ; tum in ea comparatione majorem dici Filium, eumque *superponi* Spiritui sancto ; quibus, quod consequens est, tertium adjungemus, demonstrari ex eo Filium auctorem ac principium esse Spiritus sancti.

uo sensu una 'rinitatis persona ajor dica- ir altera.

II. Horum primum crebro demonstratur a Patribus ; qui ex legitima, et solemni baptismi formula ordinem esse quemdam adstruunt in personis divinis, eumque naturalem, et immutabilem, quem secus, ac traditum nobis est a Christo, nefas sit componere, adeo ut, si quis Patri proxime subjicere audeat Spiritum sanctum, impie, ac scelerate faciat.

Ordo n divinis personis mutabilis

Tradit hoc imprimis Basilius non uno in loco ; velut in eo, quem antecedenti capite proposuimus ex tertio *contra Eunomium ;* ubi Spiritum sanctum ait « secundum a Filio, tertium a Patre esse ordine, ac dignitate, » ut qui procedat a Filio, ab eoque esse habeat.

Idem in epistola trecentesima, quæ est *ad Canonicas*, sub finem, idipsum evidentissime, gravissimeque commonstrat : « Spiritus vero sanctus, ait, cum Patri, et Filio annumeretur, eo quod creaturam omnem superat, eo collocatur ordine, quem nos in Evangelio Dominus edocuit, dicens : *Euntes baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Qui vero præposuerit ipsum Filio, aut Patre antiquiorem esse dixerit, is Dei ordinationi resistit et ab sana fide alienus est, dum eum glorificationis modum non servat, quem traditum accepit [a]. » Tum interjectis aliquot, ita concludit : « Proinde nova ordinis compositio ipsius existentiæ est eversio, ac fidei totius negatio. Igitur peræque est impium vel in creaturarum conditionem deprimere Spiritum, vel ipsum ante Filium, aut Patrem sive tempore, sive ordine collocare. »

Et in libro *de Spiritu sancto*, capite XVII. « Eodem modo cum Domino Spiritus effertur, quo cum Patre Filius. Nam Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomen similiter editum est. Quare ut se habet Filius ad Patrem ; sic ad Filium Spiritus, secundum verbi Dei ordinem in baptismo traditum. Quod si Spiritus cum Filio conjunctus est, Filius vero cum Patre ; perspicuum est et Spiritum cum Patre conjungi [b]. »

Sic in *Formula fidei*, cui Eustathius Sebastenus subscripsit, quæ inter Basilii epistolas octava et septuagesima numeratur, « Devitare, inquit, oportet etiam illos, qui ordinem a Domino traditum invertunt, tanquam aperte cum veritate pugnantes, et Filium ante Patrem, ac Spiritum sanctum ante Filium collocant. Immotum enim, et incorruptum retinere convenit personarum ordinem, quem ex ipsa voce Domini suscepimus, qui dixit : *Profecti, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* [c]. »

a Basil. Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πατρὶ μὲν καὶ υἱῷ συναριθμεῖται, διότι καὶ ὑπὲρ τὴν κτίσιν ἐστί· τέτακται δὲ ὡς καὶ ἐν Εὐαγγελίῳ δεδιδάγμεθα παρὰ τοῦ κυρίου. εἰπόντος· πορευθέντες βαπτίζετε εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὁ δὲ προτιθεὶς τὸ τὴν (cor. αὐτὸ) τοῦ υἱοῦ, ἢ πρεσβύτερον εἶναι λέγων πατρὸς, οὗτος ἀνθίσταται μὲν τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ, ἀλλότριος δὲ τῆς ὑγιαινούσης πίστεως. μὴ ὃν παρέλαβε τρόπον δοξολογίας φυλάττων.

Postea. Ὥστε ἡ περὶ τὴν τάξιν καινοτομία, αὐτῆς τῆς ὑπάρξεως ἀθέτησιν ἔχει, καὶ ὅλης τῆς πιστεώς ἐστιν ἄρνησις. ὁμοίως οὖν ἐστιν ἀσεβὲς καὶ ἐπὶ τὴν κτίσιν πνεῦμα κατάγειν, καὶ ὑπερτιθέναι αὐτὸ ἢ υἱοῦ, ἢ πατρὸς, ἢ κατὰ τὸν χρόνον, ἢ κατὰ τὴν τάξιν.

b Idem, lib. *de Sp. sancto.* Κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον συνεκφωνεῖται τῷ κυρίῳ τὸ πνεῦμα, καθ' ὃν καὶ υἱὸς τῷ πατρί. τὸ γὰρ ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὁμοίως ἐκδέδοται. ὡς τοίνυν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, οὕτω πρὸς υἱὸν τὸ πνεῦμα, κατὰ τὴν ἐν τῷ βαπτίσματι παραδεδομένην τοῦ λόγου σύνταξιν. εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τῷ υἱῷ συντέτακται, ὁ δὲ υἱὸς τῷ πατρὶ, δῆλον ὅτι καὶ τὸ πνεῦμα τῷ πατρί.

c Idem, ep. LXXVII. Ὅτι φεύγειν δεῖ καὶ τοὺς τὴν ἀκολουθίαν, ἣ παρέδωκεν ἡμῖν ὁ κύριος, ἐναμείβοντας, ὡς φανερῶς μαχομένους τῇ ἀληθείᾳ· καὶ υἱὸν μὲν προτάσσοντας τοῦ πατρὸς, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προτιθέντας. ἀκίνητον γὰρ, καὶ ἀπαρεγχείρητον φυλάσσειν προσήκει τὴν ἀκολουθίαν, ἣν ἐξ αὐτῆς τοῦ κυρίου τῆς φωνῆς παρελάβομεν εἰπόντος· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

1 Lib. II. — 2 Cap. II.

Hunc ordinem immutare nefas.

III. Quocirca baptismi formula, quam Christus ipse prodidit, certum in divinis personis ordinem esse demonstrat, quem pro arbitrio commutare non licet, neque Spiritum sanctum vel non posteriorem Filio, vel anteriorem Patre facere; ut in libro *de Spiritu sancto*, capite XVI, Basilius idem explicat. Quamvis enim interdum Scripturæ promiscue unius personæ ante alteram mentionem faciant; ut cum Apostolus [1] prius Spiritum sanctum, deinde Filium, tum Patrem commemorat, « non idcirco putandum est, ait, totum ordinem esse penitus inversum. » Quippe Paulus « respectum ad nos habuit; quia cum divina dona percipimus, primum in eum, qui distribuit, incurrimus; tum in eum, qui mittit; ac postremo ad fontem et originem bonorum cogitationem evehimus [a]. » Ac profecto naturalis quidam est ordo, de quo interrogati Christiani sic respondent, ut non temere unum præponant alteri; sed ita prorsus, ut in baptismi formula collocati sunt, singulas personas efferant. « Siquidem ita baptizari nos oportet, uti traditum accepimus; credere autem, sicut baptizamur; postremo sic glorificare, ut credidimus, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum [b], » ait idem Basilius. Qui et alio loco egregie disserit, ordinem hunc, qui in divinis cernitur, non ex humano arbitrio pendere, sed esse naturalem, cujusmodi est causam inter, et id, quod est a causa. Nam cum Eunomius [2] dissimilem natura, et inferiorem esse Patre Filium contenderet, neque dici posse putaret, communem quidem utrique esse substantiam, sed ordine, et antecessione temporis alterum priorem esse, alterum posteriorem; Basilius adversus hæc duplicem esse ait ordinem: unum naturalem, qualis est inter causam, et rem effectam: alterum artificiosum, et excogitatum ab homine, cujusmodi in disciplinis, et humanis dignitatibus, ac numeris apparet. Eunomium itaque mala fide agere, qui sic disputet, quasi uniusmodi, et posterioris tantum generis ordo sit; ac vel non animadverterit, vel certe dissimulaverit, esse genus quoddam ordinis, quod ex hominum institutione non pendeat. « Illud vero, inquit, aut non animadvertit, aut sponte dissimulavit, quoddam esse genus ordinis, non nostra institutione constans, sed ipsius naturæ vi consequens; cujusmodi est ignis ad lumen, quod ex ipso est. In his enim priorem esse causam dicimus; posterius vero id, quod est ex ea, non ut intervallo invicem ista sejungamus, sed ut cogitatione prius causam animo concipiamus, quam id, quod ex causa oritur. Cujus itaque rationis est, in iis ordinem negare, in quibus inest prius, ac posterius, non ex institutione nostra, sed ex naturali quadam rerum consecutione? Cur igitur ordinem a Deo abjudicat? Nimirum existimat, si ostenderit non alio modo posse prioris in Deo rationem intelligi, id se consequens habiturum, ut in substantia ipsa demonstretur excellentia. Nos autem secundum relationem causarum ad ea, quæ ex ipsis oriuntur. Patrem Filio præponi dicimus; naturæ vero diversitate non item, neque temporis excessu [c]. » Vides ut ordinem in Deo nullum alium, quam naturalem, Basilius agnoscat; qualis inter causam, principiumve inest, et quod ex eo oritur. Est autem usque adeo naturalis ordo Spiritus, et Filii, ut propria illius notio, et hypostatica in eo constituatur ab eodem Basilio, quod post Filium numeretur: « Hic, inquit, Spiritus personalis proprietatis notam hanc habet, quod post Filium, et cum Filio cognoscatur, atque ex Patre subsistat [d]. » Ita

a Basil. cap. XVI *de Sp. sancto*. Ἤδη χρὴ καθόλου ἀντεστράφθαι τὴν τάξιν. ἀπὸ γὰρ τῆς ἡμετέρας σχέσεως τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν. ἐπειδὴ ὑποδεχόμενοι τὰ δῶρα πρῶτον ἐντυγχάνομεν τῷ διανέμοντι· εἶτα ἐννοοῦμεν τὸν ἀποστείλαντα· εἶτα ἀνάγομεν τὴν ἐνθύμησιν ἐπὶ τὴν πηγὴν καὶ αἰτίαν τῶν ἀγαθῶν.

b Basil. epist. LXXVIII. Δεῖ γὰρ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν, ὡς παρελάβομεν· πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα· δοξάζειν δέ ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

c Basil. I *contra Eunom.* Ἐκεῖνο δὲ ἢ οὐ συνεῖδεν, ἢ ἑκὼν ἀπεκρύψατο, ὅτι ἐστί τι τάξεως εἶδος οὐκ ἐκ τῆς παρ' ἡμῶν θέσεως συνιστάμενον, ἀλλ' αὐτῇ τῇ κατὰ φύσιν ἀκολουθίᾳ συμβαῖνον· ὡς τῷ πυρὶ πρὸς τὸ φῶς ἐστι τὸ ἐξ αὐτοῦ. ἐν τούτοις γὰρ πρότερον τὸ αἴτιον λέγομεν· δεύτερον δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ, οὐ διαστήματι χωρίζοντες ἀπ' ἀλλήλων ταῦτα, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ τοῦ αἰτιατοῦ προεπινοοῦντες τὸ αἴτιον. πῶς οὖν εὔλογον ἀρνεῖσθαι τὴν τάξιν, ἐφ' ὧν ἐστι πρότερον, καὶ δεύτερον, οὐ κατὰ τὴν ἡμετέραν θέσιν, ἀλλ' ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐνυπαρχούσης ἀκολουθίας; τίνος οὖν ἕνεκεν ἀθετεῖ τὴν τάξιν ἐπὶ θεοῦ λαμβάνεσθαι; ἡγεῖται εἰ ἐπιδείξειε μηδαμῶς ἄλλως τὸ πρότερον ἐπὶ θεοῦ νοεῖσθαι, λειπόμενον ἕξειν κατ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν τὴν ὑπεροχὴν ἐπιδείκνυσθαι. ἡμεῖς δὲ κατὰ μὲν τὴν τῶν αἰτίων πρὸς τὰ ἐξ αὐτῶν σχέσιν, προτετάχθαι τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα φαμέν· κατὰ δὲ τὴν τῆς φύσεως διαφορὰν, οὐκέτι, οὐδὲ κατὰ τὴν τοῦ χρόνου ὑπεροχὴν.

d Basil. epist. XLIII. Τὸ πνεῦμα τοῦτο γνωριστικὸν τῆς κατὰ τὴν ὑπόστασιν ἰδιότητος σημεῖον ἔχει, τὸ μετὰ τὸν υἱὸν (perperam τοῦ υἱοῦ) καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ὑφεστάναι.

1 I *Cor.* XIII. — 2 Basil. I *contra Eunom.*

legendum omnino, ut ex Joanne Becco [1] expressimus, et Florentina synodo, sessione XX, ac Manuele Caleca, cap. III, μετὰ τὸν υἱὸν, non ut vulgati codices habent, μετὰ τοῦ υἱοῦ. Alioquin inepta ταυτολογία foret, μετὰ τοῦ υἱοῦ, et σὺν αὐτῷ, quæ idem significant. Quamobrem ex tot Basilii testimoniis evidens est naturali ordine posteriorem esse Filio Spiritum sanctum. Quibus adjungi debet id, quod in *Historiæ* septimo libro Georgius Pachymeres ex eodem Basilio citat. « Secundum, inquit, locum habet a Patre Filius ratione principii; habet item secundum locum a Filio Spiritus, secundum rationem causæ [a]. » Quem locum mirum est a Pachymere proferri, scriptore alioqui Græcorum suorum dogmati addicto. Sed undecumque tandem descriptum sit, nihil eo ad institutum nostrum, et ad os Græcis obstruendum dici potest accommodatius ; ac geminus est alteri illi, quem ex tertio *contra Eunomium*, capite primo produximus.

IV. Athanasius in epistola *ad Serapionem*, ita Spiritum sanctum habere se ad Filium dicit, quomodo Filius ad Patrem ; quoniam ut Pater Filium mittit, ita Spiritum Filius. « Et Filius ait : *Quæ audivi a Patre meo, ea et loquor in mundum. Spiritus vero accipit a Filio. Nam de meo accipiet*, inquit, *et annuntiabit vobis.* Et Filius quidem in nomine Patris venit. *Spiritus vero sanctus*, ait, *quem mittet Pater in nomine meo.* Cum autem talem ordinem, et naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, quomodo ille, qui creaturam istum dicit, non idem et de Filio necessario sentiet [b] ? » Quibus verbis exponit, quod epistolæ ejusdem initio scripserat, eamdem unitatem habere cum Filio Spiritum sanctum, quam Filius habet cum Patre. « Nam si, inquit, propter unitatem Verbi cum Patre, Filium ipsum in creatarum rerum numerum referre nolunt, sed, quod est revera, creaturarum artificem esse ipsum sentiunt ; cur Spiritum sanctum, qui eamdem unitatem habet cum Filio, quam Filius habet cum Patre, creaturam appellant [c] ? » Quod in alia ad eumdem Serapionem epistola, cujus initium est, *Admirabile forsitan*, etc., sic exprimit : « Qualem proprietatem Filii ad Patrem novimus, eamdem ad Filium habere Spiritum sanctum [d]. »

Epiphanius in *Ancorato* Spiritum sanctum « tertium lumen, ac tertiam hypostasim a Patre » nominat.

Huc pertinet insignis Gregorii Nysseni locus, quem ex libro primo *contra Eunomium* attulimus in primo capite ; in quo « Spiritum sanctum ait nullam aliam, nisi ordinis, differentiam habere a Filio ; et ut Patri conjunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit ; sic etiam Spiritum sanctum pendere a Filio, qui sola cogitatione, secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus. »

V. Præterea fixum esse, ac naturalem hunc ordinem, quo Spiritus sanctus post Filium tertius a Patre ponitur, ita ut promiscue, et ante Filium collocari non debeat, declarant veteres, qui Spiritum sanctum cum Patre copulari per Filium asserunt, non vicissim Filium per Spiritum sanctum ; quam μεσιτείαν *Mediationem* vocare solent. Athanasius oratione tertia *contra Arianos*, ut citat Joannes Beccus, cum vulgo quarta numeretur : « Non spiritus, inquit, Verbum conjungit Patri ; sed potius hoc a Verbo Spiritus accipit [e]. » Tum sæpius Spiritum sanctum in Filio esse dicit, et Filium in Patre. Ut in eadem oratione : « Nam quia Verbum est in Patre, Spiritus autem a Verbo datur ; vult nos accipere Spiritum, ut cum eum acceperimus, tunc habentes Verbum, quod est in Patre, videamur et nos, propter Spiritum, unum esse cum Verbo, et per ipsum cum Patre [f]. » Deinde : « Sic in Filio, et in Patre erimus, et unum esse censebimur, quod

a BASIL. Δευτερεύει μὲν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς τῷ αἰτίῳ· δευτερεύει δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον.

b ATHAN. Καὶ ὁ μὲν υἱός φησιν, ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρὸς, ταῦτα καὶ λαλῶ εἰς τὸν κόσμον. τὸ δὲ πνεῦμα ἐκ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει. ἐκ τοῦ ἐμοῦ γὰρ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν, φησί. καὶ ὁ μὲν υἱὸς ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς ἦλθε· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, φησὶν, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου. τοιαύτην δὲ τάξιν, καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ πνεύματος πρὸς τὸν υἱὸν, οἵαν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, πῶς ὁ τοῦτο κτίσμα λέγων, οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει;

c ATHAN. ib. Καὶ γὰρ εἰ διὰ τὴν πρὸς τὸν πατέρα τοῦ λόγου ἑνότητα, οὐ θέλουσιν εἶναι τῶν γεννητῶν αὐτὸν τὸν υἱόν· ἀλλ' ὅπερ ἐστὶν ἀληθῶς, δημιουργὸν αὐτὸν τῶν ποιημάτων φρονοῦντες, διὰ τί τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ πρὸς τὸν υἱὸν τὴν αὐτὴν ἔχον ἑνότητα, ἣν αὐτὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, κτίσμα λέγουσι;

d Idem. Οἵαν γὰρ ἔγνωμεν ἰδιότητα τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα, ταύτην ἔχειν τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱὸν εὑρήσομεν.

e ATHAN. Οὐ τὸ πνεῦμα συνάπτει τὸν λόγον τῷ πατρὶ· ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ λόγου τοῦτο λαμβάνει.

f Idem. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ λόγος ἐστὶν ἐν τῷ πατρὶ, τὸ δὲ πνεῦμα ἐκ τοῦ λόγου δίδοται, θέλει λαβεῖν ἡμᾶς τὸ

1 Cap. IV.

in nobis sit Spiritus, qui est in Verbo ipsius, quod est in Patre [a]. »

Et in epistola *ad Serapionem*, quam paulo ante citavimus : « In Christo erat Spiritus, ut Filius in Patre [b]. » Tum in alia *ad Serapionem* epistola, cujus initium est, *Admirabere forsitan*, etc. « Non enim extra Verbum est Spiritus, sed in Verbo existens, in Deo per ipsum est [c]. » Item : « Cum autem Spiritus sit in Verbo, palam est in Deo quoque Spiritum esse per Verbum [d]. » Basilius vero in libro *de Spiritu sancto*, capite XVIII. « Unus vero et Spiritus sanctus, qui et ipse singulariter profertur, per unum Filium uni Patri copulatus [e]. » Tum quibusdam interjectis, « Proinde via ad Dei cognitionem, inquit, est ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Ac rursus naturalis bonitas, et naturalis sanctificatio, et regalis dignitas a Patre per unigenitum ad Spiritum sanctum pervenit [f]. » Deinde refellit hæreticos, qui ὑπαρίθμησιν, id est *subnumerationem* in eo ponebant, quod diceretur primus, secundus, et tertius, Deum intelligentes primum, secundum, et tertium. Quod quidem ita respuit, ut ordine illo contentos esse nos debere dicat, qui a Domino præscriptus est : « Sed nobis, inquit, sufficit ordo præscriptus a Domino, quem qui confundit, non minus peccatum, quam ipsorum est impietas, admittet [g]. »

Sic Gregorius Nyssenus in primo *contra Eunomium* : « Ex Patre per Filium ad Spiritum concedimus [h]. »

Et Gregorius alter Nazianzenus oratione secunda *de Pace* : « Ita sapimus, inquit, sic habemus, ut quomodo illa quidem habitudine, et ordine invicem habeant, soli Trinitati scire concedamus, et quibus Trinitas revelaverit, qui quidem purgati sint, vel nunc, vel postea [i]. »

Denique Joannes Damascenus, « Deus est, inquit, Spiritus sanctus, medius inter ingenitum, et genitum, et per Filium Patri conjunctus [k]. »

Idem et plerique veterum indicant, dum processionis Filii, ac Spiritus sancti discrimen in eo constituunt, quod Filius ἀμέσως, vel προσεχῶς, *nullo interjecto*, *ac sine medio* ortum habet a Patre, sive ἀμεσιτεύτως, ut loquitur Cyrillus ; Spiritus vero sanctus ἐμμέσως, id est *interjecto alio*, nempe Filio, ac per ipsum, ut Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique pronuntiant, quorum postea verba ipsa referam. Hoc autem explicari nequit, nisi naturalis quidam, ac necessarius ordo sit inter personas tres, qui ex numerantis arbitrio minime pendeat. Alioqui tam Spiritus sanctus proxime a Patre, et non per Filium procedere dici posset, quam Filius a solo Patre, non per Spiritum sanctum, oritur.

Explicantur qui nullum in Trinitate dignitatis gradum agnoscere videntur.

VI. Verum ut de hoc ordine et collocatione personarum uberius, et exactius aliquid expromam , animadverti nonnullos antiquorum videri partim illam enumerandi seriem ex hominum arbitrio petere potius, quam ex rei natura ; partim negare ullam ex ea dignitatis, id est, ἀξιώματος differentiam existere, cum alii in utroque dissentiant. Nam Basilius quidem, ut in capite primo libri hujus exposui , ἀξιώματος discrimen personas inter agnoscit, ex origine unius ab altera, quam ordo, collocatioque sequitur ; tum eumdem ordinem naturalem esse, non arbitrarium, hoc etiam capite superius ostendimus. At ex adverso Gregorius Nyssenus in libro primo *contra Eunomium*-

πνεῦμα, ἵνα ὅταν ἐκεῖνο λάβωμεν, τότε ἔχοντες τὸν λόγον ὄντα ἐν τῷ πατρὶ, δόξωμεν καὶ ἡμεῖς διὰ τὸ πνεῦμα ἓν γενέσθαι ἐν τῷ λόγῳ καὶ δι' αὐτοῦ τῷ πατρί.

a Athan. Οὕτως ἐν τῷ υἱῷ, καὶ ἐν τῷ πατρὶ ἐσόμεθα, καὶ νομισθησόμεθα ἓν γεγενῆσθαι· διὰ τὸ ἐν ἡμῖν εἶναι τὸ πνεῦμα, ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ λογῷ αὐτοῦ τῷ ὄντι ἐν τῷ πατρὶ.

b Idem in ep. *ad Serap.* Ἐν χριστῷ ἦν τὸ πνεῦμα, ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρί.

c Idem in epist. cujus init. Ἴσως θαυμάσεις. Οὐ γὰρ ἐκτός ἐστι τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ἐν τῷ λόγῳ ὂν ἐν τῷ θεῷ δι' αὐτοῦ ἐστιν.

d Mox : Τοῦ δὲ πνεύματος ὄντος ἐν τῷ λόγῳ, δῆλον ἂν εἴη, ὡς καὶ ἐν τῷ θεῷ ἦν διὰ τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα.

e Basil. Ἓν δὲ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ αὐτὸ μοναδικῶς ἐξαγγελλόμενον, δι' ἑνὸς υἱοῦ τῷ ἑνὶ πατρὶ συναπτόμενον.

f Basil. Ἡ τοίνυν ὁδὸς τῆς θεογνωσίας ἐστὶν ἀπὸ ἑνὸς πνεύματος, διὰ τοῦ ἑνὸς υἱοῦ, ἐπὶ τὸν ἕνα πατέρα· καὶ ἀνάπαλιν, ἡ φυσικὴ ἀγαθότης, καὶ ὁ κατὰ φύσιν ἁγιασμὸς, καὶ τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα, ἐκ πατρὸς διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐπὶ τὸ πνεῦμα διήκει.

g Ibid. Ἀλλ' ἡμῖν ἀρκοῦσα ἡ παρὰ τοῦ κυρίου ἐπιτεθεῖσα ἀκολουθία· ἣν ὁ συγχέων, οὐκ ἔλαττον τῆς τούτων ἀσεβείας παρανομήσει.

h Nyssen. a Grets. editus : Ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐπὶ τὸ πνεῦμα ἀναχωροῦμεν.

i Nazianz. Οὕτω φρονοῦμεν, οὕτως ἔχομεν, ὥστε ὅπως μὲν ἔχει ταῦτα πρὸς ἄλληλα σχέσεώς τε, καὶ τάξεως αὐτῇ μόνῃ τῇ τριάδι συγχωρεῖν εἰδέναι, καὶ οἷς ἂν ἡ τριὰς ἀποκαλύψῃ κεκαθαρμένοις, ἢ νῦν, ὢ ὕστερον.

k Damasc. lib. I, cap. XVIII. Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, μέσον τοῦ ἀγεννήτου καὶ γεννητοῦ, καὶ δι' υἱοῦ τῷ πατρὶ συναπτόμενον.

mium editionis posterioris, non solum ordinem illum ex hominum voluntate pendere asserit, sed etiam ἀξιώματος nullum ex eo discrimen existere, cujus verba postea reddam, cum quo sensu scripta sint, aperiam. Sic Theodoretus, epistola CXLVI, nullam ex ordine dignitatis prærogativam effici putat. Gregorius quoque Nazianzenus, etsi ordinem non adimit, non vulgo tamen cognitum scribit, sed soli Trinitati, iisque, quibus indicatum ab illa fuerit, in oratione secunda *de Pace;* quem locum supra posui. Atqui qualiscumque ordo is est divinarum personarum, omnibus utique Christianis est cognitus. Faustus item Rhegiensis epistola XVI, « Majestas, inquit, quæ Patri est indiscreta cum Filio, et Spiritu sancto, distingui nominibus potest, ordinari gradibus non potest. » Non tamen illi invicem contrarii sunt, si id spectemus, quam sui quique dicti, ac sententiæ causam habuerint. De iis, qui dignitatis, ordinisque gradus constituerunt, postea dicam; cur autem alii sustulerint, ex Gregorio Nysseno cognoscitur. Apud hunc impius Eunomius tres οὐσίας constituit: « unam supremam, et omnium principem: secundam, quæ post istam cæteris antecellit: tertiam, quæ cum ambarum nulla comparatur; sed illi quidem ut causæ, huic vero, propter efficientiam, per quam facta est, subjicitur[a]. » Adversus ista Gregorius disputans, *subjectionis* varias affert notiones, et eam imprimis, ut ideo duabus aliis personis subjici dicatur Spiritus sanctus, quod tertius numeretur. Sed hoc ipsum respuit; quoniam Pater eodem jure Filio subjectus erit, eo quod sæpe post Filium Scriptura Patrem collocat: « At ego, inquit, hactenus ejusmodi sapientiam non audivi, quæ, quod secundum, tertiumque numeratur, in eorum ordinem relegat, quæ subjecta sunt, et obnoxia; quod ille vult, dum personarum ex traditione seriem, dignitatum, et naturarum excellentias, inferioresve gradus significare probat. Etenim ordinis consequentiam naturarum diversitatem putat ostendere[b]. » Addit ordinem numerandi nihil rerum naturas immutare, sed eas, ut in se sunt, manere nihilominus, quocumque ordine numerentur. Sicut dum Paulus, et Silvanus, et Timotheus recensentur[1]; non ex eo sequitur Timotheum aliud esse, præter hominem. Quippe « oratio, cum unica voce tres simul exprimere nequeat, separatim cujusque mentionem facit ordine, quo lubet, conjungitque nomina interjectis copulativis particulis[c]. »

VII. In hac tota Gregorii disputatione verissimum illud est, nullam in divinas personas redundare naturæ diversitatem, aut dignitatis differentiam, ex qua dici possit superior alter altero, vel inferior. Atque hoc sensu τοῦ ἀξιώματος discrimen sustulit; ut et primo in libro de duodecim, quos contra eumdem Eunomium scripsit, ubi *subjectionem* illam late refellit. Sic etiam Theodoretus, quem supra laudavimus, « ordinem ait nominum non docere differentiam ullam dignitatum, ac naturarum[d]. » Cui rei comprobandæ Apostoli loca quædam adducit, in quibus usitatus ordo personarum in iis commemorandis invertitur, aut solus ipse nominatur Christus. Hinc etiam βαθμοὶ illi, id est *gradus* inæqualium dignitatum, quos Ariani introduxerant, Græci, Latinique Catholici repudiarunt, ut in secundo libro meminimus, atque ex Latinis Faustum Rhegiensem paulo ante idipsum damnantem audivimus. Cui Toletanam adde synodum tertiam, in qua Gothi Arianam hæresim ejurantes, in *Anathematismo* quinto damnant eos, qui Patrem, et Filium, ac Spiritum sanctum gradibus separant. In hoc intuens Gregorius Nyssenus, sed longius fortasse provectus, sic de iis loqui videtur, quasi nihil ordinis intersit, aut in arbitratu cujusque sit, quo volet, loco quemque in pronuntiando ponere. Atqui si id universe dixeris, falso dixeris. Est enim

Dignitatis.

a EUNOM. apud Nyss. Πᾶς ὁ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων συμπληροῦται λόγος ἔκ τε τῆς ἀνωτάτω, καὶ κυριωτάτης οὐσίας, καὶ ἐκ τῆς δι' ἐκείνην μὲν οὔσης, μετ' ἐκείνην δὲ πάντων τῶν ἄλλων πρωτευούσης· καὶ τρίτης γε τῆς μηδεμιᾷ μὲν τούτων συνταττομένης· ἀλλὰ τῇ μὲν, διὰ τὴν αἰτίαν, τῇ δὲ, διὰ τὴν ἐνέργειαν, καθ' ἣν γέγονεν, ὑποταττομένης.

b Ibid. Ἀλλ' οὐδέπω καὶ νῦν ταύτης ἀκηκόαμεν τῆς σοφίας, ἣ τὸ δεύτερον, καὶ τρίτον ἐκ τινὸς ἀκολουθίας λεγόμενον, εἰς τὴν τῶν ὑποχειρίων, καὶ ὑποτεταγμένων ἀπωθεῖται τάξιν· ὅπερ οὗτος βούλεται, τὴν τῆς παραδόσεως τῶν προσώπων ἀκολουθίαν, ἀξιωμάτων, καὶ φύσεων ὑπεροχάς τε, καὶ ἐλαττώσεις κατασκευάζων ἐνδείκνυσθαι. τῆς γὰρ τῶν φύσεων ἑτερότητος ἐνδεικτικὴν εἶναι τὴν τῆς τάξεως ἀκολουθίαν ὁρίζεται.

c Ibid. Ὁ δὲ λόγος, ἐπειδὴ μιᾷ φωνῇ τοὺς τρεῖς κατὰ ταὐτὸν ἦν ἀδύνατον ἐνδείξασθαι, μέμνηται μὲν διῃρημένως ἑκάστου, κατὰ τὴν ἀρέσασαν τάξιν, συνάπτει δὲ τὰ ὀνόματα διὰ τῶν διὰ μέσου συνδέσμων.

d THEODORET. epist. CXLVI. Ὡς ἡ τάξις τῶν ὀνομάτων οὐκ ἀξιωμάτων, καὶ φύσεων διδάσκει διαφοράν.

1 I *Thes.* II.

non naturalis quidem ordo, si anguste hoc nomen sumitur, ut a natura, quæ est essentia, deductum sit. Non enim plures sunt naturæ. Ordo vero, ut et numerus, nonnisi in pluribus cernitur. Sed naturale interdum illud vocatur, quod est rei insitum, et immutabile, vel quod ab origine convenit, quemadmodum et in *Physicis* Aristoteles « naturam interdum appellari dicit rei productionem, sive viam, quæ tendit ad naturam[a]. » Hoc modo Græci theologi οὐσιῶδες nominant id etiam, quod divinis personis ex personalibus proprietatibus convenit, ut supra meminimus; quod scilicet ei, quod est κατὰ συμβεβηκὸς opponitur, id est *accidenti*. Ita οὐσιωδῶς et *naturaliter* Pater Filium gignit, quia ἐκ τῆς οὐσίας *e substantia, et natura sua* generat. Nec minus οὐσιωδῶς, et naturaliter prius numeratur, quam Filius, et hic, quam Spiritus sanctus; estque adeo naturalis inter divinas personas ordo quidam, quem commutari, ubi serio, ac proprie loqui volumus, nefas esse Basilius existimat in epistola CCC quod in primo capite diximus.

Explicatur quid sit *naturale*, et quatenus personis accommodatur.

VIII. Cui nunc alter accedere debet ejusdem scriptoris locus sane memorabilis, quem ex quarto libro *contra Eunomium* Euthymius descripsit: « Quemadmodum, inquit, Filius ordine est quidem secundus a Patre; prior enim ponitur Pater, cum simul omnes numerantur; *baptizantes enim*, ait, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* sed dignitate secundus est. Quippe Filius est ex Patre, non Pater ex Filio. Natura vero est æqualis. *Ego enim*, inquit, *et Pater unum sumus*. Sic et Spiritus sanctus ordine est quidem posterior Filio, ut in connumeratione monstratum est; nec non dignitate. Nam Spiritus Filii dicitur, tanquam suppeditatus per Filium, etc. Natura autem æqualis est Patri, et Filio. Quibus enim eadem est operatio, iis natura est eadem. At Eunomius in ordinem connumerationis intentus, ipsum naturæ esse tertiæ pronuntiavit[b]. » Hic et ordine, et dignitate posteriorem esse Patre Filium, et utroque Spiritum sanctum, non dubitavit dicere; sed ita, ut sit trium æqualis natura. Quapropter si naturam consideres per sese, ac præcise, nullus ibi est ordo prioris, ac posterioris. Sin personas spectes, ordo est, qui vel personalis appellabitur, vel naturalis eo, quem paulo ante dixi, sensu. Ita dignitas æqualis, et eadem est trium, nisi quod origine Pater anteponitur; et majus ei ἀξίωμα tribuitur, citra perfectionis inæqualitatem. Quare nihil hac ratione interest, quem cui recensendo præponas, ut Gregorius Nyssenus asserit. Nec aliter intelligendus est Arnobius in *Conflictu cum Serapione*; dum « Patrem concedit primum obtinere locum; » et Filium itidem primum. Objicienti vero adversario: « Ergo non est Trinitas; » occurrit: « Trinitas ita est, ut non dicamus primus, secundus, tertius, sed unum, duo, tres. » Quæ responsio plus habet περιεργίας, quam solidæ rationis. Non enim magis tres licet dicere, si naturam attendimus, quam primum, secundum, ac tertium. Quod si personas ipsas intelligimus, utrumque fas est accommodare. Subjicit iis imperatorum trium exemplum Arnobius, qui in uno regno, in una concordia, in una sede, ac cæteris omnibus pares sunt invicem. « Sine dubio, qui toti tres Augusti sunt, toti tres primi sunt. Secundum vero locum, et tertium potestatis[c] ab Augustis ordinatæ habebunt. » Quod sane verum est, si principatus ipsius dignitas, ac potestas agitur. Verum si unus ab altero vel genitus est, vel ascitus in imperii consortium; potest primus, ac secundus numerari. Id quod etiam in divinis personis sola ratio processionis admittit.

Numerus dicitur quo prior et posterior una altera dicitur.

Dignitas.

Vaniloquii

IX. Cæterum referri ad se mutuo Filium, et Spiritum sanctum, et quadam σχέσει, et *habitudine* comparari invicem, asserit Gregorius Nazianzenus oratione XXXVII quæ est quinta theologica, ubi quæstioni, cur Spiritus sanctus non sit Filius, sic respondet: « Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis,

Explicatur accuratius habitudo Spiritus sancti ad Filium.

a Arist. II *Phys.* cap. I, tex. 14. Ἔτι δ' ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡς γένεσις, ὁδός ἐστιν εἰς φύσιν.

b Euthym. *Panop.* par. II, tit. XII. Ὥσπερ ὁ υἱὸς ταξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς· προτέτακται γὰρ ὁ πατὴρ ἐν τῇ συναριθμήσει. βαπτίζοντες γὰρ, φησὶν, αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἔτι δὲ καὶ ἀξιώματι, ἐκ τοῦ πατρὸς γὰρ ὁ υἱός· οὐκ ἐκ τοῦ υἱοῦ ὁ πατὴρ· φύσει δὲ ἴσος. ἐγὼ γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἔσμεν. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τάξει μὲν δεύτερον τοῦ υἱοῦ· καθῶς ἐν τῇ συναριθμήσει δεδήλωται· ναὶ μὴν καὶ ἀξιώματι. πνεῦμα γὰρ υἱοῦ λέγεται, ὡς διὰ τοῦ υἱοῦ χορηγούμενον, etc. Οὐ μὴ υἱὸς πνεύματος· φύσει δὲ ἴσον καὶ πατρὶ, καὶ υἱῷ, οἷς γὰρ ἡ αὐτὴ ἐνέργεια, τούτοις καὶ φύσις ἡ αὐτή. Εὐνόμιος δὲ τῇ τάξει προσχὼν τῆς συναριθμήσεως, τρίτης αὐτὸ φύσεως ἀπεφήνατο.

c Leg. *potestates.*

ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit [a]. »

Et idem in eo loco, qui proxime ante citatus est ex oratione secunda *de Pace*, Trinitatis personas certum habere modum relationis ad se invicem tradit. Athanasius etiam, et Basilius, ille in epistola *ad Serapionem*, hic in libro *de Spiritu sancto*, cap. XVII, quorum verba itidem supra commemoravi, dum eum ordinem ad Filium habere scribunt Spiritum sanctum, quem Filius habet ad Patrem, non obscure σχέσιν, et *relationem*, quam ad Filium habet Spiritus sanctus, ostendunt. Sed et Nyssenus Gregorius insigni illo in loco, quem ex Homilia tertia *in Orationem Dominicam* adduximus, σχέσιν eamdem illustrat his verbis : « Igitur Spiritus, qui ex Deo est, etiam Dei Spiritus est ; at Filius, cum ex Deo sit, non jam ex Spiritu aut est, aut dicitur ; neque hæc relativa consecutio convertitur [b]. » Est igitur relatio quædam Spiritus ad Filium, propter quam Spiritus Filii dicitur ; quæ tamen minime convertitur, ut et Filium dicatur Spiritus sancti. Quibus verbis indicat Gregorius, σχέσιν quamdam exprimi, ac relationem, cum persona quæpiam alterius esse dicitur. Atqui passim Spiritus sanctus appellari solet Filii, vel Christi Spiritus, sive Patris, et Filii. Tum

elativa.

vox ipsa πνεύματος omnino est σχετικὴ, et idem, quod πνοὴ, quæ ad πνέοντα, id est *spirantem*, ordinem, habitudinemque præ se fert. Sic et πρόβλημα ad προβολέα refertur, sicut γέννημα ad γεννῶντα, Quocirca Spiritus sanctus ad Filium refertur. Hæc autem relatio non alia potest esse, quam originis unius ab altero : quod iidem Patres confirmant. Gregorius enim Nyssenus *ad Ablabium* scribens, et in primo *adversus Eunomium*, quem utrumque locum in primo hujus libri capite produximus, nullam aliam differentiam in personis sanctissimæ Trinitatis agnoscit, quam quæ ex ratione principii, ejusque, quod est ex principio, ducitur ; ita ut ea sublata, nihil distinctum sit, sed sola nobis occurrat eadem, communisque natura trium, et essentia. Porro cum personarum differentiam sola σχέσις, *ac relatio* mutua faciat, uti supra diximus, lib. IV, c. X, § IV, et lib. VI, c. XII, § XII, sequitur, hanc ipsam relationem et origine earumdem personarum, ac productione derivari.

X. Jam vero ejusmodi est ista relatio, comparatioque Filii ad Spiritum, ut priores in ea partes Filius habeat, et major esse dicatur itidem, ut in relatione Patris ad Filium major appellatur Pater. Hæc autem major dignitas, quæ et auctoritas dicitur, ut libro secundo vidimus, in eo solo posita est, quod alter sit principium, alter ab illo tanquam principio ducat originem. Neque enim alia præstantiæ, ac superioris gradus in divinis personis excogitari ratio potest, quam originis, ut contra Arianos passim asserunt antiqui Patres. Unde auctor ille, qui Novatiani titulo *de Trinitate* inscriptus est, dum capite XXIV Spiritum sanctum minorem Patre esse dicit, si originis tantum, ac principii rationem duceret, extra suspicionem esset erroris. Sed non est. Nam quæ de Filio non satis ab illo sincere scripta primo in libro, capite V, notavimus, suspectam ejus de Spiritu sancto professionem faciunt. Esse autem majorem illo modo Filium Spiritu sancto, diserte habet Athanasius oratione secunda *adversus Arianos*, quæ a Græcis prima numerari consuevit, ut a Joanne Becco [1]. Cum igitur majestatem Filii contra Arianos Athanasius assereret, neque ob id inferiorem esse monstraret, quod ungi ab Spiritu sancto dicitur ; naturas in Christo distinguit duas, et quid secundum unamquamque dicatur, explicat. Nam ad Judæos ex humana imbecillitate loquens ait, se *in Spiritu Dei ejicere dæmones* [2] : Et, *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ; qui autem contra Spiritum sanctum, non remittetur ei* [3]. Cum autem secundum divinam naturam loquitur (quod ad apostolos facit potissimum) tunc se non minorem Spiritu sancto, sed majorem esse demonstrat : « Ejusmodi ergo Judæis, inquit, tanquam homo loquebatur Dominus ; discipulis vero divinitatem, et majestatem suam indicans, non jam minorem se Spiritu, sed majorem, et æqualem esse significans, Spiritum dabat, et dice-

a NAZIANZ. orat. XXXVII. Τί οὖν ἐστι, φησὶν, ὃ λείπει τῷ πνεύματι πρὸς τὸ εἶναι υἱόν ; εἰ γὰρ μὴ λεῖπόν τι ἦν, υἱὸς ἂν ἦν. οὐ λείπει φαμέν· οὐδὲ γὰρ ἐλλιπὴς θεός. τὸ δὲ τῆς ἐκφάνσεως. ἵν' οὕτως εἴπω, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκεν.

b NYSSEN. Οὐκοῦν τὸ μὲν πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ χριστοῦ πνεῦμά ἐστιν· ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ θεοῦ ὢν οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος οὔτε λέγεται, οὐδὲ ἀντιστρέφει ἡ σχετικὴ ἀκολουθία αὕτη.

1 Cap. XII. — 2 *Matth.* XII, 28. — 3 Ibid. 31.

bat : *Accipite Spiritum sanctum*; et , *Ego ipsum mitto, et ille me clarificabit* [a]. »

XI. Nulla autem alia re, quam processione, et origine, majorem posse dici Filium Spiritu sancto idem Athanasius ostendit; qui Patrem Filio perinde majorem illa una de causa nominari asserit. « Propterea, inquit, et ipse Filius non dixit, *Pater melior est me*, ne alienum ab ejus natura quisquam ipsum putaret; sed *major est*, dixit, non magnitudine ulla, neque tempore, verum quod ab ipso Patre sit genitus [b]. »

Huic Athanasii decreto cæteri Patres adstipulantur, qui dictum illud, *Pater major me est*, de Christo Deo interpretandum existimant; nec aliam ob causam majorem esse, dicique Patrem contendunt, quam quod principium sit Filii, ab eoque sit iste productus. Ita Basilius [1], Gregorius Nazianzenus [2], Chrysostomus [3], Isidorus Pelusiota [4], Cyrillus [5], Joannes Damascenus [6]; et ex Latinis Hilarius [7], Sœbadius [8], aliique, quos libro secundo, capite II, memoravi. Quare invictum hoc argumentum est, quo Spiritus sancti processio non a solo Patre, sed etiam a Filio vindicatur adversus Græcorum hæresim, quod major ipso dicatur Filius. Non enim aliud occurrit, cujsgratia minor appellari possit Filio Spiritus sanctus, nisi idem, quod in Filio cum Patre comparato ex communi illa veterum opinione cernitur. Nam neque natura, neque majestate, ac gloria; neque re alia ulla Filio est inferior, ne cum Arianis, et Macedonianis impie illud usurpemus , quod apud Photium [9] dixit et Pierius presbyter Pamphili martyris dogmatum interpres, ὑποβεβηκέναι αὐτὸν τῆς τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ δόξης ; quod hæreticum est. Utrumque hoc autem, et majorem in ea σχέσει Filium esse, et id ex principii proprietate consequi declarant alia vocabula, quibus hac in re Patres utuntur ; ut cum Spiritum sanctum pendere dicunt a Filio, vel ex eo aptum et suspensum esse, ac demum cætera omnia, quæ ad significandam principii in Patre proprietatem, et cum Filio comparationem adhibent, ad Filium etiam, ut ad Spiritum sanctum refertur, accommodare student; quæ hoc reliquo capite, et sequenti a nobis exponenda sunt.

Minorem illum Patris ac Filio gloria. Relatione.

Spiritum itaque sanctum a Filio pendere, ex eoque suspensum esse docet Basilius, epistola XLIII quam ad fratrem suum Gregorium Nyssenum scripsit *de Differentia substantiæ, et hypostasis* : « Quoniam igitur, inquit, Spiritus sanctus, a quo, velut ex fonte, bonorum omnium in creatas res largitas emanat, a Filio quidem dependet, quocum sine ulla distantia mente comprehenditur; ex Patre vero, ut principio, suspensum habet esse, unde et procedit; hanc proprietatis, quæ est secundum hypostasim, notam obtinet, ut post Filium, et cum ipso dignoscatur [c]. »

Ita Gregorius Nyssenus [10] in calce libri primi *contra Eunomium* a Gretsero editi, Spiritum sanctum ait ἔχεσθαι τοῦ μονογενοῦς, quod est, *ex Unigenito pendere*.

Ex quo perspicue colligitur Filium esse principium Spiritus sancti, et hunc ab illo produci, et essentiam accipere. Quippe non potest alio modo pendere a Filio, nec ab eo quidquam accipere, nisi ut originem ab eodem trahat. Agit autem illic Basilius, necnon Gregorius de eo, quod est οὐσιῶδες Spiritui sancto; quo scilicet ejus persona constituitur, et a Filio distinguitur. *Substantiale.*

a ATHAN. orat. II. Τοιαῦτα μὲν οὖν τοῖς Ἰουδαίοις ὡς ἄνθρωπος ἔλεγεν ὁ κύριος· τοῖς δὲ μαθηταῖς τὴν θεότητα, καὶ τὴν μεγαλειότητα δεικνὺς ἑαυτοῦ, οὐκέτι ἐλάττονα ἑαυτὸν τοῦ πνεύματος, ἀλλὰ μείζονα, καὶ ἴσον ὄντα σημαίνων, ἐδίδου μὲν τὸ πνεῦμα, καὶ ἔλεγεν· λάβετε τὸ πνεῦμα ἅγιον, καὶ, ἐγὼ αὐτὸ ἀποστέλλω· κἀκεῖνος ἐμὲ δοξάσει.

b ATHAN. ibid. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς οὐκ εἴρηκεν· ὁ πατήρ μου κρείττων ἐστίν· ἵνα μὴ ξένον τῆς ἐκείνου φύσεως αὐτὸν ὑπολάβοι. ἀλλὰ μείζων εἶπεν· οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ· ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν.

c BASIL. ep. XLIII. Ἐπειδὴ τοίνυν τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀφ' οὗ πᾶσα ἐπὶ τὴν κτίσιν ἡ τῶν ἀγαθῶν χορηγία πηγάζει, τοῦ υἱοῦ μὲν ἤρτηται, τῆς δὲ τοῦ πατρὸς αἰτίας ἐξημμένον ἔχει τὸ εἶναι, ὅθεν καὶ ἐκπορεύεται, τοῦτο γνωριστικὸν τῆς κατὰ τὴν ὑπόστασιν ἰδιότητος σημεῖον ἔχει, τὸ μετὰ τοῦ υἱοῦ (Cor. τὸν υἱόν) καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι.

* Optima correctio. Μετὰ τὸν υἱὸν exhibent plures optimæ notæ manuscripti codices. Lectio μετὰ τοῦ υἱοῦ ferri non potest. J. B. F.

1 I *contra Eunom.* et III. — 2 Orat. XXXV. — 3 Hom. LXXIV *in Joan.* — 4 Lib. III, ep. CCCXXXIV. — 5 Lib. II *Thes.* cap. III. — 6 Lib. I, cap. IX. — 7 Lib. IX. — 8 Lib. *contra Arian.* — 9 Cod. 129. — 10 Citatus est in cap. I libri hujus.

CAPUT VII.

Spiritum sanctum a Græcis Patribus Filii Imaginem appellari; tum etiam Verbum. Id quo sensu usurpatum sit, exponitur; ex eoque processio Spiritus a Filio demonstratur. Vultum itidem Filii nominari Spiritum, quemadmodum Patris vultus dicitur Filius.

I. Pertinent ad eamdem principii demonstrandam in Filio proprietatem, processionis autem ab hoc in Spiritu sancto, quædam alia vocabula, quibus affici iste solet; quæ quidem tum relativa sunt, tum ita Filio convenire censentur, nihil ut nisi originem ejus exprimant a Patre.

piritus S. imago lii dicitur

Ex his primum, maximeque insigne est *Imaginis* nomen; quod Græci theologi Spiritui sancto perinde tribuunt, cum ad Filium refertur; ac Filio, quando cum Patre componitur.

Igitur imaginem Filii esse Spiritum sanctum, declarat antiquissimus scriptor Gregorius cognomento Thaumaturgus in *Professione* illa *fidei*, quam a beata Virgine, et Joanne evangelista traditam illi esse memorant; quam non Eusebius, sed interpolator ejus Ruffinus[1] in illius *Historiæ* libro septimo refert. Ibi inter alia Spiritus sanctus vocatur εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, *Imago Filii*. Et in altera *Expositione*, quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις inscribitur, nec tamen est germana Gregorii, ut recte Bellarminus[2] judicat, « Dominus (inquit de Filio loquens) est prototypus Spiritus sancti. » Prototypum hic exemplar vocat, cui quidem imago respondet. Ita Basilius accipit in V *adversus Eunomium*. Et in quarto *contra Eunom.* γεννήτορα, et πρωτότυπον Filii Patrem nominat. Athanasius vero in epistola *ad Serapionem* idipsum egregie, multisque declarat; atque hoc argumento utitur, ut Spiritum sanctum creaturam non esse demonstret; quoniam quidem Filii est imago. « Imago, inquit, Filii dicitur, et est Spiritus: *Quos enim cognovit, et prædestinavit conformes imaginis Filii sui*[3]. Quare cum in confesso sit apud illos, Filium non esse creaturam, neque creatura esse potest illius imago. Nam qualis demum est imago, talem et eum oportet esse, cujus est imago. Hinc merito, ac consentanee confitemur. Verbum non esse creaturam, quod Patris imago sit[a].» Quam rationem ita eodem in loco prosequitur, ut indidem Spiritum sanctum « proprium esse substantiæ Filii colligat, quoniam ex Deo est, sicut quia Filius ex Deo est, proprius est ipsius substantiæ, » quem locum in secundo capite libri hujus attuli. Addit ex eo fieri, ut quæcumque Filio competunt, ut sapientia, veritas, virtus Dei, gloria, eadem et Spiritui sancto, velut propria, tribuantur. Quamobrem et imaginis illa notio, et substantiæ, earumque proprietatem, quæ substantiam Filii consequuntur, expressio, naturalem ab eo Spiritus originem prædicant.

enitorem et ototypum.

Sic in epistola prima, et secunda *ad Serapionem*, quæ sunt in posteriore tomo, in hac quidem asserit, tametsi Spiritus sanctus imago sit Filii, non tamen esse Filium; in illa vero, Spiritum ait esse σφραγῖδα, « sigillum, quod Filium exprimit, ut is, qui Spiritu sancto signatur, Christi formam habeat[b]. » Item esse μορφὴν τοῦ υἱοῦ, *formam Filii*.

II. Basilius in quinto *adversus Eunomium*, « imago quidem, ait, Dei Christus, qui est, inquit, *imago Dei invisibilis*: imago vero Filii Spiritus, et qui hujus sunt participes, filii conformes fiunt, sicut scriptum est: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Fili sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*[c]. » Et tertii ab illo capituli hæc inscriptio est: « Quod imago vera, ac naturalis Dei, ac Filii Spiritus est[d]. »

Capite item altero ex sequentibus, causam

a Athan. Εἰκὼν τοῦ υἱοῦ λέγεται καὶ ἔσται τὸ πνεῦμα· οὓς γὰρ ἔγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· οὐκοῦν τοῦ υἱοῦ κατ' ἐκείνους ὁμολογουμένου μὴ εἶναι κτίσματος, οὐκ ἂν εἴη οὐδὲ ἡ τούτου εἰκὼν κτίσμα. ὁποία γὰρ ἂν εἴη ἡ εἰκὼν, εἶναι τοιοῦτον ἀνάγκη, καὶ τὸν οὗ ἐστιν ἡ εἰκών. ὅθεν εἰκότως, καὶ πρεπόντως ὁ λόγος ὁμολογεῖται μὴ ὢν κτίσμα, εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὑπάρχων.

b Athan. Χρίσμα, καὶ σφραγὶς λέγεται, καὶ ἔστι τὸ πνεῦμα. Mox: Ἡ σφραγὶς δὲ τὸν υἱὸν ἐκτυποῖ, ὡς τὸν σφραγιζόμενον ἔχειν τὴν τοῦ υἱοῦ μορφήν. Mox: Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα εὐωδία, καὶ μορφὴ τοῦ υἱοῦ ἐστιν, εὔδηλον ὡς οὐκ ἂν εἴη τὸ πνεῦμα κτίσμα.

c Basil. V *contra Eun.* Εἰκὼν μὲν θεοῦ Χριστὸς, ὅς, ἐστι, φησὶν, εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου. εἰκὼν δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ οἱ τούτου μεταλαμβάνοντες υἱοὶ σύμμορφοι, κατὰ τὸ γεγραμμένον ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους, φησὶ, τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς.

d Ibid. Ὅτι εἰκὼν ἀληθὴς, καὶ φυσικὴ θεοῦ, καὶ Χριστοῦ τὸ πνεῦμα.

1 Lib. VII Eus. cap. xxv. — 2 Lib. *de Scr. Eccl.* — 3 *Rom.* VIII, 29.

inquirit, cur cum Dei quidem imago sit Christus, Christi vero Spiritus sanctus, non sit appellatus Spiritus, Filii Filius. » Quo ex loco etiam argumentum hoc contra Græcos Manuel Calecas [1], et Bessario [2] colligunt. Nam si nihil ad Spiritus sancti productionem conferre Filium Basilius existimaret, facile os obstrueret Eunomio hac una præscriptione : ideo Filium non dici Filii Spiritum sanctum, quoniam a Filio non procedit. At eo non usus est Basilius, sed idcirco ait non vocari Filium Filii, ne ad plures alias personas propagaretur Trinitas; quoniam si a Filio Filius aliquis oriri diceretur, etiam ab hoc alius nasci putaretur, et ita deinceps. Proinde nisi hoc periculum obstaret, dici illud posse Basilius assentiretur; adeoque principium esse Spiritus sancti Filium arbitratus est, ut Bessario disputat. Sed de hac Basilii ratione paulo post. Cujus et ex tertio *contra Eunomium* hæc verba citat Hugo Etherianus [3] : « Imago vera, et naturalis Filii Spiritus, non ex imagine divina, quemadmodum nos. Imo enim cum sit imago, non habet imaginem, et cum sit unctio, non habet unctionem. »

III. Cyrillus Alexandrinus variis in locis idem inculcat. Ut in libro *Thesauri* XXXIII. « Quemadmodum igitur, ait, quoniam exactissima imago Patris est Filius, qui ipsum recipit, Patrem etiam habet ; ita servata eadem analogiæ ratione, qui imaginem Filii recipit, nempe Spiritum, omnino per ipsum habet Filium, et Patrem, qui est in eo. Quinam ergo inter facta opera numerabitur Spiritus sanctus, si est imago nulla re discrepans Filii Dei [a] ? » Et : « Quod si imago Filii Spiritus vocatur, Deus itaque est, et non aliter ? »

Item libro XI *Commentariorum in Joannem* : « Nam quia substantiæ Unigeniti sincera est imago Spiritus ipsius, quemadmodum scriptum est a Paulo [4] : *Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes imaginis Filii sui* [b]. »

Et eodem in libro : « Imago sincera Patris est Filius ; similitudo vero naturalis Filii est Spiritus ipsius [c]. » In paschali quoque epistola x Filii μορφὴν, id est, *formam*, vocat Spiritum sanctum. Item in septimo *Dialogorum* præclare de eodem argumento disserit. « Nam character quidem verus, inquit, et ad summam diligentiam, quæ in effigiando intelligitur, exactus, Filius est ipse. Sincera autem assimilatio, et naturalis Filii Spiritus est, ad quem et nos sanctificatione figurati, ad ipsam formam Dei conformamur [d]. » Tum hæc addit : « Esse autem Spiritum veram Filii similitudinem, scriptum audies ab apostolo Paulo : *Quoniam, quos præscivit, hos et prædestinavit conformes imaginis Filii sui.* »

Joannes Damascenus in primo *de Fide orthodoxa*, cap. XVIII, « Imago, inquit, Patris est Filius, et Filii Spiritus, per quem Christus habitans in homine, dat ipsi ut ad imaginem sit [e]. » Sic in libro tertio *de Imaginibus*. Vide Cyparissiotum [5], Hugonem Etherianum, Manuelem Calecam, et Bessarionem. Ergo omnes isti consentiunt, Spiritum sanctum nativam, et germanam esse imaginem Filii proinde, ut hic Patris est ; idque ex Apostoli verbis in epistola *ad Romanos* colligunt, qui imaginem Filii Dei nominans, Spiritum sanctum intellexisse videtur. Etenim ut communis fert opinio veterum Patrum, de qua postea dicendum erit, Spiritus sanctus non solum gratia efficientiaque sua, sed etiam præsentia, et substantia, Dei in nobis imaginem restituit. Unde et *signaculum*, id est χαρακτὴρ, sive σφραγὶς dicitur, vel σημαντρον [6], ceu sigillum quoddam, quo Christi ac Dei nobis effigies imprimitur : *In quo credentes*, ait Paulus [7], *signati estis Spiritu promissionis sancto*. Et

a Cyril. *Thes.* lib. XXXIII. Ὥσπερ οὖν ἐπειδήπερ εἰκών ἐστιν ἀκριβεστάτη τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ὁ δεξάμενος αὐτὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει· οὕτως ἐπὶ τὸ ἴσον σχῆμα τῆς ἀναλογίας τρεχούσης ὁ δεξάμενος τοῦ υἱοῦ τὴν εἰκόνα, τουτέστι τὸ πνεῦμα, ἔχει πάντως δι' αὐτοῦ τὸν υἱὸν, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ πατέρα. πῶς δὲ ἐν ποιήμασι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καταριθμηθήσεται, εἴπερ ἐστιν εἰκὼν ἀπαράλλακτος τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ;

Mox : Εἰ δὲ εἰκὼν τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα καλεῖται, θεὸς ἄρα, καὶ οὐχ ἑτέρως.

b Idem. lib. XI *in Joan.* Ἐπειδὴ γάρ ἐστι τῆς τοῦ μονογενοῦς οὐσίας εἰκὼν ἀκραιφνὴς τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, κατὰ τὸ γεγραμμένον διὰ τοῦ Παύλου· οὓς γὰρ προέγνω, καὶ προώρισε, συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.

c Idem. Εἰκὼν μὲν γὰρ ἀκραιφνὴς τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ὁμοίωσις δὲ φυσικὴ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ.

d Cyril. in VII dial. Χαρακτὴρ μὲν γὰρ ἀληθινὸς, καὶ εἰς λῆξιν ἀκριβείας τῆς κατ' ἐμφέρειαν νοουμένης αὐτὸς ἐστιν ὁ υἱός· ὁμοίωσις δὲ ἀκραιφνής τε, καὶ φυσικὴ τοῦ υἱοῦ, τὸ πνεῦμά ἐστιν· πρὸς ὃ καὶ ἡμεῖς μορφούμενοι δι' ἁγιασμοῦ πρὸς αὐτὴν εἰδοποιούμεθα τοῦ θεοῦ μορφὴν. Mox : Ὅτι δὲ ὁμοίωσις ἀληθὴς τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμά ἐστι, γεγραφότος ἀκούσῃ τοῦ μακαρίου Παύλου ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.

e Damasc. Εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, δι' οὗ ὁ Χριστὸς ἐνοικῶν ἀνθρώπῳ, δίδωσιν αὐτῷ τὸ κατ' εἰκόνα.

1 Cap. xv et xxII. — 2 In *Lib. dogm.* cap. vI et lib. *de Proces. Spirit. sanc.* — 3 Lib. VII, cap. vII. — 4 *Rom.* vIII, 29. — 5 Dec. IX, cap. vI. — 6 Cyr. III *in Joan.* et dial. V. — 7 *Eph.* I, 13.

alibi[1] : *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in diem redemptionis.* Quod aptissime declarat his verbis Didymus[2] : « Cum autem Filius imago sit Dei invisibilis, et forma substantiæ ejus; quicumque ad hanc imaginem, vel formam imaginantur, atque formantur, adducantur in similitudinem Dei; juxta vires tamen humani profectus, istiusmodi formam, et imaginem consequentes. Similiter et Spiritus sanctus, cum sit signaculum Dei, hi qui formam et imaginem Dei capiunt, signati per eum, in eo ducuntur ad signaculum Christi, sapientiæ, et scientiæ, et insuper fide pleni. »

IV. Cæterum ex eo, quod Spiritus sanctus imago Filii nominatur, recte concludit Hugo Etherianus[3], necnon Manuel Calecas[4], a Filio esse habere Spiritum sanctum, quemadmodum Filium a Patre, ut sit, habere demonstramus inde, quod illius imago dicatur « Imago enim dicitur Filii Pater, ait Gregorius Naz., tanquam consubstantialis Patris, et quia ex illo est, non autem ex hoc Pater [a]. » Quare nisi Spiritus sanctus esset a Filio, non appellaretur imago illius potius, quam Filius Spiritus sancti; neque Filius archetypum vocaretur ipsius. Sane Basilius in hom. *cont. Sabellianos, Arium, et Anomœos*, quid in Filio sit imaginem esse declarans, idem vult esse, quod splendorem a luce manantem. « Est igitur idem, inquit, hypostasis, quod gloria : figura idem, quod splendor [b]. » At proxime ante dixit : « Illic vero, cum audis imaginem, gloriæ intellige splendorem. » Ut igitur ἀπαύγασμα, hoc est *resplendentia*, ut sic dicam, ab luce oritur; sic imago, et quæ vocabulo hoc affecta est in Trinitate persona, originem ab eo accipit, cujus imago dicitur. Accedit eodem, quod non simpliciter *imago Filii* vocatur a Patribus, sed *naturalis imago*, ut a Cyrillo; quod sanctus Thomas in opusculo *contra Græcos* expendit. « At non potest, ait, dici imago naturalis Filii Spiritus sanctus, nisi in quantum secundum naturam Filio similatur, accipiens a Filio naturam. « Omnino igitur ad imaginis rationem necesse est, ut originem habeat a prototypo ; alioqui non magis unum imago erit alterius, quam hoc illius, sed ambo ex æquo invicem similia dicentur. « Omnis imago, ait Augustinus[6], similis est ei, cujus imago est; nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus, sicut in speculo, vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen, si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. » Ubi ad imaginis rationem exigere hoc videtur, ut natus sit; quo sensu Filio soli convenit. Unde Augustinus[7] idem adversus Arianos disputans asserentes, « totius bonitatis, et sapientiæ, et virtutis Patris vivam, et veram, et propriam, et condignam imaginem esse Filium ; totius vero sapientiæ, et virtutis Filii manifestationem Spiritum sanctum, » sic eos refellit : « Imago autem plena, atque perfecta, id est, non ab illo ex nihilo facta, sed de illo genita, nihil minus habet, quam ille cujus imago est. Patris quippe imago summa, id est, ita similis, ut in ea dissimile aliquid non sit, Filius est unigenitus. Non sunt tamen ausi dicere imaginem Filii Spiritum sanctum, sed manifestationem. Propter hoc nec genitum, sed factum ab illo esse dixerunt. »

Nimirum duplex *imaginis* est notio. Nam aut universe de eo dicitur, quod *existit ab alio*, et ejus *similitudinem gerit*, ut sanctus Thomas ait[8], et hoc modo Spiritui sancto convenit; aut sic existit ab alio, « ut ex ipsa suæ originis ratione habeat, quod similitudinem gerat ejus, a quo existit, in quantum ab altero, ut Filius genitus, vel ut Verbum conceptum ; et sic solus Filius dicitur imago. » Ideo Latini fere Patres solum Filium imaginem appellant, ut idem sanctus Thomas animadvertit[9]. Quæ res pluribus explicanda erit postea. Hoc modo satis est, qualemcumque rationem imaginis accommodari non posse Spiritui sancto, nisi ab illo naturam et existentiam accipiat, cujus imago dicitur.

V. Præterea uti Verbum Patris appellatur Filius, ita Filii Verbum Spiritus sanctus quod apud Basilium legitur in quinto *adversus Eunomium*. « Neque sine Filio facit Pater, neque Filius sine Spiritu. Propterea Dei quidem Sermo est Filius; Verbum autem Filii Spiritus. *Portans* enim, inquit, *omnia verbo virtutis suæ* [c]. » Sic Marius Victorinus in tertio *adversus Arium*, « Christus, inquit, vox; Pa- Spiritus Verbum Filii appellatus et quo sensu

a Naziánz. orat. xxxvi. Εἰκὼν δὲ, ὡς ὁμοούσιον· καὶ ὅτι τοῦτο ἐκειθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατήρ.

b Basil. homil. *contra Sabell.* Ταὐτὸν οὖν ἔστι τῇ δόξῃ μὲν ἡ ὑπόστασις· τῷ ἀπαυγάσματι δὲ ὁ χαρακτήρ. Ibid. Ἐκεῖ δ' ὅταν ἀκούσῃ εἰκόνα, ἀπαύγασμα νόει τῆς δόξης.

c Basil. V *contra Eunom.* Μήτε χωρὶς υἱοῦ ποιεῖ πατὴρ· μήτε υἱὸς χωρὶς πνεύματος. διὰ τοῦτο καὶ θεοῦ

1 *Eph.* iv, 30 — 2 Lib. II *de Spirit. sanc.*— 3 Lib. II, cap. vii. — 4 Cap. xxii. — 5 Cap. xxxii— 6 Lib. *de Gen. ad lit. imper.*— 7 Lib. *cont. Serm. Arian.* cap. xxvi. — 8 Opusc. I *cont. Gr.* cap. x. — 9 In I par., qu. xxxv, art. 2.

racletus vox vocis. » Quod idem et in primo libro docuit : « Filius, inquit, jam vox ; Paracletus vox vocis. » Ubi verbum, sive vocem pro substantiali, sive essentiali cognitione ac sapientia videtur accipere, sive pro actu ipso, quo Deus cognoscit omnia, eorumque notitiam exprimit. Hoc enim tribus est commune personis. Quare idem est *vocem vocis* esse Spiritum sanctum, ac sapientiam sapientiæ, hoc est, ex sapientia profectam, quomodo Patrem perinde, ac Filium Verbum esse, Victorinus[1] idem asserit. « Hoc ergo modo, ait, cum verbum Pater sit, et Filius verbum, id est sonans verbum, atque operans; ergo, inquam, si et Pater et Filius verbum est, una substantia est. » Sic Idacius libro *adversus Varimadum* : « Verbum Dei Patris Filius ; Verbum Dei Spiritus sanctus. » Ubi tamen non Filii, sed Patris verbum appellat Spiritum sanctum ; idque ex Apostolo probat, qui *ad Ephesios* VI, *Et gladium*, inquit, *Spiritus, quod est verbum Dei*. Sanctus Thomas in primo opusculo *contra Græcos*[2], Basilii locum illum, quem citavimus, sic intelligit, ut Spiritus sanctus verbum Filii dicatur « effective, in quantum sancti ab eo inspirati de Filio sunt locuti. » Sed si hoc minus solum usurpetur, non Filius Spiritus sancti verbum appellari debet, quia Spiritum sanctum ita nuntiat, ut auctor illius tractatus *de Fide ad Cyrillum* loquitur, qui exstat inter opera Hieronymi. « Vides igitur, inquit, quod Spiritus sanctus annuntiat Filium, et docet de Filio ; et Filius de Patre, et Spiritu sancto ; et Spiritus sanctus docet de Patre, et de Filio. » Quare cum propria quadam ratione Verbum Filii nuncupetur Spiritus sanctus, non debet generali hac et communi tribus personis intelligi, sed peculiari quadam et restrictiori, quæ originem et processionem significet, vel substantialem, vel quæ sit in tempore, ex qua deinde substantialis ista concludendo ducatur.

Multum ad hanc nostram illustrandam sententiam juvat præclarus Cyrilli locus ; ubi Spiritum sanctum ait esse *Mentem Filii*. Ideo nihil *ex seipso loqui* Spiritum, sed ea tantum, quæ sunt in Filio, cujus est mens. Quare cum loquitur Spiritus, ipsummet loqui Filium. Ac subinde Verbum ipsum mentis instar esse dicit, Spiritum vero sermonis, qui e mente proficiscitur ; atque ita Christi verba illa, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*[3], explicat : « Velut si mens, quæ inest in homine, de sermone ex seipsa prodeunte dicat : Non loquetur a seipso quidquam, sed quæcumque audierit, loquetur[a]. » Quod eo fieri mox ait, « quia ex ipsius substantia naturaliter procedit, totam ejus voluntatem habet, ut et operationem[b]. »

VI. Superiori imaginis appellationi annecti potest et illa προσώπου, quod est *vultus*, sive *facies*. Ut enim πρόσωπον τοῦ πατρὸς, id est, vultus Patris dicitur Filius, eoque nomine hic ab illo procedere significatur ; ita Spiritus sanctus vultus nominatur Filii, ac proinde ab hoc ille procedit. Filium vocari πρόσωπον atris, complura veterum loca demonstrant. Clemens Alexandrinus de angelo loquens, qui Jacobo apparuit, cum eoque luctatus est, eum putat Dei fuisse Filium, atque ideo Jacobum ei loco nomen indidisse εἶδος θεοῦ, *speciem Dei*, quod est Phanuel. Quippe, *Vidi*, inquit, *Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*. « Facies porro Dei Verbum est, quo illuminatur Deus, et cognoscitur[c]. »

Cyrillus Alexandrinus in quinto *Dialogorum* ab Joanne Becco[4], et Manuele Caleca[5] citatus « Nam Filium velut Patris esse faciem, inquit, facile Psaltes docere poterit interdum sic dicens : *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam*[6] ? Interdum vero ex persona eorum, qui in ipsum crediderunt : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*[7]. Obsignati enim sumus sancto Spiritu, ad similitudinem, et expressionem faciei Patris, hoc est Filii[d]. » Item in primo *Com-*

μὲν λόγος ὁ υἱὸς, ῥῆμα δὲ υἱοῦ τὸ πνεῦμα. φέρων γὰρ, φησὶ, τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.

a Cyril. XXXIV *Thes.* Ὥσπερ ἂν εἰ καὶ ὁ ἐν ἀνθρώπῳ νοῦς λέγοι περὶ τοῦ προκύπτοντος ἐξ αὐτοῦ λόγου, οὐ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδέν· ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει.

b Ibid. Ἀλλ' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ φυσικῶς προϊὸν, καὶ ὅλην αὐτοῦ τὴν βούλησιν ἔχον, ὥσπερ καὶ τὴν ἐνέργειαν.

c Clem. Alex. I *Pæd.* cap. VII. Εἶδον γὰρ, φησὶ, θεὸν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, καὶ ἐσώθη μου ἡ ψυχή. πρόσωπον δὲ τοῦ θεοῦ ὁ λόγος, ᾧ φωτίζεται ὁ θεὸς καὶ γνωρίζεται.

d Cyril. Ὅτι γὰρ οἱονεὶ πρόσωπον τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ὁ υἱός ἐστιν, ἐκπαιδεύσειεν ἂν εὐκόλως ὁ ψαλμῳδὸς, καὶ ποτὲ μὲν λέγων· ποῦ πορευθῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός σου, καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου ποῦ φύγω ; ποτὲ δὲ αὖ, ὡς ἐκ προσώπου τῶν εἰς αὐθὸν πεπιστευκότων, ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου, κύριε. κατεσφραγίσμεθα γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι πρὸς ἐμφέρειαν, καὶ ὁμοίωσιν τοῦ προσώπου τοῦ πατρὸς, τουτέστι τοῦ υἱοῦ.

1 Lib. III. — 2 Cap. XII. — 3 *Joan*, XVI, 13. — 4 Cap. III. — 5 Cap. XXII. — 6 *Psal.* CXLVIII. — 7 *Psalm.* IV.

mentariorum ad Joannem : « Insuper cum Psalmista dicat, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*[1]; quemnam vultum Dei Patris intelligit, cujus lumen super nos signatum est ? An patet omnibus, quia unigenitus Dei Filius vultus Patris appellatur, nulla re discrepans illa imago, qui de se dicit : *Qui videt me, videt Patrem* [a] *?* » Ubi, quo sensu vultus Patris appelletur, exponit; nimirum quod imago sit, et character substantiæ illius, in quo videtur Pater ; quemadmodum alio in loco dicit ad illa Joannis: *Hunc enim Pater signavit Deus*[2] ; quibuscum et Davidis ista componit : *Signatum est super nos lumen vultus tui.* « Vultum Dei Patris, inquit, Filium appellat, id est, Patris characterem ; lumen vero illius gratiam Spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas[b]. » Ac statim: « Quoniam vero in confesso est, Filium esse vultum Dei et Patris, erit utique et ipse character, in quo signat Deus; » et in sexto dialogo *de Trinitate*, et in tertio *Glaphyrorum*. Hugo Victorinus in quæstione CCXXII in epistolam *ad Romanos*, cum quæsisset, cur Spiritus sanctus, qui perinde est Patri similis, ac Filius, non sit imago Patris; ita respondet : « Quia imago Patris magis pertinet ad proprietatem generationis, quam processionis. Ea enim, quæ generantur, solent esse similia magis, quam ea, quæ procedunt. » Quæ ratio accuratius in sequentibus enarrabitur.

Vultus Filii Spiritus S. nuncupatus.

VII. Ita enim *vultus*, ac προσώπου notionem accepit Gregorius Nyssenus in fine epistolæ ad Petrum fratrem *de Differentia essentiæ, et hypostasis*. Ibi enim similitudine utitur hominis effigiem alicujus contemplantis in speculo, quam dum respicit, vultum, cujus imago illa est, clare ac penitus intuetur. Sic in Filio videri Patrem ait. « Proinde Filii hypostasis, velut forma est, inquit, et vultus cognitionis Patris; et Patris hypostasis in forma Filii cognoscitur [c]. »

Jam vero vultum Filii perinde esse Spiritum sanctum, ut Patris Filius est, testatur Cyrillus ad illa Joannis : *Alioqui propter opera ipsa credite*[3], verbis istis: « Nam si cœlos implevit Filius, et extrema terræ, hoc est ad inferos pertinentia ; nonne absurdissimum est, comprehensionis illi vocabulum imponere, ne illud quidem agnoscentes, si vultus ipsius, hoc est Spiritus (nam vultus Filii appellatur Spiritus), omnia replet, fieri non posse, ut Filius intra comprehensionem sit [d] ? » Ex quo illud efficitur, Spiritum sanctum a Filio procedere, ab eoque naturæ similitudinem accipere, quæ in vultus nomine continetur. Sed sciendum est Græcum vocabulum ambiguum esse πρόσωπον. Id enim non solum faciem, sed etiam personam significat. In quo Græci recentiores conflictantur. Nam Gregorius Palamas in refutatione duodecim capitulorum Joannis Becci, tertium ex iis refellens, in quo processionem Spiritus sancti ab Filio ex illa προσώπου appellatione probat, sic ei respondet : Loca illa veterum, quibus Filius Patris, aut Filii Spiritus sanctus πρόσωπον dicitur, non ad hypostaseon differentiam pertinere, sed ad unam, eamdemque naturam ; ut cum alter alterius πρόσωπον nominatur, indicio sit, perfectam inter illos esse similitudinem, sine ulla diversitate. Alioqui si personalis proprietatis illic expressio foret, non esset Pater diversum a Filio πρόσωπον, quia Filius Patris esset πρόσωπον. Ubi manifestus est fucus in ancipiti significatione τοῦ προσώπου. Cum enim Filius dicitur esse πρόσωπον Patris, non persona, sed vultus illius intelligitur, hoc est effigies expressa, et natura ipsa, substantiaque directe significatur ; personalis autem proprietas ex obliquo, ut supra monstravimus ; atque ita Bessario in Palamæ confutatione sentit, etsi idem in Græci nominis ambiguitate hærere videtur, quæ in Latino non cernitur.

a Cyrill. lib. I *in Joan.* Ὁ ψαλμωδός. ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου, κύριε. καὶ ποῖον ἄρα ἐστὶ τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, οὗ τὸ φῶς ἐφ' ἡμᾶς σεσημείωται, ἢ πάντως ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ υἱὸς, ἡ ἀπαράλλακτος εἰκών. καὶ διὰ τοῦτο λέγων· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα ;

b Idem, III *in Joan.* Πρόσωπον γὰρ θεοῦ καὶ πατρὸς τὸν υἱὸν εἶναί φησιν. ὅπερ ἐστὶ πάντως ὁ χαρακτήρ· φῶς δὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ τὴν διὰ τοῦ πνεύματος ἐπὶ τὴν κτίσιν διήκουσαν χάριν.

Mox : Ἐπειδὴ δὲ ὁμολογουμένως πρόσωπόν ἐστι τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς ὁ υἱὸς, εἴη δήπου πάντως αὐτὸς καὶ ὁ χαρακτὴρ, ἐν ᾧ σφραγίζει θεός.

c Nyssen. Ὥστε ἡ τοῦ υἱοῦ ὑπόστασις, οἱονεὶ μορφὴ, καὶ πρόσωπον γίνεται τῆς τοῦ πατρὸς ἐπιγνώσεως· καὶ ἡ τοῦ πατρὸς ὑπόστασις ἐν τῇ τοῦ υἱοῦ μορφῇ ἐπιγινώσκεται.

d Cyril. IX *in Joan.* Εἰ γὰρ πεπλήρωκεν οὐρανοὺς ὁ υἱὸς, καὶ τὰ ἔσχατα τῆς γῆς, τουτέστι τὰ εἰς τὸν ᾅδην, πῶς οὐ σφόδρα παραλογώτατον τὸ περιοχῆς ὄνομα προσάπτειν αὐτῷ, μηδὲ ἐκεῖνο ὁμολογησαμένους, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, τουτέστι τὸ πνεῦμα· πρόσωπον γὰρ τοῦ υἱοῦ καλεῖται τὸ πνεῦμα· τὰ πάντα πληροῖ· πῶς ἂν αὐτὸς εἴσω γένοιτο περιοχῆς ;

1 *Psal* IV. — 2 *Joan.* III, 33. — 3 *Joan.* XIV, 11.

CAPUT VIII.

Latinorum Patrum testimonia de processione Spiritus sancti a Patre, et Filio; et eorum maxime, quos œcumenicæ synodi approbant, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Leonis, Gregorii Papæ, et aliorum.

I. Tametsi in ea controversia, qua cum Græcis solis contendimus, Græcorum Patrum auctoritate contenti esse possimus; adjungenda nihilominus est et Latinorum consensio, ut eo majori pondere veritatis recentior hæc obruatur inscitia; quod vel Græci ipsi catholici fecerunt, Gennadius, Calecas, et summus vir cardinalis Bessario, qui popularium suorum hæresim, Augustini, Hilarii, Ambrosii, Leonis, et aliorum dictis sententiisque damnarunt. Atque hoc argumenti genus tanto validius esse putarunt, quod concilia ipsa vetera, quæ in Oriente, ac Græcia celebrata sunt, multum se Latinis istis Patribus tribuere profitentur, et quæ statuunt, ex illorum auctoritate decernere. Etenim in Ephesina synodo[1] ad condemnandam Nestorii perfidiam, cum Græcis Latinorum quoque recitata sunt testimonia, Julii et Felicis Romanorum Pontificum, Cypriani, Ambrosii.

Actis. In quinta vero synodo, ejusque Πρακτικοῖς, Patres ita profitentur, ut Calecas[2] refert, quod sextæ Gennadius adscribit: « In omnibus sequimur et sanctos, ac doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Cyrillum, Joannem Constantinopolitanum, Leonem, Proclum; et omnia, quæ ab ipsis scripta sunt de recta fide, et ad hæreticorum condemnationem, admittimus[a]. » Quæ in collatione tertia Latine leguntur. « Et in eo, quod Συνοδικὸν dicitur, anathemati subjiciuntur, quicumque memoratos illos Patres non recipientes, omnia, quæ ab iis dicta sunt, non profitentur, ait idem Calecas. Præcipue vero, inquit, sanctum Augustinum sanctæ et œcumenicæ synodi, ut ex illarum actis constat, tertia, sexta, et septima, præstantissimum doctorem Ecclesiæ, et sanctum prædicarunt[b]. »

Testimonia Latinorum Patrum a synodis commendatorum.

Sane in tertia synodo[3], quæ est Ephesina, Cyrillus Cypriani, et Ambrosii testimoniis utitur. Augustinum vero citari non memini. Sed is in quinta laudatur[4], ut in quarta Leo Magnus, cujus fidei, auctoritatique nihil non tribuit tam ista, quam sequentes omnes Græcorum synodi; in sexta porro Augustinus[5], Ambrosius, Leo cum honorifica mentione producuntur, et ἅγιοι, atque ἔκκριτοι Patres vocantur, id est *sancti*, et *eximii*. Ex septima vero Gennadius decretum hoc refert: « His, qui rejiciunt sanctorum Patrum voces, quæ ad confirmationem rectorum dogmatum Ecclesiæ Dei pronuntiatæ sunt, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii, Amphilochii, divini Leonis sanctissimi archiepiscopi veteris Romæ; item Augustini, ac cæterorum; tum acta synodorum œcumenicarum, quartæ, inquam, et sextæ non amplectuntur, anathema sit[c]. »

II. Credunt aliqui Tertullianum hoc verbis istis explicasse octavo capite libri *adversus Praxeam*: « Tertius est Spiritus a Deo, et Filio. » Sed falsi sunt. Nam de solo agit ordine personarum, in quo tertius post Patrem est sanctus Spiritus. Itaque de Spiritu sancto scripsit hoc unum[6], « non aliunde ipsum esse, quam a Patre per Filium. » Marius Victorinus in primo *contra Arium*: « Duo ergo et isti, alius ex alio, ex Filio Spiritus sanctus, sicut ex Deo Filius, conrationaliter et Spiritus sanctus ex Patre. » Quin et *vocem*

a Syn. V, collat. III, apud Gennad. Ἀκολουθοῦμεν ἐν ἅπασι καὶ τοῖς ἁγίοις, καὶ διδασκάλοις τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, Ἀθανασίῳ, Ἱλαρίῳ, Βασιλείῳ, Γρηγορίῳ τῷ Θεολόγῳ, Γρηγορίῳ τῷ Νύσσης, Ἀμβροσίῳ, Αὐγουστίνῳ, Θεοφίλῳ, Κυρίλλῳ, Ἰωάννῃ τῷ Κωνσταντινουπόλεως, Λέοντι, Πρόκλῳ, καὶ πάντα τὰ παρ' αὐτῶν συγγραφέντα περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ πρὸς κατάκρισιν τῶν αἱρετικῶν δεχόμεθα.

b CALEC. Ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ λεγομένῳ Συνοδικῷ, ἀναθέματι ὑποβάλλονται ὅσοι μὴ τοὺς εἰρημένους διδασκάλους δεχόμενοι, οὐ πάντα τὰ παρ' ἐκείνων ὁμολογοῦσιν. Ἰδίως δὲ τὸν ἅγιον Αὐγουστῖνον αἱ ἅγιαι, καὶ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, ὡς ἔστι δῆλον ἐν τοῖς πρακτικοῖς αὐτῶν τῶν συνόδων, ἥ τε τρίτη, καὶ ἕκτη, καὶ ἑβδόμη, ἐξοχώτατον διδάσκαλον τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἅγιον ἐπεκήρυξαν.

c Gennad. Τοῖς ἀποβαλλομένοις τὰς τῶν ἁγίων πατέρων φωνὰς τὰς ἐπὶ συστάσει τῶν ὀρθῶν δογμάτων τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἐκφωνηθείσας, Ἀθανασίου, Κυρίλλου, Ἀμβροσίου, Ἀμφιλοχίου, τοῦ Θεηγόρου Λέοντος τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Αὐγουστίνου, καὶ τῶν λοιπῶν· ἔστι τε καὶ τὰ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων πρακτικὰ, τῆς τετάρτης φημὶ, καὶ τῆς ἕκτης μὴ κατασπαζομένοις, ἀνάθεμα.

1 Par. II, act. I. — 2 Cap. XXX. — 3 Par. II, act. I. — 4 Col. V. — 5 Act. VIII et X. — 6 Cap. IV *contra Prax.*

vocis appellat eumdem Spiritum, ut jam admonui. Hilarius in secundo *de Trinitate*, de Spiritu sancto disserens. « Loqui de eo, inquit, non necesse est, quia de Patre, et Filio auctoribus confitendus est. » Et in octavo, manifeste a Filio procedere demonstrat, quoniam ab eo accipit : « A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, inquit, et a Patre procedit, et interrogo, utrum idipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si nihil differre crederetur, inter accipere a Filio et a Patre procedere; certe idipsum, atque unum esse existimabitur a Filio accipere, quod sit accipere a Patre. Ipse enim Dominus ait: *Quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; propterea dixi*: *De meo accipiet*, *et annuntiabit vobis.* Hoc quod accipiet, sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est, Filius a se accipiendum dixit. » Ac mox : « Omnia, quæ Patris sunt, Filii sunt ; et idcirco quidquid accipiet, a Filio accipiet ille mittendus, quia Filii sunt universa, quæ Patris sunt. » Citatur et a Caleca locus Hilarii ex libro secundo *de Trinitate ;* in quo habetur, « Spiritum sanctum a Patre, et Filio ex æquo procedere. » Sed hoc in illo Hilarii libro non legitur, uti nec locus alter, quem refert ex *Enarrationibus in Apostolum* ejusdem Hilarii ; ubi nullam ait in Spiritu sancto inesse duplicitatem, quod Pater, et Filius illi esse tribuant, unde et ambo unum principium appellantur Spiritus sancti. Sed hic liber Hilarii non est. Solent et Hilarii ejusdem sermonem laudare Græci, qui post Pentecosten, ut aiunt, in *Festo sanctæ Trinitatis* legitur ; in quo Spiritus sanctus « æqualiter a Patre, et Filio procedere » dicitur. Quod fragmentum tomo primo *Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ* utraque lingua editum est.

Hilarii.

III. Ambrosius in libro primo *de Spiritu sancto*, capite X: « Spiritus quoque sanctus, ait, cum procedit a Patre, et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio. » Ubi etsi de temporali processione, ac missione loqui videatur, tamen etiam sempiternam complectitur. Nam et Filii processionem a Patre similiter demonstrat iis ex locis, quæ a Patribus assumuntur ad æternam adstruendam Filii generationem ; cujusmodi illud est, *Ego ex ore Altissimi prodii* [1]. Et temporalis utriusque missio ab illa priore, et sempiterna pendet, cum eaque connexa est, ut postea declarabitur. Et in libro *de Symbolo*, capite I. « Ipse solus est æternus, quia initio, et fine caret, id est Deus Pater ; qui coæternum sibi, et coomnipotens genuit Verbum, cum quo Spiritum sanctum produxit. » Et c. III. « Spiritus autem sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre, et Filio ; sed non est ipse Filius, quia non generatur ; neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus. » Et cap. IV. « Spiritus vero sanctus, qui ab utroque procedit, nec ipse cœpit, » etc. Est inter Ambrosii sermones unus in diem Pentecostes, idemque LIX qui tamen illius non videtur. In eo Spiritum sanctum aperte dicit a Patre Filioque procedere. « Qui non ex tempore, inquit, sed ab æterno a Patre, Filioque inseparabiliter procedit. »

Ambrosii.

Idem in *Commentariis in Evangelium Lucæ* [2], haud obscure Spiritum sanctum a Filio substantiam vult accepisse itidem, ut a Patre Filius, cum illa verba declarat: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Sic enim scribit: « Quomodo non bonus cum bonitatis substantia assumpta ex Patre non degenerarit in Filio, quæ non degeneravit in Spiritu ? Et ideo , *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* [3]. Quod si bonus Spiritus qui accipit ex Filio, bonus utique et ille, qui tradidit. » Quo in loco etiam illi Christi verba, *quia de meo accipiet* [4], ad substantiam, et bonitatem, qua bonus est Spiritus, pertinere significat, idque a Filio ipsum accipere. Denique in libro *de Dignitate humanæ conditionis*, cap. II: « Sicut ex Patre generatur Filius, inquit, et ex Patre, Filioque procedit Spiritus sanctus ; ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria. » Sed liber iste non est Ambrosii, ut ex stylo constare arbitror.

IV. Jam Augustinus idipsum clara, et forti oratione sæpius prædicat. Ut in quarto *de Trinitate* : « Nec possumus, inquit, dicere, quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat; neque enim frustra idem spiritus et Patris, et Filii spiritus dicitur. » Ac paulo post : « Qui ergo a Patre procedit, et Filio, ad eum refertur, a quo natus est Filius. » Et in XV *de Trinitate* [5], cum dixisset Spiritum sanctum principaliter a Patre procedere, quid illud sit, ita declarat : « Ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus proce- Augustini.

1 *Eccli.* XXIV, 5. — 2 Lib. VIII, cap. XVIII.— 3 *Psal.* CXLII, 10. — 4 *Joan.* XVI, 14, 15. — 5 Cap. XVII.

dere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti, et nondum habenti. Sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, et Spiritus sanctus Spiritus esset amborum. »

Tum capite XXVI. « De utroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait : *De Patre procedit.* Et cum resurrexisset a mortuis et apparuisset discipulis suis, insufflavit, et ait : *Accipite Spiritum sanctum*, ut eum etiam de se procedere ostenderet. » Ac postea : « Intelligat, sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus sanctus et utrumque sine tempore ; atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedit de Filio, de Patre esse, et de Filio. Si enim quidquid habet, de Patre habet Filius ; de Patre habet utique, ut de illo procedat Spiritus sanctus. »

Rursus tractatu *in Joannem* XCIX cum quæsisset, utrum a Filio, quemadmodum a Patre, procedat Spiritus sanctus ; ita respondet : « Cur ergo non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis, insufflans diceret : *Accipite Spiritum sanctum.* Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus et de ipso? » Quo quidem in tractatu, eorum, quæ a Græcis objici solent, pleraque dissolvit. Vide eumdem in tertio *contra Maximinum,* capite XIV et in tertio *contra Sermonem Arianorum*, capite XXIII. Et in libro secundo *de Symbolo*, cap. IX et aliis in locis sæpe idem repetit. Itaque merito Demetrius Cydoniates Planudem Maximum redarguit, qui cum Augustini libros *de Trinitate* magno labore Græcam in linguam transtulisset, in fine hujus operis argumenta quædam posuit, quibus illam Augustini, ac Latinorum Patrum de processione ab utroque sancti Spiritus, opinionem everteret. Id enim minime consentaneum esse, ut cujus scripta Græce vertisset, eumdem oppugnaret. Quare metu imperatoris, et carceris, eum contra Augustinum scripsisse putat, ut est in manuscripto quodam libro Bibliothecæ regiæ. Idacius *contra Varimadum*, quæstioni sic propositæ, « Ostende Spiritum sanctum, unde trahat originem, quem nec ingenitum, sicut Patrem, neque genitum, sicut Filium, profiteris, » respondet ad hunc modum : « Certa et manifesta origo spiritus sancti Pater, et Filius. »

V. Sanctus Leo pontifex Romanus, cujus Leonis.
scripta quarta generalis synodus στήλην ὀρθοδοξίας *columnam orthodoxæ fidei* nominat, ac sequentes synodi miris laudibus extollunt[1], epistola XCIII « alium dicit esse qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroque processit. » Et sermone II *de Pentecoste*[2] verba illa Joannis enarrans, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, etc., « Numquid sese Dominus, ait, inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid, quam Spiritum sanctum, a Patre didicisse, cum ipse sit veritas, et nihil Pater dicere, nihil docere possit sine Verbo ; ideoque dictum sit, *de meo accipiet*; quoniam, quod accipit Spiritus Patre dante, dat Filius? » Sic igitur locum illud interpretatur Leo, ut *accipere de meo* sit, *dante me*, *ac commnnicante*, quidquid a Patre meo habet, habere Spiritum sanctum. *Habere* porro nihil aliud est, quam existere, ut idem ait sermone primo *de* eadem *Pentecoste* : « Omnia quæcumque habet Pater, inquit, habet et Filius; habet et Spiritus sanctus; nec unquam in illa Trinitate defuit ista communio, quia hoc est ibi omnia habere, quod semper existere. » Quare a Patre, Filioque Spiritus sanctus existit.

Gennadius Massiliensis libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*[3] : « Credimus unum esse Deum, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : Patrem, eo quod Filium habeat; Filium, eo quod Patrem habet : Spiritum sanctum, eo quod sit ex Patre, et Filio procedens, » etc. Item « A quo (Patre) Spiritus sanctus, non natus, quia non est Filius ; non ingenitus, quia non est Pater ; neque factus Spiritus sanctus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo Patre, et Deo Filio Deus procedens*. » Quem locum Rathramnus citat sub Gennadii Constantinopolitani nomine. Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*, « Proprium ait esse Spiritus sancti, quia nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre, Filioque processit. » Et capite XI : « Firmissime tene, et nullatenus dubites eumdem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus est Spiritus, de Patre et Filio procedere. » Tum in libro *de Trinitate*, « Spi-

* Monet tamen Muratorius t. II *Anecdot.* p. 227, in antiquissimo Bibliothecæ Ambrosianæ codice a Gennadii sententia abesse particulam *et Filio.* Z.

1 Cap. I. — 2 Cap. XVI. — 3 Cap. I. — 4 Cap. II.

ritus sanctus a Patre, Filioque procedens est. » Et in *Responsione ad quæstionem tertiam Ferrandi Diaconi*, « Non ergo potuit Spiritum sanctum divinitas Filii accipere, cum ipse Spiritus sanctus sic procedat a Filio, sicut procedit a Patre, et sic detur a Filio, sicut datur a Patre. » Et mox : « Proinde totus de Patre procedit, et Filio ; totus in Patre manet, ac Filio. » Vide fragmenta ejusdem ex libris *contra Fabianum*, ubi hoc sæpe repetitur. Prudentius hymno quinto *Cathemerinon*, de Filio loquens.

« Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Parachtum. »

Paulus in *Natali* IX *sancti Felicis*,

« Et in servos cœlestia dona profudit
Spiritum ab Unigena sanctum et Patre pro-
[cedentem.

VI. Toletanum concilium primum in assertione fidei, « Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre, Filioque procedens. » Idemque Toletanum III et XI profitentur. Prosper libro primo *de Vita contemplativa*, « Spiritum sanctum ait a Patre, Filioque procedere. »

Vigilius *contra Eutychen* libro primo : « Audi manifestius proprium Patris esse, genuisse, et proprium Filii, natum fuisse ; proprium vero Spiritus sancti, procedere de Patre, Filioque. »

Eucherius in libro *Quæstionum* [1] : « Sed Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus ; ne, si ingenitum dixerimus, duos patres dicere videamur; et si genitum, duos filios. Sed potius, qui ex Patre et Filio procedat, velut quædam Patris, Filiique concordia. » Aguellus Ravennas episcopus in epistola *ad Armenium* : « Et ideo ex Patre Filius : ex Patre et Filio procedit Spiritus sanctus. » Ac subinde : « Quanto magis in omnipotentia Dei ita est, ut sit Pater omnipotens genitor Filii, et ex Patre et Filio procedens virtus, qui est Spiritus sanctus ? » Boetius in libro, *Quomodo Trinitas est unus Deus*, « Cogitemus processisse quidem ex Deo Patre Filium dictum, et utriusque Spiritum sanctum. »

Gregorii Magni.

Citatur et a Græcis ipsis Gregorius Magnus, quem *Dialogum* cognominant, ut a Caleca [3], et Gennadio [4] ex homilia XXVI *in Evangelia*, ubi ita scribit : « Quamvis mitti etiam juxta naturam divinitatis, possit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius dicitur, quo a Patre generatur. Nam sanctum quoque Spiritum, qui cum sit coæqualis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se Filius mittere perhibet, dicens : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.* Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est. Sed ejus missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit, et Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit ; ita et Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur [a]. »

Notatus et ab aliis est locus ille ex secundo *Dialogorum* [5] : «Cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat, et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? » quem schismatici ex Latino interpretantes corrumpere ausi sunt. Quinetiam Hormisdas papa iisdem ab Græcis laudatur in epistola *ad Justinum*, ubi ait, « proprium esse Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet, sub una substantia deitatis. » Etherius, et Beatus libro primo *contra Elipandum* : « Neque Pater a duobus processit, aut Filius, sed tantum Spiritus sanctus ; ac per hoc solus Pater Deus a nullo Deo est, sed a se. Filius Deus est, sicut Pater, sed a Patre est Deus, non a se.

a Greg. M. ex Caleca, et Genn. Εἰ καὶ τὸ ἀπεστάλθαι, δύναται νοεῖσθαι καὶ κατὰ τὴν τῆς θεότητος φύσιν. τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον ὁ υἱὸς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀποστέλλεσθαι λέγεται ὃν ὑπὸ τοῦ πατρὸς γεννᾶται. καὶ γὰρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὅπερ καί τοι πατρὶ, καὶ υἱῷ ἴσον ὂν, ὅμως οὐ σεσάρκωται, τοῖς αὐτοῖς εἴρηκεν ὁ υἱὸς ἀποστέλλειν· λέγων· ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν περὰ τοῦ ματρὸς, εἰ γὰρ τὸ ἀποστέλλεσθαι τὸ σαρκοῦσθαι μόνον νοεῖσθαι ὀφείλει, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀναμφιβόλως, οὐδένα ἂν τρόπον ἐλέγετο ἀποστέλλεσθαι, ὡς ἂν μηδεπώποτε σεσαρκωμένον· ἀλλ' ἡ τούτου ἀποστολὴ αὐτή ἐστιν ἡ αὐτοῦ πρόοδος, ᾗ παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται. ὥσπερ τοίνυν τὸ πνεῦμα ἀποστέλλεσθαι λέγεται, ὅτι ἐκπορεύεται, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὐκ ἀπεικότως ἀποστέλλεσθαι λέγεται, διότι γεννᾶται.

1 Quæst. I. — 2 Tom. III *Biblioth. Patrum*. — 3 Cap. XIX et XXX. — 4 Cap. I, sect. VII. — 5 Cap. XXXVIII.

Spiritus quoque sanctus Deus est, sicut Pater, et Filius, sed a Patre, et Filio Deus est, non a se. »

Et aliorum.

VII. Verum in Latinis appellandis testibus longiores esse nihil attinet, præsertim recentioribus. Sunt enim innumeri, et ad unum omnes in idem dogma conspirant. Sed unum præterire non possum, quem Latinis nescias, an Græcis adscribere oporteat. Symbolum dico, quod vulgo Athanasii dicitur, Græci quidem ipsius, sed Latine scriptum. Etsi auctor apud nonnullos in dubio est; quos qui ex Augustino refelli putant, refellendi magis ipsi sunt. Nam levia sunt, quæ ex illo proferunt argumenta; imo nulla. Scriptum aiunt ita ab Augustino in tractatu *ad Psalmum* CXX. « De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus episcopus ita pulchre locutus est: Filius, inquit, Dei a Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus. » Sed Augustini non sunt ista, quæ in vetustis editionibus temere assuta erant, in posterioribus autem, post Lovaniensem maxime censuram, merito sunt expuncta. Nam quod in aliis libris quædam istius Symboli verba usurpat Augustinus, possunt, qui id alteri, quam Athanasio tribuunt, inde colligere, ex Augustini, aliorumque Latinorum scriptis excerptum illud esse potius, quam illum aliquid ex eo transtulisse. Sed eam litem hoc loco dirimere non statui. Certe sub Athanasii nomine non modo ab nostris, sed a Græcis etiam et legitur, et in magnam auctoritatem assumitur. Est autem in eo ita scriptum, quod ignorat nemo: « Spiritus sanctus a Patre, et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens [*].» Quod tam grave, ac disertum testimonium Græculos sic offendit, ut in Athanasium ipsum stolide debacchati sint; quod refert, ac deplorat Gennadius[1]: «Non verentur, inquit, dicere, sanctum Athanasium ebriosum fuisse, et, cum ista scriberet, vino plenum. » Stulta, et inepta calumnia, risuque potius, et contemptu, quam seria expostulatione digna.

Unus, quod meminerim, ex Latinis scriptoribus de hac processione Spiritus a Filio dubitavit Rusticus[2] Diaconus in libro *contra Acephalos*, in quo ita scribit. « Quidam vero antiquorum et hoc proprietatibus adjecerunt, quia sicut Spiritus cum Patre Filium sempiterne non genuit, sic nec procedit Spiritus a Filio, sicut a Patre. Ego vero, quia Spiritus quidem Filium non genuerit sempiterne, confiteor, nec enim duos dicimus Patres; utrum vero a Filio eodem modo, quo a Patre, procedat, nondum perfecte habeo satisfactum. Quoniam vero ad id, quod nunc quæritur, nihil attinet, signandum quidem est, sed transeundum.

Rusticus Diaconus solus dubitat.

Quamobrem, ut contra populares suos recte concludit Bessario[3], cum Latini Patres vetustate, et sanctitate celebres, et infiniti numero, tam expresse ac liquido testati sint, Filium a Patre procedere; iisque Græci ipsi antiquiores consentiant, ut superioribus capitibus ostendimus; ac denique cum horum plerique diserte processionem illam a Filio commemorent; nemo tanquam abhorrentem a fide damnet, ac rejiciat; magnæ temeritatis est, contra tantæ vim auctoritatis velle contendere. Ex quo Photii castiganda temeritas est, qui in disputatione, et epistola sua, quam contra Latinos in popularis erroris gratiam edidit, adversus Latinos Patres, quos pro suo dogmate illi adferunt, præscribit sic apud Euthymium. « Objiciunt, inquit, Ambrosium ita de Spiritu sancto locutum esse in libris, quos de illo scripsit, itemque Augustinum, et Hieronymum. De quibus ita respondendum est: Vel Pneumatomachos illorum libros adulterasse: vel minus accurate ex quadam dispensatione locutos esse; quali est usus magnus ille Basilius, dum divinitatis Spiritus sancti professionem reconditam aliquandiu apud se retinuit: aut denique ab exacta rei scientia, utpote homines, aberrasse. Quod multis magnis viris in quibusdam contigit; quemadmodum Dionysio Alexandrino, et Methodio Patarensi, et Pierio, et Pamphilo, et Theognosto, et Irenæo Lugdunensi, et Hippolyto

Adversus Latinos Patres impia Photii præscriptio.

a GENN. Οὐκ αἰδοῦνται λέγειν, ὡς ὁ ἱερὸς Ἀθανάσιος μέθυσος ἦν, καὶ ὅτε ταῦτ' ἔγραφε, πλήρης ἦν οἴνου.

* Ita etiam legitur in antiquissimo hujus symboli exemplo, ac longe ante Photiana deliramenta exarato, quod Mediolani Ambrosiana Bibliotheca servat. Ex quo Græculos illos novatoresque (hos inter Wolffgangus Gundlingius in notis ad Zialowkit. delineat. Eccles. Orient. pag. 54.) redargues, qui tam luculentum Magni Athanasii, aut vetustissimi certe scriptoris testimonium cum nulla ratione possent eludere, declinare saltem conati sunt, a nostris hominibus exorto jam Photiano schismate lateque diffuso Symbolum illud interpolatum fuisse garrientes. Vide Muratorium *Anecdot.* t. II, pag. 227. Z.

1 Cap. I *de Spirit. sanc.* — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 3 In *Lib. dogm.* cap. IX et X in sess. XXV conc. Flor.

ejus discipulo. Nam istorum quasdam sententias non probamus, etsi in aliis valde illos suspicimus [a]. » Hæc Photius, quæ perfunctoria, et jocularia sunt. Primum non tres illi tantum, sed Latini ad unum omnes idem sentiunt, ac profitentur. Deinde quod depravatos a Latinis eorum libros causatur, frigidum est. Etenim si una tantum, aut altera vocula originem a Filio sancti Spiritus attingerent, utcumque commentum illud procederet; tametsi non esset verisimile. Nunc cum rationibus insuper, et Scripturæ testimoniis illud ipsum probent; nullus superest tergiversationi isti locus. Reliqua duo responsa præter inanitatem, impietatem quoque, et in sanctos illos contumeliam redolent. Quippe dispensatione quadam, contra quam in mente haberent, eos asseverasse dicere, idem est, atque hæresim, ut quidem isti censent, ipsos putare ex dispensatione dixisse; quod nunquam sine crimine et sacrilego mendacio fit. Aliud enim est verum occultare dogma, quod prudenter nonnunquam usurpatur; aliud falsum, et hæreticum aperte profiteri, quod nunquam licet. Quare si, ut Photius spado, et ejus sectatores Græculi nugantur, hæresis est asserere Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere; impie, ac nefarie fecerunt, qui contra mentem suam hæresim illam scriptis suis publicarunt. Tum vero, quod postremum est, non tres illos tantum, quos Photius enumerat, sed pene omnes Latinos Patres erroris, et inscitiæ damnare, nimium impudentis est ac protervi, præsertim cum eadem calumnia Græcorum insuper Patrum haud paucorum violetur dignitas, qui in eadem causa sunt cum Latinis, ut supra demonstravimus. Nam si tres illi tantummodo, quos Photius nominat, in opinione ista forent, reclamantibus, et contrarium docentibus, aut omnino tacentibus cæteris, esset aliqua dubitandi ratio. Jam vero cum Latini omnes in eadem sententia concordent; cujus arrogantiæ est, erroris universos arguere? Aut quid synodis suis œcumenicis Græci ipsi facient; quæ omnia Patrum illorum, quos incusat Photius, scripta, decretaque, in quibus scilicet invicem et contra hæreticos consentiunt, rata esse præcipiunt, et eos, qui secus, quam ii fecerint, asseverare audeant, anathemati subjiciunt? Sed oscitantem illum et quidvis temere jactantem missum faciamus.

CAPUT IX.

Spiritum sanctum a Filio procedere theologicis argumentis efficitur, quæ ex superioribus testimoniis existunt, præsertim ex mutua amborum relatione. Tum illud explicatur, ecquid Spiritus a Filio distingueretur, si non ab eo procederet. Ostenditur nullum inter eos discrimen fore, nisi unum ab altero procederet. Anselmi de hac re sententia declaratur.

I. His Græcorum, Latinorumque sententiis, non Græcorum modo recentior illa convincitur opinio, ac Romanæ Ecclesiæ dogma constituitur, sed theologica quoque argumenta continentur, quibus idem illud vel invitis, ac repugnantibus obtineri potest, Spiritum sanctum non a solo Patre, sed a Filio quoque procedere.

Quorum caput, ac summa in regula illa vertitur, quam Augustinus imprimis, aliique commendant. Cum duo sint in persona qualibet, ex quibus veluti componi pro ingenii nostri imbecillitate fingitur, quorum alterum est absolutum, et *ad se dicitur*, ut Augustinus loquitur [1], alterum relativum, et *ad aliud*, ac prius essentia vel substantia, posterius proprietas appellatur; quidquid ad primum pertinet, id unum et commune ex æquo esse tribus; et unitatis individuæ fontem, et stirpem; posterius autem esse multiplex, et divisionis, ac multitudinis efficiens. « Hoc solo, ait Augustinus [2], numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. » Et Fulgentius [3]: « Ista relativa nomina Trinitatem

a Phot. apud Euthym. in *Panop*. par. II, tit. XII in fine. Προφασίζονται δὲ, ὅτι Ἀμβρόσιος οὕτως εἴρηκεν ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις. ἔτι δὲ Αὐγουστῖνος, καὶ Ἱερώνυμος. ὑπὲρ ὧν ἀπολογητέον ὡς ἢ νενοθεύκασιν οἱ πνευματομάχοι τὰς τούτων συγγραφάς· ἢ κατ' οἰκονομίαν ἴσως εἰρήκασιν· ἢ καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐχρήσατο, φυλάττων ἀπόῤῥητον μέχρι τινὸς τοῦ παναγίου πνεύματος τὴν θεολογίαν· ἢ καὶ τῆς ἀκριβείας, ὡς ἄνθρωποι παρεσύρησαν. ὃ πολλοὶ πεπόνθασι τῶν μεγάλων ἔν τισιν· ὡς ὁ Ἀλεξανδρείας Διονύσιος, καὶ ὁ Μεθόδιος ὁ Πατάρων, καὶ Πιέριος, καὶ Πάμφιλος, καὶ Θεόγνωστος, καὶ Εἰρηναῖος ὁ Λουγδούνων, καὶ Ἱππόλυτος ὁ μαθητὴς αὐτοῦ· τινὰς γὰρ αὐτῶν ῥήσεις οὐκ ἀποδεχόμεθα, καί τοι τἄλλα σφόδρα θαυμάζοντες. Hic locus ab Latina Euthymii editione abrasus est.

1 Lib. IV *de Trin.* cap. v et lib. vi, cap. ii. — 2 Tract. xxx *in Joan.* — 3 Lib. *de Trin.*

faciunt; essentialia vero nullo modo triplicantur. » Boetius item[1] « nullam esse differentiam, nisi relationis in personis » affirmat. Sed et Græci Patres solis proprietatibus tres personas distingui asserunt, ut Gregorius Nazianzenus qui « tria esse, quæ dividuntur, ait non naturis, sed proprietatibus[a]. » Et alio in loco causam percontans, cur Spiritus sanctus non sit Filius; nihil illi deesse respondet, verum « manifestationis, et mutuæ eorum relationis differentiam, differentem et ipsorum appellationem facere[b]. » Quare hoc solo distinguitur persona quælibet ab altera, quod ad eam σχέσιν habet; ut non satis sit, personas istas duas ad aliquam aliam comparari, et referri ut a se invicem quoque distinguantur, sed oporteat etiam mutuo ad se referri, hoc est πρὸς ἄλληλα σχέσιν habere, ut Nazianzenus ait. De quo videnda sunt omnino quæ in libro quarto, capite decimo de hac re scripsimus ex Latinorum, Græcorumque Patrum decretis; ex quibus constat nullam alteram distinguendæ unius personæ ab altera rationem esse, præter relationem, qua se invicem ambæ respiciunt; qua sublata, necesse sit unam, et eamdem esse non substantiam modo, sed etiam personam.

Relationem.

Nulla ratio distinguendarum personarum præter relationes ad invicem.

II. Porro σχέσις, et habitudo nulla, nulla ex habitudine, ac relatione distinctio personarum in Trinitate locum habet, nisi τοῦ αἰτίου, καὶ τοῦ αἰτιατοῦ, hoc est *causæ*, sive *principii*, et *ejus quod ex principio est*, ratio inter eas intercedat, uti supra, capite IV libri hujus ostendimus. Igitur, ut a persona Filii distincta sit persona Spiritus sancti, necesse est alterutrum alterius esse principium, ac vel Filium originem habere a Spiritu sancto, vel Spiritum sanctum a Filio. Horum prius inauditum est, et impium, quod vel Græci ipsi detestantur, Filium dicere a Spiritu sancto procedere; alterum ergo consequens est, Spiritum sanctum a Filio tanquam a principio produci. Unde et Spiritus Filii non minus, quam Patris appellatur, ut capite illo demonstravimus, non autem vicissim Filius Spiritus sancti; quia relativa ista consequentia conversim non dicitur, ut Gregorius Nyssenus citatus jam a nobis loquitur. Hoc argumento Græcos Hugo Etherianus sic retundit in libro tertio capite XII. « Quælibet trium personarum aut præstat esse alteri duarum, aut accipit ab ipsa. Hæc per inductionem propositio suscipit probationem. Pater a Filio alia persona est, eo quod per generationem ei *esse* præstat. In hoc enim differt a Filio, quod *esse* dat per nativitatem. Rursus a genitore Filius differt, quod nascendo accipit ab ipso existentiam. Item a Spiritu sancto præter hoc differt Pater, quia *esse* dat illi, dum ipsum emittit. At vero Spiritus sanctus non ob aliud alia existit a Patre persona, nisi quia ex ipso esse procedendo accipit. Igitur et a Filio dum alia sit persona, idem Spiritus aut illi *esse* dat, aut ab ipso accipit. Non autem dat, ut palam est; accipit ergo. » Potest autem hoc modo colligi, non satis esse ad personarum multiplicationem, ac differentiam, ut qualicumque relatione quælibet sit affecta; sed opus esse, ut ea ipsa relatione eam comparetur, a qua distinguitur. Etenim Pater alia relatione, ac proprietate Filium respicit, alia Spiritum sanctum, sicut est origo utriusque, ac processio diversa; neque tamen personæ duæ sunt; quarum una sit generantis, altera spirantis. Sed illæ duæ relationes in eamdem personam coalescunt, propterea quod invicem non referuntur. Igitur neque Filius diversa esset a Spiritu sancto persona, quamvis sua cuique proprietas, ac relatio competat, qua Patrem uterque respicit, nisi invicem referentur, et quod consequens est, opponerentur.

III. Tractat hoc argumentum et uberrime, et eruditissime sanctus Anselmus toto fere libro, quem *de Spiritus sancti processione* contra Græcos edidit; cujus disputationis hæc fere summa est. Primum ea commemorat, in quibus nobiscum illi conveniunt; cujusmodi est, unum esse solum, ac perfectum Deum, qui partes nullas habet, sed totus est, quidquid est, et hunc esse Patrem, Filium et Spiritum sanctum; ut sive singulus dicatur, sive tres simul, intelligatur unus Deus, quamvis non idem significet nomen Patris, aut Filii, quod Dei. Deinde consentiunt in eo, Spiritus nomen esse relativum; quia Spiritus sanctus alicujus intelligitur Spiritus. Item aliam esse processionem Spiritus sancti, quam Filii; ita ut Spiritus sanctus, secundum quod est de Deo, non dicatur Filius, et ille, de quo est, non dicatur Pater, ut in Filii processione fit. Denique fatentur et hoc, nullam aliam

a Nazianz. orat. XXXII. Τὸ τρία εἶναι τὰ διαιρούμενα οὐ φύσεσιν, ἀλλ' ἰδιότησιν.

b Idem. Τὸ δὲ τῆς ἐκφάνσεως, ἵν' οὕτως εἴπω, ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον αὐτοῦ καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκε.

1 Lib. *Quomodo Trin. est unus Deus.* — 2 Orat. III *in Or. Dom.*

pluralitatis causam esse, nisi quia Deus est de Deo, ita ut tres illi Pater, Filius, Spiritus sanctus non possint dici de invicem, sed ad invicem: « Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, et Spiritus sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, et processionis referuntur ad invicem, ut diversi, et alii ab invicem; » quas relationes *insociabiles* vocat « Impossibile enim est in hominum etiam genere, patrem esse illum filium, cujus pater est, et filium esse illum patrem, cujus filius est; quamvis patrem esse filium, filium esse patrem nihil prohibeat, cum unus homo pater est, et filius; quoniam ad alium est pater, ad alium filius. »

Argumenta theologica ex Anselmo.

IV. His constitutis, ita colligit Anselmus: Quidquid de uno Deo dicitur, dici de toto Deo, ac personis omnibus, nisi obstet relationis oppositio, quæ ex eo oritur, quod Deus sit de Deo; quemadmodum et unitas essentiæ facit, ut pluralitas excludatur. Nam Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Consequens ergo erat, ut sint tres dii; sed essentiæ unitas, et simplicitas obsistit. Rursus Deus est Pater; quoniam ergo unus est Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, consequens esset, ut et Filius Pater esset, et Spiritus sanctus. Sed impedit relatio; « Quippe nec natura permittit, nec intellectus capit, existentem de aliquo, esse de quo existit; aut de quo existit, esse existentem de se. » Quocirca cum sola origo, et relatio faciant, ut una persona ex alia non sit, ortum dans videlicet ex ea, quæ oritur; ubi origo ista non intervenit, necesse ex una persona alteram existere. Etenim idem est, unam personam ex altera esse dicere, ac Deum esse de Deo. Porro non est Deus, nisi aut Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus; unde Deum esse de Deo, nihil aliud est, quam unam personam de una esse persona, vel de duabus simul, aut tribus. Pater de Deo esse non potest, quia nec de seipso esse potest, eo quod existens de aliquo, et is, de quo existit, idem esse non potest. De Filio non est, quia Filius est de ipso, et ideo non potest esse de Filio. De Spiritu sancto non est, quia Spiritus sanctus est de ipso. Tum eadem origo, et oppositio facit; ut neque de duobus simul, neque de tribus esse possit. Jam Filius Deus est de Deo Patre, quia Pater non est de ipso. De seipso autem non est, quia idem non est existens de aliquo, et de quo existit. De Spiritu sancto non est, quia non est Deus de Deo, nisi aut nascendo, ut Filius, aut procedendo, ut Spiritus sanctus. Non enim plures, quam duas esse processiones in divinis, catholica pietas docet. At Filius Spiritus sancti neque Filius est, neque Spiritus. Itaque nec de seipso, nec de Spiritu sancto procedit Filius, adeoque de solo Patre oritur. Postremo Spiritus sanctus a seipso non procedit, ut ex superiori ratione constat; a Patre vero procedit, ut Scriptura declarat, et Græci confitentur. Cum igitur Filius a Spiritu sancto neque gignatur, neque procedat, ac nulla vel origo, vel relatio originis impediat; necesse est, Spiritum ex Filio simul, et Patre procedere. Ad hæc cum dicitur esse Deus de Deo, vel est totus ex toto, vel pars ex parte, vel pars ex toto; at Deus nullam habet partem; necesse est igitur, ut sit totus de toto Deo. Non est autem Pater alius totus, et Filius alius totus. Itaque si est de toto Patre Spiritus; erit etiam de toto Filio, nisi quid aliud obstet; quod nullum esse potest, præter hoc unum, si de Spiritu sancto sit Filius.

V. Hinc alterum oritur argumentum, quo et sanctus Thomas, et alii theologi passim utuntur: ideo asserendum esse Spiritum sanctum a Filio procedere, quoniam catholica fides eos docet a se mutuo distingui. Non distinguerentur autem, nisi unus ab altero procederet. Quæ argumentatio novam quæstionem peperit: an vere dicatur istud, Spiritum sanctum eumdem prorsus fore cum Filio, si non ab eo procederet. Nec desunt aliqui, qui nihilominus diversos invicem futuros putant, etsi neuter oriretur ab altero. Satis enim ad discrimen constituendum fore, quod diversa amborum esset ab eodem Patre processio. Proinde relationibus etiam disparatis, nec oppositis, personas posse distingui. Ita quidem Latinorum theologorum nonnulli, qui etsi Spiritum sanctum fateantur a Patre, Filioque procedere, hoc tamen seposito, distingui illum a Filio differentia processionis existimant. Græci autem hunc solum distinctionis modum confitentur. Sed utrosque superiora illa tam hoc capite, quam decimo libri quarti proposita, de relationibus, ac proprietatibus, redarguunt. Etenim Patres illi, quos solis relationibus diversas constitui personas affirmare dixi, de iis ipsi relationibus, et solis hoc intellexerunt, quæ se mutuo respiciunt, et invicem opponuntur. Sic Augustinus[1] ait, « ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas

An sola diversitas originis satis sit ad distinctionem Filii a Spiritu sancto.

1 Lib. VII *de Trinit.* cap. I.

personas pertinentia, quæ relative dicuntur ad invicem. » Quare quæ non ad invicem dicuntur, distincte minime dicuntur, etsi relative dicantur. Et alio in loco[1] : « Hoc solo numerum insinuant, quo ad invicem sunt. » Sic Gregorius Nazianzenus[2] τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως τὸ διάφορον, *differentiam relationis, et habitudinis, qua invicem respiciunt*, diversas appellationes, et personas efficere dicit. Gregorius item Nyssenus[3], sublata ratione causæ, sive principii, et ejus, quod existit a causa, nullum in personis esse discrimen affirmat, ut sola illic κατὰ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν differentia cernatur; hoc est eo solo persona quæpiam ab altera distincta sit, quod una procedat ab altera, ad eamque referatur, et huic opponatur. Non sunt autem ejusmodi relationes istæ, quas *disparatas* vocant, et idcirco in uno, eodemque resident, nec personarum asserunt discrimen; ut in Patre tam paternitas inest, quam spiratio, quæ relationes utique diversæ videri possunt, nec est ratio ulla, cur hypostases non multiplicent, nisi quia minime sunt invicem oppositæ.

VI. Atenim plerumque Græci pariter, et Latini Patres causam aliam nullam referunt, cur Filius non sit Spiritus sanctus, nisi quia diversa est utriusque processio ut postea videbimus, cum de amborum agemus differentia. Imprimis autem Anselmus idoneam diversitatis utriusque personæ causam esse putat processionis differentiam. Siquidem in illa epistola[4], quam paulo ante citavi, docet unitatem essentiæ pluralitatem excludere, « sicut relationum pluralitas obviat unitatis consequentiæ. » Proinde quamvis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus sit Deus, non tamen Spiritus sanctus est Filius; cujus rationem hanc reddit, « quia Spiritus sanctus, qui existit de Patre procedendo, non est ille, qui est de Patre nascendo. » Ita sola processio discrimen utriusque constituit, etiam relationum oppositione seposita.

Tum evidentius in sequenti capite, postquam ita probavit Spiritum sanctum esse de Filio, quia cum sit Deus de Deo, de toto Deo Deus est, adeoque de Filio, qui unus cum Patre totus est; ad hunc modum objicit sibi: Non videri consequens ex eo, quod Pater unus est totus cum Filio, et a Patre oritur Spiritus sanctus, etiam a Filio hunc oriri; neque unitatem Deitatis in Patre, et Filio hanc habere vim consequentiæ. Sicut ex eo, quod unus Deus est Filius, et Spiritus sanctus, non sequitur perinde aut genitum esse de Patre Spiritum sanctum, ac Filius gignitur, aut ut Spiritus sanctus, ab eodem procedere Filium.

Cui sic ille respondet : « Habere utique a Patre esse Filium, et Spiritum sanctum, sed diverso modo; quia alter nascendo, alter procedendo. Et ideo cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc alius est ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit. Et cum unus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, quia non similiter procedit, sed nascitur. Et ideo non habet hic unitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur, et processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius, et Spiritus sanctus; per hoc solum essent diversi. »

Anselmi de hac re sententia declaratur.

VII. Ex his verbis concludunt aliqui[5], Anselmum existimasse Spiritum sanctum diversum, ac differentem a Filio nihilominus fore, etsi ab eo non procederet; cum hoc unum discrimen satis esset, quod ab eodem principio non eodem modo propagarentur. Quare quod vulgatum hoc axioma passim illi tribuitur : « In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; » falso id dici, nec « ullum in ejus auctoritate fundamentum habere » sententiam istam. Verum nihil evidentius est, quam et Anselmum ita judicasse, solam non relationem, sed relationum etiam oppositionem, personarum discrimen facere; et, quod inde sequitur, commune illud dictum ex ejus auctoritate manasse, ut mirum sit, ab eo theologo, qui quidem Anselmi legisset epistolam, affirmari hoc alterum potuisse. Nam de priori dubitatio justior est; siquidem illius verba potius, quam mentem respicimus. Solam igitur relationis oppositionem personarum discrimen facere adeo, ut ea seposita, in divinis unum sint omnia, docet expresse capite secundo. Ubi illud inquirit, « quomodo indivisibilis unitas, et insociabilis pluralitas in Deo se ad invicem habeant, » (quam ἡνωμένην, et διακεκριμένην θεολογίαν Græci theologi nominant, Dionysium secuti) hoc est, quæ sit origo, et ratio unitatis, et diversitatis in tribus personis. Hoc autem sic explicat : « Sequitur enim secundum unitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatem, ut quidquid de uno Deo, qui totus est quidquid est, dicitur, de

1 Tract. xxxix *in Joan.* — 2 Orat. xxxvii. — 3 Lib. I *contra. Eunom.* et in epist. *ad Ablabium*. Vide cap. I libri hujus. — 4 Epist. *de Proces. Spir. sanct.* cap. II. — 5 Vasq. in I par. dis. CXLVII, cap. IV.

toto Deo Patre dicatur et de Filio, et de Spiritu sancto; quia unusquisque solus, et totus, et perfectus Deus est. Supradicta vero *relationis oppositio*, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui. Sic ergo hujus unitatis, et hujus relationis consequentiæ se contemperant, ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædictæ simplicitas sonat unitatis, nec unitas cohibeat pluralitatem, ubi eadem relatio significatur, quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi *non obviat aliqua relationis oppositio;* nec relatio perdat, quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis. » Perspicuum est in his, et sequentibus, Anselmum uni relationum oppositioni causam diversitatis, ac differentiæ personarum adscribere. Quid est autem aliud, « unitatem in divinis non amittere suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, » quam quod trito illo axiomate continetur, « In divinis omnia sunt unum; ubi non obviat relationis oppositio? » Etenim « unitatem non amittere suam consequentiam, » hoc est, opinor, efficere id, quod potest, et cujus *formalis*, ut vocant, causa est, nempe *ut omnia sint unum.* Est enim unitatis consequentia unum esse id, quod unitas afficit. Quare nihil in cujusquam oratione haberi potest expressius, quam illud axioma in Anselmi tota ista disputatione cernitur.

VIII. Quod autem etiam citra oppositionem, sola pluralitate relationis discrimen inter personas existere, disertis verbis asserit; id ita declarant aliqui Anselmum, non ex mente, ac persona sua, sed ex Græcorum opinione, id asseverasse. Quibus ego non assentior. Nam apparet ipsum tam ex animi sui sensu superiora illa scripsisse, quam cætera omnia. Prorsus igitur utrumque ab Anselmo usurpatum, et sane verum est, divinas personas pro oppositione relationem a se invicem esse distinctas, et unam ab altera differre, quatenus huic opposita relatione respondet; tum, diverso procedendi modo, easdem invicem differre. Horum prius ex iis sequitur, quæ de communi illo pronuntiato diximus. Si enim unitas in divinis suam consequentiam habet, hoc est si unum omnia facit, ubi non obviat relationis oppositio; profecto, quamvis plures sint relationes, si non invicem opponuntur, plures esse personæ non poterunt.

At posterius etiam verum est, diversa processione diversas existere, constituique personas; sed eo sensu, qui causalis dicitur. Siquidem ex diversa illa processione diversæ relationes existunt, personæque distinctæ. Sed et processiones ipsæ habent a relationibus istis, velut formis, a quibus minime distinguuntur, ut invicem differant. Quod hoc exemplo clarius fiet. Nam si idem architectus et filium gignat, et domum ædificet; dupliciter a domo filius differre dicitur: primum quod diversa natura, formaque ambo constent, quæ est propria, et ut vocant, *formalis* distinctio: deinde quod diversa ab eodem principio actione procedant; Filius ea, quæ proprie generatio est; domus vero molitione, et ædificatione. Hoc modo interpretandum esse sanctum Anselmum demonstrat ipse in eo loco, quem descripsi, cum sic ait: « Supradicta vero relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est. » Nasci dicit oppositionem relationis ex modo procedendi; ut hic illius causa sit, et origo.

IX. Sane hoc sensu intelligendum esse sanctum Anselmum, beatus Thomas ostendit, cum ejus objecto sibi loco illo respondet, « Spiritum sanctum distingui personaliter a Filio in hoc, quod origo unius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsam differentiam originis esse per hoc, quod Filius est solum a Patre, Spiritus sanctus vero a Patre et Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur. » Itaque non eo solo distinguuntur Filius, et Spiritus sanctus, quod diversis processionibus existant, sed quod hic ab illo procedat, adeoque opposita relatione ad ipsum referatur; qua sublata oppositione, jam in unam, eademque personam coalescerent, ut idem articulo illo, in conclusione disputat.

Ad hæc, quoniam in sacris Litteris duo isti nominantur, ac numerantur, Filius, et Spiritus sanctus, et eosdem diversis modis procedere, non obscure significatur, quatenus a solo Patre gigni Filius dicitur, Spiritus vero sanctus ab utroque procedere citra generationem, ut propterea non sit Filius; hoc ipsum satis esse videtur ad discernendas personas duas, etsi nulla relationis, vel oppositionis expressa fiat merito; quia satis in processionibus, appellationibusque diversis comprehendi relationis oppositio cognoscitur. Quem-

1 In I par. qu. XXXVI, art. 2.

admodum filium architecti diversum a domo esse, quam idem condidit architectus, intelligimus eo ipso, quod ille genitus, ista fabricata dicitur; tametsi de utriusque naturali forma, et differentia taceatur, quam interim non dubitamus in utroque esse distinctam. Quocirca firmissima est ista Latinorum theologorum contra Græcos argumentatio, ex Græcorum etiam Patrum confecta testimoniis, ideo a Filio procedere Spiritum sanctum, quoniam distincta est ab eo persona; cujusmodi non esset, si ab illo non procederet.

X. Hanc Calecas uberrime, ac subtilissime disputat in capite XXXIX, ubi tritum illud in scholis theologorum ἀξίωμα proponit : « Omnia, quæ de Deo dicuntur communiter, et sine ulla differentia, prædicari de omnibus personis, ubi non obstat relationis oppositio [a]. » Ex quo quod est consequens ita nectit, *Deum ex Deo dici*, in divinis usu frequentissimum est. Videndum est igitur, an personis omnibus conveniat; an potius in una quapiam id usurpari oppositio aliqua prohibeat. Est autem Deus ex Deo idem, ac procedens ex Deo. Quod quidem in Patrem minime congruit, cujus nullum potest esse principium, ideoque proprie dicitur ἀρχὴ, et ἄναρχος, ut libro quinto capite quinto demonstravimus. At Filius Deus est ex Deo. Nam a Patre oritur. Nec non Spiritus sanctus, qui ab eodem procedit Patre. Proinde ex ratione principii, et ejus, quod est a principio, hoc est τοῦ αἰτίου, καὶ τοῦ αἰτιατοῦ, ambo dicuntur esse *Deus ex Deo*. Quare cum uterque sit Deus, necesse est, nisi oppositio quæpiam obstet, dici Deum ex Deo, id est unum amborum ex altero. Non enim minus hoc inter ipsos usurpari debet, quam inter eos, et Patrem, si nulla, ut dixi, intercedat oppositio. Atqui nulla prorsus intervenit, præter diversum procedendi modum, sive τρόπον τῆς ὑπάρξεως, ut auctor *Expositionis fidei*, quæ Justino tribuitur, ait, nempe, « quod Filius lumen de lumine generatione oritur ; Spiritus sanctus lumen itidem de lumine, non generatione, verum processione prodiit [b]. » At nulla est oppositio inter processionem, et nativitatem, quam *passivam generationem* scholæ nominant; non enim ad se mutuo referuntur. Constat autem ex communi veterum omnium, etiam Græcorum, opinione, quam libro IV capite x late disseruimus, solam in divinis locum habere distinctionem illam, et oppositionem, quæ relativa sit, et ratione τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ congruat. Itaque necesse erit unam omnino personam esse Filium, et Spiritum sanctum, nisi et invicem referantur, et unus sit alterius principium. Tum ut Calecas argumentatur, si sit ulla inter processionem, et nativitatem oppositio ; erit etiam gignentem inter, et spirantem, adeoque Pater in personas duas dividendus est. Cæterum a Filio potius procedere Spiritum sanctum, quam ab hoc Filium, siquidem alter ab altero procedere debet, ne Græculi quidem ipsi negare possunt. Plura de hoc argumento disputantem Calecam non sine fructu leges; nec non Bessarionem in libro de *Processione Spiritus sancti*.

XI. Tertium ex iisdem Patribus argumentum efficitur. Nam Pater Filio communicat hoc totum, quod ipse est, quodque in se habet, excepto eo quod Pater est, sive proprietate paternitatis. Atqui productio Spiritus sancti non est paternitas; alioqui Spiritus sanctus esset Filius. Quare consequens est Filium id accipere a Patre, ut producat Spiritum sanctum. Prior hujus argumentationis pars e Scripturis sanctis a Græcis ipsis Patribus exprimitur. Imo vero totam illam argumentationem Christus ipse verbis istis explicat. Cum enim dixisset: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis;* hoc ipsum pene συλλογιστικῶς ad eumdem illum modum colligit : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi* : *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* [1]. Hic *accipiet de meo*, ex concordi Patrum sententia, τὴν οὐσιώδη communicationem, processionemque significat, ut supra docuimus. Quare cur a Filio Spiritus sanctus existat, causa hæc est, quod quidquid inest in Patre, id per generationem accipit Filius, excepto eo, quod Pater est. Affirmat hoc Basilius in tractatu *de Fide*, quem citat Manuel Calecas [2], his verbis : « Omnia Filius est, quæcumque est Pater. Patrem dixi, et Filium. Conserva mihi proprietates istas. Manens itaque Filius in eo, quod est Filius, omnia est, quæcumque Pater, secundum ipsius

Axioma.

Prin ipium et principii expers.

Causæ et causati.

Syllogistice.

Substantialem.

a CALECAS, cap. XXXIX. Πάντα τὰ ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενα κοινῶς, καὶ ἀπαραλλάκτως τοῖς προσώποις ἀποδίδοται. ὅπου οὐ κωλύει τῆς ἀναφορᾶς ἀντίθεσις.

b JUSTIN. *Expos. fidei*. Ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα. πλήν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει. ὁ μὲν γὰρ φῶς ἐκ φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε· τὸ δὲ φῶς μὲν ἐκ φωτὸς καὶ αὐτὸ, οὐ μὴν γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς προῆλθεν.

1 *Joan*. XVI, 14 et 15. — 2 Cap. XIX.

Domini vocem dicentis : *Omnia quæcumque habet Pater*, *mea sunt*. Nam revera imaginis omnia sunt, quæcumque insunt in prototypa forma [a]. » Quamobrem quidquid est in Patre, excepta proprietate Patris, qua opponitur Filio, id omne est in Filio, adeoque spirandi proprietas, secundum quam non est Pater. His enim duabus exceptis proprietatibus Paternitatis, et Filietatis, ut sic loquar, reliqua esse communia Basilius asserit.

XII. Quocum Cyrillus idem sentit pluribus in locis; velut in secundo *Dialogorum ad Hermiam :* « Coæternum, inquit, credimus Patri Filium, et quodlibet aliud habentem ex æquo, eo solo excepto, quod non genuit [b]. » Tum in libro *de Trinitate,* « In Filio, ait, unigenito qui per omnia similis, et æqualis est Patri, excepta paternitate [c]. » Item in illa Joannis verba : *Omnia*, *quæcumque habet Pater*, *mea sunt* [1]; hæc adnotat : « Characterem denuo sincerum, et verissimum hypostasis paternæ seipsum nobis etiam hoc loco demonstravit Filius ; et per ea, quæ ait, intelligere dat, quemadmodum, cum fructus sit substantiæ ipsius, omnia, quæ ejus sunt ; secundum naturam obtinet, ac sibi propria esse dicit; merito id quidem. Cum enim nihil sit, quod dividat, ac separet alienum faciendo a Patre Filium, quantum ad omne pertinet similitudinis, et æqualitatis genus, hoc solo excepto, quod Pater est ; cumque non dissimili in ambobus modo substantia resplendeat; qui fieri posset, ut non illa communia, vel eadem potius essent in utroque adeo, ut et in Filio sint, quæ sunt Patris, et in generante, quæ sunt geniti [d]. »

Et in libro quarto *contra Nestorium*, « Novit enim, inquit, novit, ut dixi, seipsum esse natura Deum una cum genitore, et habere, quæ ipsius sunt, omnia, præterquam hoc solum, quod est Pater. Propterea et illi dicebat, *Omnia mea tua sunt*, *et tua mea* [e] [2]. »

XIII. Quocirca recte cum Anselmo concludit sanctus Thomas in opusculo *contra Græcos,* ex unitate essentiæ, quam habet cum Patre Filius, colligi Spiritum sanctum, qui a Patre procedit, etiam a Filio procedere; quia « Pater et Filius non differunt invicem, nisi in hoc, quod hic est Pater, hic Filius. Habere autem Spiritum sanctum ex se procedentem, non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc Pater dicitur Pater, quia Spiritus sanctus ab eo procedit; neque filiationi repugnat, quod habeat ex se Spiritum procedentem. »

Hinc autem superior argumentatio majorem corroboratur in modum. Etenim, si « quidquid de Patre dicitur, hoc omnino de Filio dici necesse est, præter hoc ipsum, quod est Pater; et quidquid de Filio dicitur, hoc vicissim et de Patre dicitur [f], ut præter superiora loca, in *Thesauris* scribit Cyrillus ; quod idem et de Spiritu sancto cum utroque comparato dicere oportet ; quandoquidem de Patre et Filio usurpatur illud *Deus de Deo*, idem et de Filio, ac Spiritu sancto inter se collatis par est asserere ; tum etiam de eo, quod est προβολεὺς, sive *spirator*, quod Patri ac Filio commune esse debet ; quoniam *spiratoris* notio ab notione Patris est diversa ; qua excepta, omnia, quæ de Patre dicuntur, Filio esse tribuenda Cyrillus affirmat.

a Basil. Πάντα ἐστὶν ὁ υἱὸς ὅσα ἐστὶν ὁ πατήρ. πατέρα εἶπον, καὶ υἱόν. φύλασσέ μοι ταύτας τὰς ἰδιότητας. Μένων οὖν ἐν τῷ εἶναι υἱὸς, πάντα ἐστὶν ὅσα ὁ πατὴρ, κατὰ τὴν αὐτοῦ φωνὴν τοῦ κυρίου εἰπόντος· πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι. τῷ ὄντι γὰρ τῆς εἰκόνος ἐστὶ πάντα ὅσα πρόσεστι τῇ πρωτοτύπῳ μορφῇ.

b Cyril. Συναίδιον πιστεύομεν τῷ πατρὶ τὸν υἱόν· καὶ πᾶν ὁ, τιοῦν ἰσόμετρον ἔχοντα, δίχα μόνου τοῦ τεκεῖν.

c Idem, lib. *de Trin.* Ἐν υἱῷ μονογενεῖ κατὰ πάντα ὁμοίῳ, καὶ ἴσῳ τῷ πατρὶ, χωρὶς τῆς πατρότητος.

d Idem, lib. II *in Joan.* Χαρακτῆρα πάλιν εἰλικρινῆ τε, καὶ ἀληθέστατον τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς ἑαυτὸν ἡμῖν κἂν τούτοις εὖ μάλα δέδειχεν ὁ υἱός· δίδωσί τε δι' ὧν ἔφη νοεῖν· ὅτι καρπὸς ὑπάρχων τῆς οὐσίας αὐτοῦ, πάντα τὰ αὐτῆς κατὰ φύσιν ἐπάγεται, διά τε εἶναί φησι· καὶ μάλα εἰκότως· διατέμνοντος γὰρ, ἤτοι διϊστάντος οὐδενὸς εἰς ἀλλοτριότητα, τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὅσον ἧκεν εἰς τὸ κατὰ πᾶν ὁ, τιοῦν ὅμοιόν τε, καὶ ἴσον ; δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατέρα, διαλαμπούσης τε τῆς οὐσίας ἐν ἀμφοῖν, οὐχ ἑτεροτρόπως, πῶς οὐκ ἂν εἶεν ἤδη κοινὰ, μᾶλλον δὲ ταὐτὰ ἐν ἀμφοῖν, ὡς εἶναι μὲν ἐν τῷ υἱῷ τὰ τοῦ πατρὸς, ἐν δὲ τῷ τεκόντι τὰ τοῦ γεννήματος;

e Idem. Οἶδε γὰρ, οἶδεν, ὡς ἔφην, ἑαυτὸν ὄντα φύσει θεὸν ὁμοῦ τῷ γεγεννεκότι, καὶ πάντα ἔχοντα αὐτοῦ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ. τοιγάρ τοι καὶ ἔφασκε, πρὸς αὐτόν. ὅτι πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ, ἐμά.

f Cyril. XXXII *Thes.* Οὐκοῦν ὅπερ ἄν ὑπὸ τοῦ περὶ τοῦ πατρὸς λέγηται. τοῦτο πάντως καὶ περὶ τοῦ υἱοῦ, δίχα μόνου τοῦ ὅτι πατήρ ἐστι· καὶ ὅπερ ἂν ἐφ' υἱοῦ τάττοιτο, τοῦτο κρατήσει καὶ περὶ τοῦ πατρὸς, δίχα μόνου πάλιν τοῦ ὅτι υἱός ἐστι.

1 *Joan.* xvi, 14. — 2 *Joan.* xvii, 10.

CAPUT X.

De processione ipsa deinceps agitur; ac primum de vocabulo ipso Spiritus, cujus origo ex flatu externo oris explicatur a nonnullis; de προβολῇ, *ac cæteris nominibus processionis. Tum a Patre, et Filio, tanquam uno principio, oriri Spiritum; quæ est illa monarchia veterum. Spirationem non esse proprietatem* ὑποστατικὴν, *et Patri, ac Filio convenire. Quo sensu principaliter oriri dicatur a Patre.*

I. Expositis Patrum antiquorum testimoniis, et argumentis, quibus a Patre, Filioque communiter oriri Spiritum sanctum efficitur; supererat hoc unum, ut eorum, quæ Græci recentiores contra disputare solent, et objicere, præcipua quæque refelleremus. Neque enim commemorari necesse est omnia, quod pleraque cassa, et inania sint, et in vocularum calumniis majori ex parte posita. Sed cum illa ipsa, quæ majoris momenti videntur esse, non alia ratione melius intelligi, enodarique possint, quam si processio ipsa Spiritus sancti, et origo, cujusmodi ex Latinorum theologorum opinione sit, plenius agnoscatur eaque patefacta, sponte sua, quæ sunt objecta, concidant; de ipsa processione, ejusque quoad assequi fas est, proprietate, ac natura, paucis explicandum videtur.

Flatus ac spirationis similitudine S. Spiritus processionem declarant Patres.

Spiritus sancti personam, ejusque processionem a Patre dum adversus Ethnicos, Judæos, aut hæreticos affirmare student veteres Patres, flatus, ac spirationis hoc similitudine declarare solent. Imprimis vero Gregorius Nyssenus in oratione catechetica; cujus in primo capite universe gentilibus persuadere conatur divini Verbi existentiam in Deo, ac subsistentiam; quod qualemcumque Deum cogitatione sibi finxerint, is ἄλογος, hoc est *verbi*, sive *sermonis*, ac rationis expers esse nequit; quod utrumque λόγος significat. Porro λόγος iste, non pro modulo nostro intelligendus est, ut sit transiens, vitaque carens; sed cujusmodi Deo congruit, subsistens, ac vitalis, imo vita ipsa, et ejus, a quo profertur, Dei similis in omnibus, et æqualis.

Tum in secundo capite, Spiritum sanctum eodem humani sermonis exemplo ita demonstrat. Etenim sermo noster sine aere, ac spiratione non potest effici, adeoque nec divinus sine sui generis spiratione. « Verum in nobis quidem spiritus aeris attractione constat, re adventitia ad corporis constitutionem necessario introducta, et effusa; qui in sermonis pronuntiatione fit vox, vim illius in se declarans. At in Dei natura esse quidem Dei spiritum, pietati consentaneum est vivum, quemadmodum concessum est et Dei esse verbum; quoniam deterioris, quam nostrum sit, conditionis divinum esse verbum non oportet, quod fieret; si hoc sine spiritu esse crederetur, cum illud conjunctum intelligatur spiritu. Sed neque, perinde ac spiritus noster, divinum illum alienum, et extrinsecus appellentem ad Deum, et in ipso existentem esse Deo congruum est arbitrari [a]. » Proinde sicut Verbum subsistens est per se, non voce profusum aliquid, ac dissolubile, neque nostri simile; « Sic etiam, cum Dei Spiritus didicerimus, qui verbum consequitur, et ejus declarat operationem, non intelligimus flatum anhelitus; (deprimeretur enim, et ad nimiam demitteretur humilitatem magnitudo divinæ potentiæ, si qui in eo est Spiritus, existimaretur esse instar nostri), sed virtutem substantialem ipsam in sese, propriaque in hypostasi subsistentem, quæ neque separari a Deo potest, cui inest, neque a Verbo Dei, quod consequitur [b]. »

II. Accedit et Cyrillus, qui Christum non tunc primo, quando est baptizatus, Spiritum sanctum accepisse contra hæreticos sic ostendit: « Quomodo, inquit, absque proprio spiritu Verbum intelligi potest? Annon esset absurdum, si quis eum ab homine spiritum

a Gregor. Nyssen. Ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν μὲν τὸ πνεῦμα ἡ τοῦ ἀέρος ἐστὶν ὁλκὴ, ἀλλοτρίου πράγματος πρὸς τὴν τοῦ σώματος σύστασιν ἀναγκαίως εἰσελκομένου τε καὶ προχεομένου· ὅπερ ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐκφωνήσεως τοῦ λόγου φωνὴ γίνεται, τὴν τοῦ λόγου δύναμιν ἐν ἑαυτῇ φανεῦροσα· ἐπὶ δὲ τῆς θείας φύσεως τὸ μὲν εἶναι πνεῦμα θεοῦ, εὐσεβὲς ἐνομίσθη· καθὼς ἐδόθη καὶ λόγον εἶναι θεοῦ· διὰ τὸ μὴ δεῖν ἐλλιπέστερον τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸν τοῦ θεοῦ εἶναι λόγον, εἴπερ τούτου μετὰ τοῦ πνεύματος θεωρουμένου, ἐκεῖνος δίχα πνεύματος εἶναι πιστεύοιτο· οὐ μὴν ἀλλότριον καθ' ὁμοιότντα τοῦ ἡμετέρου πνεύματος ἔξωθεν ἐπεισρεῖν τῷ θεῷ, καὶ ἐν αὐτῷ γίνεσθαι τὸ πνεῦμα θεοπρεπές ἐστιν οἴεσθαι.

b Ibidem. Οὕτω καὶ πνεῦμα μεμαθηκότες θεοῦ τὸ συμπαρομαρτοῦν τῷ λόγῳ, καὶ φανεροῦν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, οὐ πνοὴν ἄσματος ἐννοοῦμεν· ἢ γὰρ ἂν καθαροῖτο πρὸς ταπεινότητα τὸ μεγαλεῖον τῆς θείας δυνάμεως, εἰ καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἡμετέρου καὶ τὸ ἐν αὐτῷ πνεῦμα ὑπονοοῖτο· ἀλλὰ δύναμιν οὐσιώδη αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει θεωρουμένην οὔτε χωρισθῆναι τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐστιν, ἢ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ, ᾧ παρομαρτεῖ δυναμένην.

separari diceret, qui inest ipsi tam secundum naturæ definitionem, quam ad integrum animalis complementum ? Quomodo igitur Spiritum divellemus a Filio, qui sic innatus ei est, et substantialiter conjunctus, et per ipsum prodiens, atque in ipso naturaliter existens, ut nihil ab illo putetur esse diversum [a] ? »

Anastasius item Sinaita in sermone dogmatico eodem modo Spiritus sancti proprietatem explicat : « Verbum autem, inquit, cum sit Filius, secum una Spiritum ostendit. Verbum enim sine spiritu non est, ut neque mens sine Verbo. Mentem vero dicimus Patrem Verbi ; in qua Verbum est; quocum et Spiritus sanctus Spiritus oris Dei nominatus; Os enim Patris est Filius [b]. » Idem etiam Spiritum sanctum a Filio dicit existere, idque Christum in discipulos sufflando monstrare voluisse; cujus verba in fine capitis primi libri hujus exscripsimus. Atque hoc Cyrillus in secundo *Dialogorum* ante docuerat. « Sanctum, inquit, Spiritum appellabis, qui ex Deo Patre per Filium profunditur naturaliter, et sic tanquam in figura respirationis, quæ per ora fit, propriam nobis existentiam demonstrans [c]. » Damascenus quoque idipsum explicat iisdem fere [1], quibus Gregorius Nyssenus utitur verbis.

His adjungi potest Athanasius, ac cæteri, quos supra capite secundo protulimus, qui Spiritum sanctum flatum esse dicunt, sive halitum oris Dei, vel Patris, ac Filii. Quibus consentaneus est Tertullianus in libro *contra Praxeam* [2], ubi ita scribit : » Sermo autem spiritu structus est, ut ita dixerim, sermonis corpus est spiritus. » Qui quidem omnes ad Spiritus sancti declarandam ὑπόστασιν, et proprietatem, de externo et prolatitio sermone exempla sumpserunt, quemadmodum et in Verbi divini enarranda persona plerique faciunt; ut superiore libro, cum de Verbo actum est animadvertimus.

III. Verum iste processionis explicandæ modus rudis est, minusque proprius. Qui ut hoc habet commodi, uti ne minorem Filio Spiritum sanctum esse demonstret, sed ejusdem substantiæ, atque eodem ex fonte, principioque manantem; sic anteriorem quodammodo natura Spiritum esse Filio, atque hunc ex illo procedere, potest imperitis, ac minus acutis fortasse persuadere. Certe originem a Filio perinde, ut a Patre, Spiritus sancti nullo pacto significat. Quippe flatus ille, quo vox constat, natura prior est, quam vox, ac sermo ; et ejus efficiens est, nec a sermone flatus producitur.

Istius processionis explicandæ modi incommoda

Quamobrem Agnellus Ravennensis episcopus in epistola *ad Armenium* [3], cum eamdem vocis humanæ similitudinem adhiberet ad Trinitatis explicandam fidem, non flatum oris accommodavit Spiritui sancto, sed vim, et efficacitatem verbi. « Vox ergo egressa, inquit, sermonem parit, et sermo egressus efficaciam gignit, ut puta, jussum est per vocem : Ille fiat consul, vel certe denudetur, vel certe interficiatur, vel certe de periculo liberetur. Ecce vox peperit verbum ; verbum autem non peperit efficaciam, sed ex ipsa voce, et verbo virtus egressa, alterum fecit consulem, alterum interfecit. Et ideo ex Patre Filius, ex Patre, et Filio procedit Spiritus sanctus. » Est ea comparatio virtutis, aut efficaciæ, utique aptior, quam illa flatus, et halitus. Nam et Gregorius Nyssenus loco illo citato capitis secundi catecheticæ orationis, Spiritum sanctum vocat δύναμιν οὐσιώδη, *substantialem virtutem*, quæ divini Verbi comes est. At ista flatus similitudo, ut eo, quod dixi, vitio careat, quod flatu posterior sit sermo, non sermone flatus ; hoc saltem vitare non potest, quin origine simul ambo sint, ac tum ab eodem loquente, tum eodem processionis modo proficiscantur.

Ac Græci quidem recentiores, qui Spiritum sanctum negant a Filio produci, utrumque origine simul putant existere, Quibus favere Theodoretus videtur in sermone secundo *contra Græcos*, ita scribens. « Etenim una

a Cyril. II *in Joan.* Πῶς δ' ἂν καὶ ὅλως δίχα ποτὲ τοῦ ἰδίου πνεύματος ὁ λόγος νοοῖτο ; ἤ γὰρ οὐκ ἄτοπον ἀνθρώπου κεχωρίσθαι λέγειν τὸ πνεῦμα τὸ ἐν αὐτῷ κατά τε τὸν τῆς φύσεως ὅρον, καὶ εἰς ὁλόκληρον τοῦ ζώου ἀπαρτισμὸν; τίνα οὖν τρόπον ἀπομεριοῦμεν τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ τὸ οὕτως ἐμπεφυκὸς, καὶ οὐσιωδῶς ἡνωμένον, δι' αὐτοῦ τε προκύπτον, καὶ ὑπάρχον ἐν αὐτῷ φυσικῶς, ὡς μηδὲν εἶναι νομίζεσθαι ἕτερον παρ' αὐτόν;

b Anastas. Λόγος δὲ ὑπάρχων ὁ υἱὸς συναναδείκνυσιν ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα. Λόγος γὰρ χωρὶς πνεύματος οὐκ ἔστιν· ὡς οὐδὲ νοῦς χωρὶς λόγου, νοῦν δέ φαμεν τὸν πατέρα τοῦ λόγου, ἐν ᾧ λόγος· μεθ' οὗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ χρηματίζον· στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

c Cyril. Ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς τὸ ἐκ θεοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς, καθάπερ ἐν τύπῳ τῆς ἐκ τῶν στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν κατασημαῖνον ὕπαρξιν.

1 Lib. I, cap, VII. — 2 Cap. VIII. — 3 Tom. III *Bibl. Patrum*.

cum Verbo prodit Spiritus, non simul genitus, sed simul cum illo existens, et comitans, et procedens [a]. » Ubi posset quidem sic illud Theodoreti dictum intelligi, ut de tempore, non de origine locutus sit, nisi aliter suspicandi ocasionem ex iis dedisset, quæ contra Cyrillum in *Anathematismorum confutatione* scripsit, de quibus postea. Nam Spiritum sanctum diserte negavit a Filio procedere. Alii porro, qui simul cum Filio exstitisse dixerunt Spiritum sanctum, ad temporis ordinem, non orignis, respectum habuerunt. Sic Ephræm in *Confessione, et sui ipsius reprehensione*, Verbum et Spiritum sanctum simul tempore progredi docuit his verbis : « Nam et nos in pronuntiando verbo spiritum nostrum movemus, et cum verbo spiritum producimus. Pater ergo neque tempore indiguit in generatione Verbi, neque ullo temporis intervallo post Verbum produxit Spiritum sanctum. » Ita etiam interpretandus videtur Æneas Gazæus in *Theophrasto*, cum ait, « Et simul cum generatione (Filii) ejusdem substantiæ Spiritum sanctum protulit, non vi, ac coactus, sed potestate virtutis. Propterea et genuit volens, et potens produxit [b]. » Ibi ut apud Ephræmium, vox hæc *simul* intelligi debet non ut ordinem processionis, et originem, sed ut interjectum omne spatium excludat ; « Quia nulla ibi tempora cogitantur, quæ habent prius, et posterius, » ait Augustinus [1].

IV. Sed mirum esse nemini debet, si nulla creatis, et usitatis ex rebus transferri similitudo potest, quæ ad Spiritus sancti processionem declarandam idonea sit ; cujusmodi in Filii productione suppetit, quæ proprie generatio dicitur. Est enim singularis, ac soli divinitati congruens illa processio, quæ sic ab ambobus et naturaliter, et ejusdem substantiæ persona una producitur, ut ab neutra generetur. Cujus simile aliquod exemplum in infimis istis requirentem hæreticum præscriptione hac Gregorius Nazianzenus summovet, ut vicissim alium et ipse Deum, ac Dei naturam aliam sibi ostendi postulet. « Da mihi, inquit, ex eodem aliud Filium, aliud non Filium, quæ consubstantialia sint ; ac Deum, et Deum admittam. Da tu quoque mihi Deum alium, Deique naturam ; et tibi Trinitatem aliam cum iisdem nominibus, ac rebus dabo [c]. »

Proinde quod prorsus ignotis in rebus, minimeque compertis usuvenit, id fit in ea processione, ut et pluribus, et communibus fere nominibus exprimatur apud Græcos theologos, cum Latini *processionis* fere ac *spirationis* vocabulis contenti sint. Hæc sunt igitur apud illos processionis sancti Spiritus nomina præcipua, προβολὴ, ἐκπόρευσις, ἔκφοίτησις, πνοὴ, προϊέναι, προκύπτειν, προχεῖσθαι, quibus et ἔκφυσις, et ἀναβλάστησις ex Dionysio potest adjici.

V. Προβολὴν Latine *prolationem* dici indicat Hilarius qui Arii epistolam *ad Alexandrum* e Græca, cujusmodi ab Epiphanio descripta est, Latinam fecit in sexto *de Trinitate*. Ibi enim Arius, ejusque loci de Filii productione professionem explicantes suam, *fetum*, seu *genituram*, quod Græce γέννημα dicitur, illum esse dicit, « sed non cujusmodi sunt genituræ cæteræ (quanquam Hilarius *facturam* vertit) ; nec ut Valentinus prolatione natum Patris commentatus est [d]. » Quem ad Epiphanii locum, quid ista Valentini προβολὴ esset, exposuimus. Nimirum Jesum affirmabat impostor iste ab æonibus procreatum, in commune collata ab unoquoque stipe, ac symbola de eo, quod quisque præstantissimum habebat ; quam prolationem προβολὴν, id, quod productum est, πρόβλημα vocabat. Ita medium alioqui vocabulum contagione erroris sui infame reddidit. Nam Athanasius in *Expositione fidei* de Verbi productione agens, inter alia προβολὴν esse negat, « Verbum, inquit, non elocutione pronuntiatum, non cogitatione in animo conceptum, non perfecti profluvium, non segmentum impatibilis naturæ, non prolationem, sed absolutum per sese Filium [e], » etc.

De Προβολῇ id est *prolatione*.

Eusebius Cæsariensis libro I *contra Marcellum Ancyranum* ejus verba refert, quibus Asterii Sophistæ scripta quædam refellit ; hoc

a THEODOR. serm. II *contra Græc.* Συμπρόεισι γὰρ τῷ λόγῳ τὸ πνεῦμα, οὐ ξυγγενώμενον, ἀλλὰ ξυνὸν, καὶ παρομαρτοῦν, καὶ ἐκπορευόμενον.

b ÆNEAS. Καὶ ἅμα τῷ τόκῳ τῆς αὐτῆς οὐσίας ἅγιον πνεῦμα προσήνεγκε (cor. προήνεγκε) οὐ βίᾳ, φησὶν, ἀλλ' ἐξουσίᾳ δυνάμεως· διὸ δὴ καὶ τέτοκε βουλόμενος, καὶ προήγαγε δυνάμενος.

c NAZIANZ. orat. XXXVII. Δὸς οὖν μοι, φησὶν, ἐκ τοῦ αὐτοῦ, τὸ μὲν, υἱόν, τὸ δὲ, οὐχ υἱὸν, εἶτα ὁμοούσια. καὶ δέχομαι Θεὸν, καὶ Θεόν. δός μοι καὶ σὺ ἄλλον Θεὸν, καὶ φύσιν Θεοῦ· καὶ δώσω σοι τὴν αὐτὴν τριάδα μετὰ τῶν αὐτῶν ὀνομάτων τε, καὶ πραγμάτων.

d EPIPH. hær. LXIX, num. 7. Γέννημα· ἀλλ' οὐχ ὡς ἓν τῶν γεννημάτων· οὐδ' ὡς Οὐαλεντῖνος προβολὴν τὸ γέννημα τοῦ Πατρὸς ἐδογμάτισεν.

e ATHAN. Λόγον δὲ οὐ προφορικὸν, οὐκ ἐνδιάθετον, οὐκ ἀπόῤῥοιαν τοῦ τελείου, οὐ τμῆσιν τῆς ἀπαθοῦς φύσεως, οὔτε προβολὴν, ἀλλ' υἱὸν αὐτοτελῆ.

1 Lib. XV *de Trinit.* cap. XXVI. — 2 Lib. *de Mystic. theol.*, cap. III. Vide et Euthy. *Pan.* tit. II.

imprimis reprehendens, quod ita scripserat. « Caput enim epistolæ hoc esse, ad Patris consilium, et voluntatem referre generationem Filii ; nullo autem modo Dei genituram passioni adscribendam. Atque hoc illud est, quod in scriptis suis sapientissimi quique Patrum prodiderunt, cum hæreticorum vitarent impietatem, qui corporalem, et patibilem propagationem sobolis perperam affinxerunt Deo, prolationes introducentes [a]. » Eusebius Nicomediensis ad Paulinum Tyri episcopum epistolam scripserat, quæ exstat apud Theodoretum, in qua Arium, ejusque hæresim propugnat, ac docet Filium a Patre non proprie, et ex substantia genitum esse, sed creatum, atque factum : « Nam si ex ipso, inquit, id est ab ipso esset, tanquam pars ejus, vel ex fluxu quodam substantiæ, non jam creatum, aut fundatum esse diceretur [b]. » Nimirum quia *Proverbiorum* octavo Sapientia sic de se loquitur, ut in Græco est : *Dominus creavit me initium viarum suarum, et ante sæculum fundavit me ;* hanc epistolam tueri volens Asterius mentem ac scopum hunc Eusebii Nicomediensis fuisse dicebat, ostendere, Patrem ex voluntate sua procreasse Filium ; non ex

Prolationem substantia, ne hæreticorum more προβολὴν nescio quam adstrueret in Deo. Intelligebat enim

Prolationes. Valentini προβολὰς, quarum supra memini, in invidiam adductas esse, et damnatas ab antiquis Patribus. Sed huic vocabulo invidiam

Prolatio. facit, tanquam nihil aliud sit προβολὴ, quam corporum propria, et cum sectione, ac passione gignentis conjuncta productio. Quod deinceps fusius explicat Asterius apud eumdem Eusebium Cæsariensem, dum ait, « Deum Patrem indivisum, et impartibilem Filii esse genitorem ; quem non emisit, ut quidam arbitrantur. Nam si est emissio Patris Filius, et cum ex seipso gignit ille, cujusmodi sunt fetus animalium ; necesse est corpus esse tum emittentem, tum eum, qui emissus est [c]. »

VI. Sane perdiu ab Ecclesiasticis doctoribus repudiata vox est illa προβολῆς, et ab divinis *Prolationis.* processionibus abjudicata, tanquam infamis, et implicata notione corporum, et eorum propriis affectionibus. Hinc Irenæus [1]: » Si quis itaque nobis dixerit, inquit, Quomodo ergo Filius prolatus a Patre est ? dicimus ei, quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem existentem nemo novit. » Origenes quoque in primo libro *de Principiis*, capite II prolationes istas sic describit, « ut divinam naturam in partes vocent ; et Deum Patrem, quantum in se est, dividant, » qui illas adstruunt. Et Didymus in libro secundo *de Spiritu sancto*, « Et sicut loca, et commutationes locorum, inquit, ab incorporalibus separamus, sic et prolationes, intus dico, et foris, ab intellectualium natura discernimus, quia istæ corporum sunt recipientium tactum, et habentium vastitates. » Cyrillus item Alexandrinus in paschali homilia XII προβολῆς istius modum clarius exponit, et esse *Prolationis* demonstrant emissionem seminis ; quæ est in generantibus substantiæ desectio, ac velut ἀπουσιασμὸς quidam : « Homines, inquit, et alia quælibet animantia corpore prædita, gignunt e seipsis, et in aliud emittentes, separatim habent fetus suos. Deus autem corporis expers, atque omni nostra cogitatione superior, sine ulla divisione parit, neque gignendo secatur [d]. » Socrates vero in primo libro capite sexto, cum de voce τοῦ ὁμοουσίου disserit, tria ista distinguit ; μερισμὸν, id est *partitionem* : ῥεῦσιν, *profluvium*, et προβολὴν, *prolationem*, vel *emissionem ;* ac postremam hanc ait esse cujusmodi *ab radice germinis est*, ut supra meminimus [2]. Quemadodum et Basilius in epist. *ad Canon.* eamdem προβολὴν talem esse definit, « qualis est fructuum ab arboribus emissio [e]. »

VII. Sed recte Tertullianus in libro *contra*

a Asterius apud Euseb. Τὸ γὰρ κεφάλαιον εἶναι τῆς ἐπιστολῆς, ἐπὶ τὴν βουλὴν τοῦ πατρὸς ἀνενεγκεῖν τοῦ υἱοῦ τὴν γένεσιν, καὶ μὴ πάθος ἀποφῆναι τοῦ θεοῦ τὴν γονήν· ὅπερ οἱ σοφώτατοι τῶν πατέρων ἐν τοῖς οἰκείοις συντάγμασιν ἀπεφήναντο, φυλαξάμενοι τῶν αἱρετικῶν τὴν ἀσέβειαν· οἳ σωματικήν τινα, καὶ παθητικὴν κατεψεύσαντο τοῦ θεοῦ τὴν τεκνογονίαν, τὰς προβολὰς δογματίζοντες.

b Euseb. Nicomediens. apud Theod. lib. I, cap. VI. Εἰ δὲ ἐξ αὐτοῦ, τουτέστιν ἀπ' αὐτοῦ ἦν, ὡς ἂν μέρος αὐτοῦ, ἢ ἐξ ἀποῤῥοίας τῆς οὐσίας, οὐκ ἂν ἔτι κτιστὸν, οὐδὲ θεμελιωτὸν εἶναι ἐλέγετο.

c Asterius. Ὡς ἀδιαίρετος ὢν, καὶ ἀμέριστος υἱοῦ γίνεται πατήρ· οὐ προβαλὼν αὐτὸν, ὡς οἴονταί τινες. εἰ γὰρ προβολή ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, καὶ γεννᾷ μὲν ἐξ αὐτοῦ, ὁποῖα τὰ τῶν ζώων γεννήματα, ἀνάγκη σῶμα εἶναι τὸν προβάλλοντα, καὶ τὸν προβεβλημέναν.

d Cyril. pasch. XII, tomi V, par. II. Ἄνθρωποι μὲν γὰρ, ἤγουν ἕτερόν τι τῶν ἐνσωμάτων ζώων, τίκτουσιν ἐξ ἑαυτῶν καὶ προβολαῖς ταῖς εἰς ἕτερον ἰδικῶς ἔχει τὸ ἐξ ἑαυτῶν γεννήματα. ὅ γε μὴν ἀσώματος, καὶ ἁπάσης ἐννοίας τῆς ἐν ἡμῖν ἐπέκεινα θεὸς τίκτει μὴ μεριζόμενος· γεννᾷ μὴ τεμνόμενος.

e Basil. Ὡς τὰ φυτὰ τοὺς καρπούς.

1 Lib. II, cap. XLVIII. — 2 Lib. IV, cap. V. n. 8.

Praxeam capite VIII de hoc ipso nomine προβολῆς agens, quam *prolationem* exponit *rei alterius ex altera;* tametsi Valentinus ea sit usus, « alium atque alium Æonem de Æone producens, non ideo tamen, inquit, non utatur et veritas vocabulo isto, et re ac censu ejus, quia et hæresis utitur; imo hæresis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum strueret. » Quocirca probus, ac legitimus potest usus esse nominis illius; quem qui deinde secuti sunt Patres, contra Arianos adhibuerunt, ita tamen ut se ab illa Valentinianorum προβολῇ abhorrere monstrarent. Arianis vero, quantumvis dissimularent, ac se illorum odio eam vocem detestari dicerent, non alia de causa constabat eam displicere, nisi quod productionem substantialem exprimeret; qua ratione, et ὁμοουσίου nomen repudiasse illos suo loco docuimus. Itaque detracto eo, quod imperfectum, et corporeum inest in creaturis, potest, debetque ad divina transferri; et cum generalis interdum sit illius usus, ut ad Filii generationem accommodetur; proprie tamen ad Spiritus sancti processionem adhibetur, quia caret ista peculiari nomine, quod habet altera. Proinde Spiritum προβάλλειν dicitur Pater, et Filius, et uterque προβολεὺς vocatur, vel quod idem est. Pater προβολεὺς per Filium Spiritus sancti, ut a Joanne Damasceno [1], διά λόγου προβολεὺς τοῦ ἐκφαντορικοῦ πνεύματος, *per Verbum emissor enuntiatorii Spiritus*. Gregorius vero Nazianzenus oratione XXXV Patrem vocat γεννήτορα, καὶ προβολέα, *genitorem*, et *emissionem ;* quibus opponit ex adverso γέννημα, et πρόβλημα *genituram*, et *emissuram*, ut ita dixerim, qui sunt Filius, et Spiritus sanctus. Etsi de æterna Filii generatione magis ea vox usurpatur a veteribus, quam de Spiritus sancti processione, quæ ab illis per verbum ἐκπορεύεσθαι potius exprimitur, aliaque supra a nobis exposita. Sic Nazianzenus Gregorius objicienti hæretico [2], medium esse nihil in Deo inter ἀγέννητον, et γεννητὸν, quorum prius Patri convenit, posterius Filio; respondet medium esse inter ambo ista τὸ ἐκπορευτὸν, cujus in Evangelio mentio est : *Spiritus sanctus*, *qui a Patre procedit* [3], ἐκπορεύεται.

Consubstantialis.

Ingenitum et genitum.

VIII. Ex omnibus porro vocabulis, quibus processio illa declaratur, proprium maxime illud est *spirandi*, quod πνοὴ vox significat, unde et πνεῦμα sumptum est. Non enim *spirari* Filius dicitur. Hoc vero nomine affectus ille mutuus, et amoris ardor continetur, quo se invicem amplectuntur Pater et Filius, et communem ex sese, et in sese Spiritum aspirant.

Habitus. Spiritus.

Spirandi vocabulum maxime proprium. Inde usitatissima Spiritus appellatio.

Quamobrem peculiaris, et usitata maxime est *Spiritus* appellatio, cum personam Trinitatis tertiam exprimere volumus. Quæ quidem appellatio duobus, quod ad præsens institutum attinet, modis sumitur; vel absolute, vel ut ad illud comparatur. Quod recte sanctus Augustinus exponit in epist. CLXXIV. « Fides, inquit, nostra est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum Deum credere, et confiteri, nec tamen eum, qui Filius est, Patrem dicere, nec eum, qui Pater est, Filium; nec eum, qui Spiritus Patris, et Filii est, aut Patrem, aut Filium nuncupare. His enim appellationibus hoc significatur, quod ad se invicem referuntur, non ipsa substantia, qua unum sunt. Nam et Pater cum dicitur, nonnisi alicujus Filii dicitur, et Filius nonnisi alicujus Patris intelligitur, et Spiritus, secundum id, quod ad aliquid refertur, spirantis alicujus est, et spirans utique spiritu spirans est. » Ac mox : Nam hoc nomen, quod spiritus dicitur, non secundum id, quod refertur ad aliquid, secundum id, quod aliqua natura significatur, omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur. » Post hæc, « Proprio, inquit, modo quodam dicitur Spiritus sanctus, secundum quod refertur ad Patrem, et Filium, quod eorum sanctus Spiritus sit. » Idem et in undecimo *de Civitate Dei*, capite X scribit. Quocirca propria nuncupatio personæ tertiæ, et ut ab reliquis differt, non est quod Spiritus dicitur, id enim commune est et illis, sed quod Spiritus Patris, et Filii vocatur, ut bene animadvertit Hugo Etherianus in tertio *contra Græcos* [4]: « Sed forte dicet aliquis, ait, cum spiritus Pater, spiritus Filius, spiritus dicatur, et sanctus Spiritus, quomodo secundum hoc vocabulum a Patre, et Filio differentiam habere possit. Ad quod dicendum, quod Pater, cum sit spiritus, et sanctus, non est, neque dicitur alicujus spiritus. Similiter autem Filius spiritus existens, atque sanctus, nequaquam alicujus spiritus nuncupatur, quia naturam divinitatis ipsam sic acceptum significat. Spiritus vero sanctus, et est alicujus Spiritus, et dicitur. Etenim Patris est Spiritus, atque Filii. »

IX. Eodem modo et quod non simpliciter *Spiritus* vocatur, sed *Spiritus sanctus*, eidem personæ ex communi fit proprium. Neque

1 Lib. I, cap. XIII. — 2 Orat. XXXVII. — 3 *Joan.* XV. — 4 Cap. III.

enim aut Pater Spiritus sanctus nominatur, aut Filius Spiritus sanctus, quamvis uterque spiritus sit, et sanctus, ut observat Anastasius Antiochenus patriarcha in libro *Dogmatico* : « Spiritus, inquit, appellatur Deus, et sanctus Deus dicitur. Conjuncta vero ambo ista nomina ei, qui proprie Spiritus sanctus vocatur, congruunt ; sicut Patris vocabulum principio, et Filii nomen ei, qui, nullo interjecto, ex principio procedit [a]. » Hoc idem observavit Augustinus libro XI *de Civitate Dei*, capite XXIV. Imo et tota ipsa Trinitas appellari potest Spiritus sanctus, ut idem in quinto *de Trinitate* capite scribit. Verum eatenus peculiare id est nomen tertiæ personæ, ut relative dicitur. Quam ad rem memorabilis est iste ipse locus Augustini ex quinto *de Trinit.* « Spiritus vero sanctus, inquit, secundum quod scriptum est, *Quoniam Deus Spiritus est* [1], potest quidem universaliter dici, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus ; et Pater sanctus, et Filius sanctus. Sed tamen ille Spiritus sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo, quod proprie dicitur sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem, et ad Filium refertur ; quia Spiritus sanctus et Patris et Filii Spiritus est. » Quocirca tam Spiritus, quam Spiritus sancti vocabulum non aliter proprium fit personæ tertiæ, quam cum relative dici intelligitur. Atque hoc modo, « quia est communis ambobus, inquit idem [2], id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. » Et quinto libro, cap. XI : « Spiritus sanctus ineffabilis est quædam Patris Filiique communio ; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter ; quia Pater spiritus, Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus. » Quem locum Petrus Damiani in opusculo *contra Græcos* expressit, capite VII. Hoc autem ab Ambrosio didicisse videtur Augustinus. Nam ille in capite primo tractatus *de Symbolo* sic scribit : « Nam licet Pater sit spiritus, et Filius sit spiritus, et Pater sit sanctus et Filius sit sanctus ; sola tamen tertia persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coæterna, et communis est ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt. »

Sed de hujus origine, interpretationeque nominis plura dicemus postea, ubi quæ ad modum processionis pertinent, paululum explicata fuerint.

A Patre et Filio tanquam ab uno principio oritur S. Spiritus.

X. Quorum primum istud est : Oriri quidem a Patre, Filioque, sed tanquam ab uno principio, ut quamvis duæ personæ sint reipsa distinctæ, non sint tamen principia duo ; quia secundum hoc, quo unum sunt, et in quo non differunt, producunt Spiritum sanctum : quemadmodum personæ tres, etsi invicem differunt, et ex æquo omnes in mundi procreationem conferunt, non sunt tamen principia tria, sed unum ; quoniam secundum id concurrunt, quo unum idemque sunt, hoc est, essentiam, et agendi vim, ac potentiam. Ita sanc. Augustinus in quinto *de Trinitate* [3] ; cujus hæc verba sunt : « Si ergo et quod datur, principium habet eum, a quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit ; fatendum est, Patrem, et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus creator, et unus Dominus ; sic relative ad Spiritum sanctum unum principium, ad creaturam vero Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator, et unus Dominus. »

Quam Augustini rationem latius, et enucleatius exponit Anselmus [4], ac totam illam vim divinæ processionis erudite declarat his verbis : « Quemadmodum igitur lacus non est de hoc, unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua in qua unum sunt : ita Spiritus sanctus non est de hoc, unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia, in qua unum sunt. Si ergo non magis est Pater hoc, unde Spiritus sanctus est, quam Filius ; intelligi nequit, cur magis sit de Patre, quam de Filio. Quod si dicunt, non eum esse posse de duabus causis, sive ex duobus principiis, respondemus, quoniam, sicut non credimus, Spiritum sanctum esse de hoc,

a ANASTAS. apud Calec. cap. III. Πνεῦμα λέγεται ὁ θεός· καὶ ἅγιος ὁ θεός· συντιθέμενα δὲ ἄμφω τὰ ὀνόματα τῷ ἰδίως καλουμένῳ πνεῦμα ἅγιον ἁρμόζει· καθάπερ ἡ τοῦ πατρὸς ἐπίκλησις τῷ αἰτίῳ, καὶ ἡ τοῦ υἱοῦ, τῷ ἀμέσως ἐκ τοῦ αἰτίου.

1 *Joan.* IV, 24. — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. XIX. — 3 Cap. I, 4. — 4 In Opusc. *de Proces. Spirit. sanc.* cap. IX.

unde duo sunt Pater, et Filius, sed de hoc, in quo unum sunt; ita non dicimus duo ejus principia, sed unum principium. Quippe cum dicimus Deum principium creaturæ, intelligimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum principium, non tria principia, sicut unum creatorem, non tres creatores, quamvis tres sint Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; quoniam per hoc, in quo unum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus principium, sive creator. Sicut igitur, quamvis Pater sit principium, et Filius sit principium, et Spiritus sanctus sit principium, non tamen sunt tria principia, sed unum; ita cum Spiritus sanctus dicitur esse de Patre, et de Filio, non est de duobus principiis, sed de uno, quod est Pater, et Filius. »

Quæ sit illa monarchia veterum.

XI. Hinc apparet μοναρχία illa, id est *unitas principii*, ad quam omnia revocari oportere contra catholicos Ariani adeo contendebant, imprimisque Eusebius contra Marcellum scribens, ut idcirco Filium ejusdem cum Patre substantiæ, et æqualem ei profiteri nollent, ne duo principia cum antiquis hæreticis viderentur adstruere. Verum quia personæ tres in essentia, potestate, ac cæteris, quæ absolute, non relative dicuntur, unum sunt, hoc est una, et simplicissima res, sine ulla differentia, aut divisione; creaturas vero secundum hanc ipsam rationem, qua sunt unum, producunt, non qua multiplici relatione, ac proprietate discrepant; inde fit, ut unum sint creatarum rerum, et singulare principium. Quod idem et de Patre Filioque cum Spiritu sancto comparatis intelligi debet. Producunt enim Spiritum sanctum, non ut sunt duo, hoc est, quatenus proprietatibus suis ac relationibus distinguuntur invicem, ad seque referuntur, sed ut communem habent essentiam, communi itidem spirandi vi affectam, et spirantis notione, quam προβολὴν vocant, per quam unus ambo προβολεὺς fiunt, et singularem constituunt habitudinis terminum; cui et unicus respondet ex adverso terminus spiratione illa procedens, Spiritus sanctus. Hoc loco præteriri non debet, singularitate nullam principii, sive μοναρχίαν, duobus modis explicari a veteribus theologis; dum etsi personæ plures sint, plura tamen non esse principia demonstrant.

Prolationem

Emissor.

Primus est, quem hucusque attigi; quod licet proprietatibus discernuntur, substantia tamen, et bonitate, ac sapientia, volunetta, et potentia sunt idem, penes quæ procreatrix illa vis rerum, et principii notio residet. Ita principium est unum; quoniam id unum est, in quo principium sunt, non multiplex.

Secundus est, quod etsi personæ sint plures, iisque et simul, et singillatim sumptis efficientia rerum omnium, et potentia, adeoque principii ratio congruat; ad unam tamen originem hæc ipsa redigitur, quia Filius, et Spiritus sanctus non a se hoc habent, ut principium sint, sed a communi stipe. Hinc Augustinus in quarto *de Trinitate* scribit[1], dixisse quidem de Spiritu sancto Filium, « *Quem mittet Pater in nomine meo* : et, *Quem ego mittam vobis a Patre*[2]; non tamen dixisse, quem mittet Pater a me; videlicet ostendentem, quod totius divinitatis, vel, si melius dicitur, deitatis principium Pater est. » Et in lib. XV cum dixisset[3], Spiritum sanctum de Patre principaliter procedere, mox addit: « Ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur: sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti, et nondum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, et Spiritus sanctus spiritus esset amborum. » Tum in libro tertio *contra Maximinum Arianum*[4], de utroque procedere Spiritum sanctum ait : « Sed ideo, inquit, cum de illo Filius loqueretur, ait, *De Patre procedit*, quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. »

XII. Ad hæc in eodem illo libro XV, cap. XXVII, ut et tractatu XCIX *in Joannem*, cum eumdem Spiritum sanctum de Patre principaliter, et de utroque procedere asserit; tum causam reddit, cur Filius dixit *De Patre procedit*. « Cur, inquit, putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde et illud est, quod ait : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit? A quo autem habet Filius, ut sit Deus, est enim de eo Deus; ab illo habet utique, ut de illo etiam procedat Spiritus sanctus, ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio pro-

Spiritus S. principaliter a Patre procedit.

1 Cap. XX. — 2 *Joan.* XV. — 3 Cap. XVII. — 4 Cap. XIV.

cedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. » Sic Anastasius Sinaita in libro dogmatico, « Spiritus, inquit, sanctus veritatis est spiritus. Hic vero a Patre quidem procedit; accipit autem a Filio, qui omnia, quæ Patris sunt, habet, ut hoc demonstretur, ac planum fiat, unam esse substantiam et accipientis, et ejus, a quo accipit, et ejus, ex quo naturaliter procedit[a]. » Ubi Spiritum sanctum a solo Patre naturaliter procedere significat, non quod et a Filio non procedat (nam Anastasius eodem in libro Spiritum dixit ἐκ τοῦ υἱοῦ procedere, ut primo capite docuimus), sed quod naturaliter, hoc est *principaliter*, et tanquam a primigenia causa, solo ex illo prodeat. Quod Petrus Damiani in opusculo *de Processione Spiritus sancti*[1] vocat *proprie* procedere; tametsi fallitur, dum id in Nicæno symbolo expressum fuisse dicit. « Unde, inquit, cum in Nicæni concilii symbolo, quod superius memoravimus, Spiritus sanctus non simpliciter dicatur a Patre procedere, sed addatur proprie. Et in Spiritum, inquit, sanctum, qui de Patre procedit proprie, hæc proprietas non ideo datur Patri, ut Spiritus sanctus de solo ipso procedat, sed quia ab ipso datum est Filio, ut etiam ex ipso procedat. » Sed in Nicæno symbolo nulla processionis facta mentio est. Hoc enim solum de eo positum est, *Et in Spiritum sanctum*. In Constantinopolitano vero id præterea, *Qui ex Patre procedit*. Nusquam vox *proprie*.

XIII. Verum Petro Damiani *Explanatio* quædam *fidei* imposuit, quæ inter Hieronymi opera legitur, cum hac epigraphe : *Explanatio fidei ad Cyrillum*, cujus initium symbolum est Nicænum, nec tamen sincerum, sed quibusdam additis interpolatum; inter quæ illud est de Spiritu sancto : « Et in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit proprie, et Deus est verus, sicut Filius. » Quanquam in eadem *Explanatione*, ubi illud iterato dixit, « Spiritum sanctum de Patre proprie esse; » mox ait, « De Patre Filius, et Spiritus sanctus proprie, et vere de Patre, Filioque procedit. » Quare auctor illius *Explanationis* nullum in ea voce discrimen Patrem inter, Filiumque constituere voluit, ut putavit Petrus Damiani; qui *proprie* idipsum esse credidit, quod Augustinus loco ante a nobis citato dixit, *principaliter*[2]; quem locum Petrus idem in eo opusculo descripsit. Hugo Etherianus[3] non aliter, ac Petrus Damiani, vocem illam *proprie* a B. Hieronymo (hunc enim auctorem *Explanationis* istius facit) positam interpretatur. Nam collatis inter se Augustini, et Hieronymi verbis illis, « Ergo abusive dictum est, inquit, *principaliter*, et *proprie*; quod hoc habet Pater a se, non ab alio; Filius autem a Patre hoc habet, ut de ipso sit, et procedat, sicut de Patre est, et procedit Spiritus sanctus. »

At Petrus Abælardus libro secundo *Introductionis theologicæ*[4], ubi duo illa Augustini, et Hieronymi testimonia refert, dubitat, an vocabulum *proprie* sit idem, ac *principaliter*. Quominus enim id affirmet, obstare ait, quod ibidem et Filius ex Patre natus proprie dicitur, non utique principaliter, quia de solo illo natus est. Sed multo magis illud obstat, quod ex eodem observavimus, Spiritum sanctum dici ex utroque proprie procedere. Itaque *proprie* non potest esse *principaliter*, sed naturaliter, et οὐσιωδῶς, ut a creatis rebus utriusque origo discernatur, quæ non proprie, hoc est, ex ipsa substantia procedunt. Quo sensu tum Filium Patris, tum utriusque ἴδιον, id est, *proprium* esse Spiritum sanctum Græci illi Patres scripserunt, quos hoc libro capite secundo retulimus; ut et ὁμοουσίους ambos esse, Patris Filium, Patris, et Filii Spiritum sanctum ostenderent, et ex eorum propria substantia procedere. *Ejusdem substantiæ.*

XIV. Est ergo Pater *principalis causa*, ut quidem Græci loquuntur, Spiritus sancti; nempe, ut Basilius ait[5], προκαταρκτικὴ αἰτία. Tametsi non ad Spiritum sanctum, sed ad creatas res eum comparat, cum sic appellat, ut libro tertio docui[6]; quemadmodum et Gregorius Nazianzenus[7] personas tres proprietatibus distinguens suis, Patri τὸ αἴτιον, id est, *causam*, vel *principium* adscribit, Filio τὸ δημιουργὸν, *opificium*, Spiritui sancto τὸ τελειοποιὸν, *perficientem vim*. Nihilominus universe, absoluteque *causæ*, *principiique* proprietas Patri solet attribui, tanquam origini, ac fonti, a quo οὐσία omnis, et τὸ εἶναι, hoc est *esse omne* profluit, tam increatum, quam creatum. Quamvis enim *auctor*, *et causa*, id est ἀρχηγὸς καὶ αἴτιος omnium *Pater principalis causa Spiritus Sancti.*

a ANASTAS. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀληθείας πνεῦμά ἐστιν. τοῦτο δὲ παρὰ μὲν τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· λαμβάνει δὲ παρὰ τοῦ υἱοῦ πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἔχοντος, πρὸς ἀπόδειξιν, καὶ φανέρωσιν τοῦ ὅτι μία οὐσία ἐστὶ τοῦ τε λαμβάνοντος, καὶ τοῦ παρ' οὗ λαμβάνει, καὶ τοῦ ἐξ οὗ φυσικῶς ἐκπορεύεται.

1 Opusc. XXXVIII, cap. VII. — 2 Lib. XV *de Trin.* cap. XXVI. — 3 Lib. I *contra Græc.* cap. XVI. — 4 Cap. XV. — 5 Lib. *de Spirit. sanc.* cap. XVI. — 6 Cap. XV. — 7 Orat. XXIV.

secundum divinitatem rerum sit Filius, ut ait Basilius, adeoque charismatum omnium, quæ per Spiritum sanctum in homines effunduntur, non tamen primum est principium, ac principii expers; « Sed est vis quædam ingenito modo, ac sine principio subsistens, quæ causa est causæ rerum omnium, quæ sunt[a]. » Et alio loco, Patrem secundum propriam ejus notionem esse ait « *fontem, et causam bonorum*, » πηγὴν, καὶ αἰτίαν τῶν ἀγαθῶν; neque tres esse ἀρχικὰς ὑποστάσεις, *principales subsistentias*, sed « unicum principium rerum omnium, quod per Filium efficit, et in Spiritu perficit[b]. » At idem in calce libri secundi *adversus Eunomium*, causæ ac principii proprietatem illam Patri vindicat, quatenus cum Filio, ac Spiritu sancto confertur. Nam hæreticum illum redarguit, quod « Ingeniti opus dixerat esse Filium, Filii vero paracletum[c]; » in quo duo principia ab illo constitui, ex veterum hæreticorum opinione causatur : « Atqui si duo principia invicem opposita statuens, ait, ista loquitur, cum Manichæo, et Marcione obteretur. Sin ex uno pendere vult omnia, hoc ipsum, quod a Filio factum esse dicitur, ad primam causam refertur. Quare etsi cuncta producta esse per Deum Verbum credimus, omnium tamen causam esse non negamus universorum Deum[d]. » Sic igitur καθόλου Deus Pater αἰτίου, vel αἰτίας, vel ἀρχῆς, *causæ principiique* nomen tanquam proprium, et χαρακτηριστικὸν obtinet interdum;

Characteristicum.

quoniam, ut Athanasius scribit in *Dissertatione orthodoxi, et Anomœi*, « Causa est Dei natura tam Filii, et Spiritus sancti, quam creaturæ totius[e]. » Qua ratione Petrus Abælardus[1], « Solam personam Patris hoc modo summam debere prædicari asserit. » Tum, « Si a solo Patre procedere Spiritum Græci intelligant, eo scilicet, quod sic ab ipso sit, quasi a summo, et non existente ab alio, nulla, inquit, est sententiæ controversia, sed verborum diversitas. » De hoc primo, summoque principio memorabilis est *Timæi Locrensis* locus apud Clementem Alexandrinum. « Unum est, inquit, principium omnium ingenitum. Si enim ab alio produceretur, non principium esset ipsum, sed illud potius, a quo productum esset principium[f]. »

XV. Exstat epistola sancti Maximi Martyris ad Marinum, cujus pars in Florentina synodo[2] descripta est : integram autem reperi in collectaneis illis Bibliothecæ regiæ, in quibus erat Joannis Becci libellus, aliique plures de Spiritu sancto a Græcis editi. In illa igitur epistola Maximus de synodicis agit Romani Pontificis, in quibus erat illud : Spiritum sanctum etiam a Filio procedere; quod ille sic Romanos intelligere ait, « non ut causam Spiritus sancti Filium esse velint; nam unicam Filii, et Spiritus sancti causam esse Patrem existimant, illius quidem secundum generationem; hujus autem secundum processionem; sed ut per illum procedere significent, et eo modo substantiæ conjunctionem nulla interveniente differentia significent[g]. » Hæc si revera scripsit Maximus, illo, quem dixi, sensu vox αἰτίας interpretanda veniet, ut primigeniam, et principalem causam significet, a qua non solum οὐσίαν, et hoc, quidquid habent, Filius et Spiritus sanctus acceperunt, sed etiam ille vim spirandi, ac producendi Spiritum sanctum, quam πνευστικὴν δύναμιν appellat Joannes in Florentino concilio; cujus hæc verba describam : « Igitur secundum unicam spirandi vim personarum duarum, et unicam producendi facultatem, non duo productores, neque duæ causæ sunt, sed una, et eadem numero, principaliter quidem Patris esse in-

a Basil. epist. xliii. Ἀλλά τις ἐστὶ δύναμις ἀγεννήτως, καὶ ἀνάρχως ὑφεστῶσα· ἥ τις ἐστὶν αἰτία τῆς ἁπάντων τῶν ὄντων αἰτίας.

b Idem, cap. xvi *de Sp. sancto*. Καὶ μηδεὶς οἰέσθω με ἢ τρεῖς εἶναι λέγειν ἀρχικὰς ὑποστάσεις, ἢ ἀτελῆ φάσκειν τοῦ υἱοῦ τὴν ἐνέργειαν. ἀρχὴ γὰρ τῶν ὄντων μία δι' υἱοῦ δημιουργοῦσα, καὶ τελειοῦσα ἐν πνεύματι.

c Eunomius. Εὑρήσει τοῦ μὲν ἀγεννήτου τὸν υἱὸν ποίημα, τοῦ δὲ μονογενοῦς, τὸν παράκλητον.

d Basil. Εἰ μὲν οὖν δύο ἀρχὰς, ἀντιπαρεξάγων ἀλλήλαις, ταῦτά φησι, μετὰ Μανιχαίου, καὶ Μαρκίωνος συντριβήσεται. εἰ δὲ μιᾶς ἐξάπτει τὰ ὄντα, τὸ παρὰ τοῦ υἱοῦ γεγενῆσθαι λεγόμενον πρὸς τὴν πρώτην αἰτίαν τὴν ἀναφορὰν ἔχει, ὥστε κἂν πάντα εἰς τὸ εἶναι παρῆχθαι διὰ τοῦ Θεοῦ λόγου πιστεύωμεν, ἀλλὰ τὸ πάντων αἴτιον εἶναι τὸν Θεὸν τῶν ὅλων οὐκ ἀφαιρούμεθα.

e Athan. Αἰτία ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ φύσις καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ τῆς κτίσεως πάσης.

f Tim. apud Clem. V *Strom*. Μία ἀρχὰ πάντων ἐστὶν ἀγέννητος. εἰ γὰρ ἐγένετο, οὐκ ἂν ἦν ἔτι ἀρχά· ἀλλ' ἐκείνα, ἐξ ἇς ἁ ἀρχὰ ἐγένετο.

g Maxim. Ἐξ ὧν οὐκ αἰτίαν τὸν υἱὸν ποιοῦντας τοῦ πνεύματος σφᾶς αὐτοὺς ἀπέδειξαν· μίαν γὰρ ἴσασιν υἱοῦ, καὶ πνεύματος τὸν πατέρα αἰτίαν· τοῦ μὲν κατὰ τὴν γέννησιν, τοῦ δὲ κατὰ τὴν ἐκπόρευσιν. ἀλλ' ἵνα καὶ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι, καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας, καὶ ἀπαράλλακτον παραστήσωσι.

1 Lib. II *Introd. ad Theol.* cap. xv. — 2 Sess. xxiii.

telligitur, a quo Filius hanc habet. Et ob vim illam Pater et Filius dicitur unum principium, non confusione personarum [a]. » Ac subinde : « Quoniam vero Pater, dum gignit Filium, hanc essentiam Filio communicat, quatenus communicabilis est Filio; Filius autem a Patre hanc accipit, qua ab eo potest accipi; et eamdem Spiritui sancto communicat, tanquam ipsi communicabilem ab ipso Filio; quandoquidem una est essentia, secundum quam hic gignitur, ille procedit; hac ergo ratione unum est principium, et causa Spiritus Pater, et ab ambobus procedit. »

Spiratio non est proprietas personalis.

XVI. Duabus itaque de causis unum est Spiritus sancti principium, quamvis hypostases sint, ac personæ duæ, a quibus oritur; quod et vis illa spirandi in Filio a Patre derivatur et est una, et singularis in utroque non minus, quam essentia. Non enim producunt, ac spirant ea ratione qua sunt Pater, et Filius, ut animadvertit Hugo Etherianus [1]; quem commode hac de re disputantem hic audiemus : « Quemadmodum enim Pater non in eo, quod Pater, emittit; ita et Filius non in eo, quod Filius, causa principiumque Spiritus. Quapropter ex natura quidem Patris, et Filii, et ex persona, quæ est Pater, et quæ est Filius : nequaquam vero in eo, quod hic quidem Pater, hic vero Filius existit, sed in eo, quod ei existentiam præstant, Spiritus esse habet, neque sunt duo principia, cum secundum Spiritus emissionem numerum non suscipiant. Numerus enim non unius, neque ejusdem penitus, sed habentis aliud et aliud; unde cum de Patre et Filio quot sint personæ, quæritur, duæ respondetur. Cum vero de indicibili, ac ineffabili causa Spiritus sancti exquiritur diligenter; non duæ Spiritus causæ Pater, et Filius, sed una, secundum dictum concordiæ modum nuncupantur. Propterea nec voce significativa differentium principiorum, causarumve sancti Spiritus utendum est. Si enim Dei, et hominis Filius una persona est, et divina, humanaque natura unus Christus; non debet inopinabile duas personas unam Spiritus sancti causam esse videri.

Præcipuum Græcorum offendiculum removetur.

XVII. Sed ut clarius uberiusque tota ea res explicetur, enodandum illud est, quod in hac disputatione longe difficillimum, et obscurissimum accidit, et ad quod Græci adhærere imprimis, et offendere solent, quemadmodum hoc fieri possit, ut cum duæ sint hypostases, et personæ, reipsa distinctæ Pater, et Filius, unicam et singularem habeant proprietatem numero, in qua conveniant, et in qua unum sint, idemque. Nihil enim, præter essentiam, commune videtur; quæ quidem non duabus solum, sed tribus, hoc est omnibus personis ex æquo convenit. At spirandi proprietas, quam προβλητικὴν, et πνευστικὴν δύναμιν vocant, cum essentia non sit, sed notio, ac proprietas, et relatio, sive terminus, cui singularis ex opposito respondet alter terminus; duabus tantum est communis, Patri, et Filio. Quid igitur? An ex iisdem duabus, ut unicum ac singulare fit principium, unusque προβολεύς, sive spirator, et emissor, sic una conflatur hypostasis? Hoc quidem ex Latinorum sequi dogmate, Græci solent objicere, ut postea demonstrabimus. Sed non est consequens. Nam personæ duæ sua singulæ proprietate constitutæ sunt, quæ sunt ἡ πατρότης, καὶ υἱότης, *paternitas*, *et filietas*, quibus integræ, et invicem distinctæ hypostases existunt. His jam constitutis, alia, quæ est spirandi proprietas accedit, eaque divinam essentiam, ut est in Patre ac Filio, sive ut in Patre, et a Patre est in Filium, consequitur, ac modificat. Ita fit, ut unum fiat ex ambobus principium, unusque προβολεὺς, et *spirator*, non tamen una persona. Siquidem ἡ προβολὴ non est *personalis proprietas*, sive τὸ ἴδιον ὑποστατικὸν, hoc est *personam constituens*.

XVIII. Quod erudite, ac subtiliter expositum est a Manuele Caleca in capite XXXIX magni operis, quod contra populares suos edidit, ex quo summam quamdam conficiemus eorum, quæ hic usui esse possunt. Cum igitur, inquit ille, monadem, et triadem inesse in Deo, catholica religio tradiderit, quorum prius in

a Concil. Flor. sess. XXIV. Κατὰ μίαν οὖν πνευστικὴν δύναμιν τῶν δύο προσώπων, καὶ κατὰ μίαν προβλητικὴν, οὐ δύο προβολεῖς, οὐδὲ δύο αἰτίαι εἰσιν, ἀλλὰ μία, καὶ ἡ αὐτὴ οὖσα τῷ ἀριθμῷ ἀρχοειδῶς μὲν τοῦ πατρὸς εἶναι νοεῖται, παρ' οὗ ὁ υἱὸς ταύτην ἔχει καὶ ταύτῃ τῇ δυνάμει λέγεται ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς μία ἀρχὴ, οὐ συναλοιφῇ προσώπων.

Mox : Ἐπειδὴ δὲ ὁ πατὴρ ἐν τῷ γεννᾷν τὸν υἱὸν, ταύτην τῷ υἱῷ κοινωνεῖ τὴν οὐσίαν, καθὸ τῷ υἱῷ κοινωνητή ἐστιν· ὁ δὲ υἱὸς λαμβάνει ταύτην παρὰ τοῦ πατρὸς, ὡς ληπτὴν ἑαυτῷ, κοινωνεῖ δὲ ταύτην τῷ παναγίῳ πνεύματι ὡς κοινωνητὴν αὐτῷ παρ' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ. ἐπειδὴ μία οὐσία, καθ' ἣν ὁ μὲν γεννᾶται, τὸ δὲ ἐκπορεύεται· κατὰ τοῦτο ἄρα μία ἀρχὴ, καὶ αἰτία ἐστὶ τοῦ πνεύματος ὁ πατὴρ, καὶ ἐκπορεύεται ἐξ ἀμφοῖν.

1 Lib. II, cap. IV.

essentia situm est, in personis alterum; neque, præter proprietates, quæ personas, et processiones subsistere faciunt, sit ulla alia personarum differentia, sed sola reliqua sit essentia divina; ex iis proprietatibus aliqua sit peculiaris oportet, quæ Patris hypostasim constituat. Tria porro sunt, quæ personæ illi primæ præcipue conveniunt, ut sit ἀγέννητος, *ingenitus*, vel *innascibilis*, et Pater, et spirans, vel προβολεύς. Ex quibus primum non potest ὑποστατικὸν esse, hoc est, *personam* et *hypostasim* constituere; sed est solum σημαντικὸν, καὶ γνώρισμα, hoc est, *significandi* ac *designandi* tantummodo *vim* habet, non autem perfecte complet, et subsistere facit. Nam duplex in divinis est proprietatum genus, ut libro quarto jam diximus, quorum alterum est ὑποστατικὸν πρόσωπον, alterum σημαντικὸν solum, et γνωριστικόν. Quippe τὸ ἀγέννητον meram negationem significat, uti fusius eodem in quarto libro docuimus; tum personæ jam constitutæ, ac subsistenti advenit, quia id unum indicat, non illam ab altero esse productam. Itaque non est forma illa, quæ personam constituit. Proinde duarum reliquarum proprietatum una quæpiam sit oportet, quæ illam subsistentem faciat. Neque enim ambæ simul hoc præstare possunt. Alioqui Pater ex duplici persona constaret, ut si homo aliquis duas haberet animas. Nam unaquæque proprietatum istarum, si sit ὑποστατικὴ τοῦ προσώπου, hoc est *personæ constitutiva*, ut sic loquar, quod suum est, efficiet, ac personam pro se quæque faciet. Quod si neutram separatim, ac sine altera sufficere dixeris ad personam constituendam; vel ambæ simul ad id concurrent, vel tertia quædam proprietatis notio ambas continens, velut est αἴτιον, aut *principium*. Hoc vero posterius inde refellitur, quia tertium istud vel idem est omnino, quod generans, seu Pater, ac προβολεύς; et sic ambo hæc potius erunt ὑποστατικὰ τοῦ προσώπου, quam commune illud, quod per se non existit, sed sola cogitatione ab duobus istis secernitur; vel si ab his distincta quædam proprietas est, dicatur, cujusmodi ea sit, et quid præter paternitatem, ac spirationem contineat. Atqui nihil tale vel fingi potest. Deinde Patris vocabulum tam ex usu Scripturæ, quam Patrum, adeoque christianorum omnium, plenam ac perfectam, per seque cohærentem personam, et hypostasim significat, quemadmodum Filius, et Spiritus sanctus; nec alio nomine Christus ipse primam illam Trinitatis personam expressit in tradenda Baptismi formula, sine ulla mentione spirantis, aut emittentis. Atqui ab illa proprietate, quæ est ὑποστατικὴ, hoc est hypostasim constituens, personæ appellatio ducitur, non ab ea, quæ velut consequens est, et ex principali, proximaque pendet.

Tres personæ relationibus paternitatis filietatis et processionis constitutæ.

XIX. Ad hæc Græci omnes, Latinique theologi, dum personam quamlibet ex eo, quod commune est, hoc est essentia, et proprietate constare dicunt, nullam aliam ad Patris personam constituendam adhibent proprietatem, quam τὴν πατρότητα, *paternitatem*. Ita Basilius epistola XLIII. Et in CCCXLIX, cum dixisset, οὐσίαν esse id, quod commune est pluribus, et quod proprietate accedente restringitur, ac fit hypostasis; declarat hoc personarum exemplo trium : « In Deo, inquit, substantiæ ratio communis est, utputa bonitas, divinitas, et si quid aliud intelligitur. At hypostasis in proprietate paternitatis, aut filietatis, aut virtutis sanctificantis cernitur[a]. » Sed in calce epistolæ CCCXCI, apertissime id enarrat; cujus verba commemorare hic utile sit. « Usia, inquit, et hypostasis eamdem habent differentiam, quam habet, quod commune est, ab singulari; velut se habet animal ad hunc hominem. Propterea usiam quidem unam in divinitate profitemur adeo, ut essentiæ rationem non differentem reddamus, sed hypostasim peculiarem, ut sine ulla confusione distincta nobis insit Patris, et Filii, et Spiritus sancti notio. Nisi enim separatos circa unumquemque characteres intelligamus, veluti paternitatem, filietatem, et sanctificationem, ac si communi ex notione essentiæ confiteamur Deum; fieri non potest, ut sanam de Deo fidem explicemus. Quamobrem oportet ei, quod commune est, quod proprium est, adjungentes, eo modo fidem confiteri. Commune aliquid est divinitas; proprium est paternitas. Quare copulatis his duobus, ita dicendum est : Credo in Deum Patrem. Ac rursus in professione Filii idem faciendum est, et ad commune adjungendum est proprium, ut dicamus, In Deum Filium. Similiter et in Spiritu sancto ad id, quod pronuntiationi consentaneum est, accommodata conceptione verborum : sic loquendum est, Credo et in divinum Spiritum sanctum, ita ut per omnia et unitas servetur in unius professione divinitatis, et personarum

Usiam.

[a] BASIL. ep. CCCXLIX. Οὕτω κἀκεῖ ὁ μὲν τῆς οὐσίας λόγος κοινός· οἷον ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ εἴ τι ἄλλο νοοῖτο· ἡ δὲ ὑπόστασις ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος, ἢ τῆς υἱότητος, ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται.

proprietas observetur in idiomatum distinctione, quæ in singulis intelliguntur [a]. » Hæc Basilius, in quibus ad communem essentiam solam adjungi paternitatem ait, ut Patris persona consistat, quemadmodum ex sola filietate, et eadem essentia Filii persona consurgit; atque ita velut componi personam quamlibet ait ex substantia, et proprietate ὑποστατικῇ. Non dubitavit igitur, quin sola paternitas personam Patris, nulla adjuncta alia proprietate, conficeret.

Constitutiva

XX. Eadem et aliorum Patrum est sententia, quorum in libro tertio [1] testimonia retuli; ut Athanasii, Gregorii Nazianzeni, et alterius Nysseni, Cyrilli, Damasceni, cæterorumque; qui personas tres totidem proprietatibus, ac relationibus constitutas esse dicunt, nec aliis, quam paternitate, filietate, et processione. Ex quibus unius Damasceni locum adscribam: « Unum, inquit ille, Deum agnoscimus. In solis vero proprietatibus, paternitatis, filietatis, et processionis, secundum rationem causæ, et ejus, quod ex causa est, ac subsistentiæ perfectionem, sive modum existendi, differentiam intelligimus [b]. » Qui locus eximius est. Nam cum asserit in solis istis proprietatibus tribus sitam esse personarum differentiam, ex eo sequitur, in sola paternitate ad essentiam addita personam Patris consistere.

Quocirca spirandi vis, sive προβολὴ Patris hypostasim minime constituit, ut quæ Patri, Filioque sit notio, proprietasve communis. Etenim ut idem supra commemoratus Calecas scribit, proprietatum, quæ de Deo prædicantur, ac differentiam aliquam personarum afferunt, nonnullæ sunt communes duarum, et comparantur ad tertiam, ut spiratio, emissioque Spiritus sancti; quemadmodum et bipedem esse, ita proprium est hominis, ut commune sit illi cum quibusdam aliis animalibus. Sed quadrupedum comparatione proprium illorum dicitur. At vero ortum habere a principio, quod αἰτιατὸν felicius Græci nominant, quam nos causatum, aut principiatum, commune quidem habent Filius, et Spiritus sanctus, in quo a Patre differunt. Verum non reipsa, sed sola cogitatione commune est. « Est enim tantummodo prædicatum (hoc est sola ratione, et ἐννοίᾳ commune, ut sunt universales naturæ) quod de ambobus dicitur. Ob id unum duntaxat, non duo causata dicuntur. Nam si causatum res esset aliqua in Filio, et Spiritu sancto, unum ambo causatum forent. At vero mittere, et scaturire facere, et ejusmodi cætera, una res sunt in Patre, et Filio. Ideo cum ambo mittant, et scateant, unus est mittens, et fons unus [c]. »

CAPUT XI.

De mediata, et immediata processione in divinis; quo sensu processio Spiritus sancti mediata dicatur a Patribus; quo item μονογενὴς *appelletur Filius; quid sit* διὰ τοῦ υἱοῦ. *Spiritum sanctum, etsi quidam Patres mediate procedere a Patre negasse videantur, utroque tamen oriri modo, ex iisdem ostenditur. Quomodo principaliter a Patre procedat, et nihilominus æqualiter a Filio.*

I. Verum, ut illa principii unitas, et singularitas in Patre ac Filio declaretur, necnon

a BASIL. ep. CCCXCI. Οὐσία, καὶ ὑπόστασις ταύτην ἔχει τὴν διαφορὰν, ἣν ἔχει τὸ κοινὸν πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον· οἷον ὡς ἔχει τὸ ζῶον πρὸς τὸν δεῖνα ἄνθρωπον. διὰ τοῦτο οὐσίαν μὲν μίαν ἐπὶ τῆς θεότητος ὁμολογοῦμεν· ὥστε τὸν τοῦ εἶναι λόγον μὴ διαφόρως ἀποδιδόναι, ὑπόστασιν δὲ ἰδιάζουσαν. ἵν' ἀσυγχύτως ἡμῖν τε, καὶ τετρανωμένη ἡ περὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ἔννοια ἐνυπάρχῃ. μὴ γὰρ νοούντων ἡμῶν τοὺς ἀφωρισμένους περὶ ἕκαστον χαρακτῆρας, οἷον πατρότητα, καὶ υἱότητα, καὶ ἁγιασμὸν, ἀλλ' ἐκ τῆς κοινῆς ἐννοίας τοῦ εἶναι ὁμολογοῦντων θεὸν, ἀμήχανον ὑγιῶς τὸν λόγον τῆς πίστεως ἀποδίδοσθαι. χρὴ οὖν τῷ κοινῷ τὸ ἰδιάζον προστιθέντας, οὕτω τὴν πίστιν ὁμολογεῖν. κοινὸν ἡ θεότης, ἴδιον ἡ πατρότης, συνάπτοντας δὲ λέγειν· πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα. καὶ πάλιν ἐν τῇ τοῦ υἱοῦ ὁμολογίᾳ τὸ παραπλήσιον ποιεῖν, τῷ κοινῷ συνάπτειν τὸ ἴδιον, καὶ λέγειν, εἰς θεὸν υἱὸν. ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ πνεύματος, τοῦ ἁγίου κατὰ τὸ ἀκόλουθον τῆς ἐκφωνήσεως τὴν προφορὰν σχηματίζοντας λέγειν· πιστεύω καὶ εἰς τὸ θεῖον πνεῦμα τὸ ἅγιον. ὥστε δι' ὅλου καὶ τὴν ἑνότητα σώζεσθαι ἐν τῇ τῆς μιᾶς θεότητος ὁμολογίᾳ, καὶ τῶν προσώπων ἰδιάζον ὁμολογεῖσθαι ἐν τῷ ἀφορισμῷ τῶν περὶ ἕκαστον νοουμένων ἰδιωμάτων.

b DAM. Ἕνα γάρ θεὸν γινώσκομεν ἐν μόναις δὲ ταῖς ἰδιότησι, τῆς τε πατρότητος, καὶ τῆς υἱότητος, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως, κατά τε τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, καὶ τὸ τέλειον τῆς ὑποστάσεως, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον, τὴν διαφορὰν ἐννοοῦμεν.

c CALECAS. Κατηγόρημα γάρ ἐστι μόνον, κατ' ἀμφοτέρων λεγόμενον διὸ καὶ οὐχ ἕν, ἀλλὰ δύο λέγεται τὰ αἰτιατά. εἰ γὰρ ἦν τὸ αἰτιατὸν πρᾶγμα ἐν υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ἓν ἂν ἦν ἄμφω αἰτιατόν. τὸ δὲ πέμπειν, καὶ πηγάζειν, καὶ τὰ ἄλλα, ἓν πρᾶγμα ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ· διὸ καὶ ἀμφοτέρων πεμπόντων, ἢ πηγαζόντων, εἷς ὁ πέμπων, καὶ μία πηγή.

1 Cap. I et VII.

processionis ille modus, quo Spiritus sanctus ab utroque oritur; imprimis exquirendum illud est, utrum proxime, et æqualiter ex ambobus existat. Non enim levis est controversia, propter Græcorum Patrum auctoritatem, qui Spiritum negant proxime, et ἀμέσως, hoc est *immediate* a Patre procedere, sed ἐμμέσως, et interventu Filii, a quo proxime oritur. Unde est illa trita, et celebris usu Græcorum locutio, Patrem διὰ τοῦ υἱοῦ, *per Filium* producere Spiritum sanctum; et hunc a Patre esse *per Filium*. Hæc enim præpositio *per*, interjectum aliquid significat. Hoc igitur loco investigandum est, qualis ista sit processio, quæ ἔμμεσος ab antiquis appellatur, quorum aliquot testimonia seligemus; in quibus expressius aliquid, et diligentiori dignum animadversione continetur.

Mediate.

Mediata.

Quo sensu processio S. Spiritus mediata dicatur a Patribus.

Ex iis primus erit Gregorius Nyssenus in epistola *ad Ablabium*, in qua non esse tres deos probat, cujus verba supra descripsimus; hic autem ea tantum repetemus, quæ ad institutum faciunt. Cum igitur personas divinas nulla re alia differre invicem dixisset, nisi ratione causæ, sive principii, et ejus, quod ex principio est; posterius hoc sic enarrat: « Et ejus, quod ex causa est, rursus aliam differentiam intelligimus. Nam aliud proxime, et sine medio ex primo est; aliud vero per illud, quod proxime est a primo, ut et Unigeniti proprietas sine ambiguitate maneat in Filio, et ex Patre Spiritum esse non dubium sit, cum Filii interpositio proprietatem ipsi servet Unigeniti [a], » etc. Sic in primo *contra Eunomium* a P. Gretsero edito, personarum proprietates explicans, « Pater, inquit, principii expers, et ingenitus, et semper Pater intelligitur; ex ipso vero et proxime, ac sine interruptione unigenitus Filius una cum Patre intelligitur [b]. » Basilius item proprietatem illam Filii sæpe commendat, quod proxime, ac nullo interjecto medio de Patre nascatur. Ut in secundo *contra Eunomium*, « Principium, inquit, Patris est nullum; principium vero Filii Pater; nihil autem inter eos medium est [c]. » Et in epistola *ad Canonicas*: « Si enim superior est Deo Spiritus, non est ex Deo. Sin ex Deo est, quomodo antiquior est eo, ex quo est? Sed neque Unigenito prior est; nihil enim medium est inter Filium, et Patrem [d]. »

Cyrillus in primo *Thesaurorum* ad eamdem sententiam ait, « Patrem nullo intercedente medio Filium gignere [e]. » Et in primo *Commentariorum in Joannem*, capite IV, pluribus adstruit proximitatem illam, qua nullo interjecto, Filius e Patre nascitur, atque inter alia, « Cum Filio vero Patrem esse intelligimus, ob eamdem sine discrimine amborum essentiam, et ob summam proximitatem, et sine ullo intermedio conjunctionem ipsius cum eo, quod naturaliter ex eo processit [f]. »

Anastasius quoque Sinaita in eo libro, qui *Dogmaticus* inscribitur, « Spiritus, inquit, quemadmodum antea dixi, dicitur Deus, et sanctus Deus; porro conjuncta ambo nomina ei conveniunt, qui proprie Spiritus sanctus appellatur, uti Patris appellatio principio, et Filii nomen ei, qui nullo medio interposito, ex principio oritur [g]. »

II. Jam vero quomodo et ἄμεσος sit Filii ex Patre processio, et ab eodem Patre processio Spiritus sancti medium habeat, similitudine quadam explicat Gregorius Nyssenus, quæ difficiliorem inquisitionem facit. Confert enim personarum trium seriem cum luminibus totidem, sive solibus; quorum proxime secundus a primo, tertius per secundum ab eodem primo prodeat. « Ex ingenito, inquit, sole alium solem Filium intelligimus, qui simul cum prioris consideratione per generationem cum ipso resplendet, et in omnibus similiter se habet; ac rursus alterum tale lumen Spiritum sanctum, qui eodem modo non aliquo intervallo temporis a genito lumine dirimitur,

a Nyssen. *ad Ablab.* Καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς, ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλεις, τῆς τὸ υἱοῦ μεσιτείας καὶ αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης.

b Idem. Ἐν ᾗ πατὴρ μὲν ἄναρχος, καὶ ἀγέννητος, καὶ ἀεὶ πατὴρ νοεῖται· ἐξ αὐτοῦ δὲ, κατὰ τὸ προσεχὲς ἀδιαστάτως ὁ μονογενὴς υἱὸς τῷ πατρὶ συνεπινοεῖται. Vide eumdem, lib. *contra Eunom.*

c Basil. Ἀρχὴ μὲν τοῦ πατρὸς οὐδεμία. ἀρχὴ δὲ τοῦ υἱοῦ ὁ πατήρ· μέσον δὲ τούτων οὐδέν.

d Idem, ep. CCC. Εἰ γὰρ ἀνώτερον θεοῦ τὸ πνεῦμα, οὐκ ἐκ τοῦ θεοῦ. εἰ δ' ἐκ τοῦ θεοῦ, πῶς πρεσβότερόν ἐστι τοῦ ἐξ οὗ ἐστιν; ἀλλ' οὐδὲ τοῦ μονογενοῦς πρότερον. οὐδεν γὰρ μέσον υἱοῦ, καὶ πατρός.

e Cyril. Γεννᾷ ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ἀμεσιτεύτως.

f Idem. Συνεῖναι δὲ τῷ υἱῷ τὸν πατέρα νοοῦμεν, διὰ τὸ ἀπαράλλακτον τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ἄκρον προσεχές τε, καὶ ἄμεσον αὐτοῦ πρὸς τὸ ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς προελθόν.

g Anast. Πνεῦμα, καθὰ φθάσας ἔφην, λέγεται ὁ θεὸς, καὶ ἅγιος ὁ θεός· συντιθέμενα δὲ ἄμφω τὰ ὀνόματα τῷ ἰδίως καλουμένῳ πνεῦμα ἅγιον ἁρμόζει, καθάπερ ἡ τοῦ πατρὸς ἐπίκλησις τῷ αἰτίῳ, καὶ ἡ τοῦ υἱοῦ τῷ ἀμέσως ἐκ τοῦ αἰτίου.

sed per ipsum emicat; subsistentiæ vero causam habet ex primogenito lumine, cum lumen et ipsum sit ad similitudinem ejus, quod prius intelligitur, lucens, et illuminans [a]. »

Et in alio libro, quem *de Spiritu sancto contra Macedonium* scripsit, lampades tres in comparationem adhibet: « Nam ea, inquit, in quibus efficientia nullam secundum bonitatem decessionem habet, aut differentiam, quinam rationi consentaneum est putare, ordinem illum, quo numerantur, signum esse imminutionis alicujus, aut discrepantiæ, quæ sit in natura? Quemadmodum si quis in tribus lampadibus divisam flammam videns (fingamus autem causam esse tertii luminis flammam primam, quæ extremum successione quadam per medium accenderit), deinde probare velit, majorem in priore flamma calorem inesse; in sequenti vero remissiorem esse, et in minus mutationem incidisse; tertiam denique ne dici quidem amplius ignem, etsi perinde atque alia ardeat, et luceat, omniaque, quæ sunt propria ignis, efficiat [b]. »

Ex his colligi posse videtur, Filium solum proxime a Patre procedere; Spiritum vero proxime a Filio, non a Patre; quod postea diligentius enarrabitur.

ypostatica vel aracteris-tica. Unigeniti.

III. Sed hoc prius animadvertendum est, Græcos nonnullos Patres processionem istam Filii a Patre, quæ ejus est propria, et ὑποστατική, vel χαρακτηριστική, qua nimirum sine medio, et interjecto ullo oritur, eo ipso τοῦ μονογενοῦς vocabulo declarari credere. Hoc enim a Spiritu sancto differre Filium asserunt, et ab hujus origine processionem illius, quod Filius sit

nigenitus.

μονογενής, hoc est, a solo Patre procedat. Ita enim nomen istud interpretantur, ut non fratres, et participes originis excludat, sed personarum numerum, a quibus origo capiatur.

Quo sensu Filius dicatur. monogenes, id est unigenitus.

Quod in Nysseni loco perspicue cernitur, quem ex epistola *ad Ablabium* supra posui. Ibi enim μονογενῆ dici ait, et esse Filium, quia προσεχῶς a Patre producitur, et inter hunc, et Spiritum μεσίτης est, hoc est *medius*, et interjectus. Tum in primo *contra Eunomium*, cum de personarum agit proprietatibus, Spiritum sanctum asserit hac proprietate distingui a Filio, quocum in cæteris convenit, quod μονογενῶς a Patre non procedat. « Cum Filio, inquit, eo ipso conjunctus, quod increatus sit, et existendi causam habeat ab universorum Deo, distinguitur ab eo sua proprietate, quæ est, quod non unigeniti modo ex Patre productus sit, et quod per ipsum Filium apparuerit [c]. »

Propriam notam.

Solus unigenite.

Basilius quoque in epistola XLIII ad fratrem istum ipsum Gregorium, τὸ χαρακτηριστικὸν Filii, in quo a Spiritu sancto discernitur, ea proprietate definit, quod μόνος μονογενῶς a Patre procedat: « Filius vero, inquit, qui ex Patre progredientem Spiritum per seipsum, et in seipso notum facit, solus unigenito modo ex ingenita luce resplendens, nullam secundum proprietatem notionum communionem habet cum Patre, aut Spiritu sancto [d]. » Quibus in locis μονογενῶς significare videtur idem, ac μόνος ἐκ μόνου, *solus ex solo*, ut interpretatur, pluribusque disserit Manuel Calecas; qui Nysseni verba illa ex epistola *ad Ablabium* superius allata explicans (quibus ait, ex eo, quod Filius προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, Spiritus vero sanctus διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, oritur, ei conservari τὸ μονογενὲς), cur τὸ μονογενὲς retineatur, sic exponit: « Solus enim ex solo, quandoquidem hactenus fidei doctrinæ proprietatem sistit illius existentiæ [e]. » Ac paulo post, Basilii verba ista, quæ proxime allata sunt, expendens,

Proxime a primo. Per eum qui est proxime a primo.

a Nyssen. Grets. Ἐξ ἀγεννήτου ἡλίου ἄλλον τὸν υἱὸν νοοῦμεν, ὁμοῦ τῇ τοῦ πρώτου ἐπινοίᾳ γεννητῶς αὐτῷ συνεκλάμποντα, καὶ κατὰ πάντα ὡσαύτως ἔχοντα· καὶ πάλιν ἕτερον τοιοῦτο φῶς τὸ πνεῦμα, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον οὐ χρονικῷ τινι διαστήματι τοῦ γεννητοῦ φωτὸς ἀποτεμνόμενον· ἀλλὰ δι' αὐτοῦ μὲν ἐκλάμπον· τὴν δὲ τῆς ὑποστάσεως αἰτίαν ἔχον ἐκ τοῦ πρωτοτύπου φωτός· φῶς μέν τοι καὶ αὐτὸ καθ' ὁμοιότητα τοῦ προεπινοηθέντος λάμπον καὶ φωτίζον.

b Idem. Ἐφ' ὧν γὰρ ἡ κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἐνέργεια οὐδεμίαν ἐλάττωσιν, ἢ παραλλαγὴν ἔχει, πῶς ἐστιν εὔλογον τὴν κατὰ τὸν ἀριθμὸν τάξιν ἐλαττώσεώς τινος τῆς κατὰ φύσιν παραλλαγῆς οἴεσθαι σημεῖον εἶναι; ὥσπερ ἂν εἴ τις ἐν τρισὶ λαμπάσι διῃρημένην βλέπων τὴν φλόγα· αἰτίαν δὲ φωτὸς τοῦ τρίτου ὑποθώμεθα εἶναι τὴν πρώτην φλόγα ἐκ διαδόσεως διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον ἐξάψασαν· ἔπειτα κατασκευάζει πλεονάζειν ἐν τῇ πρώτῃ φλογὶ τὴν θερμασίαν· τῇ δὲ ἐφεξῆς ὑποβεβηκέναι, καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον ἔχειν τὴν παραλλαγήν· τὴν δὲ τρίτην μηδὲ πῦρ ἔτι λέγεσθαι, κἂν παρακλησίως καίῃ καὶ φαίνῃ, καὶ πάντα τὰ τοῦ πυρὸς ἐργάζηται.

c Nyssen. Τῇ πρὸς τὸν υἱὸν, κατὰ τὸ ἄκτιστον συναφείᾳ, καὶ ἐν τῷ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἐκ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων ἔχειν ἑνούμενον, ἀφίσταται πάλιν ἐν τῷ ἰδιάζοντι, ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι.

d Basil. Ὁ δὲ υἱὸς, ὁ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον πνεῦμα δι' ἑαυτοῦ, καὶ μεθ' ἑαυτοῦ γνωρίζων, μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψας, οὐδεμίαν κατὰ τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ἢ πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

e Calecas, cap. III. Καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφιβόλου ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένει· μόνος γὰρ ἐκ μόνου· ἐπεὶ μέχρι τούτου ἵστησιν ὁ λόγος τῆς ὑπάρξεως αὐτοῦ τὸ ἰδίωμα.

quod scripsit, Filium μόνον μονογενῶς ab ingenito Patre prodiisse, nihil aliud esse docet, quam ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως εἶναι, *a Patre nullo medio interjecto existere*. Sed locum integrum præstat hic adscribere. « Igitur si unum unigenite ex ingenito lumine Filium existere, propria ipsius est nota, qua a Patre et Spiritu discernitur; hoc autem est a Patre, nullo interjecto medio, existere; Spiritus vero sanctus a Filio distinguitur proprietate sua, quod per ipsum existit, proceditque Filium; manifestum est, Spiritum sanctum non nisi interposito medio existere a Patre. Id enim significat, unigenite esse a Patre, quæ personalis est Filii proprietas; siquidem in eo, quod non existit unigenite, hoc est, quod per Filium existit, propriam Spiritus notam præceptor constituit [a]. »

IV. Quamobrem μονογενὴς eo sensu ab Nysseno, et Basilio, necnon a Manuele Caleca sumitur, quem ab Eunomio allatum acriter reprehendit Basilius idem, et Cyrillus, ut alio loco [1] demonstravi. Quippe μονογενῆ nominari idcirco Filium contendebat Eunomius, quod solus a solo genitus, creatusque esset; quod illi insectantur. Nec in eo facienda vis est, quod hæreticus iste factum ab uno Patre Filium asserebat. Nam hoc potissimum redarguunt, quod solum utcumque ab solo productum esse, putarit esse μονογενῆ dici, ac μονογενῶς existere. Ac tametsi vox *unigeniti* apud Latinos *generationis* notionem habeat, quæ per se, ac citra *solitarii* adjunctam notam, Spiritus sancti processionem potest excludere; non est tamen, quod Gregorium Nyssenum, atque etiam Basilium credat quispiam in illis, quos attuli, locis, ubi nomen μονογενοῦς novo illo sensu posuerunt, *geniti*, *ac generationis* proprie dictæ rationem habuisse. Etenim solum id spectarunt, quod utcumque Filius esse habet ab uno Patre, sine interjecto medio, unde μονογενὴς dicitur, vel ut Basilius loquitur, μόνος μονογενῶς, quibus ex dictionibus prior fratres, et participes ejusdem processionis arcet, quia nulla altera persona ἀμέσως existit a Patre; posterior, hoc est μονογενῶς, unam esse personam declarat, a qua sola solus ille procedit. Quod nisi Basilius τοῦ μονογενοῦς sensum hunc esse putasset, sed usitatum illum accommodasset, quo et solus, et genitus dicitur Filius, non a solo; profecto ridicule, ac supervacanee vocem μόνος adjecisset, cum in vocabulo μονογενῶς vis ejus ac notio contineretur. Sed cum μονογενῶς non ex eo verbo componatur, quod proprie dictam generationem significat, hoc est a γεννάω, unde μονογέννητος derivari poterat, sed a γίνομαι, quod verbum mediæ significationis est, et qualemcumque productionem exprimit; non mirum est, si latius τοῦ μονογενοῦς vocabulum usurpavere Patres illi, ut etiam Spiritus sancti processioni, quæ utique γέννησις non est, tribuendum fuerit, si ab solo Patre originem traheret, ut Calecas affirmat; de quo postea. Neque vero de verbi γίνεσθαι, quod est in μονογενοῦς nomine, proprietate contendet admodum, qui illud attenderit, quod alibi tradidimus, vel ipsas τοῦ γεννᾷν, et γεννητοῦ voces sic ab antiquis acceptas, ut tam Spiritus sancti processionem, quam generationem Filii comprehenderet. Ita enim τὸ ἀγέννητον Patris propriam esse notionem dixerunt, quæ neutri illorum competeret. Ut inter alios Gregorius Nyssenus libro primo *contra Eunomium*, qui sic loquitur: « Patrem increatum esse, in confesso est, et ingenitum. Neque enim genitus, neque creatus est. Hoc igitur, quod increatus dicitur, commune illi est cum Filio, et Spiritu sancto. Sed est etiam ingenitus, et Pater. Hoc proprium est, et incommunicabile, quod in nullo cæterorum deprehenditur.» Ac subinde: « Nam quod neque ingenite est, neque unigenite, sed absolute est, hoc ipsum peculiarem ejus comparati cum cæteris, quas diximus, personis proprietatem significat [b]. »

Generatio.

Innascibilitatem.

a CALECAS. Εἰ τοίνυν τὸ μόνον μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς τὸν υἱὸν εἶναι τὸ ἰδιάζον γνώρισμα αὐτοῦ ἐστιν, ᾧ πρὸς τὸν πατέρα, καὶ τὸ πνεῦμα διακρίνεται, τὸ δέ ἐστι τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως εἶναι· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ διακρίνεται ἐν τῷ ἰδιάζοντι, τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ εἶναι, καὶ ἐκπορεύεσθαι· φανερὸν ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐστὶν ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι. ὃ τοῦ υἱοῦ προσωπικόν ἐστιν ἴδιον. ἐν γὰρ τῷ μήτε μονογενῶς εἶναι, τουτέστι διὰ τοῦ υἱοῦ ὑπάρχειν, τὸ ἰδιάζον γνώρισμα τοῦ πνεύματος ὁ διδάσκαλος ἔφη.

1 Lib. II, cap. x, num. 11.

b NYSSEN. Grets. Ὁ πατὴρ ἄκτιστος εἶναι ὁμολογεῖται, καὶ ἀγέννητος. οὔτε γὰρ γεγέννηται, οὔτε ἔκτισται. τοῦτο οὖν τὸ ἄκτιστον κοινὸς αὐτῷ πρὸς τὸν υἱόν ἐστι, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀλλὰ καὶ ἀγέννητος, καὶ πατήρ· τοῦτο ἴδιόν τε, καὶ ἀκοινώνητον, ὅπερ ἐν οὐδενὶ τῶν ὑπολοίπων καταλαμβάνεται.

Ibid. Τὸ γὰρ μήτε ἀγεννήτως εἶναι μήτε μονογενῶς, εἶναι δὲ ὅλως, τὴν ἐξαίρετον αὐτοῦ ἰδιότητα πρὸς τὰ εἰρημένα παρίστησι.

V. Præclarus hic locus, ex quo ea, quæ ante posui, mirifice comprobantur. Si enim Spiritus sanctus non est ἀγέννητος, neque ἀγεννήτως procedit; utique et γεννητὸς est, hoc est *productus*, et γεννητῶς existit. Proinde non ea re differt a Filio, sed eatenus solum, quod non est μονογέννητος, hoc est ab una, et sola persona productus. Sed Gregorius non dixit μονογέννητος, vel μονογεννήτως, verum μονογενής, et μονογενῶς, quæ tantumdem valent; nisi quod τὸ γεννητὸν magis est peculiare Filii, quam γενητὸν, aut γενητῶς,, quæ ut μονογενοῦς, et μονογενῶς vocibus continentur. Ex his evidens est, μονογενῆ vocari Filium a Gregorio, et Basilio, quod a solo, non quod solus originem habeat; tametsi alias eam vocis interpretationem uterque damnaverit. Tum illud insuper apparet, idem utrique videri esse προσεχῶς, sive ἀμέσως vel ἀμεσιτεύτως, quod μονογενῶς, et οὐ μονογενῶς, quod ἐμμέσως. Nam Filium ideo μονογενῆ appellari putant quia προσεχῶς, id est, *proxime* existit a Patre, nulla alia interposita persona; Spiritum sanctum non μονογενῶς existere, quia non προσεχῶς, sed interjecto Filio, a Patre procedit. Ita non *immediate* orietur a Patre, ut quidem verba præ se ferunt. Nam si proxime, et sine medio productionem illius attingat Pater, προσεχῶς et ἀμεσιτεύτως a Patre Spiritus sanctus existet. Etenim cum duæ causæ eamdem rem efficiunt proxime, ab utraque, nullo interposito medio, fieri illa dicitur, quamvis ambarum illarum causarum alteram ab altera ortam esse fingamus, ab eaque naturam et efficientiam accepisse; ut si ignis ab igne altero sit accensus, tum ambo tertium communiter producant; hic ab utroque ἀμέσως, et proxime ortus feretur, non autem a priori ἐμμέσως, a posteriori proxime. Quod quidem in Adamo, et Eva clarius, aptiusque cognoscitur, a quibus genitus est Seth, cum de Adami latere prius Evam formasset Deus. Quamvis igitur Eva generandi vim indidem, unde et vitam et substantiam, ab Adamo scilicet habuerit, nihilominus ab utroque Sethus proxime generatus est, non interjecto aliquo, nec ita, uti Enos Sethi filius ab ambobus illis genitus dicitur, aut ab avo nepos quilibet. Eodem pertinere videtur et illa locutio Græcis usitata Patribus, qua Pater διὰ τοῦ υἱοῦ, *per Filium* producere Spiritum sanctum dicitur. Non igitur per seipsum, concludat aliquis, hoc est non προσεχῶς. Nam ut catholicorum est dogma, utroque modo Spiritum sanctum producit Pater, et proxime, quatenus unum est cum Filio principium, et interjecto altero, quatenus per Filium illi dat originem, quia quidquid Spiritui communicat Filius, ipsamque adeo producendi ἐνέργειαν a Patre Filius accepit. Sed illa Patrum loca ex Richardo Victorino lucem, et interpretationem accipient.

Ingenitus. Ingenite.

Unigenitum

VI. Qui in quinto *de Trinitate*[1] de ea re disputans, personæ processionem ex altera triplicem in humanis observat: « Procedit namque persona de persona, inquit, quandoque quidem tantummodo immediate, quandoque tantummodo mediate, quandoque autem mediate simul, et immediate. Tam Jacob, quam Isaac de substantia Abrahæ processit; sed unius processio mediata tantum, alterius autem tantummodo immediata fuit. Nam mediante Isaac, Jacob de lumbis Abrahæ exivit. De substantia Adæ, Eva, Seth, Enoch processere. Sed prima processio ex his fuit tantummodo immediata; media vero mediata simul, et immediata. Nam Seth quidem processit de substantia Adæ immediate; utique in quantum fuit de proprio semine; mediate vero in quantum fuit de semine Evæ. » Deinde divinas processiones exemplis istis explicans, primam omnium eam esse probat, quæ immediate tantummodo fit. Siquidem *dualitas naturaliter prior est, quam Trinitas.* Itaque necesse est unam aliquam personam ab alia immediate prius existere, ne sola illa remaneat. Tum esse tertiam, quæ ab utraque immediate, ac mediate simul existat. Etenim tertiam aliquam necessario procedere, ex divinæ essentiæ natura, et perfectione cognoscitur, quæ non solum intellectus, sed etiam voluntatis ἐνέργειαν sibi respondentem, ac congruentem exigit; hanc ipsam vero personam ab duabus oriri, non ab harum tantum altera, concludit ex eo Richardus, quod illa persona, quæ procedit, eamdem omnipotentiam, et existentiam accipere debet, quæ communis est duabus. Unde nonnisi ab duabus eam potest habere, nec aliter, quam ab iis procedendo, quia non alio modo ab una persona quippiam accipit altera, quam origine, ac processione. Non posse vero mediatam tantummodo processionem in divinis habere locum sic ille probat. Si enim immediate a prima persona, quæ est *innascibilis*, hoc est ἀγέννητος, tertia non procederet; non eam immediate, hoc est facie ad faciem videret. Nam videre idem est, ac cognoscere et sapere.

Processio in humanis triplex.

Operationem.

[1] Cap. vi et seq.

Porro sapere nihil aliud est, quam esse. « Unde igitur accipit ut sapiat, inde accipit ut existat. Unde igitur ei sapientia, inde et existentia. Unde et si immediate ab illa accipit ut sapiat, et immediate quidem ab illa accipit ut existat. Si quis vero dicat, quod immediate non videt, consequens est, ut concedat, quod omniformem veritatis contemplationem non habet. Juxta id ergo non habet plenitudinem omnem, et quod consequens, nec veram divinitatem. »

VII. Atenim, objicit sibi, quælibet persona producens videt eam, quæ de se procedit. Ergo ab hac etiam illa procedet, ut a Filio Pater. Huic ita respondet: « Quod quælibet divina persona ad aspectum alterius divinæ accipit plenum sapere, et eo ipso divinum esse, nisi habeat aliunde. Necesse est enim ut inde habeat, si aliunde non habet. Sed si habet aliunde, non necesse est etiam inde habere. Et ut exemplo melius elucescat, ecce veritatem scriptam, uni aliunde cognitam, alteri autem aliunde minime notam, uterque tamen legit, et intelligit. Sed solus ille veritatis scriptæ cognitionem ex inspecta lectione percipit, qui eam aliunde non habuit. Quoniam igitur omnes divinæ personæ invicem se, et immediate conspiciunt, radium summæ lucis in alterutrum effundunt, aut excipiunt. Et quia immediate vident, immediate adhærent. » Hæc Richardus, quæ sic contrahi possunt: Quæ persona habet ab altera ut sapiat, vel videat, ab ea habet ut existat; quoniam sapere, seu videre, aut cognoscere, idem est, atque existere. Quamcumque vero personam videt altera, eam videt immediate. Quare a qua accipit ut immediate videat, ab eadem accipit ut immediate existat; existat autem immediate ab ea ipsa, quam videt, et a qua hoc habet ut videat. Hunc in modum conformata Richardi argumentatio minime contemnenda videtur. Nec recte meo judicio a recentiore [1] quodam reprehenditur, tanquam nihil colligat, « nisi prius inferat, Spiritum sanctum non esse Deum. » Verum nihil tale ex illa ratiocinatione sequitur, in qua illud tantummodo sumitur, quod verissimum est, immediate videre divinam quamcumque personam, esse οὐσιῶδες, et commune personis tribus, adeoque immediate existere ab ea, consequens esse personam illam, quæ ab ipsa accipit ut immediate videat, cum videre sit idem atque existere. Nam quæ persona per- *Essentiale.* sonæ alteri a se procedenti videndam se objicit, non se alia ratione objicit, quam suam ei communicando naturam, et essentiam, et ipsam adeo visionem. Unde si immediate videndam objicit se, immediate naturam illi, visionemque tribuit, hoc est, eam producit. Etenim, ut ait Augustinus [2], ex eoque Hugo Victorinus [3], « Ita videt Filius Patrem, ut quo eum videt, hoc ipso sit Filius. Non enim aliud illi est esse de Patre, id est, nasci de Patre, quam videre Patrem, aut aliud videre operantem quam pariter operari. Sed ideo non a se, quia non est a se. »

VIII. Huic proximæ, et nihil interjectum habenti processioni Spiritus a Patre, licet ex Græcis ipsis auctoritatem adjungere, qui de illa sic interdum loquuntur, ut concludere inde possis, non minus proxime a Patre esse, quam Filii productionem. Etenim passim Spiritum sanctum, aiunt divini esse flatum oris, et halitum, cum eo, qui divino Verbo respondet, sermone conjunctum. Gregorius Nyssenus in oratione catechetica, rudem hominem instituens ad personæ Trinitatis tertiæ capiendam notitiam, ex eo spiritu et habitu, qui nobis inest, similitudinem ducit; quemadmodum Verbi, sive Filii cognitionem adumbrarat ejus figura sermonis, quo inter se homines utuntur. Igitur, « In nobis, inquit, spiritus est aeris attractio, alienæ rei, quæ necessario attrahitur, et profunditur ad fovendum corpus, quæ quidem, dum verbum emittitur, fit vox, verbi vim in seipsa declarans. In divina vero natura esse quidem Dei Spiritum, pium est existimare, quemadmodum datum est, esse Dei verbum; propterea quod Dei verbum deterioris conditionis, quam nostrum, esse non debet; quod contingeret, si cum hoc conjunctum Spiritu spectetur, illud sine Spiritu esse crederetur. Neque tamen ad nostri similitudinem spiritus alienum, et extrinsecus in Deum influentem in eo esse, consentaneum divinæ est excellentiæ, putare. Verum ut cum Dei Verbum audivimus, non rem aliquam esse putavimus, quæ non subsistit, verbum illud, vel quæ insit ex disciplina, aut voce pronuntietur, aut, postquam pronuntiata sit, dissolvatur, aut aliquid patiatur ejusmodi affectionum, quas in verbo nostro cernimus; sed substantialiter consistere dicimus, et eligendi vi præditum esse, et actuosum et omnipotens. Sic etiam cum Dei Spiritum didicerimus, qui Verbum consequitur, et ejus

Licet Patre Græci immediatam processionem videantur asserere, mediatam etiam agnoscunt.

1 Ruis. disp. LXIX, sect. 5. — 2 Lib. II *de Trin.* cap. I. — 3 In *Sum. sent.* tr. I, cap. VII. Vide lib. III, cap. VIII hujus operis.

declarat operationem, non flatum anhelitus intelligimus, etc., sed substantialem virtutem, ipsam in sese in propria subsistentia consideratam; quæ nec separari a Deo, cui inest, possit, neque a Verbo Dei, quod consequitur[a]. » Quem locum Damascenus[1] ad verbum descripsit.

IX. Ita et Cyrillus libro primo *in Joannem:* « Quomodo autem vel omnino sine proprio Spiritu intelligeretur Verbum? An non absurdum est, separari ab homine dicere spiritum, qui est in ipso, tam secundum naturæ definitionem, quam ad integram animalis perfectionem[b]? » Et in secundo libro *Dialogorum*, « Sanctum vero Spiritum appellabis, qui ex Deo Patre per Filium naturaliter profunditur, et in figura flatus ex oribus egredientis propriam nobis existentiam significat[c]. »

Hoc secutus Anastasius Sinaita in libro primo *de Rectis dogmatibus*, perinde Spiritum cum halitu sermonis comite confert his verbis: « Verbum autem (sive Sermo) cum sit Filius, secum una Spiritum ostendit. Sermo enim sine Spiritu non est, sicut neque mens sine sermone. Mentem porro dicimus Patrem Verbi, in qua Verbum, cum quo Spiritus sanctus, Spiritus oris Dei nominatus. Os enim Patris est Filius[d]. » Quæ postrema Anastasii verba retulimus capite hujus libri secundo inter alia testimonia, quæ Spiritum sanctum flatum, sive halitum esse dicunt, ex Patris ore manantem. Sed illic os ipsum Dei Patris esse Filium, Patres asserebant. Hic vero Filius sermonis instar esse dicitur, cui Spiritus sanctus, velut flatus et halitus, adjungitur; quod explicatu difficilius videtur. Nam inde consequens esse putabit aliquis, ut non prior origine sit Spiritu sancto Filius, sed quasi comites sint amborum processiones, et ab eodem principio conjuncti oriantur ita, ut neutra sit principium alterius. Neque enim sermo, qui ex interiori per os effunditur, prior est halitu, sed ambo simul ex iisdem pulmonibus anhelantur; vel etiam prior natura esse videtur halitus, qui est causa sermonis, aut certe vehiculum. Verum ut priorem esse negemus afflatum, non videtur esse posterior, sed erumpit una; quod Græci hodierni in Filii, ac Spiritus sancti processionibus locum habere dictitant. Unde et Gregorius Nyssenus scripsisse putabitur in primo *contra Eunomium*, de utraque processione disputans: « Ex ipso autem unigenitus Filius sine ulla interruptione, et divulsione, una cum Patre intelligitur; per ipsum vero, et cum ipso antequam nescio quod inane, et non subsistens, velut medium interveniret, statim et Spiritus sanctus conjunctim intelligitur[e]. » Quæ licet de temporis intercapedine Nyssenus usurpaverit, sine qua conjunctim Spiritus sanctus cum Filio prodiit; possunt tamen ex iis, quæ supra posui, etiam de ordine processionis ab illo dicta censeri; quemadmodum et quod Æneas Gazæus ait[2], « Et simul cum

a Nyssen. Catech. orat. cap. ii. Ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν μὲν τὸ πνεῦμα ἡ τοῦ ἀέρος ἐστὶν ὁλκὴ, ἀλλοτρίου πράγματος, πρὸς τὴν τοῦ σώματος σύστασιν ἀναγκαίως εἰσελκομένου τε, καὶ προχεομένου· ὅπερ ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐκφωνήσεως τοῦ λόγου φωνὴ γίνεται τὴν τοῦ λόγου δύναμιν ἐν ἑαυτῇ φανεροῦσα. ἐπὶ δὲ τῆς θείας φύσεως τὸ μὲν εἶναι πνεῦμα θεοῦ εὐσεβὲς ἐνομίσθη, καθὼς ἐδόθη καὶ λόγον εἶναι θεοῦ, διὰ τὸ μὴ ἐλλιπέστερον τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸν τοῦ θεοῦ εἶναι λόγον, εἴπερ τούτου μετὰ τοῦ πνεύματος θεωρουμένου ἐκεῖνος δίχα πνεύματος εἶναι πιστεύοιτο· οὐ μὴν ἀλλότριον καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἡμετέρου πνεύματος ἔξωθεν ἐπεισρεῖν τῷ θεῷ, καὶ ἐν αὐτῷ γίνεσθαι τὸ πνεῦμα θεοπρεπές ἐστιν οἴεσθαι. ἀλλ' ὡς θεοῦ λόγον ἀκούσαντες, οὐκ ἀνυπόστατόν τι πρᾶγμα τὸν λόγον ᾠήθημεν, οὐδὲ ἐκ μαθήσεως ἐγγινόμενον, οὐδὲ διὰ φωνῆς προφερόμενον, οὐδὲ μετὰ τὸ προενεχθῆναι διαλυόμενον, οὐδὲ ἄλλό τι πάσχοντα τοιοῦτον, οἷα περὶ τὸν ἡμέτερον λόγον θεωρεῖται πάθη· ἀλλ' οὐσιωδῶς ὑφεστῶτα, προαιρετικόν τε, καὶ ἐνεργὸν, καὶ παντοδύναμον· οὕτω καὶ πνεῦμα μεμαθηκότες θεοῦ τὸ συμπαρομαρτοῦν τῷ λόγῳ, καὶ φανεροῦν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, οὐ πνοὴν ἄσματος ἐννοοῦμεν, etc. Ἀλλὰ δύναμιν οὐσιώδη αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει θεορουμένην. οὔτε χωρισθῆναι τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐστὶν, ἢ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ, ᾧ παρόμαρτεῖ, δυναμένην.

b Cyril. lib. I *in Joan.* cap. iii. Πῶς δ' ἂν καὶ ὅλως δίχα ποτὲ τοῦ ἰδίου πνεύματος ὁ λόγος νοοῖτο; ἢ γὰρ οὐκ ἄτοπον ἀνθρώπου κεχωρίσθαι λέγειν τὸ πνεῦμα τὸ ἐν αὐτῷ κατά τε τὸν τῆς φύσεως ὅρον, καὶ εἰς ὁλόκληρον τοῦ ζώου ἀπαρτισμόν;

c Cyril. Ἅγιον δὲ πνεῦμα προσερεῖς τὸ ἐκ θεοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον φυσικῶς· καὶ καθάπερ ἐν τύπῳ τῆς ἐκ τῶν στομάτων διαπνοῆς τὴν ἰδίαν ἡμῖν κατασημαῖνον ὕπαρξιν.

d Anast. Λόγος δὲ ὑπάρχων ὁ υἱὸς συναναδείκνυσιν ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα. λόγος γὰρ χωρὶς πνεύματος οὐκ ἔστιν. ὡς οὐδὲ νοῦς χωρὶς λόγου. νοῦν δέ φαμεν τὸν πατέρα τοῦ λόγου, ἐν ᾧ λόγος, μεθ' οὗ τὸ πνεύμα τὸ ἅγιον πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ χρηματίζον. στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός.

e Nyssen. Ἐξ αὐτοῦ δὲ κατὰ τὸ προσεχὲς ἀδιαστάτως ὁ μονογενὴς υἱὸς τῷ πατρὶ συνεπινοεῖται· δι' αὐτοῦ δὲ, καὶ μετ' αὐτοῦ, πρίν τι κενὸν, καὶ ἀνυπόστατον διὰ μέσου παρεμπεσεῖν νόημα, εὐθὺς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνημμένως καταλαμβάνεται.

1 Lib. I, cap. vii. — 2 Tom. III *Biblioth. Patrum Græco.*

generatione (Filii) ejusdem substantiæ Spiritum sanctum produxit [a]. »

Palamæ objectio diluitur.

X. Quocirca Gregorius Palamas Græcorum suorum hæresis propugnator acer ac vehemens, Joannis Becci capita duodecim refellens, in quibus catholicam Latinorum sententiam affirmarat, contra secundum, quod ἀμέσως, et προσεχῶς a Patre non oriri Spiritum asserebat, sed interveniente medioque Filio; contendit a quibusdam Patribus scriptum esse, Spiritum sanctum a Patre proxime, immediateque procedere. Gregorium enim Nazianzenum in *Carminibus*, « secundum a Patre illum appellasse non minus, quam Filium. Nyssenus vero, cum multis aliis, ad unam Patris personam similiter utrumque se habere scribit, excepto modo existendi. Quid autem et illi, qui dicunt ex Patre procedere, et in Filio permanere Spiritum sanctum, aut ex Patre transire in Filium? Et ex Patre esse, atque Verbum comitari [b] ? » Hæc Palamas; quibus et alia addit argumenta, quæ mox referemus. Cæterum Gregorii Nazianzeni locus, quem citat, in tertio carmine continetur eorum, quæ ἀπόῤῥητα, id est *arcana* inscribuntur; ubi Scripturæ, vel Patrum sententias illas exponit, in quibus Filius, aut Spiritus sanctus secundas post Patrem ferre videntur. Verba Nazianzeni:

Immediate et proxime.

« Quod si de Nato, quod si de Pneumate, sacra Pagina, scriptoresque pii quid forte loquan-
[tur,
Tanquam qui supero teneant a Patre secun-
[das [c]. »

Verum nihil locus ad rem facit. Nam vocabulum *secundi* idem, quod *posterius* significat. Siquidem propositum illi est docere, unam esse Trinitatis naturam, ac divinitatem ; nec obstare, quod a Patre separatim, ac secundo loco Filius nominetur, aut Spiritus sanctus. Id enim non naturæ sectionem, ac diversitatem, sed principii, a quo originem ducunt, singularitatem ostendere. Reliqua, quæ Palamas ibidem attulit, satis firma sunt ad hoc, quod volumus, asseverandum, ἀμέσως a Patre produci Spiritum sanctum. Sed præstat ante videre, quid de eo præstantissimi, et catholici gentis ejusdem theologi duo senserint, Bessario, et Manuel Calecas.

Immediate.

XI. Quorum ille adversus Palamæ Ἀντιῤῥήσεις, hoc est *contradictiones* (quæ scilicet duodecim Becci capita refellunt), refutationes scripsit totidem. In secunda porro, in qua secundi capitis ἀντίῤῥησιν oppugnat, erudite catholicorum ad mentem explicat, qua ratione proxime a Patre Spiritus sanctus existat, et interjecto nihilominus Filio. « Jam vero, inquit, si quis ad singularem emissionem, et identitatem processionis ex utroque, respiciat, tum hoc animadvertat, Patrem esse fontem, et causam divinitatis ; immediate ex Patre esse Spiritum inveniet, eoque pertinere, quas affers, sententias. Sin ordinem consideret, qui reipsa inest in Trinitate, nec sola nostra cogitatione constat; medium videbit esse Filium, et tertium a Patre Spiritum, ac per Filium a Patre procedentem, ac priorem se cogitatione habentem Filium, quemadmodum Patrem habet Filius [d]. » Hæc Bessario; quibus ostendit, duabus de causis immediate dici procedere a Patre Filium. Primum quia una, et singulari actione, quæ est spiratio, producitur ab utroque. Deinde quod natura ipsa, et vis spirandi, quæ est in Filio, a Patre tanquam principio derivatur in Filium. Ideo hac etiam ex parte Spiritus sanctus, quatenus ex substantia Filii proxime oritur, ab eo, quod Patris est, et acceptum a Patre, proxime existit, adeoque ab ipso Patre. Nam quod de nepote objici potest, non eum ex avo proxime nasci, quamvis ejus, unde oritur, substantia ex avo propagata sit, sed tantummodo mediate, et interjecto patre ; nihil hoc est. Aliter enim in divinitate res se habet; quoniam

Contradictionem.

Duabus de causis immediate dicitur Filius a Patre procedere.

a Æneas. Καὶ ἅμα τῷ τόπῳ τῆς αὐτῆς οὐσίας ἅγιον πνεῦμα προσήνεγκε (leg. προήνεγκε.)

b Greg. Palamas : Καὶ μὴν ἐῤῥέθη καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἀμέσως, etc. Γρηγόριος γὰρ ὁ τῆς θεολογίας ἐπώνυμος, δεύτερον ἐν τοῖς ἔπεσιν εἶναι φησὶν ἀπὸ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καθὰ τὸν υἱόν· ὁ δὲ Νύσσης σὺν πολλοῖς ἑτέροις πρὸς ἓν πρόσωπον τὸ πατρικὸν ὡσαύτως ἔχειν ἑκάτερον φησὶν, ἄνευ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως. τί δὲ οἱ λέγοντες, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ ἐν τῷ υἱῷ διαμένειν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐν τῷ υἱῷ διήκειν; καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι, καὶ τῷ λόγῳ συμπαρομαρτεῖν;

c Greg. Naz. Εἴ τινα δ' ἢ περὶ παιδὸς ἀκούομεν, ἢ ἀγαθοῖο
Πνεύματος ἐν θείοισι λόγοις, καὶ θειοφόροισι
Ἀνδρασιν, ὥς ῥα θεοῖο τὰ δεύτερα πατρὸς ἔχουσιν, etc.

d Bessario. Νῦν δὲ εἴτις μὲν πρὸς τὴν μοναδικὴν προβολὴν, καὶ τὸ ταυτὸν τῆς ἐξ ἀμφοῖν ἀπίδοι προόδου· ἔτι δὲ καὶ τὸ τὸν πατέρα τὴν πηγὴν, καὶ αἰτίαν τῆς θεότητος εἶναι, ἀμέσως ἐκ τοῦ πατρὸς εὑρήσει τὸ πνεῦμα· καὶ πρὸς τοῦτο φέρειν ἅπερ αὐτὸς εἰσάγεις ῥητά. εἰ δὲ θεωροίη τὴν τάξιν, ἣν πράγματι εἶναι ἐν τῇ τριάδι. οὐχ

eadem prorsus non specie solum, sed etiam numero, substantia communicatur a Patre; quod in creatis rebus non evenit. Quanquam prior immediatæ processionis ratio potior est, quod unica sit, et simplex ab utroque, tanquam uno principio, manans ἐνέργεια, qua Spiritus existit. Quoniam autem non aliter, quam cum Filio, et communicata cum illa substantia, spirandique virtute, ac spiratione, Pater Spiritum producit; hinc mediate, interjectoque Filio Spiritus sanctus existit a Patre, quia prius origine esse Filium oportet, hoc est, ut ait Bessario, προεπινοεῖσθαι. Ex quo et naturalis in personis ordo petitur, qui non humana solum cogitatione, sed reipsa existit in Deo; neque sine christianæ fidei dispendio commutari potest, ut Basilius affirmat. Prior enim origine est Filii processio, ut et Filius ipse, quam Spiritus sancti processio, atque ipse Spiritus. « Naturaliter autem, ait Richardus Victorinus [1], prior est dualitas, quam trinitas. Nam illa potest esse sine ista, ista vero nunquam sine illa. Naturaliter itaque et processio prior est, quæ potest subsistere in personarum dualitate, quam illa, quæ non potest esse sine personarum trinitate. Sed in illa personarum pluralitate, et vera æternitate, nihil ibi aliud præcedit, nihil ibi alteri succedit, et eo ipso nihil ibi prius tempore, nihil ibi tempore posterius. Sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter, et eo ipso naturaliter. » Verum natura priorem esse personam unam altera, nemo hodie theologus dicat. Itaque *naturaliter* idem est, atque origine, sive etiam ratione, hoc est ἐπινοίᾳ; quamvis Bessario non solum ἐπινοίᾳ, sed etiam πράγματι, priorem esse personam unam altera definit, contra quam Greg. Nyssen. tradidit in loco illo insigni, quem in primo capite descripsi, ubi sic loquitur: « Et ab Unigenito pendet Spiritus sanctus; qui quidem Unigenitus sola cogitatione, secundum causæ rationem, ante Filii subsistentiam consideratur [a]. » Non est tamen difficilis utriusque conciliatio. Nam Bessario non sola cogitatione, ac ratione priorem dixit esse Filium, cujus scilicet nullam res ipsa ansam, occasionemque præbeat, ut cum eadem plane res variis nominibus appellatur, ut mucro, gladius, ensis. At in Deo origines ipsæ, processionesque reipsa differunt, etsi natura, et duratione tam simul existant, quam una sint, et simplicissima res.

Operatio.

Cogitatione sed etiam reipsa.

XII. Nunc Græcum alterum audiamus iisdem de processionibus subtiliter contra populares suos disputantem. Igitur Manuel Calecas notionum [b], quæ in divinis usurpantur, alias esse ait ὑποστατικὰς, quæ personam ipsam proprie constituunt, ac primario distinguunt; alias tantum γνωριστικὰς, quæ personam jam constitutam, et subsistentem indicant, non autem constituunt. Prioris generis esse docet *paternitatem* et *filietatem*, quibus proprie ac primo constant personæ duæ. Secundi vero τὴν προβολὴν, *emissionem*, vel *spirationem*, ac propterea primam, et secundam personam in sacris Litteris, et in baptismi formula, non aliis, quam Patris, et Filii, nominibus appellari. His animadversis, ad hunc modum ratiocinando pergit Calecas demonstrare, Spiritum sanctum non proxime a Patre, sed per Filium, tanquam medium, procedere.

« In unaquaque re, inquit, propria ejus, et substantialis, aut, ut constet, existatque dans forma, secundum quam subsistit, prima est, et immediata ipsius operatio, per quam cogitatione antecedentem agit cætera. Ut verbi gratia, in homine, rationale, quæ est substantialis ejus forma, a qua habet ut sit hoc aliquid, nimirum homo, prima est ipsius et immediata operatio, per quam agit cætera, quæ formam illam, qua consistit, sequuntur, velut risibile. Quin et solis forma, cum una sit, per quam sol subsistit, principium est primæ, et immediatæ operationis in sole, quæ est lucere; quæ nullam aliam prius se consideratam in sole actionem habet. Ac per istam lucendi operationem, quæ ante omnes consideratur alias, et immediate in sole est ipsa, illuminationem, exsiccationem, aut calefactionem sol efficiet. Ac rursus humanus intellectus per intellectionem, quæ prima, et immediata ipsius est operatio, per hanc, inquam, prius consideratam, etiam consequentem operationem, hoc est velle, efficit. Operationes enim et ista dicuntur. Quoniam intelligere, et ratiocinari,

Calecæ ratiocinatio pro mediata processione.

ἡμετέρᾳ μόνον ἐπινοίᾳ συνεστηκέναι· τὸν υἱὸν ὄψεται μέσον, καὶ τρίτον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα, καὶ δι' υἱοῦ ἐκ πατρὸς προϊὸν· καὶ ἑαυτοῦ τὸν υἱὸν προεπινοούμενον ἔχον, ὥσπερ ὁ υἱός τὸν πατέρα.

a Nyssen. I *contra Eunom.* Grets. Καὶ τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπινοίᾳ μόνῃ, κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον· προθεωρουμένου τῆς τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως.

b Calec. Ὡς γνώρισμα ἁπλῶς, καὶ σημαντικὸν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ ἤδη ὑφεστώσης.

1 Lib. V *de Trinit.* cap. VII.

et cogitare, et velle, sicut et generare, est aliquid operari. Unde quia secundum id, quod gignit, Patris persona subsistit, per hoc ipsum, quod gignit, emissor erit etiam Pater. Ex quo jure dictus est emissor per Verbum[a]. » Hæc Calecas. In quibus observandum hoc maxime est, quod ait Patrem per generationem, quam τὴν τοῦ γεννᾷν ἐνέργειαν, *generandi operationem* appellat, primo constitui, ac subsistere; tum per hanc primigeniam, et ὑποστατικὴν operationem cæteras producere, imprimisque προβολὴν, hoc est, *emissionem*, vel *spirationem*. Quod non sic intelligendum est, ut ipsamet actio generandi per se, ac *formaliter*, ut aiunt, sit spiratio; aut illius terminus, qua generatio est, sit Spiritus sanctus. Sed quod prima

Efficientia. non solum ἐνέργεια, sed etiam ἐντελέχεια, ut Aristoteleo utar vocabulo, hoc est *forma*, vel *actus* Patris, hypostasim cum essentia componens, est generatio illa, sive relatio, ac paternitas, quæ personam, et substantiam Patris constituit, efficitque, ut sit hic Deus; quemadmodum anima personam quamlibet individuam hominis conficit, et absolvit, ex qua jam constituta reliquæ functiones, et operationes existunt, ac tum Socrates, exempli causa, per animam suam risum, et intellectionem, cæterasque personæ proprias actiones dicitur efficere, non sic, ut ipsa animandi, informandique ἐνέργεια ridendi sit intelligendive actio, sed quod istæ ex illa ceu stirpe, ac radice proficiscuntur. Sic in admirabili, et sacrosancta divinitate, quia personæ primæ forma constituens, et ὑποστατικὴ, est generatio, sive paternitas, per quam illa subsistit, et est genitor, aut Pater; ab ea deinceps, et per eam procedere dicitur, quidquid consequenter agit; quod, etsi *forma*, vel potius *notione* distinguitur, et ἐπινοίᾳ, ab illa tamen primaria, ceu radice, pullulat et oritur, quatenus ab illa, quæ per eam subsistit, persona proxime immediateque producitur.

Generatio hypostatica forma.

XIII. Qua in re diligenter illud attendere oportet, generationem non esse simplicem ἐνέργειαν, et *operationem*, vel actionem, sed esse præterea ὑποστατικὴν, et συστατικὴν, hoc est, componentem veluti formam, et constituentem, ex qua, et essentia, more intelligendi nostro, Patris persona consistit, ut proinde sit οὐσιώδης, vel οὐσιοποιὸς, hoc est *substantiva*, et *substantifica* forma; licebit enim, opinor, in re abstrusa, et inexplicabili, non solum substantiæ usurpare nomen itidem, ut veteres quidam instituerunt, pro hypostasi, individuaque persona, sed etiam novis, ac minus Latinis uti vocibus. Quo fit, ut quidquid agit, operaturque deinde persona, id per formam istam, et ab ea proxime dicatur agi. At formæ, notionesque, vel actiones cæteræ, quæ ὑποστατικαὶ non sunt, sed completæ jam, et constitutæ personæ, ut ita loquar, adveniunt, non sunt tales, ut ab iis aliæ proficisci dicantur, quæ in eadem insunt persona. Itaque nemo dixerit, Patrem per spirationem generare Filium, aut generationem a spiratione proficisci; quemadmodum per generationem spirare, hoc est, spirationem proferre dicitur Pater, ut docet Calecas; quia spiratio neque propria est et formalis processio Filii, neque personam Patris constituit, a qua, ut hæc persona est, Filius existit. At generatio, etsi non est propria Spiritus sancti, et formalis productio, forma tamen est ὑποστατικὴ, et personam Patris constituens, a qua jam per illam completa formataque communis cum Filio spirandi manat actio, ejusque terminus, Spiritus sanctus.

Ac cum, ut ante disputavimus, tam *mediate*, quam *immediate* Spiritus sanctus a Patre procedat; utrobique generatio, sive paternitas ad illius productionem conferre, ex superioribus intelligitur. Etenim mediate Pater Spiritum edit, quatenus Filius, qui ab illo substantiam, et spirationem accepit, communiter cum eo Spiritum producit. Hoc vero modo per gene-

a Calec. Ἐν ἑκάστῳ γὰρ τὸ ἴδιον αὐτοῦ, καὶ ὑποστατικὸν, ἢ συστατικὸν, καὶ ὑπαρκτικὸν εἶδος, καθ' ὃ ὑφίσταται, ἡ πρώτη, καὶ ἀμέσως αὐτοῦ ἐστιν ἐνέργεια, δι' ἧς προεπινοουμένης καὶ τὰ ἄλλα ἐνεργεῖ. ὡς λόγου χάριν, ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου, τὸ λογικὸν ὑποστατικὸν ὂν, τοῦ εἴδους αὐτοῦ, καθ' ὃ τὸ εἶναι τόδε τι, τουτέστιν ἄνθρωπος, ἔχει, αὐτή ἐστιν ἡ πρώτη αὐτοῦ, καὶ ἄμεσος ἐνέργεια, δι' ἧς τὰ ἄλλα ἐνεργεῖ τὰ τῷ συστατικῷ αὐτοῦ εἴδει ἑπόμενα, ὡς τὸ γελαστικόν. καὶ τὸ τοῦ ἡλίου δὲ εἶδος ἓν ὂν, καθὸ ὁ ἥλιος ὑφίσταται, ἀρχή ἐστι πρώτης, καὶ ἀμέσου ἐνεργείας ἐν τῷ ἡλίῳ τοῦ λάμπειν. ἥτις οὐδεμίαν ἄλλην προεπινοουμένην ἑαυτῆς ἐνέργειαν ἐν τῷ ἡλίῳ ἔχει. καὶ διὰ ταύτης τῆς τοῦ λάμπειν ἐνεργείας πασῶν προεπινοουμένης τῶν ἄλλων, καὶ ἄλλων, καὶ ἀμέσως αὐτῆς ἐν τῷ ἡλίῳ οὔσης, τὸ φωτίζειν, ἢ ξηραίνειν, ἢ θερμαίνειν ὁ ἥλιος ἐπιτελέσει. καὶ αὖθις ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, διὰ τὸ νοεῖν, πρώτης καὶ ἀμέσου οὔσης αὐτῷ ἐνεργείας, διὰ ταύτης προεπινοουμένης, καὶ τὴν ἑπομένην ἐνέργειαν, τὸ θέλειν ἐπιτελεῖ. ἐνέργειαι γὰρ ταῦτα λέγονται. ἐπεὶ τὸ νοεῖν, καὶ λόγιζεσθαι, καὶ ἐνθυμεῖσθαι, καὶ θέλειν, ὥσπερ καὶ τὸ γεννᾷν, ἐνεργεῖν τί ἐστι· ὅθεν ἐπεὶ κατὰ τὸ γεννᾷν τὸ του πατρὸς ὑφίσταται πρόσωπον, δι' αὐτοῦ τοῦ γεννᾷν καὶ προβολεὺς ὁ πατὴρ ἔσται. διὸ καὶ εἰκότως προβολεὺς εἴρηται διὰ λόγου. Vide Bessarion. in lib. *de Process. Sp. sancti.*

rationem spirat Pater; quia per Filium id facit, cui generatio nativitatem dedit. Immediata vero productio, quæ fit eo, quod Pater ex se, et per suam personam productionem attingit Spiritus sancti, per generationem nihilominus existit, ut paulo ante declaratum est; quoniam per illam, ut formam, Patris persona subsistit.

Inde explicatur ordo inter personas divinas.

XIV. Hinc magna quædam lux ad illustrandas veterum Patrum sententias, ac Scripturæ quoque ipsius, affulget, ut Calecas observat. Sic enim commode illud interpretamur, quod Patres adeo prædicant, necessarium, ac naturalem inter personas tres ordinem inesse; qui non ex arbitrio pendet pronuntiantis illas, sed sine detrimento fidei mutari non potest. Quo in ordine tertius est a Patre, et a Filio proximus Spiritus, eoque vel naturaliter, ut loquitur Richardus, vel, ut alii, origine, aut, ut Græci, ἐπινοίᾳ posterior. Unde et « personam tertiam per secundam copulari cum prima, dixit Gregorius Nyssenus, ait Calecas, et magnus Basilius naturalem bonitatem, ac regiam dignitatem a Patre per Unigenitum in Spiritum transire. Una etiam et hoc apparet, quam aptissime in Evangelio dictum esse : Spiritus sanctus a Patre procedit, non vero ab emissore. Nam secundum paternitatis proprietatem Patris persona subsistens, secundum hanc primo, et immediate gignit procedentem a se Filium; per generationem vero etiam Spiritum emittit. Illud enim proxime est a primo; hoc vero per eum, qui proxime est a primo. Quare nisi Pater esset, ne emissor quidem esset. Unde et dictum est, eum propterea a Patre procedere, quia ex Filio resplendet, et per ipsum est. Nisi enim per Filium esset, neque a Patre esset, ut qui ante Filium quidem cogitetur, propter paternam generationem, secundum quam Patris persona subsistit; per Filium autem procedat Spiritus sanctus. Quamobrem proprie admodum a Patre procedere Spiritus a theologis dicitur; ut qui non aliter, quam a Patre per generationem emittatur. Quam ob causam doctores involutam illam processionis definitionem (a Patre) pro eo, quod est a Patre procedere per Filium, accipientes, clarius explicarunt, istud ipsum theologice docentes, illum a Patre procedere. Nam nisi secundum paternitatis definitionem, per quam Patris persona subsistit, Filii generatio ante cogitaretur, quam Spiritus sancti processio; non utique a Patre, sed ab emissore procedere diceretur; eoque magis, ut ne Spiritus sanctus et ipse Filius esse quibusdam videretur, qui procedere a Patre dicitur[a]. »

ogitatione.

XV. Quocirca sic illud intelligendum est, quod Græci Patres asserunt, Filium ἀμέσως, et προσεχῶς, *immediate*, ac *proxime* a Patre produci, Spiritum vero sanctum ἐμμέσως *mediate*, et interposito Filio; non ut solum Filium proxime producat Pater, ac Filius deinde Spiritum proxime solus emittat. Quod a catholicis repudiandum esse monet Augustinus[1] : « Non enim, ait, propterea, sicut quidam hæretici putaverunt, minor est Filio Spiritus sanctus, quasi Filius accipiat a Patre, et Spiritus sanctus a Filio, quibusdam gradibus naturarum; » sed quod Pater prius origi-

a Calecas. Τήν τε γὰρ παραδεδομένην συνίστησι τάξιν, καὶ ταύτῃ τὸν υἱὸν προεπινοεῖσθαι τοῦ πνεύματος πᾶσα ἀνάγκη· καὶ τρίτον ἀπὸ τοῦ πατρὸς εἶναι κατὰ τὴν προσωπικὴν τάξιν, καὶ μετὰ τῆς ἐκ τῶν προόδων συναναφαινομένης τῶν προσώπων πρὸς ἄλληλα τάξεως, καὶ τὸ τῆς οὐσίας ταὐτὸν βεβαιοῦται, τοῦ τρίτου τῷ πρότῳ διὰ τοῦ μέσου συναπτομένου, κατὰ τὸν Νύσσης Γρηγόριον, καὶ κατὰ τὸν μέγαν Βασίλειον, τῆς φυσικῆς ἀγαθότητος, καὶ τοῦ βασιλικοῦ ἀξιώματος ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐπὶ τὸ πνεῦμα διηκούσης. Συναναφαίνεται δὲ καὶ ὅτι οἰκειότατα ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ εἴρηται, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· οὐ μέν τοι ἐκ τοῦ προβολέως. κατὰ γὰρ τὴν πατρικὴν ἰδιότητα τὸ τοῦ πατρὸς ὑφεστὼς πρόσωπον, κατὰ ταύτην πρώτως καὶ ἀμέσως γεννᾷ τὸν ἐξ αὐτοῦ υἱόν. διὰ δὲ τοῦ γεννᾷν, καὶ τὸ πνεῦμα προβάλλει. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὥστε εἰ μὴ πατὴρ ἦν, οὐδὲ προβολεὺς ἂν ἦν. Ὅθεν καὶ εἴρηται ὡς ἄρα διὰ τοῦτο παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, διότι παρὰ τοῦ υἱοῦ ἐκλάμπει, καὶ δι' αὐτοῦ ἐστιν. εἰ γὰρ μὴ διὰ τοῦ υἱοῦ, οὐδὲ παρὰ τοῦ πατρὸς, ὡς προεπινοουμένου μὲν τοῦ υἱοῦ διὰ τὴν πατρικὴν γέννησιν, καθ' ἣν τὸ τοῦ πατρὸς ὑφίσταται πρόσωπον· διὰ δὲ τοῦ υἱοῦ, τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπορευομένου. Οἰκειότατα τοίνυν ἔκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τεθεολόγηται, ὡς οὐκ ἄλλως εἰ μὴ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ γεννᾷν προβαλλομένου. δι' ἣν αἰτίαν καὶ οἱ διδάσκαλοι τὸν συνεπτυγμένον τοῦ ἐκπορεύεσθαι ὅρον, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀντὶ τοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, ἐκδεξάμενοι, πρὸς τὸ σαφέστερον ἐξήπλωσαν, αὐτὸ τοῦτο ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι θεολογήσαντες. εἰ γὰρ μὴ κατὰ τὸν τῆς πατρότητος ὅρον, καθ' ὃν τὸ τοῦ πατρὸς ὑφέστηκε πρόσωπον, ἡ τοῦ υἱοῦ προεπινοοῖτο γέννησης τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ πνεύματος, οὐκ ἂν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐκ τοῦ προβολέως ἐκπορεύεσθαι ἐλέγετο· καὶ τοσούτῳ μᾶλλον, ὡς ἂν μὴ καὶ τὸ πνεῦμα υἱὸς εἶναι παρά τισι δόξῃ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι λεγόμενον.

1 Tract. c *in Joan.*

nem det Filio, quam Spiritui sancto, atque inter Patrem, et Spiritum sanctum necessario sit interponendus Filius; sine quo, quia persona Pater non esset, ut qui per paternitatem subsistit, neque Spiritum sanctum produceret, neque personæ propriam ullam functionem haberet. Nam quod ad ipsam emittendi Spiritus actionem attinet, tam ea proxime, immediateque est a Patre, quam a Filio, cum utriusque sit unica. Quod idem Calecas paulo post superiora testatur. Nam hoc, quod est τὸ αἰτιατὸν, id est *ortum a principio*, causave, quod *causatum*, et *principiatum* in scholis dicitur, « non reipsa, sed ratione commune esse dicit Filio, et Spiritui sancto. Est enim nudum illud prædicatum, quod de ambobus dicitur. Hinc non unum, sed duo causata dicuntur. Si enim esse a causa, res aliqua esset in Filio, et Spiritu sancto, ambo unum essent causatum. At vero mittere, vel scaturire, et cætera ejusmodi, una res est in Patre, et Filio. Ideo, et ambobus mittentibus, aut scaturientibus, unus est mittens, et fons unus[a]. »

Quippe missionem illam Spiritus sancti, qua extrinsecus etiam profunditur a Patre, et Filio; ab intima, æternaque processione non differre, censet idem Calecas, et alii inter Græcos catholici, ut postea demonstrabitur. Quare si una, et singularis est actio, qua mittitur ab utroque; erit et unica processio, qua ab ambobus existit, et quidem ἀμέσως sic, ut non prius ab uno proficiscatur, quam ab alio; etsi a Patre hoc ipsum Filius acceperit, quod ab eo procedit Spiritus. Exponit hoc in quintodecimo *de Trinitate*[1] sanc. Augustinus his verbis, quæ ex alio sermone, quem ad populum habuit, se ait exscripsisse. Est autem tractatus *in Joannem* XCIX. « A quo autem habet Filius, ut sit Deus, est enim de eo Deus, ab illo habet utique, ut de illo etiam procedat Spiritus sanctus; ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. » Ac paulo post ab utroque proxime procedere, ita significat : « Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. »

XVI. Atque hoc argumento probat Isidorus Hispalensis[2], unum esse Patrem et Filium : « Non enim res una, et duorum consubstantialis poterit simul ab eis procedere, et simul inesse, nisi unum fuerit, a quibus procedit. » Sic etiam auctor *Confessionis theologicæ*, quæ Cassiano a quibusdam tribuitur : « Et ideo unum sunt Pater, et Filius, quia tu æqualiter ab ambobus procedis Deus Spiritus. » Ubi notari id maxime debet, quod *æqualiter* dicit ab utroque procedere, ut et libri illius auctor, qui *de Cognitione veræ vitæ* inscribitur, exstatque inter Augustini opera[3]. Hic enim *æqualiter* ab utroque procedere ait Spiritum sanctum. Quod minime adversari putandum est ei, quod a Græcis maxime celebratur, usurpatum autem et a Latinis legitur, Spiritum sanctum *principaliter* a Patre procedere, ut superiori proxime capite demonstratum est. Hoc autem quemadmodum habeat, erudite explicat Anselmus hoc modo[4] : « Constat inexpugnabili ratione, Spiritum sanctum esse de Filio, sicuti est de Patre, nec tamen esse de duobus diversis, sed de uno. Ex eo enim, quod Pater, et Filius unum sunt, id est ex Deo, et est Spiritus sanctus, non ex eo, unde alii sunt ab invicem. Sed quoniam Deus, de quo est Spiritus sanctus, est Pater, et Filius; idcirco vere dicitur esse de Patre, et Filio, qui duo sunt. Et quoniam Pater non est prior, aut posterior Filio, aut major, aut minor; nec alter magis, aut minus est Deus, quam alter; non est Spiritus sanctus prius de Patre, quam de Filio, nec de Filio, quam de Patre, nec major, nec minor est existens de Patre, quam existens de Filio, nec magis, nec minus est de uno, quam de altero. » Ita cur æqualiter ab utroque proficiscatur, causam affert, quod ab iis existit secundum id, in quo unum sunt. Quare non potest prius, aut perfectius ab uno procedere, quam ab alio; quia « ex necessitate sequeretur, ut aut Spiritus sanctus non esset de hoc, in quo unum sunt Pater et Filius; aut ipsum unum non esset perfecte, et simpliciter unum, sed esset ibi aliqua diversitas, de qua illa, quam dixi, in existendo de eodem uno Spiritu sancto esset varietas. » Postea quid sit principaliter a Patre procedere, sic exponit : « Quod si dicitur, quia Spiritus sanctus principaliter

[a] Calecas. Τούτων δὲ, τὸ μὲν αἰτιατὸν λόγῳ μόνον, ἀλλ᾽ οὐ πράγματι τὸ κοινὸν ἔχει· κατηγόρημα γάρ ἐστι μόνον κατ᾽ ἀμφοτέρων λεγόμενον. διὸ καὶ οὐχ ἓν, ἀλλὰ δύο λέγεται τὰ αἰτιατά. εἰ γὰρ ἦν τὸ αἰτιατὸν πρᾶγμα ἐν υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ἓν ἂν ἦν ἄμφω αἰτιατόν. τὸ δὲ πέμπειν, καὶ πηγάζειν, καὶ τὰ ἄλλα, ἓν πρᾶγμα ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ. διὸ καὶ ἀμφοτέρων πεμπόντων, ἢ πηγαζόντων, εἷς ὁ πέμπων, καὶ μία πηγή.

1 Cap XXVII. — 2 Lib. I *Sentent.* cap. XVII. — 3 Tom. IX, tract. V, cap. XVIII. — 4 Lib. *de Proces. Spiritus sancti.*

est de Patre, quasi magis sit de Patre, quam de Filio; non ita dicendum est, ut intelligatur ulla prædictarum varietatum inesse, sed quoniam Filius hoc, quod est, de Patre habet; idcirco hoc ipsum, quod Spiritus sanctus est de Filio, habere de Patre, de quo habet esse, non inconvenienter asseritur. Quoniam tamen sic habet esse de Patre, ut omnino idipsum sit, quod Pater, et unus idemque Deus; sicut solus, et simplex Deus non potest esse major, vel minor seipso, nec prior, nec posterior, nec aliquid in se habet diversum ab eo, sed sicut habet ab illo perfecte esse, ita habet per omnia ab eodem æquale illi, et simile, imo idipsum esse. Quapropter sicut Pater non est magis Deus, quam Filius; quamvis Filius habeat esse de Patre; ita non est magis Spiritus sanctus de Patre, quam de Filio, licet Filius a Patre habeat, ut de illo sit Spiritus sanctus. In eo enim, in quo est unus, idemque cum Patre, id est in eo, quod Deus est, nec est alius ille, et alius Pater, neque dissimiliter sunt id, quod sunt; sed in eo, quod ille est Pater, iste Filius, alius est ille, et alius est iste. Et sicut Filius non est alius Deus, quam Pater; ita secundum quod Deus est, non habet aliquid ab alio, quam a seipso. »

Sic in *Monologio* probat[1], unum esse, quo se Pater et Filius diligunt, amorem, non plures; « quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, et Filius, sed ex eo, in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt; alia est enim relatio Patris, alia Filii; sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum. » Cui consonat Hugo Etherianus libro secundo, capite IV, cujus verba superiori capite descripta sunt.

Anselmus et Hugo explicantur

XVII. Quibus in Alselmi, et Hugonis locis prudenter illud explicandum est, quod ait, ideo ab utroque Spiritum sanctum tum unum, tum æqualiter procedere, quia secundum id, quo unum sunt, hoc est Deus, procedit. Non enim absolute, ac præcise qua Deus sunt, hoc est, secundum divinitatem et essentiam, procedit ab ambobus Spiritus sanctus; sed quatenus Deus sunt Pater, et Filius, vel, qua in Patre et Filio inest divinitas. Hoc enim modo proprietatem habet, ac notionem utrique

Emissor.

communem, et eamdem, ut sit προβολεύς. Quippe ut capite decimo libri ejusdem *de Processione* asserit, « nulla persona ex seipsa esse potest. Nam sicut Filius, cum est de Patris essentia, quamvis non sit alia, sed eadem Filii essentia, quæ est Patris, non tamen est de seipso, sed de Patre solo; ita Spiritus sanctus, cum est de essentia Patris, et Filii, quæ est eadem illi, non tamen est de seipso, sed tantummodo de Patre et Filio. » Cujus ea causa est, quam attuli, quod a Deo, vel essentia, ut absolute spectatur, non est Spiritus sanctus, sed ut est in Patre, et Filio, vel quatenus ambo illi unam, et eamdem habent principii rationem, et spirantis.

Declarat hoc fuse, subtiliterque Joannes Latinorum in Florentina synodo patronus contra Marcum Ephesinum disputans[2]. Docet enim essentiam principium esse, *per quod* tam generationis in Patre, quam spirationis in Patre et Filio : principium, inquam, per quod Filius a Patre generatur, et ab utroque procedit Spiritus sanctus; at principium *quod* generationis esse Patris personam, spirationis vero personas duas Patris, et Filii, quatenus eadem est in illis essentia, et unici principii, vel spirantis notione est affecta, quam δύναμιν προβλητικήν appellat. Actiones enim subjectis tribuuntur, quæ ὑποκείμενα, et ὑποστάσεις vocantur. Unde Spiritum sanctum producunt Pater, et Filius, sive personæ istæ duæ; sed per essentiam, ut est in illis, quæ et ipsa communicatur.

Vim emissoriam.

Quo sensu Spiritus S. principaliter a Patre procedat.

XVIII. Cæterum Hugo Etherianus in libro primo *contra Græcos*, cap. XV, merito Spiritum sanctum negat *principaliter* a Patre procedere, eo videlicet sensu, quem Græculi sophistæ per calumniam impingebant, tanquam affirmarent Latini, *primo* a Patre, *secundario* autem a Filio progredi Spiritum, vel magis, minusve causam unum esse, quam alterum. « Ideo, inquit, principaliter procedere Spiritum sanctum, ab alterutro removentes, de utroque procedere, affirmant æqualiter. Inquiunt enim : Si non est in sancta Trinitate prius secundum tempus, neque secundum naturam, honoremve, potentiamve, non est aliqua trium personarum principaliter ab alia; magis autem quod a nullo secundum posteriorem rationem provenit, principaliter ab aliquo non videtur procedere. » Eatenus ergo *principaliter* negat oriri a Patre Spiritum sanctum, quatenus opponitur ei, quod est *æqualiter*, vel *secundario*, sive posterius. Qua ratione Augustinus libro XV *de Trinitate*, cap. XXVII, iisdem verbis, quæ et in tractatu XCIX *in Joannem* leguntur, postquam exposuit,

1 Cap. XII. — 2 Sess. XIX.

quemadmodum Spiritus sanctus *principaliter* a Patre procedere dicitur, « Spiritus sanctus, inquit, non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit; quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. » Quæ posteriora causam continent, cur *principaliter* a Patre procedat, ut superiori capite dictum est; priora vero illam *principalis* notionem secludunt, quam a Latinis repudiari Hugo Etherianus ostendit. Eadem Augustini verba usurpavit Toletana synodus XI in *Professione fidei;* et Agobardus Lugdunensis in sermone *de Trinitate;* et auctor libri *de Trinitate et unitate Dei*, qui est in appendice tomi IV operum Augustini, in tertio capite. Petrus etiam Damiani in opusculo primo eadem refert Augustini verba.

CAPUT XII.

An Spiritus sanctus sit charitas, et amor ille, quo se mutuo diligunt Pater, et Filius. Rursus de flatu et spiratione agitur, et quomodo ex ea nomen Spiritus sancti derivatum fuerit. Cur vinculum sanctissimæ Trinitatis Spiritus sit potius, quam altera persona. Augustini hæsitatio, an Spiritus sanctus sit ipsa divinitas; an et voluntas sit divina: idque quo sensu confitendum sit. Spiritum sanctum per intellectum non procedere, etsi ab nonnullis Patribus Sapientia vocetur; idque quo sensu usurpatum sit.

I. Propius ad discernendam, explicandamque processionem Spiritus sancti pertinet, quod hoc, et sequenti capite pertractandum est, an sit amborum, a quibus procedit, amor et charitas; et utrum ex eorum voluntate proficiscatur; ex quo deduci et illud poterit, quid sit, in quo Spiritus sanctus a Filio, et hujus productio ab illius processione differat, quominus utraque generatio nominetur.

An Spiritus sanctus sit amor ille quo se Pater et Filius diligunt.

Amorem, et charitatem Patris, aut una etiam Filii, ac mutuum adeo amborum esse nexum Spiritum sanctum, parcius Græci, Latini vero sæpe et copiose docuerunt; itidemque Filium per intellectum a Patre produci; Spiritum vero per voluntatem. Gregorius tamen Palamas in eo libro, quem antecedenti capite citavimus, cum adversus Joannem Beccum probare vellet, non solum Filium, sed etiam Spiritum sanctum, proxime et ἀμέσως originem a Patre ducere, inter alia argumenta, eorum Patrum dicta commemorat, « qui communicationem, et charitatem dicunt esse Patris et Filii Spiritum sanctum[a]. » Sed ex hoc ipso, non videt convinci, ac redargui suum illum, ut et Græcorum cæterorum, quem illic propugnat, errorem, qui Spiritum sanctum negat a Filio procedere. Ut enim a Patre, et quidem proxime procedere inde colligitur, quia charitas et amor illius appellatur a Patribus; sic etiam a Filio produci indidem probari debet, quod et Filii non minus nominatur, quam Patris amor, et charitas.

Quemadmodum et altera persuadet ratio, qua eodem in loco utitur, ab iis sumpta Patribus, qui dicunt, « Unamquamque personam ad alteram similiter, et non minus habere se, quam ad seipsam[b]. » Hinc enim efficitur, perinde ad Spiritum sanctum habere Filium, ut ad seipsum. Quod si processionis, adeoque τῆς σχέσεως τὸ ἄμεσον ex illis verbis concluditur; valebit idipsum et in habitudine mutua Filii, ac Spiritus sancti, cum alterum ex altero sit necesse originem ducere, uti se mutuo respiciant; nemo autem a Spiritu procedere Filium, aliquando cogitarit.

II. Atque hoc quidem argumento nihilo minus a Filio procedere Spiritum sanctum, quam a Patre, Latini fere Patres affirmant, quod sit amborum amor, aut charitas, aut conjunctio. Sic enim Augustinus[1] « Spiritum esse Patris, et Filii docet, tanquam charitatem substantialem, et consubstantialem amborum. » Et alio in loco[2]: « Spiritus ergo sanctus commune aliquid est Patris et Filii, quidquid illud est; at ipsa communio consubstantialis, et coæterna. » Et Toletanum concilium undecimum: « Qui tamen nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia charitas, sive sanctitas amborum esse cognoscitur. » Bene Patres illi Græcorum errorem, qui non a Filio procedere, sed in Filium a Patre dicunt Spiritum sanctum, ex

a Greg. Palamas. Ἔτι δὲ οἱ κοινωνίαν, καὶ ἀγάπην εἶναι λέγοντες πατρὸς, καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

b Idem. Πρὸς δὲ τούτοις καὶ οἱ πρὸς τὸ ἕτερον ἕκαστον ἔχειν τῶν προσώπων λέγοντες οὐχ ἧττον, ἢ πρὸς ἑαυτό;

1 Tract. cv *in Joan.* — 2 Lib. VI *de Trin.* cap. v.

eo refellunt, quod sit amor, sive sanctitas amborum; quæ amoris appellatio, vel charitatis a Latinis, ut dixi, passim, a Græcis rarius accommodatur tanquam propria personæ tertiæ.

Athanasius in epistola prima *ad Serapionem*, de Spiritu sancto, demonstrat charitatem Patris esse Spiritum sanctum, dum ita scribit: « Itaque cum bene precaretur Corinthiis, in Trinitate precabatur, dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, ac Patris, et communicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis*[1]. Etenim cum participes sumus Spiritus, Verbi gratiam habemus, et in ipso Patris charitatem[a]. » Hic charitatem Patris Spiritum, ut dixi, sanctum vocat, ne Trinitatis persona tertia desit. Nam tres omnino perstrinxit; idque observavit Emmanuel Calecas[2]. Qui et Theodori Studitæ hymnum citat, in quo de Spiritu sancto ista cecinit. Σὺ ζωή, ἔρως, φῶς. *Tu vita, amor, lumen.* Nam ἔρως idem est, quod ἀγάπη, ait Calecas. Quanquam Dionysius[3] in libro *de Divinis nominibus* vocem ἔρωτος quosdam a divinis segregasse refert, quam pluribus ipse propugnat, et sancti Ignatii auctoritate adstruit, qui ita scripsit: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *Amor meus crucifixus est.* De quo quidem loco vide hæsitationem Maximi interpretis plurimum æstuantis, ut Dionysii ætatem cum Ignatii loco illo conciliet, qui est ex epistola duodecima *ad Romanos*.

Id Latini uberius quam Græci professi sunt.

III. At Latini, ut jam dixi, Spiritum sanctum charitatem, vel amorem esse Patris et Filii, et quidem mutuum, plenius atque uberius professi sunt. Sed imprimis Augustinus, qui in sexto *de Trinitate*, cap. v, « Quapropter, inquit, Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ, et æqualitate consistit. Sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive ideo unitas, quia charitas, et ideo charitas, quia sanctitas; manifestum est, quod non aliquis duorum est, quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat. » Hic Spiritum sanctum ipsammet charitatem esse dicit, qua se mutuo diligunt Pater, et Filius, nec non « communionem amborum consubstantialem, et coæternam. Quæ si amicitia convenienter dici potest, dicatur, sed aptius dicitur charitas. » Idem et in quintodecimo libro[4]: « Et si charitas, qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum; quid convenientius, quam ut ille charitas dicatur proprie, qui spiritus est communis ambobus? » Ambrosius *in Symbolum Apostolorum*, capite primo: « Unus est diligens eum, qui ab ipso est; unus est dilectus ab eo, a quo est; una est dilectio utriusque Spiritus sanctus; idem tamen Deus. » Et in libro *de Dignitate conditionis humanæ*, capite secundo: « Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt, » etc. Sic a Platone, præter Patrem « Deum, paternamque mentem, artem, sive consilium, etiam utriusque horum amorem mutuum » constitutum ait Claudianus Mamertus in secundo *de Statu animæ*, eumque Spiritum sanctum interpretatur; quod Petrus Abælardus[5] notavit, qui pro *artem* apud Claudianum legit *actionem*. Fulgentius in *Responsione quarta ad Ferrandum diaconum*, ejusdem Augustini verba illa, quæ descripserat, expendens, « His itaque verbis, ait, beatus Augustinus non dubitavit, sicut charitatem, et sanctitatem, sic etiam unitatem Patris, et Filii Spiritum sanctum dicere; nec solum commune aliquid eorum, sed etiam communionem consubstantialem, coæternamque fiducialiter prædicare. »

Petrus Damiani in opusculo primo, capite secundo, « Et hæc, inquit, summa illa charitas est, qua genitus a gignente diligitur, suumque diligit genitorem. Ideoque non amplius, quam tria sunt, et essentialiter indivisa, et tripartita proprietate distincta; unus diligens eum, qui de illo est, et unus diligens eum, a quo est, et ipsa dilectio, de qua dicitur, quia *Deus charitas est.* » Rhabanus Maurus in primo *de Universo*, cap. tertio, « Hoc, inquit, donum Dei, id est Spiritus sanctus, qui de Patre, et Filio æqualiter procedit, ineffabilis quædam Patris, Filiique communio est. »

IV. Guitmundus quoque in *Confessione fidei*: « Constat igitur, quia a Patre procedit amor ad Filium, et a Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus sanctus, qui ab utroque ita procedit, ut semper in utroque maneat, et

a Athan. Ἀμέλει ἐπευχόμενος Κορινθίοις, ἐν τῇ τριάδι ηὔχετο, λέγων· ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος, μετὰ πάντων ἡμῶν. τοῦ γὰρ πνεύματος μετέχοντες, ἔχομεν τὴν τοῦ λόγου χάριν, καὶ ἐν αὐτῷ τὴν τοῦ πατρὸς ἀγάπην.

1 II *Cor.* xiii, 13. — 2 Cap. xxxv. — 3 Cap. iv *de Div. nom.* — 4 Cap. xix. — 5 Lib. I *Introd. theol.*

ita semper in utroque manet, ut ab utroque semper procedat. » Quibus Guitmundi verbis adversari Augustinus videtur in quintodecimo *de Trinitate*, cap. XXVII, et quæ illius transtulit verba Toletana undecima synodus, dum sic profitetur : « Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam ; sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia charitas, sive sanctitas amborum cognoscitur. » Sed utrumvis, si recte intelligatur, nec veritati, nec alteri contrarium est. Nam prius illud, amorem a Patre in Filium procedere, qui est Spiritus sanctus, nihil significat aliud, nisi mutuo se amare Patrem, et Filium, eaque dilectione producere Spiritum sanctum. At Toletani Patres cum Augustino negant, sic a Patre procedere in Filium, quomodo Græci hodie putant, ut a solo Patre procedens, transfundatur in Filium, eique perinde, ut essentia ipsa, communicetur. Quod minime verum est. Etenim Spiritus sanctus « charitas est ipsa, per quam Pater diligit Filium, et Filius diligit Patrem, et æqualiter hujusmodi charitas communicatur Patri, et Filio. Nam qui diligitur, debet diligenti æqualem reddere affectionem, quia sincera et certa dilectio ex æquali omnino ad invicem dilectione consistit, » ait Hugo Etherianus[1], qui et Hieronymum testem laudat in commentariis *ad Psalmum* quartumdecimum : « Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam Pater habet in Filium, et Filius in Patrem. » Richardus item Victorinus in VI *de Trinitate*, capite X, Spiritum sanctum « amorem ait esse communem ambobus. »

Addit Anselmus[2], amorem illum esse, quo et seipsos et alterutrum amant Pater et Filius, quia « se amat Pater, amat se Filius, et alter alterum. Et quia uterque pariter sui, et alterius meminit, et se, et alterum intelligit, et quoniam omnino idipsum est, quod amat, vel amatur in Patre, et quod in Filio, necesse est, ut pari amore uterque diligat se, et alterum. » Cur autem ab ambobus reipsa licet distinctis unus duntaxat amor existat, causam affert istam[3], « quia non ex eo procedit ; in quo plures sunt Pater et Filius, sed ex eo, in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt ; alia est enim relatio Patris, alia Filii ; sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, et Filius tantum pariter bonum. »

V. Cæterum ita charitas, vel amor, aut dilectio Patris et Filii, esse putandus est Spiritus sanctus, ut non ipsa sit essentialis charitas, qua invicem diligunt. Alioqui Spiritus sanctus ipsamet divinitas, et essentia foret, quoniam *Deus charitas est*[4], adeoque divinitas ipsa, quemadmodum et sapientia, et bonitas, et quidquid ad seipsum dicitur, ut Augustinus[5] docet. Atque idem refert alio in loco[6] Spiritum sanctum esse deitatem, isto ipso sibi argumento persuasisse quosdam, quod ille esset charitas. « Ausi sunt tamen, ait, quidam ipsam communionem Patris, et Filii, atque, ut ita dicam, deitatem, quam Græci θεότητα appellant, Spiritum sanctum credere ; ut quoniam Pater Deus, et Filius Deus, ut ipsa deitas, qua sibi copulantur, et ille gignendo Filium, et ille Patri cohærendo, et ei, a quo est genitus, æquetur. Hanc ergo deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum, charitatemque volunt intelligi, Spiritum sanctum appellatum dicunt, » etc. Hoc vero cum aliis multis Scripturæ testimoniis asserebant ; tum eo maxime, quod dixi, quia Deus a Joanne[7] *dilectio* vocatur ; nec ait, « dilectio Dei, sed Deus dilectio est, ut ipsa deitas dilectio intelligatur. » Sic etiam ex eo probabant, quod scriptum est[8], *Deus Spiritus est ;* ubi similiter animadvertebant, « non dictum esse, quoniam Spiritus Dei est, sed quoniam Deus Spiritus est ; ut ipsa deitas Patris et Filii hoc loco dicta sit Deus, quod est Spiritus sanctus. »

Spiritus non ipsa substantialis charitas qua se Pater et Filius diligunt.

De hac opinione quid sentiat, non exponit Augustinus, sed in dubio relinquit ; quod mirari subit. Nam cum de sapientia idem sit judicium, quæ Verbo, ac Filio proprie tribuitur, ut perinde dubitari possit, an cum Deus ipse, vel deitas sapientia sit, quæ est Filius, hic ipsa sit deitas ; tamen Augustinus recte observavit, sapientiam eam, qua Pater sapiens est, non esse Filium, neque hunc simpliciter, absoluteque dici Dei sapientiam, nisi addatur, intelligaturve *nata sapientia ;* de qua re pluribus egimus in superiore libro, ubi ea pertractata quæstio est. Ut igitur Sapientiæ nomen interdum absolute, alias autem relative, et adjuncta notione sumitur ; sic etiam *amor*, et *charitas*, tum etiam *Spiritus*. Quare charitas οὐσιώδης, et *essentialis*, non est Trinitatis persona certa, sed est ipsa divinitas, quæ utique non una est persona, sed tres. Sed ut expressus ab utroque, Patre, ac Filio, amor

1 Lib. I, cap. IV. — 2 *Monol.* IV, 16. cap. XLIX. — 3 Cap. LII. — 4 I *Joan.* IV, 16. — 5 Lib. III, cap. X. — 6 Lib. *de Fide et Symb.* cap. IX. — 7 I *Joan.* IV, 16. — 8 *Joan.* IV, 24.

est, sive mutuæ dilectionis terminus; Spiritus sanctus proprie dicitur, estque Trinitatis tertia et ab aliis distincta persona.

VI. Præclare hoc Augustinus in XV libro *de Trinitate* sic enarrat [1]: « Et si charitas, qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum, quid convenientius, quam ut ille charitas dicatur proprie, qui spiritus est communis ambobus? Hoc enim sanius creditur, vel intelligitur, ut non solus Spiritus sanctus charitas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie charitas nuncupetur propter illa, quæ dicta sunt. Sicut non solus est in illa Trinitate vel spiritus, vel sanctus, quia et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, quod non ambigit pietas; et tamen iste non frustra proprie dicitur Spiritus sanctus. Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. » Quod quidem postremum ex Ambrosio descripsit Augustinus, qui libro *in Symbolum Apostolorum,* capite primo, sic scribit: « Nam licet Pater sit spiritus, et Filius sit spiritus, et Pater sit sanctus, et Filius sit sanctus, sola tamen tertia persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coæterna, et communis ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt. » Addit Augustinus, et Filium Spiritus sancti fore Filium, si solus Spiritus est charitas, quoniam ab Apostolo [2] vocatur *Filius charitatis suæ.*

Quocirca idem judicium de charitate, vel amore faciendum est, quod de sapientia, quæ Filio proprie vindicari solet, ut alibi diximus [3]. Sed in intelligentia, et sapientia propria et distincta sunt nomina, quibus essentialis sapientia ab ea, quæ terminus est et fructus illius, discernitur. Hæc enim λόγος, et *verbum* dicitur. In voluntate autem, et ejus actione res est obscurior; quoniam in creaturis actionis ejus terminus, quam θέλησιν Græce nominant, scholæ *volitionem*, ab ipsa ἐνεργείᾳ, et *actione* vix abjungitur. Inest tamen impulsus, afflatusque nescio quis, quem vox spiritus corporatis in rebus apud Latinos significat; « Nam nomen *spiritus,* ait sanct. Thomas [4], in rebus corporeis impulsionem quamdam, et motionem significare videtur. Est autem proprium amoris, quod moveat, et impellat voluntatem amantis in amatum. »

oluntatem.

VII. Quanquam ab externo ipso viventium halitu, ac respiratione, veterum plerique nomen Spiritus, ad divina translatum putant perinde, ac multi Verbi nomen, et sermonis, sive λόγου de externa locutione, ac dictione potius interpretantur, quam de *interna,* et ἐνδιαθέτῳ. Hinc Christum Dominum flasse super discipulos suos affirmant, ut divinam illam processionem adumbraret, qua ab sese non minus, quam a Patre producitur. Vide omnino, quæ in capite secundo ex Græcis Patribus in medium adduximus, ut Spiritum sanctum doceremus a Filio procedere, ex eo, quod halitus, sive flatus appelletur, qui ab ore Patris, adeoque a Filio, proficiscitur; tum capite septimo ad idem argumentum haud pauca contulimus. Quibus et Latini Patres annumerari possunt quamplurimi, qui Spiritum sanctum cum flatu, et halitu conferunt; cujus significationem dedisse Christum asserunt, quando in discipulos insufflavit; ut inter alios Augustinus [5].

Et ut Petrus Abælardus ait [6], « Spiritu oris nostri, id est anhelitu, maxime affectus animi patefiunt; cum videlicet aut præ amore suspiramus, aut præ laboris, et doloris angustia gemimus. » Quam notionem non solum trita illa τοῦ πνεύματος apud Græcos, apud Latinos *Spiritus* appellatio commendat, sed etiam quod apud Græcos quosdam populos amator εἴσπνιλος, aut εἰσπνηλὸς, *amatus,* ἀίτης dicebatur, utraque voce ab halitu, et spiratione deducta. Testatur hoc in *Eidyllio* duodecimo Theocritus.

« Duo, inquit, quidam inter se juncti fue-
[runt
Viri; alter erat amicus, dicat quis Amyclæa
[lingua loquens;
Alterum vero Thessalice loquens amatum
[vocet.
Mutuo illi se amabant æqua lege [a]. »

Igitur Lacedæmonii et ex iis Amyclæi, *amatorem* εἰσπνηλὸν, vel εἰσπνήλην, aut εἴσπνιλον nominabant; Thessali vero eum, qui *amatur*, ἀίτην. Quarum vocum prior ἀπὸ τοῦ εἰσπνεῖν *ab*

a Theocr. Δοιὼ δή τινε τώδη μετ' ἀμφοτέροισι γενέσθην
Φῶθ', ὁ μὲν ἦν εἴσπνιλος, φαίη χ' ὡ μυκλαΐσδων.
Τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θέσσαλος εἴποι ἀίταν.
Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ.

1 Cap. xix. — 2 *Col.* i, 13. — 3 Lib. IV. — 4 In I par., qu. xxvi, art. 1. — 5 Lib. III *contra Max.* cap. xiv. — 6 Lib. I *Introd.*

inspirando, posterior ἀπὸ τοῦ ἄειν, quod est *flare* ducitur; unde et ἀίτης *ventus* dicitur. Ita docet Eustathius. « Ἀίτης, inquit, appellatur is, qui amatur, qui amore inspirat amatorem suum. Inspiratur enim, ut aiunt, formæ aliquid, et pulchritudinis. Unde et εἰσπνῆλαι per η apud Lacones dicuntur amatores[a]. » Quod quidem ad mutuum amantium affectum, vel adspirationem exprimendam, et divinæ illius processionis appellationem pertinet.

Quo sensu Spiritus unitas et communio Patris ac Filii.

VIII. Hinc illud etiam explicari potest, quod ex Augustino paulo ante commemoravimus, quemadmodum Spiritus sanctus non unus solum, et communis amborum, a quibus procedit, sed etiam unitas, et communio jure nominetur, ut ex eodem observavit Fulgentius. In quo secum ipse pugnare videri potest Augustinus; qui cum in sexto *de Trinitate*[1] hoc, quod dixi, unitatem, et communionem Patris, et Filii esse Spiritum sanctum scripserit; tamen in libro *de Fide et Symbolo*, capite tertio, Spiritum sanctum communionem esse Patris et Filii, quod quidam opinabantur, neque probare se, neque repudiare demonstrat. Sed nimirum, uti charitas, sic etiam unitas, et communio dupliciter usurpatur, absolute, et σχετικῶς. Priori modo ipsa est divinitas, in qua unum sunt, non duæ illæ tantummodo, sed omnes personæ. Ideo personam ipsam Spiritus sancti communionem illo sensu Patris, et Filii esse, non asserit Augustinus, et est reipsa falsum. At posteriore modo communio dici potest; quia terminus est mutuæ dilectionis, in quem ambo conspirant, et eatenus ab ambobus producitur, qua unum idemque sunt principium. Cum igitur in Spiritus sancti processione personæ duæ unius principii rationem habeant, et unicus ex ambobus terminus, ac fructus existat; merito amborum communio, et unitas vocatur. Accedit quod in creatis rebus, atque personis nulla conjunctio copulatioque inest arctior, quam voluntatum, mutuique invicem amoris, quo sic inter se colligantur homines, ut unum cor, et una anima fieri dicatur e multis, quemadmodum de primis christianis Lucas[2] in *Actis* refert. Ideo cum Spiritus sanctus mutuus sit amor Patris, et Filii, sive mutui amoris fructus, ac terminus; consentaneum est, ut amborum unitas, et communio appelletur a nobis, qui non aliunde, quam nostris ex rebus divinas capere, ac declarare possumus. Jure itaque nonnulli Spiritum sanctum osculum Patris, et Filii, vel amplexum, vel id genus aliud appellant, quo arctissima illa conjunctio, vel potius unitas ostenditur. Bernardus sermone octavo *in Cantica*, « Si, inquit, recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur; non erit abs re, osculum Spiritum sanctum intelligi, utpote qui Patris, Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, individua unitas. » Et, ut alio loco scribit[3], « Spiritus est indissolubile vinculum Trinitatis, per quem, sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos unum sumus in ipsis. » Laurentius Justinianus in libro *de Obedientia*, eumdem Spiritum vocat « charitatis indissolubile vinculum, et pacis suavissimum osculum, mutuique amoris amplexum beatissimum. » Et Agobardus in sermone *de Trinitate*, *Unitatem* vocat Patris, et Filii.

Relative.

Spiritus S. fons unitatis in Trinitate potius quam altera persona.

IX. Hinc vero complures veterum Patrum argumentum petere solent, quo divinarum personarum unitatem approbant, cujus fontem, et originem revocant ad mutuam inter se concordiam, et amorem, ipsumque adeo Spiritum sanctum. Sic Augustinus non uno loco, præsertim vero tractatu XIV *in Joannem*, « Tanta, inquit, ibi est charitas Spiritus sancti, tanta pax unitatis, ut de singulis cum interrogatur, Deus tibi respondeatur, de Trinitate cum interrogatur, Deus tibi respondeatur. » Ac paulo post: « Si charitas de tot animabus fecit animam unam, et de tot cordibus fecit cor unum; quanta est charitas inter Patrem, et Filium? Major utique potest esse, quam inter illos homines, quibus est cor unum. Si ergo multorum fratrum cor erat unum propter charitatem, et multorum fratrum anima una propter charitatem; Deus Pater, et Deus Filius dicturus est, quia duo sunt? Si duo dii sunt, non est summa charitas. Si enim hic tanta charitas est, ut animam tuam, et animam amici tui unam animam faciat, quomodo ibi non est unus Deus Pater, et Filius? » Sic in tractatu XVIII et XXXIX. Eodem et Hilarii spectat bene longa disputatio de unitate ista, quam *Actorum* locus ille significat, in octavo *de Trinitate*. Tum Richardi in quinto *de Trinitate*,

a Eustath. *in Odyss.* E. Ἀλλὰ καὶ ἀίτης ὁ ἐρώμενος κατὰ τοὺς παλαιοὺς, διὰ τοῦ ἰῶτα, ὁ εἰσπνέων, ὡς καὶ προεγράφη, τῷ ἔρωτι τὸν ἐραστήν. εἰσπνεῖται γάρ φασι τῆς μορφῆς τι, καὶ τῆς ὥρας. ὅθεν καὶ εἰσπνῆλαι διὰ διχρόνου, ἢ ἐν τῷ ἢ παρὰ Λάκωσιν, οἱ ἐρασταί.

1 Cap. v et xix. — 2 *Act.* iv — 3 Serm. ii in *Octav. Paschæ*.

qui personarum in Deo multiplicationem demonstrat ex charitatis, dilectionisque natura.

Huic communi Patrum asseverationi, quæ Spiritum sanctum velut copulam, et vinculum Patris ac Filii constituit, refragari quispiam putet Athanasium, qui in oratione IV *contra Arianos* ita scribit : « Ac neque Spiritus Verbum cum Patre connectit, quin potius Spiritus a Filio accipit [a]. » Sed non est contrarius. Hoc enim loco verum Filium, sive Verbum, cum adoptivis filiis comparat, hoc est, nobiscum. Nam etsi utrique in Patre, et Pater in nobis inesse dicatur; fit hoc tamen longe dispari modo. Quippe nos ideo cum Patre conjungimur, quia « de Spiritu suo dedit nobis » ita, ut nexus, ac vinculum, quo cum illo nectimur, sit participatio ista Spiritus sancti. Verbum autem nulla ejusmodi communicatione jungitur. Nihil enim a Spiritu sancto accipit, cum ab illo potius hic accipiat. Latinus Athanasii interpres pessime locum illum reddidit, ita vertens : « Sed Spiritus potius id a Verbo accipit, » tanquam id velit Athanasius, Spiritum copulari cum Patre per Filium. Quod non dicit, sed potius absolute accipere a Filio, nempe omnia, quæ habet, essentiam, divinitatem, etc. Unde nihil ab eo, uti nos, Filius accipit.

Rathramnus monachus Corbeiensis in lib. III *contra Græcos* ejusdem Athanasii testimonium affert, ex VIII lib. *de Propriis personis*, in quo ita legitur : « Pater in Filio, et Filius in Patre ; Spiritus autem sanctus conjunctio divinæ virtutis, et unitas Trinitatis. » Ad quæ Rathramnus hæc adnotat : « Hæc dicens ostendit, Spiritum sanctum charitatem esse Patris et Filii. Neque enim aliud est, quo potentius, et convenientius unitas sanctæ Trinitatis perficiatur. Non tamen sic accipiendum hic charitatem, quæ est Spiritus sanctus, ut qualitas sit, et non substantia, cum una sit persona sanctæ Trinitatis. Conjunctionem autem appellat Spiritum sanctum, vel unitatem Patris, et Filii, quoniam de utroque procedens utrumque conjungit, manens ipse non divisus, non separatus, et consubstantialis. » Quæ ratio sane est aptissima, cur Spiritus sanctus unitas, et conjunctio, sive vinculum nominetur Patris, et Filii ; nimirum quod solus ipse ab ambobus procedat, tanquam uno principio, quæ est illa συνημμένη θεολογία, opposita τῇ διακεκριμένῃ, quam ex Dionysio Græci Theologi celebrant. Cum enim οὐσία et *substantia* unum sint, facit insuper procedens ab illis Spiritus, ut etiam proprietate, quodammodo sint unum, cujusmodi est ἡ προβολικὴ, vel πνευστικὴ, quam *spirationem activam* vocant. Hinc idem ille scriptor, qui Athanasius falso perhibetur, in calce libri septimi, « Spiritum dixit de unita substantia procedere. » Ac demum : « Sed et unita est ejusdem Trinitatis operatio in factura. » Ut igitur Trinitas in rebus procreandis est unita, quod unius principii rationem habeat ; ita Pater, et Filius in producendo Spiritu sancto maxime unum sunt. Sane locus ille quantivis est, et apprime notandus. Porro libri illi, quos citat Rathramnus, septem sunt ; neque octavus ille istic habetur, unde verba illa protulit, et sunt illi septem in secundo tomo Athanasii *ad Theophilum* inscripti.

Unita eologia...

Disjunctæ.

X. Cæterum hac charitatis adhibita proprietate, quæ unum e pluribus facere solet, ac distracta conjungere, adjuvanda est illa sancti Augustini ratio, quæ in allatis ante ejus verbis continetur. Etenim in XV libro *de Trinitate* [1] merito et Spiritum sanctum, et charitatem proprie nominari dicit personam tertiam ; quia, « cum sit communis ambobus, id est, ab utroque procedat, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter. » Quod sumptum diximus ex Ambrosio tractatu *de Symbolo*, capite primo ; qui Spiritum sanctum merito appellari dicit, etsi utrumque nomen Patri, et Filio competat ; quia cum tertia hæc persona coæterna, et communis sit ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt. » Rhabanus item Maurus libro primo *de Universo*, capite tertio, ideo Spiritum sanctum proprie tertiam illam vocari personam ait, cum et Pater, et Filius spiritus sint, ac sancti, quod utriusque sit communio. Et Isidorus Hispalensis libro VII *Originum*, Spiritum sanctum proprie charitatem nuncupari dicit, « quia naturaliter eos, a quibus procedit, conjungit. » Atqui contra hoc potest illud opponi : Filium appellari proprie sapientiam, quæ utique communis est tribus ; nec tamen communionem, ac nexum amborum esse. Rursus cum sapientia, potentia, divinitas, ac reliqua omnia, quæ absolute dicuntur, Patri et Filio non minus communia sint, quam hæc ipsa, esse spiri-

a Athan. orat. IV. Καὶ οὐ τὸ πνεῦμα συνάπτει τὸν λόγον τῷ πατρί· ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ λόγου λαμβάνει.

1 Cap. XIX.

tum, vel sanctitatem, vel charitatem, ex illa Augustini regula, proprie quoque Spiritus sanctus et sapientia dicetur, et potentia, imo et Divinitas ipsa.

Verum posterius hoc si quispiam objiciat, explicari hoc modo poterit: illa potissimum ex communibus attributa dici, propriaque facta Spiritus sancti, quæ cum charitate conjuncta sunt, et ab ea profecta; vel sine ea creatis in rebus inesse nequeunt, a quibus divinarum explicandarum rerum rationes, ac vocabula ducuntur. Videmus autem in angelis, et hominibus sapientiam, vel scientiam, potentiam, et alia quædam inesse sine charitate, quæ de Deo dicuntur; at sanctitas aut nulla sine charitate est, aut hæc est ipsa sanctitas; sic etiam spiritus notio, a qua spirituales appellantur homines, in eadem charitate consistit, cui carnalium, vel animalium status apud Apostolum[1] ex adverso respondet, tum unitas, concordia, communio, et ejusdemmodi cætera, cum eadem implicata charitate sunt. Jure itaque propria illa decora charitatis, et nomina, tametsi communia sint, personæ illi præcipue tribuuntur, quæ ex amore ac dilectione ortum habet, quæ vinculum est et nexus; reliqua non itidem proprie congruunt. Prius autem illud, quod de Filio est objectum, qui sapientia proprie vocatur, non modo non obest nobis, sed etiam adjuvat. Quippe Verbum cognitione, intelligentiaque producitur; ideo quæ ad eam pertinent, propria sibi facit ex communibus usu quodam appellationis itidem, ut Spiritus sanctus ea, quæ cum charitate juncta sunt, a qua procedit.

Augustini hæsitatio an Spiritus sanctus sit ipsa Divinitas.

Eadem est et bonitatis conditio, quæ sine charitate ne intelligi quidem potest, quatenus a sanctitate non differt. De utraque vero, bonitate, inquam, et sanctitate, non omittendus est Augustini locus ex undecimo *de Civitate Dei*[2]. Nam multum ad illustranda, quæ diximus valet: « Utrum autem, ait, boni Patris, et boni Filii, Spiritus sanctus, quia communis ambobus est, recte bonitas dici possit amborum, non audeo temerariam præcipitare sententiam; verumtamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsam quoque substantiam, et tertiam in Trinitate personam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod cum sit et Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur Spiritus sanctus, tanquam sanctitas substantialis, et consubstantialis amborum. » Hic dubitat Augustinus, an perinde bonitas dici possit amborum Spiritus, ut sanctitas, et quidem substantialis; quod consentaneum videtur alteri illi dubitationi, de qua paulo ante egimus, an Spiritus sanctus sit ipsa deitas, et θεότης amborum. Utrobique enim commune aliquid, et substantiale, sive essentiale, hoc est οὐσιῶδες, non personale, sive notionale videtur intellexisse. Nam nulla notionalis est deitas, sicut charitas, sicut sapientia.

Proinde ut illic anceps fuit Augustinus, et assensionem suspendit suam de eo, an divinitas ipsa, qua Pater, et Filius Deus unus est, sit ipsa persona Spiritus sancti, ita hoc loco dubitat, an bonitas ipsa, qua bonus est uterque, sit idem Spiritus; de sanctitate vero non dubitat, quin amborum sanctitas dici debeat. Quod si de bonitate, ac sanctitate non essentiali, sed, ut ita dixerim, notionali, loqueretur, non vereretur, opinor, bonitatem, charitatem, et sanctitatem amborum appellare Spiritum, addita, vel intellecta voce quapiam, cujusmodi est *procedens*, aut ejusmodi alia; quemadmodum, cum de Filio ageret, tam *sapientiam* dici eum proprie docuit, quam *natam sapientiam*. Sed si ita est, mirandum magis est, sanctitatem Patris, et Filii distinctam ab iis personam, ac tertiam ab illo constitui; quod et de divinitate multo est admirabilius, quam qui Spiritum sanctum esse putabant, eorum sententiam haud absurdam judicavit[3].

XII. Atqui idem in quinto decimo *de Trinitate*[4], quid de istis sentiendum, et quomodo loquendum esset, acute vidit. Nam de Verbo agens, eorum rationem improbat, qui « ne Filium consilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, addit, quantum existimo, dicitur consilium de consilio et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia, ne absurditate illa, quam jam refellimus, Filius dicatur Patrem facere sapientem, vel volentem, si non habet Pater in substantia sua consilium, vel voluntatem. » Quæ res plenius est a nobis exposita superiore libro.

Cæterum idem Augustinus hoc postremo subjicit: « Sed voluntas Dei si et proprie dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis

1 I *Cor.* XIII, 13. — 2 Cap. XXIV. — 3 Lib. *de Fide et Symb.* cap. IX. — 4 Cap. XX.

An sit voluntas divina idque quo sensu accipiendum.

hoc nomen Spiritui sancto competit, sicut charitas. Nam quid est aliud charitas, quam voluntas? » Verum quod de charitate supra dixi, id etiam ad voluntatem pertinere putandum est; ut Spiritus sanctus voluntas Patris, et Filii, id est voluntatis utriusque, sive potius τῆς θελήσεως, terminus appelletur, non ipse

Substantialis.

οὐσιώδης appetitus, ac ne actus quidem volendi, quæ est ipsa Dei substantia, et divinitas. Atque hoc, quem supra diximus, sensu Bernardus homilia VIII *in Cantica*, Spiritum sanctum Patris ac Filii bonitatem esse scripsit, sine qua ambo illi intelligi nequeunt: « Ubi Pater, inquit, et Filius perfecte cognoscitur, utriusque bonitas, quæ Spiritus sanctus est, quomodo ignoratur? Neque enim integre homo homini innotescit, quandiu latet, utrumne bonæ, an malæ sit voluntatis. » Ac licet, quod ait Augustinus, Filius voluntas de voluntate dici possit, aut etiam charitas de charitate; inest tamen peculiare quiddam in Spiritu sancto, cujus gratia charitas, aut voluntas nominetur, quoniam amore, ac voluntate producitur. Hinc nonnulli veterum, personarum duarum, quæ ab eodem oriuntur principio, necessariam existentiam hoc argumento probant, quod neque ἄλογος, id est, sine λόγῳ, Deus unquam fuerit, neque ἀθελὴς, hoc est, volendi actione carens. Gregorius quoque Nyssenus in libro XII *contra Eunomium*, Filium ipsum θέλημα τοῦ πατρὸς, *voluntatem*, sive *volitionem*, ut sic loquar, *Patris* appellat.

XIII. Sic inter alios concludisse Athanasium, refert Emmanuel Calecas. Et merito quidem, ut ibidem disputat. « Nam cum Deus intelligens sit, et volens, secundum communes Dei notiones, et Scripturæ sententias; rationalium vero perfectio sit, rationem ac voluntatem, hoc est, volendi actionem habere; perfectio autem omnis præcipue magis, et perfecte in Deo, supra omnia consistat; consequens est, ut quemadmodum Deus ipse semetipsum intelligens, ipse sibi intelligibile est (hoc est enim sui ipsum contemplatione moveri), ac dum se intelligit, alia itidem intelligit, ut divinus ait Dionysius, indeque Verbi, et Filii persona exoritur, etc.; sed et consubstantiale est ipsi Verbum; quandoquidem nullum Deo inest accidens; sic idem seipsum et diligens, et volens, et seipsum amans (ipse enim sibi desiderabile est, et summum, et bonum), ex seipso suam ipsam ipse producit voluntatem, vel dilectionem, vel amorem, quæ Spiritui sancto relative Doctores attribuunt. Non enim adversus eos, qui Filium et Spiritum sanctum negabant, ita contenderent, ut eos confiteri cogerent, Deum rationis, aut sermonis ac voluntatis expertem fuisse, nisi et Patrem mentem esse, et Filium λόγον, Spiritum vero sanctum voluntatem relative vellent dicere. Et quoniam, quantum est id, quod diligitur, tanta est et dilectio, sive voluntas, æqualis et ipsa Deo est, et eum exæquans, adeoque ejusdem cum eo substantiæ, quippe nullum Deo inest accidens; propterea et Deum confitemur Spiritum sanctum, consubstantialem, et coæternum Patri, ac Filio. Nunquam enim rationis, sermonisve, ac voluntatis expers fuit Deus[a]. » Hæc Calecas: qui erudite voluntatem, sive, ut vulgo loquuntur, *volitionem* Dei seipsum amantis, ac volentis, esse Spiritum sanctum asserit, quatenus relative dicitur; ut intelligas non absolute voluntatem, seu voluntatis actionem qua Deus aliquid vult esse Spiritum sanctum, sicut intellectio, vel locutio, qua seipsum, aliaque omnia percipit Pater, non est Filius, sed illius locutionis terminus, hoc est ipsamet locutio, qua ab loquente oritur et ad eum refertur. Eodem prorsus modo Spiritus

a Calec. cap. XXXVI. Ἐπεὶ γὰρ ὁ θεὸς νοερός ἐστι, καὶ θέλων κατὰ τὰς κοινὰς περὶ αὐτοῦ ἐννοίας, καὶ τὰς τῆς γραφῆς ἀποφάσεις· τῶν δὲ λογικῶν ἐστι τελειότης, λόγον καὶ θέλησιν ἔχειν· πᾶσα δὲ τελειότης ἀρχηγικώτερον, καὶ τελειότερον ἐν τῷ ὑπερίδρυται. ὥσπερ ὁ θεὸς αὐτὸς ἑαυτὸν νοῶν αὐτὸς ἑαυτῷ νοητὸν ἐστὶ. τοῦτο γάρ ἐστι καὶ τὸ κινεῖσθαι αὐτὸν τῇ ἑαυτοῦ θεωρίᾳ· ἑαυτὸν δὲ νοῶν καὶ τἄλλα νοεῖ, καθάπερ φησὶν ὁ θεὸς Διονύσιος. κἀντεῦθεν τὸ τοῦ λόγου, καὶ υἱοῦ πρόσωπον συνανίσχει, etc. Καὶ δὴ καὶ ὁμοούσιος αὐτῷ ἐστιν. διότι οὐδὲν συμβεβηκὸς ἐν τῷ θεῷ· οὕτω καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν καὶ ἀγαπῶν, καὶ θέλων, καὶ ἑαυτοῦ ἐρῶν· αὐτὸς γάρ ἐστιν ἑαυτῷ ἐφετὸν, καὶ ἄκρον, καὶ ἀγαθόν. ἐξ ἑαυτοῦ τὴν ἑαυτοῦ προβάλλουσαν θέλησιν, ἢ ἀγάπην, ἢ ἔρωτα· ἃ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀναφορικῶς ἀνατιθέασιν οἱ διδάσκαλοι. Οὐ γὰρ ἂν τοῖς ἀγνοουμένοις (for. ἀρνουμένοις) τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀντεπῆγον, ὡς ἄλογον, καὶ ἀθελῆ τὸν θεὸν ὁμολογεῖν ἀναγκάζοντες, εἰ μὴ τὸν πατέρα νοῦν· τὸν δὲ υἱὸν λόγον· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, θέλησιν ἀναφορικῶς ἐβούλοντο λέγειν. καὶ ἐπεὶ ὅσον ἐστι τὸ ἀγαπώμενον, τοσαύτη καὶ ἡ ἀγάπη, ἢ ἡ θέλησις, ἴση καὶ αὐτὴ τῷ θεῷ, καὶ ἐξισάζουσα· καὶ δὴ καὶ ὁμοούσιον· ἐπεὶ οὐδὲν ἐν τῷ θεῷ συμβεβηκός· ταύτῃ τοῖ καὶ θεὸς ὁμολογεῖται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁμοούσιον, καὶ συναΐδιον πατρὶ, καὶ υἱῷ, οὐδέποτε γὰρ ἦν ἄλογος, καὶ ἀθελὴς ὁ θεός.

sanctus amor est, vel dilectio, vel *volitio* a Patre, et Filio sese invicem amantibus, ac volentibus producta, ad eosque comparata.

XIV. Præclare hoc etiam Anselmus exposuit in *Monologio*[1], dum Spiritus sancti originem explicat, quam indidem illustrat, quod Pater et Filius, hoc est unus et summus « Spiritus, uterque pariter sui, et alterius meminit, et se, et alterum intelligit, et quoniam omnino idipsum est, quod amat, vel amatur in Patre, et quod in Filio; necesse est, ut pari amore uterque diligat se, et alterum.» Porro[2] « si se tantum diligit, quantum sui meminit, et se intelligit; tantum autem sui memor est, et intelligit se, quanta est ejus essentia, quod aliter esse non potest; profecto tantus est amor ejus, quantus ipse est. » Quare cum « summæ essentiæ plures esse non possint, necesse est Patrem, et Filium, et utriusque amorem unam esse summam essentiam. »

Atque idem Anselmus capite octavo et quadragesimo, posteriorem origine, ac ratione Spiritum esse sanctum, quam Filium, significat eo ipso, quod ex intelligentia, et memoria amor iste nascitur. Non enim « ideo sui memor est, aut se intelligit, quia se amat; sed ideo se amat, quia sui meminit, et se intelligit. Nulla enim res amatur sine ejus memoria, et intelligentia; et multa tenentur memoria, et intelliguntur, quæ non amantur. Patet igitur, amorem summi Spiritus ex eo procedere, quia sui memor est, et se intelligit. »

Ex quo illud una declaratur, quod supra uberius enarravimus, quemadmodum a Patre Spiritus sanctus ἐμμέσως, id est, *medio interjecto* processerit; scilicet quoniam amor, vel dilectio non aliter ab mente proficiscitur, quam per notitiam, ac verbum illud interius, quo res amanda cognoscitur, ut ab eodem, quem paulo ante laudavi, Emmanuele Calecа his verbis exponitur, quæ superioribus illis statim adtexuit. « Ex quo sane et ea, quæ supra dicta sunt, simul apparent, quemadmodum Filius a Patre, nullo interposito medio, sicut ex mente Verbum, Spiritus vero sanctus a Patre, per Filium, sicut voluntatis actio, et dilectio, vel amor per verbum ab mente procedit. Impossibile est enim velle, aut amare, nisi per verbum, et præeunte verbo. Unde merito ex Verbo prodire dicitur [a]. » Ex quo etiam concludit idem priorem origine esse Spiritu sancto Filium; quod generatio prior sit, quam προβολή. Ideo hæc interjectam habet generationem; generatio vero ἄμεσος est, *sine ullo medio*. *Prolatio.*

XV. Ex his, quæ toto hoc capite disputata sunt, ea summa conficitur, Spiritum sanctum ex Patris, et Filii communi voluntate procedere, atque ex amborum dilectione, cujus veluti fructus est, ac terminus. Neque vero ex eo sequitur, liberam et cujusmodi creaturarum rerum est, istam ex voluntate processionem esse Spiritus sancti, sed naturalem ac necessariam. Quod inter alios Gregorius Nyssenus indicat in primo libro *adversus Eunomium*; ubi ordinem illum, qui inter personas reperitur, non arbitrarium, et certo Dei consilio constitutum ostendit; sed naturalem, uti cum ab igne calor existit: « Plurimum enim interest, ait, inter eorum finem, quæ ex proposito et deliberatione, et eorum, quæ sponte naturæ ex naturali quadam necessitate proveniunt. Cognatus est igni calor, splendor radio, fluor aquæ, lapidi motus deorsum, et ejusmodi plura percenseri possunt. Si quis vero domum ædificavit, aut magistratum iniit, aut in mercaturam profectus est, aut aliquid aliud eorum, quæ ex deliberatione, et mediata præparatione, suscipi solent, aggressus est, non licet proprie de eo dicere, rebus per illum actis cognatum ordinem inesse. Nam ex voluntate ejus, qui rem suscipit, et ex utilitate rei, quæ perficitur, ordo ab iis, qui singula agunt, inducitur [b]. » Hæc Nyssenus, contra id, quod hæreticus scripserat, esse quemdam

Summa eorum qu in hoc capite disputata sun

a Calecas. Ἐξ οὗ δὴ τὰ προειρημένα συναναφαίνεται· ὡς ὁ μὲν υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως, ὥσπερ ἐκ τοῦ νοῦ ὁ λόγος· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ· ὥσπερ ἡ θέλησις, καὶ ἡ ἀγάπη, καὶ ὁ ἔρως ἐκ τοῦ νοῦ διὰ τοῦ λόγου πρόεισιν. ἀδύνατον γὰρ θέλειν, ἢ ἀγαπᾶν, εἴ μη διὰ λόγου, καὶ προηγουμένου τοῦ λόγου. ὅθεν καὶ εἰκότως ἐκ τοῦ λόγου προέρχεσθαι λέγεται.

b Nyss. I *contra Eun.* Πλεῖστον γὰρ δήπου διενήνοχε τῶν τε ἐκ προβουλεύσεως, καὶ τῶν κατὰ τὸ αὐτόματον ἐκ φυσικῆς τινος ἀνάγκης ἀποβαινόντων τὸ πέρας. συμφυὴς ἐστι τῷ πυρὶ ἡ θερμότης, καὶ ἡ λαμπηδὼν τῇ ἀκτῖνι, καὶ τὸ ῥέειν τῷ ὕδατι, καὶ τῷ λίθῳ ἡ ἐπὶ τὸ κάτω φορὰ, καὶ πολλὰ τοιαῦτά ἐστιν εἰπεῖν. εἰ δέ τις οἰκίαν ἐδομήσατο, ἢ μετῆλθεν ἀρχὴν, ἢ ἐμπορίαν ἐστείλατο, ἢ ἄλλό τι τῶν ἐκ προβουλεύσεως, καὶ παρασκευῆς κατορθουμένων μετεχειρίσατο, οὐκ ἔστιν ἐπὶ τούτου κυρίως λέγειν, ὅτι συμφυής τις τοῖς παρ' αὐτοῦ πεπραγμένοις ἔπεστι τάξις. κατὰ γὰρ τὸ βούλημα τοῦ προαιρουμένου, καὶ κατὰ τὸ χρήσιμον τοῦ ἐπιτελουμένου πράγματος ἡ τάξις παρὰ τῶν τὰ καθέκαστον ἐνεργούντων ἐπάγεται.

1 Cap. XLIX et seq. — 2 Ibid. cap. L.

naturalem in personarum divinarum explicatione ordinem; quod nimirum, uti Patris opus esse Filium, ita Filii Spiritum sanctum, impie profiteretur. At Gregorius naturalem esse, minimeque liberum originis progressum illic asseverat. De quo et nos superiore libro disseruimus, cum eam quæstionem explicaremus, ecquid Pater Filium, et uterque Spiritum sanctum voluntate produxerint. Nam et de Spiritu sancto peculiare ibi aliquid attigimus.

XVI. Illud vero postremo in dubitationem venire potest, an non modo ex voluntate, et per voluntatem procedat Spiritus sanctus, sed etiam per intellectum perinde, ac Filius; non tantum eo modo, qui *materialis*, et *realis* in scholis dicitur, quatenus reipsa idem sunt intellectus, ac voluntas in Deo, sed *formali*, ut vocant, et qui κατ' ἐπίνοιαν a Græcis theologis appellatur. Inquirendi autem hæc esse causa justissima potest, quod antiquorum Patrum aliqui Spiritum sanctum sapientiam esse dixerunt, idque illi nomen tanquam personale tribuerunt, ut Irenæus libro IV, cap. XVII et disertius cap. XXXVII. « Quoniam autem, inquit, et Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud Deum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait, Deus sapientia fundavit terram; paravit autem cœlum prudentia; » et Theophilus Antiochenus, quemadmodum in primo libro, capite tertio jam dixisse memini; quod et apud Marium Victorinum occurrit. Quare cum sapientia mentis proprie sit fetus, ut in Verbo fieri cernimus; videtur etiam Spiritus sanctus paterna ex mente procedere. Verum Spiritus sanctus idcirco dici ab illis *sapientia* putandus est, quod ab illo sapientiæ donum in angelos hominesque diffunditur perinde, atque λόγος ab nonnullis appellari propterea dicitur, ut superiore libro docuimus, quod λογικοὺς, id est, *rationales* efficiat. Ita quoniam eximium illud, ac cœleste sapientiæ donum, qua donum est, et a Deo nobiscum singulari bonitate, et charitate communicatur, efficientiæ Spiritus sancti proprium est; ideo fons ipse sapientiæ, ut et donorum reliquorum, metonymice eodem illo vocabulo interdum afficitur. Possunt et aliæ causæ suppetere appellationis istius, velut quod sapientia, quæ donum Dei est, et humanæ, qualis erat in philosophis gentilibus, opponitur, cum amore Dei, et charitate conjungitur, uti sanctus Thomas[1] exponit. Quare eodem jure sapientia nominatur Spiritus sanctus, quo amor et charitas. Quod si naturam ipsam, proprietatemque sapientiæ spectes; cum ad intellectum pertineat, et sit cognitio quædam, peculiaris est ejus appellatio Dei Filio, atque Verbo; Spiritui vero non nisi extrinsece, et, ut ita dicam, *causative*. Nam « Sapientia, ut idem sanc. Thomas asserit[2], quæ est donum, causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem; sed essentiam habet in intellectu. »

CAPUT XIII.

Cur processio Spiritus sancti non sit generatio, et Spiritus ipse Filius. Plerosque Patrum vetare istud inquirere, et quatenus id fas esse negant. Novem causæ ex antiquis Patribus allatæ, cur non sit generatio. Prima, quæ ex instituto et usu id ortum putat. Secunda, Filium non esse Spiritum sanctum, quod hic processione, generatione Filius oriatur. Tertia, quod ex ore procedat. Quarta, quod ab duobus procedat. Quinta, quod immediate non procedat a Patre. Explicatur proprietas illa Spiritus sancti a quibusdam tradita, quod cum Filio, vel cum Principio *existat. Richardi Victorini perplexa ratio, quæ sexta numeratur. Septima Petri Abælardi, quod Filius ex Patris substantia oritur, non Spiritus sanctus, rejicitur, ac damnatur a Bernardo. Spiritum sanctum ex Patris esse substantia. Octava Augustini, quia Spiritus sanctus procedit, ut datus, non ut natus, illustratur. Nona ejusdem haud satis accurata.*

I. Spiritum sanctum a Patre, Filioque sic procedere, ut non extrinsecus factus, sed ex interiore substantia productus existat, satis est a nobis, ut potuimus, explicatum. Nunc illud investigandum est, cur non et ipse sit, appelleturque Filius. Hoc enim consectarium videtur illius originis, quæ οὐσιώδης, et *substantialis* dicitur; ut quidquid ab altero ex ipsius substantia oritur, gigni ab illo putetur. Atque hoc præsertim argumento hæretici usi sunt illi, qui Spiritus sancti divinitatem labefactare studuerunt, asserentes, nisi factus, et creatus a Deo ponatur Spiritus, evitari non posse, quin sit habendus Filius: « Si creatura non est, aiunt illi apud Athanasium, neque unus ex

1. Sanctus Thomas in secunda secundæ qu. XLV, art. 4.— Ead. qu., art. 3.

angelis, sed a Patre procedit; igitur et ipse Filius est, et duo sunt fratres, nimirum ille ipse Spiritus, et Verbum. Quod si frater est, quinam unigenitus est Verbum? Aut quomodo non erunt æquales; curve alter post Patrem genitus est, iste vero post Filium nominatur? Quomodo etiam, si ex Patre est, non et ipse genitus esse dicitur, nec Filius est, sed simpliciter Spiritus sanctus? Jam si est Filii Spiritus, avus ergo Pater erit Spiritus sancti[a]. » Pari protervia catholicis Maximinus Arianus insultat apud Augustinum[1] : « Cum enim et Spiritum sanctum, inquit, de substantia Patris esse dicatis, si Filius ex substantia Dei Patris est, de substantia Patris et Spiritus sanctus, cur unus Filius est, et alius non est Filius? Quid Spiritus vobis deliquit, cum ex eadem sit substantia, cum æqualis sit Filio, ut dicitis? » Vide et Didymum in calce operis *de Spiritu sancto*, idem argumentum exponentem; et Naz.[2] oratione XXXVII. Basilius vero dubitandi causam haud paulo vehementiorem ostendit[3], cum ex hæretici persona sic inquirit, « cur non Filius sit Filii Spiritus sanctus, cum illius sit imago, uti Patris est imago Filius[b]? » Ac non solum *imago* Filii, sed *verbum* etiam ejus appellatur a nonnullis Patribus, etsi minus hoc, quam illud frequenter; quod supra quarto capite demonstravimus. Quamobrem nihil omnino processioni Spiritus sancti deesse videtur, quominus vera, proprieque dicta sit generatio, adeoque Filius sit etiam Spiritus idem; quoniam ea generationis est conditio, ut sit origo substantialis, hoc est rei ex alterius substantia productæ, quæ sit ei natura, substantiaque similis, ut accurate libro superiore capite octavo disputavimus.

Processio S. Spiritus non est generatio.

II. Nihilominus Filium neque dici, neque esse Spiritum sanctum, neque ea productione, quæ generatio sit, originem habere, catholica sine ulla controversia fides docet, cum Scriptura et unum in Trinitate Filium, et eumdem unigenitum appellet. Sed propter rei subtilitatem, et secundæ præsertim, obscuritatem processionis, cujus nullam in creatis rebus similitudinem tenemus, difficile est ita discernere. Quare sæpe, ac diligenter hoc adversus Arianos, et Anomœos commendant veteres, Spiritum sanctum neque fratrem esse Patris, aut Filii, nec illius nepotem, neque alterius, aut utriusque Filium. « Furor est vel omnino cogitare, aut dicere (Athanasii verba sunt) de Filio, cum alicujus esse fratrem, aut Patri avi nomen imponere. Non enim in Scripturis Filius nominatus est Spiritus, ne frater esse putetur; neque Filius Filii, ne Pater esse avus existimetur. Sed Filius Patris Filius, et Spiritus Patris Filii dictus est Spiritus; atque ita sanctæ Trinitatis una divinitas est, et fides[c]. » Sic Epiphanius non uno in loco cavit, velut hæresi quarta et septuagesima[4], et in *Ancorato*. Augustinus libro *de Fide et Symbolo* : « Servant tamen Scripturæ sacræ ut non genitum Spiritum sanctum, tanquam Filium de Patre prædicent; unicus enim est Christus; neque de Filio, tanquam nepotem summi Patris; nec tamen id, quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia, ne duo constituamus principia sine principio. » Vide et Gregorium Nazianzenum, præsertim oratione septima et tricesima[5], quæ est *de Spiritu sancto*.

Cur Spir. processio non sit generatio intellectu difficillimum.

Hoc igitur in disputationem adducitur modo, quæ sit ratio, propter quam Spiritus sancti processio minime dicenda generatio sit, neque Filius ille nominetur; si tamen ea res vel in quæstionem deduci, vel humana comprehendi cogitatione, aut explicari oratione debet. Terrent enim nos veterum aliqui, qui rem tantam indagare velle, aut supra simplicem credulitatem assurgere, temeritatis, ac sacrilegii esse putant; adeoque nullam omnino causam afferri posse sentiunt.

Illud inquirere vetat Athanasius.

III. Athanasius imprimis paulo post illa, quæ citavimus verba, « Sufficit, inquit, hoc nosse, Spiritum sanctum non esse creaturam, neque inter opera numerari. Nihil enim alie-

a Athan. *ad Serap.* Εἰ μὴ κτίσμα ἐστὶ, μηδὲ τῶν ἀγγέλων εἷς ἐστιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· οὐκοῦν υἱός ἐστι καὶ αὐτός. καὶ δύο ἀδελφοί εἰσιν, αὐτός τε, καὶ ὁ λόγος. καὶ εἰ ἀδελφός ἐστι· πῶς μονογενὴς ὁ λόγος; ἢ πῶς οὐκ ἴσοι· ἀλλ' ὁ μὲν κατὰ τὸν πατέρα γεγέννηται, τὸ δὲ, μετὰ τὸν υἱὸν ὀνομάζεται; πῶς δὲ εἰ ἐκ τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ λέγεται, καὶ αὐτὸ γεγεννῆσθαι· ἢ ὅτι υἱός ἐστιν, ἀλλ' ἁπλῶς πνεῦμα ἅγιον; εἰ δὲ τοῦ υἱοῦ ἐστι πνεῦμα, οὐκοῦν πάππος ἐστὶν ὁ πατὴρ τοῦ πνεύματος. Vide et tomo II in epist. *ad Serap.*

b Basil. Ἀλλὰ λέγεις· εἰ θεοῦ μὲν εἰκὼν ὁ υἱὸς, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα, διὰ τί μὴ υἱὸς τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἴρηται;

c Athan. epist. *ad Serap.* Μανία ἄρα κἂν ὅλως ἐνθυμεῖσθαι, καὶ λέγειν, ἐπὶ μὲν υἱοῦ ἀδελφὸν· ἐπὶ δὲ πατρὸς τὸ πάππος ὄνομα. οὐδὲ γὰρ ὠνομάσθη ἐν ταῖς γραφαῖς υἱὸς τὸ πνεῦμα, ἵνα μὴ ἀδελφὸς νομισθῇ. οὐδὲ υἱὸς τοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ πάππος νοοῖτο ὁ πατήρ. ἀλλὰ υἱὸς τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς, τοῦ υἱοῦ πνεῦμα εἴρηται. καὶ οὕτω τῆς ἁγίας τριάδος μία ἡ θεότης, καὶ πίστις ἐστίν.

1 Lib. I *contra Maxim.* — 2 Nazianz. orat. XXXIII. — 3 Lib. V *contra Eun.* — 4 Num. 12. — 5 Cap. IX.

num Trinitati commiscetur; sed indivisa est, sibique similis. Hæc sufficiunt fidelibus, hucusque humana pertingit cognitio; hucusque cum ventum est, Cherubim pennis obvelant faciem ejus. Qui autem plura istis inquirit, et perscrutari cupit, male obtemperat dicenti : *Ne nimium sis sapiens, ne obstupescas*. Nam quæ fide tradita sunt, hæc non humana sapientia, sed auditu fidei percipienda sunt. Quæ enim oratio pro merito possit ea declarare, quæ creatam naturam superant? aut quis auditus omnino intelligere potest ea, quæ nec audire fas est hominibus, nec eloqui [a] ? » Sic Basilius « modum processionis illius inexplicabilem [b] » esse dicit. « Nam si rationem inquiris, ait Gregorius Nazianzenus [1], quid iis relinques, quos solos cognoscere invicem, et a seipsis cognosci Scriptura testatur; aut iis etiam nostrum, qui postea divinitus illuminabuntur [c] ? » Sed et Basilius idem in oratione *contra Sabellianos* : « Filius a Patre per generationem; Spiritus vero ex Deo modo arcano, et ineffabili [d]. » Qui et paulo ante superbos hæreticos importunius instantes, quærentesque, cujusmodi tandem esset illa processio Spiritus sancti, cum neque ἀγέννητος sit, neque γεννητός, ea ratione compescit, quod, cum tam multa ignoremus eorum, quæ ante nos sita sunt, sine ullo pudore illic inscitiam nostram fateri debeamus [e].

genitus neque enitus.

Quibus consentaneum est illud Cyrilli, qui in paschali duodecima, simplici nos credulitate contentos inquirere ultra prohibet : « Accede, inquit, per fidem; esse quidem, et existere, et universis dominari, assentiens, et agnoscens; ultra hos vero veluti terminos humanæ facultati constitutos mentem progredi, ut moderatum hominem decet, minime permittens [f]. » Quippe ut idem alio in loco scribit, « quæ nostram intelligentiam, et sapientiam superant, nullo modo curiositate, sed fide sola veneranda sunt [g]. »

Damascenus, cum solum Filium dixisset esse genitum, ut qui paterna e substantia prodierit, de Spiritu mox, « Et solum, inquit, Spiritum sanctum, qui procedit e substantia Patris, non genitum, sed procedentem, ita decente Scriptura sacra ; adeo ut modus ille generationis, et processionis comprehendi nequeat [h]. » Quin sequenti capite longe apertius : « Et generationis quidem, ac processionis esse aliquod discrimen, didicimus; at quis sit discriminis modus, nequaquam didicimus [i]. » Quod et Nicetas amplectitur [2].

IV. Non dissimilis est Augustini moderatio [3], qui in tertio *contra Maximinum Arianum*, capite quartodecimo, sciscitanti illi, cur, cum de substantia Patris ambo sint, « unus Filius sit, et alius non sit Filius, » nihil præter hoc respondet : « Ecce respondeo, sive capias, sive non capias. De Patre est Filius; de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit. » Ac subinde : « Quid autem inter nasci, et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Non omne,

Eadem Augustini moderatio.

a Athan. Ἀρκεῖ γινώσκειν ὅτι μὴ κτίσμά ἐστι τὸ πνεῦμα, μηδὲ τοῖς ποιήμασι συναριθμεῖται. οὐ γὰρ ἀλλότριον ἐπιμίγνυται τῇ τριάδι, ἀλλ' ἀδιαίρετός ἐστι καὶ ὁμοία ἑαυτῇ. Ἀρκεῖ ταῦτα τοῖς πιστοῖς. μέχρι τούτων ἐν ἀνθρώποις ἡ γνῶσις φθάνει. ἕως τούτων τὰ Χερουβὶμ καλύπτει ταῖς πτέρυξιν. ὁ δὲ περιττὰ τούτων ζητῶν, καὶ θέλων ἐρευνᾷν, παρακούει τοῦ λέγοντος· μὴ σοφίζου πολλὰ· ἵνα μὴ ἐκπλαγῇς· τὰ γὰρ πίστει παραδοθέντα ταῦτα οὐκ ἐν ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ· ἀλλ' ἐν ἀκοῇ πίστεως διανοεῖσθαι πρέπει. ποῖος γὰρ ὁ λόγος ἐπαξίως διερμηνεῦσαι δυνήσεται τὰ ὑπὲρ τὴν γενητὴν ὄντα φύσιν; ἢ ποία τις ὅλως ἀκοὴ συνιέναι δύναται, ἃ μὴ ἔξεστιν ἀνθρώποις μήτε ἀκούειν, μήτε λαλεῖν;

b Basil. lib. *de Sp. sancto*, cap. xviii. Τῆς μὲν οἰκειότητος δηλουμένης ἐντεῦθεν· τοῦ δὲ τρόπου τῆς ὑπάρξεως ἀῤῥήτου φυλασσομένου.

c Gregor. Nazianz. Εἰ δὲ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖς, τί καταλείψεις τοῖς μόνοις γινώσκειν ἄλληλα, καὶ γινώσκεσθαι ὑπ' ἀλλήλων μαρτυρομένοις, ἢ καὶ ἡμῶν τοῖς ἐκεῖθεν ἐλλαμφθησομένοις ὕστερον.

d Basil. Ἀλλ' ὁ μὲν υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς γεννητῶς. τὸ δὲ πνεῦμα ἀῤῥήτως ἐκ τοῦ θεοῦ.

e Basil. ibid. Εἰ δὲ πολλὰ ἀγνοεῖς, καὶ μυριοπλάσια τῶν ἐγνωσμένων ἐστὶ τὰ ἀγνοούμενα, τί οὐχὶ μετὰ πάντων καὶ περὶ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν ἀκίνδυνον ἄγνοιαν ἀναπαισχύντως ὁμολογεῖς;

f Cyril. *Paschali* epist. xii. Πρόσιθι διὰ πίστεως, ὅτι μέν ἐστι, καὶ ὑπάρχει, καὶ τῶν ὅλων κρατεῖ, συναινῶν τε, καὶ συντιθέμενος· ἐπέκεινα δὲ ὥσπερ τῶν τῆς ἀνθρωπότητος μέτρων ἰέναι τὸν νοῦν σωφρόνως οὐκ ἐφιείς.

g Idem, *Pasch.* VIII. Τὰ γὰρ ὑπὲρ νοῦν, καὶ σύνεσιν τὴν ἐν ἡμῖν, περιεργίᾳ μὲν οὐδαμῶς, πίστει δὲ μόνῃ θαυμάζεται. Vide Chrys. hom. lxxii *de Sp. sancto*, et Athan.

h Damasc. lib. I, cap. ix. Καὶ μόνον τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐκπορευόμενον· οὕτω τῆς θείας διδασκούσης γραφῆς· τοῦ τρόπου τῆς γεννήσεως, καὶ τῆς ἐκπορεύσεως ἀκαταλήπτου ὑπάρχοντος.

i Idem, cap. x. Καὶ ὅτι μέν ἐστι διαφορὰ γεννήσεως, καὶ ἐκπορεύσεως μεμαθήκαμεν· τίς δὲ ὁ τρόπος τῆς διαφορᾶς, οὐδαμῶς.

1 Orat. xxiii. — 2 Lib. III *Thes.* cap. x. — 3 Vide et Append. Tract. vi *de Spec.* cap. xxvii.

quod procedit, nascitur; quamvis omne procedat, quod nascitur. Sicut non omne, quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Hæc scio. Distinguere autem inter illam generationem, et hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio. » Vide et quintumdecimum ejus *de Trinitate* librum, capite septimo et vicesimo, et tractatum XCIX *in Joannem*.

Verum non sic ea veterum interpretanda cautio est, quasi nulla omnino, pro humano captu, investigari ratio possit; aut ea de re disputare sit nefas, ac, præter simplicem credulitatem, nihil ad illam illustrandam afferre quemquam oporteat. Sed hoc unum evitandum esse significant, ne nos liquido ista percipi, comprehendique putemus posse; quod ipsum et in Filii tractanda generatione suo loco demonstravimus. Atque ita Cyrillus in paschali duodecima, qui hanc ipsam generationem ne angelis quidem cognitam esse dicit. Nihil itaque nos prohibet, quin consentaneum aliquid, ac probabile reperiamus, siquidem possumus, quod explicandæ, et utcumque patefaciendæ rei tantæ serviat. Nam et veteres iidem illi, qui ab inquirenda ejusmodi ratione deterrere videntur, non solum causam aliquam interdum afferunt, propter quam et « Filius nascendo procedit, et Spiritus sanctus procedendo non nascitur, » ut auctor libri *de Speculo* loquitur[1]; sed eam variam etiam adducunt, ac multiplicem. Ut de recentioribus e schola theologis nihil hoc loco dicam, qui in hac quæstione, quam merito abstrusissimam, difficillimamque judicant, tanta dissensione versantur, vix ut unus cum alterius opinione congruat. Sed ut, his prætermissis, antiquorum tantummodo placita referamus, omnis quæ in illorum scriptis rationum varietas continetur, ad decem fere capita revocari potest, quæ hoc ordine percensebimus.

V. Primo itaque loco commemorandi sunt illi, qui cur Spiritus sanctus Filius dici non debeat, non originis proprietati, sed usui, et instituto quodammodo tribuunt, tanquam alioquin ex sese Filius appellari potuerit. Basilius in quinto *contra Eunomium* præ se aliquid ejusmodi ferre videtur. Cum enim inquireret, quare Spiritus non sit Filii Filius; causam ita reddit : « Non quia non est ex Deo per Filium, sed ut ne Trinitas infinita multitudo putetur, ac filios ex filiis, ut in hominibus usuvenit, eam habere suspicetur aliquis[a]. » Tum instat rursus ipse sibi, « cur, cum imago sit Patris Filius, Filii Spiritus sanctus, non hic Filius sit Filii. » Ad quod ille respondens[b], primum hæreticum redarguit, qui Filii appellatione indignum esse velit Spiritum illum, cujus beneficio filii Dei appellantur cæteri. Sed insistenti demum, cur ergo Filii nomine careat; exceptione sic occurrit; cur item, cum adoptivi per eum plures fiant filii, non et ipse adoptivus dicatur filius? Ac postremo rationem hanc affert; idcirco non vocari Filium in sacris Litteris, « quod, si ita nominaret, Trinitatem deitatis in suspicionem multitudinis apud audientes homines adduxisset. Facile enim esset opinari, si Filius e Filio natus sit, etiam ab isto alium esse genitum, et ab hoc rursus alterum, et ita plures deinceps esse genitos[c]. » Ob id Apostolum, ait, cum Spiritum a Deo esse doceret, Filii abstinuisse vocabulo, ut et Pater unicus, et singularis in Trinitate Filius intelligatur. Quem Basilii locum notavit Bessario capite VI *Libri dogmatici*[2]; et adversus Græcorum errorem magnum pondus habere docuit.

1° Spiritus non debet dici Filius quia hoc abusu abhorret.

Didymus quoque[3], cum hoc hæreticorum argumentum adduxisset, « Si Spiritus sanctus creatus non est, aut frater est Dei Patris, aut patruus est unigeniti Jesu Christi, aut Filius Christi est, aut nepos Dei Patris, aut ipse Filius Dei est, et jam non erit unigenitus Dominus Jesus Christus, cum alterum fratrem ha-

a Basil. V *contra Eunom.* Ὅτι οὐ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐκ θεοῦ δι' υἱοῦ. ἀλλ' ἵνα ἡ τριὰς μὴ νομισθῇ πλῆθος ἄπειρον, υἱοὺς ἐξ υἱῶν, ὡς καὶ ἐν ἀνθρώποις ἔχειν ὑποπτευθεῖσα. Ἀλλὰ λέγεις· εἰ θεοῦ μὲν εἰκὼν ὁ υἱὸς, υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα, διὰ τί μὴ υἱὸς τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα εἴρηται;

b Ibid. Ἐπεὶ οὖν ἀνάξιόν σοι φαίνεται τοῦ υἱοῦ προσηγορίας, ὡς ἀλλότριον υἱοῦ, καὶ πατρὸς, σκέψαι πῶς υἱοὺς ἀπεργάζεται τοὺς ἁγιαζομένους. εἰ σὺ διὰ τοῦ πνεύματος υἱὸς θεοῦ, πῶς τὸ πνεῦμα ξένον υἱότητος;

c Ibid. Λέγομεν οὖν ὅτι τὸ εἰπεῖν υἱὸν ἐξ υἱοῦ, τὴν τριάδα τῆς θεότητος εἰς πλήθους ὑποψίαν προσῆγεν ἀνθρώποις ἀκούσασιν· ἕτοιμον γὰρ ἦν ὑπολαβεῖν ὡς εἴπερ υἱὸς ἐξ υἱοῦ γεγέννηται, καὶ ἐκ τούτου πάλιν ἕτερος ἂν εἴη γεγεννημένος, καὶ πάλιν ἄλλος, καὶ ἐπὶ πλῆθος ἑξῆς.

' Grave præjudicium habet argumentatio ex his Basilii textibus deducta, cum hi libri IV videlicet et V adversus Eunomium ab eruditis, ut sæpe monuimus, tanquam dubii Basilii fetus habeantur. J.-B. F.

1 Append. tom. IX Aug. cap. XXVII. — 2 In Sess. XXV conc. Flor. — 3 In fine operis *de Spiritu sancto*.

beat, » nullam aliam differentiæ utriusque nominis rationem affert, quam Scripturæ auctoritatem : « Cum igitur, inquit, sancta Scriptura amplius de Trinitate non dicat, nisi Deum Patrem esse Salvatoris, et Filium generatum esse a Patre, hoc tantummodo debemus sentire, quod scriptum est. »

VI. Theodoretus præterea dialogo tertio, Spiritum propterea neque genitum appellari, neque Filium ait, tametsi ex Deo Patre sit perinde, ac Filius, quod nusquam in sacris Litteris proditum fuerit [a]. Nec abludit Isidorus Hispalensis in septimo *Originum*, cum ita scribit : « Spiritus sanctus ideo non dicitur genitus, ne duo in Trinitate filii suspicentur. Ideo non prædicatur ingenitus, ne duo patres in ipsa Trinitate credantur. » Quæ Rhabanus in primum *de Universo* transtulit [1]. Quasi sola appellatio, non autem procedendi proprietas ipsa discrimen faciat, plane eo modo, quo de personæ vocabulo sensit Augustinus [2], magis usu quodam, ac veluti pacto, et instituto, quam notionis ejus conditione factum esse, ut ad id, quod in divinitate proprium est, significandum adhiberetur potius, quam commune, cum hoc alioqui declarare posset non minus, quam illud, ut in quarto libro disputavimus [3]. Quin Augustinus idem alio in loco existimasse videtur, Filium alium potuisse generare Filium. Sic enim contra Maximinum Arianum disserit [4] : « Absit autem, ut, quomodo putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit; sed non oportuit. Immoderata enim esset divina generatio, si genitus filius nepotem gigneret patri, quia et ipse nepos, nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sententiam, impotens diceretur, etc. Sed hæc Patrum illorum dicta benigne par est interpretari, non ut Spiritum sanctum eadem processione, qua Filius existit, produci putaverint, sed quod veram, ac nativam utriusque differentiam humani capere ingenii tenuitas non possit, eo solo genere contenti responsionis esse maluerunt, quo hæreticorum inanem, ac temerariam interrogationem eluderent. Neque enim ignorabant diversam esse productionem illam, quæ generatio dicitur, ab ea, quæ ἐκπόρευσις vocatur, etsi discrimen ambarum haud satis cognoscerent.

Quocirca causam hanc nonnulli distinctius reddiderunt, cur Spiritus sanctus non sit Filius, Verbum autem et Filius sit, et unigenitus ; quod hic generatione, ille processione a Patre prodeat. Sed non ultra progressi sunt, ut utriusque proprietatem originis explicarent.

VII. Igitur secundo loco memorandi sunt ii Patres, qui productionum ambarum discrimen universe tantum, ac solis earum nominatis vocabulis expresserunt, omisso eo, quid sit, in quo diversitas illa consistat. Gregorius Nazianzenus oratione nona et tricesima, quæ est *In sancta lumina*, « Spiritus, inquit, sanctus vere est Spiritus, procedens quidem ex Patre, non tamen Filii more; neque enim generatione, sed processione [b]. » Et oratione vicesima tertia, « Proprium est, inquit, Patris quidem, ut sit ingenitus; Filii, quod genitus; Spiritus sancti, quod procedat. Quod si modum requiris, quid iis relicturus es, quos solos mutuo se cognoscere, atque a se mutuo cognosci Scriptura testatur [c] ? »

IIª quia Filius generatur, Spiritus procedit.

Atque in tricesima septima [5], quæ est *de Sancto Spiritu*, luculentam ea de re orationem explicat. Cum enim inter τὸ ἀγέννητον, et τὸ γεννητὸν medium esse dixisset τὸ ἐκπορευτόν, quæ proprietas est personæ tertiæ, ita deinde quærit : « Quæ est igitur hæc processio ? inquies. Dic tu, quid sit Ingenitum in Patre, et ego Filii generationem, et Spiritus processionem explicare aggrediar, ut insaniamus ambo in Dei mysteria oculos injicientes, idque qui tandem ? Nempe ii, qui nec ea, quæ ante pedes sunt, scire possumus [d]. » Tum, paucis

Ingenitum et genitum med... procedens.

a Theodor. Ὀρθοδ. Ἐπειδὴ τοίνυν συνομολογοῦμεν ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς εἶναι καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα· τολμήσαις ἄν ποτε υἱὸν ὀνομάσαι τὸ πανάγιον πνεῦμα ; Ἐρα. Οὐδαμῶς. Ὀρθο. Διὰ τί ; Ἐρα. Ἐπειδήπερ οὐχ εὑρίσκω τόδε τὸ ὄνομα παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ. Ὀρθ. Ἀλλὰ γεγεννημένον ; Ἐρα. Οὐδὲ τοῦτο. Ὀρθ. Τοῦ δὲ χάριν ; Ἐρα. Οὐκ ἐδιδάχθην οὐδὲ τοῦτο, παρὰ τῆς θείας γραφῆς.

b Nazianz. Πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς πνεῦμα, προϊὸν μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς, οὐχ υἱκῶς δέ. οὐδὲ γὰρ γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς.

c Idem. Ἴδιον δὲ πατρὸς μὲν ἡ ἀγεννησία· υἱοῦ δὲ ἡ γέννησις· πνεύματος δὲ, ἡ ἔκπεμψις. εἰ δὲ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖς τοῖς μόνοις γινώσκειν ἄλληλα, καὶ γινώσκεσθαι ὑπ' ἀλλήλων μαρτυρουμένοις ;

d Idem : Τίς οὖν ἡ ἐκπόρευσις ; εἰπὲ σὺ τὴν ἀγεννησίαν τοῦ πατρὸς, κἀγὼ τὴν γέννησιν τοῦ υἱοῦ φυσιολογήσω, καὶ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ πνεύματος· καὶ παραπληκτήσομεν ἄμφω εἰς θεοῦ μυστήρια παρακύπτοντες. καὶ ταῦτα τίνες ; οἱ μηδὲ τὰ ἐν ποσὶν εἰδέναι δυνάμενοι.

1 Cap. iii. — 2 Lib. VII *de Trin.* cap. iv. — 3 Cap. x. — 4 Tom. VI, lib. III *cont. Max.* cap. xii. — 5 Vide et orat. xxxv.

interjectis : « Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest, ad hoc, ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuæque eorum habitudinis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc, ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio) nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc, ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. Sed hæc defectum procul dubio non arguunt, nec essentiæ submissionem ; quin potius ex his verbis, quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur[a]. »

Sic auctor *Expositionis fidei*, quæ Justino adscribitur : « Eamdem quoque notionem et de Spiritu sancto tenemus. Nam sicut Filius ex Patre, ita et Spiritus, excepto quod existentiæ modo differentia quædam intercedit. Nam ille lumen de lumine per generationem eluxit ; hic vero lumen et ipse de lumine, non tamen per generationem, sed processione prodiit[b]. »

Fulgentius in libro *de Fide* ad Petrum Diaconum[1], « Quia igitur aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque est procedere, quam genuisse, vel natum esse ; manifestum est, quoniam alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. »

Sic Isaac ex Judæo Christianus, antiquus scriptor in libro *Fidei*, singularum personarum proprietates diligenter exponens, Spiritum sanctum eo solo a duobus discerni reliquis ait, « quod nec factus, nec genitus, sed innatus ex patre est. In his ergo tribus hæc sunt proprietatis ; quia nec factus, nec genitus, nec natus est ; sed ex aliquo, hoc est ex Patre. » Quam illius sententiam refert Gennadius in *Catalogo scriptorum sacrorum*. Sic Epiphanius in *Ancorato* nullam aliam causam reddit, nisi vocabulum ipsum τῆς ἐκπορεύσεως.

VIII. Tertio loco recensendi sunt, qui distinctius aliquid expromentes, cujus gratia Spiritus sanctus minime sit Filius, vel, quod idem est, ejus processio non sit generatio ; rationem hanc reddunt, quod Spiritus sanctus ex ore procedat ; idque χαρακτηριστικὸν ejus esse volunt. Habet hoc præ cæteris Basilius in quinto *adversus Eunomium*, cujus eximia sunt verba, et hoc loco memoranda. « Neque enim ad cognoscendum, inquit, ex Deo esse Spiritum, minus quid habituri eramus, cum oris spiritum audiremus. Sufficit enim nomen ipsius ad significandam existentiam ejus ex Deo. Neque enim Filius, nec generatio Deitatis proprium est ; sed ex humana ductum similitudine, ex qua etiam sumpta est spiritus appellatio. Hac ergo in Dei Spiritu divina Scriptura usa est, aliter hoc, quod ex Deo est, esse declarans ; quoniam non oportebat eadem hunc explicare similitudine, uti dictum est[c]. » Ac subinde. « Gignit Deus, non perinde ut homo ; gignit autem vere, et quod gignitur, edit ex se verbum, non utique humanum ; edit autem revera verbum ex seipso, et emittit Spiritum per os, non humano modo, quandoquidem neque os Dei corporeum est ; ex ipso autem Spiritus, non aliunde. »

IIIª quia Spiritus ab ore procedit.

Characteristicum.

Præter hoc alia tam ejusdem Basilii, quam aliorum Patrum testimonia supra descripsimus ; quæ proprietatem illius processionis eo

a Nazianz. Τί οὖν ἐστι, φησὶν, ὃ λείπει τῷ πνεύματι, πρὸς τὸ εἶναι υἱόν; εἰ γὰρ μὴ λεῖπόν τι ἦν, υἱὸς ἂν ἦν. οὐ λείπειν φαμέν· οὐδὲ γὰρ ἐλλιπὴς θεός. τὸ δὲ τῆς ἐκφάνσεως, ἵν' οὕτως εἴπω. ἢ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν καὶ τὴν κλῆσιν πεποίηκε. οὐδὲ γὰρ τῷ υἱῷ λείπει πρὸς τὸ εἶναι πατέρα· οὐδὲ γὰρ ἔλλειψις ἡ υἱότης· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο πατήρ. ἢ οὕτω γε καὶ τῷ πατρὶ λείψει τι πρὸς τὸ εἶναι υἱόν· οὐ γὰρ υἱὸς ὁ πατήρ. ἀλλ' οὐκ ἐλλείψεως ταῦτα· πόθεν; οὐδὲ τῆς κατ' οὐσίαν ὑφέσεως. αὐτὸ δὲ τὸ μὴ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ γεγεννῆσθαι, καὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι, τὸν μὲν, πατέρα, τὸν δὲ υἱὸν, τὸν δὲ, τοῦθ' ὅπερ λέγεται, πνεῦμα ἅγιον προσηγόρευσεν.

b Justinus. Τὴν αὐτὴν δὲ γνῶσιν καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατέχομεν, ὅτι ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα· πλήν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει. ὁ μὲν γὰρ φῶς ἐκ φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε. τὸ δὲ φῶς μὲν ἐκ φωτὸς καὶ αὐτὸ, οὐ μὴν γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς προῆλθεν.

1 Cap. I. — 2 Cap. XXVI. — 2 Cap. II.

c Basil. V *contra Eun.* Οὐδὲ γὰρ ἔλαττόν τι ἕξειν ἐμέλλομεν εἰς τὸ γινώσκειν τὸ πνεῦμα ὑπάρχον ἐκ θεοῦ, τὸ πνεῦμα τοῦ στόματος τοῦ θεοῦ ἀκούντες. ἱκανὸν γὰρ αὐτὸ τὸ ὄνομα τὴν ὕπαρξιν αὐτοῦ δηλῶσαι τὴν ἐκ θεοῦ. οὐδὲ γὰρ υἱὸς, οὐδ' ἡ γέννησις ἴδιον θεότητος, ἀλλ' ἐξ ἀνθρωπίνης ὁμοιώσεως ἀνῆκται. ὁμοίωσις δὲ καὶ ἡ τοῦ πνεύματος πρόσρησις. ταύτῃ τοίνυν ἐπὶ τοῦ θεοῦ πνεύματος ἡ θεία γραφὴ κέχρηται. ἑτέρως τὸ ἐκ θεοῦ παραστήσασα· ἐπειδή περ οὐκ ἐχρῆν διὰ τῆς αὐτῆς ὁμοιώσεως, καὶ τοῦτο δηλοῦν, ὥσπερ εἴρηται.

Ac paulo post : Γεννᾷ θεὸς οὐχ ὡς ἄνθρωπος· γεννᾷ δὲ ἀληθινῶς, καὶ τὸ γέννημα ἐξ αὐτοῦ ἐκφαίνει λόγον, οὐκ ἀνθρώπινον, ἐκφαίνει δὲ λόγον ἀληθῶς ἐξ ἑαυτοῦ, καὶ ἐκπέμπει πνεῦμα διὰ στόματος, οὐχ οἷον ἀνθρωπίνως, ἐπεὶ μηδὲ στόμα θεοῦ σωματικὸν, ἐξ αὐτοῦ γε τὸ πνεῦμα, καὶ οὐχ ἑτέρωθεν.

solo definiunt, quod ex ore prodierit Spiritus sanctus, ex quo flatus, et halitus similitudine declarari illius origo consuevit, ut proxime antecedenti capite disseruimus. Sed nondum liquido satis processionis illius proprietas constat, nisi quid oris ista similitudo velit, explanatius, uberiusque demonstrent, quod plerique non faciunt.

IV[a] quia on a solo Patre procedit.

IX. Igitur quarta est illorum ratio, et ea quidem enucleatior, qui propterea non esse Filium aiunt, nec generari Spiritum, quod non ab solo Patre, sed ab eo simul, ac Filio procedat. Nam Filium idcirco dici, ac generari putant, quod *solus*, et *unigeniti more*, hoc est μονος, et μονογενῶς oriatur a Patre. Ita Basilius[1] imprimis, et ejus frater Nyssenus Gregorius[2], quorum sententias attulimus, illustravimusque capite nono. Hi enim solo hoc discrimine Filium a Spiritu sancto discerni, et hypostaticis iisce notis personas illorum constitui censent. Epiphanius item in *Ancorato*, hæreticorum cavillationi isti, qua, ut supra memini, Spiritum sanctum filii appellatione censendum esse dicebant, siquidem existat e Patre, non aliud objicit, quam Filium a Deo appellari eum, qui ex se ortus sit, Spiritum sanctum, qui ex ambobus. Augustinus vero eam ipsam disertius explicat in quinto decimo *de Trinitate:* « Quomodo ergo non absurdissime, inquit, filius diceretur amborum, cum, sicut filio præstat essentiam, sine initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de Patre generatio ; ita Spiritui sancto præstet essentiam, sine ullo initio temporis, sine ulla mutabilitate naturæ de utroque processio[a]. » Et in sequenti capite, postquam exposuit, quemadmodum a quo habet Filius, ut sit, ab eo etiam habeat, ut producat Spiritum sanctum, ista subjicit : « Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus ; quoniam, si et ipse Filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, et matris. Absit autem, ut inter Deum patrem, et Deum Filium aliquid tale suspicemur ; quia nec filius hominum simul ex matre et patre procedit : sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre ; et cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam ; sed simul de utroque procedit, quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. » Quem locum auctor opusculi *de Trinitate*, *et unitate Dei* transtulit in caput libri tertium. Eamdem rationem reddit et in tertio libro *contra Maximinum* Augustinus[5].

X. Paschasius Diaconus libro primo *de Spiritu sancto* non aliter sentit. Sic enim scribit : « Quid est autem, quod ex Deo Patre nasci Filius dicitur, et Spiritus sanctus procedere significatur ? Si requiras, quid inter nascentem, et procedentem distet ; evidenter hoc interest, quia iste ex uno nascitur, ille ex utroque progreditur ; » quem locum Rathramnus monachus citat in secundo libro *adversus Græcos*.

Isidorus itidem Hispalensis in septimo *Originum*, « Hoc autem interest, ait, inter nascentem Filium, et procedentem Spiritum sanctum, quod Filius ex uno nascitur, Spiritus sanctus ex utroque procedit. » Quæ verba Rhabanus sola in librum primum *de Universo* transtulit[7]. Sed et Hugo Victorinus in libro *de Sacramentis*, Spiritum sanctum ait ideo Filium non esse, quia ab utroque est, « ne duo sint patres unius Filii, et pater, qui Filius diceretur, et confunderetur Trinitatis discretio. » Et alio in loco[9] : « Non est Spiritus sanctus genitus, quia cum sit a Patre, et Filio, si genitus esset, jam haberet duos patres, et sic in Trinitate esset confusio, in qua et duo patres, et duo Filii essent. » Sed hæc ratio, si eam paulo consideremus attentius, nihil, præter appellationis novitatem, et insolentiam, opponit ad eludendam inquisitionem. Neque enim illud explicat, quod necesse profecto videtur, cur qui a duobus procedit, non perinde dici duorum filius debeat, ut unius est filius, qui ab uno oritur. Nam quod additum est ab Augustino, neminem a duobus productum appellari filium, nisi eodem tempore ab utroque gignatur, id non magnam vim habet ; primum quia Filii generatio, quocumque tempore fit, a patre utique fit, et ab eo procedere dicitur, etiam cum a matre

a Epiph. in *Ancor*. Ἀλλ᾽ ἐρεῖ τις· οὐκοῦν φαμὲν δύο εἶναι υἱούς. καὶ πῶς μονογενής ; μενοῦν γε σὺ τίς εἶ ἀντιλογιζόμενος τῷ θεῷ ; εἰ γὰρ υἱὸν καλεῖ τὸν ἐξ αὐτοῦ· τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα τὸ παρ᾽ ἀμφοτέρων, ἃ μόνον πίστει νοούμενα ὑπὸ τῶν ἁγίων, etc.

1 Epist. xliii. — 2 Lib. XI *cont. Eun.* edit. Gret — 3 Cap. xxvi et tr. xcix *in Joan.* — 4 Tom. IV Aug. in Append. — Cap. xiv, tom. VI.— 6 Cap. xii, tom. IX *Bibl. Patr.*— 7 Cap. iii. — 8 Par. III c. xxiii et xxvi. — 9 In *Sum. sent.* tr. i, c. vii.

procedit; ut in physicis disputationibus a philosophis traditur. Deinde quod, ut aliis in rebus, sic in eo diversa quædam, et propria divinæ processionis esse conditio potest; ut quemadmodum non sic gignitur a Patre Deo Filius, quomodo filius homo ab homine patre producitur, etsi uterque proprie gigni dicatur et esse filius; sic a duobus perinde gigni putetur Spiritus sanctus, et amborum esse filius, quamvis non eumdem, qui in homine est, de utroque nascendi modum habeat.

V° quia, juxta Græcos, non immediate a Patre procedit.

XI. Quocirca causa huic altera, quæ et numerari quinta potest, a Græcis fere theologis adjungitur: ideo nec gigni Spiritum, nec esse Filium, quia sic ab ambobus existit, ut a Patre non ἀμέσως, id est, *immediate* producatur. De quo processionis genere dictum est antea copiosius. Eodemque pertinet, quod iidem illi usurpare Græci solent, Spiritum sanctum a Patre διὰ τοῦ υἱοῦ, *per Filium* existere. Quoniam igitur uterque de substantia quidem Patris est, sed Verbum προσεχῶς, id est *proxime*, interjectoque nullo, Spiritus vero διὰ τοῦ προσεχῶς, per eum, qui proxime oritur, existit, idcirco Filium alterum esse; alterum minime esse, dicique sentiunt.

Tradit hoc amborum discrimen Gregorius Nyssenus in libro *ad Abladium*, in quo tres deos non esse demonstrat. Ibi enim cum dixisset personas eo solo differre invicem, quod vel principium sint, vel a principio, sic deinde pergit: « Et ejus, quod est ex principio, rursus aliud discrimen intelligimus. Nam aliud proxime est a primo; aliud per id, quod proxime est a primo; adeo ut et Unigeniti proprietas sine ulla controversia maneat in Filio, neque dubium sit, quin ex Patre Spiritus existat, cum ipsa Filii interpositio et Unigeniti conditionem et conservet, et Spiritum ab naturali, quam ad Patrem habet, habitudine non excludat [a]. »

Et in primo *adversus Eunomium* Spiritum sanctum ait a Filio discrepare, quod neque « Unigeniti modo ex Patre subsistit, et quod per ipsum Filium prodiit [b]. » Quæ Gregorii loca citantur, illustranturque plurimum ab iis, qui contra populares suos scripserunt, Græcis eruditis, ut Emmanuele Caleca [1], Bessarione [2], Gennadio [3], Becco [4]. Qui omnes, ac præsertim postremus iste multis veterum Patrum adductis testimoniis affirmat propriam hanc esse notam Spiritus sancti, quæ eum ab Filii proprietate, ac generationis excludit, quod a Patre per Filium existat. Quod usque eo Calecas defendit, ut non dubitet Spiritum sanctum, si non interjecto Filio, ac per eum a Patre procederet, reipsa futurum Filium. « Proprietas, inquit, Spiritus est, ut jam diximus, ex Patre procedere per Filium, sive a primo per medium existere. Ac propter hanc progressionem dicitur procedere. Nam Filius esset, si a Patre, nullo interposito, prodiret. Quippe hoc ipsum, a Patre immediate esse, proprietas est Filii [c]. »

XII. Ad eamdem sententiam, causamque revocatur ea, quam Basilius aliis verbis expressam attulit, proprietatem Spiritus sancti, et a Filio discrimen in eo versari, quod ab hoc ille pendeat, et post eum numeretur. « Quoniam, inquit in epistola tertia et quadragesima, Spiritus sanctus, a quo omnis in res creatas manat bonorum largitio, a Filio quidem pendet, quocum sine ulla divisione comprehenditur; ex Patris vero principio aptam, et dependentem habet existentiam, unde et procedit; hanc propriam notam obtinet hypostaticæ proprietatis, ut post Filium, et cum ipso internoscatur, et ex Patre subsistat. At Filius, qui procedentem e Patre Spiritum per se; et secum notum facit, solus unigeniti modo ex ingenito lumine resplendens, nullam secundum notarum proprietatem habet communionem cum Patre, vel Spiritu sancto [d]. »

Quo in Basilii loco illud observare oportet,

a GREG. NYSS. *ad Ablab.* Καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν. τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν. τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας καὶ αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης.

b Idem I *contra Eun.* Ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι.

c CALEC. cap. XXVII. Ἡ γὰρ ἰδιότης τοῦ πνεύματος, ὡς εἴρηται, τὸ ἐκ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαί ἐστιν· εἴτουν ἐκ τοῦ πρώτου διὰ τοῦ μέσου εἶναι. καὶ διὰ τὴν πρόοδον ταύτην ἐστὶν ἐκπορευόμενον. υἱὸς γὰρ ἂν ἦν, εἰ παρὰ τοῦ πατρὸς ἀμέσως προῄει. τὸ γὰρ ἐκ τοῦ πατρὸς ἀμέσως, ἡ τοῦ υἱοῦ ἰδιότης ἔστιν.

d BASIL. epist. XLIII. Ἐπειδὴ τοίνυν τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀφ' οὗ πᾶσα ἐπὶ τὴν κτίσιν ἡ τῶν ἀγαθῶν χορηγία πηγάζει, τοῦ υἱοῦ μὲν ἤρηται ᾧ ἀδιαστάτως συγκαταλαμβάνεται, τῆς δὲ τοῦ πατρὸς αἰτίας ἐξημμένον ἔχει τὸ εἶναι, ὅθεν καὶ ἐκπορεύεται, τοῦτο γνωριστικὸν τῆς κατὰ

1 Cap. III. — 2 *Libr. dogm.* cap. VII. — 3 Cap. I *contra Græc.* — 4 Cap. II.

in editis libris lectionem illam exstare, quam lineolis inclusimus, τὸ μετὰ τοῦ υἱοῦ, καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι tanquam ea sit nota, proprietasque Spiritus sancti, ut cum Filio innotescat. Sed in concilio Florentino[1], Marcus Ephesinus Basilii verba illa referens, μετὰ τὸν υἱὸν legit, et ante hunc Joannes Beccus[2]; quomodo et scribendum arbitror. Alioquin inepta erit repetitio, τὸ μετὰ τοῦ υἱοῦ, καὶ σὺν αὐτῷ, quasi aliud sit μετὰ του υἱοῦ, quam σὺν τῷ υἱῷ. Nam quod sequitur δι' ἑαυτοῦ, καὶ μεθ' ἑαυτοῦ ferri potest, quia sunt diversa διὰ τοῦ υἱοῦ μετὰ τοῦ υἱοῦ.

Quanquam etsi μετὰ τοῦ υἱοῦ apud Basilium legas, nihil admodum decedet de vera sententia. Sic enim usurpare ista solent Græci Patres, ut μετὰ τοῦ υἱοῦ sit idem, ac proxime cum Filio, sive post Filium. Nam cum aliquo commemorari dicitur, quod ei proximum est, idque nullo interjecto sequitur, ut Filius cum Patre. Itaque Spiritus est cum Filio, non utique cum Patre, si nativus et proprius ordo servetur. Ita Gregorius Nazianzenus oratione XXXII personas tres circumscribit eodem fere modo : « Ut autem, inquit, singula percurram, principii expers principium, et quod est cum principio, unus est Deus[a]. » Hic μετὰ τῆς ἀρχῆς potest sic accipi, ut μετὰ τοῦ υἱοῦ : quia proxime principio, id est Filio subjicitur. Igitur proprietas ista personalis est Spiritus sancti, et processionis differentia, qua ab generatione discrepat, quod post Filium nominetur, et tertio loco a Patre numeretur. Hoc vero nihil aliud est, quam quod paulo ante memoravi, usurpatum a Græcis theologis, qui asserunt processionis amborum differentiam iis solis contineri vocabulis, ἀμέσως, et ἐμμέσος; vel istis προσεχῶς, et διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πατρός, ut Calecas loco citato uberius explicat.

Immediate et mediate. Proxime et per eum qui proxime ex Patre.

Referenda sunt ad hunc locum, quæ in quarto capite de naturali ordine personarum exposuimus ; inter quas tertium collocari Spiritum sanctum, non temere, neque pro arbitrio loquentium ostendimus, sed naturalibus de causis, ac necessariis ita, ut ordinis illius perversionem, eversionem esse fidei Basilius affirmet.

XIII. Cum superioribus istis duabus connexa est, affinisque ratio illa, quam Richardus Victorinus explicat, in sexto *de Trinitate*[3], ubi illud investigat, cur cum ambo de Patre procedant, non tamen ambo generentur, sintque Filii ; quam quæstionem obscurissimam esse confitetur, ac nondum discussam. « Hæc autem tanto sunt, inquit, diligentiori indagatione inquirenda, quanto sunt occultiora, et necdum inveniuntur ratiocinationis enodatione discussa. » Igitur de ea sic ille sentit[4] : Filium ac Spiritum sanctum arbitratur de paterna voluntate procedere : Filium quidem, quatenus Pater *condignum* habere voluit, hoc est æqualem sibi in omnibus, « quem posset, et merito deberet ut seipsum diligere[5]. » Etenim « ubi est, inquit, plenitudo divinitatis, ibi et plenitudo bonitatis, et quod consequens est, plenitudo charitatis. Plenitudo autem charitatis exigit, ut unus alterum sicut seipsum diligat, alioquin illius amor adhuc habet, quo crescere valeat. etc. Si igitur primordialem personam (id est Patrem) veraciter constat esse summe bonam, nolle omnino non poterit, quod summa charitas exigit. Et si veraciter constat eam omnipotentem esse, quidquid esse voluerit, non poterit non esse. Exigente itaque charitate, condignum habere volet; et exhibente potestate, habebit, quem habere placet. » Sic ergo perfectissimam charitatem, et omnipotentiam Patris causam esse vult, cur similem sibi, æqualemque gignat, quem ut seipsum diligat.

Porro tertiam personam necessario ad duas adjungendam esse, ex mutui amoris, et quidem summi, ac perfectissimi conditione probat. Est enim hujus : « omnem plenitudinis suæ abundantiam in commune deducere[6], » quod non fit, nisi præter duos tertius sit, in quem dulcedinis, quam ex amore capiunt, delicias effundat. « Nam ubi se duo mutuo diligentes summo desiderio amplectuntur, et in alterutro amore summe delectantur, summum gaudium istius est in amore illius, et e converso, præcipuum gaudium illius est in amore istius ; et quandiu iste ab alio solus di-

τὴν ὑπόστασιν ἰδιότητος σημεῖον ἔχει, τὸ, μετὰ υἱὸν (al. μετὰ τοῦ υἱοῦ) καὶ σὺν αὐτῷ γνωρίζεσθαι· καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ὑφεστάναι. ὁ δὲ υἱὸς, ὁ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον πνεῦμα δι' ἑαυτοῦ, καὶ μεθ' ἑαυτοῦ γνωρίζων, μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψας, οὐδεμίαν, κατὰ τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων, τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ἢ πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

a NAZIANZ. orat. XXXII. Τὰ δὲ καθ' ἕκαστον, ἵν' ἐπέλθω συντόμως, ἄναρχον, καὶ ἀρχὴ, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς εἷς θεός.

b CALEC. Καὶ ἅμα δῆλον ὅτι τὸ ἀμέσως, καὶ ἐμμέσως· καὶ τὸ προσεχῶς, καὶ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι, αἱ διάφοροι τῶν θείων ὑπάρξεων πρόοδοί εἰσιν.

1 Sess. XX edit. Gret. — 2 Cap. IV. — 3 Cap. VI, VII et VIII. — 4 Cap. VI. — 5 Lib. V, cap. VII. — 6 Lib. II, cap. XV.

ligitur, præcipue dulcedinis suæ delicias solus possidere videtur. Similiter et alius, quandiu condilectum non habet, præcipui gaudii communione caret. Ut autem uterque possit istiusmodi delicias communicare, oportet eos condilectum habere. »

XIV. Igitur Deus Pater « condignum habere voluit[1], quem intime diligeret, et coæqualitatis merito digne diligere deberet, voluit et habere condilectum, qui secum a suo dilectore pariter diligeretur, et exhibiti sibi amoris deliciis secum frueretur. » Ita « communio majestatis fuit causa originalis unius[2]; communio amoris, velut quædam causa originalis alterius[3]. » Est autem prior ordine naturæ prima illa communio, « quæ potest consistere in personarum dualitate; » posterior est altera communio, « quæ non potest subsistere sine personarum Trinitate. » Porro naturæ ordine « prior est dualitas, quam Trinitas. » Ideo « quantum ad naturæ ordinem, principalior est processio illa, cui inest principalior procedendi causa. » Jam ex ordine processionis germanitatis ordo sequitur. In humanis autem rebus primum locum tenet germanitas illa, quæ est hominis cum filio; secundum ejusdem hominis cum nepote; tertium cum pronepote; quæ germanitatis diversitas differentia processionis existit. Nam ubi procedendi nulla est diversitas, nullum germanitatis est discrimen; ut cum homo idem plures habet Filios. Quamobrem qui ab innascibili, et ingenito solo, principali oritur genere processionis, hic Filius appellatur. Qui autem minime principali processione, quæ ab uno esse debet, sed secundaria, quæ est a duobus, existit, hic Filius non dicitur. Etenim unum alterius vocari Filium, idem est, ac principali germanitate illi esse conjunctum. Verum « inter germanitatem illam, quæ est Patris ad Filium, et eam, quæ est ejusdem ad nepotem suum, nulla occurrit media in humana natura[4]. » Ideo « ex humanis ad divina vocabulum ejusmodi germanitatis transsumi non potest. » Quare proprium illius factum est Spiritus sancti vocabulum; quoniam « amor est ille, qui communis est ambobus, et hic est ille, qui a Patre et Filio sanctorum cordibus inspiratur; iste per quem sanctificantur, ut sancti esse mereantur[5]. » Hæc fere Richardus de discrimine utriusque processionis, quæ in capite XVII libri sexti summatim, et diserte colligit; ac cum ex omniptentia, et voluntate utrumque modum procedendi existere censeat, causa tamen differre putat, quia « Ingenitum velle habere de se sibi conformem, atque condignum, idem mihi videtur, inquit, quod gignere Filium. Tam genitum, quam ingenitum velle habere condilectum, idem videtur, quod producere Spiritum sanctum. » Ac cum prior illa processio, quæ ab uno fit, natura procedat, et principalis sit; ideo generatio vocatur, qua in hominum genere prima, et principalis origo est, qua Filius gignitur.

Hæc Richardi ratio magis causam continet, cur productioni Verbi generationis, et Filii nomen attributum fuerit, alteri non item, quam intimam utriusque proprietatem, aut rem vocabulo subjectam. Tum in eo minime probanda est, quod utramque productionem ex omnipotentia, et voluntate profectam asserit; de qua re disputatum est in superiore libro [6].

Quamobrem nondum in illa conquiescit animus noster, et ut accuratius, ac distinctius aliquid inquiramus, hortatur, siquidem reperire possumus. Est autem in hac re obscurissimum hoc, et ad explicandum perdifficile, ut initio diximus, quod Spiritus sanctus et ex ipsa Dei substantia oritur, et ejus similis est, a quo procedit. At ejusmodi productio nulla est in creatis rebus, quæ non sit generatio. Siquidem, quantum ad humanam naturam spectat, ait Richardus, consubstantialem sibi de seipso producere, idem videtur esse, quod prolem gignere, quod filium generare[7]. »

XV. Hinc Petrus Abælardus Spiritum sanctum negavit ex Patris esse substantia; idque inter ambas productiones interesse dixit, quod « is, qui generatur, ex ipsa Patris substantia est[8]; » qui autem procedit, non est ex Patris substantia. Etenim « nomine Patris specialiter divina potentia declaratur, inquit; sicut nomine Filii divina sapientia significatur[9]. » Porro « divina sapientia quædam est ipsius Dei potentia, qua ab omni sibi fallacia, vel errore providere potest. » Et nos videndi, intelligendique facultates, potentias appellare consuevimus. At vero « benignitas ipsa, quæ Spiritui proprie tribuitur, non est aliqua in Deo potentia, sive sapientia; cum videlicet ipsum benignum esse, non sit in aliquo esse sapientem, aut potentem. Sed hæc ejus boni-

VII. Abælardi ratio refertur et exploditur.

1 Lib. VI, cap. VII. — 2 Lib. VI, cap. VI. — 3 Lib. VI, cap. VII. — 4 Lib. VI, cap. VIII. — 5 Cap. X. — 6 Cap. VIII. — 7 Lib. VI *de Trinit.* cap. XVII. — 8 Lib. III *Introd. ad Theol.* cap. XIV. — 9 Ibid. cap. XIII.

tas magis secundum ipsum charitatis effectum, sive effectus accipienda est. » Quamobrem cum Pater, hoc est Patris substantia, potentia sit; Sapientia vero sit quædam potentia, adeoque potentia sit de potentia; eo fit, ut Filius de Patris esse substantia, et idcirco gigni ab eo dicatur. Spiritus vero sanctus, qui est charitatis affectus, magis ad benignitatem animi, quam ad potentiam attinet. Ideo gigni non dicitur. Hæc Abælardus; cujus opinio non solum frivola est, sed etiam aliena a pietate catholica, ut pluribus ostendit Bernardus epistola cxc. Est enim imprimis illud absurdum, et impium, affirmare Spiritum non esse de Dei substantia. Nam si non est ex Dei, sive, quod idem est, Patris, ac Filii substantia, ex nihilo sit oportet, ut argumentatur Bernardus. Sed neque Deus erit, quia Deus non est, qui Dei substantiam non habet. Hanc vero non a se habet Spiritus sanctus, sed a Patre, et Filio; a quibus id omne accipit, quod habet, vel potius quod est. Habere porro divinam substantiam a Patre, et Filio, nihil esse potest aliud, quam ab ipsorum illam habere substantia. Proinde cum habere, vel accipere substantiam, ex aliqua substantia, sit esse substantiam de substantia; consequens est Spiritum sanctum de Patris, ac Filii esse substantia.

XVI. Hujus auctor argumentationis est Athanasius in eo libro, qui *de Synodi Nicænæ decretis contra Arium* inscribitur; ubi quod Patres statuerunt Filium ex Patris esse substantia, inde probari contendit, quod ex Deo, ac Patre sit, ut Scripturæ docent; at idem sit ex Deo esse, et ex Dei substantia, quia cum Deus non sit compositus ex partibus, ipsa sua est οὐσία, vel *substantia*. « Si, inquit, simplex aliquid est Deus, ut est revera, perspicuum est, cum dicimus Deum, ac Patrem nominamus, nihil nos eorum nominare, quæ sunt circa ipsum, sed ipsam ejus significare substantiam [a]. » Ac paulo post : » Et ubicumque Scriptura hoc nomen usurpat, Deus nos qui legimus, nihil significare aliud intelligimus, quam incomprehensibilem illius substantiam, et quod ille ipse est, qui vocabulo Dei significatur. Quare nemo miretur audiens, ex substantia Dei esse Dei Filium, sed eo magis Patres approbet, qui rei intellectum purius tradiderunt; et cum scripsissent ex Deo, tanquam idem significantes voculas adjecerunt, ex Dei substantia. Quoniam Deus, ut ante dixi, nihil aliud, quam substantiam ejus ipsius, qui est, significat. » His Athanasii verbis Abælardi falsa, et imperita opinio convincitur. Est enim revera Deus idem, quod Dei substantia. Quare si Spiritus sanctus ex Deo est, non eo modo, quo creatæ res omnes; necesse est, ipsum ex Dei esse substantia. Etenim si idcirco Filius ex Dei genitus est substantia, quia ex Deo genitus est, ut Athanasius disputat; Spiritus sanctus, qui ex Patre procedit, ex Patris, hoc est Dei substantia procedat oportet. Quin etiam Athanasius eodem in libro *Patris* perinde, ac Dei nomen ipsammet οὐσίαν significare dicit, ut observat Demetrius Cydones in libro *de Processione Spiritus sancti* [1]. Ideo ex Patre esse non aliud est, quam ex Patris esse substantia.

XVII. Atque hoc diserte complures antiquorum exprimunt, et Spiritum sanctum ex Patris esse substantia nominatim asserunt, ut Damascenus; qui in primo *de Orthodoxa fide* sic loquitur [2] : « Solus Filius genitus est. Nam ex Patris substantia sine principio, ac tempore genitus est. Et solus Spiritus sanctus procedens ex Patris substantia, non genitus, sed procedens [b]. »

Augustinus vero copiosa id oratione explicat in tertio *contra Maximinum Arianum* ita quærentem [3] : « Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus sanctus; cur unus Filius sit, et alius non sit Filius. » Cui sic respondet, ut utrumque ex Patris esse substantia, pro certo habeat, sed modum procedendi dissimilem esse. Tum

a ATHAN. tom. I. Εἰ δὲ ἁπλοῦν τί ἐστιν ὁ θεός· ὥσπερ οὖν καί ἐστι· δῆλον ὅτι λέγοντες τὸν θεὸν, καὶ ὀνομάζοντες τὸν πατέρα· οὐδέν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν. ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν.

Ibid. Καὶ ὅπου ποτὲ λέγει ἡ γραφὴ, ὁ θεὸς, ἡμεῖς ἀναγινώσκοντες, οὐδὲν ἕτερον, ἢ αὐτοῦ τὴν ἀκατάληπτον οὐσίαν σημαινομένην νοοῦμεν, καὶ ὅτι ἐστιν ὅνπερ λέγουσιν. Οὐκοῦν μὴ ξενιζέσθω τίς ἀκούων ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ· ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἀποδεχέσθω τοὺς πατέρας διακαθάραντας τὸν νοῦν, καὶ λευκότερον ὡς ἐκ παραλλέλου τῷ ἐκ τοῦ θεοῦ, γράψαντας τὸ ἐκ τῆς οὐσίας. ταὐτὸν γὰρ ἡγήσαντο λέγειν ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ λέγειν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ εἶναι τὸν λόγον. ἐπεὶ καὶ τὸ θεὸς, καθὰ προεῖπον, οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τοῦ ὄντος σημαίνει.

b DAMASC. Καὶ μόνος ὁ υἱὸς γεννητός· ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς γὰρ οὐσίας, ἀνάρχως, καὶ ἀχρόνως γεγέννηται. καὶ μόνον τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐκπορευτὸν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, οὐ γεννώμενον, ἀλλ' ἐκπορευόμενον.

1 Cap. III. — 2 Cap. IX. — 3 Cap XIV.

inter cætera memorandum illud affert : « Nec videtis, quam necesse sit, ut qui non est ex nihilo, non est ex aliqua re alia, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit, et hoc esse, quod Deus est, de quo est, hoc est Deus de Deo. »

Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*, « Unus est, ait, Deus Pater, qui solus essentialiter de seipso Filium genuit ; et unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter genitus ; et unus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter de Patre, Filioque procedit. » Sed ante omnes commemorandus est Chrysostomus, cujus de eo gravissimum est, disertissimumque testimonium in homilia quadam *de Spiritu sancto :* cum eum dicit appellari tam *Spiritum Dei*, quam *ex Deo;* ejusque causam ita reddit : « Ac ne forte, cum audimus Spiritum Dei, existimemus ob familiaritatem quamdam, vel affinitatem, dici Spiritum Dei, inducit Scriptura Spiritum sanctum ; et addit ei, quod dictum est, Dei, etiam istud, qui est ex Deo. Porro aliud est esse Dei, aliud esse ex Deo. Dei est enim cœlum, et terra, tanquam ab ipso condita ; ex Deo vero nihil esse dicitur, nisi quod ex substantia est. »

Ac subinde processionem Spiritus sancti explicat, ut substantiæ communicationem, atque adeo personæ illius ex substantia Patris existentiam aperte commendet, Spiritum enim aquam esse dicit e Patre velut ex fonte manantem ; quem locum supra capite secundo descripsimus ; ut et alia quædam, imprimisque Cyrilli, quæ ex substantia Patris, vel ejus et Filii procedere Spiritum sanctum clarissime profitentur. Addit Bernardus et Hieronymum, qui in epistola *ad Avitum* inter Origenis errores adscribit hunc, « Filium, et Spiritum sanctum non esse de Patris substantia. » Necnon Athanasium ita loquentem in libro *de unita Trinitate :* « Solum Deum ubi memoratus sum, non solam personam Patris indicavi ; quia Filium, et Spiritum sanctum de hac ipsa sola substantia Patris esse non abnegavi. » Qui locus in primo libro legitur septem illorum, qui *de unita Trinitate* inscribuntur, neque Athanasii sunt. Futilis est itaque, imo temeraria Abælardi sententia, qui, tametsi consubstantialem esse Patri Spiritum sanctum asserit, ex ejus tamen substantia negat existere.

XVIII. Nam quod consequens fore putavit, ut Spiritus sit Filius, si ex Dei substantia procedit, plurimum aberravit. « Quasi, inquit Bernardus, omne, quod de substantia aliqua est, continuo ipsum, a quo est, habeat genitorem. Num vero pediculi, aut lendes, aut phlegmata vel filii carnis sunt, vel non sunt substantia carnis? aut vermes de ligno putrido prodeuntes, aliunde, quam de ligni substantia sunt, qui tamen filii ligni non sunt ? »

Ita Richardus, non omnem productionem animantis de animante secundum operationem naturæ, generationem esse docet, qua proles ex parente nascitur ; ut cum verbis ex homine propagatur. Jam quod ex Patris non esse substantia Spiritum sanctum inde concludit, quia non est potentia de potentia, eo quod benignitas, quæ propria est Spiritus non sit potentia, dici nihil potest ineptius. Primum enim non minus est potentia, vel sapientia Spiritus sanctus, quam aut Filius, aut Pater, ut fuse Bernardus exponit. Tum Filius perinde benignitas est, ac Spiritus et Pater. Denique benignitas ipsa tam potentia est benefaciendi, quam sapientia sine errore providendi. Est enim benignitas, sive *bonitas*, *bene velle*. « Quid est enim bonitas, nisi bona voluntas ? » ait Richardus [3]. Atqui bona voluntas est quædam potentia. « Nam, ut idem Richardus scribit, posse bene velle, est aliquid posse. »

VIII^a Quia proprietas personalis Spiritus est vis sanctificativa, sicut Filii, *Filietas* et Patris *Paternitas.*

XIX. Repudiata igitur Abælardi falsa inanique opinatione, octava recenseri potest ea, quam Augustinus, et ex eo alii commemorant : propterea Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit ut datus, sive quia donum est [4]. Augustini verba sunt ista, dum causam inquirit, « cur non filius sit etiam Spiritus sanctus, cum et ipse a Patre exeat. Exiit enim, inquit, non quomodo natus, sed quomodo datus ; et ideo non dicitur Filius, quia neque natus est, sicut unigenitus, neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. » Quæ verba auctor libri *de Trinitate et unitate Dei* inde transtulit [5]. Ac ne forte cuipiam occurrat, *datum*, sive *donum*, comparationem ad creatas res habere, nec in

a Chrysost. tom. VI. Καὶ ἵνα μή ποτε ἀκούσαντες ἡμεῖς πνεῦμα Θεοῦ, νομίσωμεν δι' οἰκειότητα λέγεσθαι πνεῦμα θεοῦ, εἰσάγει ἡ γραφὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ προστίθησι τῷ θεῷ τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, ἄλλο δὲ τὸ τοῦ θεοῦ καὶ ἄλλο τὸ ἐκ θεοῦ. Θεοῦ μὲν γὰρ ὁ οὐρανὸς, καὶ γῆ, ὡς παρ' αὐτοῦ πεποιημένα· ἐκ θεοῦ δὲ οὐδὲν λέγεται, εἰ μὴ ὃ ἐκ τῆς οὐσίας ἐστί.

1 Cap. I. — 2 Lib. VI, c. XVIII. — 3 Lib. VI *de Trin.* c. VI. — 4 Lib. V *de Trin.* c. XIV. — 5 Cap. III Append. tom. IV S. Aug.

Deo esse sempiternum, atque ideo propriam notam esse non posse Spiritus sancti; in promptu est quod Albinus Flaccus, sive Alchuvinus ex Augustino, ejusque verbis declarat in secundo *de Trinitate* [1]. « Hoc vero donum Dei, inquit, quod est Spiritus sanctus, coæternum est, et consubstantiale donatori; quia donum donabile fieri poterit, quamvis non sit, cui donetur. » Tum Augustini verba ista subtexit [2]: « Quod donum, id est Spiritus sanctus, non ex tempore, sed ex æternitate procedit. Sed quia sic procedebat, ut esset donabile, jam donum erat, et antequam esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum; aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam donetur; donatum autem, nisi cuilibet datum fuerit, nullo modo dici potest. »

XX. Breve hoc, et argutum Augustini dictum, « quia exiit, non quomodo natus, sed quomodo datus, » passim usurpari videas, ut apud Lombardum [3], et Hugonem Victorinum [4]. Verum, ut ex tota Augustini oratione constat, de processione illa Spiritus sancti loquitur, qui in res creatas extra Deum profunditur, non de ea, qua existit in sese. Nam subinde ista pertexit: « Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solum refertur, cum dicitur Filius; et ideo filius Patris, non noster. Quod autem datum est, et ad eum, qui dedit, refertur, et ad eos, quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus non tantum Patris, et Filii, qui dederunt, sed etiam noster dicetur, qui accipimus. Sicut dicitur Domini salus, quia dat salutem, eadem etiam nostra salus est, qui accipimus. Spiritus ergo et Dei est, qui dedit, et noster, qui accipimus. » Ex quibus evidens est, « Augustinum hoc loco Spiritum accepisse (verba sunt Abælardi) secundum effecta, cum dicit datum, magis quam secundum naturalem suæ bonitatis affectum, vel benignitatis. »

Potest tamen ex iis, quæ sequenti capite idem Augustinus scribit, et ab Alcuino translata, paulo a nobis ante commemorata sunt, sic illud explicari, quod ait, procedere ut datum, non ut effectus ipse, vel donum actu ipso, et donatione concessum intelligatur, sed vi ac potestate; idemque sit, ac donabile. Quemadmodum et Ambrosius, vel potius alius quispiam, in sermone *De die Pentecostes* his verbis exposuit: « Qui etiam Dei donum dicitur, quia et antequam esset angelus, vel homo, cui daretur, jam sui natura donabile donum erat, quia charitas, et amor est. » Ita peculiare hoc esse Spiritus sancti recte Augustinus scripserit, ut sic procedat, tanquam donabile; nimirum quoniam donum omne, ac donatio a voluntate, ceu proprio, ac nativo principio oritur, sive ab amore, vel charitate. Imo charitas et amor primarium est donum; ex quo fit, ut Spiritus sanctus, qui amor est, et amoris mutui fructus, ac terminus, primum, et antiquissimum Dei donum appelletur. Quamobrem vera, et germana erit illa processionis utriusque distinctio ab Augustino tradita, causam continens, cur Verbi productio generatio sit, quod qui per illam existit, natus dicatur, ac Filius; Spiritus vero sancti origo generatio non sit, quod qui sic procedit, ut ille, donabilis sit vi productionis suæ, hoc est a voluntate, amoreque procedat.

XXI. Est etiam in *doni* proprietate quiddam theologi consideratione dignum, quo et illud fiet illustrius, quod alibi a nobis observatum est, personarum proprietates interdum ab iis vocabula sortiri, non quæ ex æterno sunt, sed quæ in tempore, et in rebus creatis administrantur, hoc est ex habitudine quadam, et respectu ad effecta, quæ suo tempore proficiscuntur a Deo; tum multo magis, quid in illa *doni* ratione peculiare sit, intelligetur. Sic igitur habendum est, Græcos aliquot Patres personalem Spiritus sancti proprietatem definire τῇ ἁγιαστικῇ δυνάμει, id est *vi sanctificante*. Basilius enim in libro *de Spiritu sancto*, c. XVI. « In horum, inquit, creatione cogita mihi principalem causam eorum, quæ fiunt, Patrem; deinde conditricem, Filium; perfectricem, Spiritum sanctum, ut voluntate quidem Patris sint administratorii spiritus. Filii vero operatione ad hoc perducantur, ut sint; Spiritus autem adventu perficiantur. Porro angelorum perfectio sanctificatio est, in eaque permansio [a]. » Et alibi Spiritum eumdem vocat ἁγιασμοῦ γένεσιν, *sanctificationis originem* [6].

a Basil. Ἐν δὲ τῇ τούτων κτίσει ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν τῶν γενομένων, τὸν πατέρα· τὴν δημιουργικὴν, τὸν υἱόν· τὴν τελειωτικὴν, τὸ πνεῦμα· ὥστε βουλήματι μὲν τοῦ πατρὸς τὰ λειτουργικὰ πνεύματα ὑπάρχειν, ἐνεργείᾳ δὲ τοῦ υἱοῦ εἰς τὸ εἶναι παράγεσθαι, παρουσίᾳ δὲ τοῦ πνεύματος τελειοῦσθαι. τελείωσις δὲ ἀγγέλων, ἁγιασμὸς, καὶ ἡ ἐν τούτῳ διαμονή.

1 Cap. xx. — 2 Aug. V *de Trinit.* cap. xv. — 3 Lib. I, dist. xiii. — 4 *Sum. sent.* tract. i, c. vi. — 5 Lib. II *Intr.* c. xvii. — 6 Lib. *de Spiritu sancto,* cap. ix.

Item, « Substantiam vivam, sanctificationis arbitram [a]. » Didymus præterea libro primo *de Spiritu sancto*, substantiam sanctificantem nominat. Rursus Basilius in epist. *ad Terentium Comitem*, de usia et hypostasi disputans illius quidem rationem « commune quiddam esse dicit, ut est bonitas, divinitas, et si quid aliud intelligitur : hypostasim vero in proprietate spectari paternitatis, vel filietatis, vel virtutis sanctificantis [b]. » Vides ut ὑποστατικὸν χαρακτῆρα, id est, *personalem proprietatem* Spiritus sancti dicit esse *vim sanctificandi*, cujusmodi in Patre paternitas est, in Filio filietas. Quem Basilii locum citat Theorianus in *Legatione ad Armenos*, ut etiam et alterum ex epist. *ad Amphilochium*; ubi proprietates tres personarum totidem appellat *Paternitatem*, *Filietatem*, et *Sanctificationem* [c]. Sed et Eulogius Alexandrinus episcopus personas tres proprietatibus describens suis : « Deus, inquit, a nobis consideratur et unus et trinus; qui fons incomprehensæ sapientiæ, et virtutis sanctificæ. Hinc unus Deus, et Dominus, rex, ipseque Pater, et perfectrix ejus sapientia, et vis illa sanctifica. Est enim indivisus Pater tum ab Sapientia sua, tum ab vi sanctificatrice, qui in natura una et eadem adoratur [d]. »

XXII. Joannes quoque Damascenus, lib. I *de Fide*, cap. XVIII, Spiritui sancto propriam hanc notam adscribit, ut sit « sanctifica virtus per se subsistens [e]. » Igitur Spiritus sanctus propria quadam, ac personali ratione ἁγιαστικὴ δύναμις, id est, vis creaturas sanctificans, vel τελειωτικὴ, id est, *perfectrix* dicitur. Est enim τελείωσις, idem quod ἁγιασμὸς, quia sanctitas, et gratia naturam complet, ac perficit. Ita enim vocabulum istud interpretandum est apud Basilium, ac cæteros, velut Zachariam Mitylenæum, cum ita scribit : « Spiritus vero sanctus est ille, qui aspirat rationalibus, et intelligentia præditis omnibus creaturis, et quod llorum hypostasim complet, ac perficit [f]. » Cyrillus Alexandrinus in lib. *Thesauri* XXXIV. « Ipsam, inquit, illam ex Patre naturaliter procedentem vim sanctificandi, quæ imperfectis, quod perfectum est, tribuit, dicimus esse Spiritum sanctum [g]. »

Ex iis duo illa, quæ supra posui, consectaria cernuntur : alterum, nomina personalium proprietatum interdum duci non ab æternis, ac divinis operationibus, ac velut affectionibus, sed ab creatis, et in tempore productis : alterum, in ipsa doni proprietate, conditioneque, quam Spiritui sancto peculiarem theologorum usus ascivit, eam includi, ac contineri, quam ejusdem perinde personalem dixi esse *sanctificandi*, *perficiendique vim*. Siquidem doni ratio ex amore, et charitate petitur; quæ est propria Spiritus sancti notio. At illa eadem est sanctitas. Tum ut in libro sequente plenius ostendam, illum justitiæ, ac sanctitatis, vel adoptionis statum, ad quem homines evehuntur, ab ipsa fieri Spiritus sancti substantia, sentiunt idem illi Græci theologi, qui *sanctitatem*, et ἁγιαστικὴν δύναμιν, tanquam ὑποστατικὸν χαρακτῆρα, id est, *personalem notam*, et *proprietatem* tribuunt Spiritui sancto. Quam illorum mentem postea uberius exponam. Unde mirum esse non debet sic illos existimasse propria ratione convenire Spiritui sancto vim illam communicandæ sanctitatis, quomodo *paternitas* et *filietas* reliquarum sunt duarum propriæ.

XXIII. Cæterum τὸ τελειωτικὸν, id est, *perficiendi vis*, quam Spiritui sancto proprio illo jure Græci Patres assignare solent, hanc habet rationem. Complures illorum arbitrati sunt duo quædam primo nostro parenti, cum primum a Deo creatus est, indita fuisse; imaginem Dei, quæ in ratione, ac sui juris arbitrio consistit; et similitudinem, quæ virtute ac sanctitate constabat. Hunc posteriorem statum per Spiritum sanctum animæ illius tributum fuisse, quo Deus eam afflavit. Hoc

a Basil. cap. XVIII *de Sp. sancto*. Καὶ τὸ πνεῦμα οὐσία ζῶσα ἁγιασμοῦ κυρία.

b Basil. ep. CCCXLIX. Ὁ μὲν τῆς οὐσίας λόγος κοινός· οἷον, ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ εἴ τι ἄλλο νοοῖτο. ἡ δὲ ὑπόστασις, ἐν τῷ ἰδιώματι τῆς πατρότητος, ἢ τῆς υἱότητος, ἢ τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως θεωρεῖται.

c Basil. ep. DXCI. Μὴ γὰρ νοούντων ἡμῶν τοὺς ἀφωρισμένους περὶ ἕκαστον χαρακτῆρας, οἷον πατρότητα, καὶ υἱότητα, καὶ ἁγιασμόν. Vide et lib. V *contra Eunom.*

d Eulog. apud Phot. cod. CCXXX. Θεὸς οὖν ἡμῖν ἐστιν εἷς καὶ τριὰς θεωρούμενος, πηγὴ τυγχάνων ἀπερινοήτου σοφίας, καὶ ἁγιαστικῆς δυνάμεως· ὅθεν εἷς θεὸς, καὶ κύριος, καὶ βασιλεὺς, αὐτός τε πατὴρ, καὶ ἡ τελειοποιὸς σοφία αὐτοῦ, καὶ ἡ ἁγιαστικὴ δύναμις. ἀδιαίρετος γὰρ ὁ πατὴρ πρός τε τὴν ἑαυτοῦ σοφίαν, καὶ τὴν ἁγιαστικὴν δύναμιν ἐν μιᾷ φύσει προσκυνούμενος.

e Damasc. Θεὸς καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστι, δύναμις ἁγιαστικὴ, ἐνυπόστατος.

f Zachar. lib. *de Opif. mundi*, tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Πνεῦμα δὲ θεῖόν ἐστι τὸ ἐμπνέον πασαῖς ταῖς λογικαῖς, καὶ νοεραῖς οὐσίαις, καὶ τὸ τελειωτικὸν τῆς τούτων ὑποστάσεως.

g Cyril. Αὐτὴν γὰρ ἐκείνην τὴν ἐκ πατρὸς φυσικῶς προϊοῦσαν δύναμιν ἁγιαστικὴν τὴν τοῖς ἀτελέσι τὸ τέλειον παρεχομένην, φαμὲν εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

enim esse *spiraculum vitæ* [1], quod Deus inspirasse homini de terra formato legitur. Spiritum, inquam, illi sanctum existimant appellari istum Dei halitum, qui divinam in nobis similitudinem efficeret. Quæ cum primi illius hominis culpa funditus esset extincta, eam ab secundo Adamo Christo Domino recuperatam fuisse, eodem restituto Spiritu, quem etiam ad illud significandum Apostolis inspiravit suis [2]. Atque hic ipse status τελείωσις, vel τὸ τέλειον appellari solet; quia naturam hominis communicatio illa divini Spiritus, atque adeo divinitatis, complet, ac perficit. Quam ob causam Spiritui sancto τὸ τελειωτικὸν, vel τελειωτικὴ δύναμις, *vis ac virtus perfectrix* attribuitur.

rfectio vel fectum.

Hoc vero nos in libro sequente, capite quinto uberius exponemus. Nunc in antecessum eximium quemdam Cyrilli Alexandrini locum e lib. XIII. *Thesauri* repræsentabimus, qui sic habet. « Participes, inquit, facti Spiritus ad conditoris imaginem formamur. Manifestum igitur est similitudinem hanc cum Deo obtineri non posse, nisi particeps quispiam sit sancti Spiritus. Rursus vero Redemptor noster, ut in homine statum illum, qui ad imaginem erat, instauraret, *insufflavit discipulis suis dicens, Accipite Spiritum sanctum* [3]. Quod igitur habet renovatio, hoc ipsum omnino antiquiorem illum statum habuisse par est intelligere. Quamobrem perfectam divinæ substantiæ imaginis expressionem, Spiritus sancti participatio largitur homini [a]. »

XXIV. Verum, ut ad Augustinum revertar, ejusque de Spiritus sancti processione, ac doni, vel donabilis ratione sententiam, non satis ad id, quod disputatione ista quæritur, explicandum valet, nisi id præterea doceatur, cur, qui ut datus, sive donabilis procedit a Deo, non sit Filius, neque genitus. Nam quæ causa ex illis verbis Augustini conficitur, nimis ex longinquo arcessita est, et in solo genere consistit. Ut si percontanti cuipiam, cur peccent homines, eo fieri dicat, quia creaturæ sunt, non propriam neque proximam is rationem edat; quia constat, non omne id, quod creatum est, recte aut secus agendi facultate esse præditum; fontem tamen, ac principium ille vidit, ex quo propria magis, et citima ratio deducitur.

IX^a Ratio S. Augustini minus accurata.

Hanc quæ nona numerari ratio potest, alio in libro utcumque conatus est reddere Augustinus idem, ex ejus similitudine, quod in Dei imagine, hoc est rationali anima cernitur. Quæsivit enim in nono ejusdem operis *de Trinitate* [4]; « cur non Spiritus quoque sanctus a Patre Deo genitus vel creditur, vel intelligitur, ut Filius etiam ipse dicatur; » ac similiter, « cur mens notitiam suam gignit, cum se novit, et amorem suum non gignit, cum se amat; » quod dictu esse difficile ait. Sed tamen posterioris hujus, a quo ad summam Trinitatem explicandam similitudo transfertur, causam ita postea declarat. « Omnis enim res, ait, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui; ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente, et cognito. Itaque mens, cum seipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ; et cognitum enim, et cognitor ipsa est; » hæc autem notitia velut partus quidam est, quæ idcirco gigni dicitur. Amor vero, quo se ipsa mens amat « ideo non recte dicitur genitus ab ea, sicut notitia sui, qua se novit, quia notitia jam inventum est, quod partum, vel repertum dicitur. » Ac paulo post: « Partum ergo mentis antecedit appetitus quidam, quo, id quod nosse volumus quærendo, et inveniendo, nascitur proles ipsa notitia, ac per hoc appetitus ille, (quo) concipitur, pariturque notitia, partus et proles recte dici non potest; idemque appetitus, quo inhiatur rei cognoscendæ, fit amor cognitæ, dum tenet, atque amplectitur placitam prolem, id est notitiam, gignentique conjungit.

XXV. Igitur eo tota illa Augustini oratio pertinet, ut cum duplex sit voluntatis appetitus, ac velut amor, unus antecedens notitiam, quo rei cognitionem expetimus, alter consequens, quo jam cognitam, repertamque rem diligimus, neuter ideo sit genitus, quia eum, qui proprie partus vocatur, id est, mentis notitiam, vel præcedit, vel subsequitur. Quare non est idem cum partu, vel prole mentis.

Verum si quis ad vivum ista resecet, minus

a Cyril. XIII *Thes.* Μέτοχοι δὲ γεγονότες τοῦ πνεύματος πρὸς τὴν τοῦ πεποιηκότος εἰκόνα μορφούμεθα. πρόδηλον δήπουθεν ὅτι τὴν πρὸς θεὸν ὁμοίωσιν ἔχειν ἀδύνατον τὸν μὴ μετέχοντά πως τῆς αὐτοῦ φύσεως. καὶ πάλιν ἀνανεῶν, εἰς τὸ καθ' εἰκόνα τὸν ἄνθρωπον ὁ σωτὴρ, ἐνεφύσησε τοῖς μαθηταῖς λέγων· λαβέτε πνεῦμα ἅγιον. ὅπερ οὖν ἡ ἀνακαίνισις ἔχει, τοῦτο κεκτῆσθαι πάντως καὶ τὴν ἀρχαιότητα προσήκει νοεῖν. Οὐκοῦν τελείωσιν ἐξεικονισμοῦ πρὸς τὴν θεῖαν οὐσίαν ἡ τοῦ πνεύματος μετοχὴ τῷ ἀνθρώπῳ χαρίζεται.

1 *Gen.* II, 7. — 2 *Joan.* XX. — 3 *Joan.* XX. — 4 Cap. XII.

accurate esse dicta cognoscet. Imprimis appetitus ille cognoscendi, sive amor notitiam antecedens, antecedentem et ipse notitiam habet rei cognitione quærendæ, sed confusam et infinitam. Nam nihil desiderari potest, nisi utcumque cognitum sit; ut, etsi nondum, quale sit, intelligitur, optandum tamen judicetur, et inquisitione dignum. Sed est amor ille rei adhuc ignotæ, vel potius non plene cognitæ; quæ ubi penitus comprehensa notitia est, tum amor existit ille posterior, idemque certus, atque distinctus. Cur autem neuter genitus, aut proles dici debeat, non valde idonea ratio est, quam Augustinus adhibet. Etenim ne illa quidem ipsa notitia mentis vel gignitur proprie, vel proles appellatur, sed abusione quadam verbi, ac translatione a proprio sensu ad improprium; quia substantia non est, quæ paritur, sed actio quædam illud, unde orta est, subjectum afficiens. Quærenda igitur alia nobis est proprietas utriusque productionis; quam, ne longius hoc justo sit caput, exponemus in sequente.

CAPUT XIV.

Explicatur et illustratur e Patrum testimoniis vera ratio, cur processio Spiritus sancti non sit generatio. Illam ex proprietate τοῦ λόγου *repetendam esse. Ejusmodi ergo causa deducitur, quod productio Spiritus sancti non habet hoc ex propria conditione, ut imago, vel similitudo hinc existat in eo, quod producitur. Id autem ex natura intellectionis oritur, non voluntatis. An Spiritus sanctus sit ingenitus.*

I. Omnis propria rei, ac vera definitio, non solum ejus naturam continet, sed naturalem etiam ab alia quacumque differentiam, cum pars sit ipsa naturæ. Quamobrem, si ulla investigari causa potest, cur et Verbi divini productio, generatio, et Verbum ipsum Filius sit, neutrum Spiritui, ejusque productioni congruat; non aliunde duci illa debet, quam ex definitione generationis, ac Filii; quam quidem in quarto libro plenissime declaravimus. Resumenda igitur ea est hoc loco, ut quid commune cum Spiritus processione habeat Verbi propagatio, quid peculiare, ac distinctum, ex illa capiamus. Causam enim hoc posterius ostendet unicam, et germanam ejus, quod inquiritur, omissis circumscriptisque cæteris.

Generationis enucleata definitio commum ex sensu theologorum a nobis tradita sic est, ut sit, « Origo viventis a vivente per principium conjunctum, quæ naturæ in re producta similitudinem parit. » Qua in definitione triplex generationis conditio cernitur. Nam et vivens utrumque oportet esse quod gignit, et gignitur. Ita pilorum, ac cæterorum ab animantium corporibus ortus excluditur. Et intima vis generandi, ac facultas esse debet, quod principium dicitur. Ideo semen, per quod animantium generatio fit, pars est quædam substantiæ gignentis, cui gignendi vis natura est insita, cum eaque conjuncta. Eamdem ob causam primæ omnium mulieris e viri costa procreatio, generatio non fuit, neque filia Eva dicta est Adami, tametsi et vivens e vivente propagata sit, et naturæ similis fuerit, quia non a principio conjuncto, sive efficientiam naturalem habente facultate elaboratus est ortus illius. Nihil enim navavit Adamus actionis operæque ad producendam Evam; neque quidquam aliud, præter materiam, contulit, ex qua eam Deus solus effinxit. Generationis definitio.

Ita rem hanc Richardus Victorinus[1] explicat verbis istis: « Generatio autem, quando large accipitur, nihil aliud videtur esse, quam productio existentis de existente, secundum operationem naturæ. Productio vero, quæ secundum naturæ operationem non est, generatio juxta usum dici non potest. Eva de Adam secundum operationem naturæ non est producta, et idcirco non dicitur generatio. »

Postremum generatio id vera postulat, ut sit natura simile gignenti, quod existit, et ejus imago, hoc est, in eum expressa finem, ut naturam specie habeat eamdem. Ideo vermes, et bestiæ, quæ ex humanis scatent corporibus, filii non sunt, quia nulla est in iis cum homine similitudo naturæ.

II. Ex his tribus generationis proprietatibus unam saltem necesse est deesse processioni Spiritus sancti, quo ne generatio sit, et Spiritus ipse Filius. Ac priores quidem duæ inesse videntur; quia et vivens a vivente manat Spiritus; et ex naturali, conjunctoque principio, quæ est divina ipsa natura. De tertia itaque omnis debet esse quæstio, in qua recentiorum fere theologorum altercationes opinionesque versantur. Nam nemo est illorum, qui non Spiritum sanctum putet ideo Filium non

1 Lib. VI *de Trin.* cap. XVI.

esse, quia non procedit in naturæ similitudinem. Sed interest, quo quisque sensu commune dictum illud interpretetur.

Omnes quidem in eo fere conspirant, ut propterea Filius sit secunda Trinitatis persona, quoniam intelligentiæ, quæ in Deo est, sive mentis actione producitur; non sit autem Spiritus sanctus, quia ex amore, et voluntate procedit; tanquam proprium sit hoc, et naturale menti, similem ut ejus, quod cognoscit, notionem efficiat, quod *Verbum mentis* appellari solet, quæ est imago, similitudove rei perceptæ. Cum enim amore ac voluntate in rem quampiam ferimur, iste ipse voluntatis impetus, non hoc habet natura sua, ut amatæ, ac cupitæ rei sit similis, aut imago, atque effigies sit illius; sed ut pondus sit quoddam, inclinatioque voluntatis in id, quod amatur, eam attrahens, extraque se quodammodo profundens. Hoc quia peculiare est personæ tertiæ, ut eo modo procedat; idcirco non eam illius, a quo procedit, similitudinem esse, vel imaginem affirmant. Qua in re declaranda magna est eorum, quos nominavi, doctorum de schola dissensio. Sed ea nihil ad nos pertinet, qui genus aliud tractationis instituimus, mollius et elegantius, ac veterum tantummodo Patrum placita consectamur; nisi quod pauca interdum adjungimus ex illo posteriore, cum necesse est; quod hoc etiam loco parcius, si forte, præstabimus. Sed prius antiquorum decreta persequamur.

III. Horum plerique, cum de secunda persona contra Arianos disputant, Filium esse, gignique demonstrant eo ipso, quod Verbum sit, atque ex æterni mente Patris ortum habeat. Sic Augustinus breviter, sed diserte ait epistola nona et quadragesima[1], « Christum dici verbum Dei, per quod facta sunt omnia, et ideo Filium, quia verbum; nec verbum dictum, atque transactum, sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum, atque incorruptibiliter manens. » Idem Augustinus[2] alibi, « Eo ipso Filius, inquit, quod Verbum. » Eoque spectat alter ejusdem locus, quem ex nono *de Trinitate* adduximus antecedenti capite; ubi notitiam mentis partum quemdam ejus, ac prolem appellat.

Athanasius vero contra Arianos agens, qui λόγον, et quidem multiplicem, a Deo pronuntiatum esse dicebant, non tamen proprie, et ex substantia genitum esse Filium, satis esse contendit, ut Deus Filium genuisse credatur, et esse revera Pater, si hoc conceditur, Verbum ab eo esse prolatum. « Utinam, inquit, isti vel ex iis, quæ modo dicunt, veritatem fateri velint. Nam si hoc semel concesserint, Deum sermones proferre, omnino Patrem eum agnoscunt. Hoc vero cognoscentes, considerent se, cum unum Dei Filium nolunt concedere, multorum ipsum Patrem esse falsa opinione fingere. Ac Dei quidem omnino esse verbum, inficiari nolunt; hoc vero esse Dei filium, nolunt confiteri. Sed istud est ignoratio veritatis, et sacrarum Scripturarum inscitia. Nam si omnino Deus est Verbi pater, cur non et hoc, quod gignitur, Filius est? Rursus vero Dei filius quis esse potest, nisi ejus verbum[a]? » Ac subinde tum ex iisdem constare Scripturis ait Filium Dei ipsius esse verbum, tum ejus imaginem[b]. « Porro cum imaginem appellas, Filium significas. Quid enim simile Deo esse potest, nisi orta ex ipso progenies[c]? »

Idem et in oratione secunda *adversus Arianos* divinæ generationis proprietatem, ac differentiam, qua ab creatarum rerum generatione secernitur, ea re sola definit, quod illa sit verbi productio; idque verus sit fetus illius, ac terminus. Ex quo sequitur, nihil earum sordium, ac passionum, quibus implicatæ illæ sunt, in istam generationem incidere. Itaque Scripturam ait, cum de divina generatione loquitur, duo ista nomina conjunctim usurpare, λόγον, et υἱὸν, *Verbum*, et *Filium*, ut « naturalem, ac verum substantiæ fetum, » sive, ut Latinus interpres sæpe ait, « genimen declararet. Sed ut ne quispiam humanum existimaret esse fetum, rursus ejus substantiam significans, verbum ipsum esse et sapientiam, et splendorem as-

a Athan. *de Decret. syn.* Εἴθε δὲ καὶ οὗτοι κἂν ἐξ ὧν λέγουσι νῦν, ἐθελήσουσιν ὁμολογεῖν τὴν ἀλήθειαν. εἰ γὰρ ἅπαξ διδόασι τὸν θεὸν προφέροντα λόγους, ἴσασιν ὅλως αὐτὸν πατέρα· τοῦτο δὲ γινώσκοντες, σκοπείτωσαν ὅτι μὴ θέλοντες ἕνα διδόναι τοῦ θεοῦ λόγον, πολλῶν αὐτὸν εἶναι πατέρα φαντάζονται. καὶ τὸ μὲν ὅλως εἶναι τοῦ θεοῦ λόγον, οὐ θέλουσιν ἀρνεῖσθαι· τὸ δὲ εἶναι τοῦτον τοῦ θεοῦ υἱὸν, οὐχ ὁμολογοῦσιν. ἔστι δὲ τοῦτο τῆς ἀληθείας ἀγνωσία, καὶ τῶν θείων γραφῶν ἀπειρία. εἰ γὰρ ὅλως ὁ θεὸς πατήρ ἐστι λόγου, διὰ τί μὴ καὶ ὁ γεννώμενος υἱός ἐστι; υἱὸς δὲ πάλιν τοῦ θεοῦ τίς ἂν εἴη, ἢ ὁ λόγος αὐτοῦ;

b Mox : Καὶ γὰρ ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, ὡς ἐξ αὐτῶν τῶν λογίων ἐστὶ μαθεῖν, αὐτός ἐστιν ὁ τοῦ θεοῦ λόγος.

c Item : Καὶ τὴν εἰκόνα δὲ λέγων, τὸν υἱὸν σημαίνει· τί γὰρ ἂν εἴη ὅμοιον τῷ θεῷ, ἢ τὸ ἐξ αὐτοῦ γέννημα;

1 Qu. I. — 2 Tract. XLIV *in Joan.*

serit. Hinc enim et impatibilitas generationis, et æternitas, ac decorum illud, quod in Deum conveniat, æstimamus[a]. » Veram ergo, propriamque generationem, cujusmodi cadere potest in divinitatem, eo solo definit, quod verbum mentis, ac notio fetus sit illius, et terminus.

Atque idem etiam Athanasius in libro *de Synodis*, Arianos *consubstantialis* nomen idcirco damnare dicit, quod minime credant, Deum vere Patrem esse, ac Filium vere esse Filium, et Verbum Patris. Nam si verum, ac naturale esse Verbum agnoscerent, utique verum Filium esse faterentur, non creaturarum instar a Deo productum; neque synodi Nicænæ decretum illis displiceret[b]. Ibi λόγον, id est *Verbum*, ἴδιον τῆς οὐσίας γέννημα, *proprium, et naturalem substantiæ fetum, ac prolem* nominat. Quod et postea in eodem libro repetit, aitque Filium οὐσίᾳ esse λόγον, et σοφίαν Patris; quæ substantia paternæ substantiæ γέννημα est, et similitudo[c].

Substantia esse Verbum et sapientiam.

Ad hæc in oratione tertia, quam Græci, ut jam dixi, secundam numerant, evidenter demonstrat, eatenus Filium esse, qua est λόγος, dum adversus Arianos probat, non illum a Deo factum esse, nec opus Dei, sed omnino Filium, eo quod, nisi ante Filius existat, nullum exstare potest opus Dei; siquidem omnia per Verbum, et in sapientia fiunt, quæcumque fiunt. Igitur, qua Verbum est, Filius est[d].

Et in eadem oratione : « Quomodo igitur per ipsum creat, si non est Verbum ipsius, et Sapientia? Quomodo vero Verbum erit, et Sapientia, si non proprius est fetus substantiæ ipsius[e]? » Quod tanto etiam ante Athanasium animadverterunt vetustissimi scriptores duo, Theophilus Antiochenus in primo *ad Autolycum* : «Sapientiam, inquit, si dixero, Filium ejus dico[f]; » et Clemens Alexandrinus in *Protreptico* « λόγον ait esse genuinum mentis filium[g]. »

Denique in oratione v Athanasius pluribus contendit, eo ipso, quod est λόγος, esse Filium. Gregorius Nyssenus in tertio *contra Eunomium*, illum Joannis explicans locum, *In principio erat Verbum*, causam reddit, cur Verbi nomine potius, quam Filii uti voluerit; idque eo factum ait, ne quis paulo hebetior inde suspicetur, similiter atque in humana generatione, propagari Filium istum. Quare λόγον appellare maluit, quo passionis expertem illam generationem esse monstraret. Ut appareat, generationis, qua est in Deo, propriam hanc esse rationem, ut sit λόγου, id est *Verbi* productio. Quod et in libro *Catechetico*, capite primo, uberrima oratione declarat; et in libro, quem de iis Scripturæ verbis elucubravit, *Ad imaginem Dei, et similitudinem*. Quo in libro generationes humani esse verbi duas asserit : alteram, qua ex corde, sive mente oritur proxime ita, ut sub sensus non cadat : alteram, qua extrinsecus progreditur, ac labris, et ore formatur, atque ad sensum aurium pervenit; quibus totidem divini Verbi respondere generationes ait, unam ex Patris intelligentia sempiternam, alteram ex matre corpoream.

Propria generationi divinæ ratio est ut sit Logou i. e. Verbi.

IV. Basilius homilia in *Evangelii* Joannis initium, de Verbi voce simillime disserit, eam divinæ generationi exprimendæ visam aptissimam : « Cur, inquit, Verbum dicitur? Ut ostendatur ex mente processisse. Cur Verbum? Quoniam sine passione genitum est. Cur Verbum? Quoniam imago est genitoris, totum in seipso genitorem exprimens, nihil inde decerpens, ac perfectum ex sese, sicut et

a Athan. Ἀμφότερα γοῦν ἡ γραφὴ συνάπτουσα, υἱὸν ἔφησεν· ἵνα τὸ φύσει, καὶ ἀληθινὸν γέννημα τῆς οὐσίας εὐαγγελίσηται. ἵνα δὲ μή τις ἀνθρώπινον ὑπολάβοι τὸ γέννημα, πάλιν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνων, λόγον αὐτὸν εἶναι, καὶ σοφίαν, καὶ ἀπαύγασμά φησιν. ἐκ γὰρ τούτου καὶ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, καὶ τὸ ἀΐδιον, καὶ τῷ Θεῷ πρέπον λογιζόμεθα.

b Idem, *de Syn.* Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τὴν τοῦ ὁμοουσίου λέξιν διαβάλλουσι, κακῶς αὐτοὶ φρονοῦντες καὶ περὶ αὐτῆς. εἰ γὰρ ἐπίστευον ὀρθῶς, καὶ τὸν μὲν πατέρα ἀληθῶς ὡμολόγουν, τὸν δὲ υἱὸν, γνήσιον υἱὸν, καὶ φύσει ἀληθινὸν λόγον, καὶ σοφίαν ἐπίστευον εἶναι τοῦ πατρὸς, τό, τε ἐκ τοῦ Θεοῦ λέγειν τὸν υἱόν, εἰ μὴ ὥσπερ λέγεται περὶ τῶν κτισμάτων, οὕτως ἔλεγον καὶ περὶ αὐτοῦ, ἀλλὰ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν ἐνόουν εἶναι γέννημα, ὡς ἔστι τὸ ἀπαύγασμα ἐκ τοῦ φωτὸς, οὐκ ἂν ἕκαστος αὐτῶν κατηγόρει τῶν πατέρων.

c Ibid. Ἔπειτα, εἰ μὴ ἐκ μετουσίας ἐστὶν ὁ υἱὸς, ἀλλὰ τῇ οὐσίᾳ λόγος ἐστὶ καὶ σοφία τοῦ πατρός· ἡ δὲ οὐσία αὕτη τῆς οὐσίας τῆς πατρικῆς ἐστι γέννημα, καὶ ὁμοιότης αὐτῆς, ὥσπερ καὶ τὸ ἀπαύγασμα τοῦ φωτός, etc.

d Athan. orat. iii. Εἰ γὰρ μή ἐστιν υἱὸς, οὐδὲ εἰκών· μὴ ὄντος δὲ υἱοῦ, πῶς ἄρα τὸν Θεὸν κτίστην εἶναι λέγετε; εἰ γὰρ διὰ λόγου, καὶ ἐν σοφίᾳ πάντα τὰ γινόμενα γίνεται· χωρὶς δὲ τούτου οὐκ ἄν τι γένοιτο· οὐκ ἔχει καθ' ὑμᾶς ἐν ᾧ καὶ δι' οὗ τὰ πάντα ποιεῖ.

e Ibid. Πῶς οὖν δι' αὐτοῦ κτίζει, εἰ μὴ ὁ λόγος ἐστὶν αὐτοῦ, καὶ ἡ σοφία; πῶς δὲ λόγος ἂν εἴη καὶ σοφία, εἰ μὴ ἴδιον γέννημα τῆς οὐσίας αὐτοῦ;

f Theoph. Σοφίαν ἐὰν εἴπω, γέννημα αὐτοῦ λέγω.

g Clem. Alex. *Protr.* Λόγος υἱὸς νοῦ γνήσιος.

nostrum verbum totam in se cogitationem nostram refert [a].»

Gregorius item Nazianzenus oratione sexta et tricesima, « Verbum, inquit, appellatur, quoniam sic se habet ad Patrem, ut Verbum ad mentem [b]. » Tum, « Omnis, inquit, fetus genitoris est tacens sermo. »

Ita Chrysostomus homilia secunda *in Joannem :* « Propterea Verbum etiam ipsum nominavit. Nam quia illud edocturus erat, Verbum hoc unigenitum esse Filium Dei; ne quis patibilem putaret esse generationem, appellatione illa Verbi occupans, pravam antea suspicionem aufert, cum ex ipso esse demonstrans, tum sine passione Filium [c]. » Et in homilia quadam in principium *Evangelii* Joannis idem affirmat, λόγον potius appellasse Joannem, quam Filium, ut quod proprium est divinæ generationis, passionis ac divisionis expertem eam esse monstraret. « Non est igitur Filius quasi pars aliqua Patris, ut Cyrillus loquitur, sed ex ipso, et in ipso. Nam quia ex ipso est, Filius vocatur; quia vero in ipso, sapientia, et Verbum, etc. Nam si humanus intellectus verbum sine ulla partitione ex seipso generat, nec passio ulla propter hoc sibi accidit, et verbum quidem in mente, mens vero in verbo, et omnino alterum in altero depictum videtur; nec sine verbo mens intellectus unquam fuit. Non erit enim mens, si verbo caret [d]. » Sed et in *Commentariis in Joannem*[1] illud sæpe commendat idem Cyrillus, Dei Filium vere, et proprie esse Filium, et ex ejus natum substantia, et eumdem intimum esse Dei Verbum, atque ejus imaginem, et characterem.

Logon.

V. Accedit his Isidorus Pelusiota [2] qui productionem Verbi dici generationem ait, ut eadem amborum substantia significetur; Verbum autem nominari, uti τὸ ἀπαθὲς exprimatur. Porro ut cum generationis, ac Filii vocabula transferimus e creatis rebus, secernimus animo, quidquid crassum inest, et corruptibile, velut divisionem substantiæ, temporis ordinem, ac gradum, atque id genus alia; unum vero illud adhibemus, naturæ, ac substantiæ communionem; ita cum Verbum appellamus, adimimus id quod est implicatum cum illius notione vocis, quatenus creaturis convenit, veluti τὸ ἀνυπόστατον, ac fluxam sermonis, transeuntemque volubilitatem, ac τὸ ἀπαθὲς solum assumimus, aut, ut alii Patres adjiciunt, etiam imaginem, ac similitudinem. Hæc Isidorus; quem locum in libro IV descripsimus.

Passionis expers.

Insubsistentiam.

Ambrosius libro *de Incarnatione Christi*, capite tertio : « Si multa verba, multi Filii. » Et Augustinus tractatu XLVIII *in Joannem:* « Verbum Dei semper cum Patre, et semper Verbum; et quia Verbum, ideo Filius. » Idem et in tractatu *in Psalmum* XLIV, *dicere*, ut et *eructare*, idem esse ait ac generare. « Ipsum *dico*, inquit, generationem Filii significat. » Et : « Sicut *eructavit cor meum verbum bonum*, intelleximus ibi generationem Filii; veluti repetitio mihi videtur, facta in consequenti sententia, ut illud, quod dictum est, *Eructavit cor meum verbum bonum*, repeteretur in eo, quod ait *dico*. Quid enim est *dico*? Verbum profero? »

VI. Longiorem ac minime necessariam operam sumam, si plures citare velim ejus rei testes, qui divinam productionem ideo generationem esse proprie, vereque dictam adstruunt, quod per eam Verbum, ac notio mentis existit. De quo, et in secundo libro, et in quarto non pauca tradidimus, cum generationis, ac Filii, Patrisque proprietates explicaremus. Quibus ex omnibus vera ejus, quod propositum est, ratio conficitur, cur sola Tri-

Verbum vi originis habet ut sit similitudo Patris, non vero Spiritus sanctus.

a Basil. Διὰ τί λόγος; ἵνα δειχθῇ ὅτι ἐκ τοῦ νοῦ προῆλθε. διὰ τί λόγος; ὅτι ἀπαθῶς ἐγεννήθη. διὰ τί λόγος; ὅτι εἰκὼν τοῦ γεννήσαντος, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν γεννήσαντα, οὐδὲν ἐκεῖθεν ἀπομερίσας, καὶ τέλειος ὑπάρχων καθ' ἑαυτὸν, ὡς καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος ὅλην ἡμῶν ἀπεικονίζει τὴν ἔννοιαν.

b Nazianz. Λόγος δὲ, ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος.

Item : Γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος.

c Chrys. Διά τοι τοῦτο καὶ λόγον αὐτὸν ἐκάλεσεν. ἐπειδὴ γὰρ μέλλει διδάσκειν, ὅτι οὗτος ὁ λόγος μονογενής ἐστιν υἱὸς τοῦ θεοῦ, ἵνα μὴ παθητὴν ὑπολάβῃ τις τὴν γέννησιν, προλαβὼν τῇ τοῦ λόγου προσηγορίᾳ προαναιρεῖ τὴν πονηρὰν ὑποψίαν, τό τε ἐξ αὐτοῦ τὸν υἱὸν εἶναι δηλῶν, καὶ τὸ ἀπαθῶς.

d Cyril. lib. IV *Thes.* Οὐκ ἔσται τοίνυν ὥσπερ τι μέρος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ· διὰ μὲν τοῦ καλεῖσθαι υἱὸς, τὸ ἐξ αὐτοῦ· διὰ δὲ τοῦ καλεῖσθαι σοφία, καὶ λόγος, τὸ ἐν αὐτῷ γνωρίζεται, etc.

Ibid. Εἰ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς ἀμερίστως, ἐξ ἑαυτοῦ τὸν προφορικὸν ἀπογεννᾷ λόγον, καὶ πάθος οὐδὲν περὶ αὐτὸν, ἐκ τούτου γίνεται, ἀλλ' ἔστιν ἰδεῖν ἐν μὲν τῷ νῷ τὸν λόγον, ἐν δὲ τῷ λόγῳ τὸν νοῦν, καὶ ἑκάτερον αὐτῶν ἑκατέρῳ ζωγραφούμενον· καὶ οὐκ ἄν τις εἴποι σωφρονῶν ἄλογόν ποτε γεγενῆσθαι τὸν νοῦν. οὐκέτι γὰρ ἔσται νοῦς λόγον οὐκ ἔχων.

1 Lib. I, cap. III et IV. — 2 Lib. IV, ep. CXLI.

nitatis secunda persona gignatur, et sit Filius. Hoc enim superiora omnia, quæque alibi commemoravi, veterum loca continent, idcirco Filium esse, proprieque gigni, quia Verbum est, quod a Deo nonnisi substantiale, et omni ex parte simile, et æquale produci potest; utpote cum naturalis, et οὐσιώδης imago sit, et similitudo intelligentis se Dei, idque habeat ex propria, et nativa conditione originis suæ, ut eum referat. Nam omne verbum imago est, et similitudo rei cognitæ. Sed in creatis rebus, accidens est, et sola, ut vulgo nominant, *intentionalis* expressio. In divinitate vero, quæ perfectissimam, et infinitis partibus præstantiorem imaginem exigit, quoniam « perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, » ut in septimo *de Trinitate* scribit Hilarius intima, et substantialis est ista similitudo, nulla re a prototypo discrepans, præterquam originis habitudine.

Quocirca eo solo vere dicta generatio est divini Verbi productio, quod ex vi sua, propriaque notione, et natura hoc habet, ut imago sit, expressaque similitudo producentis. Quod præter superiores illos Patres, diserte nos docet Hilarius in eodem septimo libro, ubi imagines arte factas cum hac, de qua agimus, comparans, « Filius, inquit, Patris non secundum hæc imago est, qui viventis vivens imago est, et ex eo natus non habet naturæ diversitatem, et in nullo diversus tenet naturæ ejus, in qua non diversus est, potestatem. Quod ergo imago est, eo proficit, ut Deum Patrem unigeniti Dei significet nativitas; significet autem ut forma, et imago invisibilis Dei. » Idem docet auctor etiam libri *de Incarnatione Verbi*, qui est in appendice tomi quarti Augustini, cap. XI.

At vero Spiritus sanctus ex vi, conditioneque processionis suæ, non hoc obtinet, ut imago sit, et expressio substantiæ ejus, a quo procedit; quia voluntatis, amorisque propensio non amatæ rei similitudo est, sed copulatio, ac vinculum, amantem cum eo, quod amatur, colligans, ac devinciens. Idem

Substantialiter.

tamen, quia οὐσιωδῶς a Deo oritur, et in Deo est, necessario Deus est, non *formali*, ut in scholis loquuntur, necessitate, sed *materiali ;* quoniam « consubstantiale illi est, quidquid ejus est, et quidquid est, quia Deus est, » ait Augustinus [1]. Cui adjungendum est illud Rhabani Mauri ex primo *de Universo* [2] *:* « Spiritus sanctus ideo prædicatur Deus, quia ex Patre, Filioque procedit, et substantiam ejus habet. Neque enim aliud de Patre procedere potuit, quam quod ipse est Pater. »

VII. Quemadmodum igitur, etsi relativa proprietas, quæ conjuncta cum essentia personam quodammodo componit, una sit, eademque res cum essentia, nec ab ea ullo modo discrepans, tamen sic ab eo nostro intelligendi more, et ut Græci Patres loquuntur, ἐπινοίᾳ distinguitur, ut non eadem utrique prædicata conveniant, ac notionibus invicem distent; sic processio Spiritus, quamvis habet quiddam cum Verbi productione commune, uti stilicet ejusdem substantiæ cum producente velut fructum proferat, propriam tamen rationem præterea continet, propter quam generatio dici non debet; quia hoc ipsum, quod similem, et consubstantialem producit personam, non ex nativa, et, ut philosophi dicunt, *formali* proprietate obtinet, quæ illam ab alia propagatione distinguit. Siquidem intellectioni omni ex suapte natura, definitioneque id convenit, ut sit similitudinis rei cognitæ, atque imaginis expressio; perfectissimæ vero intellectioni, ut perfectissimæ sit imaginis productio. At imago perfectissima, similitudoque, qua nulla fingi potest præstantior, ea est, quæ non externa tantum conformatione, ac repræsentatione respondet objectæ rei, sed eam omni ex parte refert, ut et ipsa vivens sit substantia, quia viventis est imago substantiæ, ac reliquis omnibus prædita, quæ in eo sunt, vel potius quæ est hoc ipsum, quod cognitioni isti subjicitur. Amor autem, affectusque voluntatis in id, quod amatur, et propensio, neque est expressio per sese similitudinis ullius, neque ut perfectissima sit, si a divinitate cogitando secernatur, perfectissimam imaginem, hoc est, eadem natura et substantia præditam requirit. Quare ut ex ea similis illi, quæ amatur, existat substantia, non vis ipsa propensionis, ac processionis istius facit; sed quasi ex accidenti, et extrinsecus id oritur, quatenus nihil a Deo actione intima procedere, et inesse in Deo potest, nisi Dei simile, imo Deus.

VIII. Declaratum hoc a nobis est supra capite quarto, dum Græcorum Patrum sententias expendimus, qui Spiritum sanctum *imaginem* esse Filii, quidam etiam λόγον, ac *Verbum* dixerunt. Ubi illud discrimen productionis utriusque notavimus, quod Verbum ex

1 Tract. XXX *in Joan.* — 2 Cap. III.

vi originis suæ id habet, ut imago sit; quia productio ejus naturalem hunc spectat, ac directum finem, ut similitudinem exprimat ejus, quod mente cognoscitur, Spiritus vero productio, etsi idem consequitur, quia est a Deo, et in Deo, non tamen ex vi sua, sive directa, ut loquuntur, *intentione* naturæ, ac proprietate illius actionis, quæ per sese, et ut voluntatis operatio est, nullius ad expressionem similitudinis tendit, ac dirigitur.

Huic opinioni suffragatur Anselmus, qui in *Monologio* causam hanc affert [1], cur Verbum proles sit, ac Filius, non Spiritus sanctus; quod « Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse ejus, a quo est, evidentissime probat, promptam præferendo Patris imaginem. At amor aperte se prolem negat, quia dum a Patre, et Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, ejus, ex quo est, similitudinem, quamvis ipsum considerata ratio doceat omnino idipsum esse, quod est Pater, et Filius. » Hæc ipsissima est ratio quam exposui. Cui alteram mox adjungit, minus, ut opinor, accuratam de Spiritu sancto; quem non dici Filium ideo asserit, quod cum a duobus procedat, « aut alter eorum erit Pater ejus, alter mater; aut uterque Pater, sive mater est, quæ omnia veritati repugnare videntur. » Non esse alterum Patrem, alterum matrem, hic probat, quoniam « nullatenus aliter a Patre procedit, quam a Filio; unde nulla veritas patitur, ut dissimili vocabulo ad illum Pater, et Filius referantur. Non est igitur alter Pater ejus, alter mater. » Utrumque autem dici non posse Patrem, matremve sic efficit, quoniam « ut duo aliqua sint, quæ singula perfectam, et nulla consideratione differentem habeant pariter ad aliquid unum, Patris, aut matris habitudinem, nulla natura aliquo monstrari concedit exemplo; » hoc est, nusquam reperimus duos simul Patres ejusdem esse Filii, vel duas matres. « Ergo non est uterque, scilicet Pater et Filius, Pater aut mater amoris a se manantis. » Hæc Anselmus, quæ minus exacta esse merito judicamus.

IX. Nec Guillelmum Parisiensem omiserim [2], qui de instituta quæstione sententiam suam explicat sic. « Amor rectissimus, atque gratuitus procedit ab amante, ut donum a datore. Filius autem a Patre, ut genitus a genitore. Et intentio generantis est in prolem, ut sit. Generatio enim via est ad esse; et *esse* terminus est generationis, seu finis. Intentio vero donantis non est finaliter, ut res data sit, sed extenditur ulterius, videlicet in hoc, ut sit alterius, juxta usitatum illum sermonem, quo dicitur, quod dare est suum accipientis facere. Datum etiam, seu donum omne per hoc, quod est donum, vel datum, non solum est, sed etiam est alterius. Per hoc autem, quod est alterius, non est imago donantis, sive dantis; neque hoc est in ratione seu necessitate ejus, quod est datum, vel donum. Et eodem modo manifestum est se habere de amore, in quantum amor. Verbum autem spirituale, quod est intellectus genitus, est ex necessitate imago ejus, a quo gignitur. Sicut vides in intellectibus, qui gignuntur a rebus in animabus nostris, et resultant in eis, tanquam imagines ipsarum rerum in speculis. » Mox deinde, « Generatio, inquit, omnis per similitudinem est, et ut sonat ipsum vocabulum, generatio est generis sui de seipso propagatio, sive multiplicatio; et hoc de seipso, et per se, ut dixi; quoniam in multiplicatione ipsa stat finaliter intentio generantis. » Quibus in verbis productionem Filii generationem esse recte concludit eo ipso, quod per se, et *ex intentione*, hoc est *ex operatione naturæ*, ut Richardus loquitur [3], imago est cognoscentis semetipsum. Spiritus vero productionem non esse generationem, erudite colligit ex eo, quod generatio in hoc tendit, ut sit, quod oritur. Quod autem donatur, non in hoc præcise dirigitur, ut sit, sed ut sit alterius.

X. Ad extremum, duo quidam imaginis proprietatem in Filio non recte mihi declarasse videntur, Rupertus, et Richardus; quorum ille Spiritum sanctum similitudinem esse Patris [4], et Filii, non imaginem, ita disputat: « Imago et similitudo hoc differunt, quod imago unius imago est, similitudo autem nunquam minus quam duorum similitudo est, etc. Est ergo Filius imago Patris. Sanctus autem Spiritus similitudo Patris, et Filii. Communis enim bonitas, sive charitas est Patris, et Filii. » Verum similitudinem, nonnisi unius ad duos esse, id vero est falsum.

Richardus autem cum recte docet, ideo Spiritum sanctum non esse Filium, [5] quia

1 Cap. VIII. — 2 In II Par. partis I *de Universo*. cap. CLXXV. — 3 Lib. VI *de Trinit.* cap. XVI. — 4 Lib. II *in Gen.* cap. II.— 5 Lib. VI *de Trinit.* cap. XI, XVIII, XIX, XX, XXI.

imago non est; Verbum esse, quia imago est; tum ejus discriminis parum probabilem causam assignat. Verbum enim imaginem ideo esse putat, quod non solum plenitudinem divinitatis accipit a Patre, sed hoc etiam, ut eam alteri personæ communicare possit. Unde similis est in hoc Patri, et ejus imago, quod Spiritui non convenit, qui sic accipit, ut dare alteri non possit.

Verum imaginis in Verbo ratio ad ipsam substantiam Patris, et essentiam comparatur, non ad notionales, ac relativas proprietates, ut in quinto libro fuse disputavi. Itaque nihil hac ex parte vetat Spiritum sanctum imaginem esse Patris, vel Filii.

Cur Filius alium Filium propagare nequeat.

Cur autem Filius alterum Filium propagare nequeat, ut a Patre genitus est ipse, causam indicat Athanasius in libro *de Spiritu sancto ad Serapionem* [a], quod homines quidem ita generent, ut partem tantummodo substantiæ, non totam ipsam derivent in filios. Unde, ait, filii vicissim alios gignunt filios. At in divinitate secus res habet. Non enim Filius pars est Patris, sed totus est imago totius, et splendor. Quæ Athanasii ratio non contemnenda est; neque merito ab recentioribus quibusdam, quasi minus efficax, reprehenditur. Nam non illud solum in ea considerandum est, quod utcumque Filius a Patre gignitur; sed modus ipse generationis divinæ spectandus est; nimirum quod intelligentia, et cognitione, utpote verbum, et expressa notitia, producitur, cujus secunda, et genitalis vis unica cognitione sic exhauritur, nulli ut alteri Verbo, ac termino producendo locus esse possit. Cum enim in Deo, divinaque substantia nihil insit, nisi actu, et ἐντελεχείᾳ, δυνάμει vero, et *potentia* nihil sit; cum seipsum contemplatur, dicitque Deus, totum utique comprehendit, ac verbo suo totum se complectitur. Quod Athanasius exprimit, cum ait, « totum esse totius imaginem, et splendorem. » Itaque verbum aliud esse nullum potest; quia verbum verbo nihil opus habet, cum ipsum per se tam sibi, quam rei cognitæ declarandæ sufficiat. Est igitur idonea ista causa, cur neque Pater Verbum alterum producat, tanquam prioris fratrem, neque Filius alterum Filium, verbumve, velut Patris nepotem; quia tota unico intelligendi actu, ut essentia, sic essentiæ genitabilis vis, ac Verbi propagatrix fecunditas exhauritur.

Quo vero sensu Spiritus sanctus imago Filii, ac Verbum etiam a Græcis quibusdam appellatus sit, satis in superioribus, capite quinto libri hujus exposuimus.

Cur Spiritus Sanc. dici non debeat ingenitus.

XI. Jam cum Spiritum sanctum γεννητὸν, id est *genitum* non esse constet, nata hæc est apud Græcos potissimum quæstio, sitne nominandus ἀγέννητος, *ingenitus*, aut *innatus*. Quippe vocabulum hoc ἀγεννήτου Patris esse proprium, et χαρακτηριστικὸν, passim Græci theologi prædicant. Propterea Macedoniani, et hæretici reliqui Spiritus oppugnatores, hac usi sunt argumentatione, quam Basilius refellit [1]. Quoniam quidquid est, aut ἀγέννητον est, aut γεννητὸν, aut κτιστὸν, id est, *creatum*; Spiritus vero neutrum est priorum duorum; quia neque Pater est, neque Filius; videri esse tertium. Huic Basilius opponit nihil, præter humanæ inscitiæ prædicationem; quod cum in minimis explorandis hæsitemus, minime ad ista summa, et abstrusa capienda simus idonei.

Theodoretus vero dialogo tertio, cur non sit appellandus ἀγέννητος, causam hanc unam esse significat, quod in Scripturis nusquam ita vocatus sit. Augustinus autem hanc affert, ne Pater esse videatur [2]. « Ideo enim cum Spiritum sanctum genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos, qui non sunt de alio, quispiam suspicetur. Pater enim solus non est de alio; ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium, et de re tanta sermonem, qualem valuerint, proferentium [b]. » Recte id quidem Augustinus. Nam nisi hoc periculum haberet usus istius vocis in Spiritu sancto, posset ἀγέννητος dici ea notione, quam uberius in quinto libro tradidi, quod a nullo sit factus, aut genitus, non illa tamen, quam plerique veterum subjiciunt, quod principii sit expers. Quibus Richardus in sexto *de Trinitate* consentanee scribit [3] : In

a Athan. Μέρη γάρ εἰσιν ἀλλήλων, καὶ ἕκαστος γεννώμενος ἔχει τοῦ πατρὸς μέρος, ἵνα καὶ αὐτὸς ἑτέρου γένηται πατήρ. ἐπὶ δὲ τῆς θεότητος οὐκ ἔστιν οὕτως. οὐ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεός· οὐδὲ γεννᾷ υἱὸν μεριζόμενος, ἵνα καὶ αὐτὸς γένηται πατὴρ ἑτέρου· ἐπεὶ οὐδὲ αὐτός ἐστιν ἐκ πατρός. οὔτε ὁ υἱὸς δὲ μέρος ἐστὶ τοῦ πατρός. διὸ καὶ οὐδὲ γεννᾷ, ὥσπερ γεγέννηται αὐτός· ἀλλὰ ὅλος ἐστὶν ὅλου εἰκὼν, καὶ ἀπαύγασμα.

b Theod. Ὀρθ. Καὶ τί δήποτε μὴ καλεῖς ἀγέννητον τὸ φύσει μὲν ἄκτιστον, μηδαμῶς δὲ γεγεννημένον; Ἐρα. Ὅτι τοῦτο οὐ μεμάθηκα παρὰ τῆς θείας γραφῆς· καὶ σφόδρα δειμαίνω λέγειν τὰ παρ' ἐκείνης σεσιγημένα.

1 Tom. I, hom. XXVII *contra Sabell.* — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. XXVI. — 3 Cap. LXI.

humana, inquit, natura ubi persona de persona gignitur, unus pater, alter filius nominatur. Recte ergo Spiritus sanctus genitus non dicitur, ne qui Filius non est, filius putetur. Nec tamen ingenitus dicitur, ne eo ipso is, qui a semetipso non est, aliunde habere originem negetur. »

Hanc eamdem rationem pleraque Augustini pseudepigrapha referunt[1]. Tum Isidorus Hispalensis in septimo *Originum*, Rathramnus lib. III, Rhabanus[2], Alcuinus[3], Hugo Victorinus[4], et Magister Sententiarum[5]. Quorum plerique sic loquuntur, tanquam eadem sit amborum istorum causa nominum, ut de Spiritu minime dicantur. Sed non est. Nam

Genitus. γεννητὸς appellari nullo pacto debet, si proprietatem vocabuli spectes. Non enim genitus est.

Per catachresim. Liceret tamen καταχρηστικῶς ex eorum usu, qui γεννητὸν, et γενητὸν confundunt, ut in quinto lib. primis capitibus exposui, et γενητὸν utcumque productum interpretantur. At nomen ἀγεννήτου, quocumque usurpetur modo, hoc est sive pro ἀγενήτῳ sumatur, idemque sit atque *increatum*, sive *non genitum* significet, in Spiritum sanctum convenit, qui neque generatione, neque creatione productus est*. Complures tamen antiquorum, ut venenum, quod sub istis latebat vocibus, evitarent, neutrum maluerunt Spiritui sancto tribuere, medium quiddam

Procedens. inter utrumque illi assignantes, τὸ ἐκπορευτὸν, ut Gregorius Nazianzenus. Vide sanc. Thomam opusculo I *contra errores Græcorum*, capite octavo[6].

CAPUT XV.

Græcorum recentiorum contra Latinos objecta refelluntur. Cur a Patre procedere dicatur interdum, omisso Filio. Spirandi vim, ut et spirationem, unam esse in Patre et Filio; ambos unum esse principium Spiritus sancti. Ex hypostasi non minus, quam οὐσίᾳ *Filii procedere Spiritum.*

I. Quemadmodum Spiritus sancti a Patre, Filioque processio se habeat, utque sic ortum ab illis capiat, ut non gignatur, neque Filius sit amborum, satis declaratum puto superioribus capitibus. Sequitur ut Græcorum adversus Latinos argumenta persequar, quæ in hunc locum ideo distuli, quod ante originis illius ratio, et natura perscrutanda fuit, ut eo veluti jacto fundamento, paratiores ad illa diluenda veniremus. « Nam cognitio veritatis, ut ait Augustinus[7], omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita et dijudicare, et subvertere idonea est. »

Ac si quis illa, quæ de modo processionis istius exposita sunt, accurate tenuerit, nihil in omni argumentatione illorum inesse videbit, præter aut inscitiam ejus, de quo agitur, aut calumniam; dum quale sit Latinorum, quod oppugnant, dogma vel non satis intelligunt, vel contentionis studio dissimulant, vel in vocum denique subtilitate potius, quam rerum obscuritate jactantur. Quamobrem poteram illa quidem impune prætermittere, quæ contra nos objicere solent, præsertim cum copiose refutata ista sint tam a Græcis Catholicis, quam ab nostris, id est, Latinis, ut ab Joanne Becco, Emmanuele Caleca, Bessarione, Demetrio Cydone, Gennadio, Hugone Etheriano, et Anselmo, qui singillatim omnia fere illorum objecta diluerunt.

Verum ne quid omissum a nobis esse, quod ad institutam tractationem attinet, conqueri possit hujus operis lector; pauca seligam argumenta Græcorum, quorum explicatio ad processionis illius intelligendam naturam, et ea, quæ hactenus tradita sunt, subtilius enucleanda, utilitatis aliquid afferre possit. Tenebimus autem hunc in illis proponendis ordinem, ut ea, quibus Latinos oppugnant, priore loco referamus; postea vero, quæ pro se ad eludendas Latinorum probationes, explicandaque Græcorum contra se Patrum testimonia respondent.

II. Spiritum itaque sanctum solo ex Patre procedere, et ab eo solo principio habere ut sit, et existat, e Scripturis colligunt; in quibus diserte illud exprimitur, cum de ejus productione sermo est, ipsum a Patre proficisci. *Joannis* decimo quinto[8]: *Cum autem* *Verba Christi a Photio allata velut inevitabile telum adversus Latinos.*

* Hinc in tertia *Fidei Professione*, quam olim Romani pontifices edebant, apud Garnerium in *Libro diurno Romanorum Pontificum* p. 48. «Credimus... Spiritum vero sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed de Patre Filioque procedentem. » Imo Bachiarius in *Fide*, quam Muratorius, t. II, *Anecdot*, divulgavit, pag. 16. «Incaute, inquit, Spiritus sanctus dicitur ingenitus, ne duo ingeniti, aut duo Patres in infidelibus æstimentur. » Quem Bachiarii locum pluribus illustrat veterum testimoniis editor eruditissimus.

Z.

1 Tom. IV, dial. qu. LXV *ad Oros.* et lib. *de Trin. et unit Dei.* c. I et serm. XXX. App. tom. IV et in App. tom. X serm. XXX— 2 Lib. I *de Univ.* c. III— 3 In Qu. *de Trin.*— 4 Tract. I *Sum. Sent.* cap. VII— 5 In I, dist. XII.— 6 Orat. XXXVII.— 7 Epist. LVI.— 8 Vers. 26.

venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, etc. Hunc locum Photius « acutum, et inevitabile telum » adversus Latinos appellabat in eo libro, quem *contra Nicolaum* primum scripsit, cujus in actis octavæ synodi mentio est. Itaque sic apud Hugonem Etherianum [1] perorat: « Ex Patre Filius Spiritum procedere adstruit; et tu auctorem quæris, per quem facias, imo perficias impietatem, dum fabularis Spiritum ex Filio procedere ? » Ac multa alia declamatorio more stomachabundus adjicit. Idem et Hieremias Constantinopolitanus patriarcha contra Latinos proponit in responso secundo *ad Wirtembergenses*.

Atqui levissimum hoc, et irritum plane Græcæ perfidiæ telum est, quod idem Hugo valide retundit in tertio libro [2]. Sic enim disputat: Morem hunc esse Scripturæ, ut quædam certis personis attribuat, quæ tribus ex æquo conveniunt; ut cum Filio dicitur, *Erat lux vera*, cum et Pater et Spiritus sanctus vera perinde sint lux, ac Filius. Item illud, quo freti potissimum Ariani Catholicis instabant: *De die autem illa, et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater* [3]. Et Filium nihilominus, ac Spiritum sanctum diei illius haud ignaros esse Græci nobiscum sentiunt: tametsi Marcus Filium ipsum nominatim excluserit [4]. Si igitur, quod peculiariter Patri hoc loco tribuitur, ut extremi diem judicii noverit, ad Filium quoque pertinere Græci non dubitant, quamvis hunc diserte Scriptura removere videatur; nec alia id de causa faciunt nisi quia quidquid Patri competit, id etiam Filio convenire debet, ubi relationis proprietas non obstat; multo illic magis, ubi processio Spiritus sancti Patri adscribitur, tacito Filio, non hic arceri ab illius communione putandus est, cum neque nominatim segregatus sit, ut in diei notitia, et nulla sit oppositio relativa, personalisque proprietas, qua Pater Spiritum emittens comparetur ad Filium.

III. Ejusdemmodi est istud: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* [5]. Item hoc: *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Neque enim aut Filius in potestate non habet momenta illa, vel tempora; neque Spiritus sanctus Patrem non novit, qui *omnia scrutatur, etiam profunda Dei* [6], ut ait Apostolus; qui et hoc addit: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, tanquam ab hac scientia removendus sit Filius; quod cum impium est, tum eadem concludendi licentia colligitur, qua ab Spiritus sancti productione Filium Græci summovent, eo quod scriptum est: *Qui a Patre procedit.* Possem et alia percensere similia Scripturæ loca; nisi ad Græcorum convincendam calumniam pauca ista sufficerent. Contra quos merito hanc regulam Hugo præscribit: « Igitur, ait, ubicumque de Patre dicitur aliquid, nisi ad personalis distinctionem proprietatis, vocabulum Patris proferatur, ut est: Pater dicitur, quia generat; quo in loco non subintelligitur cum eo generare Filius; idem de Filio intelligi oportet. Unde cum dicitur: *Qui a Patre procedit*, qui non nominatur cum Patre, subintelligitur necessario. »

Sane Latini ipsi doctores, qui perinde a Filio, atque a Patre proficisci Spiritum alias disertissimis verbis asserunt: interdum tamen, omisso Filio, procedere illum a Patre scripserunt. Ut Augustinus [7] in tertio *contra Maximinum;* ubi cum a Patre procedere dixisset Spiritum, ut et Filium, statim illum etiam a Filio proficisci docuit; nec non tractatu XCIX, *in Joannem*, et sermone CXCI *de Tempore* [*]. Quare una plerumque persona memorata, aliæ subaudiuntur, ut Paschasius Diaconus observat libro II, cap. IV. « Nam cum unum sine alio dicitur, taceatur alterum, non negatur, secundam illam regulam, quam antistes Augustinus insinuat. Non omnia, quæ tacentur, negantur, » ait Faustus in libro primo *de Libero arbitrio*, capite VI. Ideo ridicule Glossa ad legem secundam de summa Trinitate, et fide Catholica, quod Gratianus, Valentinianus, et Theodosius dicunt, se « Spiritum sanctum ex summo rerum parente et sperare, et accipere, » loqui eos ait « secundum Græcos. Unde dic, quod Græcus fecit istam legem. » An et Græcus erat Bernardus, qui ita scripsit

[*] Exempla hanc in rem alia indicat Muratorius t. I. *Anecdot.* pag. 15, ex t. II, pag. 227, seq. quem omnino consule. Huc etiam spectat secunda Romanorum pontificum *Professio Fidei* a Garnerio exhibita in *Libro diurno Romanorum Pontificum* p. 36, ubi dicitur « Spiritus sanctus de Patre procedere confirmatur; cum tamen et a Filio procedere paulo post eadem Fidei Professio indicet his verbis : « Eumdem Dei Filium » *de suo accipere* « perhibet, et in nomine suo mitti a Patre Spiritum sanctum manifestat, et insufflando Discipulis, » *Accipite Spiritum sanctum*, « utpote de se procedentem adnuntiat. » Z.

1 Lib. II, c. XV. — 2 Cap. XV. — 3 *Matth.* XXIV, 36. — 4 Cap. XIII, 32. — 5 *Act.* I, 7. — 6 I *Cor.* II, 10. — 7 Tom. VI, l. III, c. XIV.

in sermone IV *in Vigiliam Natalis Domini:* « Fontem assigna Patri, ex quo nascitur Filius, et procedit Spiritus sanctus?» Aut ante hunc, Pelagius I, qui in epistola *ad Childebertum Francorum regem*, quæ fidei professionem continet, « Spiritum sanctum ait ex Patre intemporaliter procedentem, Patris esse, Filiique Spiritum. »

Cur Christus e Patre procedere Spiritum, nulla sui facta mentione dixerit.

IV. Cur autem a Patre procedere Spiritum, nulla sua facta mentione, Christus dixerit, causam ita reddit Augustinus [1], ac Photii cavillationem evertit: « Si ergo et de Patre, et Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit : *De Patre procedit* ? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est ? Unde illud est, quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait : *De Patre procedit*, ut non diceret: De me non procedit ? A quo autem habet Filius, ut sit Deus, est enim de Deo Deus ; ab illo habet utique, ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus ; ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. » Atque hoc etiam in quinto decimo *de Trinitate* [2], et in tertio *contra Maximinum*[3] tradit idem Augustinus. Nimirum ut unam personarum essentiam, sic unum ejus principium commendare voluit, qui est Pater, ut in posteriore hoc loco dicit : quam Græcis προκαταρκτικὴν αἰτίαν vocant, Latini *principalem causam*. Addit etiam Epiphanius, ut neque venditare se, ac jactare videretur, et nobis modestiæ, humilitatisque daret exemplum, summisisse se Christum, et in Patre omnia transtulisse : « Ut doceret, inquit, homines humiles esse, ne quis, cum homo sit magnum se esse quiddam arbitretur, sed ad communem omnium parentem universa referat. Quocirca licet vita ipse sit, ut testatur, *Ego sum vita*, eamque conferre per sese possit ; juris tamen, ac justitiæ legem perturbare noluit, sed idcirco venit, ut ad unum principium, unamque divinitatem, veritatem, concordiam, uniusque gloriæ prædicationem, hominum salutem, mentemque traduceret [a].» Huc illa spectant, quæ de principali causa, et μοναρχίᾳ supra disseruimus, ob quam τὸ αἴτιον, et *principium* Patri proprie attributum esse monstravimus.

Postremo non est omittendum [4], Rupertum in illis Christi verbis, *Qui a Patre procedit*, Patris nomine non personam primam intellexisse, sed divinitatem ipsam ; quia non est additum pronomen *meo*, ut diceret : « Qui a Patre *meo* procedit. » Quasi ibi, ubi Pater absolute ponitur, Trinitas tota sit interpretanda. Sed absurda hæc est opinio, quæ satis per se ipsa refellitur.

Alia Græcorum argumenta dissolvuntur.

V. Ex cæteris Græcorum argumentationibus, quæ non auctoritate sola Scripturæ, sed ratione pugnant, præcipua hæc ab illis, et invicta judicatur, quam Nicetas apud Hugonem Etherianum objicit [5], Gemisthus autem Pletho plenius, ac subtilius exposuit in Dissertatione quadam contra Latinorum epistolam, quam ex vetusto codice Bibliothecæ Cœnobiarchii sancti Remigii apud Remos descriptam habeo. Ita igitur adversus Latinæ Ecclesiæ dogma Pletho contendit. Duo imprimis assumit, quæ apud catholicos certa, confessaque esse putat. Primum est unam esse divinitatem, et essentiam Patris, et Filii, et Spiritus sancti; personas vero tres, quarum unaquæque proprietatibus suis ab reliquis duabus secernitur. Jam quæ tribus conveniunt, ea et esse communia, et unumquodque numero unum, ut natura, ut essentia, ut creandi vis, et actio, ut providentia, ut dominatus in res omnes , et hujus generis alia. Quæ autem tribus non competunt, ea personalia esse, et singulorum propria, quorum nullum numero unum sit in pluribus personis. Nam quod a Latinis opponitur, ut ab Hugone Etheriano [6], proprium esse Filii pariter, et Spiritus sancti, ut a Patre procedant ; quod ita Gregorius Nazianzenus oratione tertia, et vicesima docuit : « Commune est enim, inquit, Patri quidem, et Filio, et Spiritui sancto, quod minime facti sunt, atque ipsa divinitas ; Filio vero, et sancto Spiritui, ut ex

a Epiph. hær. LXIX, num. 29. Ἵνα διδάξῃ τοὺς ἀνθρώπους ταπεινοφρονεῖν, τοῦ μὴ τινὰ ἑαυτὸν ἡγήσασθαί τι ἄνθρωπος ὢν, ἀλλ' εἰς τὸν πατέρα τῶν ὅλων ἀναφέρειν τὸ πᾶν. καὶ διὰ τοῦτο, καί περ ὢν ζωὴ, ὡς λέγει, ἐγώ εἰμι ἡ ζωὴ, δυνάμενος παρέχειν τὴν ζωὴν, οὐ βούλεται ταράξαι τὸ δίκαιον· ἀλλὰ ἦλθεν εἰς μίαν ἀρχὴν, εἰς μίαν θεότητα, εἰς μίαν ἀλήθειαν, εἰς μίαν ὁμόνοιαν, εἰς μίαν δοξολογίαν, συναγαγεῖν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν τε, καὶ διάνοιαν.

1 Tract. XCIX *in Joan.* — 2 Cap. XXVII. — 3 Cap. XIV. — 4 Lib. II *de Glorif. Trinit.* cap. II et seq. — 5 Lib. I, cap. XII. — 6 Lib. II, cap. XVIII.

Patre sint. Proprium vero Patris quidem esse Ingenitum, Filii, esse genitum, Spiritus vero procedere [a]. » Huic ita Pletho respondet : non illam esse unam numero proprietatem, sed duas, quarum altera Filio, altera Spiritui congruit. At spirandi vis una, et singularis proprietas a Latinis ponitur.

II[a] Græcorum argumentum.

Alterum, quod a Plethone sumitur, est, non posse personam ullam a semetipso produci.

Ex his duobus efficere studet, Spiritum sanctum a Patre, Filioque non procedere. Etenim vis illa producendi Spiritus, cum, ut dixi, una sit numero, si secundum essentiam convenit, tribus ex æquo personis congruit. Itaque Spiritus sanctus non minus a seipso, quam a Patre, Filioque procedet, quod est absurdum, contraque communem notionem, quæ in secundo principio posita est. Aut si solus ab hujus proprietatis communione secernitur, diversæ erit essentiæ; quod cum priore principio, ac fide catholica pugnat. Sin personalis est proprietas, ea nonnisi personæ uni convenit; quia nihil commune est personis, præter essentiam. Personalis vero proprietas, si in plures cadit, fiet illarum confusio. Quod si plures sunt proprietates, plures erunt actiones; neque simplex et uniusmodi erit is, qui producitur, Spiritus sanctus. Ita fere Pletho, Græcique recentiores.

VI. At nostri facile se ex istis laqueis expediunt. Negant enim, id, quod primo loco a Græcis positum est, nullam esse proprietatem quæ non aut tribus communis sit, aut unius tantum propria. Esse enim aliquam dicunt, quæ duabus convenit. Nam quæ de Deo dicuntur, aiunt Calecas, et Bessario citati a nobis antea [1], alia tribus personis communia sunt, ut sunt absoluta omnia, aut quæ ad creaturas ordinem habent, ut creator, dominus; alia propria sunt, eaque vel duabus personis competunt comparatis ad tertiam, ut Filio, et Spiritui sancto, a principio procedere, Patri item, et Filio Spiritum mittere; vel uni tantum congruunt.

Personales proprietates

Harum vero rursus proprietatum, quæ προσωπικὰ ἰδιώματα nominant, quædam sunt ὑποστατικὰ, hoc est, personam constituunt, ut paternitas, filiatio, processio; quædam non constituunt, sed indicant, et idcirco γνωριστικὰ vocantur, ut est *Ingenitum*. Quæ omnia fuse, eruditeque declarat Hugo Etherianus [2], qui proprietates ὑποστατικὰς vocat *personarum insignitivas;* cujusmodi tres solæ in Deo reperiuntur, *Paternitas*, *Filiatio*, atque *Processio*. Præter has vero, alias esse dicit, quæ licet non sint substantiæ, vel essentiæ, minime tamen communes sunt omnibus : « Una certe, inquit, in divina Trinitate proprietas unam personam indeficienter, indiminute, ac indemutabiliter insignit, ut paternitas Patrem, et filiatio Filium. Quippe circumscriptis omnibus aliis, quæcumque conveniunt Patri, ut Ingenitum esse, principium esse, Spiritum esse, relicto eo vero solo, Patrem esse, semper Filius ad ipsum dicetur, et e converso Pater ad Filium. Nam Filius filius Patris dicitur, et Pater pater Filii, nequaquam Filius ad Ingenitum dicetur. Nam cum non sit Pater, non est Filius. »

Quocirca falso id a Græcis opponitur, nullam esse proprietatem relativam, et ab essentia distinctam, quæ pluribus, quam uni personæ conveniat. Nonnulla enim est communis duabus; quod ex theologiæ, imo vero fidei Catholicæ principiis necessario sequitur. Quorum illud celeberrimum est a nobis antea declaratum : In Deo communia esse omnia, vel unum potius esse, quibus relationis oppositio non intervenit. Sic enim paternitas, et spiratio in unam personam incidunt, tametsi relativæ sint proprietates; quia invicem relationem istam, oppositionemque non exercent. Cum igitur spiratio nihilo magis filiationi, quam paternitati sit opposita, perinde Filio, ac Patri convenit.

Neque vero consequens est etiam Spiritum sanctum processionis auctorem suæ futurum, qui eamdem habet essentiam cum Patre, et Filio. Siquidem non præcise id essentiæ divinæ congruit, qua essentia est, ut producat Spiritum sanctum, sed essentiæ, qua in Patre est, et Filio, vel qua paternitate, filiationeque est affecta, quibuscum spirandi proprietas est complexa. Accedit commune illud effatum, quod et Græci proferunt : nihil a seipso posse produci. Propriæ itaque rationi Spiritus sancti repugnat, sui ipsius esse principium, quia Spiritus sanctus est, qui ab alio procedit. Non repugnat autem Filio, ejusve proprietati, ut ab eo procedat Spiritus sanctus.

a NAZIANZ. Κοινὸν γὰρ πατρὶ μὲν, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι τὸ μὴ γεγονῆναι, καὶ ἡ θεότης· υἱῷ δὲ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, τὸ ἐκ τοῦ πατρός· ἴδιον δὲ, πατρὸς μὲν ἡ ἀγεννησία, υἱοῦ δὲ ἡ γέννησις· πνεύματος δὲ ἡ ἔκπεμψις.

1 Bessar. *de Proces. Spiritus sancti.* — 2 Lib. I, cap. XII.

VII. Atenim, tametsi Spiritui sancto spirandi proprietas non competit, quia cum ejus proprietate pugnat; saltem conveniet illud, ut et Filium una cum Patre generet, quia processioni generatio non opponitur. Neque enim ad Spiritum sanctum Pater, ut Pater est, aut generans refertur.

Verum licet generandi notio, et proprietas, sive paternitas, ad processionem, procedentemve Spiritum præcise non referatur, neque ei *formaliter*, ut loqui solent, opposita sit; consequenter tamen opponitur, quatenus cum illa quiddam est connexum, quod ab communione sui Spiritum excludit. Quippe generandi actio, ut Bessario scribit [1], personam Patris constituit, estque συστατικὸν ἰδίωμα, ac proinde minime communicabilis est. Itaque Patris persona prius secundum rationem completa, constitutaque est, quam ab ea procedere intelligatur Spiritus sanctus. Non potest autem completa esse, neque mente percipi generatio, vel Pater, nisi Filium sibi respondentem, et subsistentem habeat. Quare prius itidem genitus esse Filius cognoscitur, quam procedat Spiritus sanctus. Proinde gigni a Spiritu sancto nequit Filius, quoniam esse pariter, et non esse diceretur. Huc etiam pertinet, quod ex Græcis Patribus supra demonstravimus, generandi vim ratione alteram, quæ spirandi est, antecedere, tanquam proximam, et *immediatam* Patris actionem, per quam spirandi actio profertur. Unde et per generationem, sive per Filium, produci a Patre Spiritus sanctus dicitur, velut per medium. In quo discrimen ejus a Filio Græcorum veterum plerique statuunt. Necesse est igitur, ante a nobis intelligi genitum, ac subsistentem Filium, quam procedentem Spiritum, nedum ab hoc illum procedere, generarique posse.

Constitutiva proprietas.

VIII. Postremo cum ex Filio, et, quod idem est, per Filium, procedere Spiritum sanctum, e Scripturis, ac Latinorum, Græcorumque Patrum auctoritate liquido constet, ut hactenus ostendimus; prius origine sit Filius necesse est, quam Spiritus sanctus. Nam quod personarum confusionem, quam συναλοιφὴν appellant, ex eo fore concludunt Græci, quod una numero proprietas in duabus existit; id ex antecedentibus facile dissolvitur. Non enim cujuslibet proprietatis communio, ut recte animadvertit Bessario [2], personarum confusionem parit, sed ejus tantum, quæ συστατική, et ὑποστατικὴ vocatur. Ut enim, si cogitatione præcisis cæteris, solam, exempli causa, Paternitatem in Patre relinquas, persona erit a reliquis distincta, per illam proprietatem constituitur; ita, si relictis aliis, solam Paternitatem auferas, persona jam esse separata desinet, et illa fiet συναλοιφή, quam Græci frustra Latinis objiciunt. Quamobrem recte popularibus suis illud ipsum opponentibus, si ex eo, quod una est Patris, et Filii substantia, necesse est Spiritum sanctum non ex sola Patris esse substantia, sed etiam Filii, eodem modo Filium qui ex Patris est substantia, et ex Spiritus sancti fore substantia, quæ una est amborum; Demetrius Cydones [3] respondet in libro *de Processione Spiritus sancti*, id si verum esset, quod in argumentatione sua ponunt, *confusionem*, et σύγχυσιν personarum, ac συναλοιφὴν futuram. Nam Spiritus tum esset Pater. Siquidem Filius proprie ad Patrem refertur. Quod si paternitas cum Spiritu communicaretur, nihil jam superesset, quod Patris personam constitueret, atque ab reliquis secerneret; quia nulla συστατική, et ὑποστατικὴ proprietas restaret.

Constitutiva et hypostatica.

Sed hoc totum paulo post accuratius exponetur, cum de argumento altero Græcorum agemus; in quo de substantia, et proprietate personarum explicandum erit aliquid.

IX. Ita enim illi Latinos impugnant: Si a Patre, et Filio Spiritus sanctus oritur, a duabus personis orietur. Nam Pater, et Filius personæ duæ sunt. Itaque duo erunt principia Spiritus sancti. « Quod enim ab aliquibus provenit, illa habet principia, ex quibus provenit, » ait Nicomediæ Præsul apud Hugonem Etherianum [4], qui hoc argumentum instruit. Cui Gemisthus Pletho istud addit: Ex Latinorum opinione sequi, « vel non esse simplex quippiam Spiritum sanctum, si duplici productione, quæ Græce προβολή, Latine *prolatio* est, existit; vel si unica prolatione producunt ambo, siquidem ut personæ sunt, contractio quædam erit personarum, et confusio, et ad duas personas redacta erit Trinitas. Sin est, ut secundum communem essentiam producere dicantur, non erit ejusdem, atque illi, essentiæ Spiritus sanctus [a], » quippe qui proprietate ista producendi careat, quæ secundum essentiam esse dicitur.

III[a] Græcorum argumentum.

a Gemisthus Pletho. Ἡ γὰρ οὐχ ἁπλοῦν τὸ πνεῦμα αὐτοῖς μένει, εἰ δυοῖν προβολαῖν ὁ πατήρ τε αὐτὸ, καὶ ὁ υἱὸς προβάλλουσιν. ἢ εἰ μιᾷ προβολῇ προβάλλουσιν· εἰ μὲν προσωπικῶς αὐτὸ προβάλλουσιν, συναλοιφὴ ἔσται

1 Lib. *de Proces. Spiritus sancti*. — 2 Lib. *de Proces. Spiritus sancti*, edit. Rom. — 3 Cap. x. — 4 Lib. I, cap. III.

Contra hoc Græcorum argumentum Demetrius Cydones primum ita præscribit[1] : Si quid absurdi, ac falsi adversus Latinorum dogma concludendo colligit; non tam istos accusandos esse, quam antiquos Patres, etiam Græcos, qui, ut fuse antea demonstravimus, Spiritum sanctum ex Patris, Filiique substantia procedere, disertis testimoniis affirmant. Respondeant ergo illi pro seipsis. Vel nos potius illorum, ac nostra vice respondebimus, quod et Demetrius subinde, et Græci alii Catholici, et eruditi una cum Latinis contra cavillationem hanc opponunt : Spiritum sanctum a duabus procedere personis, non tamen quatenus duæ sunt, ac diversæ, sed qua in una eademque proprietate conveniunt. Nam cum sola paternitate Patris persona constituta sit, tanquam συστατικῇ, et ὑποστατικῇ proprietate, ut supra docuimus, et Filius sola Filii relatione ; neuter Spiritum producit, qua Pater est, aut Filius, quoniam « Spiritus non habet Patrem, » ait sanctus Maximus. Sed neque Filium ; quia Filius, ut Filius est, adeoque ut persona est, solum Patrem respicit. Quamobrem ut ambo eamdem substantiam habent, eamdemque spirandi vim, et proprietatem, tanquam unum principium producunt Spiritum sanctum. Etenim neque confusio illic est personarum, cum sua quæque proprietate constet, quæ alteram distinguit ab altera ; neque principiorum multiplicitas, cum ea ratione principium sint, producantque Spiritum, qua sunt unum, minimeque invicem discrepant.

X. Licet hoc in exemplo aliquo perspicue cernere. Tres enim personæ mundum hunc, creatasque res cæteras e nihilo crearunt, imo vero perpetuo procreant. Neque tamen aut non personæ tres sunt invicem distinctæ, aut causæ tres, principiaque sunt. Cujus rei si quis rationem ab adversariis requirat, non aliam reddent, opinor, nisi hanc, quod et suam singulæ proprietatem interim retinent, quæ cum cæteris confundi, permiscerique prohibet ; et non ea ratione, qua mutuo differunt, res creatas producunt, sed quatenus in eamdem essentiam, et vim procreatricem conveniunt, unumque sunt ; quo fit, ut ab uno omnia principio procreari dicantur, et procreata servari. Eodem modo Pater, et Filius, etsi duæ, ac reipsa distinctæ sint hypostases proprietatibus duntaxat, et relationibus (nam essentia, et iis, quæ essentiam sequuntur, nullo modo discrepant), non tamen principia sunt duo Spiritus sancti ; quia non eatenus illi dant originem, qua inter se distinguuntur, hoc est, ut Pater sunt, et Filius, sed ut unam eamdemque numero spirandi vim, quam προβλητικὴν δύναμιν appellant Græci, in commune possident. Itaque quod in illa processione agere, ac producere dicitur, est duplex hypostasis, seu persona, Pater videlicet, ac Filius. Siquidem actio omnis tribuitur hypostasi, sive, ut philosophi passim nominant, *supposito*. Id autem, quo producunt aguntque, hoc est forma ipsa, ut ita dicam, quam in scholis *principium quo* vocare solent, est communis illa proprietas, sive οὐσία, et essentia, ut ista proprietate prædita est in ambobus duntaxat spirantibus. Ita Joannes Latinorum causam agens in Florentina synodo, sessione nona, et decima.

XI. Manuel item Calecas in libro *contra Græcos*, capite XXXIX, eamdem popularium suorum argumentationem diluens, qua Latinis instabant dicentes, duo ab illis principia constitui Spiritus sancti, doctam ac subtilem de hac re disputationem expromit[a]. Primum enim ex Latinorum sententia, omnia, quæ Filii sunt, ad Patrem ait referri. Quo illa spectant, quæ de *principio*, ejusque singularitate superioribus identidem dicta sunt, maxime in libro V, capite V. Deinde unica operatione, non duabus, ab ambobus produci Spiritum sanctum ; itaque non esse duo principia. Ad hæc, etsi personæ duæ sint, non ideo principia esse distincta. Sic enim duo sapientes, duoque boni, aut creatores, duo itidem dii, ac duo denique mittentes Spiritum dicerentur. Est enim qui mittit, principium utcumque missi. Ideo Gregorius Nazianzenus[2] Filium dixit esse ἀρχὴν ἐκ τῆς ἀρχῆς, *principium de principio*. Et vero qui potius ex eo, quod Pater, et Filius Spiritum producunt, consequens est duo esse principia, quam ex eo, quod ambo mittunt eumdem Spiritum? An cum tres simul procreant, non eodem jure totidem principia esse putabimus? Sed nimirum, quoniam neque sapiens, aut bonus,

τοῖς προσώποις, καὶ ὁ θεὸς ἀντὶ τριάδος δυὰς αὖ. εἰ δὲ κατὰ τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας προβάλλουσιν, ὡς ἀξιοῦσιν· εἰς ἑτέραν αὐτοῖς τὸ πνεῦμα οὐσίαν ἐκπεσεῖται.

a Calecas. Ἔπειτα ἐπεὶ τὰ τοῦ υἱοῦ πάντα πρὸς τὸν πατέρα ἀνάγεται, καὶ εἷς θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ μιᾷ προόδῳ εἴτε ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ, εἴτε ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι θεολογεῖται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ποῦ χώραν ἕξουσιν αἱ δύο ἀρχαί;

1 Lib. *de Proces. Spiritus sancti*, cap. XI. — 2 Vide sup. lib. V, cap. V.

neque creator paternitati, vel filietati opponuntur, neque proprietati Spiritus sancti, ideo tribus illa sunt communia, nec nisi unus est sapiens, ac bonus, et creator; sic et missio communis est Patri, et Filio, quia neutrius proprietati repugnat. Eodem ergo modo spiratio, vel προβολὴ, quia soli τοῦ προβαλλομένου, id est *procedentis* Spiritus sancti proprietati est opposita, soli huic detrahenda, reliquis personis duabus, quarum cum proprietatibus non repugnat, una simplexque tribuitur. Hæc Manuel Calecas. Qui deinde, ad Græcorum intercludendam calumniam, Latinos ait tantum abhorrere ab eo, ut duo velint esse principia Spiritus sancti, ut qui ita sentiant, iis anathema dixerint in concilio Lugdunensi, cui Gregorius X præfuit. Cujus decreti verba, ne Latine tantum a nostris usurpentur, Græce hic legi non inutile sit, quemadmodum Constantinopolim, et ad alias Græciæ civitates, ac provincias missum esse idem Calecas asseverat: « Gregorius decimus in generali concilio Lugdunensi : Fideli, ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre, et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit, et docuit; hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, et magistra; hoc habet orthodoxorum Patrum, atque doctorum, Latinorum pariter, et Græcorum incommutabilis, et vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis in errores varios prolapsi sunt. Nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante concilio, damnamus, et reprobamus omnes, qui negare præsumpserint æternaliter Spiritum sanctum ex Patre, et Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre, et Filio, tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno procedat[a].»

XII. Ex his Gemisthi Plethonis sophistica illa argutia dissolvitur. Nam quia unicum est operationis illius πνευστικῆς principium, sive, ut Græci, loquuntur, causa, unica est ἐνέργεια, qua a duobus producitur Spiritus; quemadmodum una duorum est, qua mittunt Spiritum, et una trium, qua mundum creant, neque propterea fit ulla personarum confusio. Jam quod ad essentiam pertinet, ea communicatur in solidum, et est eadem principium productionis, non agens per sese, sed quo agunt *spirantes* ambo, vel *spirans* potius, si id Latinitas sinat, et quod agendo derivant in tertium. Qui quidem non idcirco diversam naturam, aut essentiam habet, quod adjuncta naturæ illa proprietate careat, tanquam alia sit οὐσία, quæ αἰτία : id est, *causa*, et *principium* est; alia quæ est αἰτιατή, ut Marcus Ephesinus Latinis objiciebat. Nos enim unam prorsus οὐσίαν, et essentiam agnoscimus proprietatibus solis non separatam, ac divisam, ut in creatis evenit, sed ita modificatam, ut aliam atque aliam personam constituat. Porro quemadmodum in iis personis, quæ originem capiunt, dici αἰτιατὴ possit natura perinde, ac γεννητὴ vocatur a Græcis, a Latinis *genita*, expositum est in libro superiore. Sic enim interpretanda hæc esse dicta veterum Patrum ostendimus, ut sit *genitum* idem, quod *generatione transfusam*. Itaque mirum est Ephesinum illum Marcum tantam in una ista vocula tragœdiam excitasse, ut quasi Gorgonis caput Joanni, ac Latinis intentaret αἰτιατὴν οὐσίαν, quæ et dictu impia esset, ac nefaria, et ex eorum nihilominus opinione sequeretur. Quasi plus sit αἰτιατὴν dici, quam γεννητήν; quod posterius tam multi usurparunt e Græcis, quos si Græculus iste scisset, non tantopere in eo argumento commoratus esset. Sed et Latinorum patronum Joannem non minus admiror; qui cum uno verbo expedire se posset, in ea objectione tergiversatur, ac multum sudat, ut hanc αἰτιατῆς οὐσίας calumniam propulset ab Latinorum dogmate; quod nihil necesse fuit, cum explicanda potius, quam funditus repudianda fuerit.

Operatio.

Causata.

Causatam substantiam

a Calec. Γρηγόριος δέκατος ἐν τῇ κατὰ Λούγδουνον συγκροτηθείσῃ καθολικῇ συνόδῳ. Εὐλαβεῖ, καὶ πιστῇ ὁμολογίᾳ φαμὲν, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀϊδίως ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ, οὐχ ὡς ἐκ δύο ἀρχῶν, ἀλλ' ὡς ἐκ μιᾶς, οὐ δυσὶ πνεύσεσιν, ἢ ἐκπορεύσεσιν, ἀλλὰ μιᾷ, καὶ τῇ αὐτῇ ἐκπορεύεσθαι· τοῦτο ἄνωθεν, ὡμολόγησεν, ἐκήρυξεν. ἐδίδαξεν· τοῦτο ἰσχυρῶς κατέχει, κηρύττει, ὁμολογεῖ, καὶ διδάσκει ἡ ἱερὰ, καὶ ἁγία Ῥωμαϊκὴ ἐκκλησία, ἡ μήτηρ πάντων τῶν πιστῶν καὶ διδάσκαλος. τοῦτο κατέχει ἡ τῶν ὀρθοδόξωη πατέρων, καὶ διδασκάλων τῶν τε Λατίνων, καὶ τῶν Γραικῶν ἀληθὴς, καὶ ἀμετακίνητος ψῆφος. Ἀλλ' ἐπεί τινες διὰ τῆς ἀῤῥήκτου ταύτης ἀληθείας ἄγνοιαν εἰς ποκίλας αἱρέσεις ὑπωλίσθησαν· ἡμεῖς πᾶσαν ὁδόν ταῖς τοιαύταις αἱρέσεσιν ἀποφράττειν ἐπιθυμοῦντες, τῆς ἱερᾶς συμψηφιζομένης συνόδου, κατακρίνομεν, καὶ ἀποδοκιμάζομεν πάντας τοὺς ἀρνεῖσθαι τολμῶντας αἰωνίως ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι πνεῦμα. ἢ προπετεῖ τινι τόλμῃ διϊσχυρίζεσθαι, τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, ὡς ἐκ δυοῖν ἀρχῶν, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐκ μιᾶς ἐκπορεύεσθαι.

Ex substantia et ex persona.

XIII. Sed ut fucum Græcorum omnem super his vocibus aperiamus, quæ sunt ἐκ τῆς οὐσίας, et ἐκ τῆς ὑποστάσεως, cum de divinarum personarum productione agitur; sciendum est illos, ut Spiritus sancti processionem a Filio, quibus poterant modis, obtererent, cum plures antiquorum scripsisse cernerent Spiritum sanctum existere ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ, ne prius illud fateri cogerentur, de hoc loquendi genere joculare nescio quid esse commentos. Nam aliud esse dicunt ἐκ τῆς οὐσίας, *ex substantia* oriri, quam ἐξ ὑποστάσεως, *ex persona*. Filium itaque docent ex Patris hypostasi esse, sive persona, non autem ex usia, vel substantia; Spiritum vero sanctum ex Filii usia, non persona. Quod utrumque late refellit Demetrius Cydonis in libro *de Processione Spiritus sancti*[1]. Ubi et causam aperit, cur illi ad impia ista et ridicula confugerint. Cum enim tot expressis Patrum auctoritatibus convicti negare amplius non possent, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, maxime quod ex Patris Filiique substantia illum esse constaret; quippe Filius, quoniam ex Patris substantia esse dicitur, ex eo intelligitur a Patre produci; quare si ex amborum est substantia Spiritus sanctus, qui amborum est, appellaturque Spiritus, ab utroque procedere ipsum et originem habere necesse est. Horum ergo cum prius inficiari non auderent, posteriori autem assentiri nollent; in id compulsi sunt, ut Filium dicerent ex Patris esse hypostasi, personave, non οὐσίᾳ, vel *substantia*, ne cum Spiritum faterentur ex Patris, et Filii esse substantia, ex utriusque persona similiter eum esse Latini conficerent. Accedebat ad erroris patrocinium, quod ab οὐσίᾳ differre hypostasim antiqui omnes asserunt; tum quod eorum aliqui, Dei οὐσίαν ab οὐσίᾳ minime gigni, propagarique dicunt. Ex quo consequi putaverunt Filium non generari ex Patris substantia, sed ex hypostasi, quia vere a Patre producitur; Spiritum vero sanctum, quem a Patre, Filioque produci nolebant, facile concesserunt ex utriusque esse substantia, dummodo non, ut Filius ex Patris persona, sic ex hujus, et Filii persona Spiritus esse dicatur.

Verum multis de causis inepta est ista cavillatio, in qua refutanda pudet operam, ac tempus ponere. Sed paucis tamen illius est inanitas revincenda. Quod igitur ad Filium spectat, perspicuum est ex communibus Catholicæ fidei principiis, non solum ex Patris eum persona, sed essentia esse genitum, hoc est οὐσίᾳ, vel natura, ut loquitur Fulgentius[2], qui « de natura Patris natum esse Filium » ait; unde et ὁμοουσίου, *consubstantialis* vox ortum accepit. Atque hoc ex libris superioribus, præsertim tertio, et quarto, plenissime cognoscitur; ubi de generationis, ac Patris notione propria, et similibus aliis late disputavimus. Ostensum enim illic est, generationem omnem ἐκ τῆς οὐσίας, *e substantia*, vel natura gignentis esse geniti productionem. Quin illud peræque certum est, οὐσίαν in Deo nihil ab hypostasi, nisi sola ratione distare. Neque enim fieri potest, ut ὑπόστασις sit οὐκ οὐσία, hoc est ἀνούσιος. Quia quod est ἀνούσιον, est ἀνυπόστατον, ait Demetrius. Cum ergo reipsa sit idem οὐσία, quod ὑπόστασις, quidquid ex uno est, ex altero sit oportet.

Sine substantia.

Nam ex Patris substantia, quæ est οὐσία, nasci Filium antiqui omnes Patres post Nicæni concilii Symbolum asserunt; quo in Symbolo scriptum est « Jesum Christum Filium esse Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est e substantia Patris[a]. » Ubi *Patris* vocabulum personam significat; substantia vel οὐσία, *naturam*.

E substantia

Quanam vero de causa Nicæni illi Patres hanc interpretationem adhibuerint, et quid ista significent, ἐκ τῆς οὐσίας, accurate in libro *de Decretis Synodi illius* exponit Athanasius. Cujus oratio, non ad confutandos solum Arianos idonea est, sed etiam recentiores Græcos istos. Nam Patres illos, qui Nicænæ synodo præfuerunt, ideo τὸ ἐκ τῆς οὐσίας addidisse ait, cum a Patre genitum professi essent Filium, ut non, perinde atque creatas res, a Deo productum esse, calumniari possent hæretici. « Ob id, inquit, et sancta synodus apertius dixit, e substantia ipsum esse Patris, ut aliud, ac diversum ab creatarum rerum natura Verbum esse credatur, quod solum revera est ex Deo[b]. » Ac nonnullis interjectis, plenius de ea re disputans, quædam injicit, quibus recentior illa Græculorum temeritas obstruitur. Etenim ex Deo genitum esse, non aliud esse,

a Nic. Symb. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ. τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς τοῦ πατρός.

b Athan. *de Dec. Nic. Syn.* Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἡ ἁγία σύνοδος λευκότερον εἴρεκεν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτὸν εἶναι τοῦ πατρός· ἵνα καὶ ἄλλος παρὰ τὴν τῶν γενητῶν φύσιν ὁ λόγος εἶναι πιστευθῇ, μόνος ὢν ἀληθῶς ἐκ τοῦ θεοῦ.

1 Cap. IX. — 2 Demet. cap. VIII. — 3 In Frag. ex lib. *contra Fabia.*

quam ex ejus esse substantia demonstrat ita scribens : « Si igitur Deum aliquis compositum esse putat, ut in substantia accidens inest; aut extrinsecus velut vestem quamdam habere et operiri ; aut aliquid circa eum versari, quod ejus substantiam compleat, ut cum nos dicimus Deum, vel nominamus Patrem, non ipsam invisibilem, et incomprehensibilem substantiam significemus, sed aliquid eorum, quæ sunt circa ipsam ; incusent quidem synodum, quæ scripsit ex substantia esse Dei Filium ; intelligant autem duo se blasphemiæ genera dicere, qui ita cogitant, quod et Deum corporalem aliquem introducunt, et Dominum non Patris ipsius, sed eorum, quæ circa ipsum sunt, Filium esse mentiuntur. Sin est simplex aliquid Deus, ut est revera ; perspicuum est, cum Deum dicimus, et nominamus Patrem, nihil nos, quod velut circa ipsum sit, sed ipsam illius nominare substantiam [a]. » Hæc Athanasius, quibus diserte adstruit Filium ex Patris substantia gigni, non ex aliquo, quod sit in Patre, velut est personalis proprietas, a substantia disjunctum. Quin idem alibi passim, sed maxime in libro *de Humana natura suscepta*, verum Dei Filium esse Christum, æqualemque Patri, et consubstantialem ait [1], « quia ex paterna substantia genitus est [b]. »

Eusebius quoque, tametsi Ariano veneno adspersus fuerit, non dubitavit dicere, « ex Patris substantia productum esse Filium [c]. » Idem et alii complures, imo omnes Patres tradidere, qui de hoc mysterio scripserunt, ut Basilius, ut Cyrillus, ut Damascenus, et ex Latinis Augustinus, Fulgentius; quos testes laudat Demetrius in citato loco, ac nos in superioribus libris haud pauca de eo testimonia multorum attulimus. Quin illud etiam exposuimus [2], substantiam ex substantia, hoc est οὐσίαν ἐξ οὐσίας, vel naturam ex natura, dici genitam a plerisque Patribus ; quod et Demetrius observat [3]. Alterum caput erroris, quod Spiritum sanctum ita ex Filii esse substantia profitetur, ut non sit ex ejus persona, facile ex antecedentibus refellitur. Si enim res una est et simplicissima οὐσία, et ὑπόστασις, ut nihil sit aliud persona, quam οὐσία ἐνυπόστατος, non potest ἐξ οὐσίας esse persona quæpiam, quin una sit ex eadem persona, cujus est οὐσία. Præterea cum eo ipso Filius ex Patris persona productus dici censeatur ab Nicæna synodo, cæterisque Patribus, quod et a Patre, et ex ejus substantia genitus dicitur, quamvis nominatim ex Patris persona, vel hypostasi non dicatur genitus ; nonne, cum Spiritus sanctus ex Filio, vel ex hoc, et Patre, tum ex amborum substantia procedere apud eosdem antiquos legitur, intelligendum est, ex amborum exstitisse personis, etsi de hac diserte mentionem non faciant? Denique ridiculum est, Spiritum sanctum ex Filio esse, et ex Filii substantia confitentem, negare ex Filii esse persona, quia Filius nihil aliud est, nisi persona Filii ; sicut qui Sethum ex Adamo oriundum ait esse, nihil aliud significat, nisi ex Adami persona; quia Adamus est Adami persona.

Substantia et persona. Substantia subsistens.

CAPUT XVI.

Explicantur alia eorumdem Græcorum argumenta. Illustratur ratio unius principii superiori exposita capite. Spiritum sanctum non esse nepotem Patris. Filium non qua Filius est, spirare. Cur plures esse Filii nequeant. Patrem non magis esse principium Filii, quam Spiritus sancti. Filium emittere, et, qua homo est, recipere Spiritum.

I. Quod præcipuum est Græcæ robur hæresis, ac firmamentum, antecedenti capite complexi sumus. Cætera minoris momenti sunt, ex quibus ista selegimus.

Primum apud Hugonem Etherianum [4] objiciunt : Si una causa, vel principium Spiritus

a Ibid. Εἰ μὲν οὖν τὸν θεὸν ἡγεῖταί τις εἶναι σύνθετον, ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ τὸ συμβεβηκὸς, ἢ ἔξωθέν τινα περιβολὴν ἔχειν, καὶ καλύπτεσθαι· ἢ εἶναί τινα περὶ αὐτὸν συμπληροῦντα τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ὥστε λέγοντας ἡμᾶς θεὸν, ἢ ὀνομάζοντας πατέρα, μὴ αὐτὴν τὴν ἀόρατον αὐτοῦ, καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν σημαίνειν, ἀλλά τι τῶν περὶ αὐτήν. μεμφέσθωσαν μὲν τὴν σύνοδον, γράψασαν ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν υἱόν· κατανοείτωσαν δὲ ὅτι δύο ταῦτα βλασφήμουσιν οὕτω διανοούμενοι· τόν τε γὰρ θεὸν σωματικόν τινα εἰσάγουσι, καὶ τὸν κύριον οὐκ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ τῶν περὶ αὐτὸν εἶναι υἱὸν καταψεύδονται. εἰ δὲ ἁπλοῦν τί ἐστιν ὁ θεὸς, ὥσπερ οὖν καὶ ἔστι, δῆλον ὅτι λέγοντες τὸν θεὸν, καὶ ὀνομάζοντες τὸν πατέρα οὐδέν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν. ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν.

b Idem. Ἀλλὰ κατὰ φύσιν ἴσος ἐστὶ, καὶ ὁμοούσιος τῷ πατρὶ, διότι ἐκ πατρικῆς οὐσίας γεγέννηται.

c Euseb. IV *be Dem.* Οὐ κατὰ διάστασιν, ἢ τομὴν, ἢ διαίρεσιν, ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας προβεβλημένον.

1 In fine. — 2 Libro superiore. — 3 Cap. VIII. — 4 Lib. I, cap. XIII.

Alia Græcorum argumenta recensentur et dissolvuntur.

sancti est Pater, et Filius; vel numero, id, est, unum, vel specie. Si numero unum est principium Pater et Filius; non duæ erunt, sed una persona. Sin specie sola unum sunt; erunt duo numero principia.

Ad hoc facilis est responsio, si recte quæ superius sunt dicta teneantur. Nam unum revera et numero, et specie principium est, quatenus in Deum convenire ambo ista possunt, neque propterea persona est una numero; quia neque proprietas illa, in qua unum ambo sunt, personalis est, et ὑποστατική vel συστατική, sed communis utrique; et habent singuli proprietates alias, quibus constitutæ jam sunt, distinctæque invicem hypostases. At Hugo unitatem utramvis negat in Deum cadere, etiam illam, quæ numero rem unam facit; quod hæc materiam sequitur, quæ nulla sit in Deo. Sed subtilius hoc loco discernere ista non placet. Nobis id satis est, non duo esse principia, etsi personæ duæ sint, quia non secundum eas proprietates, quibus sunt duo, principium esse dicuntur. Atque idem Hugo Græcorum cavillationem inanem esse simili argumentatione demonstrat. Nam Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus sunt Deus, unumque creatarum rerum principium. Quare similiter ut illic, contendere aliquis potest; Si numero unum est principium, non tres fore personas, sed unam numero; ac quidquid huic argmento Græci responderint, idem sibi ipsis et in priori illa quæstione respondere poterunt.

Hypostatica vel constitutiva

II. Rursus Græci apud Bessarionem ita disserunt[1]: Vel perfecta est productio, qua Spiritus sanctus a Patre procedit, et ita supervacanea est illa, qua ab Filio oritur; vel si ab hoc etiam procedit, non erit prior illa perfecta. Absurdum est autem imperfectum aliquid dici a Patre proficisci. Idem argumentum et ab episcopo Methonæ Latinis objectum Hugo Etherianus affert[2].

Respondet Bessario niti hoc illorum argumentum falsa quadam opinione; quod Patrem et Filium duo ac distincta principia esse fingunt, ac duos agentes, productionesque totidem. Sed non ita res habet. Nam Pater, et Filius solis differunt proprietatibus personalibus; cætera unum sunt, adeoque in spiratrice vi, et ἐνεργείᾳ, qua unica, et singulari simul producunt Spiritum sanctum. Quare nulla inter ipsos et eorum actiones potest comparatio fieri.

Præterea vicissim et illi interrogandi sunt, utrum perfecta sit ea productio, qua mundus procreatur a Patre. Si enim est perfecta; frustra est Filii, ac Spiritus efficientia. Si non est perfecta; non minus absurdum hic est, quam illic, aliquid a Patre fieri non perfectum. Sic inanis, et irritus illorum conatus ostenditur.

III. Ad hæc ita Græci in nos disputant: Si ex Patre est Filius, ex Patre autem et Filio, Spiritus sanctus; nepos erit Patris Spiritus. Facile hoc eludunt Latini, dum et unica productione Spiritum ex ambobus oriri asserunt, non diversis; et spirando, non gignendo, produci. Ut autem nepos sit quispiam, tum gigni eum oportet a patre; tum diversa generatione ab illa, qua is, qui nepotem proxime genuit, pater, ab suo patre nepotis avo genitus est. At neutrum in Spiritus processionem cadit; quæ neque generatio est, neque diversa amborum actio.

Sed Nicetas Byzantinus philosophus sic apud Hugonem gigni Spiritum probat, si ab Filio producitur. Filius Spiritum producit, non ut Filius est; quemadmodum Pater, non eo, quod Pater est, producit eumdem Spiritum. Igitur secundum aliam quampiam habitudinem. Quod si ita est, Filius, qua Filius est, ex causa, sive principio erit; qua emissor autem non erit ex causa, quippe Filius non aliter a principio oritur, quam ut Filius est. Ita duæ in Filio inerunt habitudines; quarum unam a Patre, ut ab eo genitus est, accepit, altera sine principio illi convenit. Quod si ut est ab alio, tanquam principio, habet ut Spiritum emittat, idque a Patre; neque enim aliunde potuit; accepit, cur secundum hoc, quod Filius est, non et ipse Filium gignit, eumque gignendo Pater gignentem facit, si emittendo Spiritum, emittentem et ipsum Filium reddit. Huic sic a nobis occurritur, quod ex antecedentibus facile est: Filium non præcise, qua Filius est, et, ut loquuntur in scholis, *formaliter*, emittere Spiritum, sed ex consequenti; quoniam, ut Filius est, omnia, quæ sunt Patris, præter paternitatem, accipit, ipsamque adeo vim emittendi Spiritus. Sicut Pater non eo præcise, quod Pater est, Spiritum producit, sed ex consequenti; quod idem est, ac nonnisi interjecto medio, vel ut aiunt vulgo, *mediate*, Græci δι' υἱοῦ, *per Filium*. Atque ut homo filius a patre genitus, non ipsam tantum hominis naturam

1 Lib. *de Proces. Spir. sancti.* — 2 Lib. I, cap. x et xi. — 3 Hugo lib. I, cap. xvii.

accipit, quo filius est, velut est ratione esse præditum, sed etiam quidquid ex illa proprietatum sequitur, quamvis ab essentia differant; ita Dei Filius, qua Filius est, et a Patre gignitur, non ipsam duntaxat essentiam habet, sed etiam proprietates omnes, excepta paternitate, quæ sola communicari nequit, et ἀκοινώνητον εἶδος, *non communicanda species*, vel *forma* a Græcis appellatur [1].

IV. Cæterum Filius unica revera proprietate constat, quæ quidem ὑποστατική, *personalis* dicitur; sed ratione, et κατ' ἐπίνοιαν duplex est, quemadmodum et duplex est relatio, quarum altera comparatur cum Patre, altera cum Spiritu sancto. Neque vero, quia Pater, gignendo Filium, emittendi vim Spiritus ei cum essentia communicat, ideo et gignendi alterius potestatem tribuere potest. Quippe plures uno Filii in divinitate esse nequeunt; eique personalis obstat *Filiationis* proprietas, quæ non eam solam, quæ est in Patre, a quo genitus est, paternitatem excludit, ut in hominibus evenit, sed aliam quamlibet, quamcumque fingere cogitando possumus. Siquidem nulla in Deo paternitas nisi divina, cogitari debet; at ejusmodi nulla esse potest, nisi quæ inest in Patre, et filietati, quæ in Filio est, opponitur; quemadmodum neque mens ulla, nisi quæ in Patre est, neque Verbum aliud, nisi quod est unigenitus Filius, eidem divinitati potest tribui. At vero spirationi, sive alteri productioni, quæ non sit generatio, relationi item alteri, quæ non sit Paternitas, non repugnat filiatio; ac proinde communis illa esse cum Patre Filio potest.

Nam quod in argumento ponitur, Patrem emittendo Spiritum, Filium emittentem facere, falsum est, si id præciso, et, ut vocant, *formali* sensu capiatur. Quoniam eo ipso, quod Pater emittit Spiritum, non producit Filium, neque emittentem reddit; cui quidquid dat, gignendo tribuit. Imo prius jam origine subsistere Filius intelligitur, quam Pater emittat Spiritum; quem nonnisi cum Filio communiter emittit. Quocirca verius est, Patrem, gignendo Filium, eumdem spirantem, aut emittentem reddere, quam emittendo Spiritum. Gignentem autem facere non potest, quia hoc, quod generatione proprie est, Filius esse non posset, si alterum gigneret.

V. Aliud Nicetæ philosophi in Latinos argumentum apud Hugonem Etherianum [2] est ejusmodi : Quidquid de una divinitatis persona dicitur, id magis, ac minus non recipit. At vero causam esse, seu principium, Patris personæ convenit, quatenus et Filii Pater est, et emissor Spiritus. Utrumque igitur ex æquo illi congruit. Quare cum Filii genitor ita sit, ut eidem esse Patri non conferat; ne illi quidem dabit, ut sit emissor.

Sed frivola, et ludicra est hæc argumentatio. Non enim magis, minusve, hoc est perfectius, aut minus perfecte, affirmatur ulla de re, nisi secundum qualitatem; quæ in Deo nulla est ab essentia diversa. Quare si quid magis, minusve esse Deo dicitur, id in essentia ipsa spectari debet. At hæc una, et simplicissima personis tribus sine ulla varietate convenit. Nullum igitur perfecti discrimen in Deo reperiri potest. Quod autem causa sit alterius una persona , aut plurium una quam altera; non secundum essentiam convenit, sed secundum proprietatem et relationem, quæ magis, aut minus non capit. Jam vero ubicumque nulla intercedit relationis oppositio, quidquid inest in ea persona, quæ alteri dat originem, illud eidem producendo communicat. Ideo Pater emittendi vim dat Filio, non generandi, quoniam huic obstat Filii proprietas, non alteri.

Simile est et illud, eodemque modo dissolvitur, quod objiciunt Græci : Patrem magis causam fore Filii, quam Spiritus, si Filium non modo Deum gignit, sed productorem personæ alterius; quod Spiritui sancto minime largitur. Plus ergo Filio, quam Spiritui dare videtur. Sed falsum est. Quamvis enim tum aliquid Filio dat, quod non tribuit Spiritui sancto, tum quod utrique dat, non eodem modo communicat; neutri tamen plus, minusve, quam alteri, impertire dicitur, neque perfectius aliquid habet una, quam altera. Siquidem « neque Pater, et Filius simul majus aliquid sunt, quam Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium minus aliquid est, quam ipsa Trinitas, » ut ait Augustinus [2], et ejus rei causam erudite, atque eleganter explicat, de qua nos postea.

VI. Nihilo solidius est, quod opponunt apud Etherianum [3] : « Si Pater solus est causa Filii, non est autem solus sancti Spiritus causa, magis est causa Filii Pater, quam Spiritus. » Ad hoc enim similis est, atque ad illa superiora , responsio, magis minusve circa origines proprietatesque non spectari, sed circa substantiam. Tum vero utcumque

1 Bess. lib. *de Proces. Spir. sancti*. — 2 Lib. VIII *de Trinit.* cap. I. Vide et epist. LXVI. — 3 Lib. II, cap. VI.

diceretur aliquid, si duæ essent causæ distinctæ Pater et Filius, ac duplici actione producerent Spiritum sanctum. Sed sunt unicum, simplexque principium emittendi, adeoque unica et singularis est emissio. Porro cum, ut paulo ante ex Augustino referebamus, duæ, tresve personæ non sint majus aliquid, quam singulæ, quoniam ut idem alibi scribit [1], « Hæc Trinitas unius est, ejusdemque naturæ, atque substantiæ, non minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis, sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul, et Filio, et tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre, et Filio et Spiritu sancto; » sequitur, neque producendi vim, et efficientiam, quæ in pluribus est, minorem habere singulas, quam quæ in una tantum cernitur. Quemadmodum creatarum rerum non magis est causa Pater, Filius, et Spiritus sanctus simul sumpti, quam separatim singuli; neque si solus Pater mundum procrearet, magis ejus auctor esset, quam nunc est, dum conjunctim cum duobus aliis illum efficit.

VII. Perinde et hoc imbecillum est [2], quo Nicolaus Methonæ præsul Latinorum dogma vellicabat: « Quod ex duobus est, ei quod ex uno tantum, nunquam est æquale. Atqui Spiritus ex duobus est, cum Filius ex Patre solo nativitatem habeat; ergo non est æqualis Filio Spiritus, sed aut major, aut minor. » Contra quod in promptu habetur

Instantia. hæc ἔνστασις apud Hugonem: « Quod ex uno, ei quod ex nullo est, nunquam est æquale. At vero Filius ex uno solo Patre scilicet, qui a nullo est, habet existentiam. Inæquales sunt ergo Pater, atque Filius. » Quocirca de æqualitate proinde sentiendum est, ac de eo quod majus, aut minus dicitur, nequaquam illam in proprietatibus, et originibus, sed in substantia ipsa considerari, quæ cum nullum in personis æqualitatis discrimen faciat, ne in processionum quidem diversitate ullum constituit.

Nec illud prætericrim, etsi est infirmum, Pachomii cujusdam monachi argumentum. Cum enim, ait, ad Jordanem Christo baptizato, Spiritus sanctus a Patre in Filium delapsus sit; necesse est ab solo illum Patre procedere. Nam si et a Filio procedat, duo esse debent Filii; quod Nestorii dogma fuit. Unus enim erit ille qui mittit, alter is in quem mittitur. Verum jocularis est ista collectio, neque sequitur duos esse Filios, hoc est personas; sed naturas tantummodo duas. Nisi forte Nestorianæ hæresis accusandus est Athanasius; qui « Spiritum sanctum a Christo in Christum descendisse scripsit, hoc est, a divinitate ipsius in ejusdem humanam naturam; » quem locum antea laudavimus [3]. Sic auctor ille, qui Gregorius Thaumaturgus nominatur, in appendice tomi septimi operum Chrysostomi, ita Deum Patrem loquentem inducit ad eumdem Jordanem: « Hic est, qui mecum emisit Spiritum sanctum, ac rursum, quem emisit, recipiens [a]. »

CAPUT XVII.

Quibus antiquorum Patrum auctoritatibus Græci errorem suum fulciant; quæ quidem exponuntur. Explicatur vis præpositionum duarum διὰ, *et* ἐξ. *Explicantur loca illa Damasceni, Theodoreti, ac Cyrilli, quibus dogmati suo patrocinantur Græci. Maximi martyris locus exponitur.*

I. His, et aliis argumentis ex quorumdam veterum testimoniis robur adjungunt; qui vel Spiritum sanctum sic per Filium a Patre procedere scribunt, ut a Filio; vel ex Filio, diserte negant; vel, hoc tacito posteriore, solum prius usurpant, et quidem frequenter. Ac qui palam, aperteque Spiritum dixerit ex Filio non procedere, neminem ex antiquis, et sincere catholicis Patribus, quem opponant Latinis, habent, præter Damascenum, eximium illum quidem, et doctrina pietateque præstantem theologum, sed non multum veterem, ut qui Leone Isaurico imperante vixit post septingentesimum annum. Hic igitur in primo libro *de Fide orthodoxa*, « Scire, inquit, oportet, nos non dicere Patrem esse ex aliquo. Sed ipsum dicimus Patrem esse Filii; Filium vero non dicimus principium, neque Patrem; sed eum dicimus et ex Patre esse, et Filium Patris. Porro Spitum sanctum tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus; sed eum Filii Spiritum nominamus [b]. » Et cap. XIII, in fine:

a Thaumat. Ὁ σὺν ἐμοὶ πέμψας τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ πάλιν ὅπερ ἔπεμψεν ὑποδεξάμενος.

b Damasc. lib. I, cap. x. Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι τὸν πατέρα οὐ λέγομεν ἔκ τινος. λέγομεν δὲ αὐτὸν τοῦ

1 Ep. LXVI. — 2 Hugo lib. II, cap. XII. — 3 Lib. III, cap. II, n. 7.

« Sed et Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedat. Solus enim Pater principium est [a] *. »

Scripserat idem etiam ante Damascenum Theodoretus in confutatione capitulorum sancti Cyrilli. Cum enim Cyrillus in *Anathematismo* nono dixisset, « Spiritum sanctum Filii esse proprium [b], » Theodoretus sic illud vellicat : « Quod autem Spiritum Filii esse proprium asserit, siquidem ut ejusdem cum eo naturæ, et ex Patre procedentem dixit, assentiemur, et eam vocem, tanquam piam, admittemus. Sin hoc asserit, tanquam ex Filio, et per Filium existentiam habeat; velut blasphemum hoc, impiumque rejiciemus. Fidem enim adhibebimus dicenti Domino : *Spiritus, qui ex Patre procedit:* necnon divinissimo Paulo similiter loquenti : *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo Patre est* [c]. » Verum hujus idcirco ratio nulla ducitur a Latinis, et catholicis, quod libellus iste, quem contra Cyrillum edidit, pro hæretico damnatus sit in quinta synodo. Quocirca contra Theodoretum passim excipiunt, qui pro Romana Ecclesia adversus Græcos scripserunt; ut inter alios Hugo Etherianus [1], qui illum pravi auctorem dogmatis facit. Tum alibi [2], « infatuata confidentia illum ait undecimum Cyrilli capitulum fas infirmare; » eadem illa verba recitat, quæ supra commemoravi. Quæ quidem non ad undecimum *Anathematismum*, sed ad nonum Theodoretus scripsit. Cujus etiam et alia ab Hugone verba referuntur: « Ubi vero, inquit, hic idem Theodoritus ex magni Cyrilli scriptis plenum certificatus est, quod cum Latinis de processione Spiritus sancti dogmatizaret, quæ sequuntur oblocutus est : Blasphemat et in Spiritum sanctum, dum non ex Patre solo illum asserit procedere, juxta Domini vocem, sed ex Filio eumdem existentiam habere. Hi sunt Ægyptii partus malo patre germina deteriora. »

Præter hos duos, etiam Dionysium, et

υἱοῦ πατέρα· τὸν δὲ υἱὸν οὐ λέγομεν αἴτιον, οὐδὲ πατέρα. λέγομεν δὲ αὐτὸν καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ υἱὸν τοῦ πατρὸς. τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν· ἐκ τοῦ υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν, πνεῦμα δὲ υἱοῦ ὀνομάζομεν.

a DAMASC. Καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. μόνος γὰρ αἴτιος ὁ Πατήρ.

b CYRIL. Ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμα δι' οὗ καὶ ἐνήργεσε τὰς θεοσημείας.

c THEODOR. Ἴδιον δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς, καὶ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον ἔφη, συνομολογήσομεν, καὶ ὡς εὐσεβῆ δεξόμεθα τὴν φωνήν. εἰ δ' ὡς ἐξ υἱοῦ, καὶ δι' υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον· ὡς βλάσφημον τοῦτο, καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν. πιστεύσομεν γὰρ τῷ κυρίῳ λέγοντι τὸ πνεῦμα, ὃ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται. καὶ τῷ θειοτάτῳ δὲ Παύλῳ ὁμοίως φάσκοντι· ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ πατρός.

* Difficilis est ille Damasceni locus, difficultatemque auget alius in homilia *de Sabbato sancto* in qua hæc leguntur : « Spiritum sanctum colimus, tanquam Dei et Patris Spiritum, ex ipso nempe procedentem, qui tamen etiam Filii dicitur, quod per ipsum manifestatus, rebusque omnibus impertitus, *non autem ex ipso habens ut existat*, ἀλλ' οὐκ ἐξ αὐτοῦ ἔχον τὴν ὕπαρξιν.

Nonnulli Latini dogmatis defensores hæc esse spuria et insititia clamitant, sed quibus rationum momentis id asserant, ipsi viderint. Nam hæc verba, quæ difficultatem pariunt, in omnibus tam manuscriptis quam editis inveniuntur. Alii, ut ipse doctissimus Petavius, Damascenum deserunt, Græcisque favere confitentur. Inter hos eminet S. Thomas qui in I, quest. XXXVI, art. 2, resp. ad 3, hæc habet: « Dicendum, inquit, quod Spiritum sanctum non procedere a Filio, primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum damnato ab Ephesina synodo; et hunc errorem secutus est Theodoritus Nestorianus et plures post ipsum, inter quos etiam fuit Damascenus; unde in hoc ejus sententiæ non standum. » Hactenus S. Thomas.

Meliori instituto, probabilioribusque argumentis, ut nobis videtur, Michael Lequien, doctissimus operum Damasceni editor, eximium virum non minus sanctitatis quam doctrinæ laude celeberrimum, ab omni erroris labe vindicat, verbaque ejus, quæ difficilia prima fronte videntur, in sensu catholico, non difficile explicari posse contendit. Propter materiæ gravitatem visum est nobis quæ variis in locis sparsa inveniuntur hic in compendium reducta ob oculos ponere, eruditoque lectore dijudicanda relinquere. Unde, 1° Certum est B. Damascenum, cum plerisque Græcis doctoribus asserere Spiritum sanctum a Patre procedere *per Filium*. Cap. VII *de Divinis nominibus* dicitur Pater: « Per Filium producens manifestantem Spiritum » διὰ λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος. Et paucis interjectis : « Spiritus Patris potentia, divinitatis recondita declarans, ex Patre per Filium procedens. » Τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκφαντορικὴ δύναμις τοῦ Πατρὸς, ἐκ Πατρὸς μὲν δι' Υἱοῦ ἐκπορευομένη. In fine *Epistolæ de hymno trisagio*, dicitur Spiritus sanctus « Ex Patre per Filium et Verbum procedens, non tamen filiationis modo » Ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ Λόγου προϊὸν, οὐχ υἱϊκῶς δέ. In *Dialogo contra Manichæos*, asserit *Orthodoxus* cum Manichæo disputans, Patrem « Semper Verbum ex se genitum, et *per Verbum* Spiritum ex se procedentem semper habuisse. » Ἔχων (Πατὴρ) ἐξ ἑαυτοῦ Λόγον, καὶ διὰ Λόγου αὐτοῦ ἐξ ἑαυτοῦ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐκπορευόμενον. Denique in *Expositione et declaratione fidei*, cujus Græcum exemplar usque ad hanc diem non est inventum, sed cujus habetur traductio authentica, hæc no-

1 Lib. I, cap. II. — 2 Lib. II, cap. XV.

Per et ex.

Cyrillum pro se afferunt Græci quidam; de quibus paulo post. Libet enim, antequam iis respondeo, de his voculis διὰ, et ἐξ, in quibus controversia tota sita est, hoc loco agere, ut intelligant omnes tantumdem esse Spiritum dicere, per Filium a Patre procedere, atque ex Filio.

De particulis ἐκ, διὰ, ex, per.

II. Igitur particulam διὰ cum gignendi casu, idem plerumque significare, quod ἐκ, hoc est efficientem, producentemve causam, ac principium, Græcorum Patrum frequens usus ostendit. Utriusque particulæ vim accurate Basilius expendit in libro *de Spiritu sancto;* atque imprimis Aetium Anomœorum sectæ principem refert[1] distinguendæ in rebus divinis ambarum notionis auctorem fuisse. Nam Patri soli tribuisse τὸ ἐξ οὗ, idque Filio negasse; huic vero concessisse τὸ δι' οὗ, *per quem;* Spiritui sancto denique, τὸ ἐν ᾧ, *in quo;* Pauli auctoritate fretum, qui sic in priore *ad Corinthios* scribit: *Unus Deus, et Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia*[a]. Quanquam aliter hic locus in nostris codicibus legitur; neque enim postrema illa de Spiritu sancto continent. Putavit ergo ex iis verbis Aetius id, quod volebat, effici, dissimilem et inæqualem esse Patri Filium, siquidem Pater is est, ἐξ οὗ, *a quo*, velut principio, et efficiente causa procreata sunt omnia; Filius vero, δι' οὗ, *per quem*, non ut ab efficiente, causaque primaria, sed tanquam per instrumentum. At Basilius promiscue[2], ac nullo discrimine usurpari sacris in Litteris dictiones illas ait, ac tam δι' οὗ, quam ἐξ οὗ de Patre dici, itidemque de Filio. Quod autem prior particula nonnunquam Filio, posterior Patri tribuitur; non eo fieri, ut lex quædam loquendi præscribi putetur, sed ut personarum discrimen internoscatur. « Hæ voces non præscribentis legem sunt, sed hypostases discernentis. Non enim, ut naturæ diversitatem introducat, sed ut minime confusam Patris, et Filii notionem præbeat, ita pronuntiavit Apostolus[b]. » Quæ Basilii verba adversus Græcos vocularum calumniatores et ad hanc recentem controversiam imprimis faciunt. Dicunt enim illi,

a I *Cor.* VIII, 6. Εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα· καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα· καὶ ἓν πνευμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα.

b BASIL. Αὗται οὐκ εἰσὶ νομοθετοῦντος φωναὶ, ἀλλὰ διευκρινουμένου τὰς ὑποστάσεις. οὐ γὰρ ἵνα τὸ ἀλλότριον τῆς φύσεως εἰσαγάγῃ, ἀλλ' ἵνα ἀσύγχυτον πατρὸς, καὶ υἱοῦ τὴν ἔννοιαν παραστήσῃ, οὕτω προήνεγκεν ὁ Ἀπόστολος.

tanda leguntur: « Spiritus sanctus est Filii, sed non est ex Filio; est tamen ad Filium quia emanat per illum et ex illo, at non est ex Filio, quia Pater una est causa tum Filii, tum Spiritus sancti. »

Hæc satis superque sunt ut nobis constet de vera mente B. Damasceni: ex his enim colligitur illum toto cœlo distare ab hæresi Eutychiana quæ negabat Spiritum per Filium existere, necnon ab errore Theodoreti qui tanquam blasphemum exprobravit Cyrillo quod docuisset Spiritum sanctum *vel e Filio, vel per Filium exstantiam habere*, Ἐξ Υἱοῦ ἢ δι' Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει. Etenim toties inculcando Spiritum a Patre per Filium produci, illius naturalis divinissimæque productionis Filium nequaquam exsortem profitetur.

Si vero relegantur ea quæ solide non minus quam erudite edisserit ipsemet Petavius supra § 2, de promiscuo usu particularum ἐκ, διὰ, *ex*, *per*, ad exprimendam Filii efficientiam in productione S. Spiritus, si attendatur Theodoretum utramque loquendi formulam, tanquam suo errori oppositam, blasphemiæ insimulasse, ut patet ex textu supra citato, quidni Damascenus numerabitur inter doctores qui Spiritum e Filio vel per Filium procedere professi sunt? Nonne Petavius, Damascenum deserens, majorem partem doctorum Græcorum, qui eadem loquendi formula usi sunt, sibi eripit, suamque thesim de promiscuo usu particularum διὰ et ἐκ et labefactat et evertit?

Superest explicandum quo sensu Damascenus, aliique Græci docuerint Spiritum per Filium exstantiam non habere; dum iidem concordi voce Patrem per Filium producere Spiritum, vel Spiritum e Patre per Filium procedere, clamant. Negant igitur Spiritum per Filium existere 1° speciali quadam actione quæ a paterna sit distincta; 2° ne Spiritus, sensu quo intelligebat Eunomius, res creata effectumque Filii haberetur; 3° ne Spiritus hac e Filio processione, sensu quo illam sumebat Apollonius, minor Filio censeretur; 4° vel tandem ne Filius primordialis Spiritus causa censeretur. Docent vero Spiritum per Filium progredi, ut illius actionis naturalis qua Pater profundit Spiritum, nequaquam exsors habeatur Filius, divinaque natura, ratione originis, a Patre prius Filio communicata quam Spiritui, suam naturalem fecunditatem servet in Filio, quæ a Patre incipit qui solus fons, virtus, scatebra, principium et auctor Spiritus sancti propterea dicitur. Quod eleganter exprimit Gregorius Theologus: Μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δυάδα κινηθεῖσα μέχρι Τριάδος ἔστη, *Unitas a principio in binarium progressa, in Trinitate constitit.*

Hæc si recte intelligantur, facile conciliabuntur Græcorum Latinorumque doctorum de processione sancti Spiritus sententiæ, atque in unam fidem coalescere reperientur.

Notandus est textus quem supra e *Fidei professione* exprompsimus. Est enim observatione dignissimum, Damascenum relationem Spiritus ad Filium, qua nempe a Filio distinguitur, non aliunde petere quam ex ejus per illum et ex illo emanatione; quod sane urgentissimum videtur contra Græcos Schismaticos. Confer adnotationes Michaelis Lequien in Damascenum, ex quibus plura hic exprompsimus.

J.-B F.

1 Cap. II. — 2 Cap. III.

e Filio. *Filium.*

idcirco Spiritum sanctum a Filio non procedere, quia plerique veterum Patrum, non ἐκ τοῦ υἱοῦ, sed διὰ τοῦ υἱοῦ procedere scripserunt. Contra quos armari primum nos oportet Basilii testimonio illo, qui nullum in his particulis διὰ et ἐκ discrimen agnoscit; neque enim ob id distincte esse positas, ut significationis differentia esse putetur aliqua, sed ut hypostases invicem secernantur. Tum discernendæ illarum notionis in divinis personis explicandis auctorem esse hæreticorum perditissimum Aetium; quem proinde ducem habent Græculi hodierni, qui similem in istis voculis calumniam struunt.

III. Usu autem, et significatione promiscuas esse voces has sic, ut διὰ idem sit plerumque, quod ἐκ, probat Basilius ex Scripturæ locis aliquot [a]. Ut sunt ista : *Possedi hominem per Deum* [1]; » quod idem est, atque *ex Deo*. Et alibi : *Quæ præcipit Moses Israeli per mandatum Domini*. Item : *Nonne per Deum horum manifestatio est* [2] *?* ait Joseph, de insomniis loquens, pro eo, quod est *ex Deo*. Quibus et illud accedit, quod ex *Joannis* primo capite idem Basilius alibi commemorat [3] : *Omnia per ipsum facta sunt*. Nemo enim christianus ambigat, creatas res omnes a Filio tanquam efficiente causa, et principio, productas esse; quamvis sæpius *per ipsum* factæ esse dicantur. Quanto ergo minus de Spiritus sancti processione lis est ob eam vocem commovenda, quam non Scriptura, sed Patris duntaxat usus, et auctoritas ad illam explicandam ascivit?

Paulus ecce in priore *ad Corinthios*, *Nobis unus est*, inquit, *Deus Pater*, *ex quo omnia*, *et nos in illum*, *et unus Dominus Jesus Christus*, *per quem omnia*, *et nos per ipsum* [b]. Et *ad Colossenses* scribens [4], *Omnia*, inquit, *per ipsum*, *et in ipso creata sunt* [c]. An δι' αὐτοῦ, *per Filium*, creata esse cuncta, non est, ab eo ceu principio causaque esse condita? Plane sic est; nec aliud interest inter ἐκ, quod Patri, et διὰ, quod Filio proprie conceditur, quam quod vel diversa utriusque est hypostasis, ut Basilio placet, vel Pater suo modo principalis est causa per Filium agens; de qua re paulo post.

Rursus externa illa Spiritus sancti missio, ac donorum charismatumque largitio, cui Spiritus nomen attribuitur, a Filio non minus, quam a Patre, velut a principio et efficiente causa proficiscitur, ut Græci ipsi sentiunt; quod postea videbimus. At veteres illa ipsa dona, et eam Spiritus sancti communicationem δι' υἱοῦ, *per Filium* aut *per Christum* fieri sæpius affirmant. Cyrillus in epistola *ad Reginas*, de Spiritu sancto loquens : « Est enim ex Patre naturaliter per Filium in creaturas profusum [d]. »

IV. Denique Græci hodie loca illa Patrum, quæ Spiritum sanctum ἐκ τοῦ υἱοῦ, vel δι' υἱοῦ produci adstruunt, quæ quidem agentem causam significare videntur, de externa illa donorum largitione libenter accipiunt. Igitur vel ipsi fateantur oportet, particulam διὰ efficientiam, actionemve nonnunquam exprimere. Quod ex eodem Cyrillo sic ostendere pergimus.

Hic enim in sexto *Dialogorum ad Hermiam*, « Quidquid a Patre agatur, inquit, hoc omnino opus erit Filii; et quidquid per Filium perfici dicatur, prorsus hoc Patris est egregium facinus. Omnia enim per ambos ex æquo geruntur [e]. »

Idem in epistola *ad Theodosium imperatorem*, cujus initium est, τῆς ἐν ἀνθρώποις εὐκλείας, de Christi incarnatione loquens, « Natus est, inquit, per sanctam Deiparam Virginem, formam servi accipiens [f]. » At ibidem sæpius ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου *ex sancta Virgine* Christum exstitisse dicit. Idem est igitur διὰ, et ἐκ, quando

a Basil. *de Sp. sancto,* cap v. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῆς θεολογίας αἱ χρήσεις τῶν φωνῶν ἐπαλλάττονται· ἀλλ' ἤδη καὶ πρὸς τὰ ὑπ' ἀλλήλων σημαινόμενα πολλάκις ἀντιμεθίστανται, ὅταν ἑτέρα τὴν τῆς ἑτέρας σημασίαν ἀντιλαμβάνῃ. οἷον ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεο,ῦ φησὶν ὁ 'Αδὰμ (imo Eva) ἴσον λέγων τῷ ἐκ τοῦ θεοῦ. καὶ ἑτέρωθι· ὅσα ἐνετείλατο Μωϋσῆς τῷ 'Ισραὴλ διὰ προστάγματος τοῦ Κυρίου· καὶ πάλιν· οὐχὶ διὰ τοῦ θεοῦ ἡ διασάφησις αὐτῶν ἐστιν;

b I *Cor.* VIII, 16. 'Αλλ' ἡμῖν εἷς θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, καὶ εἷς κύριος 'Ιησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ.

c *Col.* I. Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται.

d Cyril. *ad Reginas*. Καὶ γάρ ἐστιν ἐκ πατρὸς φυσικῶς προχεόμενον δι' υἱοῦ τῇ κτίσει.

e Cyril. Ὃ γὰρ ἂν δρῷτο παρὰ τοῦ πατρὸς, τοῦτο δὴ πάντως ἔσται ἐνέργημα τοῦ υἱοῦ· καὶ ὅπερ ἂν λέγοιτο διαπεραίνεσθαι δι' υἱοῦ, τοῦτο δὴ πάντως ἐστὶν κατόρθωμα τοῦ πατρός· πάντα γὰρ δι' ἀμφοῖν ἐν ἴσῳ.

f Idem, epist. *ad Theod.* in Conc. Eph. Γεγέννηται γὰρ διὰ τῆς ἁγίας θεοτόκου παρθένου, μορφὴν δούλου λαβών.

1 *Gen.* IV. — 2 *Gen.* XXXVII. — 3 Cap. VIII. — 4 Cap. I, 16.

cum genitivo junguntur. Nam et subinde « partum dixit per Virginem [a]. » Et, « Quod vero alii putant, et sentiunt ex infinita quadam tarditate, ut et nativitatem per sanctam Virginem Verbum, quod ex Deo natum est, recusaverit, et naturam nostram probro duxerit; deflexisse vero potius ipsum ad carnem e terra editam, hæc jactare hominum est Incarnationem male traducentium [b]. » Item : « Nonne dicimus, natum esse Emmanuelem ex femina? Alioqui quomodo ascendit eo, ubi se esse dicit ipse? Quanquam natum est per sanctam Virginem corpus illud quod ipsi copulatum est [c]. »

διά idem quod ἐξ significat.

Quibus in locis omnibus ostendit διὰ sæpe genitivo adjunctum efficientem significare causam, idemque esse, quod ἐξ. Atque hoc uberius in primo *Commentariorum ad Joannem* edisserit[1]; ubi quod scriptum est, *Omnia per ipsum facta sunt*, non sic interpretandum demonstrat, tanquam instrumentum significent; sed potius causam agentem, æqualique cum Patre efficientia præditam, cum et de Patre scripserit Apostolus, *Paulus Apostolus per voluntatem Dei*[2]. Et, *Si Filius, et hæres per Deum*[3], quæ omnia de Patris persona dicuntur. Igitur « promiscue, ut idem concludit, dictiones istas usurpat Scriptura sacra, sine ullo rei, qua de agitur, dispendio [d]. »

Idem Cyrillus in quarto *contra Nestorium*, « Efficiuntur, ait, omnia a Patre, et per Filium in Spiritu; et dum Pater movetur ad efficientiam aliquorum, procul dubio efficit Filius in Spiritu. Ac si quid implere dicatur Filius, aut Spiritus, id omnino est ex Patre [e]. »

Et in eodem libro, cum dixisset, Patrem sanctificare, et omnia dona Spiritus sancti largiri per Filium, mox ait Filium et sanctificare, et ista ipsa dona tribuere. Tum in libro *de Recta fide ad Imperatrices*, « Procedere per ambos Patrem, et Filium, dicit vivificum Spiritum [f]. » Et in quarto *contra Nestorium*, « Ut enim, ait, procedit ex Patre Spiritus sanctus, quod secundum naturam ipsius est; eodem et æquali modo et per ipsum Filium, cum naturaliter ipsius sit, eique consubstantialis [g]. »

Denique in epistola ad Theodosium *de Recta fide* eximius est locus, qui promiscuum particularum istarum usum imprimis ostendit. Nam Christum ait « Spiritum sanctum ex propria natura profundere [h]. » Item : « Sed ipse emittit ex seipso, quemadmodum et Pater [i]. »

Athanasius oratione secunda *adversus Arianos*, (quæ a Græcis prima numeratur, ut est apud Beccum[4]), « Cum igitur ad eam ætatem homo processerit, cui vim, ac robur natura tribuit, statim sine impedimento ullo naturaliter homo fit pater filii, qui per ipsum existit [k]. »

V. Sed est eximius eadem de re Gregorii Nysseni locus in primo *contra Eunomium*. Ibi enim personarum a se invicem, et præsertim Spiritus a Filio, et a creatis rebus differentiam exponens, hunc ipsum discernit a Filio, « eo quod neque ut unigenitus ex Patre productus est, et quod per ipsum Filium apparuit; rursus autem a creatura, quæ per Filium est producta, distat (ne quis putet aliquid commune esse Spiritui, et creaturæ, propterea quod per Filium apparuit) immutabilitate, et immobilitate [l], » etc. Ergo perinde διὰ τοῦ υἱοῦ Spiritus Per Filium.

a Cyril. ep. *ad Theod.* Οὗ δὲ τόκος διὰ παρθένου.

b Ibid. Τὸ δὲ δὴ καὶ ἑτέρους οἴεσθαι τε, καὶ φρονεῖν ἐξ ἀμετρήτου νωθείας γέννησιν μὲν ἀνήνασθαι τὴν διὰ τῆς ἁγίας παρθένου τὸν ἐκ θεοῦ φύντα λόγον, καὶ φύσιν μὲν ἀτιμάσαι τὴν καθ' ἡμᾶς, παρατετράφθαι δὲ μᾶλλον αὐτὸν εἰς τὴν ἀπὸ γῆς σάρκα, δυσφημούντων ἐστὶ τὴν οἰκονομίαν.

c Ibid. Οὐχὶ τετέχθαι φαμὲν ἐκ γυναικὸς τὸν Ἐμμανουήλ; ἢ πῶς ἀναβέβηκεν ἔνθα περ εἶναί φησιν αὐτὸς; καίτοι τεχθέντος, διὰ τῆς ἁγίας παρθένου τοῦ ἑνωθέντος αὐτῷ σώματος.

d Cyril. I *in Joan.* Ἀδιαφορεῖ γὰρ ἔσθ' ὅτε περὶ τὰς λέξεις ἡ θεία γραφὴ μηδὲν ἀδικοῦσα τὸ ὑποκείμενον.

e Cyril. Πράττεταί γε μὴν τὰ πάντα παρὰ πατρὸς, καὶ δι' υἱοῦ ἐν πνεύματι· καὶ οἷον κεκινημένου τοῦ πατρὸς, εἰς ἐνέργειαν τὴν ἐπί τισιν, ἐνεργεῖ δέ πάντως ὁ υἱὸς ἐν πνεύματι. κἂν εἴ τι λέγοιτο πληροῦν ὁ υἱὸς ἢ τὸ πνεῦμα, τοῦτο δὴ πάντως ἐστὶν ἐκ πατρός.

f Cyril. in Conc. Eph. Πρόεισι δὲ δι' ἀμφοῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν.

g Cyril. Ὥσπερ γὰρ πρόεισιν ἐκ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, αὐτοῦ κατὰ φύσιν ὑπάρχον· καὶ κατὰ τὸν ἴσον τούτῳ τρόπον καὶ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ, φυσικῶς ὂν αὐτοῦ, καὶ ὁμοούσιον αὐτῷ.

h Idem. Ὅπερ ἐνίησι μὲν αὐτὸς, ὡς ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγος, καὶ ἐξ ἰδίας ἡμῖν ἀναπηγάζει φύσεως.

i Idem. Ἀλλ' αὐτὸς ἐνίησιν ἐξ αὐτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ πατήρ.

k Athan. Ὅταν οὖν εἰς τοῦθ' ἡλικίας ὁ ἄνθρωπος προέλθῃ, ᾗ καὶ τὸ δυνατὸν ἡ φύσις παρέχει, εὐθὺς ἀνεμποδίστως τῇ φύσει πατὴρ ὁ ἄνθρωπος γίνεται τοῦ δι' αὐτοῦ υἱοῦ.

l Greg. Nyssen. Ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ υἱοῦ πεφηνέναι· πάλιν δὲ τῆς κτίσεως διὰ τοῦ μονογενοῦς ὑποστάσης· ὡς ἂν μὴ κοινότητά τινα πρὸς ταύτην ἔχειν νομισθῇ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ διὰ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι, ἐν τῷ ἀτρέπτῳ, καὶ ἀναλλοιώτῳ, etc.

1 Cap. v sub fin. — 2 I *Cor.* I. — 3 *Eph.* I. — 4 Cap. I.

sanctus produci dicitur, uti creaturæ; tametsi non idem utrobique modus est existendi. Verum agens, producensve principium sine dubio in iis duobus intelligitur. Alioqui non in eo utcumque convenire creaturas, et Spiritum diceret, quod διὰ τοῦ υἱοῦ producantur, ut propterea communi illi differentia aliqua, et proprietas accommodanda fuerit. Et in eodem libro, cum naturam dixisset esse duplicem, creatam, et increatam; « Creata, inquit, est, quæ per increatam naturam, causam et vim existendi habet[a]. » Ibi διὰ plane idem valet, atque ἐξ.

Chrysostomus quoque homilia undecima in posteriorem *ad Corinthios*, « Cum vero dico, inquit, Christum causam esse reconciliationis, etiam Patrem dico. Cum dico Patrem dedisse, et Filium dico. Omnia enim per ipsum facta sunt. Sed et hujus causa est ipse[b]. » Non potuit clarius exprimere, quam verbis istis fecit, causam etiam agentem aliquid præpositione illa declarari.

Quamobrem cum particulæ hujus vis ea sit, ut cum dicimus Patrem per Filium creaturas condere, nemo alium sensum subjiciat, quam utrumque ex æquo facere; quando a Patre per Filium produci Spiritus sanctus a Græcis Patribus dicitur, nihil hoc erit aliud, quam a Filio non minus, quam a Patre produci. Etenim, « quæ facta sunt a Patre per Verbum, ait Anselmus[1], facta sunt similiter ab ipso Verbo. Ipsum namque Verbum dicit : *Quæcumque Pater fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Dicamus igitur, quia Spiritus sanctus, cum procedit a Patre per Filium, procedit et a Filio similiter; sicut quæ facta sunt a Patre per Verbum, facta sunt similiter ab ipso Verbo. »

Origenis hallucinatio

VI. In quo plane imperite lapsus est Origenes, qui tomo secundo in *Evangelium* Joannis negavit, a Verbo, seu Sermone facta esse omnia, quia δι' οὗ, id est *per quem* Scriptura solet ei tribuere : « Unigenito, inquit, habente particulam δι' οὗ, id est *per quem*, dum sæcula fierent. Sic igitur hoc etiam in loco, si omnia per Sermonem facta fuerunt, non a sermone facta fuerunt, sed ab eo, qui ipso Sermone major est; quem quis alium dixerit, quam Patrem ipsum? » Melius Athanasius; qui per Filium creata esse cuncta sic interpretatur, ut sit, Filium eorum esse conditorem. « Si vero, inquit, per Filium facta sunt, et in ipso constituta sunt omnia, necessario qui creaturam recte contemplatur, etiam Verbum, quod eam creavit, contemplatur[c]. » Quinetiam Apostolus perspicue Filium ipsum fecisse, ac creasse demonstrat, cum *ad Hebræos* scribens[2], hæc Davidis verba[3], *Tu in principio, Domine, terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt cœli*, ad illum refert. Non enim « dixit, per te facti sunt cœli, ait Hugo Etherianus[4], et fundata est terra; sed tu fecisti terram, et opus tuum est cœlum. » Sed et Patres illi omnes, quos citavimus, Origenianam illam ἐπίστασιν refellunt. Quod autem Spiritum sanctum διὰ τοῦ υἱοῦ, *per Filium produci*, sit idem, quod ab eo produci, erudite probat Emmanuel Calecas[5], qui sic scribit : « Quoniam igitur Spiritus sanctus ex Patre per Filium naturaliter, et substantialiter, et sempiterne procedere a theologis dicitur; procedere autem, per processionem existentiam habere significat, quemadmodum gigni, per generationem subsistere demonstrat; quidquid autem per aliquid substantialiter existentiam habet, etiam ex illo est; perspicuum est Spiritum sanctum esse ex Filio, et ab eo procedere. Nam aut nihil ad Spiritus processionem confert particula *per*; aut confert quidem nonnihil, sed non perfectum; aut instrumenti vicem præstat; aut ita se habet, ut cum dicitur, per locum, tempusve; aut denique naturaliter, et procecendo, ac substantialiter, per Filium prodire Spiritum sanctum suo quodam, ac proprio existentiæ modo declarat. Atqui cum cætera in supersubstantiali, et immateriali Trinitate locum penitus non habeant, neque tamen frustra vocula *per* a doctoribus accommodata sit; necesse est dicere, eam vim esse vocis istius, ut ex Patre per Filium existendo procedere Spiritum sanctum una, et eodem progressione significet[d]. » Addit eamdem præpositionem,

Observationem.

a NYSSEN. ibid. Κτιστὴ δὲ, ἡ διὰ τῆς ἀκτίστου φύσεως τὴν αἰτίαν, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ εἶναι ἔχουσα.

b CHRYS. Ὅταν δὲ εἴπω, ὅτι Χριστὸς αἴτιος τῆς καταλλαγῆς, καὶ τὸν πατέρα λέγω. ὅταν δὲ εἴπω τὸν πατέρα δεδωκέναι, καὶ τὸν υἱὸν λέγω· πάντα γὰρ δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ τούτου δὲ αὐτὸς αἴτιος.

c ATHAN. orat. II. Εἰ δὲ δι' υἱοῦ γέγονε, καὶ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα συνέστηκεν, ἐξ ἀνάγκης ὁ τὴν κτίσιν ὀρθῶς θεωρῶν, θεωρεῖ καὶ τὸν ταύτην δημιουργήσαντα λόγον.

d CALEC. cap. VI. Ἐπεὶ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ φυσικῶς, καὶ οὐσιωδῶς, καὶ ἀϊδίως ἐκπορεύεσθαι θεολογεῖται· τὸ δὲ ἐκπορεύεσθαι, ἐκπορευτῶς τὴν ὕπαρξιν ἔχειν δηλοῖ· ὥσπερ δὴ τὸ γεν-

1 Lib. *de Proces. Spirit. sanct.* cap. IX — 2 Cap. I, 10. — 3 *Ps.* CI, 26. — 4 Lib. II, cap. VI. — 5 Cap. VI.

ubicumque ponitur, concursionem significare cum superiore aliquo principio ad eamdem efficientiam; ut cum dicimus, fructum ex radice per ramum procedere, ramus utique, secundum vim sativam, quam ab radice habet, ad fructus productionem confert aliquid. Sic etiam serra, qua ad lignum secandum, et scamnum fabricandum artifex utitur, ad certum hoc opus efficiendum cum eo concurrit, non ad alterum genere diversum, velut ad calefaciendum, aut dealbandum. Quod si serra homo aliquis esset, cujusmodi est artifex; quemadmodum Pater et Filius idem sunt Deus, uterque illorum secare diceretur; idemque esset, per serram, et a serra fieri.

VII. Quæ eadem et a Demetrio[1], et a Bessarione disputantur in *Dogmatico* libello[2]; ubi de vi ac notione particulæ istius fuse disserit, ostenditque, non alium usum illius esse, quando cum casu aliquo jungitur, quam ut ea ipsa res, quam certo casu nomen illud exprimit, qualiscumque causa sit, et in rem productam nonnihil vi sua, et efficientia conferat, sive illud instrumentum sit, sive causa secunda principali subjecta, et cum ea communiter agens, sive quo alio causæ genere contineatur. Non enim otiosa potest esse, sed actuosa, et moliens aliquid, si per eam effecta res existit. Quamobrem cum ex Patre per Filium produci Spiritus sanctus a Græcis Patribus dicitur, omnino navare aliquid, et agere Filius intelligendus est, ut per eum dici possit existere Spiritus sanctus. Alioqui nulla vel fingi ratio potest, cur ad hujus productionem assumi dicatur. Porro remotis omnibus aliis notionibus, quæ præpositioni illi διὰ cum gignendi, vel accusandi casu copulatæ subjiciuntur; nulla superest alia, quam quæ τὸ συναίτιον, hoc est causam sociam, et, si ita loqui fas est, adjutricem significat, sed et ipsam ab altera profectam, quæ principalis vocatur, quacum communem actionem habet, et existentis rei productionem.

Est autem ex iis, quæ dicta sunt, maxime illud observandum, particulam διὰ, cum ei genitivus adjungitur, duo quædam exprimere: alterum actionem ipsam cum eo, quod actione producitur: alterum causam principalem, quæ secundam ad agendum admovet, ac per eam agit primario. Quod a Basilio traditum est in libro *de Spiritu sancto*: « Per Filium, inquit, Patrem condere, neque imperfectam Patris efficientiam probat, neque imbecillam Filii actionem indicat, sed voluntatis conjunctionem significat. Quare vox ista *per quem*, principalis causæ professionem continet, non autem ad efficientis causæ reprehensionem adhibetur[a]. » Igitur per Filium agi aliquid, Filii efficientiam, nec eam quidem imbecillam, ostendit, sed alteram principalem esse declarat. In quo a præpositione ἐκ discrepat. « Nam hæc vocula, *ex*, mentem sistit, ait Demetrius Cydones, neque cogit ulterius procedere, principalemve causam inquirere, cui præpositio *ex* præcipue est attributa. At vero præpositio *per*, alteram quamdam personam inducit, præter eam, quam dictio, *ex*, indicat, et ad illam cogitandam mentem promovet, ac principalem illam causam significat, et a qua hæc oriens media interjacet primam inter, et ad quod processio est, vel actio[b]. »

VIII. Itaque particula διὰ, *per*, ostendit eam causam, quam in gignendi casu nomen illud, cui attribuitur, exprimit, interjectam esse, ac mediam inter principalem causam, et id quod producitur, ac sic ordinem quemdam indicat; quod ipsum ad Trinitatis mysterium explicandum magno est usui. Hinc Gregorius Nys-

νᾶσθαι γεννητῶς ὑφίστασθαι παρίστησι· πᾶν δὲ τὸ διά τινος οὐσιωδῶς τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ ἐξ ἐκείνου ἐστί· φανερὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι, καὶ ἐκπορεύεσθαι· ἢ γὰρ οὐδὲν εἰς τὴν τοῦ Πνεύματος πρόοδον ἡ διὰ συνεισφέρει· ἢ συνεσφέρει μὲν, ἀτελὲς δέ· ἢ ὀργανικὴν τὴν χρείαν πληροῖ· ἢ ὥσπερ διὰ τόπου, ἢ χρόνου· ἢ τὸ φυσικῶς, καὶ προοδικῶς, καὶ οὐσιωδῶς διὰ τοῦ υἱοῦ προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατὰ τὸν ἴδιον τρόπον τῆς ὑπάρξεως παρίστησιν· ἀλλὰ τῶν ἄλλων ἐπὶ τῆς ὑπερουσίου, καὶ ἀΰλου τριάδος οὐδαμῆ χώραν ἐχόντων· καὶ ἅμα οὐ μάτην ἡ διὰ παρὰ τῶν διδασκάλων προσέῤῥιπται· ἀνάγκη λέγειν (λείπεσθαι) τὴν διὰ συνεισφέρειν τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ὑπαρκτικῶς κατὰ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν πρόοδον προϊέναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

a Basil. *de Sp. sancto* cap. viii. Ὅτι τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ δημιουργεῖν τὸν πατέρα, οὔτε ἀτελῆ τοῦ πατρὸς τὴν δημιουργίαν συνίστησιν, οὔτε ἄτονον τοῦ υἱοῦ παραδηλοῖ τὴν ἐνέργειαν ἀλλὰ τὸ ἡνωμένον τοῦ θελήματος παριστᾷ. ὥστε ἡ δι' οὗ φωνὴ, ὁμολογίαν τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας ἔχει. οὐκ ἐπὶ κατηγορίᾳ τοῦ ποιητικοῦ αἰτίου παραλαμβάνεται.

b Demetr. *de Proc. Sp. sancti*, cap. ii. Ἡ γὰρ, ἐκ, ἵστησι τὴν διάνοιαν, καὶ περαιτέρω προϊέναι οὐκ ἀναγκάζει, καὶ ζητεῖν τὸ ἀρχικὸν αἴτιον, ᾧ τινι ἡ ἐκ ἀρχικῶς ἀποκεκλήρωται, ἡ δὲ, διὰ, ἕτερόν τι πρόσωπον παρὰ τὴν ἐκ, συνεισάγει, καὶ πρὸς ἐκεῖνο τὴν διάνοιαν προσβιβάζει, ἀρχικόν τε ἐκεῖνο αἴτιον σημαίνει, ἀφ' οὗ τε αὕτη κεῖται μέσον τοῦ τε πρώτου, καὶ τοῦ, πρὸς ὃν ἡ πρόοδος, καὶ ἐνέργεια.

1 Cap. xi. — 2 Cap. v in Conc. Florent. et in ep. *ad Lascarim*, et in *Conf.* Palamæ cap. i.

senus Filium esse ait « proxime ex primo principio ; » Spiritum vero sanctum « per cum, qui proxime est ex primo; » tum μεσιτείαν illam Filio tribuit, de quo, ut et Gregorii Nysseni loco illo, supra diximus.

Mediationem.

Explicantur loca Patrum quibus suo dogmati patrocinantur Græci. 1° Damasceni.

Ex quo Damasceni locum illum, qui Spiritum sanctum ex Filio esse negat, et si qui alii ex Patribus idem asserunt, Calecas[1], Demetrius[2], Bessario[3], cæterique catholici explicant. Cum enim particula ἐκ, τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν, *principalem causam*, significet, hoc est eam, quæ ab altera producendi vim non accipit, sed habet a seipsa, ejusmodi autem non sit Filius, qui quæ habet, a Patre accepit omnia; ideo Spiritum sanctum Damascenus, et si qui alii catholici, negant dici ἐκ τοῦ υἱοῦ, sed διὰ τοῦ υἱοῦ. Tametsi longe plures ἐκ τοῦ υἱοῦ usurparunt, ut in primo capite docuimus. Quod autem Damascenus Filium a communione productionis excludere noluerit, probat Demetrius[4] ex eo, quod si putaret omnino Spiritum sanctum a Filio non esse, et existentiam accipere, dixisset a solo Patre Spiritum existere, nullo penitus interjecto, sed ἀμέσως itidem, ut Filius; non dixisset autem, « Patrem productorem esse per Filium explanatorii Spiritus [b], » et alia id genus, quæ ordinem aliquem naturalem inesse demonstrant inter Filium, et Spiritum, quem et Basilius, et Gregorius Nyssenus supra a nobis citati referunt. Sed nimirum illud solum excipere voluit, quod de principali, et primigenia causa diximus; cujus gratia αἰτίου, et πηγῆς, et ejusdemmodi cætera nomina veteres theologi Filio detraxerunt, solique tribuerunt Patri, ut antea docuimus, ac Bessario copiose in epistola *ad Alexium Lascarim* disputat, ubi Dionysium exponit asseverantem, « Patrem solum esse fontem supersubstantialis divinitatis [c]. » Quod ad eamdem sententiam referre oportet; nempe quod, ut ait Augustinus[5], « totius divinitatis, vel si melius dicitur, deitatis principium Pater est, » quatenus προκαταρκτικὴ αἰτία, hoc est a nullo productum principium est. Propterea idem Augustinus[6] perinde Christum dixisse ait[7], Spiritum sanctum a Patre procedere, atque ipse *Joannis* VII dixit, *Mea doctrina non est mea*, ut et se, et omnia quæ haberet, a Patre procedere doceret. Alioqui Filius αἰτία et ἀρχὴ *principium*, atque etiam πηγή, *fons* Spiritus sancti a quibusdam veterum appellatur, ut suo loco demonstravimus. Vide Manuelem Calecam pluribus ea tractantem.

Ex Filio sed per Filium.

Causæ et fontis.

IX. Gemisthus Pletho in opusculo quodam *contra Latinos*, aliorum quoque Patrum testimoniis catholicam oppugnat fidem. Imprimis Dionysium ait in eo loco, ubi de unita, et distincta theologia disserit, cum proprietates eas recenseret, quibus aut distinguuntur invicem, aut conveniunt personæ, nullam ejus mentionem fecisse, in qua Latini discrimen inter Patrem Filiumque constituunt, videlicet principii, et ejus quod est ex principio. Sed futilis hæc est argumentatio. Nam Dionysius, cum de distinctione personarum agit, sola Patris, Filii, et Spiritus sancti vocabula, proprietatesque commemorat, quæ iis vocabulis significantur. « Distincta vero sunt, inquit, supersubstantiale Patris nomen, et res, et Filii, et Spiritus sancti; in quibus nulla reciprocatio, nec ulla omnino communitas introducitur [d]. » Hic Dionysius ea sola nomina percenset, quæ sunt συστατικὰ, et ὑποστατικά, et quæ pluribus communia non sunt, etiam duabus; quale est τοῦ προβολέως, vel *Spiratoris;* quod proinde reticendum fuit.

Subsistentia et hypostatica.

Adjungit et Justini, ac Gregorii Nazianzeni loca, quorum ille sic scribit : « Quemadmodum Filius ex Patre, sic et Spiritus. Verum existendi modus est diversus. Nam ille lumen de lumine, tanquam genitus effulsit. Iste vero lumen et ipse de lumine, non tamen tanquam genitus, sed ut procedens prodiit [e]. » Gregorius vero sic : « Omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium. Omnia quæ habet Filius, Spiritus sunt, excepta generatione [f]. » Sed nihil ista Græcos adjuvant, neque Latinis adversantur. Siquidem et diverso modo Fi-

a GREG. NYSS. Τὸ μέν ἐστι προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου.

b DAM. Προβολεὺς διὰ λόγου τοῦ ἐκφαντορικοῦ πνεύματος.

c DION. Μόνη πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατήρ.

d DION. cap. II *de Div. nom.* Τὰ δὲ διακεκριμένα, τὸ πατρὸς ὑπερούσιον ὄνομα, καὶ χρῆμα, καὶ υἱοῦ, καὶ πνεύματος, οὐδεμιᾶς ἐν τούτοις ἀντιστροφῆς, ἢ ὅλως κοινότητος ἐπεισαγομένης.

e JUSTIN. in *Expos. fidei.* Ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός· οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα. πλήν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει. ὁ μὲν γὰρ, φῶς ἐκ φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε· τὸ δὲ φῶς μὲν ἐκ φωτὸς καὶ αὐτὸ, οὐ μὴν γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς προῆλθεν.

f NAZIANZ. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, τοῦ υἱοῦ, πλὴν τῆς αἰτίας. πάντα ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς, τοῦ πνεύματος, πλὴν τῆς γεννήσεως.

1 Cap. XXXIX. — 2 Cap. XI. — 3 In *Lib. dogm.* c. VI. — 4 Loco cit. — 5 Lib. IV *de Trin.* c. XX. — 7 Lib. V *de Trin.* c. XXVII.

lium, ac Spiritum sanctum ab eodem Patre procedere fatentur isti; et solum Patrem αἰτίαν esse eo sensu asserunt, quem supra posui, nempe ut προκαταρκτικὴ, id est *principalis* intelligatur.

X. Objicitur et Cyrillus, qui, ut ait Pletho, Theodoreto reprehendenti quod scripserat, proprium esse Filii Spiritum sanctum, ac sic proprium interpretanti, ut ejusdem sit substantiæ, et a Patre procedat, non ut ex Filio, vel per Filium existat; hæc, inquam, opponenti Theodoreto, non blasphemiæ vicissim crimen impingit, ut qui Spiritum sanctum negaret ex Filio procedere; sed calumniari tantummodo illum ait, quasi tacite dicat, se non ex Filio procedere velle Spiritum sanctum.

Cyrilli et Theodoreti.

Sed hæc Plethonis, et aliorum Græculorum ratio plena stuporis est, et inscitiæ; ut ex tota illa Cyrilli, et Theodoreti contentione liquet. Scripserat Cyrillus in *Anathematismo* nono [a], Christum non a Spiritu sancto, velut aliena, et adventitia virtute clarificatum esse, ac miraculorum vim effectricem accepisse, sed proprium ejus fuisse Spiritum sanctum. Ideo postea Cyrillus, quod nonnulli anathematismos istos non probarent, singulos declaravit. Et inter alios nonum illum sic exposuit : « Unigenitum Dei Verbum homo factum, mansit tamen Deus, omnia, præter solam paternitatem, habens cum Patre communia; Spiritumque sanctum, qui ex ipso est, et substantialiter insitus est ipsi, proprium habens, divinæ potentiæ miracula faciebat [b]. » Quo in loco manifeste Spiritum sanctum proprium idcirco esse Filii docet, quia ex ipso existit, et inest ipsi. Siquidem ἐξ αὐτοῦ non potest ad Patrem referri, nisi et ἐμπεφυκὸς αὐτοῦ itidem ad Patrem referatur. At hoc posterius sine dubio de Filio debet accipi. Nam causam id continet, cur *proprius* dicatur ipsius, et ejus vi, tanquam propria, miracula fecerit. Tum in *Anathematismo* dixit, eumdem Spiritum esse *proprius ipsius*, ἴδιον αὐτοῦ, haud dubie Christi; quomodo autem proprius sit, in declaratione explicat illis verbis, quod sit ἐξ αὐτοῦ, et ἐμπεφυκὸς αὐτῷ. Igitur pronomen ἴδιον de Filio ubique sumendum est. Denique cum in *Declaratione* scripsit, Filium esse omnia, quæcumque Pater est, excepta paternitate; satis ostendit, etiam hoc ipsum, quod Spiritus sanctus ex Patre est, ipsi competere, cum hæc proprietas non sit paternitas; qua sola excepta, id omne est Filius, quod est Pater. At Theodoretus Cyrilli *Anathematismum* illum refellens, ita scribit : « Proprium autem Filii, siquidem ut ejusdem cum eo naturæ, et ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, et tanquam piam suscipiemus vocem. Si vero tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum, et impium rejiciemus [c]. » Igitur Theodoretus, tanquam impium et blasphemum illud respuit, non solum dici ἐξ υἱοῦ, *ex Filio*, sed etiam δι' υἱοῦ, *per Filium* esse Spiritum sanctum. At Cyrillus illi respondens, quod erat anathematismi præcipuum, hoc tuetur, Christum Spiritu sancto, non tanquam aliena virtute, sed ut sua, et propria, præditum fuisse : « Erat enim, inquit, et est ipsius Spiritus, quemadmodum profecto et Patris [d]. » Ac subinde: « Procedit enim ex Deo et Patre Spiritus sanctus secundum Salvatoris vocem. Sed non est alienus a Filio. Omnia enim habet cum Patre; et hoc ipse docuit, dicens de Spiritu sancto, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* [d]. » In hac tota oratione nihil est, quod Latinorum obsistat dogmati, aut ex quo conjici possit, Cyrillum existimasse non ἐκ τοῦ υἱοῦ Filium procedere. Imo vero, si eorum recordemur, quæ ex eodem Cyrillo, aliisque supra retulimus, evidens est, hoc, quod dicit, « Spiritum sanctum esse Filii, et proprium esse Filii, aut ex iis, quæ sunt ejus, accipere, » non aliud indicare,

a Cyril. Εἴ τις φησὶ, τὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, δοξάζεσθαι παρὰ τοῦ πνεύματος, ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει, τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ χρώμενον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντα τὸ ἐνεργεῖν δύνασθαι κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ τὸ πληροῦν εἰς ἀνθρώπους τὰς θεοσημείας, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ τὸ πνεῦμά φησι, δι' οὗ καὶ ἐνήργησε τὰς θεοσημείας, ἀνάθεμα ἔστω.

b Idem. Ἄνθρωπος γεγονὼς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ λόγος ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω θεὸς, πάντα ὑπάρχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνου τοῦ εἶναι πατήρ· καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον, εἰργάζετο τὰς θεοσημείας.

c Theodoret. Ἴδιον δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ, εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς, καὶ ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον ἔφη, συνομολογήσομεν, καὶ ὡς εὐσεβῆ δεξόμεθα τὴν φωνήν. εἰ δ' ὡς ἐξ υἱοῦ, ἢ δι' υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάσφημον τοῦτο, καὶ ὡς δυσσεβὲς ἀποῤῥίψομεν.

d Cyril. Ἦν γὰρ, καὶ ἔστιν αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καθάπερ ἀμέλει καὶ τοῦ πατρός.

Mox : Ἐκπορεύεται μὲν γὰρ ὡς ἐκ θεοῦ, καὶ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος φωνήν· ἀλλ' οὐκ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ υἱοῦ· πάντα γὰρ ἔχει μετὰ τοῦ πατρός· καὶ τοῦτο αὐτὸς ἐδίδαξεν, εἰπὼν περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι. διὰ τοῦτο εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

nisi processionem illius ex Filio, præsertim cum expressis ac disertis verbis Cyrillus idem Spiritum sanctum *ex Filio* procedere scripserit multis in locis, quæ in primo capite libri hujus adduximus.

XI. Atque ut Græcos qualicumque præsidio loci istius exarmemus, age demus illis, quod obtinere student, Cyrillum ibi retractasse, quod aut dixerat, aut visus erat in *Anathematismo* suo dicere : cum igitur Theodoretus id in *Anathematismo* reprehenderit, non solum *Per Filium.* ἐκ τοῦ υἱοῦ, *ex Filio* procedere, sed etiam δι' υἱοῦ Spiritum existere ; si dissimulando Cyrillus hoc in responsione suppressit, quod minime verum, sed impium, irreligiosumque dictu crederet; non minus nefarium duxerit, Spiritum dici *per Filium*, quam *ex Filio* procedere. At hoc Græci nunquam admittent, qui δι' υἱοῦ, *per Filium* existere, ac procedere Spiritum sanctum, non solum a Cyrillo, atque aliis Patribus sæpe usurpatum meminerunt, sed et ipsi hodie constantissime profitentur, idque unum retinent, et asciscunt, damnato altero, quamvis nusquam illud in sacris Litteris expresse legatur. Quamobrem suo se ipsi telo confodiunt, dum Cyrillum nobis objiciunt, tanquam is dissimulando minime probaverit, quod Theodoretus ab illo affirmari putarat, Spiritum ex Filio procedere.

Nam quod ad Theodoreti dictum illud attinet, constat virum alioqui doctum et catholicum, in hac una causa, quam contra Cyrillum egit, ab Ecclesia rejectum, et infamia notatum fuisse, ac nullius proinde auctoritatis esse debere. Quippe synodus quinta omnia illius contra Cyrillum scripta damnavit, tanquam impia [1] ; nec non sexta synodus [2], et septima; quod Gennadius observavit, et Calecas [3]. Ac videtur in eo Theodoretus Nestoriana fuligine nonnihil infectus fuisse. Siquidem hæreticus iste diserte negavit Spiritum sanc- *Per Filium.* tum esse δι' υἱοῦ ; quod a Theodoro Mopsuesteno didicit, ut ex actis Ephesinæ synodi constat. Sed de eo pluribus disputat Emmanuel Caleccas in capite XXII.

XII. Ad extremum solent etiam Maximi martyris epistolam *ad Marinum* Cypri presbyterum citare Græci, in qua de Latinorum synodica scribit Constantinopolim missa; ubi illud continebatur, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere. Hos vero sanctus ille Martyr excusat ita, ut neget illos causam, vel principium affirmare esse Spiritus sancti Filium : « Unam quippe, inquit, Filii, et Spiritus sancti causam agnoscunt Patrem ; illius quidem secundum generationem ; hujus secundum processionem. Sed ut ostendant, per Filium procedere Spiritum sanctum, et ita substantiæ cognationem omnis expertem differentiæ demonstrent [a]. »

Verum hæc epistola ab Græcis etiam catholicis in dubium vocatur [4]. Et ut germana sit, potest eo modo αἰτίας vocabulum intelligi, quem supra declaravimus; nempe ut προκαταρκτικὴν αἰτίαν significet, cujusmodi solus est *Principalem causam* Pater. Quod multo est aptius, quam quod Anastasius bibliothecarius in *Collectaneis*, et epistola *ad Joannem Diaconum* de illo Maximi loco scripsit, cum Latini procedere dicunt Spiritum sanctum ex Filio, missionem intelligere processionis nomine. Quam interpretationem piam insuper appellat, cum sit insulsa, et abhorrens ab Latinorum sententia, neque Maximi instituto consentanea.

CAPUT XVIII.

Quibus calumniis expressas Græcorum Patrum auctoritates, quas contra ipsos adduximus, Græci recentiores eludere soleant ; quæ omnes frivolæ, inanesque esse monstrantur. Non solum ab illis τὸ ὁμοούσιον *significari, vel donorum communicationem, sed substantivam productionem.*

I. Tam multa prioribus libri hujus capitibus, ac tam diserta Græcorum, Latinorumque Patrum allata testimonia sunt, quibus Spiritum sanctum non minus a Filio, quam a Patre procedere monstratur, ut Græcos ipsos, errore convicto, facile cessuros arbitror, si non major illos contentionis, quam veritatis cupiditas teneret. Etenim sic in omnes partes munitum est, et obseptum catholicæ, Romanæque Ecclesiæ dogma; ac sic omnes ad illud impugnandum obstructi, occlusique sunt aditus, nihil ut ab illis afferri objicique contra possit, quod veri ac probabilis similitu-

[a] MAXIM. Ἐξ ὧν οὐκ αἰτίαν τὸν υἱὸν ποιοῦντας τοῦ πνεύματος σφᾶς αὐτοὺς ἀπέδειξαν. μίαν γὰρ ἴσασιν υἱοῦ, καὶ πνεύματος τὸν πατέρα αἰτίαν, τοῦ μὲν κατὰ τὴν γέννησιν, τοῦ δὲ κατὰ τὴν ἐκπόρευσιν· ἀλλ' ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι, καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας, καὶ ἀπαράλλακτον παραστήσωσι.

1 Cap. XIII. — 2 Cap IX. — 3 Cap. XXII. — 4 Vide Bess. *Lib. dogm.* cap. VI.

dine aliqua nitatur. Sed habent iidem, quamlibet cassa et inepta, nonnulla tamen effugia, quibus expressas suorum, hoc est Græcorum Patrum, auctoritates conantur eludere. Nam de Latinis ideo tacent omnino, quod in eorum verbis nihil, ut in Græcorum plerisque, anceps, et ambiguum sit, ad quod versutiæ illorum, ac fraudes adhæreseant.

Græcorum effugium præcluditur

Harum prima sit illa, in qua plurimum jactari solent; cum sic interpretantur, quæcumque veterum loca Spiritum ex Filio procedere, aut per Filium a Patre testantur, ea nihil aliud, nisi τὸ ὁμοούσιον, id est, eamdem substantiam ostendere; quod ambo communi ex fonte et origine prodeant, atque ideo ejusdem sint inter se substantiæ. Hinc dici Spiritum sanctum ex substantia esse Filii, vel proprium esse Filii; quod sic Photius apud Hugonem Etherianum explicat [1], « Scimus, inquit, quod consubstantialis est quidem Patri Spiritus, eo quod ex ipso procedit; consubstantialis vero Filio, non quod ex ipso procedat; absit; quia neque ille huic per generationem; sed quoniam ex una, et indivisibili causa, ante sæcula æqualiter utrique progressio. » Hinc illud ex Joannis *Evangelio* [2], quo Latini plurimum utuntur, *Quia de meo accipiet;* detorquere Photius idem studet [3]. Multum enim distare hæc invicem « de me, ac de meo. Nam *meo*, ut omne possessivum pronomen, duas personas, inquit, unam intrinsecus, scilicet possessoris, alteram vero extrinsecus, id est, possessionis significat. Quare cum Christus, ut possessor intelligatur, dicendo, *De meo accipiet*, Spiritus que sit accipiens; Pater proculdubio est persona, quæ ut possessio nuncupatur. »

Marci Ephesii ratiocinatio

II. Marcus item Ephesius in Florentino concilio Latinis opponebat, cum dicimus, ἐκ τῆς οὐσίας, *ex substantia*, vel essentia hominis esse hominem, non intelligi causam, vel principium producendi hominis, sed essentiæ communionem, hoc est τὸ ὁμοούσιον, ut non origo, sed ἕνωσις, id est *conjunctio* significetur.

Consubstantiale.

Idem et Gregorius Palamas in refutatione Becci, ac Latini dogmatis asseruit: « Quoties præpositiones *ex* et *per* eamdem vim habent in re theologica, non divisionem, neque differentiam sanctissimæ Trinitatis, sed conjunctionem, et nulla in re discrepantiam, atque eamdem voluntatem significare. Hinc enim Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius ejusdemque naturæ, potentiæ, operationis, atque voluntatis esse monstrantur [a]. » Probat hoc ex sanctorum Maximi et Basilii dictis; quorum prius proxime superiori capite posuimus. Basilii vero ex octavo capite libri *de Spiritu sancto* petitum est; ubi quod dicitur, « Patrem creare per Filium, conjunctionem ait significare voluntatis amborum [b]. »

Necnon Palamæ.

Inanis imbecillaque deprehenditur.

Verum multis de causis inanis, imbecillaque est Græcorum ista ratio. Primum si ideo, quod ὁμοούσιοι sunt inter se Filius, et Spiritus sanctus, hic ex illo procedere, vel per illum, aut illius esse dicitur, citra originem ullam; perinde a Spiritu sancto procedere dicetur Filius, aut per Spiritum, ac Spiritus sancti Filius appellabitur, cui consubstantialis est. At hoc nullus unquam usurpare ausus est; et si dicatur, impium ac sacrilegum judicabitur, Filium a Spiritu procedere, vel per Filium, aut esse Filium Spiritus sancti. Itaque alia quæpiam causa sit oportet, propter quam de Spiritu sancto talia dicantur, quæ Filio nefas sit attribuere, quam illa consubstantialis, quæ utrique communis est. Nam et Gregorius Nyssenus « Filium Spiritus sancti neque esse, neque dici ait, neque hanc relativam consecutionem converti; cum tamen Spiritus Christi nominetur [c]. » Deinde falsum est, secundum substantiam dici ista, quæ relationem et habitudinem mutuam significant; veluti Pater est Filii Pater, Filius Patris Filius. Item hæc, Spiritus est Patris, vel Filii Spiritus, aut ex Patre, vel Filio procedit, ut recte Demetrius argumentatur. « Est enim unica, et singularis substantia; neque hoc hujus esse secundum illam dicitur. Nam alioqui tres esse substantiæ ab invicem absolutæ, neque, quatenus

a GREG. PALAM. cap. I. Ὅταν ἐπὶ τῆς θεολογίας ἴσον δυναμῶσιν ἀλλήλαις ἡ ἐκ, καὶ ἡ διὰ, οὐ τὴν διαίρεσιν, οὐδὲ τὴν διαφορὰν παριστῶσι τῆς ἁγίας τριάδος, ἀλλὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν ἀπαραλλαξίαν ἥ τις ἐστὶ κατὰ τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὁμοβουλίαν· δείκνυται γὰρ ἐντεῦθεν τῆς μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς εἶναι φύσεως, καὶ δυνάμεως, καὶ ἐνεργείας, καὶ θελήσεως ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

b BASIL. Τὸ διὰ τοῦ υἱοῦ δημιουργεῖν τὸν πατέρα, οὔτε ἀτελῆ τοῦ πατρὸς τὴν δημιουργίαν συνίστησιν, οὔτε ἀτόνον τοῦ υἱοῦ παραδηλοῖ τὴν ἐνέργειαν· ἀλλὰ τὸ ἡνωμένον τοῦ θελήματος παρίστησιν· ὥστε ἡ δι' υἱοῦ φωνὴ τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας ὁμολογίαν ἔχει, οὐκ ἐπὶ κατηγορίᾳ τοῦ ποιητικοῦ αἰτίου παραλαμβάνεται.

c NYSSEN. orat. III *in Orat. Dom.* Οὐκοῦν τὸ μὲν πνεῦμα τὸ ἐκ θεοῦ, καὶ χριστοῦ πνεῦμά ἐστιν. ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ θεοῦ ὢν, οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος οὔτε ἐστὶν, οὔτε λέγεται· οὐδὲ ἀντιστρέφει ἡ σχετικὴ ἀκολουθία αὕτη.

1 Lib. I, cap. XX. — 2 Cap. XV. — 3 Apud. Hug. lib. II, cap. XIX. — 4 Sess. XIX.

ejusdem substantiæ sunt, mutuo referuntur. Quippe secundum hoc unum sunt, et non dicuntur ad aliquid. Etenim relatio inter duo consideratur; atque unum, quatenus re unum est, relative ad se non dicitur. Sed nimirum, quatenus personæ sunt, quemdam inter se habent ordinem [a]. » Non igitur Spiritus sanctus a Filio, vel per Filium esse dicitur, quia consubstantialis est ei ita, ut hoc illius causa sit, cum contrarium potius verum sit; ideo esse consubstantialem, quod ab illo procedat, ut et Emmanuel Calecas observat capite XXII. Præsertim si Basilii decretum illud probatur [1], asserentis, ὁμοούσια, id est *consubstantialia* non dici, nisi ubi causæ, et ejus, quod ex causa est, habitudo intervenit.

III. Præterea Filium ideo consubstantialem esse Patri, ejusque proprium, veteres asserunt. quia ab illo originem accipit, ac vicissim ex eo, quod consubstantialis sit, et proprius Patris Filius, ex eo nasci, oririque concludunt, non sic, ut Græci illi recentiores, qui a Filio procedere Spiritum sanctum putant idem esse, atque illi consubstantialem esse, *formali*, ut dici solet, sensu; sed *causali* potius; ita ut causa, cur consubstantialis sit Filius, origo ipsa sit ac nativitas, non autem causa vel ratio, cur ab eo nascatur, sit, quod ejusdem sit cum eo substantiæ. Ac Filium quidem idcirco Patri consubstantialem esse, quod ab eo procedat, et vicissim ideo procedere, quia consubstantialis est, affirmant loca illa Basilii, ac Cyrilli, quæ nos supra capite secundo descripsimus; tum in lib. IV, capite V, ac luculenter Athanasius exponit in libro *de Decretis Nicœnæ synodi*, et in epistola *ad Africanos ;* ubi de vocabulo τοῦ ὁμοουσίου, deque ejus constituendi ratione, et occasione pluribus disserit. Nam vim illius ejusmodi esse docet, ut sit idem, atque ex substantia Patris natum esse, non factum, ac productum extrinsecus Filium.

Porro Filium Patris esse proprium, quia ex eo genitus est, iidem Patres capite illo a nobis secundo citati confirmant. Ex quibus efficitur, cum Spiritus sanctus consubstantialis Filii, et ejus proprius dicitur, originem et processionem unius ab altero causam illius appellationis esse, non Filii a Spiritu, id enim inauditum est et impium, sed Spiritus a Filio; cum non aliter ὁμοουσίου vox in pluribus proprie locum habeat, ut Basilio videtur. Nam quod alia notione consubstantialis Patri, ejusque proprius Filius nuncupari creditur, quâ scilicet ad eumdem Patrem Spiritus dicitur; alia vero Spiritus ad Filium, ut ὁμονύμως eædem voces in eadem Trinitate sumantur, nequaquam ferendum est; idque Græci recentiores gratis, ac temere finxerunt, ut apud Hugonem Etherianum [2] Photius, Græcique alii contendunt, nec non Gregorius Palamas in confutatione Becci [3]. Sed istos egregie tam Hugo, quam doctissimus Bessario refellunt. Primum quod nulla ratione, nullaque vel Scriptura, vel Patrum auctoritate freti, alio sensu Spiritum a Patre procedere dici asserunt, quam a Filio, vel de illius, quam de hujus esse substantia; alio item sensu proprium appellari Patris, quam Filii. Deinde quod si Filius, ac Spiritus sanctus consubstantiales inter se, et unus alterius proprius citra originem vocaretur, uti fratres inter se ejusdem substantiæ dicuntur, imo et unus de alterius carne (uti *Geneseos* septimo et tricesimo Judas de Josepho fratribus suis dicit, *Frater et caro nostra est*); mutua deberet esse conversio, ut non minus Spiritus sancti proprius Filius, quam Filii Spiritus appellaretur. Imo et Spiritus sancti Filius dici posset, atque ex illo esse, vel procedere. Quid enim prohibet, si sola ibi substantiæ communio spectatur ? Atqui nusquam in sacris Litteris, aut apud Patres legitur, Patrem, aut Filium e Spiritu sancto esse, vel ex Spiritus sancti substantia; ut Bessario et Calecas ostendunt.

Æquivoce.

IV. Alterum Græcorum effugium est, quod passim ab illis opponitur, pleraque veterum loca, quæ Spiritum sanctum a Filio procedere vel a Patre simul, et Filio docent, non de substantiali, æternaque productione intelligi, sed de missione illa, communicationeque, qua in creatas res diffunditur. Quamobrem ὁμωνύμως, et ancipiti significatione dicunt voces illas accipi, procedere a Patre, vel Filio, Spiritum esse Filii, ac Patris, et cæteras ejusdemmodi. Sicut aliæ complures, ut late apud Hugonem

Itemque secundum.

a DEMETR. *de Proc. Sp. sancti*, cap. X. Ἔπειτα οὐδὲ κατὰ τὴν οὐσίαν ταῦτα λέγεται. μία γὰρ ἡ αὐτή ἐστιν οὐσία, καὶ οὐ τόδε κατὰ ταύτην λέγεται. ἄλλως γὰρ τρεῖς ἂν ἦσαν οὐσίαι ἀπολελυμέναι ἀλλήλων. οὔτε καθὸ ὁμοούσια, πρὸς ἄλληλα λέγονται. κατὰ τοῦτο γάρ εἰσιν ἕν, καὶ οὐ λέγονται πρός τι. ἡ γὰρ ἀναφορὰ ἐπὶ δύο θεωρεῖται. καὶ τὸ ἕν, ἐφόσον ἐστὶν ἓν τῷ πράγματι ἀναφορικῶς πρὸς ἑαυτὸ οὐ λέγεται· ἀλλὰ δῆλον, ὅτι καθὸ πρόσωπα, πρὸς ἄλληλά πως τάξεως ἔχουσι.

1 Epist. CCC. Vide supra, cap. II. — 2 Lib. III, cap. XI. — 3 Cap. X.

Etherianum [1] probant Græci. Sic enim proficiendi verbum æquivoce sumi, cum dicitur Christus profecisse sapientia. Sic benedicendi verbum, cum dicitur, *Benedicite omnes angeli*, et cum idem verbum ad inanima transfertur. Item *esse* de aliquo ambigue usurpatur. Nam et Christum de Spiritu sancto esse ait angelus iis verbis : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, et idem tamen de Maria Virgine natus esse perhibetur. Eodem modo, aiunt Græci, *procedendi* vox significat interdum, aliquid de loco ad locum moveri ; aliquando mitti et dari ; alias ex causa, seu principio existere. Vide inter cætera responsum secundum Hieremiæ *ad Wirtembergenses*.

Verum etsi procedendi vocabulum, et ejusmodi alia, non eadem notione perpetuo sumantur ; non tamen consequens est, ubicumque de Spiritu sancto dicuntur, quando ad Filium refertur, aliud significare, quam cum ad Patrem comparatur. Etenim pleraque testimonia sunt antiquorum Patrum, in quibus expressum est Spiritum sanctum esse a Filio, vel ab utroque, vel ab illis procedere ; quæ nullum alium sensum, nisi hunc, quem dixi, capere possunt, ut ab illis οὐσιωδῶς producatur, et existat ; ut sparsim animadvertimus in primo capite libri hujus, et sequentibus. Verbi gratia, Epiphanius in *Ancorato* [2], Filium ait *Deum ex Deo esse*, ac tam ipsum, quam Spiritum ex eadem esse divinitate ; et idem ex Patre, et Filio dicit esse Spiritum sanctum. Gregorius item Nyssenus [3] personas tres non aliter differre asserit, nisi secundum id, quod est esse αἴτιον, *causam*, vel *principium*, et *ex principio*. Ex quo sequitur Spiritum sanctum eo differentiæ genere a Filio distingui, ac Filium principium esse, Spiritum ex principio. Non potest autem in hoc Gregorii loco, uti neque apud Epiphanium, particula ἐξ aliud, quam οὐσιώδη, id est, *substantialem* significare productionem. Didymus [4] « Spiritum sanctum ait accipere a Filio id quod suæ naturæ est. » Tum « non aliam substantiam esse Spiritus sancti, præter id, quod datur ei a Filio. » Cyrillus quoque Spiritum sanctum esse Spiritum Patris, et Filii, « quia οὐσιωδῶς, *substantialiter* ex ambobus est ; sive ex Patre per Filium profunditur. » *Substantialiter.*

Ac sunt ejusdem Cyrilli reliqua tam perspicua de æterna Spiritus ex Filio processione, nulla ut ea cavillatio possit eludere.

Spiritus Filii proprius dicitur quia ab ipso procedit.

V. Deinde Spiritum sanctum Patres affirmant, ideo esse Filii Spiritum, ejusque proprium, quia per ipsum procedit. Basilius enim in quinto *adversus Eunomium*, causam reddens, cur Spiritus sanctus non dicitur Filii Filius, cum per illum procedat ; id eo fieri asserit, quod verendum fuit, ne plures personæ tribus in Deo constituerentur, si et Filii Filius poneretur aliquis, et hujus vicissim alius, et sic deinceps. « Itaque Spiritum quidem, inquit, ex Deo esse diserte prædicavit Apostolus dicens, *Spiritum, qui ex Deo est, accepimus ;* et per Filium prodiisse perspicuum fecit, Filii Spiritum nominans ipsum, sicut et Dei [a]. » Hic Basilius Spiritum esse Filii, idem putavit, ac per Filium πεφηνέναι, id est, *apparuisse*, vel potius prodiisse, et exstitisse. Est autem æterna Spiritus hæc appellatio, ut Filii dicatur Spiritus, quemadmodum et Dei Spiritus, id est, Patris. Igitur quod idem esse ait, prodiisse per Filium, sempiternum debet esse, non autem temporarium aliquid, qualis est missio, communicatioque Spiritus sancti, ne quod in tempore fit, causa sit ejus appellationis, quæ ex æterno Spiritui convenit, ut Bessario [5], et Caleeas [6] popularibus suis objiciunt. Sic enim Arianos redarguit Athanasius [7], qui Filium Dei λόγον appellatum esse volebant, et Filium, et Sapientiam, quod in eum finem a Deo factus esset, ut nos per illum procrearet. Ita Græci Spiritum sanctum putant, proprium dici Filii, et ab illo procedere, et ejusdemmodi alia, quæ citati a nobis Græci Patres sempiterna in illo esse prædicant, atque οὐσιώδη, διακριτικὰ, vel ὑποστατικὰ, hoc est quibus propria illius subsistentia, et a reliquis distincta declaratur ; harum, inquam, appellationum causas et origines ex iis effectis, quæ in tempore fiunt, non verentur arcessere. Atqui si id verum est, nihil vetat etiam Filium a Spiritu sancto esse dici, ac procedere, ejusque proprium esse ; quoniam multo insignior, et, ut ita dixerim, magis substantialis est illa missio, qua Filius a Spiritu sancto tum, cum incarnatus est, in tempore prodiit, et secundum hominem productus est, quam æternæ illæ

a Basil. Διὰ δὴ τοῦτο τὸ μὲν ἐκ Θεοῦ τὸ πνεῦμα εἶναι, τρανῶς ἀνεκήρυξεν ὁ Ἀπόστολος λέγων· ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐλάβομεν. καὶ τὸ διὰ υἱοῦ πεφηνέναι σαφῶς (σαφὲς) πεποίηκεν, υἱοῦ πνεῦμα ὀνομάσας αὐτὸ, καθάπερ Θεοῦ.

1 Lib. III, cap. xi. — 2 Numer. 6 et 8. — 3 In Epistol. *ad Ablabium*. tom. II. — 4 Lib. II. — 5 Cap. v *Libri dogm.* — 6 Cap. xxii. — 7 Orat. i.

omnes efficientiæ, quibus Spiritus sanctus a Filio, ut et a Patre, missus apparuit. Illud autem nemo hactenus affirmare ausus est, Filium a Spiritu sancto existere, vel prodire, aut ejus esse proprium. Quare alia ratio sit oportet, quam exterior illa missio, communicatioque Spiritus, ob quam appellationes istæ Filio denegentur, tribuantur Spiritui.

VI. Sane qui Basilii caput illud libri quinti *contra Eunomium* inspexerit, et quæstionis ibi propositæ, ac responsionis formulam observaverit, facile intelliget, ex Basilii opinione, Spiritum sanctum a Filio perinde, atque a Patre procedere. Ideo enim Spiritum sanctum minime Filium ait appellari, « non quod non sit ex Deo per Filium, sed ne Trinitas in infinitam abire multitudinem putetur, dum filios ex Filiis, ut in hominibus usuvenit, eam habere suspicantur[a]. » Ubi hoc ipsum δι' υἱοῦ, *per Filium* esse Spiritum sanctum, nisi οὐσιώδη, *substantialem* propagationem et existentiam significare crederet, non autem temporalem aliquam functionem, inepte putasset, ex ea causam appellationis Filii Spiritum potuisse capere sic, ut unam illam propemodum rationem, cur non sit dicendus Filius, agnoscere videretur, quod in nullis Scripturis usurpatum fuerit. Ac multo sane brevius, ac facilius occurrisset, ut Bessario, Græcique alii catholici docent, si ideo non dici Filium Filii scripsisset, quod a Filio nihil accipiat, neque ab eo procedat, et existat; quemadmodum haud dubie respondisset, si de Filio interrogatus esset, cur is Spiritus sancti Filius minime vocetur.

Ad hæc, missio ipsa qualiscumque Spiritus a Filio ab æterna processione non differt, nisi externa quadam effectione, quæ fit in tempore; neque mitti una persona ab alia dicitur, nisi a qua originem capit, uti postea demonstrabitur. Quare cum a Filio mittatur Spiritus, ab eodem originem trahit.

VII. Ad eumdem illum Græcorum fucum, et calumniam referri potest, quod ea vocabula quibus antiqui Patres Spiritus sancti processionem, substantialemque productionem exprimunt, de externa missione, et charismatum efficientia interpretari student. Sunt autem hæc fere verba, προχεῖσθαι, ἀναβλύζειν, προϊέναι, ἐκλάμπειν, πεφηνέναι, hoc est *profundi*, *scaturire*, *prodire*, *effulgere*, *apparere*, et similia; quibus profusionem in homines, largitionemque donorum Spiritus, non ipsam ejus existentiam declarari putant. Sed nullo negotio ab eruditis[1], et catholicis gentis suæ scriptoribus refelluntur, qui hoc imprimis ostendunt, uti veteres illis ipsis vocabulis ad æternam Filii generationem explicandam.

Græcorum fucus ea quæ processionem significant ad externam missionem declinantium.

Etenim ut de singulis pauca dicamus, constat ex nonnullis Græcorum Patrum locis, quæ in superioribus attulimus, verbum προχεῖσθαι significare *substantivam processionem*, cum sæpius de productione Spiritus sancti loquentes iidem Græci, qua a Patre originem accipit, eodem utantur vocabulo. Vide primum ex Cyrillo[2] productum testimonium in libro primo *de Adoratione;* ubi ἐξ ἀμφοῖν, sive a Patre per Filium προχεῖσθαι dicit Spiritum sanctum οὐσιωδῶς; hoc est, *profundi substantive ab utroque, sive, quod idem est, a Patre per Filium.*

Addamus nunc alium ejusdem Cyrilli locum ex epistola *ad Monachos de Symbolo,* in qua loquitur sic : « Et profunditur quidem, sive procedit, tanquam a fonte, a Deo et Patre; tribuitur autem creaturæ per Filium[b]. »

Basilius in secundo *contra Eunomium*, « Communis, inquit, omnibus christianis inest hæc notio, Filium lumen esse genitum, qui ex ingenito lumine coruscavit[c]. » Idem epistola XLIII. « Filius enim solus unigeniti modo ex ingenito lumine refulgens, nullam secundum propriam notam cum Patre communionem habet[d], » etc. Ibi de substantiali Filii productione Basilius loquitur, ex qua personalis ejus proprietas oritur.

Cyrillus libro undecimo *in Joannem* ad illa verba capitis XVI, 27 : *Quia a Deo exivi,* hæc adnotat : « Hoc autem, *exivi a Deo*, rursus hic significare putabimus, vel quia genitus sum, et effulsi ex ejus substantia, processione illa, quæ est ad existentiam, et ut intelligar in propria persona[e]. » Et in primo ejusdem

a BASIL. Ὅτι οὐ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐκ Θεοῦ δι' υἱοῦ, ἀλλ' ἵνα ἡ τρίας μὴ νομισθῇ πλῆθος ἄπειρον, υἱοὺς ἐξ υἱῶν, ὡς καὶ ἐν ἀνθρώποις, ἔχειν ὑποπτευθεῖσα.

b CYRIL. tom. V par. II in *Epist.* Καὶ προχεῖται μὲν, ἤγουν ἐκπορεύεται, καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς, χορηγεῖται δὲ τῇ κτίσει διὰ τοῦ υἱοῦ.

c BASIL. Κοινὴ πρόληψις πᾶσιν ὁμοῦ χριστιανοῖς ἐνυπάρχει περὶ τοῦ φῶς εἶναι τὸν υἱὸν γεννητὸν ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἀπολάμψαντα.

d Id. Ὁ δὲ υἱὸς μόνος μονογενῶς ἐκ τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς ἐκλάμψας οὐδεμίαν κατὰ τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, etc.

e CYRIL. lib. II *in Joan.* cap. II. Τὸ δὲ ἐξῆλθον παρὰ Θεοῦ, ἐνταῦθα δὴ πάλιν οἰησόμηθα δηλοῦν. ἢ ὅτι

1 Beccus cap. XII; Bessar. *Libri dogm.* cap. VI. — 2 Hoc. in lib., cap. III, n. 7.

operis, usus est verbo ἀναλάμψαι ad eamdem naturalem productionem exprimendam: « In Patris, inquit, existens substantia, et ex ipsa refulgens, ut e sole splendor[a]. » Tum in dialogo tertio, « Non aliunde prodiit; sed ex ipsa nobis substantia Dei, et Patris effulsit Filius[b]. » Et in dialogo secundo: « Effulsit eo modo, qui omnem intelligendi, ac loquendi facultatem superat, e Patris substantia Filius[c]. » Itidemque pluribus aliis in locis [1]. Gregorius Thaumaturgus, ut quidem inscribitur, sed, quod puto, falso, in quadam oratione *de Theophaniis*, sic Joannem Baptistam inducit Christum alloquentem: *An vero nesciam, qui sis, et unde refulsisti*[d] ?

Theodorus quoque Studita in uno ex *Gradibus*, quos Ἀναβαθμοὺς vocavit, « Pater, inquit, principii expers, e quo natus est Filius sine tempore, et Spiritus consormis, consessor ex Patre simul refulgens[e]. »

VIII. De vocabulo vero πεφηνέναι ex Cyrillo constat substantialem productionem eo ipso declarari, Ut cum ad Valerianum episcopum ita scribit: « Cum enim natura sanctus sit, quemadmodum utique Pater, qui ex ipso apparuit, unigenitus Filius, sanctificatus esse dicitur a Patre, quatenus apparuit homo[f]. » Tum postea: « Proprius est Filii Spiritus, non solum quatenus est Verbum, quod ex Patre apparuit, sed etiam cum spectatur, quatenus, sicut nos, homo factus est. »

Basilius etiam ab eodem citatus Joanne Becco, necnon a Bessarione, « Spiritus, ait, nihil sibi adventitium habet, sed ex æterno obtinet omnia, tanquam Spiritus Dei, et qui ex ipso apparuit[g]. »

Eadem vis est vocabuli ἐκφαίνειν apud Cyrillum in sexto *Thesauri*, et ἐκφαντικῆς προόδου libro tertio *in Joannem*. Et in epistola *ad Monachos*: « Ipse, qui ex Dei ac Patris substantia arcano quodam apparuit modo, Deus Verbum[h]. » Ita Gregorius Nazianzenus in carmine quodam. *Manifestare. Manifestativæ processionis.*

« Apparuit vero
Eo modo, quem solus novit Pater, et qui ex
Patre apparuit[i]. »

Rursus idem Cyrillus perspicue in tertio dialogo *de Trinitate*: « Apparuisse ex Deo Filium, nihil significare ait aliud, quam genitum esse, et ex ipsa prodiisse substantia Patris[k]. » Quare cum in *Thesauri* libro XXIV de Spiritu sancto dicit, ipsum ἐκ Θεοῦ πεφηνέναι, substantialis intelligenda processio est.

Nam ῥίζα, et πηγὴ passim apud eumdem, substantivæ processionis fontem, et radicem, id est principium significant. Ut in *Thesauri* libro duodecimo, ubi duo illa vocabula πηγὴν, et προελθεῖν ad substantivam Filii productionem accommodat [l]. Et in dialogo tertio, et quarto, nec non libro secundo *in Joannem*. Vide librum hujus operis quintum, capite v. *Radix et fons. Fontem et procedere.*

Plura de usu et potestate verborum istorum e Græcis Patribus afferri testimonia poterant. Sed hæc pauca ad id quod agitur, satis esse credimus, ut intelligamus, substantialem personæ processionem non raro illa significare;

γεγέννημαι, καὶ ἐξέλαμψα τῆς οὐσίας αὐτοῦ, κατὰ πρόοδον μὲν τὴν πρὸς τὸ εἶναί τε, καὶ νοεῖσθαι τυχὸν ἰδιοσυστάτως.

a Cyril. I *in Joan.* Ἐν τῇ τοῦ πατρὸς ὑπάρχων οὐσίᾳ καὶ ἐξ αὐτῆς ἀναλάμψας, ὥσπερ ἐξ ἡλίου τυχὸν τὸ ἀπαύγασμα.

b Idem, dial. III. Ὡς ἐξέφυ μὲν ἑτέρωθεν οὐδαμῶς, ἐξ αὐτῆς δὲ ἡμῖν τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἀνέλαμψεν ὁ υἱός.

c Idem, dial. II. Ἐξέλαμψε γὰρ τρόπῳ τε τῷ ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὡς οὐκ ἄν τις φράσαι, τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ὁ υἱὸς.

d Greg. Thaum. Μὴ γὰρ ἀγνοῶ τὶς εἶ, καὶ ἐκ τίνος ἐξέλαμψας;

e Theod. Stud. Ὁ πατὴρ γὰρ ἄναρχος ἐξ οὗ ἔφυ ὁ υἱὸς ἀχρόνως, καὶ τὸ πνεῦμα σύμμορφον, σύνθρονον ἐκ πατρὸς συνεκλάμψαν.

f Cyril. apud Bessar. *Lib. dogm.* cap. vi. Ἅγιος γὰρ ὢν κατὰ φύσιν καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ πατὴρ, ὁ ἐξ αὐτοῦ πεφηνὼς υἱὸς μονογενὴς, ἡγιάσθαι λέγεται παρὰ τοῦ πατρὸς καθὸ πέφηνεν ἄνθρωπος.

Idem. Ἴδιόν ἐστι τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ οὔτι που μόνον ᾗ λόγος ἐστὶ πεφηνὼς ἐκ πατρός· ἀλλ' εἰ καὶ νοοῖτο καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος γεγονώς.

g Basil. Τὸ πνεῦμα οὐδέν ἐστιν ἔχων ἐπίκτητον ἑαυτῷ· ἀλλ' ἀϊδίως πάντα ἔχει ὡς πνεῦμα Θεοῦ, καὶ αὐτοῦ πεφηνός.

h Cyril. epist. i. Οὕτω καὶ αὐτὸς ὁ τῆς τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς οὐσίας ἀποῤῥήτως ἐκπεφηνὼς Θεὸς λόγος.

i Nazianz. in carm. II *Arcan.*

—— Ἐκ δὲ φαάνθη
Ὡς μόνος οἶδε Πατὴρ, καὶ ὃς Πατρὸς ἐξεφαάνθη.

k Cyril. dial. III. Καὶ ὅτι μὲν ἐκ Θεοῦ πεφηνέναι τὸν υἱὸν οὐχ ἕτερόν τι δηλοῦν ὑπολάβοι τις ἂν, εἴ γε νοῦν ἔχοι τὸν ἀδιάφθορον, ἢ ὅτι γεγέννηται, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐξέφυ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός.

l Idem, XII *Thes.* Ὁ δὲ κατὰ φύσιν υἱὸς, ὥσπερ ἀπό τινος πηγῆς ἀεὶ ζώσης, ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας προελθών, etc.

1 *Thes.* VI; Pasch. xii.

proindeque, cum de Spiritu sancto usurpantur, nihil obstare, quin illius existentia, non autem missio communicatioque donorum, quæ in tempore fit, exprimi putetur Quod eximius ille Gregorii Nysseni locus ostendit ex primo *contra Eunomium* antea citatus; in quo Spiritus sancti personalem proprietatem in eo constituit, « quod nec unigeniti modo ex Patre subsistat, et per Filium ipsum apparuit[a]. » Hic enim τὸ πεφηνέναι æternam a Patre per Filium processionem haud dubie significat.

Tertia Græcorum calumnia.

IX. Tertia Græcorum calumnia est, quam huic Catholicorum opponunt argumento, quod ex trium personarum ordine firmissimum ducitur. Etenim Spiritum sanctum a Filio procedere, probavimus[1] ex eo, quod ille post hunc in baptismi formula ponitur, et Filius inter Patrem, et Spiritum interjicitur; ac denique naturalis quidam ordo, ac series inter divinas personas constitutus est, quem pervertere idem, Basilio judice, censeatur, ac fidem ejurare, ut in illo capite tertio copiose disseruimus. Ex quo fit, ut Spiritus sanctus Filii perinde, ut Patris Spiritus dicatur; non autem Filius Spiritus sancti. Contra quæ Græci illi recentiores argutum nescio quid commenti sunt.

Ita enim ratiocinantur, ut inter alios Emmanuel Calecas refert[2]. Quoniam prima Trinitatis persona Pater idem est, et προβολεύς, id est *emissor;* Filius autem Patri respondet ex adverso; nam cum Patrem dicimus, statim Filii notio nobis occurrit; Spiritus vero, licet a

missorem.

Patre esse dicatur, tamen ad προβολέα proprie refertur, minime vero ad Patrem; ideo cum dicimus Spiritum esse ex Patre, quia Filius una cum Patre, et in eo intelligitur, medius inter Patrem, et Spiritum Filius interjicitur, atque ex Patre per Filium procedere Spiritus dicitur. Eodem itaque modo si προβολέα nominemus, una et πρόβλημα, id est *procedentem*, significamus, ac si Filius ἐκ τοῦ προβολέως, *ex emittente* esse dicatur, tunc Filius per Spiritum, et interjecto Spiritu, ex emissore esse proprie dicetur. Quare et Spiritus sanctus ἀμέσως, *nullo interjecto medio*, ex Patre tanquam emissore esse dicetur; et Filius ex eodem emissore per Spiritum gigni. Hæc Græci apud Calecam. Quinetiam Marcus Ephesinus in Florentino concilio[3], ordinem illum, qui inter personas a Patribus constituitur, non aliter explicabat, nisi quod Filius, quia Patri proxime opponitur, et ad eum refertur, proxime item Patri subjiciendus sit, et ante Spiritum collocandus, cum Pater nominatur.

X. Verum inepta hæc est, et frivola cavillatio; quam et veteres Patres auctoritate sua frangunt, et multa, quæ ex ea sequuntur, impia, et absurda damnandam esse persuadent. Primum enim antiqui illi, qui de ordine illo meminerunt[4], naturalem, et immutabilem eum esse, prædicant adeo, ut illius eversio fidei sit negatio, uti Basilius scribit[5]. Athanasius vero, qualis ordo est Filii ad Patrem, talem esse ait Spiritus ad Filium, ac cætera ejus generis, ex quibus constat, nefas esse personarum ordinem invertere, ac mutare. Præsertim vero considerandum illud est, quod et personarum differentiam, et inter se ordinem, non aliunde Patres nonnulli petendum esse dictitant, quam ἐκ τοῦ αἰτίου, καὶ τοῦ αἰτιατοῦ *ex ratione causæ*, *sive principii*, et *ejus, quod existit e causa;* quod illorum auctoritatibus allatis antea probavimus, et ad idem confirmandum modo Basilii locus ille suppetit, quem Georgius Pachymeres in quinto *Historiæ* suæ posuit: « Secundus a Patre Filius est; quia principium est ille. Secundus est item a Filio Spiritus ratione principii[b]. » Cum igitur principium Filii nemo Spiritum sanctum dicere audeat, non potest ordine ab eo proximus constitui.

Ac si ob eam tantummodo causam, quod, Patris vocabulo pronuntiato, statim Filius occurrit, post Patrem nominandus ante Spiritum est Filius, et per Filium procedere a Patre Spiritus dicitur; licebit et per Patrem a Filio procreatum esse mundum dicere, quoniam per Filium condita sunt omnia; ex Filii autem nomine consequens est Patris appellatio, ut argumentatur Calecas. Sic etiam, quia Filius mittit Spiritum sanctum, et, audito Filio, subinde Pater intelligitur; Filius per Patrem mittet Spiritum; quod et impium dictu est, et non minus absurdum, quam si quis architecti filium per domum ab architecto dicat esse genitum, eo quod architectus ad domum refertur, et, uno pronuntiato, alterum occurrit animo.

a Nyssen. I *contra Eun.* Ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πεφηνέναι.

b Basil. Δευτερεύει μὲν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς τῷ αἰτίῳ. δευτερεύει δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον.

1 Cap. iii. — 2 Cap. iii. — 3 Sess. x. — 4 Vide cap. iii. — 5 Ep. ccc et lib. I *contra Eunom.*

Præterea complures veterum, a Deo per Filium esse Spiritum sanctum, vel a Deo per Verbum scripserunt, ut ex superiorum capitum testimoniis liquet. Atqui ex recenti illa Græcorum calumnia neutrum erit consentaneum. Nam posito, appellatoque Deo, non Filius, sed creatura, quæ illi ex adverso respondet, commemoranda fuit. Verbo item appellato, non Deus, aut Pater, sed ὁ νοῦς, *mens*, ad quam Verbum refertur.

Ad hæc Damascenus de Patre ita scribit: « Ipse igitur est mens, Verbi abyssus, Verbi genitor; et per Verbum emissor enuntiatorii Spiritus[a]: » quæ postrema Pachymeres idem affert. Atqui non λόγου γεννήτορα, sed νοήτορα dicere Damascenus debuit, si vere posteriores isti Græci sentiunt. Neque προβολέα διὰ τοῦ λόγου, *emissorem Spiritus per Verbum* appellari Patrem oportuit; quippe προβολεὺς, non ad Verbum, sed ad Spiritum comparatur. Hæc fere Calecas.

Postremo ut docte non minus, quam acute Bessario in *Libro dogmatico* disputat[1] : Si ideo neque in Scripturis, neque a Patribus Filius Spiritus sancti nominatur, ne Spiritus existimetur Filii Pater, et illius auctor originis; quod nisi metuendum foret, non minus dici posset Filius Spiritus sancti, quam hic Spiritus Filii; ut Græci recentiores putant, cum nomen ipsum Spiritus relativum sit, et ad spirantem referatur adeo, ut a quo spiratur, ejus appelletur; non debuit Filii Spiritus vocari, ne ab eo procedere, spirarique putaretur, siquidem, ut illorum est opinio, non procedit a Filio[b].

Porro Spiritus vocabulum esse relativum inde constat, quod talia sint nomina omnia, quæ ὑποστατικά, id est *personalia* dicuntur.

Substantia. Nam non sunt οὐσία. Nihil autem in divinis inest, præter οὐσίαν, et relationem. Quocirca sicut Filium, quia nomen hoc relativum est, et ad Patrem refertur, Filium appellare Spiritus veremur, ne Pater hic illius habeatur; ita Spiritus nomen, cum relativum sit, et omnino referatur ad spirantem, ab illo utique spiratur, cujus esse Spiritus dicitur. Hæc Bessarionis est argumentatio, qua nihil ad retundendam Græcorum cavillationem validius, et opportunius.

CAPUT XIX.

Expenduntur ea, quæ de corrupto Symbolo a Græcis objiciuntur, maxime ex canonis Ephesini auctoritate; qui quidem exponitur. Non prohiberi quocumque modo aliquid ad fidei professionem addere, sed tantum quod illi contrarium sit, cum hoc auctoritate fit publica. Resumitur disputatio contra Crellium Photinianum de Spiritus sancti processione, in hunc translata locum ab libro tertio; ubi cætera illius impia confutata sunt dogmata, et ab ejus calumniis catholica fides asseritur. Spiritum sanctum non esse Filium, etsi voluntas, per quam procedit, reipsa non distet ab intellectu. Bisterfeldii, qui Crellium confutavit, falsa itidem opinio discutitur.

I. In Latinorum, Græcorumque controversia de Spiritu sancto, duo capita versari jam diximus: alterum an a Patre, Filioque procedat alterum an, tametsi procedat ab utroque, licitum Latinis fuerit, id in Symbolo nominatim exprimere, addita voce *Filioque*. Horum capitum prius, idque primarium, ac momenti majoris et difficultatis, fuse hactenus expositum est. Alterum restat, de quo pauca admodum dicenda sunt, ut eo perfuncti, quæ contra Spiritus sancti processionem disputata sunt a Crellio, et in hunc a nobis dilata locum, tandem aliquando repetamus, et illam totam quæstionem de sancto Spiritu exitu aliquo terminemus. De additione *Filioque* in Symbolo.

Igitur adversus Latinam, id est Romanam Ecclesiam opponere id Græci jam pridem instituerunt, et odio, offensionique suæ, ac schismati causam istam prætexere, quod ab

a DAM. Αὐτὸς μὲν οὖν ἐστὶ νοῦς, λόγου ἄβυσσος, λόγου γεννήτωρ, καὶ διὰ λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος.

b BESSAR. Καὶ τὸ πνεῦμα ἀναφορικόν ἐστιν ὄνομα, καὶ πρὸς τὸν πνέοντα ἀποδίδοται ἐξ ἀνάγκης. καὶ οὖ λέγεται πνεῦμα, ἐξ ἐκείνου πάντως καὶ πνεῖται. ὅτι γὰρ ἀναφορικὰ τὰ ὑποστατικὰ ὀνόματα τῆς τριάδος οὐδεὶς ἀντερεῖ. ὑποστατικὸν δὲ τοῦ πνεύματος ὄνομα, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγεται, ὥσπερ καὶ τοῦ πατρὸς ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ υἱοῦ. καὶ ἀναφορικὸν ἐξ ἀνάγκης, ὥσπερ καὶ ταῦτα· εἴπερ οὐσία μὲν οὐκ εἴσιν, ἄλλο δέ τι παρὰ τὰς ἀναφοράς τε, καὶ τὴν οὐσίαν ἐν τοῖς θείοις οὐκ ἔστιν, ὥσπερ οὖν τὸν υἱὸν, διὰ τὸ ἀναφορικὸν ὄνομα εἶναι καὶ ἀποδίδοσθαι πρὸς πατέρα, δεδίαμεν υἱὸν τοῦ πνεύματος λέγειν, ἵνα μὴ πατὴρ αὐτοῦ νομισθῇ. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα, ἀναφορικὸν ὄνομα ὂν, καὶ πάντως ἀποδιδόμενον πρὸς τὸν πνέοντα, ἐξ ἐκείνου καὶ πνεῖται· οὗ πνεῦμα λέγεται εἶναι.

1 Cap. VI in Conc. Flor.

nostris Symbolum additione vocis unius interpolatum est, et communis fidei christianæ violata, et corrupta tessera. Sic enim jactare consueverunt, ac tum in synodo præsertim Ferrariensi, sive Florentina, tum privatim scriptis omnibus, ac disputationibus, magnis in eo clamoribus instituerunt, nefas esse aliquid, quantumvis certum, ac verum, ad solemnem, et in ecclesiis publice pronuntiari solitam fidei professionem, id est Symbolum, adjicere non minus, quam detrahere.

Hoc primus in famosa illa contra Nicolaum papam epistola ei Photius exprobravit, uti supra capite secundo meminimus; hoc deinceps cæteri gentis ejusdem atque sectæ contra Latinos intentarunt, præcipue vero in Ferrariensi concilio Marcus ille Ephesius, necnon Bessario, etsi hic postea synodi auctoritate commotus, catholicam, Romanamque de processione Spiritus sancti fidem ac Symbolum amplexus est, et utrumque constanter adversus fœdifragos Græcos luculentissimis scriptis propugnavit.

Quid vetuerit Ephesina synodus.

II. Unum hoc porro fuit illorum argumentum, qui de Symbolo litigabant, quod et Photius, Antonino teste, Nicolao primum objecit: synodum tertiam Œcumenicam, quæ est Ephesina, vetuisse, novam ullam fidei formulam componi, præter Nicænam. Nam cum Nestorius quamdam fidei Expositionem condidisset, cui ab hæresi ad catholicam Ecclesiam revertentes subscriberent, eamque Charisius Philadelphiæ presbyter Ephesinæ synodi Patribus obtulisset, ea perlecta, et pro hæretica rejecta, ita demum synodus constituit: « Alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere præter eam, quæ definita est a sanctis Patribus Nicææ congregatis cum sancto Spiritu. Qui autem ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex qualicumque hæresi; hos quidem, si sunt episcopi, aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clericatu decrevit. Si vero laici fuerint, anathemati subjici [a]. » Contra hoc decretum commisisse Latinos, pugnant Græculi, quod in Symbolum vocabulum illud inculcarint. Nostri ex adverso in Florentina synodo, actione VI, primum contendere non eam esse προσθήκην, id est *additionem* vocandam, sed ἀνάπτυξιν *explicationem*, et σαφήνειαν, *declarationem*. Ita Andreas Rhodius, et alii, qui privatim Latinorum causam contra Græcos egerunt, ut Josephus Methonensis; qui ad hoc probandum eximium testimonium profert Maximi Martyris, ex *Apologia pro Chalcedonensi synodo*: « Omnes, inquit, post Nicænam synodum a Deo lecti Patres, atque omnis synodus orthodoxorum, sanctorumque Patrum, non aliam omnino fidei definitionem induxerunt eo ipso, quo de suis verbis aliquid inseruerunt, ut vos affirmatis strenue delirantes, et penitus insanientes. Sed ipsam, ut primam, et unicam a trecentis octodecim Patribus sancitam, firmam et ratam esse voluerunt, explicantes eam, ac velut apertius explanantes propter eos, qui illam, ejusque dogma pravis interpretationibus ad suam detorquent impietatem [b]. » Igitur ex tanti viri auctoritate conficitur, quando novum quodpiam dogma fidei ad antiquam, et hactenus usitatam professionem additur, non alteram, id est, diversam fieri professionem, sed explicari tantummodo priorem, ac veterem.

III. Quamobrem nihil necesse est, tam obstinato animo negare nos, προσθήκην, id est *accessionem* aliquam ad Constantinopolitanum symbolum esse factam, cum Latini vocem *Filioque* ad illud adjunxerunt. Id enim profecto additum est, quod ante non erat. Itaque de appellatione nulla debet esse contentio; sed in eo insistendum magis, non esse vetitum ullo Ecclesiæ decreto, adeoque synodi tertiæ, ad Fidei professionem aliquid addere. Sed

a Eph. syn. par. II, act. VI. Τούτων τοίνυν ἀναγνωσθέντων, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἤ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἵας δηποτοῦν, τούτους, εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι, ἢ κληρικοὶ, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου· εἰ δὲ λαϊκοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι.

b Maxim. apud Joseph lib. *pro Conc. Florent.* Πάντες οἱ μετὰ τὴν Νικαέων θεόκριτοι πατέρες, καὶ πᾶσα σύνοδος ὀρθοδόξων, καὶ ἁγίων ἀνδρῶν, οὐκ ἄλλον πίστεως ὅρον διὰ τῆς ἐπεισαγωγῆς τῶν οἰκείων ῥημάτων παντελῶς ἐπεισήγαγον, ὡς ὑμεῖς ἀποφαίνεσθαι, πλεῖστον παραληροῦντες, καὶ τὸ ὅλον μαινόμενοι. ἀλλ' αὐτὸν ὡς πρῶτον καὶ μόνον τὸν ἐκ τῶν τοι πατέρων νομοθετηθέντα βεβαίως ἐκύρωσαν, τρανοῦντες αὐτὸν, καὶ οἷον ἐπεξηγούμενοί τε, καὶ ἐπεξεργαζόμενοι διὰ τοὺς ἐκεῖνον, καὶ τὰ ἐκείνου δόγματα πρὸς τὴν οἰκείαν κακῶς ἐκλαμβάνοντας, καὶ παρεξηγουμένους δυσσέβειαν.

eatenus duntaxat, si professio nova cudatur, hoc est ab vetere dissidens, eique contraria; quod tum fit, cum dogma aliquod hæreticum inseritur, ut in illa *Formula fidei* factum erat, quam a Nestorio præscriptam Charisius ad synodum attulit. Cujus rei gratia universe tum synodus illa sanxit, ne similis aliqua deinceps ederetur. Quænam, obsecro? Nempe cujusmodi erat illa Charisii. Erat autem et professio fidei, et catholicæ adversa professio.

Quare non de Symbolo privatim, præciseque sermo istic est, sed de professione quacumque fidei. Ecquis vero rudis est adeo, quin hoc sciat, ab iis, qui ab secta et hæresi aliqua catholicam ad Ecclesiam redire cuperent, non veterem tantum, et ante ortum hæresis ejus, a qua ille recedebat, editam Fidei formulam exigi consuevisse, ut puta Nicænam, aut aliam usu detritam, sed ampliorem aliam, in qua nominatim novam hæresim anathemate damnaret? Mos iste perpetuus in Ecclesia fuit innumeris vetustatis exemplis, ac synodorum auctoritate constitutus. Sic enim canone octavo Nicæna synodus Novatianos jussit sub ea confessione recipi, non quæ nihil, præter Symbolum Apostolorum, aut aliud usu jam celebre contineret, sed quæ contraria insuper ei, unde resipiscebant, Novatianæ sectæ profiteretur. Sic igitur ἑτέραν πίστιν, *diversam fidem*, hoc est repugnantem pristinæ, et catholicæ professioni proferri, conscribique prohibet Ephesina synodus: non eam, quæ tametsi novi aliquid ad explicandum adhibet, nihil tamen continet non priori, ac catholicæ consentaneum. Maxime vero licere tum illud existimandum est, ad usitatam fidei formulam aliquid addere, cum id publica auctoritate fit, non solum generalis, et œcumenici concilii, sed vel Romani Pontificis, vel Ecclesiarum complurium certis de causis in illud conspirantium. Cujusmodi tum justissimas fuisse, cum aut in Hispania, Gallia, ac Germania primum institutum est, aut Romæ, ac toto Occidente in usum receptum. Hugo Etherianus[1], Anselmus, Andreas Colossensis in Ferrariensi synodo, Antoninus locis jam ante citatis demonstrant. Sed præ cæteris omnibus, qui de hoc argumento egerunt, docte accurateque rem totam pertractavit Julianus cardinalis in actione undecima Ferrariensis, sive Florentini concilii. Cujus solida et erudita disputatione fracti, qui in illa erant synodo, Græci causa cesserunt, quemadmodum testatur Bessario in libro, quem de synodi Florentinæ successu, deque processione Spiritus sancti Græce, Latineque conscripsit ad Alexium Lascharim Philanthropinum. Quare qui illam Juliani concertationem legerit, supervacaneum id esse judicabit, quidquid a nobis in idem argumenti genus collatum et conquisitum fuerit.

Licet ad fidei formulam aliquid addere auctoritate publica.

IV. Alterum ergo superest e duobus illud, quæ capitis hujus initio proposuimus, ut in Crelliana retundenda sophismata hujus libri postrema conferam. Id autem paucis exequar; quia et ille multa de ea quæstione disputare non putavit necesse; et possunt ex iis, quæ supra jam explicata sunt, quæ ab ipso sunt allata dissolvi. Ea vero ejusdemmodi lector esse sciat, qualia erant illa, quæ in libro tertio ejusdem argumenta confutavimus; captiosa et futilia, et ex scholasticorum nostrorum petita scriptis; dum ea scilicet opponunt ex adverso sibi, quæ vel ab hæreticis olim objecta fuerant, vel ab humano ingenio excogitari contra divina decreta utcumque poterant. Quæ Photinianus iste delingens, tanquam acutissima, et ad irretiendum validissima proposuit. Sed non sunt, et ab theologiæ tironibus, utpote sæpius ab iis audita, et in scholis contrita ridentur.

Crellii sophismata diluuntur.

Ex iis primum est hoc[2]: sequi ex catholicorum doctrina, duos in Trinitate esse Filios, quoniam Spiritus sancti processio nulla re distat ab vera, proprieque dicta generatione: « Etenim quid aliud, inquit, ad generationem proprie dictam requiritur, quam ut quis essentiam ab alio accipiat vel specie, vel (ut adversariorum de Deo fert sententia) numero eamdem cum essentia ejus, a quo illam accipit? » At esse talem Spiritus sancti processionem probat; quia « per illam Spiritus sanctus essentiam accepit eamdem numero cum essentia illorum, a quibus processit. » Nimirum vulgare istud est, et quotidianum argumentum, quod sibi in scholis intentare solent theologi; idque, quantum humani captus ingenii fert divini verbi magisterio perdoctus, erudite acuteque dissolvunt. Quod ex iis, quæ capite XIII et sequenti fusius exposuimus, paucis ita fieri potest: Non omnem naturæ communicationem, quæ productione fit, proprie dictam esse generationem, sed eam solum, quæ vi sua, et conditione id habet, non ex accidenti, et adjuncto altero, uti similem producat ei a quo generari dicitur; similem, inquam, non genere tantum, sed specie, quan-

1 Lib. III, cap. XVI. — 2 Crell. lib. II, sect. III.

tum natura ipsa per se potest eniti, ac nisi quid obstet, quod in divinis soli congruit illi, qua Verbum, id est imago et similitudo intelligentis se Dei procedit, non autem alteri, qua Spiritus sanctus, id est amor expressus, ac mutuus existit. Est ea communis, et solida ratio, quam Crellius inepte insciteque contexens ita concepit. Respondere dicit Catholicos, « Non omnem communicationem substantiæ cum altero esse generationem ; sed eam demum, quam sequatur relatio talis, qualis est inter Patrem et Filium. » Ridicule sane. Idem est enim, ac si dicas, non omnem communicationem substantiæ esse generationem, sed eam solum, per quam unus est Pater, alter Filius. Quod etsi verum est, et ex ea, quam reddidimus, causa sequitur; tamen hujus ipsius afferenda ratio est, cur non communicatio substantiæ omnis id habeat, ut ex ea paternitatis, et filietatis respectus oriatur. Hujusmodi vero est nostra illa superior.

V. Nec minus insulse Crellius hoc nobis intentat, nullam creatis in rebus similem animadverti propagationem, communicationemque substantiæ, quæ non sit generatio. Quis enim hoc negat? An non sæpe theologi contra humanæ rationis inventa ita præscribunt, nihil in rebus infimis ejusdemmodi nos videre, qualis est ista divinæ voluntatis, et amoris operatio? Illud abunde esse debet, demonstrari nobis in sacris Litteris tres in una, et eadem essentia esse personas, ejusdem substantiæ ac naturæ, unam harum esse Patrem, qui non sit Filius, alteram esse Filium, qui neque sit Pater, et sit unicus, id est *unigenitus,* quod nihil aliud sit, quam nullum alterum esse Filium ; tertiam ab duabus illis procedere, quod est essentiam et divinitatem ab iis communicatam accipere. Hæc fuse probata sunt a nobis in secundo ac tertio libro. Quibus positis, et assensis, jam illud de Spiritu sancto consequens est, sic ei divinam communicari substantiam, ut non sit Filius. Siquidem et processione id habet ipsa, uti Deus sit, et præter unum, alter esse nemo potest Filius. Non est ergo generatio, Spiritus sancti productio; quoniam quod vera, et propria generatione oritur, nonnisi Filius est.

Nam quod rursus instat Crellius: In Deo neque intelligentiam a voluntate distare, neque proprietates absolutas cæteras aut invicem, aut ab essentia; unde ratiocinando nectit, non minus ab intellectu procedere, ac *per intellectum*, Spiritum sanctum, quam ab voluntate; puerile istud est, et in scholis explosum, ac refutatum sæpius. Quod et Crellius agnoscit ipse, frustraque nititur, ut receptam ibidem differentiam attributorum divinorum elevet, quam ex eminenti divinitatis excellentia repetere nostri solent. Hanc enim efficere illud asserunt, ut quod unum et simplicissimum est, vi ac virtute efficientiaque sit multiplex. Quemadmodum licet una eademque vis agendi sit in sole, ea tamen diversas exse profundit efficientias, ex quibus qualitatis ejusdem non in re ipsa, sed ex intellectione nostra quædam varietates existunt, ut esse intelligamus, ac dicamus aliam calefaciendi vim, aliam exsiccandi; sic in nobis ipsis (ut in exemplum id assumam, quod ad divinæ naturæ similitudinem, tanquam ejus imago, propius accedit) mens, sive *intellectus*, et *voluntas*, ac memoria, multorum opinione, nihil reipsa differunt invicem, sed ratione sola, et κατ' ἐπίνοιαν. Neque tamen, qui sic sentiunt, idcirco permiscenda putant earum facultatum effecta, ut intellectu nos velle, voluntate intelligere, memoria itidem velle, aut intelligere censeant. Prorsus enim desipere hoc esset, et communi sensu carere. Quare tametsi nulla sit in Deo voluntatis, intelligentiæque reipsa diversitas; inest tamen diversarum operationum una vis, et simplex, quarum *termini* re sunt ipsa nihilominus invicem distincti. Cujus quidem rei innumera sunt exempla.

VI. Igitur Divinitas, una simplicissimaque res est, quæ nullam reipsa, quod ad ea spectat, quæ ad se dicitur, hoc est absoluta, et οὐσιώδη, differentiam admittit; sed sola ratione cogitationeque nostra, hoc est ἐπινοίᾳ, quidquid illic est discriminis, affingitur. At eadem nihilominus distinctos reipsa, non ratione tantum, interiorum actionum, sive operationum (quas et ἐνεργείας Græci theologi nuncupant) terminos habet, Filium atque Spiritum sanctum; quorum ille generatione, iste spiratione procedit. Quod eo dixerim, ut sophisticas Crellii nænias excludam ; qui *virtualem* istam, ut cum scholasticis appellat, sive *eminentialem* differentiam sic eludere conatur, non videri inter personas divinas rei posse esse discrimen, sed tantummodo rationis, si antequam rationem adhibeamus, nulla

illic est intellectus, voluntatisque distantia. Etenim, tametsi nulla sit principiorum in sese, sed sola ratione distinctio; est tamen in productionum, quæ ab eodem principio diverso modo fiunt, terminis, non rationis, sed rei differentia. Quod in mysterio isto singulare, et admiratione omni superius est. Talem autem eam esse differentiam, quæ κατ' ἐπίνοιαν vocatur, non uno in loco diximus[1], non solum ut una eademque res diversas efficientias ex sese profundat, sed etiam ut idonea sit, quæ notiones varias in eorum intelligentia pariat, a quibus nondum, ut est in sese, ac perfecte cognoscitur. Quod cum in plerisque conditis a Deo rebus, propter naturæ præstantiam, et efficacitatem, accidit, tum multo magis in earum conditore Deo; cujus est et exstandi, et agendi infinita perfectio, quæ tota uno mentis intuitu exhauriri, exæquarique non potest.

Bisterfeldius optimæ causæ pessimus patronus.

VII. Postremo non illud præterire possum, Bisterfeldium in *Confutatione Crellii* haud satis commodam sententiam secutum, causam in eo constituere, cur Spiritus sanctus non generetur, sitque Filius, quod ita procedat, ut personam non producat alteram. « Generatio quippe, ut idem ait, est actus generantis et naturalissimus, et ulterius productivus. » Item: « Cum omnis actio sit assimilatio quædam, utique actio naturalissima erit actio maxime assimilativa. At maxime assimilativa non foret, nisi esset productiva. Non enim illam producentis proprietatem, quam productivitatem dicere liceat exprimeret. » Sed ista ratio nobis merito displicet. Etenim ex eadem ipsa contrarium ejus, quod probare cupit, manifeste concluditur, idque dupliciter. Nam et Spiritum sanctum esse Filium inde consequens est, et Verbum non Filium, quod hoc pacto breviter efficitur. Primum enim, si « omnis actio assimilatio quædam est, » hoc est *assimilativa*; etiam processio, vel *spiratio*, qua Spiritus sanctus producitur, *assimilativa* sit oportet. Est autem *assimilativa* nihil aliud actio, quam quæ natura sua, et propria vi habet hoc, ut simile sit producenti, quod illius interventu oritur. Quo concesso, nihil jam obstare potest, quin et spiratio proprie sit, vereque dicta generatio, et Spiritus sanctus itidem Filius, ut Verbum. Est enim generatio, ut supra constituimus ex communi notione apud philosophos, theologosque recepta, nihil aliud, quam « origo, vel productio viventis a vivente in similitudinem naturæ. » Quare si quælibet actio, adeoque divina spiratio, qua vivus Spiritus a vivo principio oritur, suapte vi naturæ affert similitudinem, nihil erit, quo ab vera generatione discerni queat. Ita prævaricatorem se in ea causa Bisterfeldius ostendit, quam contra Photinianum Crellium propugnandam susceperat; ejusque perfidiam novo præsidio corroborat. Sed non est ita, ut ille optimæ causæ pessimus patronus, imo proditor, imperite asserit. Cujus opinionis absurditas, non tantum in divina illa Spiritus sancti processione convincitur, sed in multis aliis actionibus, et efficientiis causarum a Deo procreatarum. Etenim corruptio, ac destructio, non est assimilatio, cum vera sit actio, tametsi ex accidenti hanc adjunctam habeat. Est autem aliud, actionem esse *assimilationem*; aliud cum *assimilatione* conjungi.

VIII. Alterum porro, quod ex Bisterfeldii assertione sequi dixi, Verbum divinum non esse Filium, hunc in modum adstruitur. Nam si actio illa, qua persona producitur, eatenus generatio est, quod non solum natura et essentia, sed etiam producendi vi, *quam productivitatem* vocat, ei, a quo producitur, persona illi similis existit ita, ut propria ratio, quam *formalem* nominant, filietatis in communicata illa *productivitate* posita sit; necesse est *productivitatem* istam ejusdem in Filio esse speciei, cujus est in Patre. Nam si genere solo actionis, productionisve conveniunt, similes appellari nequeunt; neque propterea, quia producendi vim habet aliquam Filius, perfecte Patris similis, aut exacta illius imago dici meretur, eo quidem ipso præcise, quod *productivus* sit, si specie quodammodo vis una productrix ab altera discrepat, solo genere consentiens. Atqui producendi vis illa, quam Pater eadem operatione, qua Filio dat originem, in eum transfundit, non est generandi, sed spirandi vis, et facultas, et ejus, quæ est in Patre, specie dissimilis. Quo est illa revocanda disputatio, quam ex Richardo Victorino et Bernardo adversus Abælardum disserente supra commemoravi[2]: non id omne, quod utcumque de substantia oritur alterius, et vero nonnulla generatione manat ab eo, aut ejus simile censeri, aut appellari filium. Siquidem vermiculi, qui ex humano corpore gignuntur, filii non dicuntur hominis; cujus

1 Vide lib. I *de Deo*. — 2 Cap. XIII, num. 18.

alia causa non est, nisi quod generis solis, non speciei similitudo actione illa, qua ortum habent, in eis exprimitur. Quare neque *productivitas* illa, quam a Patre Deo Filius accipit, hoc efficere potest, ut hic illius perfecte similis, ac proinde Filius habeatur potius, quam Spiritus sanctus, nisi ejusdem speciei, quæ est in Patre, sit, hoc est, vera propriaque generatio. Quod dum Bisterfeldius negat, ut quidem negare debet, una illud, si sibi consentaneus est, fateatur oportet, Verbum ipsum non esse Filium. Sed videnda sunt ea, quæ supra de Spiritus sancti processione fuse disputavimus. Ad extremum plures aliæ sunt Græcorum argumentationes, ut in epistola Photii, et in opusculis Barlaami, quæ sunt in tomo VI Canisii. Quas idcirco prætermisimus, quod vel eodem relabuntur cam superioribus illis, quas attulimus; vel eodem responsionis genere diluuntur.

1 Cap. xiii, n. 18.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE TRINITATE

LIBER OCTAVUS

QUI EST DE MISSIONE PERSONARUM.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit missio Personarum, et in quo ejus ratio posita sit. Quosdam nihil ab æterna processione differre putasse: alios nonnisi in tempore fieri. Videri ex utroque constare. Personam ab ea solum mitti proprie, a qua procedit. Interdum tamen Filium etiam a Spiritu sancto mitti, Scripturas ac Patres dicere. Patrem ab nullo mitti: deque eo falsa opinio Photii Chrysostomum interpretantis.

Missio iversitatem rsonarum adstruit.

Plurimum ad Trinitatis notitiam, personarumque discrimen intelligendum, missionis ratio pertinet, ut recte Gaudentius his verbis exposuit[1]: « Dispensatio, inquit, salutis nostræ est, quod mittens prædicatur et missus. Aliter enim credere mens humana non caperet, Patrem Patrem esse, et Filium Filium, et Spiritum sanctum Spiritum sanctum, nisi distinctionem disceret ex nuncupatione mittentis, et missi. » Ac cum duæ sint ex adverso sitæ hæreses, quæ in medio positam oppugnant catholicam fidem, Sabellianorum videlicet, et Arianorum; contra illos potissimum Scripturæ testimonia illa faciunt, quæ mitti Filium a Patre, et ab utroque Spiritum sanctum asserunt; quorum in Novo, ac Vetere Testamento incredibilis copia est, præsertim in Novo, quod ad eam rem expressiores habet sententias. Ex quibus, si quid judicii est, plane assentiri cogimur, non unam in divinitate esse personam, sed plures; cum a seipsa mitti unica, et singularis persona non possit. Nam cum dicit, exempli causa, Christus[2]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; Et, *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum;* Et, *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem*, et hujus generis alia; non potest unus et idem videri, qui misit, et qui missus est, ne a seipso venisse dicatur; quod idem negat, cum ait: *A meipso non veni; sed ille me misit*[3]. Itaque ex missionis, et mittendi notione, ac vocabulo contra hoc hæreticorum genus præcipue veteres nituntur; ut Athanasius, qui in libro *contra Sabellianos*, ex missione Filii, et Spiritus sancti, distinctas invicem esse personas, et a Patre demonstrat. Non enim mitti dicitur motio aliqua ab eo qui movetur. Sed neque Dei composita, vel adventitium quiddam habens est substantia, ut aut partem sui, aut nescio quam ex se motionem profundere dicatur, quod ex hæresi Sabelliana sequitur; si quidem mitti Filium, aut Spiritum sanctum, non sit personam aliquam exire, vel procedere externi alicujus operis significatione, sed nescio quam efficientiam. Quibus ista subjicit Athanasius: « Nonne missus est a Patre Filius? Atqui testatur ubique, et missurum se Spiritum Paracletum promittit; atque itidem, ut promiserat, mittit. Sed illi, qui ex Trinitate unitatem faciunt, missionem adulterare perinde, ac generationem nituntur[a]. » Etenim « nihil a seipso mittitur, » ut ait Basilius[b]. Vide et Epiphanium hæresi LXII[b]. Ariani[4] vero istam ipsam missionis in Scrip- Missione abutebantu Ariani.

a ATHAN. Ἢ οὐκ ἀπεστάλη μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὁ υἱός; διαμαρτύρεται δὲ πανταχοῦ, καὶ ἀποστέλλειν τὸ πνεῦμα τὸ παράκλητον ἐπαγγέλλεται, καὶ δὴ καὶ ἀποστέλλει κατὰ τὴν ὑπόσχεσιν. ἀλλ' οἱ τὴν τριάδα μονάδα ποιοῦντες, νοθεύειν καὶ τὴν ἀποστολὴν ὥσπερ τὴν γέννησιν ἐπιχείρουσιν.

b BASIL. V *contra Eun.* Οὐ δήπου δὲ αὐτὸ ἑαυτὸ ἀποστέλλει.

1 Tract. XIV. — 2 *Joan.* III, 16. — 3 *Joan.* cap. VIII, 42. — 4 Amb. II *de Fide* cap. IV; Aug. IV *de Trin.* cap. ult.; Fulg. lib. II *ad Mon.* cap. VI et lib. *de Trinit.* cap. VI.

tura mentionem ad suam causam trahere conantur; atque ex iis testimoniis minorem Patre Filium esse defendunt. Quod ex eorumdem adversus illos Patrum scriptis, disputationibusque constat, qui hanc hæreticorum calumniam variis modis propulsare student; partim natura ipsa missionis, ac proprietate aliter, quam illi putabant, explicanda, partim causis illius afferendis, quæ missi, ac mittentis æqualitatem nulla ex parte minuerent. Quæ omnia consequens aperiet oratio. In qua primum quid missio sit, et qua ratione divinis personis congruat ex veterum theologorum placitis exponam.

Missio nihil aliud quam personæ unius ab altera processio juxta quosdam veteres.

II. Igitur missionem divinæ cujuspiam personæ, æternam ab altera processionem ejus esse, sic nonnulli Patrum asserunt, nihil ut aliud requiri putes; tanquam missio Filii sola sit ejus a Patre productio, ac generatio; Spiritus sancti missio, sola de Patre Filioque processio.

Cyrillus enim Joannis illa verba declarans, *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur;* quærit, quid amplius habeat Christus, quam prophetæ, qui et missi sunt a Deo, et Dei verba locuti. Cui sic respondet, missionem Filii peculiarem, et excellentiorem esse, ac dupliciter intelligi; « aut secundum incarnationis rationem, quia in hunc mundum cum carne venit; aut altius, atque sublimius, et ut Deum decet, intelligetur. Pater Filium ex propria natura coruscare fecit, tanquam ex lumine splendorem, secundum ineffabilem, et inexplicabilem divinæ generationis modum. Quod quidem et ipse nobis Unigenitus aperuit, dicens : *Ego ex Patre exivi, et venio.* Exivit enim ex Patre in propriam existentiam Filius; etsi in ipso secundum naturam inest. Et quod apud nos illic exisse significat, hoc rursus istic missum esse demonstrat[a]. »

Ibi duplicem missionis sensum, ac modum declarat : alterum quo incarnationem, alterum quo æternam generationem significat, quæ et exitus quidam Filii est a Patre. Idem et in quarto libro, verba hæc explicans : *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me*[1], de missione sic loquitur : « Sciendum est autem, cum se rursus missum esse dicit, non se paterna dignitate inferiorem ostendere. Non enim servilem hanc missionem intelligere oportet; etsi, quia servi formam indutus est, merito hæc de se usurpare possit. Sed sic missus est, ut verbum ex mente, ut splendor solis ex ipso. Hæc enim omnia, et ea in quibus sunt, quoniam foras progredi videntur, modo quodam ostendunt, et insunt naturaliter, atque indivisibiliter in illis[b]. »

III. Sic et alibi exeundi verbum, quo Christus utitur sic dicens[2], *Sciens, quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*, de æterna generatione accipit : « A Deo, inquit, exivit, hoc est ex substantia Patris genitus est. Ad Deum vadit, quod rursus in cœlum ascendens Patris consessor erit[c]. » Ubi animadvertendum illud est, exitum a Deo non simili notione, ac reditum ad eumdem, a Cyrillo sumi. Nam priorem ad id, quod divinitatis proprium est, refert, sempiternam a Patre processionem; posteriorem de eo intellexit, quod humanæ naturæ congruit. Atqui comparate dici ista videntur, *exire*, et *reverti*; velut *Joannis* sexto decimo capite : *Exivi a Patre, et veni in mundum. Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Quare eodem sensu interpretari ambo illa satius sit, et ad temporariam missionem accommodare. Pergit tamen Cyrillus[3] in eodem illo capite decimo sexto *exeundi* vocabulum exponere tam de æterna generatione, quam de Incarnatione, ita scribens : « Quod autem ait, *Exivi a Deo*, hoc loco rursus id esse putabimus; vel natus sum, et effulsi ex substantia ipsius, secundum processionem, qua exstiti quidem, et in propria subsistentia, non tamen omnino separatus. Est enim in Filio quidem Pater; in Patre vero secundum naturam Filius. Vel illud verbum, *exivi*, idem

a Cyril. lib. II *in Joan.* cap. iii. Ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν ἐκ τῆς ἰδίας ἐξέλαμψε φύσεως, ὡς ἐκ φωτὸς ἀπαύγασμα, κατὰ τὸν ἄφραστον, καὶ ἀνεξήγητον τῆς θείας γεννήσεως τρόπον. ὃ δὴ καὶ αὐτὸς ἡμῖν διεσάφησε, λέγων ὁ μονογενής· ἐγω ἐκ τοῦ πατρὸς ἐξῆλθον, καὶ ἥκω. ἐξελήλυθε γὰρ ἐκ τοῦ πατρὸς εἰς ἰδίαν ὕπαρξιν ὁ υἱὸς, εἰ καὶ ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν ἐστί. καὶ ὃ παρ' ἡμῖν ἐν ἐκείνῳ τὸ ἐξελθεῖν σημαίνει, τοῦτο πάλιν ἐνταῦθα τὸ ἀπεστάλθαι δηλοῖ.

b Cyril. lib. IV *in Joan.* Ἰστέον δὲ ὅτι διὰ τοῦ πάλιν ἀπεστάλθαι λέγειν, οὐκ ἐν δευτέροις τῆς τοῦ πατρὸς ἀξίας ἑαυτόν ὄντα δεικνύει. οὐδὲ γὰρ δουλοπρεπῆ νοητέον τὴν ἀποστολὴν, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα τὴν τοῦ δούλου μορφὴν ἠμφιεσμένος ἀνεγκλήτως ἂν λέγει καὶ ταῦτα περὶ ἑαυτου· ἀπεστάλη δὲ οὕτως ὡς λόγος ἐκ νοῦς ὡς ἀπαύγασμα τὸ ἡλιακὸν ἐξ αὐτοῦ.

c Cyril. lib. IX *in Joan.* Ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθε, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας ἐγεννήθη τοῦ πατρὸς. καὶ πρὸς θεὸν ὑπάγει, τουτέστιν πάλιν ἀνίησιν εἰς οὐρανοὺς, συνεδρεύων δηλονότι τῷ ἰδίῳ γεννήτορι.

1 *Joan.* vii, 16. — 2 *Joan.* xiii. — 3 Lib. II *in Joan.* cap. ix.

est, ac factus sum homo similis vestri, nempe vestram formam, naturamque subiens. Est enim loci instar unicuique rei suapte natura, ex qua exit quodammodo, qui in aliud quippiam transmigrat, et fit id, quod antea non erat[a]. » Eodem fere modo, et in duodecimo *Thesauri*, postremo capite idipsum explicat. Chrysostomus[1] quoque tritum illud, et ab Arianis objici solitum refellens, non ejusdem esse naturæ eum, qui mittit, cum eo, qui mittitur; missionis rationem hanc affert, ut principium, et id, quod est a principio, significet, atque ita Sabellii vitetur error. Quibus verbis missionem indicat externam illam esse processionem a Patre, ceu principio.

Citat et Gregorii papæ locum Emmanuel Calecas ex homilia sexta et vicesima (quem quidem Gregorium *Dialogum* nominat), ubi duplicem perinde missionis significationem aperit : « Itaque recte dicitur, inquit, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, id est, ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. Quamvis mitti, etiam juxta naturam divinitatis possit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. Si enim mitti, incarnari solummodo deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est. Sed ejus missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, et Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit; ita et Filius non incongrue mitti dicitur, quia generatur. »

Ex quibus concludit Calecas[b], missionem ipsammet esse sempiternam processionem personæ unius ex altera. Unde cum Spiritus sanctus a Filio mitti dicitur, illius origo monstratur. Neque enim processiones duæ intelligendæ sunt Spiritus sancti, sed unica tantum, et æterna; de qua re postea.

IV. Verum quidam ex adverso missionis nomen ad solam, quæ in tempore fit, externi operis effectionem restringere videntur. Certe Chrysostomus in homilia illa nona et tricesima, quam citavimus, postquam dixit, Christum ideo se a Patre missum profiteri, ut hujus personam a sua distingueret, ac Sabellii errorem excluderet, et ut principium ab eo, quod ortum est a principio, discerni monstraret; istud ipsum mittendi vocabulum infimum aliquid, et humile significare ait, quod ex sese Deo minus convenit. « Siquidem mitti transitum indicat. Deus autem adest ubique. Cur igitur missum se esse dicit? Nimirum crassiora quædam usurpat, ut suam cum Patre concordiam demonstret[c]. » Alii missionem ad solam externi operis effectionem restringunt.

Quamobrem missionem proprie eo solo, quod in tempore fit, et humanæ conditionis est, definire videtur Chrysostomus, uti cætera, in quibus summissum aliquid, et humile sibi Christus attribuit, ut cum obsequi se Patri, et ex ejus voluntate pendere ait. Quo genere loquendi personam Patris secernit ab sua, hoc est, principium ab eo quod oritur a principio. Neque tamen propterea puto Chrysostomum missionis propriam præcisamque rationem in sempiterna illa processione Filii a Patre collocasse, vel in illius inclusisse notionem, et essentiam; sicut Patri, tanquam principio suo honorem tribuere, eique parere Christum, non est ab illo gigni, et æterna illa nativitate prodire; tametsi personarum discrimen indicat, et ad convincendum Sabellium pertinet.

Quod ipsum et de Gregorii Nazianzeni loco illo suspicor, qui est in orat. tricesima octava; ubi similiter, ac Chrysostomus, infima illa, et abjecta, quæ de se Christus loquitur, excusat : « Missus quidem est, ait, sed ut homo. Nam duplex erat. Siquidem et fatigatus est, et fame ac siti laboravit, et angore est affectus, et lacrymas fudit, ut lex corporis ferebat. Quod si etiam ut Deus, quid tum ? Beneplacitum Patris missionem esse existima, ad quem, quæ sua sunt, refert; tum ut principio temporis

a Cyril. II *in Joan.* Τὸ δὲ ἐξῆλθον παρὰ θεοῦ, ἐνταῦθα δὴ πάλιν οἰησόμεθα, ἢ ὅτι γεγέννημαι, καὶ ἐξέλαμψα, τῆς οὐσίας αὐτοῦ κατὰ πρόοδον τὴν πρὸς τὸ εἶναι μὲν, καὶ νοεῖσθαι τυχὸν ἰδιοσυστάτως, οὐ μὴν εἰς ἅπαν διῃρημένος, ἔστι γὰρ ἐν υἱῷ μὲν ὁ πατὴρ, ἐν πατρὶ δὲ οὖν πάλιν κατὰ φύσιν ὁ υἱός. ἢ τὸ ἐξῆλθον· ἀντὶ τοῦ γέγονα καθ' ὑμᾶς ἄνθρωπος, δηλονότι τὴν ὑμετέραν μορφήν τε, καὶ φύσιν ὑποδύς. τόπος γὰρ ὥσπερ ἑκάστου τῶν ὄντων ἡ ἰδία φύσις, ἀφ' ἧς ἂν ἐξίοι πρὸς ἕτερόν τι μεταχωρῶν, καὶ ὅπερ οὐκ ἦν γενόμενος.

b Calec. Τὸ γὰρ πέμπεσθαι, καὶ ἀποστέλλεσθαι τοῦτο σημαίνει ἐπὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ, ὅπερ καὶ τὸ γεννῆσθαι, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχειν τὸ εἶναι.

c Chrysost. Τὸ γὰρ πέμπεσθαι μεταβάσεώς ἐστιν· ὁ δὲ θεὸς πανταχοῦ πάρεστι. τίνος οὖν ἕνεκέν φησιν ἀπεστάλθαι; παχύτερα λέγει, τὴν πρὸς τὸν πατέρα ὁμόνοιαν δηλῶν.

1 Hom. XIX *in Joan.*

experti honorem habeat, tum ne Dei adversarius esse videatur[a]. » Non hic Gregorium arbitror beneplacitum illud Patris, ac voluntatem ad missionis proprietatem referri voluisse, multoque minus æternam generationem immiscuisse, quæ diversæ notionis est ab illo beneplacito. Itaque missionem sola carnis assumptione circumscripsit; quod plenius in Nicetæ commentario declaratur, e quo postrema tantum ista describam : « Illam, inquit, cum homine unionem, cum qua invisibilis natura per partem visibilem cognosci poterat, missionem nominavit. Neque enim Deus humano more locos subinde mutat; quippe qui cœlum, et terram impleat; verum carnalis præsentia, et submissio illa, qua ex incorporea magnificentia ad corporis vilitatem sese dejecit, missio nominata est. » Subinde tamen idem missionem dupliciter, itidem ut superiores illi, sic explicat : « Atque ut etiam hoc demus, eum ut Deum missum esse, non tamen hinc eum Patre inferiorem esse colligitur. Nam quatenus Patri Filium incarnari placuit, hactenus eum misisse dicitur; atque etiam eodem modo quo solem radium suum misisse dicimus. » Gregorius item Nyssenus sola ad humanam imbecillitatem demissione Filii missionem definit, eodem quo Chrysostomus, ac Nicetas, usus argumento, quod Deus per se mitti nequeat, hoc est loco moveri; tanquam id cum missionis natura conjunctum sit. « Dictum est igitur, inquit, *Qui misit me, major me est*. Igitur videamus, a quo hæc verba proferantur. Quomodo missus est? an forma Dei præditus, an accepta servi forma? In plena Divinitate manens, an cum seipsum in forma servili exinanivisset? Nam omnino perspicuum esse puto, divinam potentiam, et naturam, cum ubique sit, et omnia pervadat, et res universas amplexa sit, mitti haud recte dici. Non enim extra eam aliquid vacuum, et inane est, quo cum prius ibi non esset, posteaquam missa fuerit, accedat. Sed cum vi sua conservatrice res universas coerceat, et contineat, non habet quo transeat, cum ipsa sit rerum universitatis plenitudo. Descensus igitur Filii Dei ad nostram humilitatem et imbecillitatem, qui voluntate Patris accidit, missio dicitur. Nam ab immortali natura ad nostram vitam migratio, non de loco ad locum motum Dei significat, sed ab altitudine gloriæ ad humilitatem carnis descensum indicat[b]. » Sic Athanasius Verbi missionem incarnationem esse dicit, qua minime aspectabilis Deus per aspectabilem creaturam apparuit. Non enim Deus loco movetur instar nostri, qui locis definimur[c]. De incarnatione quoque Cyrillus in duodecimo *Thesauri* accipit; de quo paulo post. Basilius libro V *contra Eunomium*, missionem Spiritus sancti « exitum ad opus interpretatur, non de loco in locum migrationem[d]. »

V. His omnibus Augustinus accedit non uno in loco. Velut tractatu *in Joannem* sexto et vicesimo : « Missio ejus exinanitio suimetipsius est, et formæ servilis acceptio; quod recte intelligitur servata etiam Filii cum Patre æqualitate naturæ. » Et alibi [1], « Ergo Domine Deus noster Jesu Christe, missio tua incarnatio tua est. » Tum, « Quod ergo dicitur missus venisse ad nos, incarnatio ipsius commendatur, quia Pater non est incarnatus. » Item, « Ergo intellige missionem Filii nominatam incarnationem Filii; Patrem autem incarna-

a Naziánz. orat. XXXVIII. Ἀπεστάλη μὲν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος. διπλοῦς γὰρ ἦν. ἐπεὶ καὶ ἐκοπίασε, καὶ ἐπείνησε, καὶ ἐδίψησε, καὶ ἠγωνίασε, καὶ ἐδάκρυσε, νόμῳ σώματος. εἰ δὲ καὶ ὡς Θεὸς, τί τοῦτο; τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς ἀποστολὴν εἶναι νόμισον, ἐφ' ὃν ἀναφέρει τὰ ἑαυτοῦ, καὶ ὡς ἀρχὴν τιμῶν ἄχρονον, καὶ τοῦ μὴ δοκεῖν εἶναι ἀντίθεος.

b Greg. Nyssen. lib. *de Deit. Fil. et Sp. sancti*. Εἴρηται τοίνυν, ὅτι ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστίν. οὐκοῦν σκοπήσωμεν παρὰ τίνος ὁ λόγος. πῶς ἐπέμφθη ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, ἢ μορφὴν δούλου λαβών; ἐν τῷ πληρώματι ὢν τῆς θεότητος, ἢ κενώσας ἑαυτὸν ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ; πάντη γὰρ οἶμαι πρόδηλον εἶναι, ὅτι ἡ θεία δύναμις τε, καὶ φύσις πανταχοῦ οὖσα, καὶ διὰ πάντων διήκουσα, καὶ τοῦ παντὸς περιδεδραγμένη, οὐκ ἂν εἰκότως πέμπεσθαι λέγοιτο. οὐ γὰρ ἐστί τι κενὸν ἔξω ταύτης, ἐν ᾧ πρότερον μὴ οὖσα, ὅταν πεμφθῇ, παραγένηται· ἀλλὰ τῇ συντηρητικῇ δυνάμει, διακρατοῦσα τὸ πᾶν, οὐκ ἔχει εἰς ὃ μεταχωρήσει, αὐτὴ τοῦ παντὸς οὖσα πλήρωμα. ἡ τοίνυν πρὸς τὸ ἡμέτερον ταπεινόν τε, καὶ ἀσθενὲς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ κάθοδος, κατὰ γνώμην τοῦ πατρὸς γεγενημένη, ἀποστολὴ λέγεται.. ἡ γὰρ ἐκ τῆς ἀκηράτου φύσεως πρὸς τὴν ἡμετέραν ζωὴν μετάστασις οὐ τοπικὴν ποιεῖται τοῦ κυρίου τὴν κίνησιν· ἀλλὰ τὴν ἀπὸ τοῦ ὕψους τῆς δόξης πρὸς τὸ ταπεινὸν τῆς σαρκὸς ἐνδείκνυται κάθοδον.

c Athan. in fine orat. V. Τὴν γὰρ πρὸς τὸν ἄνθρωπον ἕνωσιν σὺν ᾧ γνωρισθῆναι ἀνθρώποις ἦν δυνατὸν τὴν ἀόρατον φύσιν διὰ τῆς ὁρωμένης, ἀποστολὴν ὠνόμασεν. οὐ γὰρ δὴ Θεὸς τόπον ἀμείβει καθ' ἡμᾶς τοὺς ἐν τόποις κρυπτομένους, etc.

d Basil. V *contra Eun*. Ἀποστολὴν δὲ καλεῖ τὴν πρὸς τὸ ἔργον αὐτοῦ συγκατάβασιν, οὐ τὴν ἐκ τόπου εἰς τόπον μετάβασιν.

1 Tract. XXXVI.

tum esse non credas. » Rursus alio in loco[1], « Christus enim, in quantum hominem suscepit, missus dicitur; in quantum Deus est, æqualis est Patri. Nam quo eum Pater mitteret, ubi ipse cum Filio non esset? aut quo Filius venisset, ubi non simul cum Patre esset? » etc. Sed clarius istud ipsum, et uberius in secundo *de Trinitate*[2], ubi Arianorum objecta refellens aientium « majorem esse, qui mittit, quam qui mittitur, » primum respondet, eo mitti Filium, ubi jam erat, similiterque Spiritum, quoniam ubique ambo sunt. Deinde quid ea missio sit, explicat : « Si ergo missus dicitur, inquit, inquantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est; jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto, cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, etc. Hæc operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est. » Tum in quarto *de Trinitate*[3], « Non ergo eo ipso, quo de Patre natus est, missus dicitur Filius; sed vel eo, quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dicit, *Exivi a Patre;* vel eo, quod ex tempore cujusquam mente percipitur. » Sic Ambrosius in quinto *de Fide*[4] : « Ideo missum intelligere debemus, quod ex illo incomprehensibili, inenarrabilique secreto majestatis profundæ dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nostris Dei Verbum, non solum cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in nobis. » Vide et librum ejusdem secundum, capite quarto. Uberrime quoque de personarum missione ad eamdem sententiam disserit Fulgentius; cujus hic verba describam ex secundo *ad Monimum*[5] : « A Patre ergo, et a Spiritu missus est Filius, et a Patre, et Filio missus est Spiritus. Verumtamen nec Filii, nec Spiritus sancti missionem localiter factam quisquam debet christianus accipere; sed illo missionis nomine, opus intelligamus manifestationis indultæ. Sic enim non localiter missus est Filius, nec localiter mittitur Spiritus sanctus, sicut nec ipsius Patris est quoque localis adventus. » Ac subinde missionem Spiritus sancti « nostræ esse ait sanctificationis effectum. » Tum in libro *de Trinitate* de ejusdem missione Spiritus sancti, « Missus, inquit, in eo, quod super Christum in columbæ specie venerit in flumine; quod supra apostolos venerit in igne. Ipsa quippe apparitio missio est. Nam ubi mittitur, qui ubique est? » Et paulo post : « Quomodo Filium credimus missum secundum hominem, ita missum Spiritum sanctum propter columbam, vel ignem. »

VI. Sed audiendus iterum Chrysostomus, qui de ea re fusius explicat in homilia quadam *de Spiritu sancto* : « Quod si audias dicentem : *Mittam vobis Spiritum sanctum;* cave, id secundum divinitatem accipias. Deus enim non mittitur. Nomina ista sunt, quæ efficientiam significant; nomina occulta simul, et splendentia; occulta dignitate, splendentia contemplatione. Exempli causa, quicumque mittit, in ea loca mittit, ubi non adest ipse[a] *, » etc. Atque ubi pluribus id in Filio, ac Spiritu sancto declaravit, qui, cum ubique sint, aliquo mitti nequeunt, demum nominatim de Spiritu sancto ait, non ipsum mitti secundum substantiam, ac divinitatem suam, sed dona duntaxat, et charismata mitti; quem locum postea referemus[6]. Cæterum homilia ista, unde locus ille sumptus est, etsi inter Chrysostomi germanas recensetur ab editore Anglo, mihi tamen alterius videtur, quam Chrysostomi; cujus rei conjecturam e stylo, et dicendi charactere certam fecisse mihi videor, qui est dissimillimus; et Severiani potius, aut alterius cujuspiam dictionem redolet.

Altera est homilia Chrysostomo inscripta, sed inter dubias merito ab Savilio rejecta : in qua perinde missio ab divina substantia repellitur, et in humanam naturam refunditur in Christo. Sic enim explicat, quod ab hæretico fuerat objectum; eum, qui mittitur, non ei

a Chrys. Εὰν δὲ ἀκούσῃς λέγοντος· ἀποστελῶ ὑμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, μὴ κατὰ τὴν θεότητα ἐκλάβῃς· θεὸς γὰρ οὐκ ἀποστέλλεται. ὀνόματά ἐστι ταῦτα τὴν ἐνέργειαν σημαίνοντα, ὀνόματα, κρυπτόμενα, καὶ λάμποντα· κρυπτόμενα τῇ ἀξίᾳ, λάμποντα τῇ θεωρίᾳ. οἷον πᾶς ἀποστέλλων εἰς ἐκείνους ἀποστέλλει τόπους, ἐν οἷς μὴ πάρεστιν.

* Hanc homiliam inter germana sancti Chrysostomi opera recensuit Photius. Sed male judicio omnium criticorum qui doctissimo Petavio adstipulantur. Savilius, Fronto Ducæus, Benedictini, eam ut spuriam habent. « Tanta est styli diversitas, ait doctus Montfaucon, ut Fronto Ducæus eam jure inter spuria ablegaverit. Hic enim orator totus strigosus est, coarctoque genere dicendi utitur, ut nullus mihi unquam visus sit Chrysostomo absimilior. » Habet tamen hæc homilia plura scitu utilia, illiusque auctor non multum ætate Chrysostomo inferior est. J.-B. F.

1 Tract. II *de Cant. novo,* cap. VII. — 2 Cap. V. — 3 Cap. XX. — 4 Cap. III. — 5 Cap. VI. — 6 Cap. sequenti.

parem esse, qui mittit : ut non Deus ipse mittatur, qui ubique est, nec locum mutat, sed humana ipsa natura, vel externa species apparentis Dei missio nominetur. « Quid igitur, inquit, sibi vult hæc locutio, missus est? Idem, ac visus est; idem, ac per carnem resplenduit. Missio enim non migrationem a loco in locum significat, sed progressum ex minime aspectabili divinitate in aspectabilem[a]. » Sic et Gelasius Cyzicenus in actis Nicænis missionem Christi incarnationem exponit[1]. Alcuinus item eo ipso missum ait Filium[2], « quo factus est ex muliere; » in quo a Fulgentio non abludit, qui missionem *opus* esse ait *manifestationis indultæ*. Et Isidorus Hispalensis in septimo *Originum*. Et ante hos Idatius *contra Varimadum :* « Cernisne, inquit, quoniam Filius non secundum deitatem a Patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer et pie pro nobis adsumere non dedignatus est? » Hanc posteriorem missionis interpretationem Græci recentiores libenter amplexi sunt : ut cum Spiritus sanctus mitti dicitur, non ipsa ejus substantia, sed dona duntaxat, et charismata mittantur : quod ἀνούσιον χάρισμα, *donum sine substantia* vocat Calecas[3], qui et opinionem istam refellit, ut et Joannes Beccus : de qua peculiaris erit a nobis instituenda disputatio. Hoc autem modo eludi a se Græci putant Latinorum illud argumentum, quo procedere Spiritum sanctum a Filio ex eo colligunt, quod ab ipso mittatur.

Missio æternam processionem et temporalem efficientiam complectitur.

VII. Nobis constat veram, ac propriam missionis rationem, quam hic investigare volumus, neque solam esse sempiternam, intimamque processionem unius ex altera personæ : neque solam efficientiam externam, quæ uni illi, quæ mitti dicitur, personæ tribuitur, sed ambo illa consentire ac concurrere : quod eo potissimum argumento conficitur. Etenim missio proprie sumpta inter duos versatur. Nemo enim a seipso mitti dicitur, nisi abusione quadam vocis : quod et Basilius scripsit in quinto *adversus Eunomium* de missione Spiritus sancti loquens, ut supra diximus. Idque ex eo patet, quod ex missione probant veteres Patres discrimen inter se personarum, ut ex Gaudentio capitis initio demonstravimus. Ac cum varia de Scripturis loca contra Sabellianorum hæresim ab antiquis collecta sint : nullus expressior est ad personarum adstruendam diversitatem, quam ubi mitti aliqua dicitur. Plures enim oportet esse, nec aliud communis fert hominum usus ac sensus, unde translata in Deum ista sunt nomina, quam alterum esse, qui mittit, alterum, qui mittitur. Jam vero soli Filius, ac Spiritus sanctus in sacris libris missi esse dicuntur : « Pater nusquam legitur missus, » ait Augustinus[4]. Atqui non minus Pater, quam Spiritus sanctus, aut etiam Filius ante susceptum hominem, externa temporalique specie identidem apparuit, ut postea ex eodem Augustino, aliisque monstrabitur : cujus rei nulla ne fingi quidem alia potest ratio, nisi ista, quam Augustinus sæpe repetit, quod neminem habet a quo procedat. Cum enim mitti Filium, vel Spiritum sanctum spirituali, nec aspectabili missione docuisset Augustinus[5], de Patre sic scribit : « Pater cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat. » Et mox, « Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est, ita Pater misit, Filius missus est. » Item : « Sicut natum esse, est Filio a Patre esse; ita mitti, est Filio cognosci, quod ab illo sit. » Atque in fine libri ejusdem quarti, « absurdissime aut a Filio, quem genuit, aut a Spiritu sancto, qui de illo procedit, missum dici » Patrem asserit; etsi « per subjectam creaturam visibiliter apparere velit. » Tum alio in loco[6] : « Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat. Et ideo non propter naturæ diversitatem, quæ in Trinitate nulla est, sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem. » Sic Alcuinus Augustini assectator[7], Patrem solum nusquam legi missum asserit. Sed ejus rei rationem reddit haud satis idoneam : « Ideo, inquit[8], Pater missus non legitur, quia incarnatus non creditur : » quasi non aliter mitti dicatur; aut incarnatus sit Spiritus sanctus, qui utique mittitur.

VIII. Igitur origo, et processio ad hoc necessaria est, ut mitti persona aliqua dicatur tum, cum efficientia quapiam agnoscitur, quæ ei peculiaris adscribitur. « Non enim genitorem ab eo, quem genuit, sed genitum a geni-

a Chrys. Τί οὖν βούλεται τὸ ἀπεστάλη; ἀντὶ τοῦ ὤφθη· ἀντὶ τοῦ, διὰ σαρκὸς ἔλαμψεν. ἡ γὰρ ἀποστολὴ οὐ τὴν ἀπὸ τόπων εἰς τόπους μετάβασιν σημαίνει· ἀλλὰ τὴν ἐκ τῆς ἀοράτου θεότητος εἰς ἐμφανῆ παρουσίαν.

1 Par. II, c. XXIV. — 2 Lib. III *de Trin.* c. IV. — 3 Cap. XX in fine. — 4 Lib. II *de Trin.* c. V. — 5 Lib. IV *de Trin.* c. XX. — 6 Lib. *cont. Serm. Arian.* cap. IV. — 7 Lib. III *de Trinit.* cap. IV. — 8 Cap. VI.

tore mitti oportebat; verum hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ, non quod alter prior esset altero; sed quod alter esset ex altero, »ut Augustini[1] verbis rursum loquar. Ac missio quidem in eo, qui mittit, ἀξίωμα, id est *dignitatem*, sive *auctoritatem* inesse testatur; ut Gregorius Nazianzenus indicat, qui de Spiritu sancto dixisse Christum observat, *Ego mittam eum*[2], et, *Veniet*[3]: «quorum priore auctoritatem suam ostendit, posteriore vero Spiritus potestatem[a]. » Hoc illud est ἀξίωμα, quo Patrem Filio, et Spiritu sancto priorem esse, et ex iis hunc illo posteriorem, ac tertium a Patre, Basilius affirmat in eo loco, quem supra diligenter exposuimus. Nam Filium ideo auctoritate secundum esse ait a Patre, « quoniam principium, et causa, ut sit, Pater ipsi est[b]. » Quam auctoritatem, dignitatemve nihil aliud esse, quam principii notionem, et originis, quod fides catholica tradit, suo loco demonstravimus. Quare cum missio hanc ipsam auctoritatem exprimat, ad illius rationem æterna processio pertinere debet. Sic etiam Hilarius in octavo libro, « Qui mittit, inquit, potestatem suam in eo, quod mittit, ostendit. » Ecquam vero potestatem habet in Spiritum sanctum Filius, nisi hanc, quam dixi, originis auctoritatem? Præclare, ut omnia, veram proprieque dictam missionem duabus illis confectam partibus, æterna scilicet processione, et temporali efficientia, declarat Fulgentius in fragmento libri octavi *contra Fabianum*[4]; cujus verba præterire non possum : « Filius est igitur, inquit, a Patre missus, non Pater a Filio, quia Filius est a Patre natus, non Pater a Filio. Similiter etiam Spiritus sanctus a Patre, et Filio legitur missus, qui a Patre, Filioque procedit. Sed quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in sacramento Incarnationis non solum a Patre, verum etiam a Spiritu sancto missus est Filius; quia mediator Dei et hominum homo Christus Jesus totius est Trinitatis operatione plasmatus. Alio autem modo mittitur a Patre, et Filio Spiritus sanctus, qui naturaliter a Patre, Filioque procedit. Mittitur enim a Patre, et Filio Spiritus sanctus, cum ab ipsa Trinitate uno Deo gratiæ spiritualis donatur effectus. » Hæc ille; in quibus plurima sunt observatione digna, de quibus paulo post.

IX. Nunc illud ipsum, quod agitur, ex iis efficimus, duo in missionem proprie dictam concurrere; alterum, sempiternam processionem personæ, quæ mittitur; alterum externam aliquam efficientiam, sive sub sensus incidat, ut cum, homine suscepto, Verbum hominibus apparuit, aut sub columbæ specie Spiritus sanctus; sive interius sit, nec aspectabile quod agitur, ut cum Spiritus sanctus ad fidelium quemque demittitur. Cæterum produci unam personam ab altera necesse esse, ut ab ea mitti proprie dicatur, ex ea missione, quæ minus proprie usurpatur, ostendi potest. Nam Filius, cum carnem assumpsit, ideo non a Patre solum, sed etiam a Spiritu sancto missus esse dicitur; quod hic una cum Patre externum illud opus elaboravit, cujus nisi efficiens causa fuisset, missus a Spiritu sancto non diceretur Filius.

Filius interdum a Patre et Spiritu sancto missus dicitur.

Augustinus[5] item missionem ex utroque conflari non obscure demonstrat, cum illius rationem explicat. Docet enim, non sic intelligendam esse missionem, tanquam « verbum temporale a Patre factum sit, ut æternus Filius mitteretur, et in carne appareret ex tempore. Sed utique in ipso Dei Verbo, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat, in ipsa scilicet sapientia Dei sine tempore erat, quo tempore illum in carne apparere oporteret. Itaque cum sine ullo initio temporis in principio esset Verbum, et Verbum esset apud Deum, et Deus esset Verbum, sine ullo tempore in ipso Verbo erat, quo tempore Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. Quæ plenitudo temporum cum venisset, misit Deus Filium suum factum ex muliere, id est, factum in tempore, ut incarnatum Verbum hominibus appareret, quod in ipso Verbo sine tempore erat, in quo tempore fieret. Ordo quippe temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est. Cum itaque hoc a Patre, et Filio factum esset, ut in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus ille, qui in ea carne apparuit; misisse autem ille, qui in illa non apparuit. Quoniam illa, quæ coram corporeis oculis foris geruntur, ab interiore apparatu naturæ spiritualis existunt; propterea convenienter

a Greg. Nazianz. orat. xxxvii. Εἶτα πέμψω, τὸ οἰκεῖον ἀξίωμα· εἶτα ἔξει, ἡ τοῦ πνεύματος ἐξουσία.

b Basil. III *contra Eunom.* Ὡς γὰρ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς, ὅτι ἀπ' ἐκείνου· καὶ ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ, καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτῷ ὁ πατήρ.

1 Libr. III *contra. Maxim. Arian.* cap. xiv. — 2 *Joan.* xvi, 7. — 3 *Joan.* xvi, 7 et 13. — 4 In Collect. Theodul. — 5 Lib. II *de Trinit.* cap. v.

missa dicuntur. » Hæc Augustinus; cujus postrema verba declarant missionem ex duobus illis coalescere, altero æterno, altero temporali. Mox vero idem et de Spiritus sancti missione tradit : « Si ergo missus, ait, dicitur, in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spirituali oculis mortalium semper occultus est, jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu sancto, cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, sive cum in ipsum Dominum corporali specie velut columba descendit : etc. Hæc operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus : missio Spiritus sancti dicta est. »

Vera missionis notio.

X. Quamobrem missio nihil aliud est, quam æterna productio, communicatioque naturæ, in qua illud est, ut in tempore opus aliquod externum appareat; sicut Patrem docere Filium « est doctum, et scientem genuisse; » ut auctor *Breviarii Fidei adversus Arianos* scribit; « et judicium dare Filio, est judicem ipsum gignere[a], » ut ait Chrysostomus. Sic mitti a Patre Filium, est gigni naturam hominis assumpturum, et suo tempore assumentem. Mitti Spiritum sanctum, est procedere, externum opus aliquod efficientem. Quo sensu intelligendum illud est, quod Beda scripsit[1] : « Cum Spiritus gratia datur hominibus, profecto Spiritus mittitur a Patre, mittitur et a Filio : procedit a Patre, procedit et a Filio, quia et ejus missio ipsa processio est, quia ex Patre procedit, et Filio. » Non enim cogitandum est, duas ac separatas esse processiones utriusque personæ, Filii, ac Spiritus sancti, quarum una sit æterna, altera temporalis, quod in Spiritu sancto erudite demonstrat Manuel Calecas, ac missionis rationem præclare explicat, ut illius verba propterea hic adscribi necesse sit. « Ex quo, inquit, appareat, non esse duas processiones Spiritus sancti, alteram expertem temporis, alteram in tempore. Primum quia nemo sanctorum hoc dixit unquam. Deinde, quod, eo concesso, absurda plurima nascentur. Verum una quidem est processio, eaque sempiterna, secundum quam ex Patre per Filium Spiritus sanctus procedit. Cum autem creaturæ exstiterint, aut idoneæ visæ fuerint ad processionis ejusmodi cognitionem, illustrationemve; dicitur ipsis procedere, et elucere, et profundi, et dari per Filium. Et tunc quod per se est æternum, illis in tempore contigit. Nam illa quidem processio unica est omnino, ac semper. Nunquam enim Deo novum aliquid advenit, propter summam ejus simplicitatem ac perfectionem. Creaturis vero eadem, et temporalis videtur, et dicitur, non ita, ut temporalis illi conditio, sed iis solis addatur, qui eam in tempore cognoscunt, aut recipiunt. Unde si id, a quo est, spectetur, unica est; sin id, in quod pervenit, duæ. Etenim singulariter a Patre per Filium procedit Spiritus sanctus; ita tamen, ut in propriam hypostasim ex patre procedens per Filium tanquam ex uno principio, secundum unam et simplicem ipsius processionem progredi dicatur. Adjuncta vero creatura, in quam sanctificandam procedere dicitur; tunc ille a Patre per Filium procedens, et a Patre per Filium missus, et suppeditatus, et allegatus intelligitur. Ac tota illa de Patre per Filium processio Spiritus sancti in creaturam, missio nominatur, quæ in tempore fit, ob creaturam, quæ in tempore fit particeps; adeo ut ista ipsa temporalis conditio nobis, non Deo tribuatur. Atque una quidem est, sed ratione differt. Non enim, quia in tempore accipimus, affectionem nostram in Deum transferentes, temporale quippiam illud fas est dicere; neque quoniam cæcus, recuperato nunc visu, radiis frui cœpit, ideo radius e sole, vel lumen prodire modo incœpit. Perspicuum enim est, etiam, antequam homo visum reciperet, lucem et radium eodem in sole modo sese habuisse, itidemque radium ad oculos appulisse[b]. » Hæc Calecas, cui Basilius suffragatur, dum ait,

a Chrys. homil. LIX *in Joan.* Ὅυτω καὶ τὸ, ἔδωκε κρίσιν, κριτὴν αὐτόν ἐστιν ἐγέννησε.

b Calec. cap. V. Ἐξ οὗ καὶ δῆλον, μὴ εἶναι δύο προόδους τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὴν μὲν ἄχρονον, τὴν δὲ ἔγχρονον. πρῶτον μὲν ὅτι οὐδεὶς τῶν ἁγίων τοῦτ' εἶπεν, ἔπειτα ὅτι καὶ δοθέντος πολλὰ, τὰ ἄτοπα ἀνακύψει ἀλλὰ μία μέν ἐστιν ἡ πρόοδος, καὶ ἀΐδιος, καθ' ἣν ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται· τῶν δὲ κτισμάτων γενομένων, ἢ φανέντων. ἐπιτηδείων πρὸς τὴν τῆς τοιαύτης προόδου ἐπίγνωσιν, ἢ ἔλλαμψιν, λέγεται ὅτι καὶ αὐτοῖς πρόεισι, καὶ ἐκλάμπει, καὶ προχεῖται, καὶ δίδοται, διὰ τοῦ υἱοῦ. καὶ τηνικαῦτα τὸ ἀΐδιον καθ' αὑτὸ κατὰ χρόνον ἐκείνοις συνέβη. ἡ μὲν γάρ μία πάντη, καὶ ἀεί· οὐδέ ποτε γάρ τι τῷ θεῷ νέον ἐπιγίνεται διὰ τὴν ἄκραν ἁπλότητα καὶ τελειότητα. τοῖς δὲ, ἡ αὐτὴ καὶ χρονικὴ φαίνεται, καὶ λέγεται, οὐκ ἐκείνη τοῦ χρονικοῦ προστιθεμένου, ἀλλὰ τοῖς κατὰ χρόνον ἐπιγνοῦσιν, ἢ δεξαμένοις, ὥστε κατὰ μὲν τὸ ἀφ' οὗ, μία· κατὰ δὲ τὸ εἰς ὃ, δύο. μοναχῶς μὲν γὰρ παρὰ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ πρόεισι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· πλὴν εἰς μὲν τὴν ἰδίαν

1 Beda, hom. Dom. I post Asc.; citatur et ab Abæl et Hugone locis cit.

« non in tempore procedere, quod ex Deo procedit, tametsi efficientias suas in tempore explicet [a]. »

XI. Quin et Græci complures Patres processionem Spiritus sancti, id est ἐκπόρευσιν, nonnunquam *emissionem*, hoc est ἔκπεμψιν appellant, ut Gregorius Thaumaturgus in *Fidei professione*, quæ κατὰ μέρος dicitur, quanquam germana illius non videtur; et Gregorius alter Nazianzenus in oratione *ad Heronem philosophum*, ubi propriam Spiritus sancti notionem ἔκπεμψιν esse definit. Præter hos duos, qui a Caleca [1], et Demetrio [2] citantur, alios Joannes Beccus adducit [3], qui ἐκπέμπεσθαι, ac similia vocabula de οὐσιώδει productione sancti Spiritus usurparunt. Ex quo sequitur, actionem ipsam, vel snbstantiam, ut ita dicam, missionis non in tempore fieri, sed ex æterno; quamvis non absoluta, completaque ratio missionis illius, quam quærimus, existat, antequam externum aliquid in tempore factum fuerit. De quo legendus Hugo Etherianus libro tertio *contra Græcos*, capite XVIII et Bessario in libro *Dogmatico*, necnon Gennadius capite I libri *contra Græcos*. Hinc Augustinus [4] missionem Filii non sic tantummodo intelligendam esse dicit, ut homo missus sit, sed ut Verbum etiam, ac Deus sit missus. « Secundum hoc, inquit, jam potest intelligi, non tantum ideo dici missus Filius, quia Verbum caro factum est; sed ideo missus, ut Verbum caro fieret et per præsentiam corporalem illa, quæ scripta sunt, operaretur; id est, ut non tantum homo missus intelligatur, quod Verbum caro factum est, sed et Verbum missum ut homo fieret: quia non secundum imparem potestatem, vel substantiam, vel aliquid, quod Deo Patri non sit æquale, missus est; sed secundum id, quod Filius a Patre est, non Pater a Filio, Verbum enim Patris est Filius, quod et sapientia ejus dicitur. Quid ergo mirum, si mittitur, non quia inæqualis est Patri, sed quia est manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera? » Ac tum mitti in tempore dicitur, ut eodem loco declarat, quando a Patre esse Filius cognoscitur, hoc est, æterno aliquo signo perhibetur. Quod signum non ab ea sola persona fit, quæ mittere dicitur, sed a tota Trinitate. « Cum enim singillatim Pater, et Filius, et Spiritus sanctus aliqua operari dicuntur, omnia pariter tres personæ operantur, » ait Ambrosius [5]. Quia « nulla est creatura, qua vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus demonstretur, quam non simul Trinitas operetur, quæ inseparabiliter operatur; » quod scribit Augustinus in epistola centesima secunda; idque alio in loco [6] uberius explanat.

Per partes.

XII. Ac nonnunquam externa illa effectio sensibilis signi sola missionis nomen obtinere videtur; ut cum Filius non a Patre solum, sed etiam a Spiritu sancto missus esse legitur. Quanquam de Christo homine potest illud interpretari; ut quod apud Isaiam [7] de seipso Christus exponit, *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me; Evangelizare pauperibus misit me.* Hoc enim Christus cum legisset [8], ita Judæis locutus est, *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Quod de humana natura recte intelligi potest; tametsi de divinitate ipsa, hoc est, persona Filii, veteres aliqui sumpserunt, ut inter alios Ambrosius [9]: « Ergo, inquit, mirari possumus, si et prophetas, et apostolos Spiritus misit, cum Christus dixerit, *Spiritus Domini super me?* Ac subinde videri poterat, id de sola hominis intellexisse natura, cum ista subjicit: « Et bene super me dixit, quia quasi Filius hominis loquebatur. Quasi Filius enim hominis et unctus, et missus est ad Evangelium prædicandum. » Verum paulo post eumdem Christum, etiam qua Deus est, missum esse demonstrat, cum ex ea missione nihilo Filio

ὑποστασιν ἐκ τοῦ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευόμενον, ὡς ἐκ μιᾶς ἀρχῆς κατὰ τὴν, μίαν, καὶ ἁπλῆν αὐτοῦ πρόοδον, ἐκπορεύεσθαι λέγεται. προστεθείσης δὲ καὶ τῆς κτίσεως, εἰς ἣν ἁγιασθησομένην λέγεται προϊέναι, τηνικαῦτα τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἀποστελλόμενον, καὶ χορηγούμενον, καὶ πεμπόμενον νοεῖται. κἀκείνη ὅλη ἡ ὑπὸ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ πρόοδος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπὶ τὴν κτίσιν, καλεῖται ἀποστολὴ, ἐν χρόνῳ γινομένη διὰ τὴν κτίσιν τὴν ἐν χρόνῳ μετέχουσαν, τοῦ χρονικοῦ ἡμῖν, οὐ τῷ θεῷ προστιθεμένου. καὶ ἔστι μία μὲν, τῷ λόγῳ δὲ διαφέρουσα. οὐ γὰρ διότι χρονικῶς λαμβάνομεν, τὸ ἡμέτερον πάθος ἀνατιθέντας τῷ θεῷ, χρονικόν τι λέγειν ἐκεῖνο προσήκει. οὐδ' ὅτι ὁ τυφλὸς νῦν ἀνεβλέψας, τῆς ἀκτῖνος ἀπήλαυσε, διὰ τοῦτο καὶ ἡ ἀκτὶς ἐκ τοῦ ἡλίου, ἢ τὸ φῶς νῦν ἤρξατο προιέναι. δῆλον γὰρ ὡς καὶ πρὶν ἀναβλέψαι τὸν ἄνθρωπον, τῷ ἡλίῳ τὰ τοῦ φωτὸς, καὶ τῆς ἀπτῖνος ὡσαύτως εἶχε, καὶ ὡσαύτως ἡ ἀκτὶς προσέβαλε.

a Basil. IV *contra Eunom.* Ὀυκ ἐν χρόνῳ τὸ προϊὸν ἔκ τοῦ θεοῦ πρόεισι, κἂν ἐν χρόνῳ τὰς ἐνεργείας ἀποδιδῷ.

1 Cap. XV et XIX. — 2 Lib. *de Process. Spirit. sanc.* cap. X. — 3 Cap. VI. — 4 Lib. V *de Trinit.* cap. XX. — 5 Lib. *in Symb. Apost.* c. IX. — 6 Ser. XI *de Verbis Dom.* cap. XVI. — 7 Cap. LXI. — 8 *Luc.* IV. — 9 Lib. III *de Sp. sanc.* c. I.

inferiorem esse probat Spiritum sanctum. « Quem, ut audis, et Spiritus misit; ne cum legis, quia Filius Spiritum mittit, inferioris esse Spiritum crederes potestatis. Ergo Pater et Filium misit, et Spiritus. Spiritum quoque et Pater misit, et Filius, etc. Si ergo se invicem Filius, et Spiritus mittunt, sicut Pater mittit; non subjectionis injuria, sed communitas potestatis est. » Vide et librum secundum *de Fide*, cap. IV, et tractatum *in Symbolum*, capite VI.

Augustinus vero[1], non solum a Spiritu sancto mitti Filium asserit, sed etiam a seipso. Ac missum esse Filium a Spiritu ita demonstrat : « Proinde mitti a Patre sine Spiritu sancto non potuit; non solum quia intelligitur Pater, cum eum misit, id est, fecit ex femina, non utique sine Spiritu suo fecisse; verum etiam quod manifestissime, atque apertissime in Evangelio dicitur virgini Mariæ quærenti ab angelo, *Quomodo fiet illud*? *Spiritus sanctus superveniet in te*, *et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Et Mathæus dicit : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Quanquam et apud Esaiam prophetam ipse Christus intelligitur de adventu suo futuro dicere : *Et nunc Dominus misit me*, *et Spiritus ejus*. A seipso vero missum esse, subinde indicat; quemadmodum sanctificatus a Patre, et seipsum sanctificasse, habitus a Patre, et seipsum tradidisse legitur. Quapropter Pater invisibilis una cum Filio secum invisibili eumdem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est. » Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*[2] clarius id explicat, de Filio sic loquens : « Qui veniente plenitudine temporis missus a Patre, et Spiritu sancto, factus est ex muliere, quam fecit, solus factus est sub lege, quam dedit. » Et libro secundo *ad Monimum*, cap. VI : « Porro autem, inquit, si misso mittens potior est credendus, cognoscant in hoc suam convinci perfidiam; quia sicut a Patre, et Filio missus legitur Spiritus sanctus, sic a Patre, et Spiritu missus invenitur et Filius; » quod iisdem deinceps Isaiæ verbis adstruit. Hos secuta Toletana synodus undecima, in *Fidei professione*, « Missus, inquit, Filius, non solum a Patre, sed a Spiritu sancto missus esse credendus est in eo, quod per Prophetam dicitur : *Et nunc Dominus misit me*, *et Spiritus ejus*. A seipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. » Qua ratione missus etiam a seipso Spiritus sanctus dici posset, quia non minus externam illam speciem, qua se videndum Spiritus obtulit, tota Trinitas effecit, quam hominem illum, in quo Filius apparuit. Atque ita Magister Sententiarum[3] mitti, dari et procedere a se tam Filium, quam Spiritum existimat; et post eum sanctus Thomas[4]; quandoquidem dari a se Spiritum sanctum, Augustinus[5] affirmat in quintodecimo *de Trinitate*. Filium vero etiam a seipso mitti, in eo quem paulo ante memoravimus, secundi libri loco.

Filius a seipso missus.

XIII. Nec abhorret Gregorius Nazianzenus in illo loco tricesimæ octavæ orationis, quem antea memoravimus; ubi Christum a Patre missum esse, qua hominem, affirmat. Ut autem Deus est, duntaxat κατ' εὐδοκίαν, id est de consensu et placito Patris venisse, idque esse mitti; cum alioqui et seipsum tradidisse dicatur, et a mortuis semet excitasse. Quamobrem Christus, ut Deus, non minus a seipso missus, quam a Patre, ex illa Nazianzeni ratione dicendus est, velut et traditus, et suscitatus.

Verum missionis nomen in istis veterum Patrum dictis, ac sententiis improprie sumitur, non enucleata illa, et exacta notione, quæ principii, et originis rationem continet, quam alii spectarunt, quos ante recensuimus, qui missionis causam ad productionem, et originem personæ unius ex altera retulerunt. Sed nihil, præter externam et transeuntem efficientiam missionis vox apud illos significat. Quam sic totam Trinitatem elaborasse docent, ut quod per eam effectum est, in una tantum aliqua resederit.

Ac non solum opus ipsum, in quod externa illa species redigitur, certæ alicui personæ de tribus convenit, velut incarnatio soli Filio, cum a tribus in commune producatur, sed in ipsa etiam communi effectione *notionale*, ut ita dicam, inest aliquid, quod uni tantum attribuitur. Quod sane. Ambrosius erudite in tractatu *de Symbolo*[6] his verbis exponit : « Quidquid autem de Spiritu sancto diximus, hoc similiter et de Patre, et de Filio communiter, et indivise volumus intelligi ; quia sancta et inseparabilis Trinitas nunquam aliquid extra se singillatim operari noverit. Et quo hæc magis perspicua sint, breviter intimabo.

1 Lib. II *de Trin.* cap. V. — 2 Cap. XV. — 3 In I, dist. XV. — 4 In IV par., qu. XXVIII, art. 8. — 5 Lib. XV *de Trinit.* c. XIX. — 6 Cap. IX.

Incarnationem Verbi Trinitas fecit et tamen non pertinet incarnatio nisi ad Verbum. Vocem de cœlo super Filium post baptismum Trinitas fecit; et tamen non pertinet nisi ad Patrem. Inquit enim : *Tu es Filius meus dilectus.* Descensum itidem Spiritus sancti supra Filium in columbæ specie Trinitas fecit; et tamen non pertinet nisi ad Spiritum sanctum. » Huic et sanctus Augustinus adstipulatur in sermone undecimo *de Verbis Domini secundum Matthæum*[1]; ubi postquam ostendit Spiritum sanctum non a Patre solum, et Filio, sed a seipso etiam dari, « quoniam inseparabilis est operatio Trinitatis ita, ut, cum operatio Patris dicitur, non eam sine Filio, et Spiritu sancto intelligatur operari ; et cum operatio Filii, non sine Patre, et Spiritu sancto ; et cum operatio Spiritus sancti, non sine Patre, et Filio ; » mox addit : « Nec tamen inaniter, sed rationabiliter, et veraciter dicitur Patrem dixisse, non Filium, et Spiritum sanctum : *Tu es Filius meus dilectus, in quo complacui.* Sed hoc miraculum de cœlo sonabilis verbi, quamvis ad personam Patris tantummodo noscamus pertinere, cooperatos esse tamen Filium, et Spiritum sanctum non negamus. »

XIV. Quam Augustini, Ambrosiique rationem Hugo Victorinus hoc argumenta persuadet[2], quod si vox illa, « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » et cætera, « esset vox Filii, vel Spiritus sancti, falsum esset, his est Filius meus. Non enim est filius sui ipsius, vel Spiritus sancti filius, et tamen tota Trinitas operata est vocem illam ; sed soli Patri convenit, quia solus per eam Pater significatus est. Sicut etiam solus Spiritus sanctus in columba apparuit, quia ipse solus per eam significatus est. » Præclare id quidem. Ut enim sanc. Thomas observat[3], « sicut diversis nominibus significatur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ita etiam diversis rebus significari potuerunt ; quamvis inter eos nulla sit separatio, aut diversitas. » Quod ille ex Augustino mutuatus est[4], qui sic explicat, quemadmodum personæ tres in commune missionem illam extrinsecus efficiant, ita tamen, ut una certa mitti dicatur : « Quemadmodum, inquit, cum memoriam meam, et intellectum, et voluntatem nomino, singula quidem nomina ad res singulas referuntur, sed tamen ab omnibus tribus singula facta sunt ; nullum enim horum trium nominum est, quod non et memoria, et intellectus, et voluntas mea simul operata sunt. Ita Trinitas simul operata est et vocem Patris, et carnem Filii, et columbam Spiritus sancti, cum ad singulas personas hæc singula referantur. »

Ex iis evidenter illud constare puto, quemadmodum missio vere proprieque dicta neque in interna solum processione, neque sola in externa consistat, sed utramque simul requirat. Quam ob causam Pater ab nullo mitti dicitur, ac ne improprie quidem, quamvis externam aliquam speciem, quæ præcipue significatur, cum Filio, et Spiritu sancto communiter efficiat ; cum tamen a seipsis utcumque, ac saltem improprie mitti dicantur Filius, et Spiritus sanctus atque etiam Filius a Spiritu, citra divinam originem, ac processionem.

Quippe ut vel improprie mitti aliqua persona dicatur, eam necesse est alicunde procedere. Siquidem impropria omnis acceptio propriæ, velut fundamento innititur, ac superstruitur ; ac proinde cui personæ nulla propria missio convenit, ei impropria nulla tribuitur. Quod etsi non usquequaque verum est, tamen in hoc, de quo agimus, ac toto adeo Trinitatis mysterio servari oportet, ut ne temere, præterquam quod in sacris Litteris, ac fidei regula continetur, de eo sentiamus, ac loquamur. Nam cum « liberis verbis loquantur alii, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescant ; nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem, » ut ait Augustinus[5] : « Sæpe enim non proprie loqui discrepantiam dogmatis efficit, » ut jure Leontius affirmat[6]. Quare cum nusquam mitti Patrem in Scripturis, rarissime autem in sanctorum Patrum libris legatur, (si tamen legitur) imo vero mitti negent expressis, ac disertis verbis antiqui theologi ; nullo modo, ac ne improprie quidem usurpari debet, Patrem a seipso, vel ab alio mitti, quantumvis extrinsecus sub imagine aliqua, et specie videndi sui copiam faciat, quod in sequenti capite disputandum erit.

Patrem a seipso vel ab alio mitti non dicitur.

Quod de antiquis Patribus, quasi dubitando dixi ; id propter Photium a me est factum, qui illud a Chrysostomo usurpari asserit in quadam homilia *de Spiritu sancto*, quæ est

Falsa opinio Photii Chrysostomum interpretantis.

1 Cap. XVI, — 2 In *Sum. Sent.* tr. I, cap. XI. — 3 In I par. qu. XXXIII, art 7, ad III. — 4 Lib. IV *de Trin.* c. XXI. — 5 Lib. X *de Civit. Dei*, cap. XXIII. — 6 Lib. I *contra Nest. et Eutych.*

LXXII tomi sexti editionis Anglicanæ; quam tamen non videri mihi esse Chrysostomi supra docui. Ac si quis diligentius locum illum a Photio [1] citatum expendat, intelliget opinione hunc esse falsum; nec auctorem homiliæ istius dicere, Patrem esse missum ab Spiritu sancto, sed Silium, quem videlicet conditorem vocat cœli, atque terræ. Ita ergo loquitur: « Quod si ostendam tibi, conditorem cœli, atque terræ missum a Spiritu sancto, quid facias? Aut Christum nega, ac Scripturas dele; aut si servire adeo Scripturis instituis, Scripturis te subjice [a]. » Perspicuum est his ex verbis, non Patrem missum dici, sed Christum; cujus neganda sit perinde divinitas, ac Spiritus sancti, si huic idcirco detrahitur, quia sit missus. Deinceps porro missum esse cœli, terræque conditorem a Spiritu sancto, probat ex *Isaiæ* capite XLVIII, 16, ubi ille missum se ait a Domino, et ab ejus Spiritu, qui se proxime ante fundasse terram, ac cœlos mensum esse profitetur. Quis ille est autem alius, quam divina illa Sapientia, sive Filius, per quem omnia sunt facta? Quod in sequentibus declarat: « Tene, inquit, qui cœlum fecisti, atque terram? Te, qui astris dixisti, Dominus misit, et Spiritus ejus? Genuit secundum divinitatem, misit secundum carnem [b]. » Ergo Filius est, qui secundum carnem missus ibi dicitur, non Pater.

CAPUT II.

De divinarum personarum externa missione, et apparitione; ubi illud inquiritur, utrum solus Filius in Vetere Testamento Patribus conspectus sit. Catholicorum, et Arianorum de ea re sententiæ. Ostenditur personas tres aut privatim singulas, aut plures simul apparuisse, duas vero tantummodo esse missas.

I. Quid sit proprie, vereque nominata missio, et ad quas personas pertineat, exposui hactenus, ut potui. Nunc quotuplex missio sit, et quibus personis, si non missio ipsa proprie sumpta, certe externa illa, qua apparere dicuntur, species, et forma conveniat, explicandum videtur. Habebitque hoc caput præcipue missionem illam, qua Filius ad nos citra carnis assumptionem identidem venit, antequam non solum, ut inter homines esset, sed ut unus esset ex illis, et *habitaret in illis*, a Patre missus advenit.

Primum igitur earum, quæ mittuntur, personarum duplex est missio, quam ex Augustino, et multo clarius e Scripturis sanctis colligimus. Nam alia interior est et spiritalis, minimeque sub sensus cadit; alia sensibilis et externa. Hanc facile intelligunt omnes; nec de ea dubitandi locus est ullus. Priorem Augustinus [2], spiritalem Filii missionem, id est sapientiæ, indicat his verbis: « Sed aliter mittitur, ut sit cum homine; aliter missa est, ut ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei, et prophetas constituit, sicut etiam sanctos angelos, et omnia talibus ministeriis congrua per eos operatur. » Tum, « Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cujus est verbum. Ab illo mittitur, de quo natum est. Mittit, qui genuit; mittitur, quod genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, et percipi potest pro captu vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis. Unde dicitur: *Exivi a Patre, et veni in hunc mundum.* Vel eo, quod ex tempore cujusquam mente percipitur, sicut dictum est: *Mitte illam, ut mecum sit, et mecum laboret.* » Ac paulo post: « Sicut enim natum esse, est Filio a Patre esse; ita mitti, est Filio cognosci, quod ab illo sit. » Item, « Cum autem ex tempore cujusque profectus mente percipitur; mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum. » Sic de interiori missione Spiritus: « Sicut Spiritui sancto donum Dei esse, est a Patre procedere; ita mitti, est cognosci, quod ab illo procedat. »

Divinarum personarum duplex missio.

II. De utraque porro Filii missione meminit Ambrosius in hæc verba [3]: « Unde si sobrie de Dei Filio, quæ digna sunt, opinemur, ideo missum intelligere debemus, quod ex illo incomprehensibili, inenarrabilique secreto majestatis profundæ, dedit se comprehendendum pro captu nostro mentibus nos-

a CHRYSOT. tom. VI Savil. Ἐὰν δέ σοι δείξω τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ, καὶ γῆς ἀποστελλόμενον ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, τί ποιεῖς; ἢ ἄρνησαι τὸν χριστὸν, καὶ ἀπάλειψον τὰς γραφάς· ἢ δοῦλος ὢν τῶν γραφῶν, ὑποτάττου ταῖς γραφαῖς.

b Ibid. Σὲ τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, τὸν εἰπόντα τοῖς ἄστροις, Κύριος ἀπέστειλε, καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ; ἐγέννησε κατὰ τὴν θεότητα, ἀπέστειλε κατὰ τὴν σάρκα.

1 Cod. CCXXVII. — 2 Lib. IV *de Trin.* cap. XX. — 3 Lib. V *de Fide*, cap. III.

tris Dei Verbum, non solum cum se exinaniret, sed etiam cum habitaret in nobis, sicut scriptum est : *Quoniam inhabitabo in illis.* Denique et alibi habes, quod Deus dixit : *Venite, descendamus, et confundamus linguas eorum.* Non enim Deus de loco aliquando decedit, qui ait : *Ego cœlum et terram compleo.* Sed in eo descendere videtur, si nostros Dei Verbum penetret affectus, sicut dixit Propheta : *Parate viam Domino ; rectas facite semitas ejus*, ut, quemadmodum ipse promisit, ipse veniens cum Patre, apud nos faciat mansionem. » Neque vero sic ista interpretanda missio est Filii, vel Spiritus sancti, cum interius, ac sine ullo sensibili signo se in creaturas insinuant, tanquam soli, ac singulares adveniant. Nam tres simul hoc, qualecumque est missionis opus, effectumque præstant ; sed una tamen, aut altera mittitur, imo ambæ, quæ solæ procedunt, et originem habent, « Pater autem, cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus. Non enim habet, de quo missus sit, aut ex quo procedat[1], » ait Augustinus de invisibili adventu loquens personarum divinarum. Est enim missio illa *manatio quædam* (ut idem ait ex libro *Sapientiæ*[2]) claritatis *omnipotentis Dei sincera.* Hanc ipsam perspicuæ divinæ Scripturæ auctoritates adstruunt. Etenim Christus venturum se cum Patre pollicetur, ad eum, qui se diligat, sermonesque suos servet. *Si quis diligit me, sermones meos servabit ; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*[3]. Et Apostolus, *Christum* ait *habitare per fidem in cordibus nostris*[4]. Tum Spiritum sanctum in iisdem habitare, velut in templo. Et, *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*[5]. Sic pleraque illa loca, in quibus mitti Spiritus dicitur, de personæ divinæ spirituali missione Patres intelligunt. Ut in Psalmo centesimo tertio: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur ; et renovabis faciem terræ.* Et in nono *Sapientiæ : Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis ?* etc. Sic Ecclesia publicis ac legitimis in precibus mitti ad se rogat Spiritum sanctum. Et *præsentiam sancti Spiritus nobis misericordiam Dei poscentibus ubique adesse*[6], ac venire sæpe ipsum obsecrat. Et id genus alia innumera, quæ spiritualis, et occultæ missionis argumenta sunt, ac nullis externis indiciis patefactæ. Quod genus missionis tum solum agnoscit sanctus Thomas[7], cum ea gratia diffunditur in cordibus nostris, quæ nos sanctos, ac Deo gratos efficit ; minime autem, cum citra illam, dona cætera sancti Spiritus, aut externæ aliæ quædam efficientiæ communicantur. Non enim plene ad nos divina persona venit, aut in nobis habitat, si deest charitas, quin potius abhorret, ac refugit : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*[8]. Sed de interiori illa, et spirituali missione, communicationeque personarum divinarum, præsertim Spiritus sancti, ex quo et Filii ejusdem generis missio conjici poterit, paulo post plenior instituenda erit oratio.

I° Interior et invisibilis.

III. Nunc de altero missionis genere, quod extrinsecus certis indiciis, ac signis proditum est, in Antiquo potissimum Testamento, imo vero ab ipso mundi primordio, proprius est agendi locus, ut illud exploremus, an promiscue, ac sine ullo discrimine personæ omnes, si non missæ, (de Patre enim supra constitutum est, nulla eum ratione mitti) certe utcumque conspectæ, et aspectabili aliqua, vel sensibili specie patefactæ fuerint ; an, solo excepto Patre, reliquæ duæ, an etiam solus Filius in apertum prodierit. Cui et hæc affinis est disputatio, an quoties angelus quispiam apparuisse legitur in veteri lege, sit ea forma intelligendum apparuisse Verbum Dei. Multiplex, et varia quæstio, ac propter veterum nonnullorum placita, et hæreticorum perversas de personarum æqualitate sententias, minime prætermittenda ; digna certe visa est Augustino, quam toto fere secundo libro divini *de Trinitate* operis explicaret. Hanc nos, ut instituimus, ordine ac methodo persequemur, exorsi ab illa, quam attigi, veterum opinione, quæ male ab quibusdam intellecta, perfidiæ illis occasionem præbuit.

II° Exterior et per operationes externas manifestata

Sic enim antiquorum Patrum aliquot existimasse ac scripsisse legimus, ex divinis personis solum apparuisse Verbum ; Patrem vero neque visum a quoquam sub ulla corporea et sensibili forma ; neque videri omnino posse. Hinc etiam Dei angelum appellari, quod a Patre identidem mitteretur.

Justinus id non uno in loco declaravit ; ut in primo hujus *de Trinitate* operis libro, capite

1 Lib. IV *de Trin.* c. xx. — 2 *Sap.* vii, 25. — 3 *Joan.* xiv, 23. — 4 *Eph.* iii, 17. — 5 I *Cor.* iii et vi et II *Cor.* vi, 1; *Joan.* iv, 16. — 6 In bened. aquæ. — 7 In I par. qu. xliii, art. 3. — 8 *Sap.* i, 5.

Plerique veteres solum in Vetere Testamento Verbum apparuisse asserunt.

tertio, ex illius verbis ostendimus. Nam quoties Deus Abrahamo, ac reliquis patriarchis ostendisse se dicitur, aut etiam angelus, Verbum Dei, ac Filium exprimi putat, qui Patri suo ministraret, et futuræ olim Incarnationi præluderet. Ab hoc Abrahamum, ejusque posteros sæpe compellatos, ac gubernatos fuisse; ab eodem Mosem ad liberandum populum divina vi, ac monitis instructum; Israelitas vero per tot inusitata prodigia ereptos e Pharaonis dominatu; perque vastissimas solitudines tot annos circumductos fuisse; ac legibus institutisque formatos; nam Patrem omnino nec videri, neque quopiam digredi, neque cum aliquo sermonis, aut rei ullius habere commercium; quæ late in *Dialogo cum Tryphone* Justinus enarrat.

IV. Sic Origenes solum Patrem videri non posse, Filium posse docuit, ut Hieronymus significat in epistola *ad Avitum*. Ac ne Filio quidem visibilem esse Patrem putavit eodem Hieronymo teste, nec non Epiphanio [1]. Cui et Tertullianus accedit; qui et ipse Filium Dei perpetuo veteribus apparuisse dicit, eo quod visibilis non sit Pater [2]. Hinc « ab initio vicarium Patris in Dei nomine et auditum, et visum Christum [3]. »

Porro visum nemini esse Patrem, ex Evangelio probat [4], « dicente Christo: *Nemo cognovit Patrem nisi Filius* [5]. Ipse enim et Veteri Testamento pronuntiarat: *Deum nemo videbit et vivet* [6]; Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate, et nomine ipse erat Deus, qui videbatur Dei filius. »

Ita Novatianus, in libro *de Trinitate* [7], Filium Dei passim a Patre missum, atque conspectum ait, per se administrasse, gessisseque omnia; qui ad turrim illam visendam descenderit cum angelis, et Abrahæ visus sit. Neque enim de Patre intelligi ista posse, quippe « qui immensus est, nec loco clauditur, ut merito nec descendat, nec ascendat; quoniam ipse omnia et continet, et implet. » Superest igitur ut de Filio illud interpretemur, qui est imago Dei; ut ex imaginis conspectu ad videndum eum, cujus imago est, assuescerent homines. Addit et eumdem sæpe sub angeli nomine [8], ac functione describi: « Personæ enim Christi convenit, ut et Deus sit, quia Dei filius est; et angelus sit, quoniam paternæ dispositionis adnuntiator est. » Hinc omnes fere Testamenti Veteris ἐπιφανείας, quibus angelus apparuisse legitur, personæ illius ad scribit.

Ex quo etiam Christum Deum esse comprobat; quippe cum Scriptura visum a patriarchis, et prophetis Deum esse testetur; non possit autem Deus hic intelligi Pater, qui nunquam apparuit, sed Filius, qui in Patris nomine cuncta hæc administravit. Quæ omnia libro primo capite v commemoravimus. Similis est Hilarii ratiocinatio in quinto *de Trinitate*, ubi Joannis illa verba *Deum nemo vidit unquam* [9], sic ad Patrem restringit, ut Filium esse Deum ostendat, quem solum veteres aspexerunt; quem Hilarii locum mox reddemus. Sed videnda sunt, quæ in primo illo hujus operis libro de antiquis nonnullis observavimus, cæteroqui Catholicis, qui minus accurate de Filii divinitate, et æqualitate cum Patre locuti sunt; ubi et Cæsariensis Eusebii exposita sententia est, quem est verisimile ante Nicænum concilium, ejusque ab se, invito licet, probatum subscriptumque fidei decretum, illorum pleraque scripsisse. Hic vero Filium solum antiquis apparuisse, Patrem vero a nemine cerni posse ubique prædicat.

Eamdem etiam fuisse liquet præsulum illorum sententiam, qui apud Sirmium contra Photinum concilium habuerunt anno Christi 351. Ubi et Fidei professionem ediderunt cum anathematismis, hoc est damnatione dogmatum aliquorum, quæ a Photino, aliisque jactari solebant. Inter hæc vero condemnarunt eum, « qui diceret, Abrahamo non Filium esse visum, sed Deum innascibilem, vel partem ejus. » Item, « Si quis diceret, cum Jacob non Filium, quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem, vel partem ejus [a]. » Ita Hilarius Latine reddidit in libro *de Synodis;* ubi mendose in cusis quibusdam legitur *vel partem ejus*, pro quo legendum est *patrem*. Isti, inquam, quod Ariano dogmati consentaneum

a Concil. Sirm. apud Athan. lib. *de Syn.* et Socrat. lib. II, cap. XXX. Hilar. lib. *de Syn.* Εἴ τις μὴ τὸν υἱὸν λέγοι τῷ Ἀβραὰμ ἑωρᾶσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀγέννητον θεὸν, ἢ μέρος αὐτοῦ, ἀνάθεμα ἔστω. Εἴ τις τῷ Ἰακὼβ μὴ τὸν υἱὸν, ὡς ἄνθρωπον πεπαλαικέναι, ἀλλὰ τὸν ἀγέννητον θεὸν, ἢ μέρος αὐτοῦ λέγοι, ἀνάθεμα ἔστω. Vide et Facund. lib. X, cap. X.

1 Hær. LXIV, n. 4 et in epist. *ad Joan.* — 2 Lib. II *contra Marc.* c. XXVII. — 3 Lib. III, c. VI. — 4 Lib. II *cont. Mar.* c. XXVIIV. — 5 *Matth.* XII, 27. — 6 *Exod.* XXXIII, 20. — 7 Cap. XXV et XXXI. — 8 Lib. *de Trinit.* cap. XXVI et XXVII. — 9 *Joan.* I, 18.

erat, cujus erant participes, solum veteribus Patriarchis non solum conspectum fuisse, sed etiam posse conspici Filium decreverunt; Patrem vero nullo modo posse. Quod ante ipsos Philo Judæus tum alibi docuit, tum in fine libri *de Insomniis;* ubi non Deum ipsum primarium antiquis visum esse Patribus docet, sed *Verbum illius nuntium*, qui veri Dei vicem, ac personam sustinebat [a].

V. Proxime ab his enumerandi sunt, qui cum Filium non minus, quam Patrem, suapte natura et substantia invisibilem esse tenerent, solum tamen Filium priscis visum esse tradiderunt, specie aliqua corporis obductum. Patrem autem, sive videri hoc modo et ipse posset, sive non posset, nunquam in conspectum venisse. E quibus longe ante Ariana tempora Irenæus exstitit; qui Christum Mosi se conspicuum fecisse, et ad Israelitici populi procurandam salutem descendisse ait[1]: « Ipse est, qui dicit Mosi: *Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto, et descendi, ut eruam eos;* ab initio assuetus Verbum Dei ascendere, et descendere propter salutem eorum, qui male haberent. » Idipsum et uberius postmodum exponit, Verbum Dei asserens « invisibilitatem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et ut semper haberet, ad quod proficeret, visibilem rursus per multas dispositiones ostendisse Deum, ne in totum deficiens a Deo homo cessaret esse. Gloria enim Dei, vivens homo; vita autem hominis, visio Dei. » Quibus verbis docet nos, Patrem quidem nunquam, ne specie quidem externa dissimulatum apparuisse; Verbum autem non per se, ac secundum propriam substantiam, sed sub imagine aliqua veteribus ostendisse se; ne si homo Dei usu, conspectuque careret penitus, esse desineret. « Si enim, addit paulo post, quæ est per conditionem, ostensio Dei vitam præstat hominibus in terra viventibus; multo magis ea, quæ est per Verbum, manifestatio Patris vitam præstat iis, qui vident Deum. » Itaque per Verbum etiam, antequam carnem assumeret, importatam hominibus Dei ac Patris notitiam esse Irenæus affirmat, uti vitam illorum tueretur; quæ sine cognitione Dei retineri non potest, cum vel ea, quæ *ex conditione*, id est, creaturis hauritur, Dei scientia vitam illis afferat. Igitur qui et Mosi, et prophetis aliis vel apparuisse, vel locutus esse Deus proditur, hunc esse Dei Filium, ac Verbum, eodem loco disputat. Neque vero, similiter atque illi, quos initio capitis hujus attigi, ideo solum Verbum omnia hæc administrasse sentit Irenæus, quod Pater invisibilis sit; Verbum autem suapte natura videri queat. Hoc enim diserte capite eodem refellit his verbis: « Hæc prophetice significabant prophetæ (nempe Deum ab hominibus visum iri hominem factum), sed non quemadmodum quidam dicunt, invisibili Patre omnium existente, alterum esse eum, qui a prophetis videretur. Hoc autem dicunt, qui in totum, quid sit prophetia, nesciunt. » Quo ex genere quid prophetia sit ignorantium habendus est impius ille, ac profanus Eusebius; qui, ut in primo hujus operis libro plane demonstravimus, Verbum Dei ἕτερον θεὸν, *Deum alterum,* ac minorem inferioremque Patre, ac solo vero Deo credidit Mosi, Abrahamo, ac veteribus reliquis apparuisse. « Non enim, ait, illum, qui est super omnia, Deum per illos (angelos, qui Abrahamo visi sunt) significari putandum est. Quippe mutari divinum numen et in virilem figurari speciem, ac formam nefas est [b]. » Non igitur ea mente scripsit illa sanctus Irenæus, quod vel inferiorem Patre crediderit Filium, vel natura sua hunc aspectabilem potius, quam illum arbitratus sit; sed quod tum magis conveniret proferri in publicum, ac prodire Filium, quam Patrem; tum mitti a Patre Filius deberet, non a Filio Pater; de qua re postea. Vide et eumdem Irenæum in capite XXXVII libri ejusdem quarti. Idem et Origenes significat in libro sexto *contra Celsum.*

Nec non Patres illi qui ex Antiochena synodo ad Paulum Samosatenum epistolam synodicam scripserunt; qui Filium esse volunt eum qui in Vetere Testamento identidem Patribus in conspectum, ac colloquium venit; « qui alias angelus, alias Dominus, alias Deus Scripturarum testimonio declaratur. Nam Deum universorum impium sit angelum dici

a PHILO, *de Insom.* Ὥστε ὅταν φῇ, Ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ· τοῦτ᾽ ἐννοητέον, ὅτι τὸν ἀγγέλου τόπον ἐπέσχεν ὅσα τῷ δοκεῖν, οὐ μεταβαλὼν, πρὸς τὴν τοῦ μήπω δυναμένου τὸν ἀληθῆ θεὸν ἰδεῖν ὠφέλειαν, etc. Οὕτω καὶ τὴν τοῦ θεοῦ εἰκόνα τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν κατανοοῦσιν.

1 Iren. lib. IV, cap. XXVI.

b EUSEB. lib. V *de Demons.* Πάλιν γεμὴν οὐδὲ τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν ἡγητέον διὰ τούτων δηλοῦσθαι. μεταβάλλει γὰρ φάναι τὸ θεῖον, καὶ σχηματίζεσθαι εἰς ἀνδρὸς εἶδος. καὶ μορφὴν οὐκ εὐαγές.

credere. Angelus vero Patris est Filius, qui et ipse Dominus, ac Deus est. Scriptum est enim, *Magni consilii Angelus*[a]. »

Athanasius itidem illum, qui Abrahamo, Isaaco, et Jacobo sæpe visus est, ac beneficiis, benedictioneque sua illos impertiit, haud alium, quam Dei Verbum existimari patitur, qui « et Angelus propterea vocatur, quia solum Patrem revelat[b]. » Hunc esse angelum istum, quem Jacob[1] moriturus nepotibus suis Ephraimo, ac Manasse præsidem, et adjutorem precatur, et eum omnipotente Deo, velut parem sociumque nominat : *Deus*, inquit, *qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Etenim « non creatorum, et angelica natura præditorum quempiam cum angelorum conditore copulavit Deo ; neque omittens eum, a quo nutritus erat, Deum, ab angelo benedictionem nepotibus postulabat suis. Sed cum dicit, *Qui eruit me ex omnibus malis*, ostendit, non unum ex creatis angelis, sed Verbum esse Dei, quem cum Patre conjungens rogabat[c]. » Quem etiam *magni consilii Angelum* a propheta nuncupari refert.

Quin idem alibi[2] Filium Dei scribit eum fuisse, qui cum Jacobo luctatus est ; a quo et loco nomen inditum *Phanuel*, quod Græci reddiderunt εἶδος Θεοῦ, *speciem Dei*[3]. Tum quoties prophetæ dicunt, *Factum est Verbum Domini ad me*, intelligendum esse Dei Filium.

Cyrillus Hierosolymitanus[4] perinde Filium Dei illum asserit fuisse, quocum Moses[5] versatus est, cujusque faciem intueri voluit ; qui cum Dominus ac Deus esset, itaque Moses eum appellaret, alium tamen vocabat Deum, ac Dominum.

Sic enim ex Græcorum codicibus locum illum Cyrillus exscripsit : *Et descendit Dominus in nube, et adstitit ipsi illic, et vocavit nomine Domini. Et transivit Dominus ante faciem ipsius ; et vocavit, Domine, Domine*[d], etc. Ubi verbum *vocavit*, ad Dominum illum, qui apparuit, refert Cyrillus, tanquam Filius Patrem invocasse dicatur ; quod de Mose potius intelligere oportet.

Et in quartadecima *catechesi*, eumdem esse Filium existimat, quem Isaias[6] sedentem aspexit *super solium excelsum, et elevatum.* « Etenim Patrem, ait, nemo vidit unquam, qui autem prophetæ tunc visus est, erat Filius[e]. »

VI. Basilius in secundo *adversus Eunomium*, impiam hujus vocem redarguens, qua dixerat, « Filium ex nihilo, et cum nondum esset, genitum fuisse ; » illum ex eo convincit, quod ipse de se Mosi Filius dixerat, *Ego sum qui sum*[7], unde consequens est, æternum eumdem esse, ut qui τοῦ εἶναι fons, et origo sit. *Esse.* Fuisse porro Filium, qui Mosi tunc apparuit, probat ex eodem capite, in quo prius scriptum est, angelum Domini visum esse in rubo, ac subinde, eum ipsum dixisse, *Ego sum Deus patris tui Abraham* ; ac denique, *Ego sum, qui sum.* « Quis igitur, ait Basilius, est ille, qui idem angelus est, et Deus? Nonne is est, de quo sic accepimus, ejus nomen esse, *magni consilii Angelus*[f]? » Quamvis autem, ait idem, postea hoc ipsum, magni consilii angelus, fuerit, postquam humana cum carne prodiit in conspectum ; « non tamen vel ante dedignabatur angeli appellationem. » Quocirca patriarcha Jacob Angelum eum vocavit, uxores suas alloquens: *Dixitque angelus Dei ad me in somnis*[8] ; quem eumdem mox ita locutum refert : *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi*[10]. Atqui ille, qui in Bethel apparuit, de se ita dixit: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac*[11]. Unde Basilius ita concludit : « Ubi-

a Epist. synod. tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Ποτὲ μὲν ὡς ἄγγελος· ποτὲ δὲ ὡς κύριος· ποτὲ δὲ Θεὸς μαρτυρούμενος. τὸν μὲν γὰρ Θεὸν τῶν ὅλων ἀσεβὲς ἄγγελον νομίσαι καλεῖσθαι· ὁ δὲ ἄγγελος τοῦ πατρὸς ὁ υἱός ἐστιν, αὐτὸς κύριος καὶ Θεὸς ὤν. γέγραπται γὰρ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.

b Athan. orat. IV. Ὃν διὰ τοῦτο καὶ ἄγγελον ἐκάλεσεν, ὅτι μόνος οὗτός ἐστιν ὁ ἀποκαλύπτων τὸν πατέρα.

c Athan. Οὐ τῶν κτισθέντων, καὶ τὴν φύσιν ἀγγέλων ὄντων ἕνα συνῆπται τῷ κτίσαντι αὐτοὺς Θεῷ· οὐδὲ ἀφεὶς τὸν τρέφοντα αὐτὸν Θεὸν παρ' ἀγγέλου τὴν εὐλογίαν ᾔτει τοῖς ἐγγόνοις· ἀλλ' εἰρηκὼς, ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν, ἔδειξε μὴ τῶν κτισθέντων τινὰ ἀγγέλων· ἀλλὰ τὸν λόγον εἶναι τοῦ Θεοῦ, ὃν τῷ πατρὶ συνάπτων ηὔχετο.

d *Exodi* XXXIV, 5. Καὶ κατέβη κύριος ἐν νεφέλῃ, καὶ παρέστη αὐτῷ ἐκεῖ, καὶ ἐκάλεσε τῷ ὀνόματι κυρίου. Καὶ παρῆλθε κύριος πρὸ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἐκάλεσε, κύριος, κύριος, etc.

e Cyril. *Cat.* XIV. Τὸν πατέρα μὲν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ δὲ τῷ Προφήτῃ τότε φανεὶς, υἱὸς ἦν.

f Basil. II *contra Eunom.* Τίς οὖν ὁ αὐτὸς ἄγγελος, καὶ Θεός; ἆρα οὐχὶ περὶ οὗ μεμαθήκαμεν, ὅτι καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος; Mox : Εἰ γὰρ καὶ ὕστερον ἐγένετο τῆς μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. ἀλλ' οὐδὲ πρότερον ἀπηξίου τὴν τοῦ ἀγγέλου προσηγορίαν.

1 *Gen.* XLVIII, 15, 16. — 2 Lib. *de Synodis.* — 3 *Gen.* XXXII. — 4 *Cat.* X. — 5 *Exod.* XXXIII, 20. — 6 *Isa.* VI. — 7 *Exod.* III. — 8 *Isa.* IX. — 9 *Gen.* XXXI, 11. — 10 Ibid. com. 13. — 11 *Gen.* XXVIII, 13.

cumque et angelus, et Deus idem appellatus est, Unigenitum significari; qui se ipsum per generationes hominibus manifestum facit, et voluntatem Patris sanctis suis denuntiat. Quamobrem et qui cum Mose colloquens, eum se nominavit, *Qui est*, non alius quispiam intelligendus est, quam Deus Verbum, qui in principio erat apud Deum [a]. »

Chrysostomus quoque tum Jacobo visum esse Christum asserit, et cum eo luctatum esse; tum Abrahamo, stipatum angelis duobus, « ut jam tum nobis ab initio demonstraret, aliquando se, hominis assumpta forma, universam naturam humanam ex tyrannide diaboli erepturum, et ad salutem perducturum esse. Verum tunc, quia principium adhuc, et prooemium agebatur, apparenti duntaxat specie unicuique se illorum ostendebat, quemadmodum per Prophetam ipse loquitur: *Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* [1b]. » Quibus verbis hoc indicat, Filium esse Dei, qui prophetis, ac patriarchis coram apparuit, et eos notitia futurarum rerum impertiit.

Idem et in homilia *in Acta Apostolorum* decima sexta, angelum illum, qui Mosi apparuit in rubo, Dei Filium asserit fuisse. Gregorius item Nyssenus apud Euthymium latissime idipsum tradidit in libro quodam, qui περὶ θεογνωσίας inscribitur.

De Dei cognitione.

Cyrillus Alexandrinus in duodecimo *Thesauri*, angelum eum, quocum luctatus est, et a quo liberatum se maximis e periculis prædicat, et cujus itidem opem, ac præsidium Josephi liberis imprecatur *Geneseos* cap. XLVIII, Dei Filium interpretatur. Et in libro decimo tertio, eum, qui adoratus est ab Abrahamo, a Mose in rubo, a Daniele inter innumerabiles angelos conspectus, itidem esse Filium putat; necnon in dialogo *de Trinitate* sexto; et in epistola *ad Monachos de Expositione Symboli* [3].

Theodoretus quoque in quinto *adversus Hæreses*, capite primo, Patrem perinde *invisibilem* esse confirmat; ac neque visum esse, nec videri posse ex Apostoli verbis ostendit; de quibus postea. Et in quæstione V in *Exodum*, angelum, qui Mosi apparuit in rubo, et se Deum esse dixit, non Patrem, qui nullius esse potest nuntius, sed Filium fuisse confirmat, sed non ὑπουργὸν, id est *administrum*, vel *famulum*.

VII. Idem etiam Hilarius [2] passim commendat, et Christum fuisse sentit, qui sub angeli nomine in libro *Genesis*, *Exodi*, cæterisque visus esse narratur, et functionis aliquid exercuisse. Nam et angelus ille, qui Agari adstitit, Deus ab ea nominatur: *Et vocavit*, inquit, *nomen Domini*, *qui loquebatur secum*; *Tu Deus*, *qui aspexisti me* [3]. Quippe, « secundum Prophetam Filius Dei magni consilii angelus est. Ut personarum distinctio absoluta esset, angelus Dei est nuncupatus. Qui enim est Deus ex Deo, ipse est et angelus Dei. » Sic Abrahamo Christum eumdem sæpius obtulisse se dicit; et Jacobo, quocum et luctam iniit. Tum in rubo Mosi, quod late in quarto, et quinto libro prosequitur. In hoc vero, postquam ex Esaia Deum esse Christum probavit, quem a se visum Propheta [4] scripsit, ut in *Evangelio* Joannes interpretatus est; non alium, quam Dei Filium hunc fuisse contendit ex eo, quod de Patre scriptum sit: *Deum nemo vidit unquam*; *nisi unigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris*, *ipse enarravit* [5]. » In duodecimo quoque idem brevius commendat, et quod a Salomone [6] dictum est, *Dominus creavit me in initium viarum suarum*, de Filio Dei explicat, qui antequam hominem susciperet, ab exordio mundi sæpe conspectus est, « et ad conspicabilem speciem subditus creaturæ habitum creationis assumpsit. »

Ambrosius [7] itidem ut illi, « Hic est, inquit, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui apparuit in rubo Mosi, de quo Moses ait, *Qui est*, *misit me*. Non Pater in rubo, non Pater in eremo, sed Filius Mosi locutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: *Hic est*, *qui fuit in Ecclesia*, *in eremo*, *cum angelo*. Hic est ergo, qui legem dedit, ipse qui locutus est Mosi,

a Basil. II *cont. Eun.* Παντὶ οὖν δῆλον, ὅτι ἔνθα καὶ ἄγγελος, καὶ θεὸς ὁ αὐτὸς προσηγόρευται, ὁ μονογενής ἐστι δηλούμενος, ἐμφανίζων ἑαυτὸν κατὰ γενεὰν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ διαγγέλλων, ὥστε καὶ ἐπὶ τοῦ Μωσέως, ὄντα, ἑαυτὸν ὀνομάσας, οὐκ ἄλλός τις παρὰ τὸν θεόν λόγον, τὸν ἐν ἀρχῇ ὄντα πρὸς τὸν θεὸν νοηθείη.

b Chrysost. hom. LVIII *in Gen.* Προμηνύων ἡμῖν ἄνωθεν, καὶ ἐξ ἀρχῆς, ὅτι μέλλει ἀνθρωπίνην μορφὴν λαμβάνων, οὕτω πᾶσαν τήν ἀνθρωπίνην φύσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου τυραννίδος ἐλευθεροῦν, καὶ πρὸς τὴν σωτηρίαν ἐπανάγειν. Ἀλλὰ τότε μὲν ἐπειδὴ ἀρχὴ, καὶ προοίμια ἦν, ἐν σχήματι φαντασίας ἑκάστῳ αὐτῶν ἐφαίνετο, καθάπερ καὶ αὐτὸς διὰ τοῦ Προφήτου φησίν· Ἐγὼ ὁράσεις ἐπλήθυνα, καὶ ἐν χερσὶ Προφητῶν ὡμοιώθην.

1 *Ose.* XII, 10. — 2 Hilar. lib. IV. — 3 *Gen.* XXI. — 4 *Isa.* LXIV. — 5 *Joan.* I. — 6 *Prov.* VIII. — 7 Lib. I *de Fide*, cap. V et lib. *de Filii div.* cap. VIII, quæ et Greg. Naz. orat. XLIX dicitur.

Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Hic est Deus patriarcharum, hic est Deus prophetarum. » Vide ejusdem nomine editum commentarium in caput secundum *ad Romanos.* Et Augustinum in libro *contra Adimantum*, capite IX, ubi ex istis *Joannis* verbis, *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit;* colligit « Filium Dei, qui est Verbum Dei, non solum novissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est, sed etiam prius a constitutione mundi, cui voluit, de Patre annuntiasse, sive loquendo, sive apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam. »

VIII. Sic Prudentius in *Apotheosi contra Patripassianos* uberrime demonstrat, solum antiquis apparuisse Verbum, non in propria specie, sed sub corporum imagine, quod a nemine Pater aspici queat. Sic autem canit inter cætera :

« Passibilisne Deus, cujus species, et imago
Nulli visa unquam? Nec enim comprendier [illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
Joannis magni celebris sententia præsto est,
Haud unquam testata Deum potuisse videri. »

Mox :

« Aut evangelici pietas spernenda libelli
Jam, blaspheme, tibi est; aut nunquam visa [beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis. »

Item :

« Quisqui hominum vidisse Deum memora- [tur, ab ipso
Infusum vidit gnatum; nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se præstitit inspi- [ciendum
Per species, quas posset homo comprendere [visu. »

Exinde Abrahamum, ac Mosem recenset; a quibus solum Verbum sub corporea specie visum esse dicit; nullo vero modo Patrem.

« Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, [nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons
Visibilis; cerni potis est, qui nascitur; at [non
Innatus cerni potis est. Latet os Patris illud,
Unde Deus, qui visibilem se præstitit olim, » [etc.

Item :

« Pater est, quem cernere nulli
Est licitum, Pater est, qui nunquam visus in [orbe est,
Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumque re- [cepit
Cum voluit. »

Leo quoque papa in epistola decima tertia non solum Christum putat antiquis illis se videndum objecisse, sed rationem etiam affert elegantem: « Potuerat, inquit, omnipotentia Filii Dei sic ad docendos, justificandosque homines apparere, quomodo et patriarchis, et prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cumve officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines hujus hominis erant indicia, cujus veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam, significationes mysticæ nuntiabant. » Cassianus in libro quarto *de Incarnatione*, capite nono, « Hic ergo unus est, inquit, ad patriarchas loquens, in prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex virgine Maria, » etc. Tum, « Nunquid enim Pater unquam, qui nonnisi Filio tantum visibilis esse legitur, aut in terris visus est, aut in carne editus, aut inter homines conversatus est? Non utique. »

Denique Isidorus in libro *de Natura Domini*[1], « Ipse est enim Filius, ait, qui semper a Patre missus, visibiliter apparebat hominibus. Ex ipsa ergo missione recte angelus nuncupatur. » Vere hoc quidem Isidorus, et alii, qui *semper Filium* non simpliciter dicunt *apparuisse*, sed *missum a Patre;* quia mitti Filio, non Patri convenit. Quanquam etiam Spiritum sanctum aliquando prodiisse volunt in conspectum alii Patres, et ipsum utique missum. Sed et Patrem nonnunquam apparuisse coram aut aspectabili specie, aut certe sensibili, multo verosimilius videtur, imo certum est, nec nisi temere negari posse videtur; quod equidem pace quorumdam antiquorum pronuntiare non verebor, Augustini[2]

Patrem aliquando apparuisse negari nequit.

1 Cap. I. — 2 Lib. II *de Trinit.* cap. XVII.

fretus auctoritate, qui censet, « nimis temerarium esse dicere, Deum Patrem nunquam patribus, aut prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse. »

Dei manifestationibus.

Sed ut quæstioni huic modus adhibeatur, ac de priscis illis θεοφανείαις quid theologo sentiendum sit, et quousque, catholica salva pietate progredi liceat, in promptu habeamus, certas præscribemus regulas, ex quibus controversia ista disceptari possit.

Filius ac Spiritus S. non minus invisibiles quam Pater.

IX. Tenendum igitur imprimis illud est, Filium, quod idem et de Spiritu sancto intelligi volumus, per se, ac natura sua non minus invisibilem esse, quam Patrem. « Invisibilis est enim naturæ Deus, ait Augustinus[1], non tantum Pater, sed et ipsa Trinitas, unus Deus. » Et epistola CXI Ambrosium laudat ita scribentem: « Invisibilis enim Pater, sed et Filius invisibilis secundum divinitatem. » Sed invisibilem esse Filium dupliciter a nobis dicitur. Primum, ut persona ipsa Filii ex sese non magis aspectabilis sit, quam Patris, hoc est, perinde neque corporis oculis omnino videri possit, neque naturali creatæ mentis aspectu, atque ut eodem prorsus modo sub aspectum cognitionemve cadat, vel non cadat Filii divinitas, et persona, quo Patris: deinde, ut quod ad externam speciem, et extrinsecus circumfusam imaginem attinet, tam Patris persona sub illa cerni, et apparere possit, quam Filii, utcumque res ipsa transacta fuerit, hoc est, sive revera Pater aliquando copiam videndi sui fecerit, sive solus ubique Filius apparuerit; de quo mox. Neque enim in Filio quidquam inest, cujus gratia sensibilem sui formam, ac figuram objicere posse dicatur potius, quam Pater.

Hæc assertio nostra veterem illum evertit errorem, qui in Filio nescio quid agnoscit, cur videri possit; Patrem vero non modo visum esse nunquam, neque per sese, neque per objectam imaginem, sed neque posse videri adstruit. Quod Arianis maxime placuit, eorumque signifero Cæsariensi Eusebio, ut de antiquioribus illis sileam, quos constat non malo animo in eadem hæsisse causa. Et quidem videri non posse Filium, affirmat Origenes libro sexto *contra Celsum;* et in quarta homilia *in Genesim:* «Descendit ergo Dominus, inquit, non solum curare, sed etiam probare, quæ nostra sunt. Formam namque servi accepit; et cum ipse invisibilis sit naturæ, utpote æqualis Patri, habitum tamen visibilem suscepit, et repertus est habitu, ut homo. »

Et ante hunc Irenæus[2], qui « Verbum ait naturaliter quidem invisibile, palpabile in hominibus factum. »

Sed accuratius idipsum, post exortam hæresim Arianam, catholici Patres tradiderunt. Nam hæretici isti, ut superius attigi, Patrem proprie ἀόρατον, *invisibilem* esse dicebant, ut et solum verum, et immortalem, et immutabilem; Filium neque verum, neque immortalem, neque mutationis expertem, ex quo diversæ hunc ab illo naturæ conditionisque faciebant. Ideo qui adversus illos disputabant, sanctissimi doctores magno conatu in id incubuerunt, ut non minus Filium invisibilem esse docerent, quam Patrem. Horum nonnullos citat Augustinus epist. CXI, velut Ambrosium libro secundo *in Lucam*, qui sic scribit: « Audiamus ergo Patrem. Invisibilis enim Pater, sed et Filius invisibilis secundum divinitatem. *Deum enim nemo vidit unquam.* Cum ergo Filius sit Deus, in eo utique, quod Deus est Filius, non videtur. » Vide eumdem Ambrosium in II *de Incarnatione* cap. III.

Athanasium quoque laudat ibidem Augustinus, qui « cum ageret adversus Arianos, qui tantummodo Deum Patrem invisibilem dicunt, Filium vero, et Spiritum sanctum visibiles putant, æqualem Trinitatis invisibilitatem Scripturarum sanctarum testimoniis, et diligentia suæ disputationis asseruit. » Quibus addi potest Sœbadius scriptor vetustus, qui Arianorum commentum illud de visibili Filio refutans, pluribus ostendit hunc in sua substantia haud unquam fuisse visum. Et auctor *Breviarii fidei adversus Arianos:*» Solent etiam dicere, ideo minor est Filius, quia visibilis, Pater autem invisibilis. Non intelligunt, quia Filius in substantia deitatis suæ sit visibilis, nisi in assumpto homine, qui et Christus dicitur. » Cui simile est, quod Athanasius in quinto dialogo scribit, « Filium per se invisibilem, nisi visibile aliquid assumpsisset, videri omnino non potuisse[3].» Maxentius item in secundo dialogo et alii complures, qui Arianorum hoc dogma confutarunt.

X. De qua quidem eorum opinione cogitanti mihi, non magis admirandum videtur, cur aspectabilem esse Filium putaverint, quam, quo sensu id usurpare ausi sint, attentius quærendum. Etenim quem non moveat,

1 August. ep. CXII, cap. VIII. — 2 Libro IV, cap. IV. — 3 Athan. Ἀόρατος ὢν μὴ προσλαβὼν τὸ ὁρατὸν οὐκ ἐδύνατο ὁραθῆναι.

homines magis impios, quam stupidos et hebetes, ita delirasse, ut cum pleræque res sub aspectum, sensumque non cadant, velut angeli, hominum animæ, ac virtutes, et doctrinæ, et innumerabiles aliæ; Dei Filium, quem iis omnibus potiorem utique judicabant, affirmarent nihilominus natura esse visibilem? Hoc enim adversus illos argumento utitur Augustinus[1] *contra Maximinum* scribens; cujus hæc erant verba: « A nobis unus colitur Deus innatus, infectus, invisibilis, qui ad humana contagia, et ad humanam carnem non descendit. » Quæ Augustinus refellit sic: « Sed quia de ejus invisibilitate veritati, quantum video, non vis acquiescere, rogo te, ut cogites, secundum carnem, et secundum hominem fuisse visibilem Christum. Nam secundum id, quod Verbum est Deus apud Deum, et ipse invisibilis est. Sapientia Dei est Christus. Humana sapientia invisibilis est; et Dei sapientia visibilis erit? » Verum Maximinus[2], non sic invisibilem solum esse Patrem, se, aut Arianos suos affirmare contendit, ut Filium humanis oculis aspici putent posse, cum ne angeli quidem, cœlestesque virtutes eo modo videri queant, quæ tamen invisibiles minime vocantur, eo quod solus hoc sibi Deus vendicet Pater. Quamvis enim a Filio videatur, quod Maximinus ipse confitetur, est tamen propria quædam ratio, cur invisibilis dicatur; quam quidem ex hujus Maximini verbis duplicem licet colligere. Altera est, quod, ut ille loquitur, « vidit Patrem Filius, sed vidit incapabilem; Pater autem sic videt Filium, ut tenens in sinu suo, et habens; » ac subinde, « Videt enim Pater Filium, ut Filium; Filius videt Patrem. ut Patrem immensum. » Quorum iste sensus est, utcumque Patrem a Filio videri, sed non perfecte; neque enim capi, vel comprehendi, quod sit incapabilis, cum tamen Filium perfecte videat, hoc est, comprehendat Pater, quem ut minorem amplectitur, et in sinu suo continet; quod paulo ante clarius exposuit. « Secundum divinitatis suæ substantiam, ait Maximinus[3], non solum ab hominibus non videtur Filius; sed etiam nec a cœlestibus virtutibus. Potest enim archangelus angelum videre, angelus animas nostras spirituales et videre, et penetrare, hoc est, utique majores inferiores et videre, et penetrare. Et secundum Salvatoris sententiam, ut dicebat tunc ad illum, qui se divitem jactabat, *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua a te*[4]: est officium angeli, ut animam restituat ante conspectum Domini; non tamen anima potest angelum videre, aut exhibere. Isto enim ordine ascende superius, et invenies, quemadmodum est unus invisibilis Deus Pater, qui superiorem non habet, a quo circumspiciatur. » Perspicue Maximinus invisibilem ideo Patrem esse solum asserit, quia neminem supra se habet, a quo comprehendatur, ut etiam verba illius refellendo interpretatus est Augustinus[5]; qui hoc irridet, quod ab illo dictum erat, archangelos non videre angelos, neque hos animas hominum, cum divini libri testentur «et ab hominibus angelos visos, quando voluerunt et quomodo voluerunt videri, jubente, vel sinente omnium creatore; » ac denique Maximinum pugnare secum ipsum docet; qui cum dixisset, « ideo solum dicendum invisibilem Patrem, quia non habet superiorem, a quo circumspiciatur, confessus est postea, Filio esse visibilem. »

XI. Verum etsi futilis est Maximinus iste, ac tota inepta ejus oratio; non tamen in eo, quod illi objicit Augustinus, contradicere sibi videtur. Nam tametsi et homines angelos viderint, et Patrem Filius; si sic viderunt, ut non caperent, id est, comprehenderent, potest illis invisibile dici, quod utcumque, sed non perfecte videbant; præsertim hominibus angeli, quorum non substantiam, sed circumfusam extrinsecus speciem intuebantur illi. Itaque sive Deus, sive angelus Mosi, exempli gratia, aspectabili figura conspectus est; utervis ab eo visus non est, et invisibilis appellari nihilominus potest; quod eidem Maximino postea Augustinus objicit.

Cur Patrem invisibilem dixerint Ariani.

Altera ratio, cur visum esse Patribus solum Filium aspectabili indutum specie, non vero Patrem Ariani putaverint, ab eodem Maximino ponitur; quod immutabilis sit Pater, neque verti in formas ullas potest. « Pater inquit ille[6], neque in specie columbæ, nec in forma hominis, nec aliquando vertit se in formas, sed nec aliquando vertitur; de quo scriptum est: *Ego sum, qui sum, et non sum mutatus.* » Hanc ipsam rationem simili in argumento sæpe Arianos usurpasse meminimus, imprimisque fautorem partium illarum Cæsariensem Eusebium, cujus in primo *de Trinitate* libro verba descripsimus, maxime ex primo *Ecclesiasticæ Historiæ*, ubi « nefas esse dicit, et a ratione alienum, ingenitam, et immutabilem substantiam omnipotentis Dei

1 Lib. I, n. 3. — 2 Lib. I. — 3 Lib. I *cont. Max.* — 4 *Luc.* XII. — 5 Lib. II, cap. II. — 6 Apud Aug. in fine lib. I.

in virilem converti speciem; neque vero genitæ ullius rei specie intuentium oculis illudere[a]. » Fuit eadem et veterum illorum oratio, quos attigi superiori capite, ac plenius in primo illo libro *de Trinitate* percensui. Qui mihi videntur figuras illas et formas, quibus apparens se Dei majestas conspectibus hominum obtulit, non sine τροπῇ, et *mutatione* aliqua ejus, quæ sub iis latebat, substantiæ putasse fieri. Itaque non solum per se, et in substantia sua videri non posse Patrem dixerunt, quod cum Filio, et aliis plerisque commune habet, etsi præstantiore id illi modo convenit; sed ne aspectabili quidem, et sensibili videri specie, quod immutabilis sit, et immensus; quasi, si sic lateat, vel includi eum certo spatio necesse sit, vel aliqua substantiæ mutatione converti.

At complures antiquorum Patrum, qui hanc Arianorum insaniam exagitabant, hoc unum probare satis habebant, non minus invisibilem suapte substantia Filium esse, quam Patrem, tanquam illi ἀόρατον funditus negarent Filium. In quo similiter fecerunt, ac cum eosdem refellentes Arianos, qui solum Patrem verum, bonum, immortalem, ac cætera ejusmodi esse dicebant, ex eo consequi pugnabant, malum, aut falsum, aut obnoxium esse morti Filium: quod Ariani minime volebant, quorum mentem alibi sumus interpretati.

XII. Quod de Maximini, Arianorumque cæterorum opinione dixi, visibilem eo sensu Filium ab illis esse factum, Patrem autem invisibilem, quoniam ab hoc ille, non hic ab illo comprehenditur, potest ex Athanasio libro *de Synodis* approbari, ubi germanam Arii perfidiam ex ejus *Thalia* explicans, sic eum existimasse refert, non comprehendi Patrem a Filio. « Quæ enim ratio patitur, eum, qui est ex Patre, genitorem suum cognitione comprehendere? Manifestum est id quod principium habet, eum qui caret principio, ut in se est, animo complecti, ac comprehendere non posse[b]. » Hæc Arii verba in libro, qui *Thalia* inscribebatur, ipsissima illa sunt, ad quæ Maximinus respiciens, professus est, « ideo solum Patrem invisibilem esse, quia non habet superiorem, a quo circumspiciatur. » Nam quod *circumspicere* dicit, id Arius ἐμπερινοῆσαι, et ἐμπεριδράξασθαι vocat, quod est quasi *sepire cognitione*, ac *circumprehendere*. Hoc modo invisibilem negavit esse Filium, cum alioqui substantia sit ejus invisibilis; ut minime mirum sit, etiam Origenem, qui, ut scribit Hieronymus[1], Patrem a Filio comprehendi negavit, Filium tamen naturæ invisibilis esse scripsisse in quarta *ad Genesim* homilia.

Sic Ambrosius[2] hæc *visibilis*, et *invisibilis* nomina de cognitione, etquidem accurata et perfecta videtur intellexisse, cum invisibilem esse Spiritum sanctum, ex Christi verbis adstruit: « Quem hic mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec cognoscit eum. Habes ergo et Paraclitum Spiritum eumdem, et Spiritum veritatis, et Spiritum invisibilem designatum. » Unde et de Filio concludit sic: « Quomodo igitur secundum divinitatem quidam Filium visibilem putant, cum etiam Spiritum mundus videre non possit? »

XIII. Alterum quod in hac quæstione pro certo habendum esse arbitror, illud est: Cum Filius et Spiritus sanctus nihilo magis ex sese sint aspectabiles, quam Pater; tum hunc ipsum alias solum, alias cum Filio, vel Spiritu sancto, assumpta extrinsecus apparuisse specie; neque solum Filium omnes illas ἐπιφανείας obiisse, quæ in sacris Libris memorantur. Interdum vero nullam ex tribus personis, sed angelos vel alicujus ex iis vicem subiisse, vel ipsos per sese, quod mandatum erat administrasse. Quamobrem divinare illos puto, qui quoties insignis aliqua functio agitur, Filii ubique personam introducunt, ac neque personis cæteris, neque angelis prodeundi copiam faciunt. Certe Athanasius[c] etsi Filium sæpe videndum objecisse se patriarchis existimat, nonnunquam tamen angelos in partem vocat muneris illius, ac perspicuum fuisse discrimen ait, ut qui Deum videret, sciret non angelum esse, sed Deum, ac vicissim non Deum esse, sed angelum, cum hunc coram aspiceret; ut cum Manue Samsonis patri angelus apparuit. Addit et interdum per angelos loqui Deum: ut cum Mosi in rubo

Pater, assumpta extrinsecus specie in Scripturis visus.

Manifestationes.

a Euseb. lib. I *Hist.* cap. II. Εἰ γὰρ μηδεὶς ἐπιτρέποι λόγος τὴν ἀγέννητον, καὶ ἄτρεπτον οὐσίαν τοῦ θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς ἀνδρὸς εἶδος μεταβάλλειν, μὴ δι' αὖ γεννητοῦ μηδενὸς φαντασίᾳ τὰς τῶν ὁρόντων ὄψεις ἐξαπατᾷν.

b Athan. lib. *de Syn.* Τίς γὰρ λόγος συγχωρεῖ τὸν ἐκ πατρὸς ὄντα αὐτοῦ τὸν γεννήσαντα γνῶναι ἐν καταλήψει; δῆλον ὅτι τὸ ἀρχὴν ἔχον τὸν ἄναρχον, ὡς ἔστιν, ἐμπερινοῆσαι, ἢ ἐμπεριδράξασθαι οὐχ οἷόν τέ ἐστιν.

c Athan. orat. IV. Εἰ δέ ποτε ὀφθέντος ἀγγέλου ὁ

1 Ep. LIX *ad Avit.* — 2 Lib. I *de Spiritu sancto,* cap. IV. — 3 *Judic.* XIII.

conspectus est angelus, is revera fuit angelus, sed in eo Dominus locutus est, qui dixit: *Ego sum Deus Patrum tuorum*, etc.

Gregorius vero Nyssenus in primo libro *adversus Eunomium*, promiscue personas tres, apparuisse confirmat ex Esaia [1], qui Dominum vidisse se refert *sedentem in solio excelso, et elevato*. Quem quidem Patrem fuisse, « antiquior, inquit, habet traditio [a]. » At eumdem Joannes Filium ait fuisse, cum visum illud commemorat: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo* [2]. Paulus vero Spiritui sancto illud idem attribuit: *Quia bene Spiritus sanctus*, inquit, *locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros*. Ex quo concludit Gregorius, « visum omne paulo divinius, et omnem Dei præsentiam, ac sermonem omnem, qui ex Dei persona dicitur, de Patre, et Filio, et Spiritu sancto intelligi debere [b]. » Ideo Paulus id, quod a Davide [3] proditum est, Israelitas Deum in deserto provocasse, et ad iracundiam excitasse in inaquosa solitudine, Spiritui sancto in epistola *ad Hebræos* [4] accommodat: *Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis*, etc.

Idem cum Gregorio, quod ad Isaiæ locum illum spectat, Ambrosius judicat in libro I *de Symbolo* [5]: « Filius, inquit, ab Esaia propheta in regnantis solio, habituque visus est; sed propter consortium majestatis, unitatemque substantiæ Spiritus sanctus in Propheta est locutus. »

Epiphanius in *Expositione fidei catholicæ*, Ecclesiæ veræ et orthodoxæ communia dogmata explicans, unum eorum hoc esse docet, « Patrem, Filium, et Spiritum sanctum ab orbe condito sanctis suis per visum apparere dignatum; quantum capere quisque poterat [c]; » ac Patrem interdum esse conspectum, alias Filium, alias Spiritum sanctum.

XIV. Dionysius vero generatim per angelos omnes illas antiquis Patribus ostensas ἐπιφανείας gestas esse confirmat, ac nullam ἀμέσως, hoc est sine angelorum interpositione, ab solo Deo factam; tametsi quæ inter illas insigniores essent, ac divinitatis adumbrationem haberent paulo distinctiorem reliquis, θεοφάνειαι dicerentur, hoc est, *apparitiones Dei*, tanquam per seipsum Deus illas obiisset. « His porro divinis, ait, visis eximii patres nostri per interpositas cœlestes virtutes initiabantur. Nonne sacram illam legislationem, divinæ Scripturæ traditio primo statim intuitu, a Deo Mosi editam fuisse testatur, uti revera nobis mystice demonstraret, divinæ illam, et sacræ adumbrationem esse? Hoc vero et sapienter theologia nos docet, legislationem istam per angelos ad nos pervenisse; quoniam quidem divina id ordinatione sancitum est, ut secunda per prima ad id, quod divinum est evehantur [d]. » Alludit autem, uti Maximus observat, ad id quod in *Actis* Stephanus ait [6], « legem in dispositione angelorum acceptam » fuisse. Quod autem Deus appellatur, proque Deo se gerit, ac loquitur interdum, qui angelus sit, causam hanc reddit Dionysius, quod Dei in sese personam excellenti quadam ratione gereret; ut cum præco non ex sua, sed ex principis persona quippiam pronuntiat. Sane Tertullianus in libro *de Carne Christi* [7], angelos fuisse censet, qui patriarchis olim apparebant. *Manifestationes.*

XV. Sed hanc totam quæstionem nemo luculentius, pleniusque pertractavit, quam Augustinus in secundo *de Trinitate* [8]; ubi hanc Arianorum, et aliorum quoque convincit opinionem, nunquam apparuisse Patrem, qui sit invisibilis, sed Filium, cujus est substantia visibilis. Contra quos ille, non solum hunc apparuisse demonstrat, sed etiam Patrem, ac Spiritum sanctum, interdum vero totam simul

ὁρῶν φωνῆς ἤκουσε Θεοῦ, ὥσπερ ἐπὶ τῆς βάτου γέγονεν· ὤφθη γὰρ ἄγγελος κυρίου ἐν φλογὶ πυρὸς ἐκ τῆς βάτου· καὶ ἐκάλεσε κύριος Μωϋσῆν ἐκ τῆς βάτου, λέγων· ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς τοῦ πατρός σου· ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακὼβ, ἀλλ' οὐκ ἦν ὁ ἄγγελος, ὁ Θεὸς Ἀβραάμ· ἐν δὲ τῷ ἀγγέλῳ λαλῶν ἦν ὁ Θεός· καὶ ὁ μὲν φαινόμενος, ἦν ἄγγελος, ὁ δὲ Θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει.

a Greg. Nyss. Ἡ μὲν ἀρχαιοτέρα παράδοσις τὸν πατέρα εἶναι λέγει τὸν ὀφθέντα.

b Id. Πᾶσα ὀπτασία θειοτέρα, καὶ πᾶσα θεοφάνεια, καὶ πᾶς λόγος ἐκ προσώπου Θεοῦ λεγόμενος ἐπὶ τοῦ πατρὸς νοεῖται, καὶ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἐπὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου.

c Epiph. in *Expos. fid.* num. 14. Καὶ τοῦτο τὸν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα τοῖς αὐτοῖς ἁγίοις, καὶ ἀπ' αἰῶνος καταξιώσαντα ἐν ὀπτασίαις φανῆναι, καθάπερ ἠδύνατο ἕκαστος φορεῖν.

d Dion. cap. IV *de Cœl. hierar.* Ταύτας δὲ τὰς θείας ὁράσεις οἱ κλεινοὶ πατέρες ἡμῶν ἐμυοῦντο διὰ μέσων τῶν οὐρανίων δυνάμεων· ἢ οὐχὶ καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ νόμου θεσμοθεσίαν ἡ τῶν λογίων παράδοσις ὡς αὐτόθεν μέν φησιν ἐκ Θεοῦ τῷ Μωϋσῇ δεδωρημένην; ὅπως ἂν ἡμᾶς ἀληθῶς μυήσαιτο, θείας αὐτὴν εἶναι, καὶ ἱερᾶς ὑποτύπωσιν. διδάσκει δὲ καὶ τοῦτο σαφῶς ἡ θεολογία, τὸ δι' ἀγγέλων αὐτὴν εἰς ἡμᾶς προελθεῖν ὡς τῆς θεονομικῆς τάξεως ἐκεῖνο θεσμοθετούσης, τὸ διὰ τῶν πρώτων τὰ δεύτερα πρὸς τὸ θεῖον ἀνάγεσθαι.

1 *Isa.* VI. — 2 *Joan.* XII, 41. — 3 *Psalm.* XCIV. — 4 Cap. III, 7. — 5 Cap. X. — 6 *Act.* VII. — 7 Cap. III. — 8 Cap. IX, X, XI.

Trinitatem; adeo ut non satis liquido plerumque constet, quis potissimum visus fuerit, ut cum Adamo deambulans[1], ac loquens oblatus est, potest vel Pater solus intelligi, vel Deus unus ac trinus; cujus sola vox audita, non species aliqua conspecta memoratur. Abrahamo vero quis apparuerit, nihilo constare magis, utrum certa aliqua persona, an omnes tres, et hoc posterius verisimile esse confirmat. Sic Loto duos conspectos esse Filium, et Spiritum sanctum[2]. Mosi quoque quis potissimum apparuerit, ac quis Israelis posteros per desertum duxerit, aut in Sinæ vertice legem dederit, haud satis esse compertum; nec ad unam magis, quam cæteras duas, aut universas accommodari ista posse, sive per se, obducta aliqua corporea specie, sive per ministros angelos omnia illa gessisse credantur. Denique sub libri finem ita concludit[3]: « Quapropter si in illis vocibus, quæ fiebant in *Exodo*, et illis omnibus corporalibus demonstrationibus Dominus Jesus Christus ostendebatur, aut alias Christus, sicut loci hujus consideratio persuadet, alias Spiritus sanctus, sicut ea, quæ supra diximus, admonent; non hoc efficitur, ut Deus Pater nunquam tali aliqua specie patribus visus sit. Multa enim talia visa facta sunt illis temporibus, non evidenter nominato, vel designato in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto; sed tamen per quasdam valde probabiles significationes nonnullis indiciis existentibus, ut nimis temerarium sit dicere, Deum Patrem nunquam patribus, aut prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse. » Ac sequenti capite, « Nemo, inquit, sani capitis affirmare debet, nusquam personam Patris per aliquam speciem corporalem vigilantium oculis demonstratam. » Tum ita præscribit: « Nihil aliud, quantum existimo, divinorum sacramentorum modesta, et cauta consideratio persuadet, nisi ut temere non dicamus, quænam ex Trinitate persona cuilibet patrum et prophetarum in aliquo corpore, vel similitudine corporis apparuerit, nisi cum continentia lectionis aliqua probabilia circumponit indicia. Ipsa enim natura, vel substantia, vel essentia, vel quodlibet alio nomine appellandum est idipsum, quod Deus est, quidquid illud est, corporaliter videri non potest. Per subjectam vero creaturam non solum Filium, vel Spiritum sanctum, sed etiam Patrem corporali specie, sive similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse credendum est. » Eadem repetit et initio tertii libri; tum[4] per ministros angelos administrata esse illa omnia, quæ in Vetere Testamento gesta produntur, quamvis Deus ipse vel dixisse aliquid, vel fecisse legatur: « Quia cum verba judicis, ait, præco pronuntiat, non scribitur in gestis: Ille præco dixit, sed ille judex. Sic etiam loquente Propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, nihil aliud, quam Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, Prophetam non subtrahimus; sed quis per eum dixerit, admonemus. » Subinde vero castigat eos, qui quoties in veteri lege, maxime in *Exodo*, « Scriptura angelum nominat, ipsum per seipsum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ, ac suæ voluntatis a Propheta dictus est angelus. » Quos ex epist. *ad Hebræos* arguit; in qua non angelus singulari numero, sed angeli memorantur: *Si enim, qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus*: necnon ex oratione Stephani[5]: *Qui accepistis legem in edictis angelorum, nec custodistis.* Quem locum pene totidem verbis Albinus Flaccus expressit in secundo *de Trinitate*, capite XVIII. Et Procopius sophista in *Excerptis in Genesim*[6], « Quemadmodum, ait, minister regius regis vocem usurpat, dicens, *Hoc jussi*, vel *donavi*[a].» Sic in libro *contra Adimantum Manichæum* ostendit per angelos, uti per prophetas, Deum fecisse, dixisseque multa, quæ Deo soli tribuere Scriptura videtur. Vide insuper Augustini sermonem XI *de Verbis Domini secundum Matthæum*, capite XVI.

XVI. Hæc si quis ab Augustino, præsertim hac de re, accurate disputata legerit, facile Arianorum, et cum maxime Eusebii, argumenta contemmet, quæ sunt levissima. Hæc autem ex antecedentibus potissimum colliguntur.

Primum Joannis testimonio utebantur, qui sic ait: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[7]. Sed respondet Ambrosius[8] apud Augustinum[9], « Cum ergo Filius sit Deus, quod etiam Ariani profitebantur, in eo utique, quod Deus est Filius, non videtur. » Certe Deum istic Patris personam significare potius, quam divinam ipsam naturam, vel Trinitatem totam, ratio nulla convincit; et ut Pater præcipue sit

a Procop. Ὥσπερ γὰρ ὑπηρέτης βασιλικὸς βασιλέως φωνὴν ὑποκρίνεται· ἐκέλευσα, λέγων· ἐδωρησάμην.

1 August. libr. II, cap. X. — 2 Cap. XII. — 3 Cap. XVII. — 4 Cap. XXI. — 5 *Act.* VII. — 6 Cap. IX. — 7 *Joan.* I, 18. — 8 Lib. *in Luc.* — 9 Ep. CXI.

intelligendus, ut nonnullis etiam catholicis visum est, velut Hilario [1], Cyrillo Hierosolymitano [2], Cæsario [3], nemo inde colligere potest Filium, vel Spiritum sanctum in sua visos esse substantia; quod Arianis placuit.

Item illud Apostoli usurpabant sæpius [4]: *Rex regum, et Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* quod « non Trinitati, ut ait Augustinus [5], sed singulariter, et proprie Patri tantummodo convenire » volebant, ut et illud : *Immortali, invisibili soli Deo* [6], ab eodem dictum Apostolo. Ita Maximinus Arianorum episcopus catholicis apud Augustinum eumdem objicit [7]. Sed iis respondere nullum negotium est; quod facit Augustinus in tertio libro *contra Maximum* [8]. Nam neque de solo Patre, excluso Filio, intelligere ista cogimur; neque Filium per se, et in substantia ipsa divina visum esse, aut videri posse demonstrant.

XVII. Eusebii porro argumenta, quibus passim solum apparuisse contendit Filium, nihilo firmiora sunt. Horum illud præcipuum est, quod supra commemoravi [9] : Nefas esse dictu, Patrem immutari, et in hominis converti speciem, ac figuram. Verum ut sumpta hominis forma Pater apparere voluerit, nullam propterea mutationem subiit. Et mirum est, sic obtusum fuisse hominem istum, ut quid esset consequens, non videret. Etenim ne assumpto quidem homine vero, Verbum Dei mutationem sensit ullam; quod in VII *de Demonstratione* idem Eusebius asseverat. « Sed neque maculam, vel corruptelam, vel inquinationem aliquam, inquit, ex ea, quam assumpsit, carne contraxit; quoniam cum natura sit corporis, et materiæ, et carnis expers, utpote Dei Verbum; divina vi, et rationibus iis, quæ a nobis explicari nequeunt, totam illam assumpti hominis dispensationem subiit ita, ut propria et sua communicaret, aliena non admitteret. Quocirca quid Incarnationem illam vereri attinet, cum neque contaminaretur expers ille contaminationis, neque ex carne fœditatem ullam caperet, qui fœdari non potest; neque una cum naturali corporis conditione corrumperetur impatibile Dei Verbum? Nam et solis radii pati nihil possunt, cum in cadavera, et qualiacumque corpora mittuntur [a]. » Ut igitur Patrem ipsum externa aliqua velatum specie conspectum esse dicamus; nihilo mutatus magis est, quam cum nube tectus splendida vocem emisit illam, quæ sine dubio solius erat Patris : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* [10]; et, *Ego clarificavi, et iterum clarificabo* [11]. Non enim indignius est summa illa, et præstantissima Dei majestate, utcumque in aures hominum incurrere sensibili aliqua sonitus specie, quam in oculos, usurpata ad tempus imagine corporis, ut alia prætermittam, quæ ex Augustino peti possunt, iis in locis, ad quos supra digitum intendimus, in quibus Eusebianas illas non valde callidas, argutasque rationes magno pondere solidæ veritatis elidit. Sane quidem importunus et odiosus iste scriptor est, dum ad fastidium usque δεύτερον θεὸν, et ἕτερον θεὸν, et δεύτερον αἴτιον, et μείζονα, vel κρείττονα θεὸν, aliaque id genus ingerit, maxime in quarto, et quinto libro *de Evangelica demonstratione;* ubi Filio partes imponit apparitoris et ministri, interim dum Pater feriatus abditusque residet, ac laboriosi sibi muneris vacationem assumit. Sed hæc inepta sunt. Nos cum Augustino, aliisque pro certo teneamus, angelos sæpe Dei vicem ac personam obiisse, ejusque nomine dixisse ac fecisse multa, modo Patris, modo Filii, modo Spiritus sancti, modo Trinitatis ipsius; quis autem, quibus locis, ac temporibus prodierit, conjecturam esse difficilem, nec vero multum necessariam, quam ex adjunctis et circumpositis capere oportet. Ac tum, ut ait Augustimus in XV *contra Faustum*, capite VI, « etsi sit operatio communis, tamen per creaturam corporalem fit demonstratio singulorum. » Ut cum vox illa ad Jordanem est audita, *Hic est Filius meus dilectus*, non aliam, quam Patris demonstratam esse personam liquet, ut inter alios Paschasius in secundo *de Spiritu sancto*, capite secundo adnotat. « Nam sicut dicere non pos-

a Euseb. lib. VII *de Demonst.* Ἀλλ' οὐδὲ ῥύπον, ἢ φθορὰν, ἢ μίασμα ἐξ ἧς ἀνείληφε σαρκὸς ἐπενηνεγμένος, ὅτι δὴ ἀσώματος ὢν τὴν φύσιν, καὶ ἄϋλος, καὶ ἄσαρκος, οἷα θεοῦ λόγος, ἐνθέῳ δυνάμει, καὶ λόγοις ἡμῖν ἀῤῥήτοις πᾶσαν ὑπῄει τὴν οἰκονομίαν, τῶν οἰκείων μεταδιδοὺς ἀλλ' οὖν (for. οὐδὲν) ἀντεπαγόμενος τῶν ἀλλοτρίων. Οὐκοῦν τί φοβεῖσθαι χρὴ τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν, ἐπεὶ μὴ ἐμολύνετο ὁ ἀμόλυντος, μηδὲ ἐκ τῆς σαρκὸς ὁ ἀμίαντος ἐμιαίνετο, μηδὲ συνεφθείρετο τῇ τοῦ σώματος οἰκείᾳ φύσει ὁ ἀπαθὴς τοῦ θεοῦ λόγος; ἐπεὶ μηδὲ ἡλίου πάθοιεν ἄν τι ἀκτῖνες νεκρῶν, καὶ παντοίων σωμάτων ἐπαφώμεναι.

1 Lib. VI. — 2 *Cat.* XIV. — 3 Lib. I, inter. XLI. — 4 In I *Tim.* VI, 16. — 5 Lib. II *de Trinit.* cap. IX. — 6 I *Tim.* I, 17. — 7 Tom. VI, lib. I. — 8 Cap. XXVI. — 9 Lib. V *de Dem.* — 10 *Luc.* IX. — 11 *Joan.* XXII, 28.

sumus, quod vel Pater descenderit in specie columbæ, vel in Patris voce Filius sit locutus, quando dixit: *Hic est Filius meus;* ita Spiritum sanctum asserere non potes vel natum ex Virgine, vel in carne Redemptoris spiritualiter conversatum. » Est autem, ubi ad discernendam personam non est conjectura facilis. Alphonsus Tostatus ejus rei dignoscendæ regulam sane probabilem affert ad nonum decimum caput *Exodi*[1]. Quædam ait in Scripturis gesta commemorari vel exigua, vel ad unum aliquem, paucosve pertinentia; alia vero præclara, et insignia, vel ad usum populi totius spectantia. In prioribus administros fuisse solos angelos, quos Scriptura sic expressit, ut nullam divinæ alicujus personæ significationem præbeat. Posterioris autem generis res a Deo tractatas esse, itaque declarari, ut appareat non solum intervenisse angelum, sed per ipsum egisse, quæ vellet, illum, aut dixisse. Tum exempla subjicit ἐπιφανειῶν, quæ in sacris Litteris referuntur, ac singillatim expendit. Quæ quia minus necessaria judicavi, apud illum legi malo, quam in his percensendis tempus, operamque consumere.

Apparitionum.

CAPUT III.

De missione Spiritus sancti, quæ donatio proprie dicitur, ut et ipse donum. In quo doni ratio sita; et quomodo Spiritui sancto proprie tributa sit. Cur Filius non sit donum. An Spiritus sanctus ex æterno donum sit, et cur personalis ejus proprietas ex comparatione ad res creatas usurpetur. Lambertus Danæus refellitur.

I. Duas ex tribus esse personas, in quas missio convenit, iis argumentis persuasum esse confido, quæ in antecedenti primo capite disputavimus. Sunt autem insignes ambarum missiones duæ: altera Filii propria, qua naturam hominis homo factus assumpsit: altera Spiritus sancti, qua ad communicandam sanctitatem, et justitiam, angelis, atque hominibus infunditur. Harum prior seponenda nunc est, et propriæ tractationi, quæ quidem copiosior debet esse, reservanda : de altera, quæ est Spiritus sancti, dicemus hoc in capite. Cujus quidem explicandæ fundamenta jacta sunt, cum et de modo processionis illius[2], in quo a Filii generatione distat, et de missione amborum egimus[3]. Cum enim missionis ratio ex substantiali productione personæ, quæ mittitur, et externa quapiam effectione constet, pro eo ac diversa est origo, dissimilis quoque missio sit oportet. Itaque quoniam ea peculiaris est Spiritus sancti productio, ut ex affectu, ac propensione voluntatis, hoc est amore procedat, consentaneum habet illi origini missionis modum; ac tum mitti dicitur, cum ex inclinatione divinæ voluntatis in eum, quem amat, idem ille, quo amat, communicatur Spiritus, ac « Dei charitas diffunditur[a], » vel, ut in Græco est, « effunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Ex quo id primum est consequens, ut Spiritus sancti missio donatio, ipse vero proprie donum appelletur; quod supra commemoratum obiter, hoc loco plenius exponi necesse est.

Quocirca Spiritui sancto peculiare id esse, ejusque et origini, et personæ vi quadam nativæ proprietatis insitum, ut sit donum, frequens est in usu sanctorum Patrum, maxime Latinorum. Sed et ex Græcis Basilius diserte δῶρον θεοῦ Spiritum sanctum nominat. Nam hæreticorum, qui illius divinitatem oppugnabant, argumentum istud objicit sibi : « In nobis, inquiunt, Spiritus tanquam donum inest a Deo. At donum nequaquam iisdem, quibus is, qui dedit, honoribus afficitur[b]. » Quibus sic Basilius occurrit : « Donum est quidem Dei Spiritus, sed donum vitæ : *Lex enim*, ait, *Spiritus vitæ liberum me fecit*[6], et donum virtutis. *Accipietis enim*, ait, *virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti*[7]. » Tametsi mox etiam Filium a Patre datum esse ait hominibus; ac propterea non ideo Patre, ac Filio inferiorem esse Spiritum, quod ab illis donetur, cum Filius, qui a Patre datur, non eo sit minor, ut illi fatebantur, contra quos disputat Basilius, qui de Filii divinitate recte sentien-

Peculiaris S. Spiritus nota ut sit et vocetur Donum Dei.

Donum Dei.

a Paul. *Rom.* v, 5. Ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν.

b Basil. *de Spiritu sancto*, cap. xxiv. Ἐν ἡμῖν, φησὶ, τὸ πνεῦμα ὡς δῶρόν ἐστι παρὰ θεοῦ. οὐ δήπου δὲ τὸ δῶρον ταῖς ἴσαις τιμαῖς τῷ δεδωκότι σεμνύνεται. Δῶρον μὲν οὖν τοῦ θεοῦ τὸ πνεῦμα· ἀλλὰ δῶρον ζωῆς· ὁ γὰρ νόμος, φησὶ, τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἠλευθέρωσέ με. καὶ δῶρον δυνάμεως. λήψεσθε γὰρ, φησὶ, δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς.

1 u. vii. — 2 Libro antec. cap. xiii. — 3 Supra cap. i et ii. — 5 Lib. VII, cap. xiii. — 6 *Rom.* viii, 2. — 7 *Act.* i, 8.

tes, solum oppugnabant Spiritum. Itaque non possumus ex illo Basilii testimonio hoc, quod volumus, efficere, proprium id esse Spiritus sancti, ut sit donum, cum hoc etiam Filio competat, *quocum Pater nobis omnia donavit*[1]. Itaque Didymus in secundo libro de *Spiritu sancto*, dari, et mitti a Patre dicit Filium, et Spiritum sanctum.

II. Non desunt et alii Græci Patres, qui Spiritum sanctum δῶρον, vel δωρεὰν appellent Dei, ut Chrysostomus[2]; aut a Patre, Filioque dari illum asserant; quorum postea testimoniis utemur. Rursus idem Chrysostomus in homilia quadam *de Spiritu sancto*[3], hunc ipsum δῶρον appellari significat. Quod nomen non ex ejus natura, sed ex ἐνεργείᾳ, et *efficientia* illi impositum ait. Nam cum varia ipsius nomina recensuisset, velut sunt *Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus Christi*, et similia; mox ista subjicit : « Hæc nomina sanctæ, et illibatæ sunt virtutis sancti et adorandi Spiritus. Sunt et alia nomina non naturæ congruentia, sed operationi. » Ac subinde, « Sunt, inquit, alia nomina, quæ non adscribuntur sancto Spiritui, sed virtuti, et operationi ejus, ut sunt dona ipsius[a]. » Quæ dona deinceps enumerat, ut sunt « Spiritus sapientiæ, Spiritus charitatis, Spiritus virtutis. » Ubi dona ipsa appellari Spiritus observat : « Quandoquidem enim quod datur, Spiritus sanctus est, appellatur etiam donum ipsum simili nomine, ac donator ipse[b] ; » in cusis codicibus legitur, τῷ χαρίσματι, nullo plane sensu. Quid enim est, *donum*, ὁμονύμως id est *simili vocabulo*, et *æquivoce* nominari cum *charismate;* quasi aliud sit δῶρον, quam χάρισμα. Itaque ex veteri codice Regiæ Bibliothecæ restituimus χαρίζοντι, tametsi verbum hoc in activo genere sit insolens. Sed vel uti illo potuit auctor homiliæ istius, quem non esse Chrysostomum, sed potius Severianum, ex stylo conjicimus, vel χαριζομένῳ scripsit. Ita certe Joannes Beccus in antiquo isto codice, ut posuimus, citavit. Nam in hujus *Excerptis*, septimo capite, locus ille Chrysostomi continetur. Qui quidem Spiritum sanctum perinde, atque hujus efficientias, *doni* nomine affici demonstrat. Cyrillus etiam in dialogo tertio *de Trinitate*[4], Spiritum sanctum appellat δόσιν ἀγαθὴν et δώρημα θεῖον, *datum bonum, et donum divinum*.

III. Verum Græcis omissis qui non omnes liquido, neque ita, ut soli congruat, certam personæ tertiæ notam, ac proprietatem doni appellatione definiunt, ad Latinos potius confugiemus, qui hoc disertius, quam Græci, tradiderunt. Hilarius in libro secundo *de Trinitate*, « Spiritum Dei donum ait esse fidelium. » Et mox, cavendum ait, « ne cum sancti Spiritus nomine et usus negetur, et donum. » Sic alibi *munus*, idem appellatur Spiritus; nec non ab Ambrosio initio libri *de Symbolo*, qui Hilarii imitatione dixit, « Æternitas est in Patre, species in imagine, virtus in munere ; » de quo alibi est dictum. Omnium vero instar erit Augustinus, qui sæpius donum Dei Spiritum sanctum sic nominat, ut ejus peculiare, ac personale id esse nomen ostendat; et vero rationem, cur ita sit, edisserat.

In libro *de Vera religione*[5], « Quare, inquit, ipsum donum Dei cum Patre, et Filio æque immutabile colere, et tenere nos convenit, unius substantiæ Trinitatem, unum Deum. » etc. Et in libro *de Fide et Symbolo*[6]: « De Spiritu sancto autem nondum tam copiose, ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium, quo proprio fit, ut eum neque Filium, neque Patrem, dicere possimus, sed tantum Spiritum sanctum, nisi quod eum donum Dei esse prædicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare. » Et in eodem libro, capite quinto, Spiritum sanctum vocat munus divinum, personalem hanc ei proprietatem tribuens : « Hæreses namque tam innumerabiles, inquit, a regula Christianitatis aversæ testes, non admitti ad communicanda sacramenta eos, qui de Patre Deo, et sapientia ejus, et munere divino aliter sentiunt, et hominibus persuadent, quam veritas postulat. » Sic in *Enchiridio* rursus[7]: « Et utique Spiritus sanctus Dei donum est quod quidem et ipsum est æquale donanti. »

a Chrys. hom. lxxii. Ταῦτα τὰ ὀνόματα τῆς ἁγίας, καὶ ἀχράντου δυνάμεως τοῦ ἁγίου ἐστὶ, καὶ προσκυνητοῦ πνεύματος. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα ὀνόματα οὐ τῇ φύσει προσήκοντα, ἀλλὰ τῇ ἐνεργείᾳ. Mox : Ἔστι δὲ ἄλλα ὀνόματα, ἃ οὐ προσγράφεται τῷ ἁγίῳ πνεύματι, ἀλλὰ τῇ δυνάμει, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ αὐτοῦ· οἷον αἱ δωρεαὶ αὐτοῦ.

b Ibid. Ἐπειδή περ τὸ δωρούμενον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστι, καλεῖται καὶ τὸ δῶρον ὁμωνύμως τῷ χαρίζοντι.

1 *Rom.* viii, 32. — 2 Hom. lxxviii *in Joan.* — 3 Hom. lxxii. — 4 Citat. a Becco. c. vii. — 5 Tom. I, c. lv. — 6 Cap. ix, t. III. — 7 Cap. xxxvii.

Sed hoc apertius, accuratiusque tractat in quinto *de Trinitate* [1], ubi adeo proprium esse demonstrat Spiritus sancti, uti donum sit, et nominetur, ut in eo processionis, ac personæ illius proprietatem, qua distinguitur a Filio, constituat: « Exiit enim non quomodo natus, inquit, sed quomodo datus, et ideo non dicitur Filius. » Qui locus expositus est a nobis [2], cum de Spiritus sancti processione egimus; ubi et illud ex eodem Augustino commemoravimus, tametsi dari a Deo Spiritum sanctum, non æternum sit aliquid, sed temporale, esse id tamen sempiternum, ut donabile sit, in quo doni personalis proprietas consistit. Itaque, quia « sic *ex æterno* procedebat [3], ait idem, ut esset donabile, jam donum erat, et antequam esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter, cum dicit donatum. Nam donum potest esse et antequam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest. » Item et in quinto decimo *de Trinitate* asserit [4]. « Sic enim, inquit, et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et simul omnes unus Deus. Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum, nec de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. » Vides ut doni notio peculiaris sit sancti Spiritus, personalisque proprietas. Rursus eodem libro capite nono decimo causam indicat cur proprie sit donum; nimirum quod ex Dei charitate procedat, et sit ipsa Dei charitas et communio, uti superius enarravimus. Hinc etiam relativum illud [5], quo persona divina proprie constat, cum in nomine Spiritus non tam aperte contineatur, apparere dicit in eo, quod donum dicitur Dei. Nam « donum donatoris, et donator doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. »

In septimo item *de Trinitate* capite quarto, « Nec tres, inquit, Spiritus sancti; quia et Spiritus sanctus propria significatione, qua etiam donum dicitur, nec Pater, nec Filius. » Et in capite sexto, « Non tamen ut Pater ipse sit Filius, et Spiritus sanctus, et quidquid aliud ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum, quod non dicitur nisi Filius, aut donum, quod non dicitur nisi Spiritus sanctus. » Quinetiam passim aliis in locis donum Dei proprium esse Spiritum sanctum asserit [6]. Quamvis enim « alia plura sint dona Dei, Spiritus sanctus in proprietate immutabili, et æterna donum est, sicut Filius proprietate Filius est (ait Petrus Lombardus). Eo enim dicitur donum [7], quo Spiritus sanctus, et utroque utique nomine relative dicitur, eademque relatione dicitur Spiritus sanctus et donum. » Assentitur et Hugo Victorinus [8], Augustini verbis utens, ut solet; et ante hunc Beda, ad caput decimum *Actuum Apostolorum*, necnon Albinus Flaccus cum in secundo *de Trinitate* [9], cujus supra verba reddidimus [10], tum in libro *Quæstionum* [11]. Bernardus item [12], Richardus Victorinus libro VI capite XIV aliique complures.

IV. Est autem idcirco proprie donum, ut superius attigi; quod ex amore mutuo, et charitate procedat. Porro charitas fons est, et origino doni, imo donum ipsa, caputque cæterorum, quæ dona dicuntur, quorum princeps omnium est amor. Nullum enim donum est sine amore vere proprieque dictum. Ideo tritum illud, quia verissimum erat, in proverbium abiit; Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, *Non dona esse dona, quæ dantur ab inimicis.*

Sed ut evidentius sit, quemadmodum donum esse Dei, Spiritui sancto proprie conveniat, quæ sit ei vocabulo subjecta notio, attentius inquirendum est. Ac trita quidem illa est ex Aristotele deprompta in quarto *Topicorum* [13], ubi inter δόσιν id est *dationem*, et δωρεὰν, id est *donationem*, sive *donum*, discrimen affert ejusmodi. « Nam donatio, inquit, alicujus, et alicui dicitur, et datio alicujus, et alicui. Est autem datio genus donationis; nam donatio est datio non reddenda [a]. » Hic δωρεὰν pro donandi actione ipsa sumere videri potest, uti et δόσιν. Verum δόσις interdum pro munere, sive re, quæ datur, usurpari solet, ut apud Homerum, *donum exiguum, et jucundum* [b], quomodo et ab Aristotele credibile est istic accipi. At Philo Judæus in libro *de Caino*, hoc inter δόσιν, et δωρεὰν putat interesse, quod illa parvarum rerum sit, ista majorum. Idem Philo in libro *de Cherubim*, « Eorum, inquit,

In quo doni ratio sita.

a ARIST. Ἥ τε γὰρ δωρεὰ καὶ τινὸς, καὶ τινὶ λέγεται· καὶ ἡ δόσις τινὸς, καὶ τινὶ. ἔστι δὲ ἡ δόσις γένος τῆς δωρεᾶς. ἡ γὰρ δωρεὰ δόσις ἐστὶν ἀναπόδοτος.

b HOMER. Δόσις δι' ὀλίγη τε, φίλη τε.

1 Cap. XIV et XV. — 2 Cap. XIII. — 3 Cap. XVI. — 4 Cap. XVII. — 5 Lib. V, c. XI. — 6 Ut ser. XI *de Ver. Mat.* et ser. XLII, c. II. — 7 Lib. I, dist. XXVI lit. — 8 Lib. I *de Sacr.* cap. XXIV. par. III. — 9 Cap. XX. — 10 Cap. X. — 11 Inter. XXI, col. 764. — 12 Serm. III in *Pentec.* — 13 Cap. IV, n. 12 ex ed. Pacii, vel cap. II, loco. L.

quæ sunt, nonnulla in mediocri beneficio censentur, cujus nomen est datum. Alia in majore ponuntur, quod vocatur donum [a]. » Sed ut de doni natura paulo pressius agamus, « Aliud est munus [1], ait Seneca, aliud ipsa donatio ; aliud qui navigat, aliud ipsa navigatio. Ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad unumquemque nostrum beneficio pervenit. Illud incorporale est, irritum non fit, materia illius huc, et illuc jactatur, et dominum mutat [1]. » Munus ergo donum, sive materiam donationis appellat Seneca. Jurisconsulti tamen utrumque distinguunt [2], ut Marcianus, qui de doni conditione, ac natura, ea disserit, quæ ad institutum pertinent : « Munus proprie est, quod necessarie obimus lege, more imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem. Dona autem proprie sunt, quæ nulla necessitate juris, officii, sed sponte præstantur; quæ si non præstentur, nulla reprehensio est, et si præstentur, plerumque laus inest. » Alias tamen et donum significat, ut in lege octava decima ejusdem tituli. Grammatici vero tum eamdem illam differentiam servant, tum alteram hanc, quam Isidorus in sexto *Originum* habet, c. XIX. « Dona, proprie Dei dicuntur ; munera, hominum. Nam munera dicuntur obsequia, quæ pauperes divitibus loco munerum solvunt. Ita munus homini datur, donum Deo. » Agrætius vero, « Donum, inquit, dantis est ; munus, accipientis. »

V. Jam Aristotelea illa descriptio non satis accurata videtur. Neque enim id omne, quod sic datur, ut ad dantem non redeat, donum censetur, velut tributum, et præstatio. Sed addendum est, quod et jurisconsultus adnotavit, ut sponte, ac nulla necessitate donetur, ita ut laus ex eo consequatur, quam is meretur, qui nulla proposita spe utilitatis sponte aliquid largitur [3]. « Multum enim, ut ait Cleanthes, a beneficio distat negotiatio ; » quemadmodum et Cicero amicitiam illam [4], quæ emolumenti gratia suscipitur, « non amicitiam esse dicit, sed mercaturam quamdam utilitatum suarum. » Proinde et gratuita debet esse donatio, quæ a liberalitate proficiscitur, ut etiam Aristoteli placet in quarto *Moralium* [5], et maxime voluntaria. Quæ duo jurisconsultus alio in loco complexus est : « Donatio [6], inquit, proprie appellatur, cum quis dat aliquid ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, et propter nullam aliam causam, quam ut liberalitatem, et munificentiam exerceat. » Et alibi [7] : « Ea vera, et absoluta donatio dicitur, quæ ita proficiscitur, ut nullo casu revocetur. Hinc efficitur proprie Spiritum sanctum Dei esse donum, eamque personæ illius esse notam, quam ex processionis suæ peculiari modo consequitur. Nam quia ex amore prodit, et amor est, amorisque, quo se Deus, cæteraque amat omnia, terminus, et fructus ; ideo primum illud donorum omnium in creaturas impenditur, ac per ipsum deinceps reliqua donantur ; eaque donatio gratuita, et liberalis est, nullis redempta meritis, nullis precibus eblandita, quoniam pios omnes animorum motus antecedit cœlestis ille Spiritus afflatus, quo ad virtutem erigimur. Quare sola Dei voluntate, ac munificentia, nullaque prorsus necessitate tribuitur, neque item spe utilitatis ulla : Propterea « Spiritum sanctum plenitudinem esse donorum Dei, recte Didymus ait in libro primo *de Spiritu sancto*, et ea, quæ divinitus administrantur, non absque eo subsistere, quia omnes utilitates, quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte demanant. » Et Theodorus Abucara opusculo tertio eleganter appellat Spiritum sanctum « divitias, et promptuarium bonorum omnium donorum [b]. » Cui consentiens Hugo Etherianus libro tertio *contra Græcos*, capite tertio, « Est enim, inquit, donum Patris, et Filii, et divitiæ, quæ terminum non habentes defectum ignorant. » Quocirca singulari quadam ratione liberalis illa Dei largitio dicitur, ut sanctus Thomas asserit [8] ; « quia in omnibus aliis dantibus, ait, intenditur aliqua utilitas in dante vel boni temporalis, vel spiritualis. » Ubi et Avicennæ testimonium affert [9], qui nullam largitionem mere liberalem esse dicit nisi Dei, et operationem ipsius.

Ex iis porro, quæ partim Aristoteles, partim jurisconsulti docent, duo præsertim observanda sunt. Prius est, donum, id est, id quod datur alteri, ab eo, qui dat, reipsa diver- Duo in dono observanda.

a Philo. C. Τῶν ὄντων τὰ μὲν χάριστος μέσης ἠξίωται, ἣ καλεῖται δόσις· τὰ δὲ ἀμείνονος, ἧς ὄνομα οἰκεῖον δωρεά.

b Abuc. opusc. III. Ὅπερ ἐστὶν ὁ πλοῦτος, καὶ τὸ ταμιεῖον τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων δωρημάτων.

1 Lib. VI *de Benef.* cap. II. — 2 Leg. CCXIV *de Ver. sig.* — 3 Sen. lib. VI *de Ben.* cap. XIII. — 4 Lib. I *de Nat. Deor.* — 5 Cap. II. — 6 Lib. I *D. et Don.* — 7 Lib. XXXV. § *de Mort. cau. don.* — 8 In I, dist. XVIII, art. 5. — 9 Tract. V, *Met*, c. IV.

sum esse. Quod et Theodorus Abucara sub finem Opusculi tertii docet. Nam ex eorum genere est, quæ ad aliud referuntur, ut tradit Aristoteles. Itaque ab uno derivatur in alterum, ut non duo tantum re distincta, sed tria esse debeant, qui dat, quod datur, et cui datur. Alterum est, non necessario, sed sponte, ac libera voluntate dari. Hac duplici conditione ab nominis illius proprietate quædam excluduntur, quibus donationis interdum vocabulum accommodatur. Prior enim efficit, ut cum Deus seipsum donare dicitur, vel Filius, aut etiam Spiritus sanctus, donationes istæ propriæ non sint, in quibus donum a donante non secernitur. Rursus cum Filio Pater, vel uterque Spiritui sancto dare aliquid in Scripturis legitur, velut essentiam, omnipotentiam, sapientiam, et id genus alia, impropria doni est usurpatio ; quia non voluntate, sed naturæ necessitate communicantur.

VI. Majorem quæstioni ambiguitatem affert, quod, ut attigi supra, etiam Filius a Patre donari dicitur hominibus, in quo utraque illa conditio tenetur. Nam et reipsa differt a Patre Filius, et sponte tribuitur hominibus ab eodem Patre. Quid igitur causæ est, cur non sit donum Filius perinde, ac Spiritus sanctus? Sed si ea, quæ de missione personarum universe antea dicta sunt [1], repetantur, nullum erit negotium. Etenim missionem illic ostendimus neque in interna solum processione, neque in sola externa effectione consistere, sed utramque simul amplecti ; ut ea persona mitti dicatur ab aliqua, quæ ab ea tanquam auctore procedit. Est autem, ut ibidem exposui, missionis ratio ex duobus composita, uno æterno, altero temporali ; quod in Verbi missione præclare Augustinus explicabat verbis istis : « Itaque, cum sine ullo initio temporis in principio esset Verbum, et Verbum esset apud Deum, et Deus esset Verbum ; sine ullo tempore in ipso Verbo erat, quo tempore Verbum caro fieret, et habitaret in nobis. » Quare sempiterna Filii generatio cum externi alicujus operis efficientia, velut cum Abrahamo, vel Mosi ex opinione veterum apparuit, missio Filii vocatur. Et pro eo, atque Filii diversa origo est ab ea qua procedit Spiritus sanctus, dissimilis est utriusque missio. Hic enim per voluntatem, et amoris ἐνέργειαν, ut procedit, ita mitti dicitur ; ideo Spiritus nominatur, ut suo loco docui [3]. Ille quia ab mente, intelligentiaque proficiscitur, per eam quoque mitti dicitur. Porro quod ex amore, et per amorem communicatur, ac mittitur ; imo quod amor est expressus ; et amoris, vel, si ita loqui fas esset, *amationis*, aut, ut minore emphasi, sed Latine magis dicamus, *dilectionis* est terminus ; illud proprie *donum* appellatur, donarique dicitur, per quod cætera donantur, adeoque Filius ipse. Non est ergo donum Filius, tametsi donatur a Patre ; quia non id ex vi originis suæ consequitur, ut amor sit, et a voluntate, amoreque procedat. Sed ex eo amore, qui est Spiritus, datur hominibus a Patre solo, quo gignitur. Huc allusisse videtur Cyrillus in tertio dialogo *cum Hermia* ; ubi donum omne Dei ad personam sancti Spiritus restringit : « Divinus, inquit, Joannes ait : *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Datum autem bonum, et donum perfectum num aliud potest esse, secundum tuam ipsius sententiam, præterquam participem fieri Spiritus sancti ? Herm. Nullo modo. Cyr. Considera igitur et ex istis, de propria plenitudine emittentem Filium proprium suum, et ita insitum, ut amitti nequeat, Spiritum sanctum, per quem omne datum bonum [a]. »

Efficientiam

Qua ratione Spiritus sit proprie donum.

VII. Unum hic opponi contra nos potest, quod, ut ex antecedenti omni disputatione colligitur, ita perabsurdum videtur. Etenim Spiritus sancti personalem proprietatem, ac notam eam esse diximus, ut sit donum. Id autem eatenus habere, ut sponte donetur, ac libere. Datur vero sponte tum solum, cum in res creatas diffunditur ; quæ quidem minime naturalis, et sempiterna communio est. Atqui nulla personæ divinæ proprietas ex ea σχέσει, et habitudine ducitur, quæ res creatas respicit ; quæ cum nonnisi in tempore producantur, perinde donum quodlibet in tempore capiunt. Igitur Spiritus sanctus, donum ex omni æternitate non erit reipsa utique, et ut loquuntur, *actu*, sed tantum δυνάμει, id est, *potentia*. Sed ab eo, quod est *actu*, personalis proprietas peti debet, non ab eo, quod non-

Proponitur et dissolvitur objectio.

[a] CYRIL. Ὁ θεσπέσιος Ἰωάννης λέγει ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν. δόσις δὲ ἀγαθὴ, καὶ δώρημα τέλειον, εἴη ἄν, ἕτερον, κατά γε τὸ αὐτῷ σοι δοκοῦν, πλὴν ὅτι τὸ μεταλαχεῖν ἁγίου πνεύματος; Ἑρμείας. οὐδαμῶς. ὁ ἅγιος. ἄθρει δὴ οὖν καὶ διὰ τούτων ἐξ ἰδίου πληρώματος προϊέντα τὸν υἱὸν τὸ ἴδιον αὐτοῦ, καὶ ἀναποβλήτως ἐμπεφυκὸς ἅγιον πνεῦμα, δι' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθή.

1 Cap. IX hujus libri. — 2 Lib. II *de Trinit.* cap. V. — 3 Vide lib. VII, cap. X et XII.

dum est. Sed enim Pater ab eo, quod actu genuit, Filius ab eo, quod genitus est, nominatur; neuter ex eo, quod gignere, vel gigni potest. Quippe divinis in rebus nihil est potestate, ubi summa, et absoluta perfectio est. Movit hanc quæstionem, ac dissolvit Augustinus, et ex eo Albinus, Hugo Victorinus, ac Magister Sententiarum.

Augustinus quidem inter donum [1], et donatum distinguit; ac prius ex æternitate omni congruere Spiritui sancto, posterius in tempore putat; tanquam donum sit idem, quod donabile. Itaque « quia sic procedebat, ait, ut esset donabile, jam donum erat, et antequam esset, cui daretur. » Atqui ut donatum, vel datum ad res creatas refertur, et quod actu tributum est, significat, ita donum, vel donabile easdem respicit; quomodo ergo proprietas erit ista personæ? Sed nimirum nonnulla de Deo, divinisque personis usurpari solent a theologis, quæ non aliter intelligi, explicarique possunt, quam ut res creatas, et externam quamdam efficientiam spectant; quod in Spiritu sancto potissimum locum habet. Cujus proprietas, atque ab Filio discrimen, processioque ipsa passim a Patribus ad eum modum exponitur. Nam ejus propriam, et ὑποστατικὴν, sive personalem notam definiunt emissione illa, qua in in creaturas a Patre, Filioque profunditur, sive τῷ ἁγιασμῷ, hoc est, *sanctificandi vi et efficientia.*

VIII. Sic enim ex illa insufflatione Christi in discipulos, processionem Spiritus a Filio sempiternam, et substantivam colligunt; ut Cyrillus, qui in *Commentar. ad Joannis* locum illum, in quo Christus inspirasse in apostolos dicitur, « Statim, inquit, sanctificat, proprium ipsis Spiritum per manifestam insufflationem tribuens, ut et nos firmiter credamus non alienum a Filio esse Spiritum sanctum, sed et consubstantialem, et per ipsum a Patre procedentem [a]. » Sic Epiphanius hæresi LXXIV. « Ut ab ipsa divinitate non excludendum esse Spiritum ostenderet, in discipulorum faciem insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum* [b]. » Theodorus item Rhætuensis in libro *Dogmatico*, quem locum Joannes Beccus citavit in capite septimo, « Enim vero, inquit, Dominus ostendens ex se ipso illum existere, insufflans discipulis dicebat : *Accipite Spiritum sanctum* [c]. » Ex quo factum est, ut divina, et interior processio Spiritus sancti sic a nonnullis explicetur, ut sit quasi halitus ex ore progrediens, ut alibi diximus. De sanctificatrice porro illa vi, quæ personalis nota Spiritus sancti a Græcis quibusdam constituitur, vide quæ capite XIII libri superioris exposui; ubi nonnulla Patrum adduximus testimonia, in quibus Spiritui sancto sanctificandi vis, et efficacia tanquam personalis est tributa proprietas; ex quo et *sancti* cognomen adscitum est, ut sit propria Spiritus, et peculiaris appellatio, ut ait Basilius [d]. Quinetiam Filius ipse λόγος[2] hoc est, *sermo*, vel *ratio* idcirco nominari ab nonnullis antiquorum dicitur, ut suo loco meminimus, quod rationem, et sapientiam creatis rebus impertiat. Quocirca sempiternarum proprietatum vocabula nonnunquam ex iis efficientiis ducuntur, quæ minime sunt æternæ, sed in tempore, ac circa res creatas existunt. Siquidem nomina divinis rebus ab hominibus, et ex humano usu, atque captu sunt indita, ac plerumque temporalibus ex effectis capiuntur. Quorum e numero et illud est, de quo agitur, *doni* vocabulum.

IX. Quamobrem frivola est Lamberti Danæi Calvinistæ theologastri contra Augustinum [3], ac Magistrum Sententiarum disputatio, in qua communem et istorum, et theologorum cæterorum opinionem vellicat, donum Dei proprie Spiritum sanctum dici putantium; maxime autem discrimen illud ex Augustino sumptum inter *donum*, et *donatum*, sive *datum* redarguit; ut *donum* sit idem, quod *donabile*, et ex æterno Spiritui sancto conveniat; *donatum* vero in tempore dicatur. Contra quod Danæus idem esse donum, quod donatum asserit, quod nemo negat interdum usuvenire. Sed nihil prohibet, ad clariorem rerum intelligentiam, easdem illas voces, quæ promiscuum sæpe usum habent, significatione distingui. Ita donum pro eo, quod aptum Danæus refellitur.

a CYRIL. XII *in Joan.* Ἁγιάζει παραχρῆμα τὸ ἴδιον αὐτοῖς πνεῦμα διδοὺς δι' ἐμφανοῦς ἐμφυσήματος· ἵνα καὶ ἡμεῖς ἀραρότως πιστεύωμεν ὡς οὐκ ἀλλότριον τοῦ υἱοῦ τὸ ἅγιον πνεῦμά ἐστιν· ἀλλ' ὁμοούσιον αὐτῷ, καὶ δι' αὐτοῦ προϊὸν ἐκ τοῦ πατρός.

b EPIPH. hær. LXXIV, num. 15. Καὶ πάλιν ὡς οὐκ ἀλλοτρίου τοῦ πνεύματος τυγχάνοντος τῆς τοῦ θεότητος, ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον τῶν μαθητῶν, καὶ εἶπε· λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

c THEOD. RHÆT. Καὶ γοῦν ὁ κύριος ἐξ ἑαυτοῦ δεικνὺς αὐτὸ ὑπάρχειν, ἐμφυσῶν τοῖς μαθηταῖς ἔλεγεν· λάβετε πνεῦμα ἅγιον.

d BASIL. Πνεῦμα ἅγιον, ἡ κυρία αὐτοῦ, καὶ ἰδιάζουσα κλῆσις.

1 Lib. V *de Trinit.* cap. XIV et XV. — 2 Lib. *de Spirit. sanc.* cap. IX. — 3 In Schol. ad lib. I *Sent.* dist. XVIII.

est, ut donetur, sive quod donabile est, usurpare potuit Augustinus, ut ab ea donatione, quæ reipsa est, et actu separaret. Quippe Spiritus sanctus ex peculiari modo processionis hoc habet, ut proprie donetur, ac per eum cætera, quæ donari a Deo, ac dona ejus esse dicuntur. Ideo *donum* proprie dicitur. Quod vero ab Lombardi auctoritate dissentire Guillelmum Okamum Danæus scribit, et negare, « donum proprietatem esse Spiritus sancti, » id vero mendacium est. Nam Okamus tum aperte suffragatur communi illi sententiæ [1], tum eam copiose declarat, atque illud imprimis docet, non ratione probari posse, sed auctoritate Patrum, Spiritum sanctum proprie esse donum. Deinde quod Magister donum illud eatenus dici vult, quod creaturis donatur, non autem quod mutuo a Patre, Filioque sibi donatur; utrumque probabile esse confirmat. Siquidem donum vel id appellatur, quod ex vi amoris alicujus objecti producitur; vel quod libere confertur alteri. Priore modo, Spiritum sanctum donum esse ait, quod invicem sibi dant Pater, ac Filius : posteriore vero solis creaturis exhiberi. Falso itaque Lambertus Danæus Okamum cum Magistro committit. Tum eadem oscitantia, imperitiaque Durandum opinari ait « donabilitatem, et donum addere notionem tantum ; non esse rem ullam in divinis. » Unde ita concludit Danæus : « Ergo Spiritus sanctus esset notio quædam animi, si qua ratione donum est, eadem esset Spiritus sanctus. » Sed Durandi sententiam nihilo magis intellexit, quam Okami. Etenim Durandus tantum abest, ut *donum* existimet *addere* notionem aliquam ad essentiam, ut commune id esse personis tribus censeat; neque soli Spiritui, nisi *appropriate*, ut loquitur, competere [2]. Porro solam addere rationem ad communem essentiam, *donabilitatem* asserit; hoc est, in Deo reipsa non inesse, sed sola cogitatione animi Deum ad res procreatas referentis. Quod si *notio* quædam sit *donabilitas*, eaque propria personæ tertiæ, haud dubium est, quin eam perinde constituat, ac paternitas, et filietas primam, ac secundam, adeoque ridicula sit Danæi calumnia, sequi indidem « Spiritum sanctum esse notionem quamdam animi. » Quasi non idem de Patre Filioque possit objici. Sed non est consequens. Quippe notio per se, solaque, non est persona, sed una cum essentia, ut alibi demonstratum est. Ac *doni* quidem, sive *donabilitatis* ratio, ex Augustini, aliorumque Latinorum mente, notio personalis est Spiritus propria. Neque tamen concludi ex ea potest personales in Deo esse proprietates quatuor, ut Danæus opponit. Nam ista ipsa proprietas a processione non discrepat ; quoniam *donari*, vel esse *donabile*, est per amorem, atque ex amore procedere.

X. Nec majoris est momenti Danæi alterum argumentum, quod contra Augustinum, et Magistrum objicit. « Si donum est, quod potentia tantum donabile est, nondum autem est donatum, et Spiritus sanctus, qua donum est, etiam procedens est a Patre, et Filio ; sequetur Spiritum sanctum procedere de Patre, et Filio potentia tantum, non actu. » Hæc vero sophistica calumnia paulo ante dissoluta est. Nam quod *donabile* dicitur, sive *donabilitatis* ratio per se, et ut in Deo est, aliquid est actu, sive ἐνεργείᾳ, non δυνάμει ; sed non aliter intelligi a nobis, explicarique potest, quam per σχέσιν, *comparationem* ad res creatas, et δύναμιν. Sicut *rationabile*, vel *risibile* formæ quædam sunt, οὐσιώδεις, et ἐντελέχειαι, et actu, non potentia sunt, etsi non aliter capi a nobis efferrique possunt, quam *potentialibus*, ut ita loquar, nominibus. Quod in omnibus naturis, et essentiis declarandis nobis usuvenit, qui eas in se, ac liquido minime pervidemus, sed ex effectis, quæ in illis potestate continentur, uti cognoscimus, sin etiam eloqui sermone cogimur.

Eadem δυνατικὴ vis, ac notio in illis Augustini verbis intelligenda mihi videtur [4] : « Exiit non quomodo natus, sed quomodo datus. » Quamvis enim vocabulum *datus* actionem, et efficientiam significat, qua in res creatas Spiritus sancti gratia diffunditur, sive missionem externam Spiritus sancti, quam cum Filii incarnatione, ac missione eo in loco contendit Augustinus; tamen una cum hac temporali, æternam etiam utriusque processionem complexus est. Nam ex ambarum missionum discrimine causam petit, cur alter Filius sit, alter non sit; quod utique personale est, et æternum, non adventitium. Itaque capite sequenti illud, quod dixerat, *datum*, vel *donum* explicans; differentiam illam attulit inter donatum, sive datum, et donabile; ac perspicue demonstrat talem esse vim, ac notionem ejus, quod posuerat, vocabuli *datus*, ut de externa communicatione, et in creaturas effusione usurpare hoc voluerit, non de intima,

1 In I, dist. xviii, qu. un. — 2 In I, dist. xviii. — 3 Ibid. qu. ii. — 4 Lib. V *de Trinit.* cap. xiv.

æternaque, qua sibi mutuo dare Spiritum sanctum Pater, et Filius utcumque dicuntur. Quamobrem frustra est Okamus, qui ex illis Augustini verbis concludit, ex omni æternitate, et in illa processionis origine, quæ omne tempus antecessit, Spiritum sanctum actu, et revera datum fuisse, quod alioqui non fuisset a Filio distinctus, nisi et a Patre Filio, et a Filio Patri datus intelligatur. Verum ab Augustini mente alienum istud est, qui sempiternam illam processionem Spiritus potentiali nomine *donabilis* exponit; *dati* vero, vel *donati* alteram, utrique porro *doni* vocabulum accommodat. Quia inquit[1], sic procedebat, ut esset donabile, jam donum erat, et antequam esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur; donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest. » Proinde nunquam donum ex eo esse putavit, quod a Patre Filioque sibi mutuo daretur. Petrus Abælardus in secundo libro [2] *Introductionis ad Theologiam* ambas illas processiones aliter nominat. Primam enim « secundum affectum, vel efficaciam » vocat; posteriorem « secundum effectum, » et utramque comparari ad res creatas, merito judicat.

XI. Atque Augustinus[3] quidem itidem Spiritum sanctum, qui ex æterno donum est, in tempore dici donatum ait, uti Deus appellatur Dominus; quod non nisi in tempore habuit. « Non enim sempiterna creatura est, cujus est ille dominus, » ait idem. Tametsi Origenes, ut Methodius [4] asserit mundum ex æterno fuisse ideo statuebat, quod nec creator, nec omnipotens aliquando fuisset, nisi exstarent aliqua, quæ condidisset, et in quæ dominatum haberet. Quem Methodius refellens, Deum affirmat opificem, seu creatorem, et omnipotentem esse per sese, ac citra res a se conditas. Quod eodem sensu dictum ab eo videtur, quo et Spiritus sanctus donum a nobis, id est, donabile, ex omni æternitate constituitur, nimirum quia creandi, ac dominandi vim habebat in sese, etsi nondum actu, et ἐνεργείᾳ illam exerceret.

Quod autem Augustinus alibi[5] *donum* esse Spiritum sanctum eatenus dicit, quatenus a Deo reipsa datur, his verbis: « In tantum ergo donum Dei est, in quantum datur eis, quibus datur. Apud se autem Deus est, etsi nemini detur, quia Deus erat Patri, et Filio coæternus, antequam cuiquam daretur; » perspicuum est *donum* hic ab eo sumi pro eo, quod est datum, sive donatum. Nam ex æterno donum esse, etiam antequam daretur, adeo persuasit sibi, ut etiam Spiritum sanctum eadem processione, qua a Patre Filioque proficiscitur, habere censeat[6], ut et sit, et donum sit, « sicut Filius non hoc tantum habet nascendo, ut Filius sit, sed omnino ut sit; quia sic procedebat Spiritus sanctus, ut esset donabile, et ideo jam donum erat et antequam esset, cui daretur, » atque adeo cum nondum daretur. Quo ex loco redargui potest Okami sententia, qui Spiritum sanctum non solum ex æterno donum, sive donabile, sed etiam datum, et donatum esse docuit. Vide Hugonem Etherianum libro tertio *contra Græcos*, capite tertio.

Richardus Victorinus in sexto[7] *de Trinitate*, rationem affert, cur Spiritus sanctus donum præcipue vocetur. Ac primum illud tacite sumit, donum esse amorem creatis rebus a Deo communicatum, quo vicissim ille redamatur. Tum ita colligit in Patre plenitudinem quidem amoris esse, sed gratuiti solum, in Filio plenitudinem amoris debiti simul et gratuiti; at in Spiritu sancto plenitudinem amoris duntaxat debiti. Quod in antecedente libro[8] sic exponit. Plenitudinem amoris eum amorem esse dicit, quo nullus esse major potest. Amor autem vel gratuitus est, « quando quis ei, a quo nihil muneris accepit, gratante rimpendit; » vel debitus, « quando quis ei, a quo gratis accipit, nihil nisi amorem rependit; » vel ex utroque mistus, « qui alternatim amando, et gratis accipit, et gratis impendit. » Igitur Pater, qui a nullo prorsus accipit, nonnisi gratuitum impendit amorem; Spiritus sanctus, qui ita procedit ab alio, ut neminem a se procedentem habeat, nullo modo gratuitum, sed debitum amorem rependit; Filius, qui partim procedit a Patre, partim a se procedentem habet Spiritum sanctum, et gratuitum, et debitum amorem exhibet. Quamobrem cum in amando Deo neque Patris, neque Filii proprietatem exprimere, imitarique possimus, sed solius Spiritus sancti, quia nonnisi debitum est, quidquid Deo referimus; Spiritum proprie donum appellari putat, « qui ad hoc homini datur, ad hoc inspiratur, ut illi, in quantum sibi possibile est, configuretur. »

1 Lib. V, cap. xv. — 2 Cap. xvii. — 3 Lib. V *de Trinit.* cap. xvi. — 4 Apud Phot. cod. 235. — 5 Lib. XV *de Trinit.* cap. xix et citatur apud Bed. in act. x, cap. xi. — 6 Lib. V *de Trinit.* cap. xv. — 7 Lib. VI *de Trinit.* cap. xiv. — 8 Cap. xvi.

Hæc fere Richardus, quæ cum argutæ novitatis aliquid præ se ferant, reipsa in communem, et ab Augustino sumptam opinionem incidunt.

CAPUT IV.

De duplici missione Spiritus sancti, externa, sive sensibili, et interna, ac spirituali; quarum prior breviter, posterior vero copiosius exponitur. Spiritum sanctum donum dici potissimum ob charitatem. Lambertus Danæus refellitur. Quæ personis tribus tanquam propria tribuuntur, horum ratio reddita. Spiritus sancti substantiam ipsam donum esse, illamque ad justos, et adoptivos Dei filios efficiendos divinitus infundi, ut sit formæ cujusdam instar, qua status ille constat. Quod pluribus tum Scripturæ, tum antiquorum Patrum testimoniis probatur.

I. Divinum illud præstantissimumque donum, quod esse proprie Spiritum sanctum ex sacris Litteris, ac veteribus theologis ostendimus, missione transfunditur. Ea vero est duplex : alia signo quodam externo corporeis oblata sensibus : alia interior ac mere spiritualis. De utraque nunc agendum ; ac de priore quidem paucis ; de altera vero longior erit explicanda disputatio.

Exterior Spiritus S. missio columbæ specie adumbrata.

Externa Spiritus sancti missio, quæ quidem quæstionis aliquid habeat, columbæ præsertim specie continetur. Quam neque verum animal fuisse, neque in eamdem hypostasim assumptam a Spiritu, communis habet opinio theologorum. Quamvis Tertullianus [1] in ejusdem personæ communionem adscitam esse perinde velit, atque humana est in Christo natura. Ideo et « Spiritum columbæ corpore lapsum descendisse super Dominum » scribit; « Spiritum tam vere fuisse columbam, quam et Spiritum. » Augustinus vero in libro *de Agone christiano* [2], veram quidem fuisse columbam perspicue confirmat, contra quam erudito viro [3] placuit; neque tamen in ejusdem communionem hypostasis assumptam existimat. Idque alibi diserte redarguit, « Ideo, inquit [4], nusquam scriptum est, quod Deus Pater major sit Spiritu sancto, vel Spiritus sanctus minor Deo Patre ; quia non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumptus est Filius hominis ; » ac sequenti capite, « corporales illas species (columbæ, ignearumque linguarum) ad demonstrandum, quod opus fuit, ad tempus apparuisse, et esse postea destitisse » ait. Idipsum et in secundo *contra Maximinum*, capite XIX, latius enarrat. Atque etiam in epistola centesima secunda sentire videtur, ne verum quidem animalis corpus fuisse, « sed animantis speciem corporalem, motumque viventi similem divino nutu, nullo animali interposito spiritu. » Quod idem et Chrysostomo [5] visum est, et Paschasio Diacono libro I *de Spiritu sancto*, capite VII. « Intelligendum est, inquit, in columba species pertransiens, non substantia perseverans. » Hactenus externa Spiritus missio. Non enim longiorem orationem desiderat ; quia « in re aperta vitanda est longitudo sermonis, » ut monet Augustinus [6].

Interior Spiritus S. missio præsertim per charitatem.

II. Interior autem, sive spiritualis missio tum fit, cum sine externis illis, ac sub sensum cadentibus signis, spiritualia dona, quæ dicuntur charismata, tribuuntur. Quæ quidem multiplicia sunt, et præstantiora aliis alia, ut in priore *ad Corinthios* Apostolus tradit [7] ; ubi pleraque dinumerat, velut *sapientiæ*, *scientiæ*, *fidei*, *curationum*, *prophetiæ*, *linguarum*, et alia quædam. Sed quamvis dona illa sint omnia, uti et vocantur, Spiritus sancti, ac mitti tum dicatur, cum ea largitur ; præcipuum tamen, et quod unum propemodum communem appellationem sibi propriam facit, est charitatis donum. « Nullum enim est isto Dei dono excellentius, ait Augustinus [8], solum est, quod dividit inter filios regni, et filios perditionis æternæ. » Itaque, quamvis et « alia per Spiritum munera dantur, sine charitate nihil prosunt. » Imo ne virtutes quidem cæteræ vere, proprieque dictæ sine ea virtutes sunt. « Quia quomodo caro sine anima vivere non potest, sic reliquæ virtutes sine charitate figuram habere possunt, veritatem habere non possunt, » ut ait Cæsarius Arelatensis [9]. Ideo nec « Spiritus proprie dicitur donum, nisi propter dilectionem ; » quod eodem illo in loco disputat Augustinus : « Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, inquit, vocatur etiam donum Dei. Quod donum proprie quid, nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, et sine qua quolibet aliud donum Dei non perducit ad Deum ? » Ex quo

1 Lib. *de Car. Christ.* c. III. — 2 Cap. XII. — 3 Maldon. in c. II *Mat.* — 4 Lib. II *de Trinit.* c. VI. — 5 Hom. XII *in Mat.* — 6 Lib. XV *de Trinit.* cap. XVII. — 7 Cap. XII. — 8 Lib. XV *de Trinit.* cap. XVIII. — 9 Serm. XXXVI.

fit, ut, cum Deus tum proprie Spiritus sanctus, qui donum est, charitas appelletur, sive dilectio, ut ibidem adstruit Augustinus [1]; qui hoc etiam argumentatione ista colligit. « Si in donis Dei nihil majus, inquit, charitate, et nullum est majus donum Dei, quam Spiritus sanctus; quid consequentius, quam ut ipse dicatur charitas proprie, qui Spiritus est communis ambobus [2]? Hanc Augustini collectionem *elumbem*, et *vitiosam* appellat Lambertus Danæus [3], quod ex duabus propositionibus negantibus ita concludat :

Danæi insulsa cavillatio.

Nullum Dei donum majus est charitate :
Nullum Dei donum majus est Spiritu sancto :
Ergo Spiritus sanctus est charitas.

Atqui frivola est hæc Danæi calumnia. Nam etsi negantium specie propositiones ambæ conceptæ sint; possunt tamen ita conformari, ut et aientes sint, et in prima figura necessariam habeant conclusionem, hoc modo.

« Omne, quod est maximum Dei donum, est charitas.
Spiritus sanctus est maximum Dei donum.
Ergo Spiritus sanctus est charitas. »

Quin idem hæreticus frustra magistrum criminatur, quatenus Spiritum sanctum proprie dici charitatem, ex Augustino asserit, cum « charitas, inquit, communiter tribuatur ab Augustino, ut essentiale attributum, Patri et Filio, et Spiritui sancto. » Siquidem Augustinus charitatem in illis locis dupliciter accipit, tam ut essentiæ proprietas est personis tribus communis, imo essentia ipsa; quam ut personæ tertiæ nota est, et proprietas : « Sicut unicum Dei Verbum, inquit, proprie vocamus nomine sapientiæ, cum sit universaliter et Spiritus sanctus, et Pater ipsa sapientia; ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo charitatis, cum sit universaliter charitas et Pater, et Filius. »

III. Ut autem appareat, quam imperite Danæus iste Augustinum, aliosque reprehendat, qui charitatem proprie imputant Spiritui sancto, ejusque peculiare esse donum prædicant, in promptu id habendum est, quod superiori capite docuimus, Græcos ipsos theologos sanctitatem, sive sanctificandi vim personalem facere proprietatem Spiritus ejusdem, tametsi communis ea sit personis omnibus, et a charitate non discrepet. Quod cum illorum auctoritate defenditur, illud una, quod hoc loco quæritur, obtinemus, Spiritum sanctum, qui secundum personalem proprietatem donum ab Latinis præsertim theologis dicitur, eatenus donum esse, qua charitate perfundit, hoc est, sanctos eos facit, ad quos mittitur, non autem ut alia omnia charismata largitur. Nam vel ipsa vox *sancti*, quæ ad nomen commune *Spiritus* adjuncta, personam tertiam tanquam nota propria complet, ac discernit a cæteris (ut Basilius, ex eoque Theodorus Rhaithuensis in *Isagoge ad Anastasium* docent), argumento est, non aliter, quam communicanda sanctitate, donum ac munus esse divinum. Cum enim donum esse, vel donabile, χαρακτηριστικὴ sit proprietas Spiritus sancti, ut Augustino, aliisque Patribus videtur; sanctitas autem, sive sanctificandi vis, quam ἁγιαστικὴν δύναμιν Græci vocant, perinde proprietas ab aliis Patribus habeatur, uti superiori capite docuimus; sequitur, idem esse donabile, quod ἁγιαστικὸν, hoc est *sanctitatis efficiens*, et eo ipso, quo sanctitatem et charitatem impertit, donum esse actu, et ἐνεργείᾳ, adeoque mitti Spiritum sanctum. Hinc Scripturæ passim, proprium munus esse Spiritus sancti gratiam dicunt adoptionis, ac regenerationis, aut innovationis, sive sanctificationis, cum alia personis aliis dona tribuantur : « Quantum in Scripturis sanctis manifestissime deprehenditur, ait Paschasius Diaconus [5], alia Pater ipse per se, alia specialiter per Filium, alia per Spiritum sanctum, licet sub privilegio potentiæ communis operatur. Quia *sumus*, ad Patrem proprie referri videtur; in quo sicut Apostolus dicit, *vivimus, movemur, et sumus*. Quod vero rationis, et sapientiæ, et justitiæ capaces sumus, illi specialiter, qui est ratio, et sapientia, et justitia, id est Filio, deputatur. Quod autem vocati regeneramur, et regenerati innovamur, innovati sanctificamur, per divina eloquia personæ Spiritus sancti evidenter ascribitur. »

Characteristica.

IV. Quod ex Origene mutuatus videtur Paschasius. Nam ille in primo περὶ ἀρχῶν ait [6], opus Patris esse communicare esse; Filii, rationem. At Spiritus sancti opus solis piis congruere. Quæ quidem opera, et effecta, quamvis personis tribus communia sint, tamen quibus privatim adscribuntur, in iis proprie-

De principiis.

1 Lib. XV *de Trinit.* cap. XVII. — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. XXIX. — 3 Ad I, dist. XVII, cap. IV Mag. Sent. — 4 Cap. XVII. — 5 Lib. I *de Spirit. sanc.* cap. IX. — 6 Cap. III.

Essentiam et quidditatem

tatem quamdam originis declarant. Etenim quia Pater fons est, et principium τοῦ ὄντος, sive existendi, in quo Dei οὐσίαν, et τὸ τί ἦν εἶναι situm esse, antea demonstravimus; ideo proprium illius munus est, rebus, *ut sint*, tribuere, eoque modo ἡ προκαταρκτικὴ αἰτία, *principalis causa* monstratur. Filius vero, quia λόγος est, hoc est *ratio*, et *intelligentia*, sive *sapientia*, eumque procedendi modum, et originis habet idcirco rationem, et sapientiam et quidquid ad notitiam pertinet, communicare dicitur. Et quoniam rationis ejusdem est, ac sapientiæ, suam cuique regulam, ac mensuram præscribere, ac fines officiorum, modosque statuere; hinc eidem *justitiæ* velut peculiare munus a Paschasio conceditur. Denique Spiritus sanctus, qui solus ex amore, charitate, ac voluntate procedit, tanquam propria sanctitatis, ac dilectionis dona sibi vendicat. Quocirca donari tunc proprie dicitur, cum ut Didymus[1] ait, « his inseritur, qui vitiis derelictis, virtutum sectantur chorum, et juxta eas, et per eas in fide Christi victitant; » et ut Augustinus[2], ex eoque Beda[3] testantur, « In tantum donum Dei est, in quantum datur eis, qui per eum diligunt Deum. » Propterea idem Augustinus *bonitatem* perinde, ac *donum*, Spiritus sancti proprietatem esse significat sermone undecimo *in Evangelium Matthæi*[4]; ubi Patri æternitatem, veritatem Filio, Spiritui bonitatem assignat; quam charitatem deinde nominat. « Est ergo Pater Filio veritati origo verax; et Filius de veraci Patre orta veritas; et Spiritus sanctus a Patre bono, et Filio bono effusa bonitas. » De qua bonitate mox « primum Dei munus venire dicit ab initio fidei remissionem peccatorum. » Ideo in Spiritu sancto peccata dimittuntur: « E illa regeneratio, ubi fit omnium præteritorum remissio peccatorum, in Spiritu sancto fit. » Quam cœlestis doni proprietatem recte Albinus Flaccus exprimit in epistola *de Cæremoniis baptismi ad Carolum regem:* ubi Symbolum enarrans, « Credo, inquit, in Spiritum sanctum, qui aliquo modo donum Dei dicitur, et amor Patris, et Filii, sive communicatio, in quo dono fit remissio omnium peccatorum. » Quocirca plenitudo donorum Dei, ac perfecta Dei communicatio, nonnisi charitatis infusione constat, ut Cyrillus in dialogo tertio *de Trinitate* confirmat. Ibidemque « datum optimum, et donum perfectum[5] nihil esse dicit aliud, quam participem esse Spiritus sancti[a]. »

V. Hac doni ratione constituta, præclara quædam, et ad fructum animorum jucundissima superest inquisitio; utrumnam, cum ad nos mitti, ac donari nobis dicitur Spiritus sanctus, de ejus persona et substantia id sit intelligendum, tanquam occulta quadam ratione ipsa Spiritus persona sese in nostros animos insinuet, jungaturque nobiscum, ut sit οὐσιώδης, id est *substantialis* nescio quæ conjunctio angeli hominisve sancti, et divini Spiritus; an nihil præter cœleste gratiæ charitatisque donum, quod Græci χάρισμα vocant, ab eodem communicetur Spiritu, cujus in se proprium nomen assumat. Res est enim in sacris Libris usitatissima, non solum eximium illud, præstansque cæteris donum, et ornamentum, quo Deo grata, et sancta efficitur anima, vocare Spiritum, sed etiam minora illo cætera, quibus perfundi etiam impii, invisique Deo homines possunt.

Quod insigniter in *Ancorato*[6] notatum est ab Epiphanio, ubi sic scribit: « Spiritus sanctus solus a Patre, et Filio spiritus veritatis, et Dei spiritus, et spiritus Christi, et spiritus gratiæ nominatur. Nam unicuique variis modis bonum impertitur. Alii spiritum sapientiæ, alii spiritum prophetiæ, alii spiritum discretionis, alii interpretationum, ac cætera denique dona, ut loquitur Apostolus: *Unus vero, et idem Spiritus, dividens singulis prout vult*[b]. » Ita Spiritus sanctus varios spiritus communicat, hoc est, dona et charismata; quibus ipsum spiritus nomen tribuere Scripturæ solent, « quia superintelligitur in sancti Spiritus substantia etiam plenitudo munerum divinorum, ut ait Didymus[7], et post eum Paschasius in primo *de Spiritu sancto*, cap. IX.

Qua de re memorandus est Fulgentii locus

a CYRIL. dial. III. Δόσις δὲ ἀγαθὴ, καὶ δώρημα τέλειον, εἴη ἂν ἕτερόν τι κατά γε τὸ αὐτῷ σοι δοκοῦν, πλὴν ὅτι τοι τὸ μεταλαχεῖν ἁγίου πνεύματος,

b EPIPH. Τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα μόνον καλεῖται ἀπὸ πατρὸς, καὶ υἱοῦ πνεῦμα ἀληθείας, καὶ πνεῦμα θεοῦ, καὶ πνεῦμα χριστοῦ, καὶ πνεῦμα χάριτος· χαρίζεται γὰρ ἑκάστῳ διαφόρως τὸ ἀγαθόν, ᾧ μὲν πνεῦμα σοφίας· ᾧ δὲ πνεῦμα γνώσεως· ᾧ δὲ πνεῦμα ἰσχύος· ᾧ δὲ πνεῦμα ἰαμάτων· ᾧ δὲ πνεῦμα προφητείας· ᾧ δὲ πνεῦμα διακρίσεως· ᾧ δὲ γλωσσῶν· ᾧ δὲ ἑρμηνειῶν· καὶ τὰ λοιπὰ χαρίσματα, ὥς φησιν. ἓν δὲ, καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἑκάστῳ, ὡς βούλεται.

1 Lib. I *de Spiritu sancto*. — 2 Lib. XV *de Trinit.* cap. XIX. — 3 In cap. X *Act.* — 4 Cap. XII. — 5 *Jacobi* I, 16. — 6 Num. 72 et hær. LXXIV, n. 9. — 7 Lib. I *de Spir. sancto.*

Spiritum S. substantialiter illabi mentibus fidelium variis Scripturæ Patrumque testimoniis comprobatur.

in II libro *ad Monimum*[1]; ubi inquisitioni illi respondens; « cur, si omni Trinitati sacrificium offertur, ad sacrificandum oblationis nostræ munus, sancti Spiritus tantum missio postuletur; quasi vero ipse Pater Deus, a quo Spiritus sanctus procedit, sacrificium sibi oblatum sanctificare non possit, aut ipse Filius sanctificare nequeat sacrificium corporis sui; » huic, inquam, percontationi ita satisfacit, ut « nomine Spiritus sancti nonnunquam dona spiritualis gratiæ nuncupari » dicat; ut cum in quarto *Regum*[2] Elisæus duplicem spiritum ab Elia postulavit: « Ubi utique intelligimus, Spiritus nomine donum spiritualis gratiæ designari; neque enim substantia Spiritus potest vel augeri, vel minui. » Sic igitur, cum fidelibus ac justis impertiri communicarique Spiritus sanctus legitur, non ipsamet illius persona tribui, sed ejus efficientia videri potest; idque communis fere sensus habet eorum, qui in Patrum veterum lectione minus exercitati sunt. Quos qui attente pervestigare voluerit, intelliget occultum quemdam, et inusitatum missionis communicationisque modum apud illos celebrari, quo Spiritus ille divinus in justorum sese animos insinuans, cum illis copulatur, eumque non accidentarium, ut ita dicam esse, hoc est, qualitate duntaxat illa cœlesti ac divina perfici, quam in pectora nostra diffundit idem cœlestium donorum largitor, ac procreator Spiritus, sed οὐσιώδη, hoc est *substantialem* ita, ut substantia ipsa Spiritus sancti nobiscum jungatur, nosque sanctos, ac justos, ac Dei denique filios efficiat. Ac nonnullos etiam antiquorum illorum dicentes audiet, tantum istud tamque stupendum Dei beneficium tunc primum hominibus esse concessum, postquam Dei Filius homo factus ad usum hominum, salutemque descendit, ut fructus iste sit adventus, ac meritorum, et sanguinis ipsius, Veteris Testamenti justis hominibus nondum attributus; quibus *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*, ut evangelista Joannes scribit[3].

VI. Verum, antequam testes in medium adducam Græcos illos Latinosque Patres, teste utar optimo omnium ipsomet Spiritu; qui idipsum in sacris Litteris tam sæpe, tamque aperte prædicavit, ut omnem hæsitationem sustulisse videatur.

Nam multa passim ibi de communicatione Spiritus sancti, deque ejus in nobis commoratione dicuntur, ac largitione illa, quæ Christi nobis meritis ac morte comparata est; quæ ad creata diffusaque in nos illius charismata, et effecta restringi nequeunt, sed ipsam omnino personam illius, et substantiam quocumque tandem modo derivari in nos, applicarique significant. Ejusmodi sunt illa: *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit*[4]. Et *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, etc.; quibus verbis alludit ad id, quod ex Isaia propheta alio in loco commemoraverat[5]: *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei;* quod ab ipso Deo, Deique in illis habitante Spiritu doceantur.

Quo et illa obiter a nobis injecta pertinent: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus;* quem Spiritum interpretatur illa *vivæ aquæ flumina, quæ de fidelium ventre profluunt.* Ea porro de substantia ipsa Spiritus sancti, plerique Patres intellexere, uti postea dicetur. Paulus item apostolus crebris istud, illustribusque testimoniis approbavit; ut cum *ad Romanos* scribens[6], *Charitas*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi donum charitatis, et creatum χάρισμα ab ipso Spiritu distinxit; quem et datum esse dicit, ut illud esse diffusum. Rursus in nobis habitare Spiritum sæpe prædicat: *Si tamen Spiritus Dei habitat in nobis*[7]. Et, *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis.* Tum, *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*[8]. Et: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* Item, *Quoniam autem est is filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater*[9]. Eodem referuntur et illa loca, in quibus Spiritum sanctum tanquam *pignus* esse datum nobis asserit: sive, ut in Græco est, *arrhabonem.* Ut *ad Corinthios* scribens[10], *Qui et signavit nos*, inquit, *et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

1 Cap. VII. — 2 Cap. II. — 3 Cap. VII, 39. — 4 *Joan.* XIV, 16. — 5 Cap. VI, 45. — 6 *Rom.* V. — 7 *Rom.* VIII, 9 et 11. — 8 I *Cor.* III, 16 et cap. VI, 19 et II *Tim.* I, 14. — 9 *Gal.* IV, 6. — 10 II *Cor.* I, 22.

Et, *Qui dedit nobis pignus Spiritus*[1]. Et, *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*, *qui est pignus hæreditatis nostræ*[2]. Utrobique ἀῤῥαβὼν est in Græco. Qua in voce vis inest quædam, quod arrha pars sit summæ totius; pignus vero diversum aliquid, quod et persoluto pretio redditur, nec retinetur, ut Hieronymus [3], et Chrysostomus observant. Quorum ille sic disputat : « Si arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio? » Iste autem, « Quemadmodum, ait, si bellum inter se gentes aliquæ gerant, obsides dare solent; sic Deus Filium suum dedit pacis, induciarumque pignus, et Spiritum sanctum, qui ab ipso procedit[a]. » Quocirca uti Filius ita nobis datus est, ut ipsa ejus substantia, non creatum aliquod donum hominibus illius vice concessum fuerit; ut propterea nonminus pie, quam eleganter scripserit Augustinus [4], « Seipsum dabit, quia seipsum dedit. Seipsum dabit immortalibus immortalem, quia seipsum dedit mortalibus mortalem; » ut igitur ipsa Filii persona data nobis est, et in æterna felicitate semetipsam dabit; ita procul dubio Spiritus sanctus, velut pignus, et arrhabo, per se, et οὐσιωδῶς dari intelligendus est, ne infinitis partibus minor eo sit arrha, cujus fidem sponsionemque nobis exhibet. Ergo et *dedit Spiritum suum sanctum in nobis*, ait Apostolus idem [5]; Et, *In hoc scimus*, *quoniam manet in nobis de* (id est, *ex*) *Spiritu*, *quem dedit nobis*, ut Joannes scribit[6]. Paschasius vero Diaconus in libro primo *de Spiritu sancto*, cap. XI, « In terrenis, inquit, negotiis arrhæ quantitas contractus illius, pro quo intercesserat, quædam portio est. Pignoris vero ratio meritum rei, pro qua poni videtur, excedit. Hic vero majestati pignus suum, quia nescit præferri, necesse est exæquari. » Augustinus item sermone XIII *de Verbis Apostoli*, de Spiritu sancto : « Qualis res est, si pignus tale est? Nec pignus, sed arrha dicendus est. Pignus enim, quando ponitur; cum fuerit res ipsa reddita, pignus aufertur. Arrha autem de ipsa re datur, quæ danda promittitur; ut res quando redditur, impleatur quod datum est, non mutetur. »

VII. Hæc et similia Scripturæ loca quantam vim habeant, intelligi poterit, si eas veterum auctoritates cum illis comparemus, quas subinde percensebimus. Nam eæ Scripturæ mentem de illa Spiritus sancti communicatione sic explicant, ut et substantiam ipsam Spiritus nobis tribui, et hoc ipsum beneficium Christi merito nos consequi persuadeant.

Ex iis firmissimum, ac longe clarissimum testimonium exstat Gregorii Nazianzeni, qui utrumque his verbis amplexus est oratione *in Pentecosten*[7]. Nam cum dixisset, Spiritum sanctum diversis temporibus vim suam, et ἐνέργειαν ostendisse, ut in patriarchis, et prophetis, ac demum apostolis; in his triplicem communicationis gradum distinguit : « Trifariam iis, inquit, datus est, prout ipsorum captus ferebat, tribusque temporibus, nempe antequam Christus per passionem glorificaretur; postquam resurrectione glorificatus est; post ejus in cœlum ascensum, sive restitutionem, sive quo alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicue ostendit tum prima illa morborum, spirituumque depulsio, quæ scilicet non absque Spiritu fiebat; tum illa post confectum salutis nostræ negotium insufflatio, quæ divinioris procul dubio inspirationis specimen habebat; tum postremo præsens hæc ignearum linguarum divisio, quam etiam solemni festo celebramus. Verum primo quidem obscure, secundo expressius, nunc vero perfectius, ut qui non jam operatione sola præsens sit, ut antea, sed substantiali, ut sic loquar, modo adsit, ac simul versetur. Decebat enim, ut, cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo nobiscum modo versaretur, et corporeo ipse modo cerneretur; et cum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet; ita quidem, ut et tanquam Dominus veniret, et tanquam Deo nequaquam oppositus, mitteretur[b]. » Hæc Nazianzenus, (quæ et Hugo Etherianus citat in secundo

a CHRYS. in cap. I *ad Eph*. Καθάπερ εἰ πόλεμος εἴη ἔθνεσι πρὸς ἔθνη, διδόασιν ὁμήρους· οὕτω καὶ ὁ θεὸς ἔδωκε τὸν υἱὸν αὐτοῦ, τῆς εἰρήνης, καὶ τῶν σπονδῶν ἐνέχυρον, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐξ αὐτοῦ.

b NAZIANZ. orat. XXXIV. Καὶ τούτοις τρισσῶς, καθ' ὅσον οἷοί τε ἦσαν χωρεῖν, καὶ κατὰ καιροὺς τρεῖς· πρὶν δοξασθῆναι χριστὸν τῷ πάθει· μετὰ τὸ δοξασθῆναι ἀναστήσει· μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάβασιν, ἢ ἀποκατάστασιν, ἢ ὅ, τι χρὴ λέγειν. δηλοῖ δὲ ἡ πρώτη τῶν νόσων, καὶ ἡ τῶν πνευμάτων κάθαρσις, οὐκ ἄνευ πνεύματος δηλαδὴ γενομένη, καὶ τὸ μετὰ τὴν οἰκονομίαν ἐμφύσημα, σαφῶς ὂν ἐμπνεύσις θεοτέρα, καὶ ὁ νῦν μερισμὸς τῶν πυρίνων γλωσσῶν. ὃ καὶ πανηγυρίζομεν. ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον ἀμυδρῶς· τὸ δὲ δεύτερον ἐκτυπώτερον· τὸ δὲ νῦν τελεώτερον, οὐκ ἔτι ἐνεργείᾳ παρὸν ὡς πρότερον· οὐσιωδῶς δὲ, ὡς ἂν εἴποι τις, συγγινόμενόν τε, καὶ συμπολι-

1 II *Cor*. v, 5. — 2 *Eph*. I, 14. — 3 In Com. ad epist. *ad Eph*. — 4 Aug. in *Psal*. XLII. — 5 In epist. I *ad Thes*. IV. 8. — 6 In I *Joan*. III, 24. — 7 Orat. XLIV.

libro, capite XIII), in quibus duplicem Spiritus sancti communicationem esse demonstrat; unam quæ in sola ἐνεργείᾳ et efficientia, sive operatione consistit: alteram, qua substantia ipsa tribuitur; priorem hactenus fuisse, antequam Christus a mortuis resurgeret; posteriorem tum demum cœpisse, quando in Pentecoste Spiritus sanctus in apostolos delapsus est, tunc enim οὐσιωδῶς, non sola ἐνεργείᾳ communicatus est. Ac ne quis vere illud esse factum tunc solum existimet, quando in apostolos aspectabili specie descendit; atque ita Gregorium interpretetur, ut missionem illam propriam fuisse dicat Spiritus sancti, eumque οὐσιωδῶς, *secundum substantiam*, ac per se, non per vicarium, et interpretem angelum, creaturamve aliam adfuisse, quemadmodum supra quasdam ἐπιφανείας ostendimus a personis ipsis vel singulis, vel omnibus obitas fuisse, alias per angelos administratas; velim, qui hoc suspicetur, animadvertat, cujusmodi tum Spiritus sancti largitio communicatioque fuit, talem deinceps in omni vita apostolis, ac fidelibus etiam obtigisse. Non enim fefellit, qui de eadem missione loquens ita dixit: *Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit*[1]. Manifestum est, Spiritum sanctum certo quodam novoque modo in apostolos venisse, et in illis mansisse, non ἐνεργείᾳ solum, et per sanctitatem, et gratiam, quam et ipsi jamdudum habebant, et tanto ante prophetæ, ac patriarchæ copiosam acceperant, sed οὐσιωδῶς, ac per divinam ipsam personam, et substantiam; quo utique modo etiam in fideles cæteros idem se Spiritus infundit, ut ex iis Scripturæ testimoniis constat, quæ paulo ante recitavimus.

Essentialiter. *Efficientia.* *Apparitiones.*

VIII. Cyrillus vero passim, et omnibus fere in libris idem testatur. Præsertim in libro XXXIV *Thesauri;* ubi hæreticorum obstruit ora dicentium, Spiritum sanctum vim a Patre sanctificandi accipere, et in creaturas transfundere: « Sed quid opus est, inquit, istis ambagibus, et versutis commentis? Ipsam enim sanctificandi virtutem, quæ ex Patre naturaliter prodit, et imperfecta perficit, Spiritum sanctum esse dicimus. Et superfluum videtur, per medium aliquod creaturas sanctificari. Nam ipse Deus, pro misericordia sua, ad minima usque pervenit, et sanctificat per proprium Spiritum. Omnia enim sunt ejus opera[a]. »

Tum in sequentibus Mosem cum Christo comparat, ac legem ab illo latam cum gratia, et veritate, quam iste attulit; et hanc gratiam τελείαν, id est *perfectam* nominat: « Quænam ergo gratia est, inquit, ista? Omnino diffusio est illa Spiritus facta in cordibus nostris, ut Paulus loquitur[b]. » Hunc vero Spiritum contendit Deum esse, ne « per creaturam nobis sanctificatio tribuatur. » Itaque « Spiritus sanctus per seipsum in nobis, inquit, operatur, vere sanctificans, et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat, ac divinæ naturæ participes reddens[c]. » Hic Cyrillus *per creaturam sanctificari* nos negat, sed per ipsummet Spiritum sanctum id nos habere defendit; et Spiritum eumdem αὐτουργεῖν asserit, id est « per se, ac per communicationem substantiæ suæ nos sanctos efficere. » Quod verum non esset, si nos sanctos, ac Dei filios qualitas aliqua, quantumvis excellens, at creata, et Deo longe inferior redderet.

Item alio in loco Spiritum sanctum per sese habitare dicit in sanctis, ac velut qualitatem ipsis inesse; ex quo et divinitatem illius adstruit: « Quomodo, inquit, divinæ naturæ participes secundum dicta sanctorum erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit, non ita,

τευόμενον· ἔπρεπε γὰρ υἱοῦ σωματικῶς ἡμῖν ὁμιλήσαντος, καὶ αὐτὸ φανῆναι σωματικῶς, καὶ χριστοῦ πρὸς ἑαυτὸν ἐπανελθόντος, ἐκεῖνο πρὸς ἡμᾶς κατελθεῖν, ἐρχόμενον μὲν ὡς κύριον, πεμπόμενον δὲ, ὡς οὐκ ἀντίθεον.

a Cyril. *Thes.* lib. XXXIV. Τίς οὖν ἡ χρεία περιόδου μακρᾶς, καὶ πολυπλόκων νοημάτων; αὐτὴν γὰρ ἐκείνην τὴν ἐκ πατρὸς φυσικῶς προϊοῦσαν δύναμιν ἁγιαστικὴν τὴν τοῖς ἀτελέσι τὸ τέλειον παρεχομένην, φαμὲν εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ περιττὸν, ὡς φαίνεται, τὸ διὰ μέσου τινὸς ἁγίαζεσθαι τὴν κτίσιν, οὐκ ἀπαξιούσης τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας καὶ μέχρι τῶν ἐλαχίστων διϊκνεῖσθαι, καὶ ἁγιάζειν αὐτὰ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐπείπερ αὐτοῦ πάντα τὰ ποιήματα.

b Ibid. Τίς οὖν ἄρα ἡ χάρις; πάντως ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος χύσις ἡ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν γινομένη κατὰ τὴν τοῦ Παύλου φωνήν. πῶς οὖν ἀληθινὴ φανεῖται λοιπὸν ἡ ἐν ἡμῖν χάρις, εἴπερ διηκονήθη διὰ κτίσματος εἰς ἡμᾶς ὁ ἁγιασμὸς, ὥσπερ οὖν ὁ νόμος δι' ἀγγέλων· εἰ γὰρ οὐκ αὐτουργεῖ τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν ἡμῖν, etc,

c Ibid. Αὐτουργὸν ἄρα τὸ πνεῦμα ἐν ἡμῖν, ἀληθῶς ἁγιάζον, καὶ ἑνοῦν ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ τῆς πρὸς αὐτὸ συναφείας, θείας τε φύσεως ἀποτελοῦν κοινωνούς.

1 *Joan.* XIV, 15.

ut per ipsam in nos, tanquam alienus transeat, sed, ut sic loquar, uti velut qualitas quædam divinitatis in nobis insit, et in sanctis habitet; ac perpetuo maneat, si mentis suæ oculum omni probitate purgantes, et virtutum omnium indefesso studio gratiam sibi ipsi conservent[a]? »

IX. Cæterum latissime patet hic locus, atque ab Cyrillo, aliisque Patribus multum, ac sæpe tractatur; qui Spiritum sanctum, hoc est, divinam ipsam personam, ac substantiam in sanctis habitare confirmat, non solam ejus gratiam et efficientiam. Ideoque templa nos illius, ac domos esse, in quibus per sesemanet ille, ac nos sui similes, hoc est Deos, suimetipsius communicatione reddit. Quæ sanctissimorum eruditissimorumque Patrum assertio ex sacrorum voluminum auctoritate descendens, ac divinorum interpres oraculorum, jucundissima voluptate piorum demulcet animos, ac Dei in nos bonitatem, et munificentiam summopere commendat. Cui quidem persuadendæ illustrandæque, testes Græcos et Latinos adhibere pergam. Ac priorum quidem auctoritate nixus Joannes Beccus patriarcha Constantinopolitanus in eo libro[1], quo Spiritum sanctum a Filio procedere, contra populares suos demonstrat, eos ipsos redarguit, quod cum apud veteres legerent Spiritum sanctum existere, scaturire, vel prodire ex Filio, negabant hoc de ipsa substantia Spiritus intelligendum esse, tanquam ex Filii natura, vel substantia ortum acciperet, sed de spirituali dono, et charismate; quod cum animæ est infusum, Spiritus sanctus illic habitare dicitur. At Beccus præter donum illud gratiæ, etiam Spiritum sanctum, id est, ejus substantiam occulto quodam modo, et inexplicabili profundi, ac procedere a Patre Filioque contendit, cum ad nos mittitur ab utroque.

Sic enim Cyrillus in septimo *Dialogorum ad Hermiam*, « Etenim domestico, et habitante in seipso, inquit, naturali veroque Deo locupletari dicetur aliquis, non si alienum, et substantialiter ab eo dissociatum Spiritum acceperit, sed si eum habeat, qui est ex ipso, ipsiusque proprius, et æqualem ad ipsum comparatus proprietatem gerit[b]. » Hæc Cyrillus. Quod si domesticum, et in se residentem habere Deum eatenus solum dicitur justus, si id, quod accipit, verus sit Deus, neque alienum quippiam, diversumque a Deo, cujusmodi creata esset aliqua substantia spiritus; multo minus illud vere de eo usurpari poterit, quod Scripturæ passim nos docent, manere apud nos Deum; si nihil, præter qualitatem, et accidens, quamlibet divinum, et eximium, sed creatum, et substantia multo inferius communicatur, cum Spiritus sanctus ad nos venire dicitur.

Rursus eodem in libro: « Misit autem ad nos e cœlo Paracletum, per quem, et in quo nobiscum est, et in nobis habitat, non peregrinum nobis infundens, sed substantiæ ipsius, et Patris ipsius proprium Spiritum[c]. »

X. Sed egregius ibidem locus est, qui sic habet: « Quod igitur nos in terra filiorum gloria veluti deaurat, hoc est Spiritus sanctus, quandoquidem Filii est, in aliis quidem efficiet adoptionem, in eo vero nihil efficiet, cujus est non adscititius, neque extrinsecus prodiens, sed substantialiter ipsius existens, et per ipsum profusus in eos, qui ad accipiendum digni sunt, cum Patris beneplacito[d]. » Quibus verbis Spiritum sanctum οὐσιωδῶς, ac per substantiam propriam applicari significat, dum justos ait eo velut inaurari, illiusque præsentia et habitatione filios Dei effici. Etenim, ut recte Faustus *ad Ruricium* epistola quinta scribit, « verbo tenus homo deauratus

a Cyril. IX *in Joan.* Πῶς δὲ θείας φύσεως κοινωνοὶ κατὰ τὰς τῶν ἁγίων φωνὰς οἱ πνεύματος μέτοχοι, εἰ γενητοῖς ἐναρίθμιόν ἐστι, καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἐξ αὐτῆς ἡμῖν τῆς θείας φύσεως πρόεισιν, οὐ διϊκνούμενον δι' αὐτῆς εἰς ἡμᾶς ὡς ἀλλότριον· ἀλλ', ἵν' οὕτως εἴπω, ποιότης ὥσπερ τις τῆς θεότητος ἐν ἡμῖν γινόμενον, καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικοῦν, καὶ ἀπομένον διὰ παντὸς, εἰ τῆς ἑαυτῶν διανοίας τὸν ὀφθαλμὸν διὰ πάσης ἐπιεικείας ἀποκαθαίροντες, καὶ διὰ τῆς εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀνενδότου σπουδῆς συντηροῖεν ἑαυτοῖς τὴν χάριν;

b Cyril. VII Dial. *de Trin.* Ἔνοικον γὰρ, καὶ ἐνηυλισμένον καταπλουτοίη τις ἂν τὸν φύσει τε, καὶ ἀληθῶς ὄντα θεὸν, οὐκ ἀλλότριόν τι, καὶ διεσπασμένον οὐσιωδῶς αὐτοῦ τὸ πνεῦμα λαβὼν, ἀλλὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἴδιον αὐτοῦ, καὶ τὴν ἴσην, ὡς πρὸς αὐτὸν, ἰδιότητα φοροῦν.

c Idem. Ἔπεμψε δὲ ἡμῖν ἐξ οὐρανοῦ τὸν παράκλητον, δι' οὗ, καὶ ἐν ᾧ μεθ' ἡμῶν ἐστι, καὶ ἐν ἡμῖν αὐλίζεται, οὐκ ὀθνεῖον ἡμῖν ἐγχέων, ἀλλὰ τὸ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, καὶ τῆς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἴδιον πνεῦμα.

d Idem. Τὸ τοίνυν ἡμᾶς τοὺς ἐπὶ γῆς τῇ τῆς υἱότητος δόξῃ καταχρυσοῦν, φημὶ δὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπείπερ ἐστὶ τοῦ υἱοῦ, ἐνεργήσει μὲν εἰς ἑτέρους τὴν υἱοποίησιν, ἀπρακτήσει δὲ περὶ τὸν οὗ ἐστιν οὐκ εἰσκεκριμένον, οὔτε μὴν ἔξωθεν, ἐκπεφοιτηκὸς, ἀλλ' οὐσιωδῶς ὑπάρχον αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ προχεόμενον τοῖς ἐλεῖν ἀξίοις ἐν εὐδοκίᾳ πατρός.

1. Cap. VII.

est; Deus aurum est; quod in homine gratia est, in Deo natura est. »

Rursus Cyrillus in septimo dialogo *de Trinitate*, sanctitatem et sapientiam, hoc est, statum illum justitiæ, qui nos adoptivos facit Dei filios, substantiæ suæ communicatione in nobis efficere Spiritum sanctum, diserte docet his verbis : « Non enim, inquit, per creaturam participari potest, quod creaturam superat[a]. » Deinde non modo sapientem, sed ipsam quoque sapientiam dicit esse Deum. Hoc autem convenire Spiritui sancto, qui sapientes seipso facit homines, et angelos, quod isti facere nequeunt[b]. Ex quo concludit sic : « Sanctus vero Spiritus peræque ac Deus operatur. Quare si cui participatione, et inhabitatione seipsum largiatur, sapientem illum prorsus efficit per semetipsum, ac supremæ naturæ operationem in hoc rursus implet[c]. »

Et in *Excerptis dialogi de sancto Spiritu*, probat itidem nos, cum sumus participes sancti Spiritus, « non creaturæ, sed divinitatis fieri participes. Nam habitante creatura, non divinitatis sumus, sed creaturæ participes[d]. » Ac paulo post Deum asserit, non in creatura, id est interventu rei creatæ, homines facere sapientes, et potentes, sed per ipsummet Spiritum. Quæ cum dicit Cyrillus, aut iis similia, nimirum per Spiritum sanctum fortes, aut sapientes nos fieri; de perfectæ sapientiæ, ac fortitudinis dono loquitur, quod in statu consistit justitiæ, sanctitatis, et adoptionis.

Ita libro quinto *Commentariorum in Joannem* scribit, in antiquis prophetis solam efficientiam fuisse Spiritus sancti, at nunc in nobis ipsummet habitare Spiritum; quem locum postea referam. Tum in decimo ejusdem operis pulcherrime probat ex eo, quod per Spiritum sanctum, non per creatam rem ullam, Dei participes reddimur, Deum esse Spiritum sanctum : « Nam si fieri potest, ut per ullam omnino creatam substantiam divinæ, et ineffabilis naturæ simus participes; quid jam prohibere poterit, quin Deus, et Pater, amoto spiritu, per aliam quampiam, quamcumque voluerit, creaturam in nobis resideat, nosque sanctificet[e] ? » Manifestum est ex eo, Deum Patrem nos per Spiritum suum sanctos facere, et in nobis habitare, adeoque nos ipsa Spiritus sancti substantia tales existere, non creatæ rei alicujus interjectu, tanquam formæ præcipuæ. Neque enim Spiritus sancti ἐνέργεια illa, et functio, vel operatio, qua sancti, et Filii Dei, ac divinæ naturæ participes reddimur, eadem est omnino cum illa, qua in nobis habitare, et istud ipsum communiter cum Spiritu ipso, ac Filio efficere dicitur Pater. Alioqui nihil erat, quod Cyrillus, aliique Patres duas illas ejusdem operis moliendi rationes distinguerent : alteram, qua Pater id agit in nobis : alteram, qua Spiritus sanctus idipsum communicatione sui præstat; si non peculiari quodam modo Spiritus sanctus id nobis tribueret. Quem quidem modum accuratius paulo post ex eorumdem Patrum opinione trademus. Nunc illud e Cyrillo satis habemus effici, Spiritum sanctum applicatione quadam substantiæ suæ, non interveniente ulla re creata, nos veluti formare, et in sanctitatis adoptionisque statu illo constituere.

Itaque Joannes Cyparissiotus[1] ex hujusmodi Cyrilli, aliorumque Patrum sententiis, « patet, inquit, quod, Deo secundum substantiam præsente, substantiam ejus impermixte participamus, et quod ipsa est, quæ nos sanctificat, et habitat in nobis, » etc.

Hanc vero sancti in nobis Spiritus habitationem, ac præsentiam passim Cyrillus, aliique veteres ideo prædicant, quod multum in eo præsidii esse putant, contra divinitatis illius obtrectatores; si cum habitare in justis, ac manere Deum Scripturæ testentur, hoc

a Cyril. dial. VII. Οὐ γὰρ ἐν κτίσματι μεθεκτὸν, τὸ ὑπὲρ τὴν κτίσιν.

b Ibid. Οὐκοῦν εἰ σοφοῖ τὸ πνεῦμα τὰ σοφίας δεκτικὰ σοφία που πάντως ἔσται, καὶ νοηθήσεται. τοῦτο δὲ ἔφαμεν εἶναι τὸν θεόν.

c Ibid. Τὸ δέ γε πνεῦμα τὸ ἅγιον ἰσουργεῖ τῷ θεῷ. ὥστε εἴπερ τῷ κατὰ μέθεξιν, καὶ ἐναυλισμὸν ἑαυτὸ χαρίσαιτο, σοφόν που πάντως ἀποτελεῖ δι' ἑαυτοῦ, καὶ τῆς ἀνωτάτω φύσεως ἀποπληροῖ τὴν ἔν γε τούτῳ πάλιν ἐνέργειαν.

d *Excerp.* Ὥσπερ γὰρ τοῦ κατὰ φύσιν ἐνοικοῦντος θεοῦ, οὐ κτίσεως ἐσμὲν, ἀλλὰ θεότητος μέτοχοι· οὕτως ἐνοικοῦντος ἡμῖν κτίσματος, οὐ θεότητος ἐσμὲν, ἀλλὰ κτίσεως μέτοχοι. οὐκοῦν τὸ πνεῦμα θεὸς, εἴπερ ἐστὶν ἐν ἡμῖν δι' αὐτοῦ θεὸς ὁ φύσει, καὶ ἀληθῶς.

e Cyril. lib. X *in Joan.* Εἰ μὲν γάρ ἐστι τῶν ἐνδεχομένων, διά τινος ὅλως γεννητῆς οὐσίας τῆς θείας τε, καὶ ἀῤῥήτου φύσεως ἡμᾶς μεταλαχεῖν, τί ἂν ἔτι τὸν κωλύον δρῷτο, τὸν θεὸν καὶ πατέρα τὸ πνεῦμα παρωσάμενον, καὶ δι' ἑτέρου τινὸς, οὗ περ ἂν βούλοιτο κτίσματος ἐν ἡμῖν γένεσθαι, καὶ ἁγιάζειν ἡμᾶς.

1 Dec. VII, cap. II. Vide et capite sequenti.

ipsum de Spiritu sancto potissimum intelligendum esse demonstrent, qui cum idem Christi sit Spiritus, consequens sit ipsum quoque Christum esse Deum. Etenim habitare in homine, vel in creaturis, non creaturæ convenit, sed Deo, ut iidem Patres asserunt. Itaque solæ tres personæ tanquam proprium hoc sibi vendicant in sacris Litteris, quibus id communiter attribuitur. Quod Cyrillus rationi imaginis adscribit, eo quod, uti Patris Filius, ita Filii imago sit Spiritus sanctus. « Quemadmodum igitur, inquit, quoniam imago est exactissima Patris Filius, qui ipsum recipit, etiam et Patrem habet; sic ad propriam figuram currente analogia, qui Filii imaginem recipit, hoc est Spiritum, habet omnino per ipsam et Filium, et qui est in ipso Patrem [a]. » Quæ imaginis notio, quod ad Spiritum attinet, non proprie est intelligenda; sed universe referenda est ad ejusdem substantiæ communionem, cum processione unius ab altero, quatenus uti Filius a Patre, ita Spiritus a Filio procedentes, ab iisdem, a quibus originem habent, etiam naturam, et substantiam accipiunt. Ex quo fit, ut cum unus alicubi esse dicitur, etiam cæteris inesse oporteat.

XI. Declarat hoc erudite Metrophanes Smyrnæ archiepiscopus a Becco citatus, in expositione prioris Catholicæ Joannis apostoli: « *In hoc*, inquit, *cognoscimus*, *quia in ipso, et ipse in nobis*, *quoniam de Spiritu suo dedit nobis*. Hinc ostendit, divino principatu præditam, ac beatam Trinitatem mutua cohærentia secum ipsam naturaliter esse conjunctam; et cum una persona ad aliquem venire, et in eo habitare dicitur, etiam alias duas una descendere, propter divinam, primamque simplicitatem supersubstantialis, et excedentis omnia naturæ, tum ob actionis, virtutis, ac voluntatis unitatem, et singularitatem. Sic enim et Paulus magnus apostolus prædicat: *Vos templum Dei estis; et Spiritus Dei habitat in vobis*, eo quod, cum Spiritus habitat, Deus utique ac Pater, nec non unigenitus Filius puris in mentibus simul degit, et commoratur [b]. » Ambrosius item[1]: «Est ergo, et manet semper, qui oris est Spiritus. Sed descendere videtur etiam, cum illum recipimus, ut habitet in nobis, ne nos simus a gratia ejus alieni, etc. Sic igitur venit Spiritus, quemadmodum venit Pater, quia ubi Pater est, ibi et Filius, ibi est et Spiritus sanctus. Non ergo discrete venire æstimandus est Spiritus sanctus, etc. Numquid corporaliter Pater venit? Sic ergo Spiritus venit. In quo cum venit, et Patris, et Filii plena præsentia est. » Hic Ambrosius præsentem adesse Spiritum sanctum non solum gratia et efficientia, quam separatim commemorat, sed etiam substantia, quam cum Patre communem habet, et Filio, significat. De eadem personarum conjunctione, adventuque communi agit Fulgentius in tertio *ad Monimum*[2]; ac nominatim Spiritus sancti præsentiam in justis substantialem indicat, dum Arianos refellit, qui aliud esse dicebant, apud Deum esse (quod Verbo Joannes[3] tribuit), aliud in Deo. Contra quos Joannis ejusdem testimonio repugnat[4], qui de Spiritu sancto loquens ex Christi persona sic ait: « *Quia apud vos manebit, et in vobis erit*. Ecce apud quos manet, in eis est Spiritus sanctus. Dicatur, quæ hic potest esse diversitas in eo, quod apud eos manet, et in eis est. Etenim in uno loco utraque præpositio ponitur, et Spiritui sancto utriusque rei possibilitas assignatur, ut apud quos manet, in eis sit. Itane vero Spiritus sanctus sic apud fideles manet, ut in ipsis infidelibus esse possit; Verbum autem Deus sic apud Deum est, ut in Deo esse non possit? » Ex his, et ex toto illo capite concluditur, conjunctionem illam, qua cum justis, et fidelibus copulatur Spiritus sanctus, οὐσιώδη esse, non effectione sola transigi; quemadmodum et apud Patrem, et cum Patre Verbum Dei esse, nonnisi οὐσιωδῶς putat Fulgentius. Nam de isto duntaxat modo conjunctionis illic agitur, quem Ariani nega-

a Cyril. in *Thes.* lib. XXXIII. Ὥσπερ οὖν ἐπειδήπερ εἰκών ἐστιν ἀκριβεστάτη τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, ὁ δεξάμενος αὐτὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει· οὕτως ἐπὶ τὸ ἴδιον σχῆμα τῆς ἀναλογίας τρεχούσης, ὁ δεξάμενος τοῦ υἱοῦ τὴν εἰκόνα, τουτέστι τὸ πνεῦμα, ἔχει πάντως δι' αὐτῆς τὸν υἱὸν, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ πατέρα.

b Metroph. Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ ἔδωκεν ἡμῖν. παρίστησιν ἐντεῦθεν, ὡς ἡ θεαρχικὴ καὶ μακαρία τριὰς ἀλληλουχίας ἔχεται πρὸς ἑαυτὴν φυσικῆς, καὶ τῇ πρός τινα προσφοιτήσει, καὶ κατασκηνώσει τῆς μιᾶς ὑποστάσεως, καὶ τῶν ἄλλων ἄμφω συγκαταφοίτησις πέφυκε, διὰ τὴν θείαν, καὶ πρώτην ἁπλότητα τῆς ὑπερουσίου, καὶ πάντων ἐπέκεινα φύσεως· καὶ μέν τοι καὶ διὰ τὸ τῆς ἐργασίας, καὶ δυνάμεως, καὶ βουλήσεως ἑνικὸν, καὶ μοναδικόν. οὕτω γὰρ καὶ Παῦλός φησιν μέγας Ἀπόστολος· ὑμεῖς ναὸς θεοῦ ἐστὲ, καὶ τὸ πνεῦμα θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. ὡς τῇ τοῦ πνεύματος ἐνοικήσει, καὶ τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς δηλονότι, καὶ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ ταῖς καθαραῖς ψυχαῖς ἐμφιλοχωροῦντος, καὶ συνοικοῦντος.

1 Lib. I *de Spir. sanct.* cap. x. — 2 Cap. v. — 3 Cap. i. — 4 Cap. xiv.

bant, non utique alterum quempiam negaturi, qui in sola effectione, et externa denominatione consisteret. Quamobren uti Verbum Dei substantia est Patri conjunctum, eoque modo apud hunc, et in hoc illud esse pugnat Fulgentius, ita Spiritum sanctum existimat substantialiter adesse, præsentemque esse fideli, ac justo homini, ut ex hac priorem illam præsentiam confirmet. Nec illud movere nos debet, quod iste præsentiæ conjunctionisque modus communis sit cum Patre, Filioque Spiritui sancto, non hujus peculiaris, ut volumus. Nihil enim hoc ad rem modo pertinet. Nam id unum agimus, ut illam præsentiam, et ἕνωσιν, qua cum justis copulatur Spiritus sanctus, sive solus, sive cum aliis personis duabus, et esse peculiarem monstremus, atque ab communi naturalique, qua est ubique, distinctam, et ad substantiam illius, non ad efficientiam referri. Post autem, quid in ea conjunctione privatum, ac proprium Spiritus sanctus habeat, explicare conabimur,

Unionem.

XII. Ad hanc loquendi formulam, qua Deum, vel Spiritum sanctum in nobis habitare, tam sacræ Litteræ, quam Patres affirmant, adjungi et illa debet, qua sic tanquam in templo versari, commorarique docent; ex eoque probant Deum esse nihilominus Spiritum sanctum quam Patrem, et Filium, unde substantialis itidem, ut ex priore, conjunctio colligitur. « Si templum Dei ob illam sancti Spiritus habitationem vocemur, ait Epiphanius, quis Spiritum repudiare audeat, et a Dei substantia rejicere, cum diserte hoc Apostolus asserat, *Templum nos esse Dei, propter Spiritum sanctum, qui in dignis habitat* [a] ? » Ubi non qualemcumque habitationem in homine Spiritus sancti designat Epiphanius, sed eam, qua in sanctis justisque commoratur, qui soli templa dicuntur illius.

Athanasius in priore *ad Serapionem* epistola: « Etenim ut qui vidit Filium, videt Patrem; ita qui habet Spiritum sanctum, habet Filium, et qui ipsum habet, templum est Dei, cum Paulus scribat: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Joannes vero dicit: *In hoc cognoscimus, quia in Deo manemus, et ipse in nobis. quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Quod si Filium, qui est in Patre, in quo est et Pater, in confesso est non esse creaturam, necesse est omnino neque Spiritum esse creaturam. In ipso enim est Filius, et ipse in Filio. Ideo et qui Spiritum accipit, templum Dei nominatur [b]. » Hoc in loco Athanasius Deum esse Spiritum sanctum probat, quia est in Filio, et in Spiritu Filius; quod posterius adstruit ex eo quod, ubi Filius, adeoque Pater habitat velut in templo, ibi et Spiritus sanctus habitat. Igitur οὐσιώδης debet illa poni commoratio, et οἴκησις, ut οὐσιώδης itidem conjunctio, vel unitas potius ex illa colligatur. Nam si peculiaris habitatio ista, qua in sanctis, velut in templis habitat Filius, ac Spiritus sanctus, in sola efficientia, et charismatum productione posita est, non potest ex illa substantialis unitas amborum confici, sed extrinseca; cujusmodi causam inter et effectum cernitur, ut quemadmodum Spiritus sanctus ideo habitat in templo suo, quia in eo gratiæ charitatisque dona producit; sic in Spiritu Filius inesse dicatur, quod in eo similiter aliquid efficit. Hoc enim hæretici illi, quos illic Athanasius oppugnat, neque asserere dubitabant, neque argumentatione ista convinci poterant, nisi οὐσιώδης aliqua utrobique sit conjunctio; hoc est, nisi ad templum suum secundum substantiam applicentur.

Substantialis.

XIII. Ita prorsus in dialogo septimo Cyrillus colligit: « Templa, inquit, Dei, et dii vocati sumus, et sumus. Quare autem, interroga adversarios; quandoquidem sumus vere participes gratiæ nudæ, et subsistentia carentis. Sed non sic habet, absit. Templa enim sumus Spiritus existentis et subsistentis, vocatique propter hoc dii, utpote divinæ et ineffabilis naturæ cum illo copula participes facti. At si alienæ naturæ est, et a divina natura substantialiter separatus, qui nos deos facit Spiritus per se, excidimus a spe, gloria-

a Epiph. hær. lxxiv, num. 13. Εἰ τοίνυν ναὸς θεοῦ καλούμεθα διὰ οἴκησιν ἁγίου πνεύματος, τίς τολμήσειε παραιτήσασθαι τὸ πνεῦμα, καὶ ἀπαλλοτριῶσαι τῆς τοῦ θεοῦ οὐσίας, σαφῶς τοῦ Ἀποστολου λέγοντος, ἡμᾶς ναοὺς θεοῦ γίνεσθαι, διὰ τὸ ἐνοικοῦν πνεῦμα ἅγιον ἐν τοῖς ἀξίοις;

b Athan. Καὶ γὰρ ὥσπερ ὁ ἑωρακὼς τὸν υἱὸν ὁρᾷ τὸν πατέρα· οὕτως ὁ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔχων, ἔχει τὸν υἱὸν, καὶ ὁ ἔχων αὐτὸν, ναὸς τοῦ θεοῦ ἐστι, γράφοντος τοῦ Παύλου· οὐκ οἴδατε ὅτι ναὸς τοῦ θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; ὁ δὲ Ἰωάννης φησί· ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐν τῷ θεῷ μένομεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ δέδωκεν ἡμῖν. εἰ δὲ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ ὢν, ἐν ᾧ ἐστι καὶ ὁ πατὴρ, ὡμολογήθη μὴ εἶναι κτίσμα, ἀνάγκη πᾶσα μηδὲ τὸ πνεῦμα εἶναι κτίσμα. ἐν αὐτῷ γάρ ἐστιν ὁ υἱὸς, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ υἱῷ. διὸ καὶ ὁ τὸ πνεῦμα λαμβάνων, ναὸς τοῦ θεοῦ χρηματίζει.

tionibusque frustra nescio quomodo honestati. Ubi enim adhuc dii, et templa Dei secundum Scripturas, propter Spiritum qui est in nobis? Quod enim privatur eo, ut sit Deus, quomodo idipsum poneret in aliis[a]? » Et in libro *de Divinitate Spiritus*, Joannis ac Pauli iisdem illis propositis locis, quæ Athanasius supra memoravit, hunc in modum ratiocinatur : « Quomodo igitur factus est Spiritus, si Patris, et Filii per illum participes efficimur? Non enim per creaturam erit in nobis participatio Dei. Vel dicant : Si factus unus sanctorum angelorum esset in nobis, essemusne participes divinæ naturæ? Sed hoc non est verum. Unde Deus in nobis per Deum Spiritum [b]. » Ergo non per creaturam, hoc est qualitatem ullam creatam, proprie Dei participes nos fieri, ac deos, aut illius templa, et adoptivos filios, Cyrillus affirmat, sed per ipsam divinitatem, ac Dei substantiam. Ac totus ille liber hujus generis argumentis refertus est, et alii plerique [1].

Paschasius item Diaconus in secundo *de Spiritu sancto*[2], « Habitatorem cordis humani sacra eloquia proprie Spiritum esse definiunt. *Dabit*, inquit, *vobis Pater alium Paracletum, ut maneat vobiscum in æternum*[3]. Et *ad Romanos : Vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*[4]. Et ideo de Spiritu sancto conscriptum recte intelligimus : *Regnum Dei intra vos est*[5]. Dei utique regnum sunt, qui ei parere (*forte* patere) merentur in templum Dei utique, non creaturæ. Audi per Apostolum habitatoris nostri vocem : *Vos estis*, inquit, *templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis*[6]. Et in alio loco : *Sicut dicit Deus, Inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus*[7]. Ecce ipse, qui templum humani cordis inhabitat, Deum se esse pronuntiat. » Duo hic Paschasius e Scripturis probare studet : alterum, solos esse sanctos, in quibus regnat, habitatque propria illa commoratione Spiritus sanctus : alterum, ex eo sequi Deum esse Spiritum eumdem, quod in cordibus habitet; quia nulla id creatura facere potest. Igitur substantia ipsa Spiritus sancti habitat, ac regnat in sanctis; imo ipse regnum Dei est, de quo Christus loquitur, *Regnum Dei intra vos est*, ut Cyrillus exponit[8], et Gregorius Nyssenus, qui secundum petitionem orationis Dominicæ, a Matthæo sic expressam, *Adveniat regnum tuum*[c], apud Lucam ita legi asserit : *Veniat Spiritus sanctus tuus in nos, et purget nos.* Citat hunc Nysseni locum Joannes Cyparissiotus[9]. Idemque Maximus martyr observavit in *Expositione Orationis Dominicæ*, apud Euthymium in *Panoplia*[10] : « Regnum, inquit, Dei, et Patris per essentiam subsistens est Spiritus sanctus. Quod enim hoc loco Matthæus regnum dicit, alius evangelista alibi Spiritum sanctum appellavit, *Adveniat*, inquiens, *Spiritus sanctus, et nos expurget*[d]. » Mirum est vero, quod isti narrant, apud Lucam tale aliquid legi. Nam hodie nusquam id apparet. Et capite undecimo, ubi Dominicam illam orationem refert Lucas, quam in sexto Matthæus posuit, scriptum est perinde, ut apud alterum, *Adveniat regnum tuum*. Itaque memorabilis est hæc lectionis varietas. Exstat apud Cyrillum Alexandrinum

a Cyril. VII Dial. *de Trin.* Ναοὶ δὲ θεοῦ, καὶ μὴν καὶ θεοὶ, κεκλήμεθα, καὶ ἐσμέν· ἀνθ' ὅτου γε δή; πύθου τῶν δι' ἐναντίας, εἴ περ ἐσμὲν ἀληθῶς ψιλῆς, καὶ ἀνυποστάτου χάριτος μέτοχοι. ἀλλ' οὐχ ὧδε ἔχει. πόθεν; ναοὶ γὰρ ἐσμὲν τοῦ ὄντος τε, καὶ ὑφεστηκότος πνεύματος· κεκλήμεθα δὲ δι' αὐτὸ καὶ θεοὶ, ἅτε δὴ τῇ θείᾳ τε, καὶ ἀπορρήτῳ φύσει τῇ πρὸς αὐτὸ συναφείᾳ κεκοινωνηκότες· ἔκφυλον δὲ εἴπερ ἐστὶ ἀληθῶς, καὶ τῆς θείας φύσεως διῳκισμένον οὐσιωδῶς τὸ θεοποιοῦν ἡμᾶς πνεῦμα δι' ἑαυτοῦ, διημαρτήκαμεν τῆς ἐλπίδος, αὐχήμασι τοῖς εἰς τὸ μηδὲν οὐκ οἶδ' ὅπως ἠλαϊσμένοι. ποῦ γαρ ἔτι θεοὶ, καὶ ναοὶ θεοῦ ἐσμὲν, κατὰ τὰς γραφὰς διὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἐν ἡμῖν; τὸ γάρ τοι τοῦ εἶναι θεὸς τητώμενον. πῶς ἂν ἐνθείη τὸ χρῆμα ἑτέροις;

b Idem, lib. *Quod Deus sit Spiritus sanctus.* Πῶς οὖν ἔτι γενητὸν τὸ πνεῦμα ἐστιν, εἰ μέτοχοι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ γινόμεθα δι' αὐτοῦ; οὐ γὰρ διὰ κτίσματος γένοιτο ἂν ἐν ἡμῖν **** ἑνὸς τῶν ἅγιον ἀγγέλων τῆς θείας φύσεως ἐν μεθέξει γινόμεθα· ἀλλὰ μὴν τοῦτο οὐκ ἀληθές. οὐκοῦν θεὸς ἐν ἡμῖν διὰ θεοῦ τοῦ πνεύματος. Ad hunc locum asteriscos apposuimus. Nam Græca mendosa sunt : quæ sic ex Latino possunt restitui : Γένοιτο ἂν ἐν ἡμῖν ἡ τοῦ θεοῦ μετοχή. ἢ λεγέτωσαν, εἰ ἐν ἡμῖν γενομένου ἑνὸς τῶν ἁγίων.

c Greg. Nyssen. orat. iii in *Orat. Dom.* Ἢ καθὼς ἡμῖν ὑπὸ τοῦ Λουκᾶ τὸ αὐτὸ νόημα σαφέστερον ἑρμήνευται, ὁ τὴν βασιλείαν ἐλθεῖν ἀξιῶν. τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος συμμαχίαν ἐπιβοᾶται. οὕτω γὰρ ἐν ἐκείνῳ εὐαγγελίῳ φησὶν, ἀντὶ τοῦ, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. ἐλθέτω, φησὶ, τὸ ἅγιον πνεῦμά σου ἐφ' ἡμᾶς, καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς.

d Maxim. Βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς οὐσιωδῶς ἐστιν ὑφεστῶσα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ὃ γὰρ ἐνταῦθα Ματθαῖός φησι βασιλείαν, ἀλλαχοῦ τῶν Εὐαγγελιστῶν ἕτερος πνεῦμα κέκληκεν ἅγιον, φάσκων. ἐλθέτω σου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς.

1 Ut *Thes.* lib. XXXIII et XXXIV. — 2 Cap, viii, tom. IX *Bibl. Patr.* edit. ii. — 3 *Joan.* xiv. 29. — 4 *Rom*, viii, 11. — 5 *Luc.* xvii, 11. — 6 I *Cor.* iii, 16. — 7 II *Cor.* vi, 16. — 8 Lib. VII *Dial.* — 9 Dec. ix, cap. vii. — 10 Tit. II, cap. vii.

eximium de illa sancti Spiritus appellatione testimonium in quinto libro *Commentariorum in Joannem;* ubi Christi verba illa Matthæi XI, *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*, sic exponit, ut christianus quivis, ob status sui dignitatem, Joanne Baptista præstantior habeatur, ac « regnum cœlorum sit communicatio ipsa Spiritus sancti[a], » quemadmodum *Lucæ* XVII dictum est a Christo, *Regnum cœlorum intra vos est*. Nam in nobis per fidem habitat Spiritus sanctus. » Quæ eadem in XII *Thesauri* repetit.

XIV. Sunt autem ex antiquis Patribus, qui modum illum in sanctis habitandi disertius explanant, et substantivum esse demonstrant, ut inter alios Didymus in erudito illo opere, quod de Spiritu sancto edidit, et ab Hieronymo Latine est redditum. Hic igitur in secundo libro de communicatione illa loquens Spiritus sancti, quæ justis solis convenit, « His enim, ait, tantummodo Spiritus sanctus inseritur, qui vitiis derelictis virtutum sectantur chorum, et juxta eas, et per eas in fide Christi victitant ;» tum, « et quandiu præcepta Dei servaverunt, permansit in eis Spiritus sanctus, quem acceperunt. » Istam igitur sancti Spiritus habitationem secundum substantiam fieri, idque Dei proprium esse confirmat. Etenim nulla res creata aliam implere dicitur, neque hæc illa esse plena. Atqui Spiritu sancto repleri, ac pleni esse dicuntur aliqui : « Quidam, inquit[1], Spiritu sancto pleni esse dicuntur. Nemo autem sive in Scripturis, sive in consuetudine plenus creatura dicitur. Neque enim aut Scriptura sibi hoc vendicat, aut sermo communis, ut dicas plenum esse quempiam angelo, throno, dominatione. Soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo. Dicimus autem virtutis, et disciplinæ quosdam esse plenos. » Mox Spiritum sanctum naturæ, et substantiæ capabilis, et participabilis esse ait, uti scientia, vel sapientia capi ab homine, vel cum replere dicitur : « Cum autem participabilis sit Spiritus sanctus ad similitudinem sapientiæ, ac disciplinæ, non in cassis nominibus scientiæ substantiam possidet, sed per naturam sanctificantem, et implentem bonis universa, bonus ipse subsistit ; juxta quam et repleti quidam Spiritu sancto esse dicuntur, ut in *Actibus Apostolorum* scriptum est : *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto : et loquebantur verbum Dei cum fiducia*[2]. Quomodo enim, qui aliqua disciplina plenus est, quia perfecte eam habet, erudite et subtiliter potest de ea proferre sermonem ; sic qui Spiritum sanctum consummate acceperint ita, ut impleantur eo, cum fiducia verbum Dei loquuntur , quia præsens Spiritus sanctus dignam Deo vocem ministrat. » Deinde postquam e sacris Libris ostendit repleri creaturas Spiritu sancto, ista subjicit : « Angeli autem præsentia, sive alicujus alterius excellentis naturæ, quæ facta est, non implet mentem, atque sensum, quia et ipsa aliunde completur. Quomodo enim ex plenitudine quis accipiens Salvatoris, plenus efficitur sapientia, et virtute, et justitia, et sermone Dei ; sic qui Spiritu sancto plenus est, statim universis donationibus Dei repletur, sapientia, scientia, fide, cæterisque virtutibus. Qui igitur implet universas creaturas, quæ tamen possunt virtutem, et sapientiam capere, non est ex his, quæ ipse complet. Ex quo colligitur alterius eum esse substantiæ, quam sunt omnes creaturæ. Diximus et alibi, quia subintelligatur in sancti Spiritus substantia etiam plenitudo munerum divinorum. Denique impossibile est, gratiam Dei sortiri quempiam, si non habeat Spiritum sanctum, in quo approbamus cuncta Dei dona consistere.»

XV. Atque idem etiam Didymus paulo antea Spiritus sancti substantiam, ut et Patris, et Filii, non capacem esse, sed capabilem affirmat. Nam capax est creatura, quæ Deum capit, tanquam alienum bonum. Deus autem capabilis est, quia « facit eos bonos, quibus se impertit, bonus ipse non factus ab alio, sed subsistens ; ideo capabilis, non capax. Itaque manifestum est, non a corporibus tantum, sed et ab incorporalibus creaturis extraneum esse Spiritum sanctum ; quia cæteræ substantiæ hanc substantiam sanctificationis accipiunt ; iste vero non tantum non est capax sanctificationis alienæ, sed insuper attributor est, et creator. Denique qui communione ejus fruuntur, participes dicuntur Spiritus sancti, sanctificati utique ab eo. Perspicue enim scriptum est, quod *Spiritui gratiæ, in quo sanctificatus est, contumeliam faciens, gravi punietur peccato*[3]. Si autem sanctificatus est per communionem Spiritus sancti, ostenditur, quod ipse particeps ejus fuerit, et largitor sanctificationis Spiritus sanctus. »

a Cyril. V. *in Joan*. Καὶ τίς ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ; ἡ δόσις δηλονότι τοῦ ἁγίου πνεύματος, κατ' ἐκεῖνο τὸ εἰρημένον· ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. ἐναυλίζεται γὰρ ἡμῖν τὸ πνεῦμα διὰ τῆς πίστεως

1 Did. lib. V, col. 6 Opusc. Hier. — 2 *Act*. II. — 3 *Heb*. X.

Quin etiam hoc argumento probat Deum esse Spiritum sanctum[1], quod apostolis, cæterisque sanctis variis in mundi partibus degentibus « aderat inhabitator Spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam; » quod ab angeli substantia alienum est. « Angelus quippe, qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis. Spiritus autem sanctus, non solum sejunctis a se hominibus præsto est, sed et singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit. »

Idem in fine secundi libri, ac totius operis plenius de eo disputat, quod ante dixerat, « quod animam, vel mentem hominis nulla creatura juxta substantiam possit implere, nisi sola Trinitas; quia tantummodo secundum operationem, et voluntatis errorem, sive virtutem, animus de his, quæ creata sunt, impletur; » et quod de Satana objici poterat, qui cor implere dicitur, explicat sic, ut eum, aut aliam quamlibet creaturam, introisse, ac replesse[2] « secundum substantiam neget, sed secundum operationem; quia introire in aliquem increatæ naturæ est ejus, quæ participetur a pluribus. » Denique, « Operationem, et studia non solum bonorum operum, inquit, sed etiam malorum in creaturis diximus, naturam vero, atque substantiam solius in alios posse Trinitatis intrare. »

Ex hac Didymi oratione perspicuum est Spiritum sanctum non operatione sola, effectioneque gratiæ, sed applicatione naturæ, ac substantiæ suæ sanctitatem, ac justitiam tribuere. Nam *capabilem*, et *participabilem* ejus substantiam esse dicit, quia capitur per sese, et conjungitur iis, qui justi, sanctique illius communione sunt; quod neque angeli, neque creaturæ aliæ facere possunt. Atqui si sola effectio, ac productio qualitatis alicujus satis esset, ut impleri diceretur aliquis eo, quod illam inserit et efficit, non minus id de angelo, ac dæmone, quam de Spiritu ac Deo usurpari fas esset. Omnino itaque per occultam quamdam infusionem substantiæ suæ justificare homines Spiritum sanctum, Didymus arbitratus est. Eadem et apud Paschasium[3], et Bernardum[4] leges de participatione illa substantiæ Spiritus sancti, qua boni, vel sapientes efficimur, hoc est justi, et sancti.

Origenes in libro primo *Periarchon*, capite primo, illam Spiritus sancti communicationem plane, ut volumus, exposuit, nihil ut disertius possit fieri: « Sed et cum de Spiritu sancto, inquit, multi sancti participant, non utique corpus aliquod intelligi potest Spiritus sanctus, quod divisum in partes corporales percipiat unusquisque sanctorum. Sed virtus profecto sanctificans est, cujus participium debent habere omnes, qui per ejus gratiam sanctificari meruerunt. Et ut facilius, quod dicimus, possit intelligi, ex rebus quamvis imparibus sumamus exemplum. Multi sunt, qui disciplinæ, sive artis medicinæ participant, et nunquam putandum est omnes eos, qui medicinæ participant, corporis alicujus, quod medicina dicatur, in medio positi sibi auferre particulas, et ejus participium sumere. An potius intelligendum est, quod quicumque promptis, paratisque mentibus intellectum artis ipsius, disciplinæque percipiunt, hi medicinæ participare dicuntur? Sed hæc non omni modo similia exempla putanda sunt de medicina sancto Spiritui comparata, sed ad hoc tantummodo probandum, quia non continuo corpus putandum est id, cujus participatio habetur a plurimis. Spiritus enim sanctus longe differt, a medicinæ ratione, vel disciplina, pro eo, quod Spiritus sanctus subsistentia est intellectualis, et proprie subsistit, et exstat; nihil autem tale est medicina. » Hæc Origines, in quibus apertissime demonstrat Spiritum sanctum non efficienter duntaxat, et extrinsecus infusa qualitate, vel actione communicari sanctis, sed suametipsa communicata, et applicata substantia. Quare insignis est ille locus.

1 Cels. v. — 2 *Act.* v. — 3 Lib. II *de Spir. sanct.* cap. I. — 4 Serm. v *in Cant.*

CAPUT V.

Demonstratur aliis Patrum testimoniis eadem substantiæ Spiritus sancti cum justis, ac sanctis communicatio. Illustratur ejusdem Spiritus comparatio cum sigillo, et charactere; indidemque communicatio illa substantiva deducitur. Plerosque veterum spiraculum vitæ illud infusum Adamo Spiritum sanctum interpretari. Ludovicus Vives notatur. Christum Deum dare Deum Spiritum sanctum. Cyrilli locus pulcherrimus; necnon Basilii, etc. Idipsum et ex doni ratione conficitur, tum arrhæ, vel pignoris. Bessarionis locus itidem insignis.

Substantiæ Spiritus S. cum justis communicatio aliis Patrum testimoniis comprobatur.

I. Est etiam apud antiquos theologos usitata quædam ratio, quæ illud ipsum demonstrat, nos communicata Spiritus sancti substantia fieri justos, atque sanctos, dum ita disputant: quemadmodum sigilli applicatione in cera, vel quavis alia molli, ac tractabili re, imago atque effigies exprimitur; sic admota Spiritus sancti substantia ipsa, Dei in nobis formari similitudinem, quæ in sanctitate consistit. Quæ res aliquot veterum approbanda testimoniis est. Imprimis Hieronymus ad caput IV epistolæ *ad Ephesios*, et illa Pauli verba: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*, hæc adnotat: « Signati autem sumus Spiritu Dei sancto, ut et spiritus noster, et anima imprimantur signaculo Dei, et illam recipiamus imaginem, et similitudinem, ad quam in exordio conditi sumus. Hoc signaculum sancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente signatur. »

Luculenter id a Basilio declaratum est in quinto *adversus Eunomium;* ubi exemplum ad hoc adhibet pictorum, et statuariorum, qui archetypi similitudinem in materiam derivare nequeunt aliter, quam in illud intuentes, et præsentem ejus ideam habentes. « Quod si homines ad similitudinem informare materias nequeunt aliter, nisi ideas ipsorum participent; quomodo ad Dei similitudinem ascendet creatura, nisi divini characteris sit particeps? Divinus porro character non talis est, cujusmodi est humanus, sed vivens, et vere existens imago imaginis effectrix; qua omnia, quæ participant, imagines Dei constituuntur[a]. » Egregie Basilius hoc interesse ait inter divinum characterem, sive formam illam, quæ Dei figuram imprimit, et humanum, quod hic vitæ sit expers. Est enim idea, sive species, et similitudo, quam ex archetypo in mente sua, vel phantasia expressam gerit artifex, et ad eam operis sui, id est ejus, quam elaborat, imaginis effectionem dirigit. Quare non est ἐνυπόστατος, id est *subsistens*, nedum vita prædita, sed accidens quoddam, quod per sese minime opus attingit; nec ad illud applicatur, neque actuosum est, aut efficientiæ aliquid in rem confert, verum extrinsecus duntaxat, solaque sui ostensione, et aspectu tum usum artifici præstat, tum modum operi, formamque præscribit. At divinus ille character, sive species, quæ in homine Dei figuram imprimit, sigilli more (quod sancti Patres constanter affirmant) per se, suamque substantiam adhibetur; nec nisi admotum, applicatumque fuerit, imaginem imprimit. Cum igitur sigillum illud ipsum aut characterem εἰκονοποιὸν, ut Basilius vocat, hoc est *imaginis effectorem*, Spiritum esse sanctum iidem illi Patres sæpius repetant; evidens est ex eorum decretis, justitiæ, ac sanctitatis statum, non creata re ulla, vel qualitate, sed ipsa Spiritus sancti substantia, tanquam principali forma in nobis perfici. Confer huc illa omnia, quæ libro sexto capite quinto de imagine, quæ proprietas est Verbi, vel Filii, copiose diximus.

II. Est ea de re Cyrilli locus eximius in septimo dialogo *cum Hermia*, ubi Deum esse Spiritum sanctum approbat: « Hoc igitur, inquit, quod divinam nobis imaginem insculpit, et instar sigilli præstantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est? — Hermias. Verum non tanquam Deus id facit, inquiunt; sed tanquam divinæ administer gratiæ. — Cyril. Non igitur ipse nobis, sed quæ per illum præstatur, gratia nobis insculpitur. — Herm. Ita videtur. — Cyril. Oportebat ergo imaginem gratiæ, et non potius Dei appellari hominem[b]. » Ac subinde Christum ait, cum

a Basil. V *contra Eunom.* Εἰ δὲ ἀνθρώποις οὐχ οἷόν τε πρὸς ὁμοίωσιν ἐκτυπωθῆναι τὰς ὕλας, εἰ μὴ τῆς ἰδέας αὐτῶν μεταλάβοιεν, πῶς Θεῷ πρὸς ὁμοίωσιν ἀναβῇ τὸ κτίσμα μὴ μεταλαμβάνον θείου χαρακτῆρος; θεῖος δὲ χαρακτὴρ οὐχ οἷος ὁ ἀνθρώπινος, ἀλλὰ ζῶν, καὶ ὄντως ὢν εἰκὼν εἰκονοποιὸς ᾗ πάντα τὰ μετασχόντα εἰκόνες καθίστανται Θεοῦ.

b Cyril. dial. VII. Τὸ δὲ δὴ τὴν θείαν ἡμῖν ἐγχαράττον εἰκόνα, καὶ σημάντρου δίκην ἐμποιοῦν τὸ ὑπερκόσμιον κάλλος οὐχὶ τὸ πνεῦμά ἐστιν; ὁ Ἑρμείας. ἀλλ' οὐχ

1 *Eph.* IV, 30.

in apostolos insufflasset, dixisse : *Accipite Spiritum sanctum* [1]. « Quippe non gratiæ, sed ipsiusmet unius sancti Spiritus per illam Salvatoris insufflationem participes fuerint apostoli Domini [a]. » Nec minus illustri, ac diserto testimonio Didymus[2] hoc ipsum affirmat in eodem, quem ante citavimus, libro, ubi Spiritum sanctum capabilem et participabilem esse ait, quia « sanctos facit capaces sui, » et velut sigillum eos obsignat; quod ex Apostolo probat sic *ad Ephesios* scribente: *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*[3]. Tum ista subjicit: « Si enim signantur quidam Spiritu sancto, formam et speciem ejus assumentes, ex his est Spiritus sanctus, quæ habentur, et non habent; habentibus eum signaculo ejus impressis. » Ad eosdem quoque idem scribens, *Nolite*, inquit, *contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis*[4]; «Signatos esse contestans eos, qui susceperant communionem Spiritus sancti. Quomodo enim disciplinæ, et virtutis assumptor signaculum, et figuram (ut ita dicam) in suum sensum recipit ejus scientiæ quam assumpsit; sic et is, qui Spiritus sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter, et sanctus. » Itaque Spiritus sanctus non gratia solum, et efficientia sua, sed communicatione substantiæ suæ justos et *sanctos* facit, uti sigillum applicatione sui figuram in ceram imprimit.

Illustratur Spiritus S. cum sigillo comparatio.

III. Sic Athanasius in epistola *ad Serapionem*, Spiritum sanctum unguentum, et sigillum esse dicit, quo ungimur, et signamur, ac Dei formam accipimus; ex quo illius divinitatem adstruit: « Spiritus, inquit, unguentum, et sigillum est, quo ungit omnia, signatque Verbum, etc. Hunc vero in modum signati, merito et divinæ naturæ participes efficimur, ut dixit Petrus, atque ita particeps fit Verbi creatura omnis in Spiritu, et per Spiritum dicimur omnes participes Dei. *Nescitis enim*, inquit, *quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corrumpit, perdet ipsum Deus. Templum enim Dei sanctum est, qui estis vos.* Porro si creatura esset Spiritus sanctus, nulla nobis in ipso esset Dei participatio. Sed si forte, cum creatura conjungeremur quidem; at divina natura alieni essemus, tanquam nulla re ipsius redditi participes. Nunc autem, quandocumque dicimur participes Christi, et participes Dei, demonstratur unctio illa, quæ est in nobis et sigillum non esse naturæ conditarum rerum, sed Filii, qui per Spiritum, qui in ipso est, nos Patri conjungit. Hoc enim Joannes, ut supra dictum est, docens ita scripsit: *In hoc cognoscimus, quoniam in Deo manemus, et Deus in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Quod si participatione Spiritus divinæ naturæ participes efficimur, insanus sit, quicumque Spiritum creatæ conditionis, ac naturæ, non autem divinæ esse dixerit. Ob eam enim causam, et in hominibus est, et dii per ipsum efficiuntur. Porro si deos facit, non est dubium, quin hujus natura Dei sit natura [b]. » Simili argumentatione utitur et in alia *ad Serapionem* epistola [c] (si tamen germana illius est), in qua Spiritum sanctum et unguentum, et sigillum esse dicit, quo creaturæ unguntur, et imprimuntur; esse item halitum, odorem-

ὡς θεὸς, φασὶν. ἀλλ' ὡς θείας χάριτος ὑπουργόν, ὁ ἅγιος. οὐκ αὐτὸ τοιγαροῦν ἡμῖν, ἀλλ' ἡ δι' αὐτοῦ χάρις ἐνσημαίνεται. ὁ 'Ερμείας. ἔοικεν· ὁ ἅγιος. ἦν οὖν ἀναγκαῖον εἰκόνα τῆς χάριτος, καὶ οὐχὶ μᾶλλον θεοῦ διακεκλῆσθαι τὸν ἄνθρωπον.

a Ibid. 'Ενεφύσησε γὰρ τοῖς ἁγίοις 'Αποστόλοις λέγων· λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Mox : Ὅτι οὐ χάριτος, ἀλλ' αὐτοῦ τοῦ ἑνὸς, καὶ ἁγίου πνεύματος τῷ τοῦ σωτῆρος ἐμφυσήματος μετέχον οἱ τοῦ Κυρίου 'Απόστολοι.

b Athan. Τὸ δὲ πνεῦμα χρίσμα, καὶ σφραγίς ἐστιν, ἐν ᾧ χρίει, καὶ σφραγίζει ὁ λόγος τὰ πάντα. Mox : Οὕτω δὲ σφραγιζόμενοι εἰκότως καὶ κοινωνοὶ θείας φύσεως γινόμεθα· ὡς εἶπεν ὁ Πέτρος· καὶ οὕτω μετέχει πᾶσα ἡ κτίσις τοῦ λόγου ἐν τῷ πνεύματι, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος λεγόμεθα πάντες μέτοχοι θεοῦ. οὐκ οἴδατε γὰρ, ὅτι ναὸς θεοῦ ἐστὲ, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ θεός. ὁ γὰρ ναὸς τοῦ θεοῦ ἅγιός ἐστιν, οἵ τινες ἐστὲ ὑμεῖς. κτίσμα δὲ εἰ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἄν τις ἐν αὐτῷ μετουσία τοῦ θεοῦ γένοιτο ἡμῖν. ἀλλ' εἰ ἄρα κτίσματι μὲν συνηπτόμεθα, ἀλλότριοι δὲ τῆς θείας φύσεως ἐγινόμεθα, ὡς κατὰ μηδὲν αὐτῆς πετέχοντες, νῦν δὲ ὁπότε λεγόμεθα μέτοχοι Χριστοῦ, καὶ μέτοχοι θεοῦ· δείκνυται τὸ ἐν ἡμῖν χρίσμα, καὶ ἡ σφραγὶς, μὴ οὖσα τῆς τῶν γεννητῶν φύσεως, ἀλλὰ τοῦ υἱοῦ διὰ τοῦ ἐν αὐτῷ πνεύματος συνάπτοντος ἡμᾶς πατρί· τοῦτο γὰρ 'Ιωάννης, ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν εἴρηται, διδάσκων ἔγραψεν, ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν τῷ θεῷ μένομεν, καὶ ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ ἔδωκεν ἡμῖν. εἰ δὲ τῇ τοῦ πνεύματος μετουσίᾳ γινόμεθα κοινωνοὶ θείας φύσεως, μαίνοιτο ἄν τις λέγων τὸ πνεῦμα τῆς κτιστῆς φύσεως, καὶ μὴ τῆς τοῦ θεοῦ. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐν ἀνθρώποις γίνεται, καὶ δι' αὐτοῦ θεοποιοῦνται. εἰ δὲ θεοποιεῖ, οὐκ ἀμφίβολον ὅτι ἡ τούτου φύσις θεοῦ ἐστι.

c Athan. epist. I *ad Serap.* Καὶ γὰρ τὸ χρίσμα τοῦτο πνοή ἐστι τοῦ υἱοῦ, ὥστε τὸν ἔχοντα τὸ

1 *Joan.* XX, 21. — 2 Lib. I, col. XLI. in fine Oper. Hier. — 3 *Eph.* I, 13, 14. — 4 *Eph.* IV, 30.

que bonum Filii; tum sigillum, quo Christi forma in nobis exprimitur, ac cætera ejusdemmodi. Ex quibus omnibus id sane conficitur, Spiritum sanctum non per externam duntaxat infusionem creatorum accidentium et qualitatum, sed per seipsum, propriamque substantiam justos homines facere, adoptivosque Dei filios, ac deos. Nam ex vi, et proprietate *formalis* quodammodo causæ, non *efficientis*, et extrinsecus tantum, quod fit, attingentis, Athanasii, et Cyrilli argumenta ducuntur. Ut enim sigillum nemo ideo figuram et effigiem in se regis habere probet, quod utcumque hanc efficiat in alio, sed quod applicatione sui, ac velut informatione subjectæ materiæ illam exprimat. Alioqui cœlum, aut ferramentum aliud, quo in ære incisa, insculptaque forma est, qua sigillum constat, eamdem illam in sese formam principis habere dicatur, cujus est efficiens causa; quod absurdissimum est. Ita non recte ex eo colligi posset, Spiritum sanctum formam, ac figuram esse Filii, vel Dei, quod hanc in nobis figuram simplici et externa quadam actione producat, nisi id per semetipsum, applicataque substantia sua, hoc est eadem, quæ inest ipsi, specie, figuraque perficiat.

IV. Nec illud prætermiserim, quod nonnulli Græcorum Patrum, qui ista sigilli comparatione, et expressæ imaginis utuntur, interdum adhibent; id enim ad propositum facit. Eodem itaque modo, ac ratione refici, instaurarique Dei in nobis effigiem infusione sancti Spiritus asserunt plerique, quo in prima creatione Deus illam effinxit, quando, *formato homine de limo terræ*, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*[1]. Quippe afflatum illum, et halitum de Spiritu sancto, ejusque substantia, quam tum homini Deus infudit, intelligunt, quo non ad vitam, sensumque naturalem duntaxat, et rationem animatus est homo, ut propterea ad imaginem Dei factus esse diceretur; sed gratiam insuper, ac justitiam, hoc est, vitam Dei similem accepit, in quo ad imaginem addita similitudo consistit. Hanc vero vitam communicata ipsa Spiritus sancti substantia inditam parenti primo fuisse perinde, atque ejus posteris tribuitur, dum justi fiunt, egregie confirmat imprimis Basilius : qui ex ista inspiratione concludit Spiritum sanctum divinæ esse naturæ : « Spiritus, inquit, cum vivente Verbo constitutus ad creandum, viva virtus, et divina natura, ineffabilis ex ineffabiliore prodiens, ineffabili modo per sufflationem ad hominem missa, et secundum figuram corporaliter a Christo demonstratam rursus ab ipso per sufflationem restituta. Consentire enim oportet cum ea novitate, quæ fuit initio, præsentem renovationem, atque concursum. Formavit igitur, effinxitque sufflans, non diversus utique ab eo, qui insufflavit initio; sed idem penitus, per quem Deus inspirationem dedit, tunc quidem cum anima, nunc autem in animam[a]. » Hæc postrema Basilii verba, quibus tunc, cum primus homo formatus, et inspiratione Dei afflatus est, cum anima inspiratione donatus dicitur; perspicue satis indicant, inspiratione ista non hoc actum, ut naturalis ei tantummodo vita, quæ in sensu, et ratione sita est, inderetur; sed spiritualis, et natura omni superior, in gratia, et ornamentis cœlestibus posita; quibus Dei similitudinem veterum plerique metiuntur, ut cum anima, id est, naturali forma, quæ est imago Dei, etiam justitiam et sanctitatem, quæ est ejusdem similitudo, caperet. Itaque de ea propagatione hominum, quæ nunc est, quamvis non minus inspiretur a Deo in corpus anima, quam tunc factum est; non tamen idipsum usurpari pateretur Basilius et qui illi consentiunt Patres, ut ita dicamus, *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ;* quia nascimur omnes Filii iræ, atque gratiæ, et vitæ spiritualis expertes.

V. Cyrillus vero in illo, quem paulo ante citavimus, septimo *Dialogorum* latius hoc idem tractat, et inter alia sic ait: « Sed si ab substantia Spiritus disjuncta esset, quæ per ipsum datur gratia, cur non aperte dixit beatus quidem Moses, quod in lucem edito animali gratiam per vitæ spiraculum inspiravit omnium conditor; Christus vero nobis :

πνεῦμα λέγειν· Χριστοῦ εὐωδία ἐσμέν. καὶ ἡ σφραγὶς δὲ τὸν υἱὸν ἐκτυποῖ, ὡς τὸν σφραγιζόμενον ἔχειν τὴν τοῦ Χριστοῦ μορφήν.

a Basil. V *contra Eunom.* Πνεῦμα γὰρ τῷ ζῶντι λόγῳ συντεταγμένον εἰς τὸ δημιουργεῖν, ζῶσα δύναμις, καὶ θεία φύσις, ἄῤῥητος ἐξ ἀῤῥήτου στόματος πεφηνυῖα, ἀῤῥήτως κατὰ τὴν ἐμφύσεσιν εἰς τὸν ἄνθρωπον ἀπεσταλμένη, καὶ κατὰ τὸν σωματικῶς ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ δειχθέντα τύπον αὖθις ὑπ' αὐτοῦ δι' ἐμφυσήσεως ἀποκαθισταμένη. συντρέχειν γὰρ δεῖ τῇ κατ' ἀρχὴν καινότητι τὴν νῦν ἀνακαίνισιν, καὶ τὴν συνδρομήν. ἐξετύπωσεν οὖν ἐμφυσήσας οὐχ ἕτερος ὢν παρὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἐμφυσήσαντα, ἀλλ' αὐτὸς, δι' οὗ θεὸς δέδωκε τὴν ἐμφύσησιν. τότε μὲν μετὰ τῆς ψυχῆς, νῦν δὲ εἰς ψυχήν.

1 *Gen.* II, 7.

Accipite gratiam per ministerium sancti Spiritus? Sed illic Spiritus vitæ nominatus est. Vita enim vera est natura divinitatis, siquidem verum est, nos in ipsa vivere, moveri, et esse. Salvatoris autem voce Spiritus sanctus : ut qui revera ipsummet Spiritum in credentium animis collocet, et immittat, ac per ipsum, et in ipso pristinam in speciem transmutet, hoc est in seipsum, nempe ad propriam similitudinem, per sanctificationem[a]. »

Inspiratio Spiritus primo homini non solum vitam sed gratiam contulit.

Quin eodem in libro manifestius hoc ipsum declarat sic scribens. « Nam cum ad improbitatem deflexisset animal istud, et adscititii peccati morbo, propter omnimodum amorem carnis ægrotasset, ille ipse qui ad Dei imaginem formabat eum, et instar sigilli occulte impressus erat, Spiritus ab illo separatus erat ; atque hoc modo corruptibilis, et deformis : et quid non absurdi collectum in se habens effectum est? Posteaquam vero universorum conditor revocare ad firmitatem, et decorem pristinum voluit id, quod ad corruptionem prolapsum fuerat, et adulteratum, fœdumque propter adventitiam peccati labem exstiterat, immisit illi rursus eum, qui abscesserat aliquando, divinum sanctumque Spiritum, qui ad hoc natura optime comparatus esset, ac vim haberet, uti nos mundo superiorem in imaginem converteret eo ipso, quod ad suam nos similitudinem transformaret[b]. » Et in quarto ejusdem operis illustris ille locus est : « Etenim simul cum ineffabilibus opificis nutibus producta est, et existere cœpit humana natura, et habitudine ad Spiritum exornata est. Inspiravit enim in faciem ejus spiritum vitæ; quod non alio, ut opinor, modo excellentiam illam sanctificationis, et affinitatis cum Deo consequi potuisset, nisi Spiritus sancti communione decoraretur. Quocirca cum est homo factus unigenitus Dei filius, desertam ab antiquo, pristinoque bono naturam hominis inveniens, rursum ipsum transformare properabat in illum statum, ex plenitudine sua, velut fonte (Spiritum) emittens, et dicens : *Accipite Spiritum sanctum*, carnali et manifestiori inspiratione præclare admodum naturam Spiritus adumbrans[c]. » Hæc Cyrillus illud ipsum, quod volumus, perspicue declarans, inspirationem illam Spiritus, qua primum hominem affecit Deus, non animam duntaxat, vitamque corpori, sed veram animæ tribuisse vitam, hoc est justitiam, et gratiam, Spiritumque sanctum.

VI. Itaque duo illa distinguit alibi, animationem Adami, et immissionem Spiritus sancti. In illa Dei imaginem, in hac similitudinem esse concessam putat. « Posteaquam, inquit, propriæ naturæ rationibus hoc animal absolutum fuit opifice Deo, statim illius similitudine præditum est. Impressa enim in illo est divinæ imago naturæ, inspirato Spiritu sancto. Ipse namque est spiritus ille vitæ; quandoquidem illa secundum naturam vita Deus est. — Pall. Ergone anima homini dicimus spiritus est factus? — Cyr. Quomodo non absurdissimum sit ita sentire? Sic enim immutabilis ipsa quoque anima permansisset[d] ; » ac nonnullis interjectis, quæ Græce etiam ex Becco

a Cyril. VII dial. *de Trin.* Ἀλλ' εἰ τῆς οὐσίας τοῦ πνεύματος διεσχοινισμένη τις ἦν ἡ δι' αὐτοῦ χάρις, τί μὴ ἔφη σαφῶς ὁ μὲν μακάριος Μωσῆς ὅτι παρενηνεγμένῳ τῷ ζώῳ πρὸς τὸ εἶναι, λοιπὸν ἐνεφύσησε χάριν ὁ πάντων δημιουργὸς τὴν διὰ πνοῆς τῆς ζωῆς· Χριστὸς δὲ ἡμῖν, λάβετε χάριν τὴν δι' ὑπουργίας τοῦ ἁγίου πνεύματος; ἀλλ' ὠνόμασται μὲν ἐν ἐκείνῳ πνεῦμα ζωῆς· ζωὴ γὰρ ἀληθὴς ἡ τῆς θεότητος φύσις· εἴπερ ἐστὶν ἀληθὲς ὡς ἐν αὐτῇ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. διὰ δὲ τῆς τοῦ σωτῆρος φωνῆς πνεῦμα ἅγιον αὐτό που κατὰ τὸ ἀληθὲς ταῖς τῶν πιστευόντων ψυχαῖς ἐγκατοικίζοντός τε, καὶ ἐνιέντος τὸ πνεῦμα, καὶ δι' αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ μεταπλάττοντος εἰς εἶδος τὸ ἐν ἀρχαῖς, τουτέστιν εἰς ἑαυτὸν, ἤτοι πρὸς ἰδίαν ἐμφέρειαν δι' ἁγιασμοῦ.

b Idem. Διανενευκότος γὰρ τοῦ ζώου πρὸς τὸ πλημμελὲς, καὶ τὴν εἰσποίητον ἁμαρτίαν ἐκ τῆς εἰσάπαν φιλοσαρκίας ἠῤῥωστηκότος, τὸ πρὸς θείαν εἰκόνα διαμορφοῦν αὐτὸν, καὶ σημάντρου δίκην ἀποῤῥήτως ἐντεθειμένον ἀπενοσφίζετο πνεῦμα, φθαρτόν τε οὕτω, καὶ ἀκαλλὲς, καὶ τί γὰρ οὐχὶ τῶν ἐκτόπων συνειλοχὸς ἀναπέφανται; Ἐπεὶ δὲ ὁ τῶν ὅλων γενεσιουργὸς ἀνακομίζειν ἤθελεν εἰς ἑδραιότητα, καὶ εὐκοσμίαν τὴν ἐν ἀρχαῖς τὸ διολισθῆσαν εἰς φθορὰν παράσημόν τε, καὶ ἀκαλλὲς διὰ τὴν εἰσποίητον γεγονὸς ἁμαρτίαν, ἐνῆκεν αὖθις αὐτῷ τὸ ἀποφοιτῆσάν ποτε θειόν τε, καὶ ἅγιον πνεῦμα, μεταποιοῦν εὖ μάλα πρὸς τὴν ὑπερκόσμιον εἰκόνα, καὶ πεφυκὸς, καὶ δυνάμενον διὰ τὸ πρὸς ἰδίαν ἡμᾶς μεταῤῥυθμίζειν ἐμφέρειαν.

c Idem, lib. IV. Ἅμα γὰρ τοῖς τοῦ τεχνουργοῦντος ἀῤῥήτοις νεύμασι παρήχθη πρὸς ὕπαρξιν ἀνθρώπου φύσις, καὶ τῇ πρὸς τὸ πνεῦμα σχέσει κατεκαλλύνετο. ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνεῦμα ζωῆς, οὐχ ἑτέρως, οἶμαι, τοῦ ζώου τὸ ἐν ἁγιασμῷ, καὶ οἰκειότητι τῇ πρὸς θεὸν διαφανὲς ἕξοντος ἂν, εἰ μὴ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατακαλλύνοιτο μετουσίᾳ τοιγάρτοι καὶ ὅτε γέγονεν ἄνθρωπος ὁ μονογενὴς ἐρήμην τοῦ πάλαι, καὶ ἐν ἀρχαῖς ἀγαθοῦ τὴν ἀνθρώπου φύσιν· εὑρὼν, πάλιν αὐτὸν εἰς ἐκεῖνο μεταστοιχειοῦν ἠπείγετο, καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τοῦ ἰδίου πληρώματος ἐνιείς τε, καὶ λέγων· λάβετε πνεῦμα ἅγιον, τῷ διὰ σαρκὸς, καὶ ἐμφανεστέρῳ φυσήματι, τὴν τοῦ πνεύματος φύσιν εὖ μάλα σκιαγραφῶν.

d Cyril. lib. I *de Ador. in Spir.* Ἐπειδὴ δὲ τοῖς τῆς ἰδίας φύσεως λόγοις τὸ ζῶον ἀπήρτιστο τεχνουργοῦντος θεοῦ, κατεπλούτει παραχρῆμα τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοίωσιν. ἐνεχαράττετο γὰρ αὐτῷ τῆς θείας φύσεως ἡ

supra retulimus [1], « Stultum igitur, ait, fuerit putare sanctum Spiritum in animam esse conversum, et in hominis transisse naturam. Sed formata illa massa ineffabili virtute animata fuit, et e vestigio Spiritus sancti munere decorata. Non enim alia ratione divina imagine ditari poteramus [a]. »

Et in libro XXXIV *Thesauri*, « Spiraculum illud divinum formato datum homini, non dicimus esse animam (esset enim immutabilis, utpote ex tali progressa natura), sed Spiritus divini participationem, quæ humanæ animæ initio fuit indita. Omnis enim perfectio creatis rebus per Spiritum suppetit. Hinc et ad imaginem Dei fabricatum illud animal est factum, utpote participatione sancti Spiritus ipsi conforme redditum [b]. » Ac subinde restitutam Christi beneficio imaginem illam Dei testatur, quando in apostolos insufflans, Spiritum sanctum illos jussit accipere [2]. Sic enim conformes nos effici Deo per Spiritum eumdem, qui a Patre procedit, et Filio, idque οὐσιωδῶς, id est *secundum substantiam*. Hoc ipsum et in dialogo quinto *de Trinitate ;* et in *Thesauri* libro XIII repetit, necnon libro undecimo *in Joannem ;* et in duodecimo, ubi Spiritum sanctum ait Christi in nobis *effigiem vi quadam, et impressione formare*, τὴν μόρφωσιν ἐνθλίβειν. Quæ locutio ad sigilli similitudinem alludit. Eodem respexit et Gregorius Nazianzenus oratione XXXVI, ubi duplicem in illa Dei in Adamum inspiratione vim agnoscit, eamque præcipuam, qua Spiritus nobis sanctus infunditur. Idem et Severianus Gabalitanus in quinta oratione *de Opificio mundi* prodidit his verbis : « *Inspiravit*, inquit, *Deus in faciem Adami spiraculum vitæ*. Inspiravit Christus in facies apostolorum, et ait : *Accipite Spiritum sanctum*. Quem Adamus amiserat halitum, ibi Christus restituit ; et factus est homo rursus in animam viventem [c]. »

VII. Huic veterum assertioni suffragari Mosis narratio prima specie videtur. Nam in primo capite *Geneseos*, ubi creatio Adami ponitur, ac naturalis ejus productio, solius fit imaginis mentio : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam ; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos* [3]. Postea vero sequenti capite : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* [4]. Quasi tunc demum creato jam constitutoque homini Spiritum suum infuderit Deus, ac sui similitudinem dederit. Quæ etsi minus est probabilis interpretatio loci illius ; tamen ex ea, quis Patrum illorum de communicatione Spiritus sancti sensus fuerit, licet animadvertere, cum et a Deo primum, ac deinceps a Christo, non gratiam tantum, et accidentem qualitatem, sed ipsam Spiritus sancti infusam esse substantiam affirmant.

Spiraculum primo homini infusum nonnulli Spiritum S. interpretantur.

Sane Augustinus in lib. secundo *de Genesi contra Manichæos* [5], et sententiam de loco illo *Geneseos* suam in suspenso habet, et in utramque partem verba Mosis interpretatur ; sive cum insufflasse dicitur Deus, corpus adhuc solum esset, sive jam corpus, et anima erat : non tamen de Spiritu sancto tum hominis in faciem inspirato Græcis assentitur. Nam « nondum spiritualem hominem debere nos ait intelligere. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit. » Et in libro *contra Adversarium legis et prophetarum*, capite XIV, utramque opinionem refert. At in libro decimo tertio *de Civitate Dei*, illam Græcorum interpretationem severius notat : « Unde, inquit, et illud parum considerate quibusdam visum est in eo, quod legitur : *Inspiravit Deus in faciem ejus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem ;* non tunc animam primo homini datam, sed eam, quæ jam inerat, Spiritu sancto vivificatam ; » ac deinceps illorum firmamenta

εἰκὼν, ἐμφυσηθέντος ἁγίου πνεύματος. αὐτὸ γάρ ἐστιν ἡ πνοὴ τῆς ζωῆς· ἐπεί τοι ζωὴ κατὰ φύσιν ὁ Θεός. ΠΑΛΛ. Ἀρ' οὖν ψυχὴ τῷ ἀνθρώπῳ τὸ θεῖον ἐγένετο πνεῦμα; ΚΥΡΙΛ. Καὶ πῶς οὐκ ἄτοπον κομιδῇ τὸ τῇδε νοεῖν; ἢ γὰρ ἂν ἄτρεπτος καὶ αὐτή που διαμεμένηκεν ἡ ψυχή.

a Cyr. lib. I *de Ador. in spir.* Ἀμαθὲς οὖν ἄρα τὸ εἰς ψυχὴν οἴεσθαι μεταπεπλάσθαι τὸ πνεῦμα, καὶ εἰς ἀνθρώπου μεταχωρῆσαι φύσιν. ἀλλ' ἐψυχοῦτο μὲν τὸ πλαστουργηθὲν ἀῤῥήτῳ δυνάμει, κατεκαλλύνετο δὲ παραχρῆμα τῇ τοῦ πνεύματος δόσει. ἦν γὰρ οὐχ ἑτέρως τὴν θείαν ἡμᾶς εἰκόνα δύνασθαι πλουτεῖν.

b Idem, lib. XXXIV *Thes.* Τὸ δοθὲν τοιγαροῦν ἐμφύσημα θεῖον τῷ πεπλασμένῳ οὐκ αὐτὴν εἶναι φαμὲν τὴν ψυχήν· ἦν γὰρ ἄτρεπτος ἦν, ὡς ἐκ τοιαύτης προελθοῦσα φύσεως. ἀλλὰ τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος μετουσίαν ἐντεθεῖσαν ἐξ ἀρχῆς ἀνθρωπείᾳ ψυχῇ. πᾶσα γὰρ ἡ τελειότης τοῖς πεποιημένοις διὰ τοῦ πνεύματος. ὅθεν καὶ κατ' εἰκόνα Θεοῦ τὸ τεχνηθὲν ἐποιήθη ζῶον, ὡς διὰ τῆς μετουσίας τοῦ πνεύματος πρὸς αὐτὸν μεμορφωμένον.

c Sever. Ἐνεφύσησεν ὁ Θεὸς εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ Ἀδὰμ πνοὴν ζωῆς. ἐνεφύσησεν ὁ Χριστὸς εἰς τὰ πρόσωπα τῶν Ἀποστόλων, καὶ λέγει· λάβετε πνεῦμα ἅγιον. ὃ ἀπώλεσεν ἐμφύσημα ὁ Ἀδάμ, ἐνταῦθα ὁ Χριστὸς ἀπέδωκε. καὶ ἐγένετο πάλιν ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

1 Lib. V, cap. III. — 2 *Joan.* X. — 3 *Gen.*, I, 27. — 4 *Gen.* II, 7. — 5 Cap. VIII.

convellit eadem, quæ Basilius, ac Cyrillus, et Severianus afferunt.

Quem ad locum falso Ludovicus Vives adnotavit, eamdem Manichæorum dici sententiam fuisse ab Augustino, capite illo octavo secundi libri *de Genesi contra Manichæos*. Nam neque Manichæi ita senserunt; aut de libri *Geneseos* interpretatione curarunt, quem librum contemnere, ac repudiare solebant; neque ita illos opinatos esse scribit Augustinus; sed illum locum, in quo dicitur *insufflasse Deus in hominem spiritum vitæ*, sic intelligendum esse ait, ut « non credamus, illam velut partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, et cogamur dicere, naturam Dei esse mutabilem; in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. » Multum igitur ab Manichæorum commento, et blasphemia distat illa veterum sententia; neque Augustinus, tametsi hanc oppugnet, tanta onerat infamia, ut eam perditissimis illis hæreticis adscribat. Sed ut minus est, quam altera, communis ac verisimilis; sic ad id, quod quærimus, de οὐσιώδει communione sancti Spiritus adstruendum ex antiquorum testimoniis, valere nihilominus debet.

Substantiali.

VIII. Verum revocemus eo disputationem nostram, unde illam abrupimus. Rapit enim nos ad sese, ac sine satietate delectat tantæ rei, ac tam suavis jucundæque recordatio. Hoc ergo videlicet agebamus, ut Spiritum sanctum justos ac filios Dei facere doceremus, non efficientia sola, externaque largitione gratiæ, sed communione substantiæ suæ ita, ut in nobis esse, et habitare dicatur « non per gratiam visitationis, et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis, » ut Augustinus loquitur[1]. Ex quo tam ipsiusmet Spiritus, quam Filii divinitatem theologi veteres argumentando colligunt. Spiritus quidem, quod in nobis Deus habitare, ac nos facere deos in Scriptura sæpe legitur; Filii vero, quod Deum dari, ac mitti ab illo, eadem Scriptura testatur. Neutrum autem firmum esset argumentum, si non ipsa nobis substantia Spiritus sancti tribueretur, quæ utique Deus est sola.

Basilium igitur imprimis audire licet, contra perfidum Eunomium illa ipsa ratione contendentem. Cujus cum execranda verba posuisset, quibus Spiritum sanctum « Filii opus esse dicebat, divinitatis, creandique facultatis expers[a]; » adversus ea sic ille scribit: « Qui hoc dicit, nec divinitatem habitare in nobis credidisse videtur, cum de Deo Joannes dicat: *Ex hoc cognoscimus, quoniam in nobis est ex Spiritu, quem nobis dedit*[2]; et Apostolus: *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Et rursus: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo et vos ædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*[3]. Si ergo in nobis Deus habitare dicitur per Spiritum, quomodo manifesta non est impietas, expertem deitatis ipsum Spiritum dicere? Et si deos nominamus eos, qui virtute perfecti sunt; perfectio vero per Spiritum obtinetur; quomodo qui deos alios facit, divinitate ipse caret[b]? » Cyrillus in *Commentariis in Joannem* ad hæc verba: *Qui non ex sanguinibus*, etc., sic scribit: « Siquidem Deus est, et ex Deo natura. Quomodo qui per ipsum nati sumus, nos ex Deo nati esse dicimur? Aut enim dicturi sumus, mentiri prorsus Evangelistam; aut si vera loquitur, non falsa, Deus erit, et ex Deo secundum naturam Spiritus, cujus nos participatione per fidem in Christum dignamur, ac divinæ naturæ communionis accipimus, atque ex Deo nati dicimur, ideoque dii nominamur, non gratia tantum ad eam provecti gloriam, quæ captum nostrum superat, sed tanquam Deum jam habentes in nobismetipsis habitantem, et commorantem; secundum illud Prophetæ dictum: *Habitabo in ipsis, et inambulabo.* Alioqui quo tandem pacto, dicant nobis, qui tanta pleni sunt inscitia, templa Dei, ut Paulus ait, sumus, cum Spiritum habemus habitantem in nobis, nisi Deus est ille natura[c]? » Vide eumdem in libro XXXIII et

a EUNOM. apud Basil. lib. III. Καὶ μόνον τοιοῦτον τοῦ μονογενοῦς ποίημα, θεότητος, καὶ δημιουργικῆς δυνάμεως ἀπολειπόμενον.

b BASIL. Ὁ δὲ τοῦτο λέγων ἔοικε μηδὲ τὴν θεότητα πεπιστευκέναι ἐν ἡμῖν οἰκεῖν, τοῦ Ἰωάννου λέγοντος περὶ θεοῦ· ἐκ τούτου γινώσκομεν ὅτι ἐν ἡμῖν ἐστιν, ἐκ τοῦ πνεύματος οὗ ἡμῖν δέδωκε· καὶ τοῦ Ἀποστόλου, οὐκ οἴδατε ὅτι ναὸς θεοῦ ἐστὲ, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν; καὶ πάλιν, ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ, ἐν ᾧ καὶ ἡμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον θεοῦ ἐν πνεύματι. εἴ τοίνυν ἐν ἡμῖν ὁ θεὸς ἐνοικεῖν λέγεται διὰ τοῦ πνεύματος, πῶς οὐχὶ φανερᾶς ἀσεβείας ἐστὶν αὐτὸ τὸ πνεῦμα λέγειν ἀμέτοχον τῆς θεότητος; καὶ εἰ θεοὺς ὀνομάζομεν τοὺς κατ' ἀρετὴν τελείους, ἡ δὲ τελείωσις διὰ τοῦ πνεύματος, πῶς τὸ ἑτέρους θεοποιοῦν αὐτὸ τῆς θεότητος ἀπολείπεται;

c CYRIL. lib. I *in Joan.* Πῶς οἱ δι' αὐτοῦ γεννηθέντες ἡμεῖς ἐκ θεοῦ γεγεννῆσθαι λεγόμεθα; ἢ γὰρ ὅτι

1 Serm. I in *Feria* II *Pentec.* — 2 I *Joan.* V. — 3 I *Cor.* XVI.

XXXIV *Thesauri*, ubi plura de eo argumento disputat. Et in secundo libro *in Joannem* per Spiritum sanctum regenerari nos ait, « ac per ipsum, et in ipso ad archetypum pulchritudinem reformari[a]. » Tum in quinto libro locus est insignis, quem sequenti capite referam.

Cyrilli locus præstantissimus.

IX. Item in dialogo septimo alius est longe præstantissimus, qui hic omitti sine piaculo non potest; est enim unus e præcipuis. « Interrogabo igitur, inquit, deos illos posse facere, qui non sunt dii, numquid naturæ conditæ, ac factæ convenit? Equidem non dixerim, etc. Sed nunquam intelligatur deifica creatura. Soli Deo tribuenda hæc res, qui suæ proprietatis participationem sanctorum animabus per Spiritum immittit, per quem et conformes facti Filio secundum naturam, dii sicut illi, et filii vocati sumus Dei. Quod enim sumus filii Dei, *emisit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater.* Itaque siquidem posse deificare per seipsum, majus, et præstantius est, quam ut creatura hoc possit; quis annumeraret Spiritum creaturis, nisi sit corruptæ penitus mentis, aut quomodo diceretur creatura posse efficere deos[b]? » Hoc vero loco clarissime Cyrillus ostendit formam ipsam, ut ita dixerim, qua filii Dei sumus, ipsam esse Spiritus sancti substantiam. Nam per seipsum id facere Spiritum asserit; et immitti in animos nostros Spiritum; et hoc creaturam non posse præstare ; ac demum eo ipso, quod Spiritus in nobis inest, Deum in nobis habitare, vel etiam nominatim Christum; quod in XXXIII *Thesaurorum* non minus perspicue prædicat : « Non, inquit, si angelus, verbi gratia, vel archangelus in nobis loqueretur, vel operaretur, Christus, et Deus diceretur nobiscum habitare[c]. » Atqui multo etiam minus habitare diceretur Deus, si vicarium tantummodo sui accidens submitteret; quod vel substantia est inferius, vel, ut superioris cujusdam gradus, ordinisque sit, longe tamen abest ab eo, ut sit Deus.

Gregorius quoque Nazianzenus Deum esse Spiritum sanctum probat, quia deos facit. « Si non est Deus, inquit, Spiritus sanctus, prius Deus efficiatur; atque ita demum me æqualem suum deum faciat[d]. » Et alibi[1] : « Si non est adorandus Spiritus, quomodo me deum per baptismum efficiet[e] ? » Idem et Gregorius Nyssenus habet in primo *adversus Eunomium*, et complures alii.

X. Jam vero Christum ipsum Deum esse, similiter ex eo concludunt aliqui, quod Deum dat, ac mittit, hoc est Spiritum sanctum. Ut Augustinus in quinto decimo *de Trinitate*[2], « Quomodo, inquit, Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? » Ac subinde negat ab apostolis datum Spiritum sanctum; neque enim dari hunc posse, nisi a Deo : sed « orabant, inquit, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. » Tum de Christo loquens, « Accipit, inquit, ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro;

ψεύδεται πάντως ἐροῦμεν ὁ Εὐαγγέλιστης· ἢ εἴπερ ἐστὶν ἀληθὴς, ἔχει δὲ οὕτω, καὶ οὐχ ἑτέρως, Θεὸς ἔσται, καὶ ἐκ θεοῦ κατὰ φύσιν τὸ πνεῦμα, οὗ δὴ καὶ μετίσχειν διὰ πίστεως, τῆς εἰς Χριστὸν ἀξιούμενοι, θείας τε φύσεως ἀποτελούμεθα κοινωνοὶ, καὶ ἐκ θεοῦ γεγεννῆσθαι λεγόμεθα, καὶ θεοὶ διὰ τοῦτο χρηματίζομεν· οὐ χάριτι μόνον εἰς τὴν ὑπὲρ ἡμᾶς ἀνιπτάμενοι δόξαν, ἀλλ' ὡς ἤδη καὶ θεὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς ἐνοικοῦντα, καὶ αὐλιζόμενον, κατὰ τὸ ἐν τῷ Προφήτῃ κείμενον· ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω· Ἐπεὶ κατὰ τίνα τρόπον, λεγέτωσαν ἡμῖν οἱ τῆς τοσαύτης ἀμαθείας ἀνάπλεῳ, ναοὶ θεοῦ κατὰ Παῦλόν ἐσμεν τὸ πνεῦμα ἔχοντες κατοικοῦν ἐν ἡμῖν, εἰ μὴ θεὸς κατὰ φύσιν ἐστίν ;

a Cyril II *in Joan.* Δι' οὗ τῆς θείας φύσεως γινόμεθα κοινωνοὶ, ὡς τὸ ἐξ αὐτῆς οὐσιωδῶς προϊὸν καρπούμενοι· καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον ἀναμορφούμενοι κάλλος.

b Cyril. dial. VII. A. Οὐκοῦν ἐρήσομαι γάρ, τὸ θεοποιεῖν δύνασθαι τοὺς οὐκ ὄντας θεοὺς, ἆρα ἂν πρέποι γεννητῇ, καὶ πεποιημένῃ φύσει; B. Οὐκ ἔγωγε φαίην ἄν, etc. Ἀλλ' οὐκ ἂν νοοῖτό ποτε θεοποιὸς ἡ κτίσις. ἀνήφθω δὲ μόνῳ τὸ χρῆμα θεῷ ταῖς τῶν ἁγίων ἐνιέντι ψυχαῖς τῆς ἰδίας ἰδιότητος τὴν διὰ πνεύματος μέθεξιν, δι' οὗ καὶ σύμμορφοι γεγονότες τῷ κατὰ φύσιν υἱῷ, θεοὶ κατ' αὐτὸν, καὶ υἱοὶ κεκλήμεθα θεοῦ. ὅτι γὰρ ἐσμὲν υἱοὶ, κατά τὸ γεγραμμένον, ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν κράζον, ἀϐϐᾶ ὁ πατήρ. εἴπερ οὖν ἐστι μεῖζόν τε, καὶ ἄμεινον, ἢ κατὰ κτίσματος φύσιν, τὸ θεοποιεῖν δύνασθαι δι' ἑαυτοῦ, τίς τοῖς γεγονόσιν ἐγκαταριθμήσει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἴ γε νοῦν ἔχοι μὴ κατεφθαρμένον; ἢ πῶς ἂν λέγοιτο γενητὸν τὸ θεοὺς ἀποτελοῦν;

c Cyr. XXXII *Thes.* Ἑτέρου δέ τινος τῶν ποιημάτων, ἀγγέλου τυχὸν, ἢ ἀρχαγγέλου ἢ λαλοῦντος, ἢ ἐνεργοῦντος ἐν ἡμῖν, οὐκέτι χριστὸς, καὶ θεὸς λέγεται κατοικεῖν.

d Greg. Nazianz. orat. xxxiv. Εἰ μὴ θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, θεωθήτω πρῶτον, καὶ οὕτω θεούτω μὲ τὸν ὁμότιμον.

e Id. Εἰ μὲν γὰρ οὐ προσκυνητὸν, πῶς ἐμὲ θεοῖ διὰ τοῦ βαπτίσματος;

1 Orat. xxxvii. — 2 Cap. xxvi.

effundere autem super alios non utique possumus, sed, ut hoc fiat, Deum super eos, a quo hoc efficitur, rogamus. » Deus est itaque, non creata res aliqua, quæ nonnisi a Deo dari potest et effundi, imo quam in se Christus ipse profudit. Quod etiam Athanasius in libro *de Humana suscepta natura*, luculenta oratione confirmat; ubi Spiritum sanctum minime creatum, factumque esse demonstrat, quoniam ab Christo, velut aqua de fonte, diffusus est in apostolos, ac fideles, et in illos inspiratione traductus, « ut intelligeremus, ex plenitudine deitatis ipsius existere Spiritum sanctum, qui discipulis tributus est[a]. » Ac denique, « ipse inquit, ipsum cœlitus demisit, ut Deus et ipse eumdem in terris ut homo suscepit[b]. » Hoc argumentum latius a Cyrillo deducitur in libro *ad Reginas* [1], ubi cum dixisset, Dominum Jesum secundum humanam naturam Spiritum sanctum accipere, ut autem Deus est, eumdem in alios effundere, tanquam proprium[c], concludit sic: « Hominis est igitur propria Spiritus acceptio; congruens autem Deo, et humanum superans modum, propria ex plenitudine etiam in alios donum Spiritus effundere. Deus igitur est Verbum, quod in humana specie apparuit, atque idcirco Dei, et Patri assessor[d]. » Idipsum tradit et in secundo *Commentariorum in Joannem*. Athanasius oratione tertia simili ratione Deum esse concludit Filium : « Dare, inquit, pro potestate Spiritum non est creaturæ, neque opificii, sed Dei donum[e]. »

XI. Quinam autem vere istud usurpari, concludique possit, si creata tantummodo qualitas, non a Deo Deus ipse donetur? ut certum sit, quod de Christo pulchre pronuntiat Augustinus [2], « Hominem portavit ad cœlum, et Deum misit ad terras. » Quem insuper Deum Spiritum, et Paracletum *majestatis* Filii esse *socium*, probat ibidem, quoniam *vicarius Redemptoris*, et alter Paracletus a Filio postulatur, et apostolis promittitur [3], et in eos denique mittitur. Quare uti Filius, qui se Paracletum nominat, per seipsum, et οὐσιωδῶς apostolis adfuit, inter eosque versatus est; sic etiam ille alter Paracletus, quem suo loco substituit, per semetipsum, et substantialiter in illo spirituali adventu communicari debuit, ne non simile, æqualeque priori posterius esset donum, et « ut discipulorum fides veridica sponsione ad expectationem tanti muneris præparata, illum, quem sibi a Domino in locum Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret. » Hoc vero non infusione sola gratiæ, sed ipsa Spiritus immissa substantia perfectum esse, disertissima oratione paulo post explicat: « Affuit ergo in hac die fidelibus suis, inquit, non jam per gratiam visitationis, et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis; atqui in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti. » Quibus verbis nescio an quidquam ad id, quod volumus, afferri possit expressius. Nam tum ἐνέργειαν, effectumque Spiritus sancti ab ipsa ejus substantia discernit, tum non illam solum, sed hanc ipsam intervenire docet, tum ad nos mitti, et in nos delabi Spiritus ille sanctus dicitur. Eximius Augustini locus.

Distinguit et Basilius non minus expresse substantiam ab efficientia Spiritus sancti, et utrumque donari in calce quinti et ultimi libri *adversus Eunomium* affirmat. Postquam enim illius dona percensuit, quæ in piorum animis efficit, charitatem, gaudium, pacem, bonitatem, pietatem, sanctificationem, et alia pleraque; ista subjicit: « Fons est autem iste bonorum, quæ commemoravimus. Sed ille quidem ex Deo manans, per se est subsistens; quæ autem ex ipso manant, efficientiæ sunt ipsius. Hunc Spiritum sanctum effudit in nos copiose Deus per Jesum Christum, effudit, non creavit, dedit, non fabricatus est[f]. » Manifeste Basilius his verbis non sola efficientia com-

a Athan. Καὶ διὰ τοῦτο ἐμφυσᾷ αὐτὸ εἰς τὸ πρόσωπον τῶν Ἀποστόλων λέγων· λάβετε πνεῦμα ἅγιον· ἵνα μάθωμεν ὅτι ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς θεότητός ἐστι τὸ διδόμενον πνεῦμα τοῖς μαθηταῖς.

b Idem. Αὐτὸς γὰρ αὐτὸ ἄνωθεν ἔπεμψεν ὡς θεὸς, καὶ αὐτὸς αὐτὸ κάτωθεν ὑποδέχετο ὡς θεός.

c Cyril. Ἄθρει δή μοι πάλιν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν ἀνθρωπίνως μὲν τὸ πνεῦμα δεχόμενον, πληροῦντα δὲ θεϊκῶς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, διὰ τοῦ τοῖς πιστεύουσιν ἐνιέναι τὸ πνεῦμα, καὶ οὐχ ὡς ἀλλότριον, ἀλλ' ὡς ἴδιον αὐτοῦ.

d Id. Ἀνθρωπίνη τοίνυν ἡ λῆψις. θεοπρεπὲς δὲ, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον τὸ, ἐξ ἰδίου πληρώματος καὶ εἰς ἑτέρους ἐκχεῖν τὴν τοῦ πνεύματος δόσιν. Θεὸς οὖν ἄρα ἐστὶν, καὶ ἀνθρωπείᾳ μορφῇ πεφηνὼς ὁ λόγος, σύνεδρός τε διὰ τοῦτο τῷ θεῷ καὶ πατρί.

e Athan. orat. III. Τὸ δὲ μετ' ἐξουσίας διδόναι τὸ πνεῦμα, οὐ κτίσματος, οὐδὲ ποιήματός ἐστιν. ἀλλὰ θεοῦ δῶρον.

f Basil. Πηγὴ δὲ καὶ αὐτὸ τῶν προειρημένων ἀγαθῶν. ἀλλὰ τὸ μὲν ἐκ θεοῦ πηγάζον ἐνυπόστατόν ἐστι· τὰ δὲ ἐξ αὐτοῦ πηγάζοντα, ἐνέργειαι αὐτοῦ εἰσι. τοῦτο τὸ

1 In Conc. Ephes. — 2 Serm. CLXXXV *de Temp.* — 3 *Joan.* XIV

municare se Spiritum sanctum asserit justorum mentibus, neque sola gratiæ, vel qualitatis infusione, sed ipsamet substantia sua; quippe diligenter adnotat, « non creari, sed effundi, dari, non effici » illum ipsum in nobis, quem tribui docet, Spiritum.

XII. Ad hæc Cyrillus Spiritum sanctum Deum esse demonstrans, similitudine quadam utitur, quæ multum ad rem facit. Nam Pauli locum illum[1] pertractans, in quo de prophetico agit spiritu, quo comperto, etiam infideles ait ad confessionem divinitatis adigi, uti vere Deum in christianis esse prædicent. « Cum igitur, inquit, ii qui Spiritum accipiunt sanctum, Deum in seipsis habentes prophetent, et idcirco in admiratione sint; quomodo erit creatura Spiritus, et non potius supremæ omnium substantiæ communio quædam relativa, naturaliter a Patre per Filium ad eos, qui sunt ad capiendum idonei, transiens, sicut calor ab igne transit in corpora [a]?» Egregius, et in paucis memorandus hic Cyrilli locus, siquidem accurate, et cum usu aliquo sanctorum Patrum expendatur, ut eorum, imprimisque Cyrilli, propria loquendi ratio notetur. Hic enim communionem illam Spiritus sancti, qua creatis sese mentibus infundit, appellare solet σχέσιν, id est *habitudinem*, sive *relationem*, vel μετοχὴν σχετικήν, *participationem relativam*, eo quod non ipse Spiritus sanctus sic in creaturis inest, ut sit earum proprius, uniusque cum illis naturæ, substantiæ, vel personæ, aut ut unum aliquid cum iis per se, et οὐσιωδῶς efficiat. Id enim Christo homini, ac Deo peculiare est, cujus proprius est Spiritus sanctus. Nam qua Deus est, unius, et ejusdem cum illo est substantiæ. Quod si naturam hominis et ipse Spiritus itidem, ut Filius, assumeret, idipsum, quod assumptum esset, in unam cum Spiritu sancto hypostasim conveniret. At sancti homines, et adoptivi Dei filii, tametsi Spiritum ipsum sanctum, ejusque in se substantiam habeant, quæ sic, tanquam forma quæpiam, non tamen proprie dicta, filios illos adoptivos facit; non sunt tamen unum quiddam cum ipso, nisi tropice, et ut loqui solent, *moraliter*. Ideo possidere, habereque dicuntur Spiritum sanctum, quæ est σχέσις, et μετάληψις σχετική, ut Cyrillus ibidem vocat. Quam quidem μετάληψιν σχετικὴν, ipsam dicit esse substantiam Spiritus sancti, qua se ad creaturas demittit, et in eis habitat, atque ab illis obtinetur, ac possidetur; eamdemque dicit creaturam non esse, sed a Deo Patre, ac Filio itidem in creaturas derivari, uti color ab igne transit in corpora. Quæ verba pulcherrime, ac validissime demonstrant, ipsam, ut dixi, substantiam Spiritus sancti cum justis, Deique filiis copulari, ac per sese filios efficere.

Eximius Cyrilli locus

Habitudo... communio relativa.

Eamdem Basilius comparationem caloris assumit, itaque ratiocinatur in illo, quem proxime citavimus loco: « Tum vita, quam ad alterius productionem Spiritus emittit, ab ipso minime separatur. Sed quemadmodum ignis partim est calor, qui inest ipsi, partim ille, quem aquæ præbet, vel alteri ejusmodi. Ita Spiritus et ipse in seipso vitam habet; et qui participes ipsius sunt, divinam, cœlestemque possidentes vitam [b]. »

At Maximus Martyr[2] in altero genere similitudinis eamdem nobis vim argumentationis suppeditat, ut οὐσιώδης illa communicatio colligatur. Christum enim naturam nostram Spiritu suo, velut aqua vinum roborasse dicit his verbis: « Et ad immutabilitatem roborans, non natura, sed qualitate divinam illam reddidit, indesinenter ipsam proprio conformans Spiritu, ac sic velut aquam qualitate ad vigorem temperando transferens [c]. » Atqui vini qualitate affici, et in ipsum converti aqua non potest, nisi immista, infusaque vini ipsius substantia.

XIII. Quin etiam, ut ad divinas res explicandas splendida, et fecunda sunt Patrum ingenia, rursus alia similitudine non minus eleganter, et graphice ipsum persuadet Cyrillus[3] ad illa Joannis verba: *Omnia quæcumque*

πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως ὁ θεὸς διὰ 'Ιησοῦ Χριστοῦ. ἐξέχεεν, οὐκ ἔκτισεν. ἔδωκεν, οὐκ ἐδημιούργησεν.

a Cyril. lib. XXXIII *Thes.* Ὅτε τοίνυν οἱ τὸ πνεῦμα λαμβάνοντες τὸ ἅγιον, θεὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς προφητεύουσι, καὶ διὰ τοῦτο θαυμάζονται, πῶς ἔσται ποίημα, καὶ οὐχὶ μᾶλλον τῆς ἀνωτάτω πασῶν οὐσίας μετάληψις σχετικὴ, φυσικῶς διαβαίνουσα παρὰ πατρὸς δι' υἱοῦ πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους εἰς τὸ λαβεῖν, ὥσπερ ἂν γένοιτο, καὶ ἐκ πυρὸς θερμότης ἐν σώματι;

b Basil. Καὶ ἣν προΐεται δὲ ζωὴν εἰς ἄλλου ὑπόστασιν τὸ πνεῦμα, οὐ χωρίζεται αὐτοῦ· ἀλλ' ὥσπερ πυρὸς τὸ μέν ἐστιν ἡ συνοῦσα θερμότης, τὸ δὲ ἣν παρέχει τῷ ὕδατι, ἢ ἑτέρῳ τινὶ τῶν τοιούτων· οὕτω καὶ αὐτὸ καὶ ἐν ἑαυτῷ ἔχει τὴν ζωὴν, καὶ οἱ μετέχοντες αὐτοῦ ζῶσι θεοπρεπῶς, ζωὴν θείαν, καὶ οὐράνιον κεκτημένοι.

c Maxim. Καὶ στομώσας πρὸς ἀτρεψίαν οὐ φύσει, ποιότητι δὲ ταύτην ἐθέωσεν, ἀνελλιπῶς αὐτὴν τῷ οἰκείῳ χαραπτηρίσας πνεύματι, καθάπερ ὕδωρ οἴνου ποιότητι πρὸς τόνον μετακεράσας.

1 1 *Cor.* xiv. — 2 *Capit. Theol.*, hecat. ii, n. 26. — 3 Lib. II *in Joan.*, cap. ii.

habet Pater, *mea sunt* : « Nam si aromatum, inquit, fragantia propriam vim in vestes exprimit, et ad se quodammodo transformat ea, in quibus inest; quomodo non possit Spiritus sanctus, quandoquidem ex Deo naturaliter existit, divinæ naturæ participes illos facere per seipsum, in quibus insit [a] ? » Cui et Athanasius [1] consonat, Spiritum sanctum asserens unguentum illud esse, quo uncti homines bono illo odore perfunduntur, imo *bonus* ille *odor* fiunt, de quo Apostolus [2] loquitur. Quem Athanasii locum supra reddidimus capite secundo libri antecedentis, inter ea testimonia, quibus Spiritus sancti de Patre, Filioque processionem adstruximus. Ibi enim loca quædam adduximus veterum, quæ Spiritum sanctum a Filio procedere docent tanquam odorem, et qualitatem substantiæ Filii, necnon et Patris, tum etiam ἐνέργειαν esse, et operationem amborum. Ideo « per unum Spiritum sanctum, ait Cyrillus Alexandrinus, ea quæ ab ambobus illis manat, plenitudo constat, non ministri more signantem quæ alterutrius sunt, aut ministri vices implentem in nobis, sed tanquam in propria natura etiam amborum illorum propriam inferentem [b]. » Hic Cyrillus affirmat Spiritum sanctum per se, et substantia sua, ἐνέργειαν esse Patris ac Filii, qua nos illi sanctos, et filios efficiunt. Operandi vero modum hunc habere, ut substantiam, ac naturam suam applicando, et quasi imprimendo (ut de sigillo et charactere jam dictum est), eam ipsam naturam, adeoque Patris ac Filii propriam, quoniam trium est una, eademque natura, nobiscum communicet. Id enim verbum εἰσκομίζειν significat, quod interpres non satis attente vertit.
ientiam Sic in dialogo septimo illam ipsam Dei ἐνέργειαν creatam negat esse, et eam esse Spiritum sanctum asserit, ne et Deus ipse creatus sit, quocum unum, idemque est ejus ἐνεργεια [c]. Quod etiam clarius in eodem dialogo similitudine ignis exponit: « Si ignis, inquit, nemo particeps esse potest sine igne, quinam divinitatis particeps potest esse quispiam, nisi per Deum? Jam vero quod in nobis inest tanquam Deus, ac Dei locum et operationem implet, potestne Deus non esse [d] ? » De hac efficientia Dei et quemadmodum Spiritus sanctus ἐνέργεια dicatur, actum est in superioribus. Nunc illud ex iis efficitur, communicari nobis efficientiam illam sanctitatis et adoptionis, ipsamet admota adhibitaque substantia Spiritus sancti, quæ ipsa est ἐνέργεια. Siquidem « in simplici, experteque corporis natura eamdem substantiæ rationem obtinet efficientia [e], » ut ait Basilius.

XIV. Quem secutus Anastasius in secundo libro *de Incircumscripto*, refellit eos, qui Deum putabant non οὐσίᾳ inesse in rebus omnibus, sed ἐνεργείᾳ duntaxat : « Atqui separari ab substantia Dei, inquit, ejus operatio non potest [f]. » Proinde si Spiritus ἐνέργεια justis infunditur, una et substantiam tribui putandum est.

Præclarus est, neque prætermitti dignus Hierosolymitani Cyrilli locus in Catechesi septima decima; ubi quomodo Spiritus sanctus sanctificando pervadat animam nostram, rursus alia, nec a prioribus abhorrenti similitudine declarat : « Accipe, inquit, exemplum corporeum, parvum quidem, et facile, sed utile simplicioribus. Si ignis per ferri crassitudinem interius penetrans, totum illud ignem efficit adeo, ut quod erat frigidum, fiat fervens, et quod nigrum erat, fiat splendidum: si ignis, cum sit corpus, in ferri corpus subiens, obstante nullo agit; quid miraris, si Spiritus sanctus in intimos animæ recessus ingreditur [g] ? »

Sed et Basilius in libro *de Spiritu sancto* [3], varios modos explicans, quibus particula ἐν, id est *in*, accommodatur Spiritui sancto, cum

a Cyril. Εἰ γὰρ ἡ τῶν ἀρωμάτων εὐοσμία τὴν ἰδίαν ἰσχὺν ἐναπομάττεται τοῖς ἐσθήμασι, καὶ μετεσκευάζει τρόπον τινὰ πρὸς ἑαυτὴν τὰ ἐν οἷς ἂν γένοιτο, πῶς οὐκ ἂν ἰσχύσαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπεί περ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι φυσικῶς κοινωνοὺς ἀποτελέσαι τῆς θείας φύσεως δι' ἑαυτοῦ τοὺς ἐν οἷς ἂν γένοιτο;

b Cyril. dial. III Εἶτα πῶς ἂν ἔτι δι' ἑνὸς τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐ παρ' ἀμφοῖν ἐν ἡμῖν ἔσται πλήρωσις οὐχ ὑπουργικῶς ἐνσημαίνοντος τὰ ἑκατέρου τυχὸν, καὶ τὴν διακονικὴν ἐν ἡμῖν ἀποπληροῦντος χρείαν· ἀλλ' ὡς ἐν ἰδίᾳ φύσει καὶ τὴν ἀμφοῖν εἰσκομίζοντος;

c Idem dial. VII. Οὐκοῦν εἰ λέγοιτο κτιστὴν, καὶ πεποιημένην τὴν ἐνέργειαν ἔχειν ἰδίαν οὖσαν αὐτοῦ, τουτέστι τὸ πνεῦμα, καὶ αὐτό που πάντως ἔσται κτιστόν· ἐπεὶ μὴ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸ τὸ ἐνεργὲς αὐτοῦ.

d Ibid. Εἰ πυρός ἐστι μεταλαχεῖν οὐ δίχα πυρὸς, πῶς ἄν τις καὶ μετάσχοι θεότητος οὐ διὰ θεοῦ. A. Τὸ δ' οὖν ἐν ἡμῖν ὡς θεὸς, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ τάξιν τε, καὶ ἐνέργειαν ἀποπληροῦν, ἆρ' ἔσθ' ὅπως ἂν οὐκ εἴη θεός;

e Basil. V *contra Eunom.* Ὅτι ἐπὶ ἁπλῆς, καὶ ἀσωμάτου φύσεως τὸν αὐτὸν τῆς οὐσίας λόγον ἐπιδέχεται ἡ ἐνέργεια.

f Anast. apud Beccum, cap. vii. Φαίην δ' ἂν ἔγωγε τῆς τοῦ θεοῦ φύσεως ἀχώριστον εἶναι τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ.

g Cyril. Hieros. Λάβε ὑπόδειγμα σωματικὸν, μι-

1 Epist. i *ad Serap.* — 2 II *Cor.* ii, 15. — 3 Cap. xxvi.

in nobis inesse dicitur, ait sic esse, « ut forma est in materia, et virtus in eo, quod illius est capax; aut ut habitus in eo, quod illo afficitur. » Quod sic declarat : « Itaque quatenus Spiritus sanctus vim habet perficiendi ratione præditas creaturas, earum summam perfectionem absolvens, formæ rationem obtinet. Qui enim secundum carnem non amplius vivit, sed spiritu Dei ducitur, et Filius Dei nominatur, et conformis fit imagini Filii Dei, spiritualis appellatur. Item ut videndi facultas inest in sano oculo, sic operatio Spiritus in anima purgata. » Tum paulo post : « Et ut ars in eo, qui illam nactus est; ita Spiritus gratia in illo, qui eam excipit, semper quidem præsens, non tamen continue operans. Quandoquidem et ars potestate quidem est in artifice; actu vero tum, cum secundum ipsam operatur. Sic etiam Spiritus semper quidem adest iis, qui digni sunt; sed pro eo ac necesse est, operatur[a]. » Hæc, et iis plura Basilius, quæ, ne simus longiores, omittimus. Ea porro satis aperte prædicant, non sola effectione, sed substantiæ suæ applicatione Spiritum sanctum eos afficere, quos justos ac sanctos facit. Ac valde sunt illa consentanea Cyrilli aliorumque Patrum sententiis, quas partim hoc capite, partim in superioribus[1] adduximus; quæ Spiritum sanctum ποιότητα, id est *qualitatem* veluti quamdam divinitatis esse demonstrant, aut formam, quæ ποιούς τινας, id est *quodammodo affectos* reddit eos, in quibus inest. Sic enim Basilius formæ instar in materia Spiritum esse in nobis asserit, aut ut sensuum facultates in membris, et organis, aut ut ars in artifice. Maximus item *Hecatontade* secunda, num. 46, ποιωθέντες dixit τῷ πνεύματι. Quæ omnia loquendi explicandique genera, uti prudenter intelligenda sunt, circumscripto omni eo, quod indecorum est, minusque perfectum; ita ex illorum mente substantialem conjunctionem, et applicationem omnino significant.

Ratio *doni*, *arrhæ*, substantialiter dari Sanct. Spiritum demonstrat.

XV. Atque hoc etiam doni ratio ipsa, appellatioque convincit; quæ cum personalis sit, id est personæ Spiritus sancti propria, ut supra definitum est, dari ipse per sese debet. Nam donum utique illud est, quod datur aliquando; vel saltem ad hoc est aptum, ut detur ipsummet. Quod nisi per se, ac secundum substantiam datur Spiritus, sed eo solum intelligitur dari, quoniam efficit aliquid in nobis, idque donat; non ipsum censeri donum debet, sed quod ab eo donatur. Nihilo certe magis donum erit, quam Pater, aut Filius, cum ab omnibus personis externa illa effectio proficiscatur. Atqui Spiritus ipse per se, proprieque donum vocatur, et dari dicitur. Augustini locum insignem[2] adjungamus ad ea, quæ supra posita sunt : « *Dedit*, inquit, *dona hominibus*. Quæ dona? Spiritum sanctum. Qui tale dat donum, qualis ipse est? Magna est autem misericordia Dei. Donum dat æquale sibi; quia donum ejus Spiritus sanctus est, et unus Deus tota Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quid nobis præstitit Spiritus sanctus? Apostolum audi : *Charitas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris*[3].» Porro charitatem Dei apud Paulum, non de ea qualitate, vel virtute, qua Deum amamus, interpretatur Augustinus, sed de ea, qua nos amat Deus, hoc est, Spiritu sancto; quod et plerique interpretes secuti sunt. Hoc vero plurimum ad id quod volumus pertinet. Nam hoc modo substantia ipsa, personaque Spiritus sancti » *diffundi* vel *effundi*, ut est in Græco, dicitur; « Amor enim Dei, vel amor Deus Spiritus sanctus, amori hominis se infundens, afficit eum sibi, » ait auctor libri *ad Fratres de Monte Dei*, Accedat et Chrysostomus, cujus apud Photium[4] homilia commemoratur *de Incarnatione Christi*, ex qua ista selecta sunt : « O pravam nostram mentem, ac stolidam! Venit Christus ad nos; dedit nobis Spiritum suum, et assumpsit corpus

κρὸν μὲν καὶ εὐτελὲς, χρήσιμον δὲ τοῖς ἀσφαλεστέροις. εἰ τὸ πῦρ διὰ τῆς παχύτητος τοῦ σιδήρου διαβαῖνον ἔνδον, τὸ ὅλον ἀπεργάζεται πῦρ, καὶ ὁ ψυχρὸς γίνεται ζεστὸς, καὶ ὁ μέλας γίνεται ἐκλάμπων· εἰ σῶμα ὂν τὸ πῦρ ἐν σώματι σιδήρου ἐνδῦνον οὕτως ἀπαρεμποδίστως ἐργάζεται· τί θαυμάζεις εἰ πνεῦμα ἅγιον ἐν τοῖς ἐνδοτάτοις τῆς ψυχῆς εἰσέρχεται;

a Basil. Λέγεται μὲν οὖν τὸ εἶδος ἐν τῇ ὕλῃ εἶναι· καὶ ἡ δύναμις ἐν τῷ δεκτικῷ· καὶ ἕξις ἐν τῷ κατ' αὐτὴν διακειμένῳ. Mox : Καθὸ μὲν τελειωτικὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα τῶν λογικῶν, ἀπαρτίζον αὐτῶν τὴν ἀκρότητα, τὸν τοῦ εἴδους λόγον ἐπέχει. ὁ γὰρ μηκέτι κατὰ σάρκα ζῶν, ἀλλὰ πνεύματι θεοῦ ἀγόμενος, καὶ υἱὸς θεοῦ χρηματίζων, καὶ σύμμμορφος τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ θεοῦ γενόμενος πνευματικὸς ὀνομάζεται. καὶ ὡς ἡ δύναμις τοῦ ὁρᾷν ἐν τῷ ὑγιαίνοντι ὀφθαλμῷ, οὕτως ἡ ἐνέργεια τοῦ πνεύματος ἐν τῇ κεκαθαρμένῃ ψυχῇ.

Item : Καὶ ὡς ἡ τέχνη ἐν τῷ ἀναλαβόντι αὐτὴν, οὕτως ἡ χάρις τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ὑποδεξαμένῳ, ἀεὶ μὲν συμπαροῦσα οὐχὶ δὲ καὶ ἐνεργοῦσα διηνεκῶς· ἐπεὶ καὶ ἡ τέχνη δυνάμει μὲν ἐν τῷ τεχνίτῃ ἐστὶν, ἐνεργείᾳ δὲ τότε, ὅτ' ἂν κατ' αὐτὴν ἐνεργεῖ. οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα ἀεὶ μὲν συμπάρεστι τοῖς ἀξίοις, ἐνεργεῖ δὲ κατὰ τὴν χρείαν.

1 Cap. II. — 2 Serm. XLIII *de Verb. Mat.* cap. II. — 3 *Rom.* V. — 4 Cod. CCLXXVII.

nostrum; et contractus processit. Itaque massam nostram assumens, eam in altum extulit et in Patris dextera collocavit. At inconsulta nostra nequitia beneficio huic injuriam fecit. Figmentum accepit a nobis; et ad Patris dexteram assidere fecit. Accepimus ab ipso Spiritum; et injuria hunc afficimus, dum in creaturarum, et servorum numerum illum referimus[a]. »

XVI. Neque doni solum appellatio id, quod diximus, postulare videtur, sed arrhæ etiam, ac pignoris, ut supra memini; de quo Paschasii Diaconi[1] memorabilis hæc sententia est: « Daturus, inquit, seipsum, dat jam in præsenti pignus Spiritum sanctum. In terrenis negotiis arrhæ quantitas contractus illius, pro quo intercesserit, quædam portio est; pignoris vero ratio meritum rei, pro qua poni videtur, excedit. Hic vero majestati pignus suum, quia nescit præferri, necesse est exæquari. Nequeunt enim perfecta transcendi. Pro se ergo Pater Spiritus sancti pignus indulget. » Nihil autem, nisi Deus, ac substantia ipsa Dei exæquari Deo potest.

Sane quod ad donum spectat, in promptu esse debet, quod in *Rhetoricis* traditum est ab Aristotele, « donum esse possessionis donationem[b]. » Cujus definitionis ea vis est, ut id, quod a dante possidebatur, ab hoc ipso detur alteri, in quem illius possessio derivetur. Quamobrem si Spiritus sanctus vere, proprieque donum est, isque a Patre donatur; possideri ipse debet ab iis, quibus tribuitur, non ejus tantummodo fructus. Ut enim humanis in rebus aliud est fundum dare, vel prædium, aliud usum ejus, atque fructum; et ut qui agri proventum condonat alicui, aut prædii urbani, vel rustici usum, locationisque mercedem, non propterea prædium agrumque donat, neque donum appellabitur ager, aut prædium, sed quod ex eo provenit, et quodammodo ab illo efficitur; ita, dum Spiritus sanctus donari dicitur, nisi persona ipsa, et substantia, quæ sola, proprieque Spiritus sanctus nominatur, dari nobis intelligitur, sed quod ab illo fit, ac producitur, hoc est qualitas et accidens aliquod, falso donum ipse Spiritus appellabitur. Quocirca, ut argumentabatur paulo ante Cyrillus, si ab substantia Spiritus separatim gratia datur, non autem ipsa ejus substantia, Christum dicere oportuit apostolis: *Accipite gratiam*, non autem, *Accipite Spiritum sanctum*, vel certe, *Accipite Spiritum*, nullo adjuncto alio, aut, si forte, *Accipite Spiritum fortitudinis*, *aut timoris*, *aut consilii*, etc., ut divinæ personæ, ac substantiæ fructus, et effectus, non substantia ipsa dari putaretur. Tritum enim est, quod a Didymo[2], Athanasio[3], aliisque notatum supra meminimus, cum *Spiritus sanctus* nominatur, nihil aliud, quam divinam ipsam personam significari, aut cum, articulo addito, τὸ πνεῦμα vocatur. Atqui passim, ubi doni illius, donationisque Scriptura mentionem facit, πνεῦμα ἅγιον dicitur, vel τὸ πνεῦμα ἅγιον. Bernardus vero sermone tertio *in Pentecosten* satis indicat, non modo personæ Spiritus sancti proprie convenire doni rationem, sed etiam sanctificandi vim, cum ita loquitur: « Spiritus tamen sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quod ab utroque procedat, firmissimum et indissolubile vinculum Trinitatis, tanquam proprie sanctus, quod sit donum Patris et Filii, omnem sanctificans creaturam. » Quæ verba imprimis observanda sunt; ex iis enim, quod quærimus efficitur. Nam si idcirco solus a Patre, Filioque procedit Spiritus, quia hoc ei specialiter congruit, unde et Spiritus proprie vocatur, cum eodem modo peculiaris in eo sit notio, propter quam sanctus appellatur; ea neque Patri, neque Filio competit. Atqui sanctus proprie dicitur, quatenus et donum est, et creaturam sanctificat, ut Bernardus existimat. Est igitur quidam proprius sanctificandi modus in Spiritu sancto, cujusmodi in nulla alia persona cernitur. Hic autem ad genus causæ velut formalis necessario pertinet, non efficientis. Quod enim efficienter ab una persona fit, id commune esse debet omnibus.

XVII. Tractat hunc locum magna vi, contentioneque Hugo Etherianus[4] adversus recentiores Græcos; qui Spiritum sanctum negant a Filio procedere; cumque ab Latinis et ca-

a Chrys. Ὦ κακῆς, καὶ ἄφρονος ἡμῶν γνώμης. ἦλθεν ὁ Χριστὸς πρὸς ἡμᾶς· ἔδωκεν ἡμῖν τὸ αὐτοῦ πνεῦμα, καὶ ἀνέλαβε τὸ ἡμέτερον σῶμα· καὶ τὸ συνάλλαγμα προῆλθε. καὶ λαϐὼν ἡμῶν τὸ φύραμα, ἀνύψωσεν αὐτὸ, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, καὶ ἡ ἀγνωμοσύνη τὴν ἐνεργεσίαν ὑϐείζει. ἔλαϐε παρ' ἡμῶν τὸ πλάσμα, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς. ἐλάϐομεν ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ὑϐρίζομεν, ἐν κτίσμασι, καὶ δούλοις αὐτὸ καταλέγοντες.

b Arist. I *Rhet.*, cap. v. Δῶρόν ἐστι κτήματος δόσις.

1 Lib. I *de Spirit. sanct.* cap. xi, tom. IX *Biblioth. Patrum.* — 2 Lib. *de Spirit. sanct.* — 3 Epist. ii *ad Serap.* — 4 Lib. II, cap. xiv.

tholicis arguuntur ex eo, quod Filius dedisse, et ex se profudisse Spiritum illum legitur; respondent non ipsum intelligi Spiritum sanctum, sed ejus χαρίσματα; quam illorum vocem, tanquam absurdam, falsamque cum Hugo, tum cæteri omnes, qui contra illos disputant, etiam Græci orthodoxi, damnant ac respuunt. Atqui par est theologorum illorum ratio, qui Spiritum ipsum negant dari; et quoties id in Scripturis legunt, de ejus interpretantur charismatibus, seclusa substantia. Sed Hugonem ipsum præstat audire: « Ipse enim Jesus, inquit, testimonium perhibet, Spiritum accepisse discipulos per insufflationem, dum dicit: *Accipite Spiritum sanctum.* Nemo enim nihil porrigens, illusor nisi sit, dicit Accipite; Jesus autem dixit eis, Accipite. Qua de causa manifestum, quod aliquid eis largitus sit. Quod si aliquid eis dedit; aut quid erat in voce, aut quid voce non significabatur? At nullus lapidem porrigens, cum sit mentitus, post ex industria dicat, Accipite panem. Ergo quod voce significabatur, donavit, scilicet Spiritum sanctum. Quod si quis adhuc contentionis funem contrahendo dicat, non tunc Spiritum, sed unum donorum sancti Spiritus dedisse, remittere scilicet peccata; attendat, si hujusmodi virtus separabilis sit. Sed patet quod non sit separabilis, cum nihil secundum accidens divinis insit hypostasibus. Ergo dum dat Spiritum, largitur totum, non partem. » Huic Hugonis argumento simile quiddam habet Cyrillus in dialogo septimo, quem supra citavimus[1], ubi Christum ait in apostolos insufflantem non dixisse, *Accipite gratiam Spiritus sancti,* sed potius *Accipite Spiritum sanctum.* Ex quo concludendum est, ipsummet ab illo datum esse Spiritum, non succidaneum aliquid, eoque deterius; nisi ex consequenti, et potioris illius, ac principalis doni gratia, velut nexum quemdam ejus, et vinculum.

Ac Græci quidem omnes, qui in illa sunt hæresi, jam tum a Photio, nihil in voce, scriptisque frequentius habent, ut dixi, quam quod illic refellit Hugo, errare Latinos, qui quod de donis, et charismatibus dictum est, ad personam ipsam accommodant. Ad hunc modum respondent Gregorius Palamas, Gemisthus Plethon, Pachomius monachus (quos posteriores duos manu exaratos penes nos habemus) et si qui sunt alii; nostri autem, id est nationis utriusque catholici, ex adverso repugnant, non esse vacua illa dona substantia ipsa Spiritus sancti, neque separari ista posse.

XVIII. Itaque Joannes Beccus in eo libro, quem merito *Sententiarum* inscribere possis, quod Patrum sententias de processione Spiritus a Filio contra Græcos hodiernos continet, septimum caput de hoc argumento fecit; cujus hic titulum Græce Latineque, Bessarione interprete, reddemus. « Cum quidam audientes Spiritum sanctum ex Filio etiam emanare, atque prodire, non divinam Spiritus naturam ex divina substantia naturaque Filii oriri, atque emanare, insulse concedunt*, sed spiri- [*Garriant.] tuale quoddam munus illis, qui digni sunt, superveniens; ob idque* illa, quæ in eis fit, [*Forte id quod.*] inhabitatio ubique præsentis divinitatis sancti Spiritus habitudinaliter fiat: ita ejusmodi munus intelligentes, ac si sejunctum separatumque a divina Spiritus substantia intelligeretur, collectæ sunt et eæ auctoritates, ex quibus id intelligi potest; quod sancti Spiritus inhabitatio, quæ fidelibus, dignisque fit, quanquam habitudinalis ineffabiliter, et super rationem est: tamen quia eo hæc dona Spiritus profluunt, ubi divina ejus natura habitudinaliter inhabitabit, ipse Spiritus sanctus, qui in Trinitate et una persona, et ejus completivus, quique divina natura, perfectusque Deus, prout Pater, et Filius, demonstratur, cum aliquis Spiritum sanctum emanare, prodire, et esse ex Filio dicat[a]. » Adversus hæc disputantem Palamam Bessario confutans, cum alia multa disserit, tum hæc sane memoranda: « Quid tu tandem intelligis, inquit, cum audis a Filio Spiritum mitti? Perspicuum

a Beccus. Ἐπειδή τινες ἀκούοντες τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ὑπάρχον, καὶ ἀναβλύζον, καὶ προϊὸν, οὐχὶ τὴν θείαν φύσιν τοῦ πνεύματος ἐκ τῆς θείας οὐσίας, καὶ φύσεως τοῦ υἱοῦ πηγάζειν, καὶ ἀναβλύζειν τερατολογοῦσιν, ἀλλὰ τὸ πνευματικὸν χάρισμα, τὸ τοῖς ἀξίοις ἐπιγινόμενον, διὰ τὸ τὴν ἐγγινομένην αὐτοῖς ἐνοίκησιν τῆς πανταχοῦ παρούσης θεότητος σχετικῶς γίνεσθαι, οὕτω τὸ τοιοῦτον ἐκλαμβάνοντες χάρισμα, ὥσπερ ἂν εἰ ἀποδιῃρημένον, καὶ ἀποδιεσπασμένον τῆς θείας οὐσίας νοοῖτο τοῦ πνεύματος· συνελέγησαν αἱ παροῦσαι γραφικαὶ χρήσεις, ἐξ ὧν ἔχει τις διαγνῶναι, ὡς ἂν καὶ ἡ ἐγγινομένη τοῖς ἀξίοις ἐνοίκησις τοῦ παναγίου πνεύματος σχετική ἐστιν ἀῤῥήτως, καὶ ὑπὲρ λόγον· ἀλλ' ἐπεὶ ἐκεῖ τὰ χαρίσματα τοῦ πνεύματος προχέονται, ὅπου ἡ θεία φύσις αὐτοῦ σχετικῶς ἐνοικήσει, αὐτὸ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐν τῆς τριάδος, καὶ συμπληρωτικὸν αὐτῆς, ὅπερ ἐστὶ θεία φύσις, καὶ τέλειος θεὸς, ὡς ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, δηλοῦται, ὅταν τις λέγῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προϊὸν, καὶ ἀναβλύζον, καὶ ὑπάρχον ἐκ τοῦ υἱοῦ.

1 Hoc cap., n. 2 et 5.

est enim te vel invitum personam illius intelligere. Neque enim non subsistens gratia mittitur, quoniam minime subsistentis, ut ait Cyrillus[1], gratiæ non sumus participes. Sed hoc ipsum, quod mittitur, divina natura est, et subsistens, ac Spiritus persona, quæ Trinitatem complet[a]. » Quocirca tum ex Bessarionis oratione ista, tum multo magis ex Cyrilli auctoritate constat, cum Spiritus sanctus mitti ad nos dicitur, non gratiam, et charitatem duntaxat, hoc est χάριν ἀνυπόστατον, *insubsistentem*, vel *insubstantivam*, ut sic loquar, diffundi *gratiam*, sed personam ipsam illius ac substantiam.

XIX. Quod idem Bessario in *Opere dogmatico*[2], quod inter acta Florentinæ synodi relatum est, fuse approbat; ac tum Cyrilli, et Basilii testimoniis, quæ antea commemoravimus, tum invicto hoc argumento concludit. Etenim Christus eumdem se missurum dicit esse Spiritum, qui a Patre procedit, neque alium se missurum quidem ait, alium Patrem esse missurum. *Cum enim*, inquit, *venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Hoc autem vel grammatici ipsi ita conceperint: cum venerit Paracletus, qui a Patre procedit, quem ego mittam vobis; ut perspicuum sit, eumdem ipsum ab illo missum iri, qui a Patre procedit. Si igitur persona Spiritus a Patre procedit, hanc et Filius mittit. Sin gratiam minime subsistentem Filius mittit, etiam a Patre non Spiritus, sed gratia procedet. At hoc, præterquam quod ne intelligi quidem potest, etiam blasphemum est. Etenim quoniam de uno eodemque subjecto, nempe Spiritu, duo quædam enuntiantur, procedere, et mitti; quocumque modo in uno aliquo eorum, quæ enuntiantur, subjectum illud oportet accipere, eodem modo et in altero sumi necesse est. Quare si quod procedit, personam Spiritus intelligimus; etiam id, quod mittitur, de eadem debemus accipere. Nam aliter affirmare sine ullis necessariis rationibus ita, ut procedendi verbo personam attribuamus Spiritus, mittendi vero vocabulo gratiam; temere, et gratis quodlibet assignantium est[b].» Hæc Bessario; quæ profecto firmissima sunt; nec video quid adversus ea opponi merito possit. Est enim absurdissimum, unam Spiritus vocem eadem in sententia sic ambigue, et ὁμωνύμως usurpari, ut alteri juncta verbo personam ipsam significet, ad alterum relata, qualitatem, et gratiam; hoc est, proprie simul usurpetur, ac tropice. Quæ ratio universe valet, ac per omnia Scripturæ loca funditur, in quibus Spiritus sancti mentio fit. Nam cum nomen ipsum *Spiritus sancti* proprie, ac per se divinam ejus substantiam, personamque significet, nec in plerisque locis aliter interpretari liceat; in cæteris, quæ bene multa sunt, ubi diffundi, vel ad nos venire, atque in nobis habitare dicitur idem ille Spiritus sanctus, figurate, et improprie sumi putare, res est periculi plena, ne quod in istis Scripturæ testimoniis tute tibi permiseris, idem in aliis concedi suo sibi jure postulent hæretici. Sed in una continentique sententia, quam ex Joannis *Evangelio* doctissimus Bessario refert, species est absurdi, argumentique firmitas major.

Argumentatio Bessarionis firma.

XX. Cujusmodi et in aliis Scripturæ testimoniis observari potest, in quibus idem ille dari nobis, et in nobis habitare dicitur Spiritus, qui in Christo fuisse, et ejus esse Spiritus traditur. Velut ille est locus, quem Hilarius

a Bessar. Τί ποτε ἄρα νοεῖς ἀκούων ἐκ του υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πέμπεσθαι; δῆλον γὰρ ὅτι τὴν ἐκείνου, καὶ μὴ θέλων, ὑπόστασιν, χάρις γὰρ ἀνυπόστατος οὐ πέμπεται· ὅτι μηδ' ἀνυποστάτου, κατὰ τὸν Κύριλλον, μετέχομεν χάριτος. ἀλλὰ τοῦτ' αὐτό ἐστι τὸ πεμπόμενον, ἡ θεία φύσις, καὶ ἐνυπόστατος, τὸ συμπληρωτικὸν τῆς τριάδος τοῦ πνεύματος πρόσωπον.

b Bessar. Τοῦτο αὐτό φησιν αὐτὸν πέμψειν, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ οὐκ ἄλλο μὲν αὐτὸν πέμψειν, ἄλλο δὲ ἐκπορεύειν τὸν πατέρα. ὅταν γὰρ, φησὶν, ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. τοῦτο δὲ καὶ γραμματικῶν παῖδες οὕτως ἂν εἴποιεν· ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν. ὡς εἶναι δῆλον ταὐτο τοῦτο πέμψειν αὐτὸν ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. εἰ οὖν ἡ ὑπόστασις τοῦ πνεύματος παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ταύτην καὶ ὁ υἱὸς πέμπει. εἰ δὲ χάριν ὁ υἱὸς πέμπει ἀνυπόστατον, καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς οὐ τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ἡ χάρις ἂν ἐκπορεύοιτο. ἀλλὰ τοῦτό γε πρὸς γε τῷ ἀδιανοήτῳ καὶ βλάσφημον. Ἐπεὶ γὰρ καθ' ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ ὑποκειμένου, τοῦ ονόματος, δύο τινὰ κατηγοροῦνται, τὸ ἐκπορεύεσθαί τε, καὶ πέμπεσθαι, ὡς ἂν ἐφ' ἑνὸς τῶν κατηγορουμένων τὸ ὑποκείμενον τούτο λαμβάνεσθαι δεῖ, οὕτως ἀνάγκη καὶ ἐπὶ τοῦ ἑτέρου ληφθῆναι. εἰ οὖν τὸ ἐκπορευόμενον, τὴν τοῦ πνεύματος νοοῦμεν ὑπόστασιν, καὶ τὸ πεμπόμενον τὴν αὐτὴν ταύτην νοεῖν ὀφείλομεν. τὸ γὰρ ἄλλως λέγειν, ἄνευ τῆς ἀπὸ τῶν λόγων ἀνάγκης, καὶ τῷ μὲν ἐκπορεύεσθαι τὴν ὑπόστασιν ἀπονέμειν τοῦ πνεύματος, τὴν χάριν τῷ πέμπεσθαι, ἀλόγως ἀποκληρούντων ἐστίν.

1 Lib. VII *Dialog.* quem paulo ante descripsimus. — 2 Cap. VIII, sess. XXV Florent. concil.

adducit in octavo libro, ubi Filium ejusdem cum Patre esse naturæ confirmat ex illius verbis istis : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*[1]; item ex his : *Quoniam de meo accipiet*[2]; ac similiter ut catholici illi contra Græcos disputantes, temporariam Spiritus sancti missionem οὐσιώδη esse prædicat. « Volens, inquit, naturæ unitatem in Patre, et Filio docere, ita ait : *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Siquidem Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, etc. *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum suum, qui habitat in vobis*[3]. » Ergo idem ille Spiritus in fidelibus, ac justis, et beata illa resurrectione dignis habitat, et habetur ab iis, ac possidetur; qui a Filio accipit, et ejusdem est cum eo, ac Patre substantiæ, ac Dei, et Christi Spiritus est. Hoc autem de ipsa Spiritus sancti persona, et divinitate, non de efficientia, et creata qualitate, omnino debet accipi. Ideo subinde ista subjicit Hilarius : « Spirituales omnes sumus, si in nobis est Spiritus Dei. Sed hic Spiritus Dei Spiritus Christi est, etc. Vivificamur ergo propter habitantem in nobis Spiritum Christi per eum, qui Christum suscitavit a mortuis. » Paulo vero antea, mitti a Filio substantiam ipsam Spiritus sancti clarissime demonstrat : « Excutiat, inquit, ingenii sui aculeos omnis hæreticorum schola, et quærat nunc, quod vel mentiri ab ignorantibus, possit, et doceat quid sit hoc, quod Filius mittit a Patre. Qui mittit, potestatem suam in eo, quem mittit, ostendit. Sed quod a Patre mittit, quid intelligimus? utrum acceptum, aut dimissum, aut genitum? Nam horum necesse est unum aliquid significet, quod a Patre missurus est, et missurus a Patre est eum Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.» Ecquem ergo Spiritum misit Filius, mittitque perpetuo, cum ad nos venire, et in nobis habitare dicitur? (non enim diversus est ab eo, qui tum apostolis datus est, is, quem deinceps mittit, et in fidelibus, ac justis mansurum semper ostendit;) quem qui dari modo negat, « non est dignus accipere, » ait Augustinus[4]. Quis est, inquam, ille Spiritus, nisi Deus a Deo procedens, et ab utroque productus, a quo et missus, ut eodem in loco declarat Hilarius? Prorsus « misit nobis Spiritum sanctum, ait Ambrosius[5], de propria sua, et ipsa una substantia sua protectorem, sanctificatorem, et deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei : *Effundam de Spiritu meo super servos meos, et ancillas meas*[6]. Et iterum : *Spiritus ex me prodibit ;* et ipse Dominus, Salvatorque noster, *De meo*, inquit, *accipiet;* ex eo utique, quod est Filius, quia et Filius de eo, quod Pater est. » Ac nisi Deum ipsum acciperemus, Deum non possemus diligere, ut Fulgentius[7] affirmat; quia sine caritate nec Deus diligi potest, nec proximus. Ut autem Deus diligi possit, ipse se tribuit; quia Deus caritas est, et Deum nonnisi charitate diligimus. Nisi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non valemus. » Id quod ante Fulgentium pulchre Augustinus docuit : « Habentes ergo tantam fiduciam, ait, amemus Deum de Deo. Imo, quia Spiritus sanctus Deus est, amemus Deum de Deo. Quid enim plus dicam, amemus Deum de Deo? Certe quia dixi, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis;* ideo est consequens, ut quia Spiritus sanctus Deus est, nec diligere possumus Deum, nisi per Spiritum sanctum, amemus Deum de Deo[8]. »

XXI. Ad extremum nec ad id, quod persuadere volumus, parum illa conducit ratio, quam ex Dei immensitate capimus. Etenim Deus est ubique, et implet, ac pervadit omnia, non ἐνεργείᾳ solum, et efficientia, sed etiam substantia sua; uti alibi probavimus. Hanc vero substantiæ præsentiam, et existentiam omnibus in rebus, iis ex Scripturæ locis concludimus, quæ Deum in illis esse, residere habitareque docent. Ut in *Psalmo* centesimo tricesimo octavo : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Tum Isaias : *Cœlum sedes mea; terra autem scabellum pedum meorum*[9]. Et apud Hieremiam : *Numquid non cœlum, et terram ego impleo*[10]? Tum nominatim de Spiritu, in libro *Sapientiæ : Spiritus Domini replevit orbem terrarum*[11]. Hæc cum Scripturæ testimonia, ac similia legimus, quæ naturalem Dei in universis conditis rebus existentiam tam animatis, quam inanimis exprimunt, nemo est, qui non οὐσιωδῶς, ac secundum substantiam in illis inesse Deum affirmet; aut qui sola ἐνεργείᾳ contentus sit vel Dei, vel nominatim Spiritus sancti. Quid igitur facimus, cum præter naturalem illam communemque præsentiam, qua

1 *Joan.* XVII, 10. — 2 *Joan.* XVI, 14. — 3 *Rom.* VIII. — 4 Sermone CLXXXVI *de Temp.* — 5 Lib. *de Filii divinit.*, cap. VIII. — 6 *Joel,* II. — 7 Lib. II *de Prædest.* — 8 Ser. II *de Divin.* cap. II.— 9 Cap. LXVI, 1. — 10 Cap. XXIII, 24. — 11 Cap. I, 7.

n lapidibus ac brutis etiam animantibus, nec ıon scelestis hominibus inest Deus, genus lliud præsentiæ, et ἐνυπάρξεως, id est *inexis-entiæ*, ut sic loquar, iisdem ex Litteris sacris liscimus, quo in sanctis ac justis propria et exquisita quadam inesse ratione dicitur, et in llis habitare velut in sede, templo, ac domi-ilio? cur hæc, inquam, et hujusmodi alia vocabula, quæ non minus ad substantialis existentiæ significationem implicata sunt, quam priora illa, non perinde de hac interpre-abimur? Cur ad solam efficientiam, produ-tionemque operis externi tot illa, tam lucu-enta, ac tam diserta Scripturæ testimonia redigemus?

Atenim explicari non potest, quæ sit illa andem οὐσιώδης præsentia, vel existentia pro-pria justorum, et ab naturali, communique liversa. Nam si justos istos eadem jam qui reatas res omnes occupat, substantia sua Deus implet, quæ potest esse nova illa præ-sentiæ alterius accessio? Hoc unum fere est, quod veterum sententiæ negotium potest facere, de quo sequenti capite dicendum est; quoniam hoc ipsum paulo, quam solemus, longius extendimus.

CAPUT VI.

Declaratur substantialis illa ex opinione vete-rum, Spiritus sancti conjunctio cum justo-rum animis; et ostenditur personæ esse Spiritus sancti propria. Eam conjunctionem non sine gratia, et charitatis habitu fieri, tanquam nexu, ac vinculo. Explicantur om-nia, quæ contra antiquorum sententiam objici solent.

I. Theodorus Mopsuestenus Nestorianæ fons perfidiæ, et in quinta synodo condem-natus, cum peculiarem nescio quem in sacris Litteris modum invenisset, quo in solis piis ac justis habitare Deus dicitur; neque substantiæ; neque ἐνεργείας hunc esse putavit, sed εὐδοκίας, hoc est, quod Scriptura passim usurpat, *bene-placiti* ac favoris. Quibus autem de causis in eam sit adductus opinionem, operæ pretium sit videre; id enim propositam ad quæstionem non parum interest. Sic igitur apud Leontium[1] Theodorus iste: « Si, inquit, intelligamus, quomodo fit inhabitatio, sciemus etiam modum et quæ differentia modi. Inhabitationem igitur alii quidem dixerunt factam esse substantia; alii vero energia. Excutiatur igitur, an aliquid horum sit verum. Ac primum nobis illud sit concessum, utrum in omnibus inhabitet, an non. Sed quia non in omnibus, manifestum est Hoc enim, tanquam quid eximium, sanctis Deus pollicetur; aut denique his, quos velit ipsi dedicatos esse. Aut quid igitur pro-mittebat, cum ait, *Inhabitabo in eis, et inam-bulabo, et ero eorum Deus, et ipsi erunt mihi populus*, tanquam largiturus illis aliquid egregium, si quidem omnes homines com-muniter hunc participant? Quare si non in omnibus inhabitat, hoc enim manifestum est (non dico in omnibus, quæ sunt solum; sed nec in omnibus hominibus), oportet esse propriam quamdam rationem inhabitationis, qua in illis adest solum, in quibus inhabitare dicitur. » Constituta in hunc modum quæ-stione, primum non substantia inhabitare Deum probat ita: « Necesse enim alioqui sit, in his solis substantiam ejus includere, in quibus inhabitare dicitur, et erit extra omnia alia; quod absurdum est dicere in natura infinita, quæ ubique est, et nullo loco cir-cumscribitur; aut si dicant, ubique Deum esse ratione substantiæ, necesse erit cum omnibus inhabitationem ejus communicare, et non solum cum hominibus, sed cum animantibus ratione carentibus, et cum inanimatis, si dicamus, inhabitationem ejus substantia fieri. Utrumque horum est indecorum. Quin etiam energia, sive operatione dici inhabitationem fieri non minus absurdum judicat. « Autenim rursus necesse est, operationem illi circum-scribere in his solis, in quibus scilicet inha-bitat; et quomodo verum erit, omnia Deum procurare, et omnia gubernare, et in omnibus ipsum operari, quæ conveniunt? aut impar-tientes omnibus ipsius operationem, quod quidem decens est, et consequens, siquidem omnia ab eo infirmantur *, ut unumquodque * *Cor. confirmantur.* consistat, et secundum naturam suam opere-tur, in omnibus inhabitare eum dicemus. Igitur neque substantia, nec operatione fieri inhabitationem Dei, dici potest. » Igitur sola εὐδοκία, id est beneplacito fieri hanc inhabita-tionem, postremo concludit. « Infinitus enim, et natura incircumscriptus, adest omnibus,

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* L. cont. lib. III *cont. Nest.* col. 1012.

beneplacito autem ab aliis longe abest, aliis proximus est.

Inepta ostenditur Theodori disputatio.

II. Sed est inepta Theodori disputatio ista; cujus inscitia maxime apparet in iis, quæ de energia dicit. Nam etsi Deus ubique, et in rebus omnibus insit, non est tamen necesse, ut eadem agat in omnibus, siquidem pro diversa eorum, in quibus est, conditione efficientiam suam temperat. Quare in justis et sanctis proprius quidam, et exquisitus est ἐνεργείας modus, qui non est in reliquis. *Divisiones enim operationum sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* [a]. Sic etiam, quod ad οὐσιώδη existentiam attinet, etsi una et simplex est substantia, quæ universa permeat, non eodem modo cum omnibus copulatur. Etenim aliter cum creatis omnibus conjungitur Dei substantia; aliter cum beatis mentibus, quas velut forma quædam afficit, *impressæ*, ut philosophi vocant, *speciei* vices obiens; aliter denique cum *homine*, ut theologi quidam appellant, *Dominico*, sive hominis in Christo natura. Qui omnes modi *substantiales* sunt, et plures esse possunt, gnoti nobis, quorum ex Dei verbo certa conjectura capitur; cujusmodi est ille, quo de agimus, quem nobis tot illa, quæ attulimus, et sacrorum Librorum, et sanctorum Patrum testimonia commendant. Neque vero necesse est omnibus illis modis unam fieri vel substantiam, vel hypostasim cum divina rerum illarum, quibuscum οὐσιωδῶς jungitur. Hoc enim in ea singulare est conjunctione, qua id «natura humana in homine Christo» consecuta est, « ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta [1], » ait Augustinus. Ita quidem, ut, quod idem alibi scripsit [2], « persona Christi mixtura quædam sit Dei, et hominis, sicut persona hominis mixtura est animæ et corporis, » et, quod alibi dixit, « homo ille a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset; » quod in cæteris conjunctionibus minime cernitur, quæ nihilominus οὐσιώδεις eatenus dici possunt, quod per eas applicatur ipsa Dei substantia, non sola ejus efficientia; ut cum deauratur æs, aut lignum, ipsa auri substantia per sese cum materia copulatur, ejusque fit quodammodo forma; aut cum vinum aqua diluitur, ambæ mutuo junguntur, ac sese permeant substantiæ, quantum corporum natura patitur. His enim et aliis similitudinibus, veteres theologi Spiritus sancti cum justorum animis conjunctionem, atque ἕνωσιν declarant, ut antecedens caput ostendit.

Substantialem. *Substantialiter.* *Substantiales.*

Sanctificamus per ipsam Spiritus S. substantiam.

III. Quamobrem jure Patres eosdem asseverantes audivimus, cum nullo interjecto medio sanctos nos fieri per ipsam Spiritus substantiam, tum nullam id creaturam posse perficere; tametsi substantiæ Dei, qua sanctificamur, comes sit infusa qualitas, quam vel gratiam, vel charitatem dicimus. Primum horum plerique tam diserta oratione confirmant, ut de eorum sensu litigare sit impudentis. Quid enim clarius est, ut omittam modo reliqua, Cyrilli verbis istis, quæ Joannes Cyparissiotus affert [3]? « Quid opus est longo circuitu verborum, et multiplicibus notionibus? Illam enim ipsam virtutem sanctificantem ex Patre procedentem, quæ perfectionem imperfectis tribuit, dicimus esse Spiritum sanctum.» Quid quod idem negat [4], « creaturas per medium aliquod sanctificari, ac perfici; ipsam vero sanctificandi virtutem, quæ creaturas sanctificat, atque perficit, ait esse Spiritum sanctum? » Didymus vero cum alia multa non minus expressa, tum hoc habet in primo *de Spiritu sancto* [5]: « Docebit, inquit, non quasi doctor, et magister disciplinæ, quam aliunde est consecutus, sed quasi ipsa ars, atque doctrina, et sapientia, veritatisque Spiritus, invisibiliter menti insinuat scientiam divinorum. »

Neque vero, cum hoc asserunt Patres, ipsam, qua justi sumus, sanctitatem, ac velut sanctificantem formam esse Spiritum sanctum, eamque ἀμέσως, *nullo interposito medio*, sanctos ac Dei filios nos facere, quod per creaturam effici posse Cyrillus negat; idcirco gratiam et charitatem, hoc est creatas ποιότητας, et virtutes excludi putandum est, quod in sola charitate Magister Sententiarum [6] perperam existimavit. Quippe « alios actus, atque motus virtutum operatur, inquit, charitas, id est Spiritus sanctus, mediantibus virtutibus, quarum actus sunt, utpote actum fidei, id est credere, fide media, ut actum spei, id est sperare, media spe. Per fidem enim, et spem prædictos operatur actus. Diligendi vero actum per se tantum, sine alicujus virtutis medio operatur, id est diligere. » Quamobrem eate-

Qualitates.

a I *Cor.* XII, 6. Καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσίν· ὁ δὲ αὐτός ἐστι θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

1 August. *Euch.* cap. XXXVI. — 2 Epist. V. — 3 Dec. IX, cap. VII ex Cyr. libro *de Spirit. sanct.* — 4 Lib. XIII *Thes.* in fine. — 5 Apud Hier. — 6 Lib. I, dist. XVII. lit. *S*.

nus ille nobis audiendus est, quoad Spiritum sanctum doceat, ipsum per sese communicari infundique justis, ac velut formam esse, qua sancti Deoque grati, et adoptivi filii sunt; quo fit, ut « Deo nos Deum diligere, » Fulgentius[1] affirmet; quod autemn ullum præter charitatis habitum inesse putat, vehementer errat, et communi theologorum, imo vero fidei decreto notatur. Utrumque enim intervenit; et Spiritus ipse sanctus, qui filios facit, adeo ut, si nulla infunderetur creata qualitas, sua nos ipse substantia adoptivos filios efficeret; et charitatis habitus ipse, sive gratiæ, quæ est vinculum quoddam, sive nexus, quo cum animis nostris illa Spiritus sancti substantia copulatur. Neque tamen propterea non ἀμέσως et proxime conjungitur; quemadmodum forma cum materia ἀμέσως itidem nectitur, etsi modus nescio quis intercedit ex multorum sententia, quam *unionem* vocat.

IV. Dari autem præter Spiritum sanctum, et cum eo, qualitates quasdam et affectus animi, cujusmodi est charitas, qua Deum diligimus, haud obscure theologi veteres indicant; ut Didymus[2], cujus hæc verba sunt: « Nunquam enim accipit quisquam spirituales benedictiones Dei, nisi præcesserit Spiritus sanctus. Qui enim acceperit Spiritum sanctum, consequenter habebit benedictiones, id est, sapientiam et intellectum, et cætera.» Ac paulo post charitatem etiam *effundi per Spiritum sanctum*, ex Apostolo tradit. Chrysostomus[3] quoque in homilia quadam *de Spiritu sancto* fuse de ea re disputans, ostendit, præter ipsam substantiam, quæ Spiritus sanctus proprie nominatur, ejus dari *munera*, et χαρίσματα, quæ Spiritus nomine Scriptura solet appellare, atque adeo sanctitatis ipsius donum: « Sunt, inquit, et alia vocabula, quæ non ipsi adscribuntur Spiritui sancto, sed ejus virtuti et operationi, ut sunt ipsius dona. Dicam, quod volo, clarius, et sententiam hanc declarabo, ac testimonium huic adjungam. Quandocumque Spiritus sanctus sanctorum adductus precibus vel mihi, vel alteri christiano sanctificationem largitur, et donum accipio; ita ut sanctum habeam corpus, et animam; donum istud, quod datum est mihi, vocatur Spiritus sanctus, hoc est charisma[a]. » Quod deinceps inductione probat donorum cæterorum, sapientiæ, fidei, charitatis: « Cum habet quispiam, ait, donum charitatis, dicitur habere spiritum charitatis[b]. »

Quocirca substantiam ipsam, ac præsertim spiritus sancti ab donis sanctificationis et charitatis, cæterisque secernit Chrysostomus; si tamen hujus ista est homilia, quod Savilius, aliique vulgo credunt, et sub ejus nomine citatur a Photio, et Joanne Becco. Mihi vero secus videtur, et, ut opinor, probabilius, ut ex dicendi forma constare puto, quæ a stylo Chrysostomi multum distat; ut omittam, quod eodem in loco, Apostoli verba illa declarans ex initio epistolæ *ad Romanos*, *secundum Spiritum sanctificationis*, eorum sensum interpretatur aliter, ac verus Chrysostomus fecit in enarratione illius epistolæ; imo hujus interpretationem refutat. Sed qualicumque iste sit, non est dubium, quid ea de re senserit.

Cæterum ab ipsa Spiritus advenientis substantia non separari ejus ἐνέργειαν, idem, ac minime dubius Chrysostomus alibi commonstrat. Qui in Pentecostes die, ipsum ait descendisse Spiritum in apostolos, quod hactenus in prophetis non usuvenerat, ac « fontem ipsum Spiritus sancti, quemadmodum et ipse dixerat, *fontem aquæ salientis in vitam æternam*[4] habituros eos, qui in se crederent[c], » et ibidem tamen hanc appellat « ἐνέργειαν a sancto Spiritu missam. » *Operationem.* *Efficientiam*

Ita denique Bernardus[5] charitatem, quæ in corda nostra diffunditur, cum Spiritu sancto in nobis hærere significat his verbis: « *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*[6]. Quod si non permanet Spiritus, haud dubium, quin excidat charitas, quæ nimirum *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* » Sed de forma, ut vocant, sanctificante, plenius inquirendum

a Chrysost. Ἔστι δὲ ἄλλα ὀνόματα, ἃ οὐ προσγράφεται τῷ ἁγίῳ πνεύματι, ἀλλὰ τῇ δυνάμει, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ αὐτοῦ, οἷον αἱ δωρεαὶ αὐτοῦ, λέγω δὲ καὶ προδιασαφηνίζων τὴν ἔννοιαν, καὶ ἐπάγω τὴν μαρτυρίαν. Ἐπειδὰν χαρίσηται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εὐχαῖς τῶν ἁγίων ἢ ἐμοὶ, ἢ ἑτέρῳ χριστιανῷ ἁγιασμὸν, καὶ λάβω δῶρον, ὥστε ἅγιον ἔχειν τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν, ἡ δωρεὰ ἡ δοθεῖσα μοι καλεῖται πνεῦμα ἁγιωσύνης, τουτέστι χάρισμα.

b Id. Ὅταν τις ἔχῃ χάρισμα ἀγάπης, λέγεται ὅτι πνεῦμα ἀγάπης ἔχει.

c Chrys. hom. IV *in Act.* Ἐνταῦθα δὲ αὐτὸ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Mox : Καὶ γὰρ διὰ τοῦ πυρὸς οὐ μόνον τὸ δαψιλὲς τῆς χάριστος ἐδείκνυτο, ἀλλὰ καὶ ὅτι πηγὴν

1 Cap. antec. — 2 Lib. I *de Spirit. sanct.* — 3 Tom. IV edit Savil. — 4 *Joan.* IV, 48. — 5 Serm. II *de Pasch.* — 6 *Gen.* VI.

erit, cum de gratia, et charitate, et hærente in nobis sanctitate disputabitur. Nunc hujus quæstionis reliqua pertexamus.

Substantialia. V. E quibus hoc maximum est, utrum hæc in justis habitatio, et οὐσιώδης præsentia propria sit personæ Spiritus sancti, an tribus personis conveniat, ut sit divinitatis ipsius, et substantiæ, non personæ unius applicatio, quam propterea οὐσιώδη nominare solemus. Igitur non una persona circumscribi debere, *Unionem.* sed toti Trinitati vindicari ἕνωσιν istam, hæc fere persuadent. Imprimis quod ita Christus pronuntiasse videtur : *Si quis*, ait, *diligit me*, *sermonem meum servabit*, *et Pater meus diliget eum*, *et ad eum veniemus*, *et mansionem apud eum faciemus*[1]. Christum vero ipsum *per fidem* , utique charitate formatam, *habitare in cordibus nostris*[2], Apostolus scribit; idque in *Apocalypsi* pollicetur ipse : *Ecce sto ad ostium et pulso ; si quis audierit vocem meam*, *et aperuerit mihi januam*, *intrabo ad illum, et cœnabo cum illo*, *et ipse mecum*[3]. » Idem et in Apostolo loqui, et in nobis tanquam in templis, ac domiciliis, non minus habitare ac residere dicitur, quam Spiritus sanctus. Præterea tritum illud est, quæcumque Deus extra se facit, ea personis tribus esse communia; at est ejusmodi sanctificatio justi. Non igitur ad unum redigenda videtur Spiritum sanctum. Ad hæc nonnulli antiquorum, quos capite antecedenti testes citavimus, tribus personis commorationem illam, ac præsentiam divinæ substantiæ ex æquo tribuunt. Postremo conjunctio illa cum Spiritu sancto, vel in ejus natura fit et essentia ; vel in persona sive proprietate. Si prius, non magis cum Spiritu santo, quam cum Patre, ac Filio dicetur fieri. Est enim natura trium eadem. Si posterius eligas, tot erunt hypostaticæ conjunctiones, quot justi sunt homines, et angeli. Atqui unica ejusmodi est cum Verbo humanitatis in Christo. His de causis vulgo fere theologi quadam accommodatione putant illam ἕνωσιν, et habitationem in justis assignari Spiritui sancto, cum revera in omnes personas competat, sicut potentia Patri, Filio sapientia, Spiritui sancto sanctitas et charitas attribuitur, cum hæc omnia promiscue ad tres personas applicentur.

VI. Sed enim Patrum illa testimonia, quæ in antecedenti capite descripta sunt, plus aliquid significant; ac peculiarem esse sancto Spiritui modum illum nescio quem ostendere videntur; quo *justificando formatur a Deo justi mens*, ut loquitur Augustinus[4], et quo cum illis copulatur in iisque versatur, atque habitat, non communi illa ratione, qua creata omnia immensitate sua permeat, sed propria , needum satis explorata; qualem esse aliquam tanta illa sacrorum voluminum, ac sanctorum Patrum auctoritas evincit, non tamen liquido nobis, et aperte vim ejus, et conditionem edisserunt. Itaque conjectura et interpretatione est opus, cauta illa quidem et circumspecta, ne aut anguste nimium de tanto illo beneficio sentiamus, aut ultra modum illud efferamus. Nostram igitur, quæ privatim sit opinio, vel non dico, quia rem nondum compertam satis habeo; vel hoc loco non dico. Quod autem ex antiquorum tot illis in duobus superioribus capitibus allatis testimoniis sequi videtur, id est ejusmodi : Illam cum justorum animis conjunctionem Spiritus sancti, sive statum adoptivorum filiorum, communi quidem personis tribus convenire divinitati, sed quatenus in hypostasi, sive persona inest Spiritus sancti adeo, ut certa quædam ratio sit, qua se Spiritus sancti persona sanctorum justorumque mentibus applicat, quæ cæteris personis eodem modo non competit. Cujus dicti fides, et probatio argumentatione ista concluditur, quam ex superiori disputatione conficimus. Etenim Spiritus sanctus eo ipso justorum animos occupat conjunctionis genere isto, in iisque versari et habitare dicitur, quod a Patre Filioque mittitur tanquam donum utriusque. Non enim sancti justique fiunt aliter, quam missione ista, donationeque Spiritus interiore, et occulta. Hoc mihi puto concessuros omnes, repugnaturum autem neminem : quod si quis audebit facere, is una Scripturarum omnium, ac sanctorum Patrum voce refelletur, quam ex antecedenti tota disputatione repetere licet. At vero donum esse, personalis est Spiritus sancti proprietas, id est, ut Augustinus explicat, *donabile* esse. Hoc autem , quod est *donabile* esse, non ad personam ullam divinam, sed ad creaturas rationis, intelligentiæque participes, σχέσιν, et comparationem

ἕκαστος ἐλάμβανε πνεύματος. ὥσπερ οὖν καὶ αὐτὸς πηγὴν ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἔφησεν ἕξειν τοὺς πιστεύοντας ἐπ' αὐτόν.

Ibid. Ἵνα μάθῃς ὅτι ἐνέργειά ἐστιν ἀπὸ τοῦ παρακλήτου πεμφθεῖσα.

1 *Joan.* XIV, 23. — 2 *Eph.* III, 17. — 3 *Apoc.* III, 20. — 4 Lib. III *de Trin.*, cap. VIII.

habet, ut idem Augustinus, ac theologi cum eo, præter unum, aut alterum, omnes judicant. Itaque peculiari modo necesse est conjungi nobiscum, applicarique donum illud, cum actu, et ἐνεργείᾳ datur. Siquidem id quod potentia est, vel instar potentiæ intelligitur, et effertur, ex actu dijudicari æstimarique solet. Unde si donari posse, singulare est Spiritui sancto, neque alteri personæ congruat; erit actu donari proprium ejusdem. Hoc autem est informare veluti fidelium animos, et sanctos justosque facere. Proprius est ergo sancti Spiritus iste ipse modus; neque personæ alteri potest adscribi. Nam si eodem modo dari potest saltem Filius, ut omittam modo Patrem; perinde donabilis est Filius, ac Spiritus sanctus, et idcirco non minus, quam hic, erit ille Spiritus sanctus, quoniam idem est donabile esse, quod est esse Spiritum sanctum. Hoc vero falsum est, et impium dictu. Igitur non est solum donabile, sed etiam donum, vel potius datum, eo modo, quo non est Pater, aut Filius. Porro datum esse, nihil aliud est, quam missum et applicatum esse, et in justis habitare. Proprie ergo, et singulari modo Spiritus sanctus cum iis quos sanctos facit, conjungitur, et inest ipsis. Proinde secundum hypostasim, non secundum essentiam duntaxat, hoc illi convenit. Nam quidquid proprium est personæ cujuspiam, hoc rationem hypostasis, non essentiæ sequitur.

VII. Præterea validissime ex eo nostra de veterum sensu conjectura fulcitur, quod ut in antecedente libro, capite XIII[1], proditum est, Græci aliquot Patres, iique auctoritate, ac doctrina primarii, ut Basilius, Cyrillus, Eulogius, Joannes Damascenus, personalem Spiritus sancti proprietatem, hoc est ὑποστατικὴν et διακριτικὴν ἰδιότητα, qua videlicet ab duabus reliquis discernitur, constituunt in *sanctificatione*, *sive sanctificatrice ac perfectrice vi et virtute* quam appellant ἁγιασμὸν, et ἁγιαστικὴν, sive τελειωτικὴν δύναμιν, qua angeli hominesque sancti fiunt ac justi. Basilius[2] enim ἰδίωμα τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως, *proprietatem virtutis sanctificatricis*, tam peculiarem personæ dicit esse Spiritus sancti, quam est *paternitas* Patris, *filietas* Filii. Vide omnino locum illum capitis nostri XIII. Quod si verum est, quid aliud concludi potest, nisi id, quod suspicione nostra perstrinximus, ex illorum, qui ita locuti sunt, mente, Spiritum sanctum proprias quasdam habere partes in *sanctificandi*, et adoptivi formandi status negotio, quæ reliquis duabus personis neutiquam tribuuntur, utpote quam illi personalem esse notam existimant? Cum autem applicatione quadam Spiritus sancti, id est substantiæ ipsius, non autem efficientiæ solius constare statum illum justitiæ, ac propinquitatis cum Deo sanctorum, sancta omnis, et erudita clamet antiquitas, ut duobus superioribus capitibus ostensum est; evidens est non naturæ solum divinæ Spiritus sancti, sed etiam personæ, vel naturæ, ut est tali affecta personali proprietate, conjunctionem illam imputari ab antiquis Patribus.

Ad hæc Cyrillus Alexandrinus libro XXXIV *Thesauri* de *sanctificatione* loquens, Spiritum sanctum ait αὐτουργὸν illius esse, id est « per se eam efficere, revera sanctificantem, et unientem nos sibi ipsi[a]. » Atqui vox ista αὐτουργὸν, et αὐτουργεῖν, quam δυνάμει ἁγιαστικῇ, quæ est persona ipsa Spiritus sancti, Cyrillus accommodat, prorsus indicat *personale* id esse munus, quod Spiritus sanctus propria quadam, quamvis ignota, ratione in nobis sanctificandis obire dicitur. Personæ, inquam, proprium hunc esse modum, verbum αὐτουργεῖν demonstrat. Quemadmodum Maximus, cum *Disputatione cum Pyrrho* de Incarnatione loquitur, sic ejus effectionem declarat, ut facta sit « complacente sibi Deo Patre, ac per se operante Filio, cooperante vero Spiritu sancto[b]. » Vides ut incarnationem, quam personæ tres communiter effecerunt, solus tamen Filius αὐτουργεῖν dicitur, quia solus personæ suæ carnem copulavit. Sic igitur teste Cyrillo Spiritus sanctus ἁγιασμὸν proprio quodam personæ suæ modo operatur in nobis, id est αὐτουργεῖ. Quod utique neutiquam recte diceretur, si nihil ad sanctificandum conferret aliud Spiritus sanctus, præter externam efficientiam, id est, qualitatis cujusdam productionem. Id enim non magis αὐτουργεῖν dici potest, quam Filius, ac Pater, quandoquidem quidquid extrinsecus divinitas facit, si vera est effectio, communiter a tribus geritur, ut Gregorius Nyssenus, in libro *ad Abladium de uno Deo* scribit.

Virtuti sanctificatrici.

Sanctificationem.

VIII. Jam quæ dubitandi causæ supra expositæ sunt a nobis, eas explicare nullus est labor. Horum primum illud fuit, quod cæteræ

a CYRIL. XXXIV *Thes.* Εἰ γὰρ οὐκ αὐτουργεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν ἡμῖν, etc.

MOX : Αὐτουργὸν ἄρα τὸ πνεῦμα ἐν ἡμῖν, ἀληθῶς ἁγιάζον, καὶ ἑνοῦν ἡμᾶς ἑαυτῷ.

b MAXIM. *Disp. cum Pyrrho*, in Append. Τὴν σάρκωσιν ἔργον οὖσαν τῆς θείας, καὶ μόνης

1 Num. 21. — 2 Basil. ep. CCCXLIX.

Explicantur quæ contra antiquorum sententiam objici solent

personæ perinde commorari dicuntur in sanctis, ac Spiritus ipse. Quis hoc negat? Sed interest, quo id modo fiat. Non enim idem valet in cunctis. Pater ecce, atque Spiritus sanctus in homine Christo non minus manet, quam Verbum; sed dissimilis est τῆς ἐνυπάρξεως modus, Verbum enim, præter communem illum, quem cum reliquis eumdem habet, peculiarem alterum obtinet, ut sit formæ instar, divinum, vel Deum potius facientis, et hunc Filium. Quippe non absolute, et infinite Deus est, quod ipsius essentiæ οὐσιώδης conjunctio citra personam efficeret; sed hic Deus, hoc est Filius est, quod sola Filii hypostasis, tanquam forma præstare potest.

Inhabitationis.

Sic in homine justo tres utique personæ habitant. Sed solus Spiritus sanctus quasi forma est sanctificans, et adoptivum reddens sui communicatione filium. Non enim necessaria, et naturalis hic Filii proprietas agitur, quæ nonnisi ipsius divinæ Filii personæ applicatione, conjunctioneque potest tribui, sed adoptiva et voluntaria. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis*[1]. Omnis autem voluntariæ bonitatis, largitatisque fructus ad illum refertur Spiritum, qui ex voluntate procedit, et substantialis charitas dicitur. Hinc Cyrillus præsertim, aliique, quos capite superiori citavimus, Filium, adeoque Patrem in nobis, velut templis habitare dicunt per Spiritum, quem etiam *aurum* ille nominat, *quo deaurati sunt* justi, tum ποιότητα, id est *qualitatem*, qua filii Dei, imo *dii* redduntur.

Relegantur omnia veterum Patrum testimonia, quæ superius exposita sunt : et, quod iis præstantius est Scripturæ loca illa recenseantur, quæ cum justis conjungi, vel in iis habitare, aut Deum simpliciter, aut privatim Filium docent; inveniemus eorum pleraque testari, per Spiritum sanctum hoc fieri, velut proximam causam, et, ut ita dixerim, formalem. Ea nunc loca necesse non est repetere, cum illic legere quisque possit.

IX. At etiam persæpe Deus cum in nobis manere, et habitare dicitur, peculiaris intelligenda est persona Spiritus sancti, tanquam citima, ut sic loquar, adoptionis causa, et forma sanctificans. Sic enim Augustinus in XV *de Trinitate*[2]: « Si in donis Dei, inquit, nihil est majus charitate, et nullum est majus donum Dei, quam Spiritus sanctus? quid consequentius est, quam ut ipse sit charitas, quæ dicitur et Deus, et ex Deo? » De quo jam supra diximus[3]; et videndus omnino Petrus Lombardus, qui hoc ipsum majore pertractavit copia in primo libro *Sententiarum*[4]. Quem immerito imperiteque carpit Lambertus Danæus, quatenus Spiritum sanctum proprie nominari charitatem docuit. Atqui verissime hoc ille quidem scripsit, imo ante istum tradidit Augustinus, ut suo loco demonstravimus[5]; multum vero in eo reprehendendo lapsus ille est, ac suam ipse inscitiam traduxit; præsertim eo quod charitatem negat esse Dei essentiam, *attributum vel donum*[6] (ita enim loquitur) esse concedit. « In eo, inquit Danæus, totus est (Lombardus), ut doceat charitatem esse ipsam Dei essentiam, non autem attributum, vel donum illius, quemadmodum sapientia, misericordia, justitia, et reliqua hujusmodi, quæ concedit esse Dei attributa, vel dona; » ac deinceps passim attributum quod theologi vocant, idem esse, quod donum, et effectum asserit. Ut cum eodem loco, « quod in Deo est justitia, salus, misericordia, idem quoque, ait, est charitas, nempe Dei attributum, vel donum, non autem οὐσία. » Et postea[7], « Omnia, inquit, attributa Dei, qualis est charitas, uti antea docuimus, ab ipsa θεότητι, seu οὐσίᾳ divina distinguuntur. Dicitur enim Deus esse sapientia, misericordia, etc.; propterea tamen nemo orthodoxus justitiam, et sapientiam ab ipsa Dei essentia non distinxerit, quemadmodum præclare docet Basilius lib. I *contra Eunomium*. » Hæc Danæus, qui subinde charitatem, de qua locutus erat, et quam Dei attributum esse dixerat, *donum Dei*, et *creatam esse in nobis qualitatem* affirmat. Quæ omnia latiori confutatione digna essent, si id in præsens ageremus. Sed hoc tamen breviter, neque enim omitti potest, errare toto cœlo Calvini asseclam istum, ac tam a Basilii, theologorumque omnium sensu, quam a suapte ipsum professione dissidere. Nam neque *attributa*, quæ dicuntur *Dei*, dona sunt ejus, et effecta, sed proprietates ipsam Dei substantiam afficientes, ut nos ista capere, atque explicare possumus; revera autem ipsa Dei sunt essentia, a quo λόγῳ, et ἐπινοίᾳ duntaxat, hoc est *ratione*, et *cogitatione* distant, ut ex Basilio

θελήσεως, εὐδοκοῦντος μὲν τοῦ πατρὸς, αὐτουργοῦντος δὲ τοῦ υἱοῦ, καὶ συνεργοῦντος τοῦ ἁγίου πνεύματος.

1 *Jac.* I, 18. — 2 Cap. XIX. — 3 Lib. VII, cap. XII. — 4 Dist. XVII, cap. IV. — 5 Tum cap. illo, tum in lib. hoc, cap. IV. — 6 Ad cap. IV, dist. I. — 7 Ad cap. XVIII, dist. XXIX.

ipso[1], cæterisque alibi probavimus[2]. Tum quod charitatem, qua Deum nos diligimus, et «quæ, ut idem ait Augustinus, sola discernit inter filios Dei, et filios diaboli,» et quam Apostolus copiose prædicat[3], ac fidei, donisque cæteris anteponit, creatam, et utique hærentem in nobis esse qualitatem defendit, Calvinianam de justificatione sententiam evertit. Sed ea res alio loco tractabitur.

CAPUT VII.

De eadem Spiritus sancti substantiva communicatione disputatur. An in Veteri Testamento fuerit. Videri antiquos Patres Novi eam Testamenti propriam facere, ac meritis Christi jam passi tribuere. Exponitur Ruperti sententia de remissione peccatorum. Aliud esse ratione, Dei gratiam habere; aliud esse filium adoptivum. Quomodo distincta sit illa personæ Spiritus sancti cum justis unio, ab hypostatica Verbi conjunctione cum humana natura ; atque hæc posterior obiter illustratur.

I. Duo sunt, quæ ad institutam absolvendam quæstionem reliqua videntur : alterum, ecquid illa communicatio Spiritus sancti, cujusmodi a plerisque veterum Patrum ostenditur, nimirum substantiva, et οὐσιώδης, ante Christi adventum fuerit in prophetis, et patriarchis, aliisque justis ; an Novi Testamenti propria sit, ex eorumdem Patrum sententia. Alterum, quod discrimen intersit inter conjunctionem istam Spiritus sancti cum justorum animis, et divini Verbi cum humana in Christo natura copulationem, quandoquidem etiam illa οὐσιώδης, et personæ Spiritus sancti propria ab antiquis illis constituitur. De utroque nihil a me, quod sum aliquoties professus, neque propria ex sententia, judicioque disseram ; sed veterum duntaxat illorum agam interpretem, ut, quid eorum quæ sunt in quarto, et quinto allata capite, testimoniis consentaneum sit, et consequens exponam.

Ac quod ad prius illud pertinet, non dubito quin, si quis ista ipsa loca veterum accurate considerare velit, ita sensisse illos existimet, propriam quamdam, post adventum Christi, atque obitum, communicationem cœpisse esse Spiritus sancti, qualis antea non erat; cujus etiam ab eo tempore factum initium docent, quo in apostolos sub ignis specie descendit, tanquam hactenus, κατ' ἐνέργειαν, id est *operatione tenus*, in sanctis fuerit; deinceps autem οὐσιωδῶς, id est *substantialiter;* quod Gregorius Nazianzenus[4] diserte prædicat, nec obscure certe reliqui omnes asserunt. Atque haud paucos ex his existimasse vidimus, talem in primo nostro parente, cum in eum Deus inspiravit spiraculum vitæ, Spiritus sancti fuisse præsentiam, cujusmodi ab Christo restituta est; qui nos, velut interdicto quodam *Unde vi*, in pristinam et longo interruptam tempore possessionem miserit. Quod qui sentiunt; sunt autem ii Basilius Cyrillus, et alii; manifeste docent, alio modo in patriarchis, ac prophetis resedisse Spiritum sanctum, nec dum illis οὐσιωδῶς obtigisse. Quin etiam Athanasius libro secundo *adversus Arianos*, Verbum Dei hominem faciendum accepisse Spiritum sanctum ait, quo tempore in Jordane baptizatus est, non sua utique causa, quasi antea non haberet, sed nostra potius, ut ejus nos capaces faceret. « Quare ex illo, inquit, tempore et nos cœpimus unctionem hanc, et signaculum accipere, Joanne quidem dicente : *Et vos unctionem habetis a sancto;* Apostolo vero: *Et vos signati estis Spiritu promissionis sancto*[a].» Tum postea : « Per quem vero, et a quo oportebat Spiritum dari, nisi per Filium, cujus et est Spiritus? Quando vero nos accipere poteramus, nisi quando Verbum factum est homo[b] ? »

II. Eodem spectat eximius ille Chrysostomi locus[5], quem paulo ante capite superiori citavimus; in quo apostolos multo copiosius, excellentiusque, quam prophetas, et patriarchas, accepisse Spiritum sanctum adstruit, ejusque causam in id refert, quod fontem ipsum Spiritus sancti receperint; quem fontem promisisse Christum ait, cum diceret: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*[6]. Sed multo

Peculiaris, post Christum cœpit Spiritus S. communicatio.

Non eodem modo Spiritus S. in vetere lege ac in Nova communicatus.

Substantialiter.

a ATHAN. Ἐξ ἐκείνου γοῦν καὶ ἡμεῖς ἠρξάμεθα τοῦτο τὸ χρίσμα, καὶ τὴν σφραγῖδα λαμβάνειν, λέγοντος τοῦ μὲν Ἰωάννου· καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου· τοῦ δὲ Ἀποστόλου· καὶ ὑμεῖς ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ.

b Idem. Διὰ τίνος δὲ, καὶ παρὰ τίνος ἔδει τὸ πνεῦμα δίδοσθαι, ἢ διὰ τοῦ υἱοῦ, οὗ καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι; πότε δὲ λαμβάνειν ἡμεῖς ἐδυνάμεθα, εἰ μὴ ὅτε ὁ λόγος γέγονεν ἄνθρωπος;

1 Lib. II *cont. Eun.*— 2 Lib. II, c. IX tomi præced.— 3 I *Cor.* XIII, 1, 13.— 4 Orat. XLIV.— 5 Hom. IV *in Acta.*— 6 *Joan.* XIV.

expressius, non fontis ipsius modo largitionem, sed tempus etiam, quo illum daturus esset, ostendit *Joannis* septimo[1]: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus sanctus*, (in Latinis codicibus, datus), *quia Jesus nondum fuerat glorificatus*[a]. » Hinc evidenter apparet, Spiritum sanctum singulari et inusitato modo post Christi resurrectionem, et ascensionem, hoc est glorificationem, datum esse fidelibus, quo nemo hunc ante perceperat. Atqui iste ipse modus et a Scripturis, et a Patribus ejusmodi esse traditur, ut illius substantia, non ἐνέργεια sola communicetur. Hoc igitur est, quod Gregorius Nazianzenus asseruit, οὐσιωδῶς post Christum infusum hominibus esse Spiritum sanctum, qui antea κατ' ἐνέργειαν duntaxat in illis hærebat. Quod ex eodem Gregorio Georgius Pachymerius[2] in paraphrasi libri *de Cœlesti hierarchia* notavit.

Substantialiter. Secundum efficientiam

Ad hæc Cyrillus in libro XXXIV *Thesauri*, postquam exposuit, per ipsam Spiritus sancti substantiam nos nullo interjecto medio sanctos fieri, cujus verba supra quarto capite reddidimus, proprium hoc esse legis novæ beneficium affirmat, nec in Mosaica concessum : *Lex*, inquit, *per Mosem data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est*[3]. Igitur si magnum quid inter Mosis, et mediatoris Domini nostri Jesu Christi ministerium interesse videtur, necesse est Mosis legem imperfectam, et quasi mancam concedere. Nihil enim secundum Paulum perfecit[4]. At vero Salvatoris gratia vera, et perfecta esse creditur. Quæ igitur hæc gratia est? Non alia certe, quam sancti Spiritus in cordibus nostris facta infusio[b]. »

III. Atque idem Cyrillus sine fuco, vel ambage ulla, palam hoc, et perspicue prædicat in libro quinto *Commentariorum in Joannem* ad illa verba Evangelistæ: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*[5], etc. Ibi ergo Cyrillus quæstionem hanc nostram disertis verbis proponit, eamque dissolvit : « Verum si ita sese res habet, quinam erat in prophetis? Consideremus ergo (repetam enim orationis scopum), in sanctis quidem prophetis velut uberem quamdam illustrationem et illuminationem Spiritus extitisse, quæ ad futurorum perceptionem erudire posset, occultorumque notitiam. At vero in iis, qui credunt in Christum, non simplicem illustrationem a Spiritu sancto derivatam, sed ipsummet habitare Spiritum, et domicilium collocare confidimus. Unde etiam merito templa Dei vocamur, cum nullus sanctorum prophetarum templum Dei sit nominatus unquam[c]. » Quo ex loco evidens est Cyrillum existimasse, tum ipsa Spiritus sancti substantia, non ejus efficientia duntaxat, sanctos ac Dei filios homines fieri; tum hoc beneficii, communicationisque genus ante Christum, et in Veteri Testamento nondum exstitisse. Quæ quanquam aperte firmeque asseverata sint, tamen in sequentibus haud paulo clarius exprimuntur. Nam Joannem Baptistam, quo nullus inter homines major exortus fuerat[6], minorem christiano quolibet fuisse censet eamdem ob causam, quod ille Spiritum sanctum non habuerit, neque perfectus fuerit; christiani autem omnes utriusque per baptismum compotes fiant. Etenim quod Christus mirifico illi Joannis præconio subjecit, *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*: Cyrillus de christianorum intelligit statu, ac *cœlorum regnum* appellari putat Spiritum sanctum; ut alibi jam dixi[7]. Quem cum habitantem in sese christianus habeat, eo nomine vel minimum quemque christianorum Joanne esse majorem, non virtutis ac sanctitatis prærogativa, sed statu ipso,

Quo sensu recens baptizatus major J. Baptista.

a Græce: Οὔτω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη.

b Cyril. lib. XXXIV *Thes.* Ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη, φησὶν ἡ θεία γραφή· ἡ χάρις δὲ, καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. οὐκοῦν εἴπερ πολύ τι φαίνεται τὸ μεταξὺ τῆς τε Μωσέως διακονίας, καὶ τοῦ μεσιτεύσαντος θεοῦ τε, καὶ ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἀνάγκη τὸν μὲν Μωσέως νόμον ἀτελῆ συνομολογεῖν. οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσε, φησὶν ὁ Παῦλος. τὴν δὲ διὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν χάριν ἀληθῆ καὶ τελείαν εἶναι πιστεύομεν. τίς οὖν ἄρα ἡ χάρις, ἢ πάντως ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος χύσις ἡ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν γινομένη;

c Idem, lib. V *in Joan.* Ἀλλ' εἰ τοῦτο, πῶς ἦν ἐν τοῖς Προφήταις; λογιζώμεθα τοίνυν· ἀναληψόμεθα γὰρ τὸν τοῦ λόγου σκοπόν· ἐν μὲν τοῖς ἁγίοις Προφήταις ἔλλαμψιν ὥσπερ τινὰ πλουσίαν, καὶ δαδουχίαν γένεσθαι τοῦ πνεύματος, παιδαγωγεῖν ἰσχύουσαν εἰς τὴν τῶν ἐσωμένων κατάληψιν, καὶ τῶν κεκρυμμένων τὴν γνῶσιν· ἐν δὲ τοῖς πιστεύουσιν εἰς Χριστὸν οὐ δαδουχίαν ἁπλῶς, τὴν ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ἀλλ' αὐτὸ κατοικεῖν τὸ πνεῦμα, καὶ ἐναυλίζεσθαι τεθαῤῥήκαμεν ὅθεν εἰκότως καὶ ναοὶ θεοῦ χρηματίζομεν· καίτοι τῶν ἁγίων Προφητῶν οὐδενὸς θείου ναοῦ κεχρηματικότος πώποτε.

1 *Joan.* VII, 38. — 2 Cap. X, sub. fin. — 3 *Joan.* I, 17. — 4 *Hebr.* VII. — 5 *Joan.* VII, 39. — 6 *Matth.* XI. — 7 Supra c. IV. n. 14.

et conditione, quæ Spiritus sancti tam excellenti communicatione constat. Atque hoc Joannem ipsum agnovisse Cyrillus arbitratur, cum Christo dicebat: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quæ ita declarat ille: « Vides ut ille, quamvis perfectus, pro humano captu, et eorum, qui ex mulieribus nati sunt, recreari quodammodo, et regenerari se rogat per Spiritum sanctum? Vides ut regeneratis inferiorem se profitetur, cum regeneratione sibi opus esse profitetur[a]?» Tum ita concludit: « Majorem itaque Joanne etiam ipso Christus eum esse ait, qui minor est in regno cœlorum; hoc est, etiam illum, qui recens baptizatus est, ac nondum operibus ullis excellens quiddam est assecutus, eo ipso tantum, quod natus quidem est e muliere beatus Baptista; hic vero ex Deo natus est, sicut scriptum est, et divinæ naturæ particeps est factus, habitantem habens in se Spiritum sanctum, et jam templum appellatus Dei[b]. »

IV. Hæc verba nullam, ut jam dixi, dubitationem relinquunt, quin post Christi adventum, Spiritus sanctus fidelibus se demum eo modo communicaverit, quo nemini ante veteri in lege. Cum autem ista ipsa communicatio sit illa, per quam Spiritus idem *substantive*, id est οὐσιωδῶς in nobis habitat, non per solam efficientiam qualitatis alicujus, adeo ut templa simus Dei, *propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis*[1]; manifestum est, ex Cyrilli opinione, in Testamento Veteri, alia ratione Spiritum sanctum justos, ac sanctos homines fecisse, quam in Novo, et in illis nondum per se applicataque quoquo modo substantia sua resedisse. Nam si quis perfecte, uti fert humana conditio, Spiritum sanctum in antiqua illa lege habuit, ut haberi tum poterat, is profecto Joannes Baptista fuit. At hunc negat Cyrillus ipsam habuisse commorantem, ac sibi conjunctam Spiritus sancti substantiam, sed ejus duntaxat efficientiam; idque cum prophetis illi cæteris fuisse commune asserit, quod christiani denique in nova lege sunt adepti.

Alibi quoque Cyrillus eamdem christiani cum Joanne comparationem, et propter Spiritus sancti præsentiam, posterioris excellentiam status pluribus explicat verbis, ac sæpe iisdem, quibus in superiore illo loco, nimirum in libro *Thesauri* XII. Quod autem *templa* Dei nos in nova lege esse factos, in illo altero loco *Commentariorum in Joannem* dixit; hoc de ipsis quoque corporibus nostris affirmat in *Thesauri* libro XXI, ad idque refert, quod Apostolus scribit: Deum per Filium suum *de peccato damnasse peccatum in carne*[2]. Sic enim scribit: « Damnavit autem Christus in carne peccatum, capacem illam reddens Spiritus sancti; ut possimus dicere: Non sumus in carne, sed in Spiritu[c]. » Sane Tertullianus in libro *de Pudicitia*, capite VI, corpus nostrum in lege veteri non fuisse *Dei templum* ait, Christique beneficio *statum vertisse*. Atqui hic ipse animorum, corporumque nostrorum status, quo in *templa* Dei consecrantur, peculiari illi Spiritus sancti participationi, et Novi Testamenti propriæ tribuitur; est enim præstantissimus.

V. Quam ejus dignitatem animadvertit Origenes, cum in homilia octava *in Exodum* aliud esse dicit *donum Dei*, aliud *templum* fieri, ut « quamvis mundata est domus nostra a peccatis prioribus, et ornata est ornamentis sacramentorum fidelium, quæ norunt, qui initiati sunt, non statim habitatorem habere Christum mereatur, nisi sit vita ejus, et conversatio ita sancta, ita pura et incontaminabilis, ut templum Dei esse mereatur. Non enim domus adhuc, sed templum esse debet, in quo habitet Deus. » Hanc ipsam *templi* prærogativam obiter indicat Augustinus; necnon de ista, qua de agimus, peculiari novæ legis gratia, et diversa, atque in veteri fuit, communicatione Spiritus sancti, illustrem sententiam expromit in sermone CLXXXV *de Tempore*, qui est primus de feria II *Pentecostes*: « Spiritus sanctus, ait, in hac die ad præparata sibi apostolorum suorum templa, velut imber sanctificationis illapsus est, non jam visitator subitus, sed perpetuus consolator, et cohabitator æternus. Nam sicut de semetipso apostolis suis dixerat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*[3];

a Cyril. V *in Joan.* Ὁρᾷς ὅπως τέλειος ὢν, ὅσον ἥκεν ἐν ἀνθρώποις, καὶ ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, ἀνακτίζεσθαι τρόπον τινὰ, καὶ ἀναγεννᾶσθαι παρακαλεῖ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος; ὁρᾷς; ὅπως παραχωρεῖ τοῖς ἀναγεννηθεῖσι τὸ μεῖζον, δι' ὧν αὐτὸς ἔτι δεῖσθαί φησιν.

b Ibidem. Μείζονα τοιγαροῦν καὶ αὐτοῦ, φησὶν, Ἰωάννου Χριστὸς τὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μικρότερον· τοῦτ' ἔστι καὶ τὸν ἄρτι βεβαπτισμένον, οὔπω δὲ καὶ τὸ ἐν ἔργοις ἐξαίρετον ἔχοντα, κατὰ τοῦτο μόνον, καθὸ γεννητὸς μὲν ἐκ γυναικὸς ὁ μακάριος ἦν βαπτιστής, ὁ δὲ ἐκ θεοῦ γεγέννηται, κατὰ τὸ γεγραμμένον, καὶ θείας φύσεως γέγονε κοινωνὸς, ἐνοικοῦν ἔχων ἐν αὐτῷ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ναὸς ἤδη χρηματίζων θεοῦ.

c Cyril. lib. XXI *Thes.* Κατέκρινε δὲ ὁ Χριστὸς, δεκτικὴν αὐτὴν ἀποδείξας τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὡς δύνασθαι λέγειν ἡμᾶς· οὐκ ἐσμὲν ἐν σαρκὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι.

1 *Rom.* VIII. — 2 *Rom.* VIII. — 3 *Matth.* XXVIII.

ita etiam de Spiritu sancto, *Paracletum*, inquit, *dabit vobis Pater*, *qui vobiscum sit in æternum*. Affuit ergo in hac die fidelibus suis, non jam per gratiam visitationis, et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis, atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti. » Quid dici poterat expressius, ut et Spiritus sancti substantiam ipsam communicari cum sanctis, eosque tales, hoc est, sanctos facere; et simili hactenus modo non iis fuisse monstraret ? Etenim ne quis fortasse proprium id esse crederet illius dici, quo in discipulos sub linguarum specie Spiritus est allapsus, ut ipsa se sua substantia in eos inferret, cavit Augustinus, dum eodem modo *usque ad mundi consummationem* in fidelibus futurum esse dixit : ut eos non sola operationis gratia sic tanquam odore perfunderet, *sed ipsa sua substantia* in eos *deflueret*. Quæ tam enucleata sunt ad eum, quem enarrare instituimus, *sanctificandi* modum novi proprium fœderis , ut omnem calumniam interpretationis eludat.

VI. Unum illud potest opponi: non in illo demum Pentecostes die Spiritum sanctum discipulis datum fuisse, sed etiam antea cum in apostolos *insufflans* dixit: *Accipite Spiritum sanctum*[1]. Cum autem nihilominus daturum se illis post ascensum suum eumdem promisit Spiritum , quem et in Pentecoste in eos immisit , nihil aliud Spiritus sancti vocabulo, quam novam ejus efficientiam intellexisse : quatenus « illa datio, vel donatio, vel missio Spiritus sancti habitura erat quamdam proprietatem suam in ipso adventu, qualis antea nunquam fuit, ait Augustinus [2]. Nusquam enim legimus linguis quas non noverant, homines locutos, veniente in se Spiritu sancto, sicut tunc factum est. » Quare Hugo Etherianus adversus Græcos contendens[3], Christum apostolis tum dedisse Spiritum sanctum, cum in eos sufflavit; quod rursus per Pentecostes diem eumdem dedit Spiritum, ad diversam *operationis speciem* refert. Ac plerique Patres catholicique doctores adeo insufflatione illa Spiritus sancti communicatam esse substantiam putant, ut ex eo argumententur, procedere illum a Filio non minus, quam a Patre, ut superiore libro docuimus. Unde similiter obsisti nobis poterit, ut quod in Novo Testamento Spiritus sanctus datus esse dicitur, non eo sit consequens, tum demum, et non ante, illius in nos illapsam esse substantiam, sed novam duntaxat, et uberiorem, ac potentiorem illius efficientiam atque gratiam; quæ est opinio multorum, Verum quæ hucusque sunt a nobis in medium adducta Patrum testimonia, tam, ut sæpe monuimus, diserta invictaque sunt, ut non aliter, quam ut hactenus exposui, sensisse illos evidenter appareat: Christi singulare id esse beneficium, ejusque meritis, et adventu illatum hominibus, ut inusitato illo modo, quem οὐσιώδη vocant, hoc est adhibita, et applicata substantia sua, justos illos redderet, ac sanctos, Deique Filios adoptivos, quocumque tandem id tempore præstiterit. Quanquam tunc , cum in apostolos insufflavit, non christianis omnibus, hoc est universæ Ecclesiæ, Spiritum sanctum tradidisse videtur; sed solis illius ministris, et sacerdotibus , ut ad specialem functionem obeundam necessariis eos præsidiis instrueret. Quæ autem postea in Pentecoste Spiritus ejusdem facta largitio est, eam ad universum Ecclesiæ pertinuisse corpus.

At Chrysostomus homilia prima *in Acta Apostolorum*, nondum apostolos putat Spiritum accepisse sanctum quando in eos insufflavit, sed ad eum excipiendum paratos esse jussisse; et quod propediem daturus illis erat, tanquam præsens ostendisse. Sic homilia LXXXVI *in Joannem*, ubi locum illum Joannis exponit, tum idem illud affert, tum « spiritualem potestatem, et gratiam accepisse[a] » discipulos ait. Quocirca nondum plene proprium illum Testamenti Novi fructum perceperant, ac donum οὐσιῶδες ex Chrysostomi sententia.

Exponitur Ruperti sententia de remissione peccatorum

VII. Rupertus vero Spiritum sanctum in peccatorum remissione tum apostolis esse concessum putat, quando in eos missus est in die Pentecostes[4]. Quippe remissorem illum peccatorum, ac remissionem esse: « Tunc igitur fons iste patens factus est, inquit, et ex tunc patet; quia non ante, sed ex tunc Spiritus sanctus in remissionem peccatorum datus est[5]. » Idem et in primo *de Divinis officiis*, capite tertio significat. Sed ab superiore illa, communique Patrum sententia non abhorret Rupertus, tametsi hoc modo loquitur. Cum enim remissionem peccatorum idem esse velit ac sanctificationem ; nihil aliud docuit, cum

a CHRYS. Οὐκ ἄν δέ τις ἁμάρτῃ καὶ τότε εἰληφέναι αὐτοὺς λέγων ἐξουσίαν τινὰ πνευματικὴν, καὶ χάριν.

1 *Joan.* XX, 22.— 2 Lib. IV *de Trin.* cap. XX.— 3 Lib. II *conc. Græc.* cap. XIV.— 4 Lib. I *de Glorif. Trin.* c. XI, XVIII et XIX.— 5 Lib. II, cap. VI.

Spiritum sanctum dixit in remissionem dari peccatorum, quam ipsam illius dari substantiam, quæ sanctificatio, remissioque deinceps peccatorum fuerit. Quod perspicue verbis istis exprimit in primo libro *de Glorificatione Trinitatis*[1]. « Denique ante adventum ejusdem Filii Dei dabatur quidem in divisionem gratiarum, sed non etiam in remissionem peccatorum. Unde est illud: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Quia ergo ipse est omnium peccatorum remissio, nostra est sanctificatio, pulchre ex ore nostro tali honoratur vocabulo Spiritus sanctus, non quod sanctificatus, imo quod sanctificans sit, sive sanctificator, et ipsa sanctificatio. »

Quamobrem idem est Spiritum accipere remissionis peccatorum, vel qui remissio est ipse peccatorum, ac Spiritum adoptionis, vel filiorum Dei; quod ut legis novæ proprium, ac singulare munus Scriptura commendat: *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*[2], quasi primus tantæ dignitatis obtinendæ copiam humano generi Christus fecerit. Et in epistola prima Joannes idem[3], *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater* (utique per Christum) *ut filii Dei nominemur, et simus.* Sed clarissime id Apostolus affirmat in octavo capite epistolæ *ad Romanos. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.*

Supra dictorum tria corollaria.

VII. Ex his verbis tria quædam colligimus: primum in lege veteri nondum adoptionis, ac filiorum spiritum hominibus indultum esse, sed timoris, hoc est, servilem; alterum, hunc ipsum filiorum spiritum primum a Christo traditum esse, cujus merito Patrem et habere reipsa, et appellare cœpimus Deum: tertium est, eam nos prærogativam honoris, ac nominis per Spiritum sanctum assequi, qui in nobis residet, ac velut forma quædam est adoptionis illius usque adeo, ut quæ ex illius instinctu facimus, ea facere ipse dicatur, velut *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ac *desiderare;* quæ in Spiritus sancti personam minime transferri fas esset, nisi intime in nos illapsus, et unum quasi nobiscum factus, quæ nostra sunt usurparet, quemadmodum anima, quæ sunt corporis, in se recipit, ac sibi tribuit; et Verbo, quæ carnis propria sunt accommodantur, vicissimque carni, quæ Verbi sunt, propter arctissimam ἕνωσιν utriusque, quam nostra illa cum Spiritu conjunctio quoad licet imitatur, ut *efficiamur divinæ consortes naturæ;* quod ait Petrus[6], qui hoc donum auctori Christo vindicat, sic scribens: *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, et pietatem donata sunt per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria et virtute. Per quæ maxima, et pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Per hæc igitur, quæ a Christo concessa sunt, quæque promissa erant, et a Prophetis prædicta, omnium hoc maximum adepti sumus beneficium, ut *divinæ naturæ consortes essemus*, hoc est, adoptaremur in Dei filios. Hinc *precis legitimæ*, ut post Tertullianum eam vocat Augustinus[7], formula, in qua *Patrem nostrum* appellamus, *qui in cœlis est.* « Nam quando nos terrestres, et miseri, et imbecilles, et inutiles servi auderemus vultum levantes ad cœlum dicere, Pater noster; nisi ipse per suum nobis Unigenitum hanc fiduciam præstitisset? Sicut scriptum est: *Quotquot eum receperunt, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Accepta igitur potestate, Patrem vocamus Deum, quia per fidem spiritum adoptionis accepimus, ut nos factos Dei filios gratulemur. Hæc Augustinus.

Unionem.

IX. Chrysostomus[8] item Apostoli locum illum interpretans octavi *ad Romanos* capitis, Judæis olim spiritum illum adoptionis datum esse non putat; ideo neque Patrem Deum appellasse, aut ita nominare jussos esse; quod solis christianis præscriptum est in illa solemni precationis formula. Quod si Patrem, forte Deum vocaverint Judæi, « hoc suapte sponte, ac voluntate fecisse dicit; at in lege gratiæ instinctu ipso Spiritus, ac Dei mandato fieri[a]. » Similia quædam apud Œcumenium, ac Theophylactum leges; quæ Spiritum adoptionis christianis solis attributum esse declarant. Cum autem υἱότης ista, et adoptio communicata sancti Spiritus ipsa substantia perfici dicatur a Patribus, idque privatim in Novo Testamento concessum, ut οὐσιωδῶς detur Spi-

Filiatio.

[a] CHRYSOST. ad cap. VIII, 15 *Rom.* Ἄλλως δὲ, εἰ καὶ ἐκάλεσάν ποτε ἐκεῖνοι, ἀλλ' ἐξ οἰκείας διανοίας· οἱ δὲ ἐν τῇ χάριτι, ἀπὸ πνευματικῆς ἐνεργείας κινούμενοι.

1 Lib. I, cap. XI.— 2 *Joan.* I, 12.— 3 I *Joan.* III. 1. — 4 *Rom.* VIII, 14. — 5 *Rom.* VIII, 26, 27.— 6 II *Pet.* I. — 7 Serm. CXXVI *de Temp.* init.— 8 Hom. XIV *in Epist. ad Rom.*

ritus; quis quod inde consequens est, non videt, alio quopiam modo veteri in lege traditum ex illorum opinione fuisse?

Rursus Augustinus sermone CLXXXII *de Tempore*, Orationis Dominicæ prima verba declarans, *Pater noster*, « Utatur, inquit, ergo populus Novi Testamenti voce; populus novus ad æternitatem vocatus, *Pater noster.* » Idem Augustinus tract. *in Psalmum* XCI: « Invenimus, inquit, etiam sæpe eos filios appellatos, non ea gratia, quæ ad Novum Testamentum pertinet, sed illa, quæ ad vetus; quia et ipsa gratia est, qua eligit Abraham, et ex ejus carne tam magnum populum propagavit, qua nondum natos, Jacob dilexit, Esau autem odio habuit, » etc.

Verum Athanasius in oratione V perinde asserit antiqua sub lege, ac nova, filios Dei adoptivos exstitisse, communicato Spiritu sancto: « Unus, inquit, idemque Spiritus est, qui tum, et qui nunc sanctificat, et consolatur eos, qui ipsum recipiunt, quemadmodum unum est, et idem Verbum Filius ad adoptionem promovens etiam tunc eos, qui digni erant. Nam erant et in Vetere Testamento filii, non per alium, quam per Filium adoptati [a]. » Hoc quidem Athanasius, nec sane mirum videri debet. Nam et filios olim fuisse dictos Jacobi posteros constat; imo etiam *primogenitos*, quasi omnibus antecellentes: *Filius*, inquit, *primogenitus meus Israel* [1]. Et apud Isaiam [2], *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me*. Et Paulus [3] ipse, *Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio*, etc. Sed ut *patris* vocabulum non uno, ac simplici modo, sensuque dicitur, ita nec *filii*; ac Spiritus quoque sancti communicatio non est uniusmodi. Etenim quemadmodum Deus, ac quælibet divina persona, cum unam simplicemque habeat substantiam, non eodem tamen modo, ut supra meminimus, eam applicat, nec uno præsentiæ genere inesse, vel adesse rebus dicitur. Quippe cum creatis omnibus secundum substantiam intime conjunctus est, et eadem substantia, alia tamen ratione, cum homine in Christo copulatus, atque consertus est, alia itidem cum beatis mentibus. Ita Spiritus sanctus οὐσιωδῶς admovere se potest, et copulari cum justis, diversis itidem modis.

Substantialiter.

X. Quod Augustinus in epistola LVIII declarat: « Fatendum est, inquit, ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam, etc. Cum igitur, qui ubique est, non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nam unde est illud, quod Heliseus poposcit, ut dupliciter in eo fieret spiritus Dei, qui erat in Helia? Et unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum? Quomodo ergo verum supra diximus, quod Deus ubique sit totus, quando in aliis est amplius, in aliis minus? Sed non est negligenter intuendum, quod diximus, in seipso esse ubique totum. Non ergo in eis, quia alii plus eum capiunt, alii minus. » Neque sic existimandum est, diversos illos inæqualesque modos, meras esse, ac magis, aut minus excellentes efficientias, sine nova aliqua substantiæ dissimilique præsentia. Siquidem diversas esse constat, ac substantivas omnes ἐνυπάρξεις, vel συνυπάρξεις, quod Latine diceremus *inexstantias*, vel *coexstantias*, ut exempla superius allata demonstrant. Nam et Deus, ac Verbum substantivus modus est, quo cum humana in Christo natura conjungitur, nec idem est ille, quo beatorum hominum angelorumque mentibus insinuat sese, ut eas felicissimo aspectu divinitatis suæ compleat. Alius ergo, isque tum substantivus, tum in eadem specie multiplex erit modus, quo justorum animos Spiritus ille sanctificator afficit, ac velut informat, ut certi sint propterea τῆς υἱότητος, adoptionisque gradus, quos tametsi subtiliter invicem discernere, ac perfecte enarrare non possumus, non ideo negare funditus illos oportet. « Neque enim consequens est, ut quod non potest enarrari, non possit sciri. Cum ipsum Deum nullus valeat enarrare, nec impune tamen alicui liceat ignorare [4]. » Atqui varietas substantivorum modorum exstantiæ Spiritus in nobis ejusdemmodi est, qualis est ipsa Dei substantia; ut cum ex tot Scripturæ, veterumque Patrum testimoniis clarissime ac certissime comperta sit adeo, ut esse aliquam ambigi amplius nequeat; tamen qualis unaquæque sit, et in quo ab cæteris differat, nemo exploratum satis habeat.

XI. Atque ea sic disputo, tanquam Atha-

[a] ATHAN. orat. V. Ἓν γὰρ, καὶ ταὐτόν ἐστι τὸ πνεῦμα καὶ τότε, καὶ νῦν ἁγιάζον, καὶ παρακαλοῦν τοὺς δεκτικοὺς αὐτοῦ. ὡς εἷς καὶ αὐτὸς λόγος υἱὸς εἰς υἱοθεσίαν ἄγων καὶ τότε τοὺς ἀξίους, ἦσαν γὰρ καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ υἱοὶ, οὐ δι' ἄλλου, ἀλλ' ἢ διὰ τοῦ υἱοῦ τεκνοποιούμενοι.

1 *Exod.* IV, 22. — 2 *Isa.* I, 2. — 3 *Rom.* IX, 4. — 4 Fulgent. in *Resp. ad Object.* II *Arian.*

nasius adoptionem illam, quam sub lege Mosaica fuisse scribit, per Spiritus sancti substantivam præsentiam esse perfectam velit; quod tamen non diserte asserit; contrarium vero palam et perpicue tot illi defendunt Patres, quos supra percensui, nec non Athanasius[1] ipse inter illos citatus; qui Spiritum sanctum ante Christum negat hominibus esse tributum. Itaque ἐνεργείᾳ datum antiquis Spiritum sanctum illi omnes consentiunt; christianis οὐσιωδῶς, id est secundum substantiam ipsam. Ex quo etiam Athanasius videtur adoptivos filios putare, in lege veteri, sola itidem efficientia Spiritus, non substantia ipsa factos esse.

Efficientia.

Aliud est *ratione*, habere gratiam Dei, aliud esse filium adoptivum.

Non enim arbitrati sunt antiqui illi Patres, idem esse per se, ac τῇ ἐπινοίᾳ, id est *ratione*, Deo charum et acceptum esse, qui est divinæ gratiæ status; et esse Dei filium eo jure, quod Christus fidelibus suis attulit; cum ne Joannem quidem Baptistam, tantum virum, adoptionem illam, ac filii dignitatem assecutum esse Cyrillus Alexandrinus supra memoratus a nobis affirmare non dubitet; ob idque christianorum minimo, quod ad statum illum attinet, inferiorem esse censeat. Sed et Joannes Chrysostomus ambo ista distinguit, sanctitatis virtutisque statum, et adoptivorum filiorum. Nam in *Commentariis in epistolam ad Ephesios*, illa Pauli verba explicans: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*[2], scribit sic: « Etenim virtute præditos fuisse, ac credidisse, et ad Deum accessisse, erat illud quidem vocantis ipsius, sed etiam et nostrum. Hoc autem, quod accedentes tantis affecit honoribus, ut statim ab inimicitia ad adoptionem nos adduceret, immensæ revera charitatis est[a]. » Quæ verba significant, filiorum dignitatem accessionem quamdam fuisse ad illum gratiæ statum ita, ut hic gratis, ac sine nobis, in nobis factus sit, ille non sine nobis. Ambo ergo distincti sunt, ac sua quisque proprietate constat. Sed hæc alterius sunt loci; et cum de justificatione, ac gratiæ communicandæ ratione disputandum erit, uberius et ex instituto tractanda sunt.

XII. Superest e duobus, quæ proposueram, alterum, quinam substantiva illa Spiritus sancti communicatio, quam ex antiquorum Patrum decreto, ac sententia, etiam personæ ipsius videri hactenus docui, ab ea differat conjunctione cum homine Verbi Dei, atque Filii, quæ unam ex ambabus naturis personam efficit. Non est difficilis responsio, eaque ex iis conficitur, quæ identidem in superioribus capitibus adspersimus. Ostendimus enim non semel, conjunctionem illam Spiritus sancti neque φυσικὴν, neque ὑποστατικὴν esse, hoc est, neque *naturalem*, neque *personalem*; quasi una fiat ex ambobus natura, vel persona. « Non enim quia et illi per adoptionis gratiam filii Dei sunt, ait Augustinus[3], ideo quisquam illorum est unigenitus. » Neque enim ex personarum duarum copulatione unum aliquid per sese, sed κατὰ συμβεβηκὸς, potest effici, ut ex Joanne Damasceno alibi dictum est. Quocirca Deus non est proprie, ac naturaliter adoptivus Dei Filius; neque, quod multo consentaneum magis videretur, fit Spiritus sanctus, sed homo est ad quamdam divinitatis participationem suo modulo provectus. Quam idcirco Græci theologi μετοχὴν, vel μέθεξιν σχετικὴν, *participationem habitudinis*, vel *relativam* appellant; imprimisque Cyrillus Alexandrinus, cui divinitus hoc tributum videtur, ut et summam illam, atque augustissimam cum hominis natura conjunctionem divini Verbi accuratius, quam cæteri, tum animo comprehenderet, tum oratione declararet: et in posteriore ista, infinitisque minore partibus copulatione Spiritus cum sanctorum animis explicanda, pari mentis, ac styli facultate regnaret. Quare paucas ex eo delibatas sententias proferam, ex quibus utriusque discrimen eniteat.

In quo differat hæc unio substantialis S. Spiritus ab unione hypostatica Verbi.

Per accidens.

In dialogo primo *de Trinitate*, « Verbum Deum factum esse carnem, id est hominem ait; et non in homine fuisse, ut est in sanctis, in quibus participatione quadam habitat, quæ fit per Spiritum sanctum[b]. »

Unio hypostatica obiter illustratur.

Et in dialoguo septimo, « Reformamur, inquit, in effigiem, quæ est ad Spiritum sanctum, sive ad Deum, per fidem, et sanctificationem, et habitudinem ad ipsum, nimirum per participationem, et adventitie, tametsi divinæ naturæ participes appellemur. » Item, « Vocamur, inquit, propterea dii, utpote

[a] Chrys. hom. I, *in* I *ad Eph.* Τὸ γὰρ ἐναρέτους γενέσθαι, καὶ πιστεῦσαι, καὶ προσελθεῖν, καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἦν τοῦ καλέσαντος, πλὴν ἀλλὰ καὶ ἡμέτερον. τὸ δὲ προσελθόντας τοσούτων ἀξιῶσαι τιμῶν, ὥστε εὐθέως ἀπὸ ἔχθρας εἰς υἱοθεσίαν ἀγαγεῖν ὑπερβαλλούσης ὄντως ἀγάπης.

[b] Cyril. dial. I *de Trin.* Ὅτε θεὸς ὢν ὁ λόγος γέγονε σὰρξ, κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ γέγονε, καθὰ καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις, οἷς καθὰ μέθεξιν ἐναυλίζεται τῆς διά γε, φημὶ, τοῦ ἁγίου πνεύματος.

1 Athan. orat, II. — 2 *Eph.* I, IV. — 3 Aug. in *Psal.* LXXII.

divinæ et ineffabilis naturæ, propter affinitatem cum Spiritu ipso, participes[a].» In his tria sunt observanda nomina, quibus nostra cum Spiritu sancto conjunctio, tametsi substantiva est, ut ibidem Cyrillus ostendit, longe tamen est minor illa, qua duæ in Christo naturæ junguntur. Primum κατὰ μέθεξιν, id est *participatione* sola dii sumus, quasi particula quadam divinitatis aspersi, non ut Christus : *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*[b]: Tum Joannes Baptista de Christo: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater dedit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Hæc opposita sunt τῇ μετοχῇ, vel μεθέξει.

XIII. Itaque homo in Christo divinitatem ipsam, adeoque Spiritum, et fontem ipsum sanctitatis in solidum possedit, utpote qui Deus ipse sit factus eodem, quo cœpit esse, momento. Alterum nomen est σχέσις, quæ *relationem* et *habitudinem*, vel *respectum* significat. Homines ergo sancti, et adoptivi Dei filii, non ipsi proprie, ac φύσει sunt dii, sed κατὰ σχέσιν, quia non est illorum propria divinitas; alioqui non dii, sed Deus appellarentur. Quippe nonnisi unus est, qui vere, et proprie dicitur Deus. At illi non absolute hoc nomen
Relative. usurpant, sed quadamtenus, et σχετικῶς, propter quamdam habitudinem, et rationem, utputa templi, vel domus ad habitantem. Sed neque Spiritus sancti vocantur, hoc est πνεύματα, sed πνευματικοὶ, id est *spiritales*; Christus
Deus. vero non θεῖος, id est *divinus*, appellatur, sed θεός.

Non potest σχέσις illa, et *habitudo*, qua cum Spiritu sancto conjuncti sunt sancti, pulchrius enarrari, quam a Basilio factum est in capite vigesimo sexto libri *de Spiritu sancto;* ubi varios modos explicat, quibus in nobis inesse Spiritus sanctus dicitur. Nempe uti forma in materia, quæ nos πνευματικοὺς, id est *spiritales* communicatione sui efficit; tum ut vis, aut facultas in eo, quod illam recipit, quemadmodum visus in oculo; aut ut ars inest in artifice; vel ut qualitas aliqua in re subjecta, sanitas, exempli gratia, vel calor in corpore; ut in anima *ratio,* sive potius *verbum,* id est λόγος, tam interior, quam ore prolatus sermo; ut totum in partibus, quia per Spiritum sanctum membra invicem sumus; denique velut locus sanctorum; unde in *Psalmo* CXXX : *Esto mihi*, inquit, *in locum refugii.* Hæc cum Basilius eleganter non minus, quam pie disserit, tum illa persuadet, quæ superius magno auctoritatis pondere pervicimus: ipsummet applicari justorum animis Spiritum sanctum, et
οὐσιωδῶς in illis habitare; tum, quod hic quæ- Substantialiter.
rimus, σχέσιν illam aperit, et σχετικὴν ἐνύπαρξιν, Habitudinem.
hoc est *relativam exstantiam* in adoptivis filiis Spiritus sancti. Nam materia, verbi causa, quæ formæ subjicitur, et afficitur ab ea, non est ipsa forma, sed eam habet, unde σχέσις oritur. Ita sancti habitantem in se Spiritum sanctum habent, veluti formam, qua spiritales fiunt, sed non sunt spiritus. At homo in Christo, si accurate proprieque loquimur, Deum non habet in sese, sed Deus est. Itaque non σχετικῶς, sed οὐσιωδῶς Deus esse dicitur. Similiter oculus non est visus ipse; neque anima est ars, sed habet artem; quod idem de cæteris intelligi oportet, unde Basilius exempla transtulit, quæ habentur, possidentur, afficiuntque subjecta; non autem hæc illa esse dicuntur.

XIV. Tertium vocabulum est συνάφεια, quam *contactum*, *cohærentiam*, *contiguitatem* nominare possumus, hoc est integræ ac per se consistentis rei cum re simili copulationem ita, ut neutra in alterius naturalem conditionem transeat. Ut cum matrimonio inter se junguntur vir et femina, non fit aut vir femina, aut ista vir, sed affinitas duntaxat inter ambos intercedit, quam et συνάφεια significat. Hoc est σχετικῶς invicem conjungi. Quo genere nexus, ac vinculi, cum duas in Christo naturas committi impius putaret Nestorius, dixit eas κατὰ συνάφειαν unum fieri; quod in *Anathematismo* tertio damnavit Cyrillus, eique σύνοδον καθ' ἕνωσιν φυσικὴν opposuit, *concursum secundum naturalem unitatem,* vel *unitionem.* Et in libro secundo contra eumdem hæreticum, συνάφειαν σχετικὴν, *relativam cohærentiam* ab eodem constitutam hæretico refellit; ac passim illa nomina, συνάφειαν, σχετικὴν ἕνωσιν, σχέσιν et hujusmodi cætera, quæ Nestorius assumebat, ab mysterio Dominicæ Incarnationis excludit. De quibus non est disputandi modo pressius locus; qui tunc erit, cum ad Incarnationem ventum fuerit.

a CYRIL. Ἀναπλαττόμεθα γὰρ εἰς εἰκονισμὸν τὸν πρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἤτοι πρὸς τὸν θεὸν, διὰ πίστεως, καὶ ἁγιασμοῦ, καὶ τῆς πρὸς αὐτὸ σχέσεως· δῆλον δὲ ὅτι τῆς κατὰ μέθεξιν, καὶ εἰσκεκριμένως· εἰ καὶ θείας φύσεως ὠνομάσμεθα κοινωνοί. MOX : Κεκλήμεθα δὲ δι' αὐτὸ καὶ θεοὶ, ἅτε δὴ τῇ θείᾳ τε, καὶ ἀποῤῥήτῳ φύσει τῇ πρὸς αὐτὸ συναφείᾳ κεκοινωνηκότες.

b Col. II, 9. Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

Rursus in dialogo septimo *de Trinitate* Cyrillus negat Spiritum sanctum μέτοχον, id est *participem* esse Filii, aut σχετικῶς ἅγιον esse, quod est *quadam habitudine sanctificari,* quem locum superiori libro descripsimus[1].

At vero nos ipsos non alio modo, quam per Spiritum divinæ fieri naturæ participes affirmat libro decimo *in Joannem:* « Non enim, inquit, Dei, qui secundum naturam est, particeps esse per alterum potest quispiam, nisi per Spiritum[a]. »

Euthymius in *Panoplia* varios modos τῆς ἑνώσεως recensens, hoc est unionis, quam definit « concursum rerum dissitarum, quo inter se sociantur[b]; » atque inter alios unum recenset, qui est κατὰ σχέσιν, ut « cum amici, vel animi in unam voluntatem coeunt[c]; » tum alterum, qui est καθ' ὑπόστασιν, « qui de sola in Christo divina, humanaque natura dicitur. Hujus vero primus dogma constituit sanctus Cyrillus. Nam cum Nestorius secundum habitudinem factam esse duarum in Christo naturarum unionem doceret, ipse tali obsistens blasphemiæ, eam quæ secundum hypostasim dicitur, invexit, quæ hoc significat, in una hypostasi, hoc est, in unam personam unitas esse. Proinde unam habuisse personam naturas ambas, non duas personas, ut delirus aiebat Nestorius[d].» Longe itaque abest illa ex veterum opinione Spiritus sancti cum justis, ac Dei filiis conjunctio, ab ea qua Verbum cum humana Christi natura copulatur in eamdem hypostasim, sive personam. Vide Photium in dissertatione quadam *de Dei immensitate*[2].

Relativum. — *Personalem*

Denique Fulgentius in *Responsione ad tertiam Ferrandi quæstionem*, Christi animam demonstrat non ad mensuram accepisse Spiritum Dei, sed omnes in ea *thesauros* inesse *sapientiæ, et scientiæ absconditos*[3]; et eo usque progreditur, ut plenam ei tribuat « divinitatis immensæ notitiam. Tota enim plenitudo datur, ubi spiritus non ad mensuram datur. Non autem plenitudinem, sed *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* » Ac demum colligit, si non plenam habeat anima illa divinitatis suæ notitiam, « participium ergo habere, non ipsam esse Christum; » ubi participium est μετοχή, sive μέθεξις illa Cyrilli, quam et σχέσιν, et σχετικὴν μετάληψιν appellat. De qua Fulgentii opinione partim egimus, cum de Dei comprehensione quæsivimus, partim in Incarnationis tradendo mysterio rursus agemus.

CAPUT VIII.

Explicantur vocabula quædam, ac loquendi formulæ, quæ in explicando Trinitatis dogmate usurpari solent, quæ ambiguitatis aliquid afferre possunt, ac primum illa, quæ ad unitatem spectant. De uno, et unitate. *Trinitatem recte dici unum Deum, contra Calvinum ostenditur. Quid differant,* unus, *et* unum. *Prius nomen ad personam, posterius ad naturam accommodari. Quid sit unio, quatenus singularitatem significat; utrumque nomen arcere quosdam a Trinitate. Qua ratione Arius* μονάδα, *id est* unitatem *essentia divisisse Sabellium scripsit. Probatur adversus Lutherum, et Calvinum ista locutio,* Sancta Trinitas unus Deus. *Solvuntur Lamberti Danæi Calvinistæ argumenta, quibus illam impugnat.*

I. Cum haud minima pars obscuritatis, quam in intelligendo sanctissimæ Trinitatis mysterio, enarrandoque patimur, in quarumdam usu vocum, et notione sita sit, visum est non abs re fore, si sub finem disputationis de eo nostræ certorum nominum proprietates explicemus, quæ τὰ συνέχοντα τοῦ δόγματος, id est, *summam dogmatis illius continentia* dici possunt. Quæ quidem ad duo capita referri debent, quæ in hac tractatione tota dominantur, ἕνωσιν, καὶ διαίρεσιν, *unitatem*, sive *unionem*, aut, si ita fas sit loqui, *unitionem*, et *distinctionem.* Hæc duo complexus est Leo papa[4], cum de illius mysterii intellectu, et enarra-

a Cyril. X *in Joan.* Οὐ γὰρ ἂν γένοιτό τις θεοῦ τοῦ κατὰ φύσιν μέτοχος δι' ἑτέρου, εἰ μὴ διὰ τοῦ πνεύματος.

b Euthym. par. I, tit. VII. Ἑνωσίς ἐστι διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή.

c Ibidem. Ἡ κατὰ σχέσιν, ὡς ἐπὶ φίλων, καὶ γνωμῶν εἰς ἓν θέλημα συνερχομένων.

d Ibib. Ἡ δὲ καθ' ὑπόστασιν ἐπὶ μόνης λέγεται τῆς ἐν Χριστῷ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος, ἐδογμάτισε δὲ πρῶτος ταύτην ὁ ἐν ἁγίοις Κύριλλος. Νεστορίου γὰρ κατὰ σχέσιν γενέσθαι τὴν ἕνωσιν τῶν ἐν Χριστῷ δύο φύσεων διδάσκοντος, αὐτὸς τῇ τοιαύτῃ βλασφημίᾳ ἀντικαθιστάμενος· τὴν καθ' ὑπόστασιν εἰσήγαγε, δηλοῦσαν ὅτι κατὰ μίαν ὑπόστασιν, ἤγουν εἰς ἓν πρόσωπον, ἡνώθησαν. ἓν πρόσωπον ἔσχον αἱ δύο φύσεις, καὶ οὐ δύο κατὰ τὸν λῆρον Νεστόριον.

1 Cap. xiii, n. 10. — 2 Tom. V *Antiq. Lect.* can. 190. — 3 *Col.*, ii, 3. — 4 In tract. *adversus Eutych. et al. hær.*

tione agit, his verbis: « Bene ergo ipsa difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, et per infirmitatem nostram cœlestis doctrina nos adjuvat; ut quia in deitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nec singularitas est, nec diversitas cogitanda, vera unitas, et vera Trinitas possit quidem mente simul sentiri, sed non possit simul ore proferri. » Sic voces aliæ significandæ unitati naturæ sunt attributæ, aliæ personarum differentiam sequuntur. Et quamvis amborum generum propria sparsim his in libris, prout quæque quæstio ferebat, enucleatæ sint; tamen et nonnullæ fortassis omissæ sunt, quamlibet paucæ, et sunt aliquæ, quarum proderit hic iterum repetita tractatio.

De vocibus *unius* et *unitatis*.

II. Prima igitur occurrit vox ipsamet *unius*, et *unitatis*, qua unus Deus, et una trium natura, sive essentia dicitur. « Tres enim ait Augustinus[1] personas tenemus, et credimus, id est Patrem, et Filium et Spiritum sanctum unius potentiæ, unius substantiæ, unius æternitatis, unius voluntatis, unius etiam deitatis, et totam Trinitatem Dei appellatione veneramur. » Recte itaque Trinitas unus Deus; sive Pater, Filius, et Spiritus sanctus unus Deus esse dicitur. Quod Luthero, Calvino, et similibus displicuit. Sed modus iste loquendi ab omni catholica vetustate sancitus, merito quotidiano fidelium usu teritur. Cujus aliquot ex antiquis testimonia repetam. Athanasius Spiritum sanctum non esse creaturam probat; « quia si talis esset, non adjungeretur Trinitati. Tota enim hæc unus est Deus[a]. » Augustinus multis in locis idem usurpat, ut in XI *de Civitate Dei*[2], « Et hæc Trinitas unus est Deus; nec ideo non simplex, quia Trinitas.» Et alibi[3], « Ipsa Trinitas unus Deus solus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » Et, « Ipsa Trinitas, quantum ab homine potest fide præcedente, intelligitur unus Dominus Deus noster, » etc. Et initio primi libri *de Trinitate*, « Omnes, quos legere, inquit, potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus. » Item alibi[4], « Unus est Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas. » Et, « Secundum fidem autem rectam quicumque ipsam Trinitatem unum Dominum Deum esse nostrum didicimus. » Et, « In Trinitate ergo, quæ Deus est, » etc. Et capite XXIII ejusdem tertii libri *contra Maximinum*, « Trinitas quippe secundum veram fidem, id est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, in cujus nomine baptizamur, et unus Dominus Deus noster est, et præter ipsum alius non est. » Et in quinto *de Trinitate*[5], « Trinitas unus est Deus. » Tum in libro *de Fide et Symbolo*, cap. IX: « Ista Trinitas unus est Deus. »

Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*[6] ait, « Sanctam atque ineffabilem Trinitatem, unum esse naturaliter Deum. » Et capite tertio, « Trinitatem vocat Deum. » Et, « Trinitas, quæ unus est Deus. » Tum capite XLVIII: « Ipsam Trinitatem esse unum, solum, verum, æternum, atque incommutabilem Deum. » Et in secundo *ad Trasimundum*[7], « Quæ cordis sagacitas illius essentiæ, id est Trinitatis, quæ unus, verus, et solus Deus est, contingeret arcanum ? » Item in libro *de Fide ad Donatum* capite secundo, « Ipsa Trinitas, inquit, unus Deus veraciter a fidelibus prædicatur.» Itaque recte Toletana synodus undecima in *Professione fidei,* postquam dixit, « Sanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, » addit : « Non recte dici posse, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. »

III. Perinde sentiunt, ac loquuntur, qui Trinitatem dicunt esse unam divinitatem, et essentiam, aut aliud simile, quod commune personis est tribus. Ut Epiphanius, « Trinitas, inquit, perpetuo Trinitas fuit, nec accessionem ullam unquam recipit, cum una sit deitas, una dominatio, una glorificatio[b]. » Et alibi : « Trinitas hæc sancta vocatur, quæ sunt tria, una consensio, una deitas[c]. »

Augustinus quoque in epistola CCXXII docet ita esse unius substantiæ Trinitatem, « ut ipsa essentia non aliud sit, quam ipsa Trinitas. » Quare idem est Trinitatem dicere, atque unum Deum. Nam Trinitas non aliud est, quam tres personæ, sive quam Pater, Filius, et Spiritus sanctus, qui sunt unus Deus. « Trinitas numerata, inquit Epiphanius, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus[d]. »

a ATHAN. in epist. *ad Serap.* Εἰ γὰρ κτίσμα ἦν, οὐ συνετάσσετο τῇ τριάδι. ὅλη γὰρ εἷς θεός ἐστι.

b EPIPH. hær. LXII, § 3. Ἀλλ' ἀεὶ μὲν ἦν τριὰς τριὰς, καὶ οὐδέποτε ἡ τριὰς προσθήκην λαμβάνει, μία οὖσα θεότης, μία κυριότης, μία δοξολογία οὖσα.

c Idem, hær. LXXIV, § 4. Τριὰς αὕτη ἁγία καλεῖται τρία ὄντα, μία συμφωνία, μία θεότης.

d EPIPH. hær. LXII, § 3. Τριὰς ἀριθμουμένη, πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

1 Aug. serm. II, append. Sirm.— 2 Cap. X.— 3 Epist. LXVI.— 4 Lib. III *cont. Max.* cap. X.— 5 Cap. VIII.— 6 Cap. I.— 7 Cap. I.

Eodem quoque relabitur, quod antiquitatis usu contritum est, *Unum est Trinitas.* Siquidem *unum* in genere neutro, idem est ac *Deus unus*, vel *una substantia*, aut *divinitas una.* Sic « tres unum sunt, » dixit Cyprianus[1]. Ambrosius[2] item, « Ex quo ergo, et qui ex eo, et quo se diligunt ipsa duo, tria sunt; et illa tria ideo unum, quia sic sunt ex uno illa duo, ut tamen ab eo non sint separata; sed ex ipso sunt, quia non a se; et in ipso, quia non separata; et ipsum ipsa, quod ipse; et ipsum ipse, quod ipsa; et non ipsum ipsa, qui ipse; et non ipsa ipse, quæ ipsa. Ista duo Deus est, et ipse Deus tria est, et unumquodque horum trium Deus est; et omnia illa tria non dii, sed Deus est. » Sic Hilarius in libro septimo, « Ita in Deo Patre, et in Deo Filio neque duos connumerabis deos, quia unum uterque sunt; neque singularem prædicabis, quia unus uterque sunt, etc. In unius itaque confessione non unus est, dum et Patrem consummat Filius, et Filii ex Patre nativitas est. Non demutatur autem per nativitatem natura, ne secundum similitudinem generis sui eadem sit. Eadem autem ita est, ut per nativitatem, et generatione uterque potius unum confitendus sit esse, non unus. » Et paulo post, « Atque ita in hac perfectæ nativitatis beatissima fide, vitium omne et duum deorum, et Dei singularis extinguitur; cum qui unum sunt, non sit unus, et qui non unus est, non tamen ab eo, qui est, ita ex aliquo differat, ut uterque non unum sint. »

IV. Augustinus[3] in primo *contra Maximinum*, « Pater, inquit, et Filius, et Spiritus sanctus unum, propter individuam, eamdemque naturam. Aliud est enim, unum sunt, aliud unus est. Quando dicitur, unum sunt, et si non dicatur, quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur unus est, de duabus diversisque substantiis, necesse est, ut quæratur, quid unus. » De quo et in tertio libro pluribus agit[4], et in libro *contra Sermonem Arianorum*.

Rusticus Diaconus libro *contra Acephalos*, « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, inquit, unum quidem sunt, quia una eorum natura est; unus autem non sunt, quia tres personæ sunt. » Tum de Christo, « Unus est, ait, quia una persona est, non unum vero, quia non una natura. » Et ante omnes illos Tertullianus, vim duarum vocum istarum *unus*, et *unum* diligenter expendit[5]. « Unus, inquit, singularis numeri significatio videtur, etc. Unum dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, etc. » Sic Gregorius Nazianzenus, « Tria unum sunt divinitate, inquit, et unum tria proprietatibus[a]. » Et alibi, « Tria illa non unum esse aliquem asserit. Non enim subsistentia carent, etc., sed tria sunt unum[b]. » Item « Unum sunt tria, et idem divinitate[c]. » Ejusdem insuper illud est a Græcis sæpe citatum, « Unum tria, et tria unum; in quibus Deitas, vel, ut exactius dicam, quæ tria Deitas[d]. »

Cæterum cum in *Soliloquiorum* libro primo dixisset Augustinus[6], « Qui gignit, et quem gignit, unum est; » id postea retractans[7], « dicendum, inquit, fuit, unum sunt, sicut aperte ipsa veritas loquitur dicens, *Ego et Pater unum sumus*[8]. » Quod quidem Græci, Latinique Patres alii frequenter inculcant, ut suo loco notavimus[9].

Quocirca vocabulum *unius*, cum masculino genere ponitur, ut *unus* dicatur, *singularitatem* significat non naturæ, sed personæ. Nec illi substantivum nomen *Deus* respondet, nisi exprimatur. Ut cum dicitur, « Trinitatem non tres deos, sed unum esse Deum[10]. » Nam si diceretur, *Trinitas est unus* non jam *Deus* intelligeretur, sed una persona; quod proinde usurpare non licet, est enim Sabellianum, et hæreticum. Ita cum dicimus, *Christus est unus*, non natura, (sunt enim duæ) sed persona subauditur. At cum *unum* dicimus, naturam significamus, non personam. Itaque *Trinitas est unum*, sive, *Tres unum sunt* dicimus, non autem *Christus est unum*.

Quid significent *unum* et *unus*.

V. Ac non *unum* tantummodo, vel *unus Deus* appellatur Trinitas, sed etiam *unitas* vocatur. Non sic tamen, ut *Trinitas* nominata

a Nazianz. orat. xxxvii. Ἓν τὰ τρία θεότητι, καὶ τὸ ἓν τρία ταῖς ἰδιότησι.

b Idem, orat. xii. Οὔτε τὰ τρία ὡς ἕνα. οὐ γὰρ ἀνυπόστατα, etc. Καὶ τὰ τρία ἕν.

c Idem, orat xli. Ἓν γὰρ τὰ τρία, καὶ ταὐτὸν τῇ θεότητι.

d Idem cit. a Demet. lib. *de Process. Sp. sancti.* Ἓν τὰ τρία, καὶ τὰ τρία ἕν, ἐν οἷς ἡ θεότης, ἤ, τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης.

1 Ep. lxxiii. — 2 Lib. *de Dig. cond. hum.* cap. ii. — 3 Tom. vi. — 4 Cap. xx et xxii. — 5 Lib. *contra Prax.* cap. xxii. — 6 Cap. i, tom. I. — 7 Lib. I, *Retr.* cap. iv. — 8 *Joan.* x, 30. — 9 Vide lib. II. — 10 Aug. I *de Trin.* cap. xi.

videatur, quasi *Triunitas*, ut Isidorus Hispalensis putat[1]. Qui hoc recte scripsit: « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus Trinitas, et unitas. Idem enim unum, et idem tria. » Porro *unitatem* potius, quam *unionem* dici nonnulli Patres asserunt, uti synodus Parisiensis, quam supra commemoravimus. Et Hilarius libro septimo *de Trinitate*[2], « Æqualitas vero nunquam ibi esse credetur, inquit, ubi unio est; nec tamen illic reperietur, ubi differat. Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem, quia omnis æqualitas nec diversa, nec sola sit. » Et in primo libro *ad Constantium*, « Numquid et hoc, quod unum sumus, in quo neque unio, neque diversitas relinquebatur ? » Ac paulo post, « Mihi quidem similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est. » Ubi *unio* idem est, ac *singularitas* personæ, quemadmodum in septimo libro demonstrat, cum illa eadem Christi verba explicat, *Ego et Pater unum sumus*[3]. Nam *ego et Pater*, inquit, rerum nomina sunt; *unum* vero, naturæ professio est, quia in eo, quod est, uterque non differat. *Sumus* autem, non patitur unionem, et ubi, quod sumus, unio est, unum eos efficit esse nativitas[4]. « Cui consentit et Maximus Taurinensis[5]. « Qui et unum dicit, et sumus, inquit, nec separatione se dividit, nec unione confundit. » Ita Vigilius[6] : « Nestorius, inquit, proprietatem attendendo naturarum, a personæ excidit unione, et duos putavit Christos. »

VI. Sane Hilarius[7], quam Arius, ejusque socii μονάδα vocant in libello quem Alexandro episcopo Alexandrino obtulerunt, *unionem* vertit: Nec sicut Sabellius, qui unionem dividens, ipsum dixit Filium, quem et Patrem[a].» Et mox, « Sed sicut unio est principium omnium, sic et Deus ante omnia est[b]. » De μονάδι divinæ naturæ dixi supra[8], et in libro secundo de Deo[9], unde nonnulla peti possunt, quæ huic loco congruunt.

Ambrosius in libro quinto *de Fide*[10], «Evidens est igitur, inquit, quia, quod unius est substantiæ, separari non potest, etiam si non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græce μονότης dicitur Singularitas ad personas pertinet, unitas ad naturam. » Ita singulare dicitur id, quod ita est unum, ut commune pluribus esse nequeat, ut est hypostasis, sive persona aliqua. Hinc Leo papa[11], « In deitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nec singularitas est, nec diversitas cogitanda. » De quo vide, quæ in quarto libro scripsi[12]; et Ottonem Frisingensem libro primo *De gestis Friderici*, capite LII, cum de causa Gilberti Porretani agit, ubi ex Hilarii libro *de Synodis* ista refert : « Sicut duos Deos dicere profanum est; ita singularem, et solitarium dicere, sacrilegium est. » Hoc igitur est *unio* eidem Hilario. Quam vocem interdum pro conjunctione, sive *unitione*, si ita loqui fas sit, usurpant; ut Hieronymus in Latina versione epistolæ secundæ Paschalis Theophili Alexandrini[13], « Unio, inquit, Patris, et Filii nunquam dividetur in partes. » Quæ est ἕνωσις; quem et Joannes Damascenus adhibuit, cum scripsit, « non divisas esse subsistentias, sed unitas[c]. » At Bernardus[14], *unum* mavult dici, quam *unitum*.

VII. Ex iis intelligi potest, quo sensu Arius in epistola sua posuit, Sabellium μονάδα, sive *unionem* divinitatis divisisse. Quod mirum videri potest, cum potius illam cum maxime stabilivisse videatur; sed callide in Arium scripsisse dubitandum non est. Qui cum divinitatem perfectam esse μονάδα sentiret, ea vocabuli notione, qua *singularitatem*, et illam Hilarii *unionem* significat, quæ communicationem omnem respuit; (nec enim a Patre gigni Filium, et eamdem illi communicari substantiam putabat Arius, ex quo nec ὁμοούσιον, sed ἑτεροούσιον esse dicebat;) ob hanc itaque causam et ἀκριβῆ μονάδα, id est exactam, et singularem, et incommunicabilem aiebat esse divinam, soliusque Patris propriam naturam; et Sabellium arguebat, quod eam divisisset, quatenus diversas personas, id est qualitates, et functiones eamdem hypostasim obiisse censebat, ut idem et unus, modo pro Patre, modo pro Filio se gesserit. Hanc quippe προσώπου, et *personæ* significationem esse diximus in quarto libro[15]. Quamvis enim individuam reipsa sub- *Non ejusdem sed alterius substantiæ.*

a EPIPHAN. hær. LXIX, § 7. Οὐδ' ὡς Σαβέλλιος ὁ τὴν μονάδα διαιρῶν υἱοπάτορα εἶπεν.

b Ibid. § 8. Ἀλλ' ὡς μονὰς καὶ ἀρχὴ τῶν πάντων, οὕτως ὁ θεὸς πρὸ πάντων ἐστί.

c DAMASC. orat. III *de Imag.* Οὐ διῃρημέναις ὑποστάσεσιν, ἀλλ' ἡνωμέναις.

1 Lib. VII. *Orig.* cap. IV. — 2 Vide lib. cap. VI, § 16 et seq. — 3 *Joan.* X, — 4 Hil. lib. — 5 Hom. I *de S. Euseb. Verc.* — 6 Vig. II *cont. Eut.* tom. IV *Bibl. PP.* col. 501. — 7 Hilar. lib. VI. — 8 Lib. IV, cap. XIII, § 8. — 9 Cap, VIII, § 18. — 10 Cap. I, to IV col. 86. — 11 In Tract. *cont. Eut.* etc. — 12 Cap. XIV, § 11. — 13 Tom. III *Biblioth. Patrum*, col. 96. — 14 Lib. V *de Conf.* cap. VII. — 15 Cap. IV.

stantiam esse vellet; tamen eo ipso quod, qui Filius in Scriptura vocatur, huic eamdem accommodabat divinitatem, qua Pater censetur, ideo hanc ab illo dividi jactabat.

Cæterum etsi μονάδα, quam *unionem*, id est *singularitatem* a Patribus Latinis appellari dixi, nonnulli horum a divina natura removeant, ne personam, ut et essentiam, unicam esse in Deo videantur adstruere; complures tamen adsciscunt, ac divinitatem μονάδα esse, id est *unitatem*, eamque perfectissimam, qualis est numerica, defendunt; uti quarto libro docui[1], necnon in secundo primi tomi[2]. Hoc modo una individua, et singularis Dei natura nominari potest, exclusa scilicet naturarum multitudine, non personarum.

[Sa]ncta Trinitas [u]nus Deus [no]n placet Calvino.

VIII. Qua ex eadem perfectissima unitate manavit, ut illæ ipsæ personæ re ab invicem, et exquisitissimo differentiæ genere distinctæ, *unum* esse dicantur, necnon *unus Deus*, ut et *Trinitas unus Deus*. Cui loquendi formulæ nequicquam obtrectare dixi Calvinum, et Lutherum, atque horum discipulos; quibus et illa Trinitatis, tanquam Dei unius, invocatio non placet, qua dicitur, « Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis. » De qua ita Calvinus[3]: « Precatio vulgo trita est: Sancta Trinitas unus Deus miserere nostri; mihi non placet, ac omnino barbariem sapit. » Huic placeat, necne, non multum interest, Probam quidem ac legitimam esse locutionem hanc, qua Trinitas *unus Deus* dicitur, vetustatis usus arguit, aliquot supra comprobatus exemplis, et pluribus, si opus esset, ac nisi passim occurrerent, facile probandus. Quod autem ad preces invocationesque pertinet, quæ ad sanctissimam Trinitatem, velut unum Deum, diriguntur, non minus huic antiquorum suffragatur auctoritas. De qua nihil hic præcipue dicam, cum hunc locum Genebrardus olim erudite tractaverit in primo libro *de Trinitate*, et Bellarminus[4].

Contra Calvinum ostenditur recte Deum dici unum.

Ac cum inter Christianos sine ulla controversia constet, personas tres, Patrem et Filium, ac Spiritum sanctum, unum esse Deum, causæ nihil est, cur uti tres unus Deus sunt, non item ternarius ille sit unus Deus, hoc est τριάς. Nam *Trinitas* idem est, ac τριάς, qui est *ternarius;* et hæc aliud sunt nihil, quam *tres*, sive *tria*. Quare cum ita dicitur, *Trinitas est Deus*, nihil aliud est, quam tres personæ sunt Deus, vel convertendo, *Deus est Trinitas*, idem quod *Deus est personæ tres*, sive *Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* Nam *hi tres unum sunt*[5], hoc est *unus Deus*. Siquidem *unum* in genere neutro, *essentiam*, et τὸ τί ἦν εἶναι significat. Unde *hi tres*, quod idem est, atque *hic Ternarius*, vel *Trinitas*, *unum sunt*, idem est, atque *unus sunt Deus;* sive *hic ternarius*, vel *hæc Trinitas unus est Deus*. Est enim τριὰς illa *personarum* una essentia constantium, non autem naturarum.

Theologastri Danæi garrulitas.

IX. Ex quo liquet futilem esse Calvini sententiam, et stolide temerariam, qui *Trinitatem unum Deum* appellari non patitur. At quibus tandem argumentis novitas ista fulcitur? Lambertus Danæus Genevensis minister in *Responsione ad Genebrardum* nonnulla profert, quæ ad hoc proponenda, refellendaque sunt, ut et vocabuli *Trinitatis* vis illustretur magis, et improba Theologastri istius, ac similium garrulitas pœnas det solidæ catholicæque theologiæ. Primum ergo[6], « minime commodam hanc esse locutionem inde concludit, quod sit periculum, ne ipsa divinarum ὑποστάσεων, et personarum essentia putetur appellari Trinitas, quasi triplicem Dei essentiam constituant, qui sic loquuntur. » Atqui nihilo majus est periculum, quam cum ita loquimur, *Tres sunt unus Deus*, sive *Tria sunt unum*, sive denique, *Unus Deus est Pater, Filius et Spiritus sanctus;* ne unus ille Deus, triplex habeatur, aut essentia itidem triplex. Quod sane periculum est, cum apud ethnicos duntaxat, aut imperitos hoc mysterium exponitur, quocumque tandem modo, ac quibuscumque id verbis explicatur; quippe quod naturæ sensum omnem, et humani vim ingenii admirabilitate superat, nec habet in rebus creatis, ac mentis solertia comprehensis simile quidquam. Quamobrem, ut ab omni parte tuta, et munita sit illius professio, variis de eo, ac multiplicibus enuntiatis catholicæ doctrinæ consulitur; quorum alia naturæ unitati declarandæ serviunt, alia proprietatum, ac personarum differentiam continent. Ita fit, ut adversus errores illos, qui ex alterutro genere, cum separatim ponitur, obrepere possunt, ex altero remedia capiantur. Quod non solum faciendum admonet, sed faciunt ipsi quoque Græci omnes Latinique theologi, quorum testimoniis nostrum hoc opus instruximus.

X. Altera Danæi ratio tantumdem valet, « Ne præter divinam illam, inquit, essentiam, quæ una est, quiddam præterea aliud, ac secundum in tribus personis essentiale sta-

1 Cap. XIII. — 2 Cap. VIII. — 3 Id ep. *ad Pol. theol.* — 4 Lib. I *de Chris.* cap. XVII. — 5 I *Joan.* V, 7. — 6 Lamb. Dan.

tuere Christiani videantur, quod Trinitatem appellant, et sic Trinitas sit secunda quædam essentia præter illam deitatem, quæ trium personarum communis est. Nihil enim Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, præter simplicissimam illam deitatem, essentialiter commune habent. » Sed nullus inde metus est, si cautiones adhibentur illæ, quas dixi. Nec propterea commune aliud, præter divinitatem, personis tribus videri potest. Posset autem, si ita quispiam diceret, *Pater est Trinitas; Filius est Trinitas; Spiritus sanctus est Trinitas;* aut contra, *Trinitas est Pater; Trinitas est Filius: Trinitas est Spiritus sanctus.* Tunc enim tribus commune censeretur aliquid præter essentiam, nempe proprietates tres; quia Trinitas proprie personarum est. Verum falsæ ac ridiculæ sunt propositiones ita conceptæ. Cum autem pronuntiatur hoc modo, *Trinitas est Deus*, nihil affirmatur amplius, quam commune, ac legitimum istud, *Tres personæ sunt unus Deus;* quandoquidem, cum *Trinitas* nominatur, subaudienda vox est *personarum.* Ac postremo commune nihil personis tribus existimari debet, nisi quod non solum de tribus simul sumptis, sed etiam de singulis seorsim dicitur; cujusmodi sunt illa duntaxat, quæ absoluta et οὐσιώδη vocantur; non autem Trinitas ita dicitur, ut Hugo Victorinus[1] et Lombardus[2] observant. Tertium illud objicit Danæus, « Manifesto barbarismo, et periculosa obscuritate non carere locutiones eas, in quibus abstracta pro concretis usurpantur; veluti barbare dicitur, humanitas sedet, pro homo sedet; albedo currit, pro albus homo currit; Deitas in Christo passa, pro Deus passus. » Sed in eo pueriliter hallucinatur, quod Trinitatem *abstractum* esse nomen existimat. Sed non est, tametsi similitudinem ejus habet. Prorsus enim est ἡ τριὰς, quod *collectivum* nomen est, ut vocant, trium personarum, non etiam essentiarum, ut Joachimus abbas credidit. Quare non est eadem hujus ratio, quæ istarum vocum, quas ille refert, *humanitatis*, *deitatis*, et similium, Quod ex sequentibus liquidius constabit, cum Trinitatis nomen explicabitur. Hoc enim primum nobis occurrit iis ex vocabulis, quæ numerum et differentiam in divinis exprimunt; cujusmodi genus et alterum de duobus, quæ enarranda sumpsimus. Nam de unitate, qua unum tria sunt, vel unus Deus, satis arbitror esse dictum.

CAPUT IX.

De vocabulis, quæ trium personarum distinctioni explicandæ serviunt. Ac primum de nomine ipso Trinitatis. An sit collectivum. Rejicitur illa etymologia, Trinitatem dici quasi Triunitatem, vel trium unitatem. Non esse implicatam in ista voce notionem unitatis. De vocabulo Triplex, quod ab aliis respuitur. Non satis firmo argumento repudiari. Usum tamen moderari istiusmodi locutionibus. An debeant dici tres æterni, tres omnipotentes, etc. De illa locutione, Deus de Deo, *quæ ab hæreticorum calumnia defenditur. Quo sensu voluntatem de voluntate esse Filium dicat Augustinus. De vocabulis alius et aliud. Explicatur Athanasii Symbolum, quod negat dici tres æternos, tres immensos; et universe regula illius interpretandi utilissima præscribitur. Tum quatenus majorem, aut priorem Patrem Filio non esse definiat. Patrem origine priorem esse, non natura; et quid sit prius esse natura.*

I. Nominum igitur illorum, quæ διαίρεσιν, id est *distinctionem*, et numerum in res divinas invehunt, primo loco jure censetur ipsa vox *Trinitas*, quæ sono, et appellatione sua nihil nisi multitudinem indicat. Est enim Trinitas, ut antecedenti capite attigi, nihil aliud, quam quod Græce dicitur ἡ τριὰς, quod est *ternarius*, vel *ternio.* Sed femininum magis Latini consectati sunt, ut Græco nomini Latinum ipso etiam genere esset simile. Quocirca bene hoc, diligenterque notandum est *Trinitatis* vocem idem plane esse, quod Græca est ἡ τριὰς, et eamdem utrique constare rationem; unde qui Latini nominis vim, et proprietatem nosse velit, intentus esse debet in Græcum τῆς τριάδος Est autem vox ista numeralis, et collectiva. Quare *Trinitas* formæ erit ejusdem. Hinc Patrus Lombardus[3], « Præterea est, inquit, unum nomen, quod de nulla persona singillatim dicitur, sed de omnibus simul; id est *Trinitas*, quod non dicitur secundum substantiam, sed quasi collectivum pluralitatem designat personarum. » Ubi vox *quasi* idem esse debet, ac, *tanquam*, sive *utpote ;* quemadmodum apud Joannem[4], *Vidimus gloriam ejus, quasi uni-*

Explicatur vox Trinitas.

Ternio

Est numeralis et collectiva.

1 Hugo, Tract. I *Sum. Sent.* — 2 In I. dist. II.— 3 Lib. I *Sent.* dist. XXII. — 4 *Joan.* I.

geniti a Patre; ne quis στοχαστικὸν esse credat, velut non plane collectivum sit, sed ad hoc accedat, uti vulgo scholastici sentiunt. S. Thomas notavit[1], collectivum nomen duo significare, multitudinem *suppositorum*, id est subjectarum rerum, et *unitatem quamdam, scilicet ordinis alicujus*. Jam quod ad prius attinet, *Trinitatis* vocem ait cum nominibus collectivis convenire, in posteriori differre; quia in divina Trinitate, non solum est trinitas ordinis, sed etiam unitas essentiæ. Idemque alibi hanc eamdem appellationem quasi collectivam esse dicit[2]; quemadmodum et sanctus Bonaventura Magistri verbi explicans. Quem quidem ait recte non dicere collectivum esse nomen simpliciter, sed quasi collectivum, quia « sicut nomen collectivum plures simul dicit, et de nullo per se prædicatur; ita nec hoc nomen Trinitas prædicatur de aliqua personarum, et tamen omnes simul importat; » in eo tamen discrepare, « quia illa, quæ nomen collectivum colligit, habent simpliciter diversitatem, et unitatem secundum quid. » Trinitas vero neque diversitatem habet, et unitatem habet perfectissimam, ac simplicissimam.

Rejicitur etymologia Trinitatem esse *triunitatem* vel *trium unitatem*.

II. Dixi voculam istam *quasi* apud Magistrum idem esse debere, ac *tanquam*. Nam ut ex illius mente sit, præstare non possum; imo suspicor sic illam accepisse, quomodo ejus interpretes putarunt. Siquidem vocabuli Trinitatis hanc etymologiam affert postea ex Isidoro[3], *Trinitas est trium unitas;* sed non ita scripsit Isidorus, cujus verba ista sunt : « Trinitas appellatur, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Triunitas[4]. » Quæ autem Isidori verba descripsit Magister, nescio unde sumpserit, « Distinguendum est inter Trinitatem, et unitatem, » etc. Quorum similia exstant in libro primo *Differentiarum* Isidori[5], sed non sunt eadem. Ob illam itaque Isidori *Triunitatem*, sive *trium unitatem*, verisimile est, Lombardum *quasi collectivum* fecisse nomen Trinitatis. Atqui ratione caret omni etymon illud vocabuli *Trinitas;* nihiloque plausibilius est, quam si dicam, humanitas est *humana unitas;* benignitas *benigna unitas;* bonitas *bona unitas*. Redeundum igitur est ad id, quod paulo ante monstravi, Trinitatem prorsus idem esse, ac Græcam τριάδα, vel Latinum *ternionem*, aut *ternarium;* nec illo vocabulo proprie, ac per se significari unitatem naturæ, sed ex accidenti. Quippe tres personas directa notione significat, sive tres, qui unus sunt Deus, non qua unum sunt, sed qua numerabiles sunt. Porro numerabiles sunt eo ipso, « quod personarum sunt ab invicem proprietate distincti[6]. » Nam et colliguntur in numerum ut suo loco demonstravimus[7]; et « relatio, ut ait Boetius, multiplicat Trinitatem. » Unde nomen Trinitatis personas tres, non ut Deus unus sunt, sed qua relationibus invicem discretæ, hoc est personæ sunt, directe, et ut loqui solent, *formaliter* exprimit. Est enim « Trinitas, ut idem Boetius ait, in personarum pluralitate, » et ut idem initio libri *de Trinitate* scribit, « Principium pluralitatis alteritas est. Præter alteritatem enim nec pluralitas, quid sit, intelligi potest. »

Ridicula Danæi cavillatio.

III. In quo ridiculus est Lambertus Danæus, qui in libro *contra Genebrardum*[8] affirmat, eum, « qui Trinitatem unum Deum appellat, perinde loqui, atque si ipsam personarum relationem essentiam ipsam divinam esse diceret, vel certe eam cum essentia personarum confunderet. » Perinde homo iste loquitur, ac si *Trinitatis* vox nudas personarum proprietates, et relationes, non ipsas personas significaret. Quod quidem consentaneum est imperito tum ipsiusmet errori, tum Calvini, qui proprietates ab essentia divellentes, Filium putant, qua Deus est, a seipso esse, non a Patre, ut autem Filius est, ab illo esse; quod suo loco refellimus. Sic igitur res se habet, ut neque persona sola proprietas sit, sed natura ipsa personali proprietate, id est modo existendi suo subsistens; et vocabulum Trinitatis tres indicet non naturas, aut essentias, sed personas in una divinitatis natura subsistentes, non qua unum sunt natura, sed qua in eadem natura proprietatibus distinctæ multitudinem faciunt. Etenim, ut jam dixi, Trinitatem, sive ternarium constituunt personæ, hoc est numerum, eo ipso, quod invicem differunt. Quippe « numerus est eorum, quæ differunt, ait Joannes Damascenus; et impossibile est ea numerari, quæ nulla re differunt. Quidquid est autem, in quo differunt, secundum hoc etiam numerantur[a]. » Porro Trinitas in relativis personarum nominibus est, inquit Isidorus Hispalensis[9];

Trinitatis vox tres personas indicat in una divinitatis natura subsistentes

a Damasc. lib. III, cap. viii. Ἰστέον δὲ ὡς ὁ ἀριθμὸς τῶν διαφερόντων ἐστὶ, καὶ ἀδύνατον ἀριθμεῖσθαι τὰ

1 In I, par. qu. xxxi, art. 1, ad 2. — 2 In I, dist. xxii, q. ci, art. 4, ad iii. — 3 Dist. xxiv. — 4 Lib. VII *Orig.* cap. iv. — 5 Cap. ii.— 6 Fulg. *de Fide ad Pet.* cap. i.— 7 Supra lib. IV, cap. xiii, § 13 et seq. et lib. II *de Deo*, cap. viii, § 14 et seq.— 8 Lib. VI hujus tomi cap. xi. — 9 Isid. VII *Orig.* cap. iv.

Deitas non triplicatur, sed in singularitate est. » Et alio in libro[1], « In personis discretio est: in divinitate nulla distinctio, etc. In relatione personarum Trinitas est; in substantia vero naturæ unus Deus est. » Quem etiam numerum personarum et agnoscit, et ad Judaicam castigandam solitudinem, vel singularitatem personæ aptissimum esse docet Gregorius Nyssenus[a]; sicut, adversus gentilium errorem, unitatem adhibendam. Huic ergo numero non natura ipsa subjicitur, sed personæ duntaxat, qua sunt distinctæ.

Vox *Trinitatis* non habet per se implicatam notionem unitatis.

IV. Cæterum Trinitatem, sive numerum eumdem ternarium per se, et ut numerus est, non habere implicatam in sese unitatis ac naturæ notionem, pulchre adversus Arianos contendit Gregorius alter Nazianzenus. Cum enim catholicis objicerent, sequi ex ipsorum sententia, quæ ὁμοούσιον Trinitatem asserebat, tres esse Deos, propterea quod numerus iis solum convenit, quæ sunt ὁμοούσια, non autem iis, quæ diversæ sunt substantiæ, ut exempli causa, tres homines, aut tres equos dicimus, at canem, leonem, hominem non dicimus tres, unde tutam esse profectionem suam a suspicione gentilis impietatis aiebant, quod τὸ ὁμοούσιον divinitati detrahebant; contra illos falsi præscribit Gregorius, quippe numerari etiam τὰ μὴ ὁμοούσια. « Numerum enim vim habere significandæ quantitatis rerum subjectarum, non earum naturæ. » Est igitur extra numeri significantiam, ut Hilarius loquitur, natura ipsa numeratarum rerum, cum sola in eo pluralitas, et multitudo spectetur. Hinc tritum illud apud Græcos, Latinosque theologos, quod Fulgentius[2] ita concepit, « Ipse verus Deus in personis Trinitas est; et in una natura unus est; » vel Trinitas in personis unitas in natura. In Toletana synodo XI professio fidei sic illud exponit : « Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus, et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur a numero. In relatione enim personarum numerus cernitur ; in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt ; et in hoc numero carent, quod in se sunt[b].

Consubstantialem.

V. Facit illa multitudinis et unitatis in eadem Trinitate tam arcta societas, ut sit unius sine alterius damno negotii, ac periculi plena tractatio. Ex quo factum est, ut magna, et diligenti cautione delectus in illa vocum, ac totius sermonis adhibitus sit, ne quid ex alterutrius expressione labis ac vitii redundaret in alterum; quam scirent veteres illi non minus fandi, quam sapiendi magistri causam errandi præcipuam hæreticis fuisse. Cujus accuratæ diligentiæ ut hic exempla constent, primum in illo ipso vocabulo, de quo nunc agimus, Trinitatis occurrit. Hoc enim sic usu receptum est, ut ei similis, ac significatione prope par, *triplicis* vox haud perinde probata fuerit. Nam trinum Deum dicimus; triplicem non dicimus. De quo sic Augustinus[3] : « Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius, » Et capite sequenti, « Perfectus autem sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, et perfectus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; et ideo Trinitas potius, quam triplex. » Quod et alibi repetit. Et Toletana synodus decima in *Professione fidei*. « Non triplex; inquit, sed Trinitas et dici, et credi debet. » Idem et ex Augustino refert Alchuvinus[4], et Petrus Damiani[5]. Nempe « quia tantus solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, et Filius et Spiritus sanctus, » ut iste scribit; tanquam vox *triplex* id efficiat, ut singulæ personæ non tantum aliquid sint, quantum tres simul. His accedunt Hugo Victorinus[6] Petrus Lombardus[7], ac sanct. Thomas[8]. Qui hoc insuper adjungit, cur Trinitas potius, quam triplicitas usurpetur ; quoniam « triplicitas significat proportionem inæqualitatis, » ut ait Boetius[9].

De vocabulo *triplex* quod a nonnullis rejicitur.

VI. Sed hæc ratio mihi non magni esse momenti videtur. Nam etsi personæ tres non plus aliquid sint, quam una quælibet, si perfectionem spectes; tamen, quod ad numerum

Non satis firmo argumento repudiari.

κατὰ μηδὲν διαφέροντα· καθ' ὃ δὲ διαφέρουσι, κατὰ τοῦτο καὶ ἀριθμοῦνται.

a NYSSEN. in *Cath.* cap. III. Ἔστι γὰρ ὥσπερ τις θεραπεία τῶν μὲν περὶ τὸ ἓν πλανωμένων, ὁ ἀριθμὸς τῆς τριάδος· τῶν δὲ εἰς πλῆθος ἐσκεδασμένων, ὁ τῆς ἑνότητος λόγος.

b NAZIANZ. orat. XXXVII. Πᾶς ἀριθμὸς τῆς ποσότητος τῶν ὑποκειμένων ἐστὶ δηλωτικὸς, οὐ τῆς φύσεως τῶν πραγμάτων.

1 Lib. I *de Differ.* cap. II. — 2 Fulg. lib. *de Fide ad Pet.* cap. I. — 3 Lib. VI *de Trin.* cap. VII.— 4 Lib. I *de Trin.* cap. XI.— 5 Opusc. I. c. I. — 6 Tract. I *Sum.* cap. VIII. — 7 In I, Dist. XIX. — 8 In I par. q. XXXI, art. 1. — 9 Lib. I *de Arith.* c. XXIII.

attinet, plures sunt profecto tres, quam una, imo et plus aliquid, numero duntaxat. Hinc Gregorius Nazianzenus Judaicam, et Sabellianam », « egestatem, ac mendicitatem vocat [a], quam opponit « multorum deorum principatui ab gentilibus introducto [b]. » Et in oratione XXXVIII. « Divinitatem, ait, neque ultra tres personas diffundi, ne deorum turbam inducamus; nec rursus citra illas definiri, ne deitatis inopia premi judicemur, vel propter singularem principatum, in Judaismum, vel propter deorum multitudinem, in Gentilismum incidentes [c]. » Cum igitur ab inopia illa remota sit Christiana religio hoc ipso, quod personas plures in eadem divinitate statuit; tres illæ personæ unicam excedunt, non re ulla, perfectioneque, sed numero proprietatum. De quo utiliter illa legentur, quæ de Dei perfectione, ac relativis proprietatibus alibi dixi [1].

Usus moderatur hujuscemodi locutionibus.

Quamobrem *triplex persona* non minus usurpari poterit, quam *personæ tres*, sive *trinæ personæ*. Non tamen *triplex deitas* itidem dicitur, ut *trina deitas*. Quod posterius, ut alteri anteponeretur, magis usus obtinuit,

« Quem penes arbitrium est, et jus, et norma
[loquendi [2], »

quam certa, et explorata ratio. Quam si solam adhibueris, mirum tibi videbitur, *trinam* appellari *deitatem*. Non enim tres sunt, sed una, simplexque deitas. Ac trina propterea nominatur, quod personis tribus communis est; et in tribus una, et eadem inest, sine ulla divisione sui, vel collatatione. Quanquam χύσιν τινὰ, id est *diffusionem* essentiæ Gregorius Nazianzenus, aliique Græci nuncupare solent, ut paulo ante χεομένην τὴν θεότητα dixit. Et *monadem in binarium* [3], *et ternarium moveri* iidem asserunt; nec non *monadem triplicari*. Ita Gregorius [4] idem Nazianzenus μονάδα τριάζεσθαι scripsit. Quod, ut dixi, comiter intelligendum est eo modo, quo et *essentia ipsa gigni* dicitur, ut suo loco meminimus [5]; nempe quod ei, quod gignitur, gignendo communicatur. Sic et essentia diffundi improprie, ac triplicari dicitur, quia productione personarum existit pluralitas earum, ac numerus. Hinc sub finem carminis tertii Arcanorum recte, ac proprie locutus idem scribit, « monadem non fluere [d]. » At priore illo modo *triplicis* vocabulum nihilo secius assumi poterat, quam trini, nisi consuetudo sermonis intercederet; cui tuum in cæteris theologiæ partibus, tum in hac præsertim, quæ de sanctissima Trinitate disputat, jure multum tribuitur.

VII. Triplicem tamen *deitatem* non dubitavit dicere Gregorius hoc carmine [6],

Τρισσὴ γὰρ θεότης με φαεσφόρον ἐξανέτειλε.

Triplex enim deitas me luciferum oriri fecit.

Ac *triplici numine*, vertendo posuit eruditus interpres, ubi nihil opus erat. Quod enim Gregorius [7] ita conceperat,

Οὔ σε κάθαρσι φίλη, οὐ ψεύσομαι· εἰ θεότητι
Λουσάμενος, θεότητα διατμήξαιμι φαεινὴν,
Λώϊον ἦν, etc.

hoc ille vertit sic,

« Non te purgatio chara! mentiendo frauda-
[bo : ut divinitate
Absolutus, divinitatem secem splendidam :
Melius erat, » etc.

« Non mentiar ergo
Non, inquam, tibi chare latex, quo pellitur
[omnis
Spurcities scelerum. Triplici nam numine
[lotus,
Si post aggrediar deitatem incidere, nonne
Præstiterat, » etc.

Ac illic ubi est τρισσὴ θεότης, *trinam deitatem* reddidit. Porro τρισσὴ *triplicem* significat. Sed hoc poetica licentia sibi uterque sumpsit, et Gregorius, et hujus interpres Billius. Quemadmodum et Picus Mirandulanus Gregorii imitatione cecinit,

« Unum in triplici numine numen habet. »

a NAZIANZ. orat. I. Εἰς Ἰουδαϊκὴν πενίαν κατακλεισθῆναι.

b Ibid. Μήτε τρεῖς ἀρχὰς ἀντεπεξάγοντας, ἢ συντάσσοντας, πολυαρχίαν εἰσαγαγεῖν Ἑλληνικήν.

c Idem orat. XXXVIII. Οὔτε ὑπὲρ ταῦτα τῆς θεότητος χεομένης, ἵνα μὴ δῆμον θεῶν εἰσαγάγωμεν· οὔτε ἐντὸς τούτων ὁριζομένης, ἵνα μὴ πενίαν θεότητος καταкριθῶμεν, ἢ διὰ τὴν μοναρχίαν Ἰουδαΐζοντες, ἢ διὰ τὴν ἀφθονίαν Ἑλληνίζοντες. Idem habetur orat. XLII.

d NAZINANZ. Τῷ καὶ μονάς ἐστιν ἄρευστος.

1 Tom. I, lib. VI, c. VII, § 12 et seq,— 2 Hor. in *Antepoct.*— 3 Vide supra lib. IV, c. VIII, § 17 et seq.— 4 Citat. ib. § 19.— 5 Tom. II, lib. VI, c. XII. — 6 Naz. Carm. III *Arcan.* — 7 Naz. ib.

Quod *theologica correctione* dignum cum recentior quidam theologus judicat[1], ferendus est eatenus, ut nec promiscue in usum asciscendum sit, præsertim extra poeticum numerum; et illi vocabulo subjecta significatio ab essentia ipsa interpretando removeatur. Sin pro vitiosa, et errore implicata, locutionem castigat istam, perinde et Gregorium reprehendat, qui sic est locutus; tum alibi, si bene memini, τριπλεκῆ vocem ad idem institutum accommodat; Reprehendat et Cæsarium[2], qui τριδέσποτον, quasi *treplicem dominum* dixit. Corrigat et Paschasium Diaconum libro primo *de Spiritu sancto*[3], qui *trigeminam majestatem* dixit. « Catholica fides, inquit, trigeminam majestatem sub unius divinitatis confessione veneratur. » Quid est autem aliud *trigemina*, sive *tergemina*, quam *triplex?* Itaque *triplex deitas*, vel *triplex Deus*, si ita consuetudo ferret, absque errore diceretur non minus, quam *trina deitas*, et *trinus Deus*. Nam quod *trinus* quibusdam idcirco magis probatur, quia perinde est, ac *triunus*, ejusdem farinæ est, ac *Triunitas*, quam in *Trinitatis* voce iidem approbant. Verum propter consuetudinem solam, quæ in usu communi vocem illam *triplicis* a Deo, Denique natura segregavit, *trini* vero recepit; utetur hac non imprudens theologus, ab illa temperabit[a].

VIII. Licet etiam in cæteris loquendi modis periculum facere, quemadmodum in usurpandis moderandisque vocibus usus, et consuetudo dominetur. Etenim ternario numero

Relativa.

non ea tantum, quæ sunt in divinis σχετικὰ, et personarum propria, comprehenduntur, sed etiam absoluta, et communia personis tribus; non tamen omnia, verum aliqua tantum, cum tamen omnium ratio sit eadem. Sed usus in quibusdam, non in omnibus, lapsus de via deflexit, ac rationi præscripsit. Non enim dicimus *deos tres*, sed unum Deum. Cujus rei primaria causa est naturæ in tribus unitas, ut suo loco dictum est[4]. Quoniam, ut ait Cyrillus, « divinitas, et dominatus in tribus unus est; ita tamen ut eorum, quæ nominantur, singula in propria intelligantur hypostasi[a]. » Itaque quamvis « nec ille, qui est Pater, sit Filius, nec ille, qui est Filius, sit Pater, nec Spiritus sanctus Patris, et Filii sit vel Filius, vel Pater; tres Deos tamen esse non dicimus, quamvis de singulis si quæratur, necesse est, de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur[5]. » Nimirum quod, ut ait Sophronius, « sine ulla partitione, ac defectu tres personas deitas implet, et in unaquaque est integre, ac tota. Divinitas enim partitionem non admittit. Et in tribus personis plene, ac perfecte, non partiliter[b]. »

An debeant dici tres omnipotentes, tres æterni, etc

Sic eadem de causa non dici tres omnipotentes, neque tres creatores, docet idem Augustinus in illo tractatu XXXIX, *in Joannem;* ubi et hanc regulam prescribit. « Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt, » hoc est iis in solis proprietatibus numerum pluralem adhiberi, quæ sunt relativæ, et personarum propriæ, ut cum personæ tres dicuntur, sive tria subsistentia, non autem in absolutis, et communibus. « Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio, et Spiritu sancto, non sunt tres dii; quia ad se est omnipotens simul cum Filio et Spiritu sancto, non sunt tres omnipotentes. » Et in libro V *de Trinitate*, capite VIII. « Sicut non dicimus tres essentias, ita non dicimus tres magnitudines, neque tres magnos, etc. Hoc et de bonitate, et de æternitate, et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronuntiari, quod ad seipsum dicitur. » Hoc ipsum et aliis in locis commendat Augustinus, et alii post ipsum, ut inter alios Toletanæ synodi undecimæ Patres in *Professione fidei*. Idque adeo in eo Symbolo, cui Athanasii nomen inscriptum est, canit Ecclesia. Et Alchuinus in quæst. VI *de Trinitate*. Tum Fulgentius, *non esse tres bonos*, *pios*, etc., dicit in libro *de Trinitate*.

IX. Verum non desunt ex antiquis Patribus,

a Cyril. IX *contra Jul.* Θεότητα, καὶ κυριότητα μίαν· πλὴν ὅτι τῶν ὠνομασμένων ἕκαστον ἐν ὑποστάσει νοεῖται.

b Sophron. in epist. *Act.* II, *Syn.* VI. Ὡς μιᾶς ἀμερίστως, καὶ ἀνελλιπῶς τὰ τρία πρόσωπα πληρούσης θεότητος, καὶ ἐν ἑκάστῳ οὔσης ὁλοτελῶς καὶ ὁλικῶς· θεότης γὰρ μερισμὸν οὐχ ὑφίσταται· καὶ ἐν τοῖς τρισὶ προσώποις πληρωτικῶς, καὶ ἐντελῶς, οὐ μεριστῶς.

[a] Num *Trina deitas* dici possit, Hincmarum inter, et Goteschalcum, atque Ratramnum Corbeiensem monachum magna IX sæculo controversia exarsit, negante illo, his contra adfirmantibus catholice formulam illam usurpari posse. Rem paucis narrat Natalis Alexander in *Hist. Sæc.* IX et X, diss. V, § XIV et Mabillonius præfat. *in Sæc.* IV, cap. II, n. 147. Vide Germonium *de Hæreticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus* pag. 504 seqq.

1 Ruis. disp. XXXVIII *de Trinitat.* sect. 3, § 20. — 2 Dial. I, inter. I Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* — 3 Cap. III. — 4 Tom. II, lib. XIII, § 2. — 5 Aug. Tract. XXXIX *in Joan.*

qui absoluta illa nomina, et personis tribus communia plurali numero concipiant, non solum *concreta*, ulti vulgo nuncupant, sed etiam *abstracta*. Gregorius certe Nazianzenus summus vir, et theologus excellenti ratione dictus, in oratione XIII, de Trinitate loquens, sic eam nominat, « Vitas, et vitam; lumina, et lumen; bona, et bonum; glorias, et gloriam, etc., sancta, et ipsammet sanctitatem [a]. » Et in oratione XXIV, *tres sanctitates* vocat : « Summa, inquit, hæc sermonis esto; cum Seraphimis divinam gloriam prædica, tres sanctitates in unam dominationem contrahentibus [b]. » Oratione item XXXIX. « Deum cum nomino, uno lumine illustramur (inquit, Latine sic interpretante Joanne papa [1] secundo) simul et tribus; tribus quidem, secundum uniuscujusque proprietates, sive substantias, etc.) Unum autem, secundum substantiam, vel deitatis ratione [c]. » Ita Gregorii locum illum Joannes papa reddidit; ubi ὑποστάσεις *substantias* vertit; quod valde miror. Siquidem et οὐσίαν paulo post itidem *substantiam* interpretatur, id quod Hilarium quoque fecisse supra demonstravimus [2]. Atque ibidem locum eumdem Gregorii a Facundo Hermianensi citatum adduximus [3], in quo ὑποστάσεις, *subsistentias*, exponit, quomodo et Joannes fortasse scripsit. Sic alibi *tres splendores* dixit Gregorius.

Εἷς θεὸς ἐν τρισσοῖς ἀμαρύγμασι κόσμον ἑλίσσων

Et paulo post :

Εὖτε τριῶν τινα μνῆστιν ἔχει λόγος· ὡς τὸ μὲν εἴη
Τῶν τρισσῶν φαέων σεπτὸν κήρυγμα βροτοῖσι.

« In triplici radio volvens Deus unicus orbem.
Quando trium meminit Scriptura, ut sit
Triplicium luminum veneranda prædicatio
[mortalibus [4]. »

Ita Prudentius præfatione prima *in Apotheosim*,

« Est tria summa Deus, trinum specimen,
[vigor unus. »

Occurrent et alia ejusdem modi non pauca apud antiquos Patres; quorum eo redit ratio, ut pluralis numerus significet personas singulas qualitatibus illis, ut ita loqui fas sit, affectas esse, quæ tamen divisæ non sunt ita, ut sua cuique propria suppetat, a qua denominatur, sed ut una, et individua sit in tribus, quemadmodum et essentia.

X. Jam cum et *bona tria*, et *tria lumina*, et *sanctitates tres*, et *vitas*, et *glorias*, multitudinis numero summi et sanctissimi Patres vel usurparint, vel ab aliis usurpata probaverint, ut minime propterea reprehendendi sunt, quia sano, et catholico sensu ita loquuntur; sic non facile in eo sunt imitandi, nec alia de causa, nisi quod in usum aliter ista venerunt, quem summum loquendi de illis arbitrum esse dixi. Quod vero ad illam locutionem attinet, *Trinitas est unus Deus*, quam Calvinus, aliique grege ex illo respuunt; hanc non consuetudo solum, sed ratio ipsa quoque probam, ac legitimam esse persuadet, ut supra demonstravimus. Quemadmodum et illa altera, quæ Calvino [5] eidem haud merito displicuit, *Deus de Deo*, communis est, et nullo modo repudianda, tanquam dura sit, ut imperite iste nugatur, Nam et a Nicæna synodo, et ab reliquis deinceps omnibus, in symbolis, ac fidei professionibus vulgo est in auctoritatem recepta. Tum ea passim uti consuevere theologi veteres. Athanasius de Filio. « Et quia Deus est, inquit, ex Deo, et Dei Verbum [d]; » Eustathius Antiochenus, « Deum ex Deo genitum [e] » ait esse Filium; Cyrillus Alexandrinus Filium itidem appellat « Deum de Deo, et in Deo, et cum Deo [f]. » Augustinus [6] quoque translatitiam hanc esse locutionem indicat his verbis : « Ideo Dominum Jesum dicimus Deum de Deo; Patrem non dicimus Deum de Deo; sed tantum Deum. Et dicimus Dominum Jesum lumen de lumine; Patrem non dicimus lumen de lumine, sed tantum lumen. » Et tractatu XXXIX : « Deus de Deo Filius dicitur, lumen de lumine. Pater dicitur Deus, sed non de Deo. » Et alibi pas-

Locutio *Deus de Deo* ab hæreticorum calumnia vindicatur.

a NAZIANZ. orat. XIII. Ζωὰς καὶ ζωὴν, φῶτα, καὶ φῶς, ἀγαθὰ, καὶ ἀγαθὸν, δόξας, καὶ δόξαν, etc. Ἅγια, καὶ αὐτοαγιότητα.

b Idem. orat. XXIV. Κεφάλαιον δὲ τοῦ λόγου, μετὰ τῶν Χερουβὶμ δόξασον, συναγόντων τὰς τρεῖς ἁγιότητας εἰς μίαν κυριότητα.

c Idem orat. XXXIX. Θεοῦ δὲ ὅταν εἴπω, ἑνὶ φωτὶ περιαστράφθητε, καὶ τρισί· τρισὶ μεν, κατὰ τὰς ἰδιότητας, ἤγουν ὑποστάσεις· ἑνὶ δὲ, κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, εἴτ' οὖν θεότητος.

d Orat. V initio : Καὶ ἐπειδὴ ἐκ θεοῦ θεός ἐστι, καὶ τοῦ θεοῦ λόγος.

e Apud Theod. dial. I. Δῆλος μέν ἐστι φύσει θεός ἐκ θεοῦ γεννηθεὶς ὁ χρίσας.

f CYRIL. in calce lib. II *in Joan*. Ὡς θεὸς ἐκ θεοῦ, καὶ ἐν θεῷ, καὶ μετὰ θεοῦ. Et in *Expos. Symboli Nicæni in ep*. tom. II, par. V.

1 *Joan*. Ep. II *ad Sen*. t. III *Conc*.—2 Lib. IV, c. III.— 3 § 6.—4 Naz. Carm. III *Arc*.—5 Lib. *cont. Gent*.— 6 Tract. XXXI *in Joan*.

sim. Quibus in verbis *Deum* constat non essentiam significare solam, sed adjuncta notione generantis, et geniti. Quæ loquendi formula paulo admirabilior est, cum in iis, quæ dicuntur *abstracta*, ponitur, et tamen apud Patres frequens occurrit, ut cum idem Augustinus Filium[1] ait esse « consilium de consilio, voluntatem de voluntate, sicut substantiam de substantia, sapientiam de sapientia; » de quo jam alibi dictum est[2]. Ita « vitam de vita » Cyrillus Alexandrinus in epistola quadam, qua Nicænum symbolum declarat[a]. In qua locutionem illam[3], *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* approbat, ejusque rationem explicat.

Quo sensu *voluntatem de voluntate* Filium nominet Augustinus.

XI. Porro in illis Augustini verbis, ubi etiam *voluntatem de voluntate* Filium nominat, docuimus alibi, *voluntatis* nomen perinde, ac *sapientiæ*, et *substantiæ*, non *personam* directe significare, sed absolutam : et οὐσιώδη proprietatem, affectam tamen *notionali*, ut vocant, conditione. Ut cum dicimus *Deum de Deo*, paulo diversum aliquid intelligimus, ac cum Patrem, aut Filium nominamus. Illic enim naturam communem ab una persona communicatam alteri statim cogitamus; ut primaria significatio sit divinitas ipsa, secundo vero loco personalis sese proprietas objiciat. At cum Patrem appellamus, aut Filium, prius hypostasis ipsa, et notio nobis occurrit; posterius autem natura, quam modificat et afficit proprietas illa personæ. Sic cum Filius *voluntas de voluntate* dicitur, subest iis nominibus voluntas Dei absoluta, et οὐσιώδης, qua notionibus geniti ac gignentis implicatur. In quo differt ab altera illa locutione, qua Spiritus sanctus *voluntas*, id est *volitio*, sive *amor*, de *voluntate*, hoc est *amore* mutuo Patris, ac Filii oriri dicitur. Ibi enim voluntas eadem offertur animo proprietate, ac relatione altera conjuncta, nimirum *spiratione*, ut vocant, *activa*, personis duabus communi, et *passiva*, quæ est persona tertia, propria quadam ratione hanc sibi originem de voluntate defendens. Quocirca ut cum dicimus Filium, et Spiritum sanctum esse substantiam de substantia, utrobique substantiam eamdem interpretamur, sed duplici, ac dissimili proprietate, relationeque formatam; ita cum voluntatem de voluntate esse dicimus, illam utramque personam, unam et eadem intelligimus absolutam, ac naturalem voluntatem relatione affectam, notioneque duplici. Sed de hac locutione relegenda prorsus ea sunt, quæ supra disputavimus, præsertim in libro VI capite X, ubi quemadmodum de illa in Toletana XV synodo altercatum sit, exposuimus.

XII. Est etiam illa in personarum explananda differentia necessaria, et pervagata cautio, quam rationi consentaneus usus ascivit, ut *alium atque alium* dicamus, exempli causa, esse Patrem, et Filium, non tamen *aliud*, *atque aliud*. Et ut universe conceptam de his loquendi præscribamus regulam, ut masculina nomina, vel pronomina distincte proferamus de singulis; neutra vero non plura, sed unum commune tribus accommodemus. Cujus ea nimirum est ratio, quod masculina personas indicent; neutra vero τὸ τί ἦν εἶναι, id est *essentiam*.

In enuntianda Trinitate *masculina* nomina personas indicant, *neutra* vero essentiam.

Itaque Gregorius Nazianzenus in epistola prima *ad Cledonium*, contra quam in Christi persona, et Incarnatione Verbi accidit, in Trinitate fieri admonet. « Hic enim aliud et et aliud sunt ea, ex quibus Salvator constat (nisi vero id, quod aspectabile est, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum non cadit; et quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest) non tamen alius atque alius, etc. Dico autem aliud atque aliud contra quam in Trinitate res habet. Ibi enim alius, atque alius, ne personas confundamus : non autem aliud atque aliud, quoniam tria divinitate sunt unum[b]. » Quem locum Facundus Hermianensis citavit in primo libro. Sic idem Gregorius in carmine primo *Arcanorum*,

Εἷς Θεὸς ἄλλος
Οὐκ ἄλλος θεότητι θεοῦ λόγος, etc.

« Unus Deus alius
Non alius divinitate Dei sermo[4], etc. »

Sophronius quoque in epistola *ad Sergium*. « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non

a Cyril. in *Symb. Nic. in ep.* Ζωὴ γάρ ἐστιν ἐκ ζωῆς τοῦ θεοῦ, καὶ πατρός.

b Nazianz. Καὶ εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἄλλο μὲν καὶ ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ σωτήρ· εἴπερ μὴ ταὐτὸν τὸ ἀόρατον τῷ ὁρατῷ, καὶ τὸ ἄχρονον τῷ ὑπὸ χρόνον, etc. Λέγω δὲ ἄλλο καὶ ἄλλο ἔμπαλιν, ἢ ἐπὶ τῆς τριάδος ἔχει· ἐκεῖ μὲν γὰρ ἄλλος καὶ ἄλλος, ἵνα μὴ τὰς ὑποστάσεις συγχέωμεν· οὐκ ἄλλο δὲ καὶ ἄλλο. ἓν γὰρ τὰ τρία, καὶ ταὐτὸν τῇ θεότητι.

1 Lib. XV *de Trin.* c. X.— 2 Supra lib. VI, c. XIII, § 21.— 3 Vide p. 178 et seq.— 4 Lib. VI hujus oper. c. VI, § XXI et c. X.

dicuntur alterum, et alterum, et alterum, etc. Non enim alius Deus Pater, neque alius Deus Filius, neque alius rursum Deus Spiritus sanctus; quoniam nec alia est natura Pater, nec alia natura Filius, nec alia rursus natura Spiritus sanctus[a]. »

XIII. Augustinus[1] tractatu XXXVI *in Joannem* : « Quid vis ire in alteram partem, ut dicas, Aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, recte dicis; aliud, non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse, qui Pater; et alius Pater, quia non ipse, qui Filius; non tamen aliud, sed hoc ipsum est et Pater, et Filius. » Et alibi[2] : « Si enim aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; jam non est una Trinitas, sed divisa potestas. » Fulgentius libro *de Fide ad Petrum*, capite primo, « Una est, inquit, Patris, et Filii, et Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocant, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamvis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, » Et alio in loco[3] « Ne aut ipse putetur natus esse, qui genuit, aut aliud putetur esse, qui natus est, quam est ille, qui genuit. Non enim ipse est Pater, qui Filius; quoniam in utroque personarum proprietas reservatur. Sed quod Pater, hoc est et Filius, quia de Deo Deus, de perfecto perfectus, » etc. Et Toletana synodus XI. « Non ipse est Pater, qui Filius, sed ipsum. » Rusticus Diaconus[4] in *Disputatione contra Acephalos :* « Vides igitur dixisse nos, quia Dominus Christus, qui alteram naturam, præter communem, sibi unire dignatus est, unus est, quia una persona est, non unum vero, quia non una natura. Sic nos dicere ergo intellige, quotiescumque dixerimus, unus et unum, aliud, et alius. » Ac subinde Gregorii Nazianzeni locum illum citat ex epistola *ad Cledonium*. De hoc fuse Vincentius Lirinensis agit capite XIX quemadmodum « in Trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. » Quod et alii complures observant, ut Alchuinus[5], Rhabanus[6], Petrus Damiani[7], Anselmus[8], Paschasius Diaconus[9], Richardus Victorinus[10], Bernardus[11]. Ex quibus id affirmatur, quod dixi, neutris nominibus essentiam, masculinis personam exprimi. Hinc Tertullianus lib. *de Resurrect. carnis*, c. LV hominem per resurrectionem « non alium effici ait, sed aliud. » Nam *alius* personam, *aliud* qualitatem, conditionemque significat. Et Augustinus[12], « Hoc est Filius, quod Pater, non hic. » Ut et Otho Frisingensis libro *De gestis Friderici*, cap. L.

XIV. Sed ad alia superiora redeo, de absolutarum proprietatum nominibus, quæ veterum aliqui, et ii quidem longe numero plures, nonnisi singulari pronuntianda numero putant, uti tres dicantur, ut unus Deus, sic unus æternus, unus omnipotens, etc. e contrario vero quidam tres æternos, ac tres omnipotentes non dubitant dicere. Quam quidem controversiam diremisse videri potest symbolum, quod Athanasii dicitur; in quo diserte scriptum, est, cum unus quilibet trium sit æternus, sit increatus, sit immensus, sit omnipotens, « non tamen tres omnipotentes esse, sed unum omnipotentem, nec tres increatos, immensos, æternos, sed unum increatum, immensum, et æternum. » Quo in Symboli loco mire se scholasticorum ingenia torserunt, maxime cum secum, ut aiunt, auctor illius pugnare videatur[12]. Nam paulo post personas easdem *coæternas*, *et coæquales sibi* esse dicit. Non referam hoc loco, quam variis modis verba ista Symboli vexaverint scholastici præsertim theologi; quos hæc potissimum opinio delectat, quam princeps illorum adhibuit[13]; cum tres unum esse dicit omnipotentem, et æternum Athanasius, vocabula ista non adjective sumere, sed substantive. Sed cur ea nobis interpretatio minime placeret, supra libro tertio demonstravimus[14]; nec ea modo, quæ ibi sunt dicta, repetemus. Verum quod universe ad Symboli istius intelligentiam valet, paucis, quoniam ita necesse est, admonebimus : nullum controversiæ istius de plurali, vel singulari usurpando appellationum numero præjudicium facere Symbolum illud, cum tres dici vetat omnipotentes, æternos, etc. Nam cum ideo conscriptum sit, ut contra grassantium per illud tempus hæresum venena antidoti instar esset, hoc in

Explicatur et defenditur Symbolum dictum S. Athanasi

a Sophr. act. II syn. sex. Ὡς δὲ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἕτερον, καὶ ἕτερον καὶ ἕτερον, οὐ λέγεται, etc. Οὐ γὰρ ἄλλος θεὸς ὁ πατὴρ, οὐδὲ ἄλλος θεὸς ὁ υἱὸς, οὐδὲ ἄλλος πάλιν θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἐπεὶ μηδ' ἄλλη φύσις ὁ πατὴρ, μηδ' ἄλλη φύσις ὁ υἱὸς, μηδ' ἄλλη πάλιν φύσις τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

1 Serm. I *de Verb. Apost.* c. III. — 2 In *Resp.* I *ad obj. Arian.* — 3 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 803. — 4 Lib. III *de Trin.* c. XIII. — 5 Lib. I *de Univer.* cap. IV. — 6 Opusc. I, cap. V. — 7 *Monol.* cap. XLI. — 8 Lib. II *de Spirit. sanct.* cap. IV. — 9 Lib. IV *de Trinit.* cap. IX et X. — 10 Epist. CXC, col. 1551. — 11 In Frag. XXVI. tom. X. — 12 *Aliac.* in. I, qu. V. — 13 Sanct. Thomas, I par. prima qu. XXXIX, art. 1. — 14 Cap. IX, § 9.

eo maxime spectavit illius conditor, ut cujuslibet hæresis errori repugnantem ex adverso poneret catholicæ fidei doctrinam. Quare alterum ex altero debet intelligi, ut exempli causa, qua parte Trinitatis dogma declarat, cujusmodi sit, quod dicit, explicari poterit ex Arianorum opinione, cui sunt illa contraria. Ariani tres personas ita constituebant, ut singulæ sua constarent essentia, suisque proprietatibus, bonitate, sapientia et cæteris. Ideo tres bonos, tres sapientes, tres omnipotentes assereban,t maxime Semiariani. Huic opposita est Symboli professio, quæ tres credi vetat proprietatibus istis præditos; nimirum ita, uti illi statuebant, singulos sua et privata bonitate bonos, vel sapientia sapientes, quomodo tres homines triplici ab forma, sua quique nomen accipiunt. Quod autem coæternos, et coæquales subinde vocat, non id abhorrens, et alienum ab usu videtur. Quippe adjecta particula communionis, et societatis omnem multiplicitatis tollit invidiam. Siquidem et tres personas *consubstantiales*, et *æquales* vulgo dicimus. Tum particula ista propius jam personas ipsas designare videtur.

XV. Hæc Symboli interpretandi ratio multis nos liberat quæstionum tricis, ac molestiis; et ad reliqua porro valet fidei capita, quæ in eo traduntur. Atque ut in eo commoremur, de quo nunc agimus, Trinitatis mysterio, indidem petendum est, quod illis respondeatur, qui de sequentibus verbis litem facient, cum ita dicitur, « Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus aut minus. » Nam et Pater major Filio rite, et catholice pronuntiatus est a plerisque veterum, ut in secundo libro docui[1]; et origine prior sine reprehensione dici solet. Verum symboli mens est, primum nullam personam altera, vel duabus aliis, majorem, minoremve esse natura et deitate; etenim « vera deitas in nullo esse aut minor, aut major potest, » ut ait Leo papa[2]. Et, « Nulla ratione vere est unum, quod aliqua est inæqualitate diversum. » Itaque sola natura, vel conditionis alicujus, aut qualitatis excellentia majoren dici quempiam de tribus prohibet Symbolum; veluti qua Deus est, aut commune aliud habet, appellaturque cum cæteris, non autem quatenus hic Deus est, hoc est hæc persona. Horum enim prius Ariani sentiebant; posterius catholici, ut dixi, complures. Quod utrumque Sœbadius Agennensis præclare complexus est sub initium libri *contra Arianos*[3]; ubi subdolas illorum sententias exagitat : « Major, inquit, Pater Filio dicitur, non tamen ea differentia, qua Filio Pater major est; sed omnibus divinæ gloriæ bonis major : quibus si minor est Filius, nec ipsi esse in Patre dabitur, quia nihil in semetipsam recipiet æterna ejus beatitudo, nihil proprium. Non autem proprium Dei, nisi plenum, atque perfectum. »

XVI. Deinde una persona quælibet minor non est duabus aliis, neque duæ plus aliquid, quam una; neque perfectiores sunt, ut Augustinus sæpe commendat citatus a nobis ibi[4], ubi de perfectione Dei egimus : « Quocirca, fili mi, (ait Petrus Damiani[5] accurate istud explicans) cum litaniis, vel orationibus te contingit insistere, noli facere, quod quidam simplices magis ignoranter quam infideliter faciunt, ut nomen Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti semel invoces; nomen vero sanctæ Trinitatis, tanquam plus aliquid, et ad majorem reverentiam, sæpius iteres; ut sicut plus est multitudo sanctorum, quam unus sit sanctus, ita, quod absit, majus aliquid sit Trinitas tota, quam ejusdem sanctæ Trinitatis una persona. Quod utique fidelium pietas abjicit, et orthodoxæ fidei regula non admittit. Absque ulla nimirum dubietate credendum est, quod Pater plenus, et perfectus est Deus. Non tamen tres dii, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sed unus est Deus plenus, atque perfectus. Nec aliquid majus significant tres simul dicti, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quam quilibet unus, sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus. Eadem quippe magnitudo est in unaquaque persona singulariter dicta, quæ est in tota Trinitate communiter nominata. Alioquin cum jure dicatur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, singulus horum imperfectus esset Deus, si plenior Deus in tribus, quam in una videretur esse persona. Sed absit hoc a pietate fidelium, qui simplici naturæ divinitatis majus, vel minus aliquid non adscribunt. » Hic igitur sensus est Symboli, dum majus ac minus a Trinitate rejicit. Nam Ariani, uti Patrem Filio majorem essentia, æternitate, cæterisque rebus arbitrabantur esse, quam Filium, et Spiritum sanctum; ita Filium cum Patre, et cum horum altero, vel ambobus, Spiritum sanctum plus esse credebant quam

1 Cap. II. — 2 In Tract. *advers. Errores Eutych.* etc. — 3 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 169. — 4 Tom. I, lib. VI, c. VII, § 13. — 5 Opusc. I, cap. I.

amborum singulos. Quare ad illos petinet decretum illud synodi.

XVII. Non aliter accipi oportet, quod de priori, ac posteriori ibidem decernitur. Etenim Ariani priorem æternitate, quidam etiam tempore, Patrem esse Filio dicebant. Natura certe, qui minus ex illo grege desipiebant, ut ex æterno Filium assererent, sed non de substantia genitum; de quibus libro primo [1]. Ita gradus quosdam constituebant, contra quos Leo papa disputans [2], « Et omnibus, inquit, existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior. nulla posterior. » Nihil hoc tamen prohibet, quominus origine prior sit Pater. Quem prioris, vel, ut vulgo loquuntur, *prioritatis* modum Gregorius Nyssenus λόγον τῆς ἐπινοίας, *notionis*, vel *rationis* appellat. « Quoniam, inquit, Pater intelligitur ante Filium [a]. » Quanquam Origenes [3] (ut quidem Latine ex Ruffini interpretatione loquitur) ne ratione quidem posteriorem esse docet Filium. « Propter quod, inquit, nos semper Deum, Patrem novimus unigeniti Filii sui, ex ipso quidem nati, et quod est ab ipso, trahentis, sine ullo tamen initio, non solum eo, quod aliquibus temporum spatiis distingui potest, sed sine illo, quod sola apud semetipsum mens intueri solet, et nudo, ut ita dixerim, intellectu, atque animo conspicari. » Sed hæc Ruffini lucernam olent, ut ex iis conjectari licet, quæ de Origene supra memoravi [4]. At Richardus Victorinus prius, et posterius etiam natura in Trinitate posuit. Nam de personarum productione agens [5], « Prius, inquit, et posterius hoc loco intelligi volumus, non temporum successione, sed ordine naturæ. » Et, « Quantum est, inquit, ad naturæ ordinem, principalior est processio illa, cui inest principalior procedendi causa; » quod et in antecedente libro docuerat [6]. Sed *prius* esse *natura*, vel *naturaliter* sumpsit Richardus pro eo, quod est *prius origine* esse. Quid sit autem natura prius, erudite definit elegantissimus, ac doctissimus Aristotelis interpres Ammonius in *Commentario ad Categorias*, et ad caput *de Substantia*, ubi ait, « Illa quæ sublata secum tollunt altera, nec his sublatis ipta solluntur, aut quibus positis, altera ponuntur, non autem hæc ponuntur illis positis, natura priora censeri [b]. » Brevius Aristoteles in capite XII *Categoriarum*, ubi « prius maxime proprie dici altero scribit, quod tempore præcedit, etc. Secundo vero prius dici, a quo non reciprocatur existendi consecutio [c]. » Quæ et Damascenus capite VII *Dialecticæ* descripsit. Quemadmodum duo natura priora sunt tribus; et sublatis duobus tolluntur tria; non tamen vicissim, uti nec positis duobus, tria ponuntur tribus vero positis, necesse est poni duo. Idem denique in *Metaphysicis* Aristoteles : « Natura priora dicit esse, quæ possunt esse sine aliis; hæc autem sine illis esse nequeunt [d]. » Manifestum est autem ex his, Patrem non esse priorem natura Filio, quamvis ideo, quod hic ab illo gignitur, prius esse Pater origine dicatur.

a NYSSEN. Ὅτι προεπινοεῖται τοῦ υἱοῦ ὁ πατὴρ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον τῆς πίστεως.

b AMMON. lib. XL. Τὰ δὲ συναιροῦντα μὲν, μὴ συναναιρούμενα δέ· καὶ συνεισφερόμενα μὲν, μὴ συνεισφέροντα δὲ, πρῶτα εἶναι τῇ φύσει ὡμολόγηται.

c ARISTOT. Πρῶτον μὲν, καὶ κυριώτατα κατὰ τὸν χρόνον, etc. Δεύτερον δὲ, τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν.

d Item, lib. IV *Metaph.* cap. II. Τὰ δὲ κατὰ φύσιν, ὅσα ἐνδέχεται εἶναι ἄνευ ἄλλων· ἐκεῖνα δὲ ἄνευ ἐκείνων μή.

1 Cap. x, § 5.— 2 Loco cit. — 3 Lib. I *Periar.* c. II.— 4 Lib. I, c, IV.— 5 Rich. lib. VI *de Trin.* c. VII.— 6 Idem, l. V, c. VII.

APPENDIX PETAVIANA

DE ANNO SYNODI SIRMIENSIS

DE SIRMIENSI, ET ANCYRANA PSEUDOSYNODO, ALIISQUE SEMIARIANORUM ACTIS, EX PETAVII ANIMADVERSIONIBUS IN S. EPIPHANIUM.

Ubi se Ariana perfidia in orbem Christianum effudit, scissa est varias in partes, ac multiplicium sectarum, et factionum sunt nata divortia. Ut de cæteris modo taceam, insignis potissimum fuit Photini Sirmiensis impietas, qui Sabellii, et Samosateni dogmata jam olim damnata longo intervallo renovavit. Cujus hæresim ordine LX posuit ac refutavit Epiphanius. Hunc ut opprimerent Ariani, ac tantam a se invidiam, ignominiamque depellerent, utique se tandem catholicos esse profiterentur, Constantii imper. jussu Sirmium, quæ urbs est Pannoniæ, Orientales convocantur episcopi : quemadmodum Socrates lib. II, cap. XXIII; Sozomenus lib. IV, cap. V, aliique narrant. Quod iidem contigisse volunt post consulatum Sergii, et Nigriani, qui est annus Christi CCCLI, Affuere synodo imprimis Orientales episcopi, Marcus, Arethusius, Georgius Alexandriæ, Basilius Ancyræ episcopi ; Pancratius Pelusii ; Hypatianus Heracleæ. Ex Occidentalibus vero eadem infectis labe, Valens Mursorum episcopus ; nec non et Osius Cordubensis Ecclesiæ catholicæ per illa tempora columen, qui eo licet invitus accessit. In hoc concilio condemnato Photino triplex edita est ab Arianis fidei formula ; prima Græce a Marco Arethusio concepta, quam Socrates cap. XXV, et ante eum Athanasius libro *de Synodis* Græce referunt ; Latine vero Hilarius libro *de Synodis*. Duæ aliæ Latinæ sunt ; quarum prima a Socrate, et Athanasio iisdem locis descripta continetur : postremam, quæ in Ariminensi synodo a Valente recitata postmodum est, et a catholicis rejecta, habet Socrates cap. XXIX, meminit et Athanasius lib. *de Synodis*. Duæ itaque tum formulæ Sirmii promulgatæ sunt. Nam tertiam Arimini postea publicarunt. In eadem synodo Basilius Ancyranus cum Photino coram imperatore congressus est ; cujus disputationis mentionem in Photiniana hæresi facit Epiphanius. Osius vero diu cum Arianorum perfidia, et imperatoris crudelitate luctatus, ac dirissimis tormentis excarnificatus, postremo eidem impietati subscripsit. Secundum hæc Constantius occiso Magnentio, cujus cædes Constantio VI, et Gallo II coss. qui est annus CCCLIII accidit, ac reliquis tyrannis felicissime compressis, aut extinctis, Gallo insuper necato, Constantio VII et Gallo III coss. anno CCCLIV demum Arbetione, et Lolliano coss. anno CCCLV, Romam ut triumpharet profectus, Mediolani synodum cogit adversus Athanasium. Cui cum acerrime refragarentur catholici episcopi, præsertim Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, Paulinus Treverensis, Lucifer Calaritanus, exulare jussi sunt. Eodem anno et Liberius Romanus pontifex, qui Julio successerat, quod Athanasium condemnare nollet, relegatus est ; ut iidem historici cum Theodoreto et Athanasio testantur. De Liberio vero etiam Ammianus lib. XV. His ita confectis imperator anno sequenti tertio kal. Maias Romam sese contulit, ut idem Ammianus auctor est lib. XVI. Qui cum illic diutius commorari vellet, auditis Barbarorum incursionibus 4 kal. Jun. in Illyricum profectus est. Cum aut Romæ adhuc Imperator degeret ; hoc est ante 4 kal. Junias, Eudoxius Germaniciæ in Syria episcopus, cum de Leontii Antiochiæ episcopi morte renuntiatum esset, missione a Constantio impetrata, in Syriam perveniens Antiochenam sedem occupat. Quam dignitatem adeptus totus in id incumbit, ut Aetium cognomento ἄθεον, et Anomœorum principem pristinum in gradum restitueret. Hic enim a Leontio diaconus ordinatus, pro eo

1 *Socrates*. lib II, cap. XIXX.

quod Filium Dei ex nihilo creatum, et Patris dissimilem assereret, damnatus, et ejectus fuerat. Cujus impietatem cum foveret Eudoxius, frustra illum restituere, ac revocare conatus, ut scribit Socrates, palam nefaria ejus dogmata prædicare cœpit; eo sane confidentius, quod Osii Cordubensis litteras jactitaret, quibus eidem errori subscripserat.

Quæ cum Georgius Laodicenus animadvertisset, litteras Ancyram ad Basilium dedit: qui tum forte ad dedicandam, quam construxerat, Ecclesiam complures ex finitimis episcopis convocarat. Habito itaque Ancyrano concilio, lectisque Georgii litteris, decretum illud fidei conditum est, quod Epiphanius, et Hilarius commemorant; in quo suppressa τοῦ ὁμοουσίου voce, ὁμοιούσιος, hoc est, similis Patri substantiæ Filium esse professi sunt. A quo Semiariani dicti. Tum legati Sirmium ad imperatorem a synodo missi, Basilius Ancyræ, Eustathius Sebastæ, Leontius Cyzici episcopi. Quorum studio Constantius revocatis, quas Asphalio Eudoxii presbytero, et Aetii fautori dederat, litteris, alias adversus Eudoxium ad Antiochenos scripsit. Subjicit his Socrates Ariminensis concilii narrationem: in quo fidei Ἔκθεσις illa ab Ursacio et Valente proposita est, quæ Sirmii ante concepta fuerat. Sozomenus autem Liberii ab exilio revocati, ac Romam redeuntis historiam pertexit.

Consubstantialis.

Expositio.

Qua in re hodierni Scriptores Annalium ab antiquis illis dissentiant.

Quod de Sirmiensis adversus Photinum concilii tempore Socrates ac Sozomenus tradiderunt; nimirum Sergio ac Nigriano coss. celebratum fuisse, qui est annus æræ christianæ CCCLI, id in magnis Annalibus ad A. CCCLVII duobus, vel tribus præsertim argumentis refellitur. Quorum auctoritatem secuti reliqui Ecclesiasticæ historiæ temporumque conditores, cum erroris eosdem illos scriptores insimulant, tum anno Christi CCCLVII, Constantio IX et Juliano coss., damnatum in Sirmiensi conciliabulo Photinum asserunt. Argumenta porro sunt ejusmodi. Imprimis Socrates, ac Sozomenus testantur Osium Cordubensem ad Sirmiensem synodum invitum accessisse, ibique vi ac tormentis extortam ab illo Athanasii damnationem. Atqui nonnisi relegato jam Liberio, postquam insuper annum jam integrum Sirmii esset a Constantio detentus, cum Arianis communicavit Osius; quod Athanasius docet epist. *ad Solitarios*. καὶ ἀντὶ ἐξορισμοῦ κατέχει τοῦτον ὅλον ἐνιαυτὸν ἐν τῷ Σιρμίῳ. *Exilii loco annum integrum Sirmii illum detinet*. Liberius autem, ut ex Socrate, et Ammiano liquet, non ante Christi annum CCCLV Arbetione scilicet, et Lolliano coss. in exilium abiit: cum Mediolanum, ubi tum Constantius erat, Roma esset excitus. Athanasius vero eodem illo libro scribit Osium ex Hispania primum Constantii litteris accitum Mediolanum venisse; indidemque in patriam ab illo remissum: paulo post iterum evocatum anno toto Sirmii maceratum, cruciatumque demum succubuisse. Quod si anno duntaxat CCCLVI Constantius, ex quo Sirmio in Italiam profectus erat, Roma in Illyricum reversus est, uti supra disputatum est, apparet non ante CCCLVII annum, confecta jam Osii annua Sirmii relegatione, Sirmiensem synodum obiri potuisse, cui Osius suffragator accesserit. His duabus rationibus, quod et post Liberii exilium, et post annuum carcerem ad consentiendum adactus sit Osius, tertiam adjunxit ex Hilario; qui libro *de Synodis* Sirmiensem affirmat post triennium esse celebratam, ex quo Saturnino Arelatensi episcopo Ariano a catholicis est negata communio. Manifesta vero Saturnini defectio tum contigit, cum expugnato Magnentio Constantius Arelatem sese contulit. Constat autem ex Ammiano lib. XXII Constantium nonnisi anno Christi CCCLIII Constantio VI et Gallo II coss. Arelatem venisse, ibidemque natalem suum 6 id. Oct. celebrasse. Unde perspicuum est anno demum CCCLVII triennio jam absoluto, Sirmiensem synodum peractam fuisse. Quæ quidem omnia sic in Annalibus digeruntur.

Anno CCCLIII, Constantio VI et Gallo II coss., victo Magnentio Constantius in Gallias profectus, Arelate hiemem traduxit. Ubi concilio Arianorum coacto damnatur Athanasius: Paulinus Treverensis, una cum aliquot catholicis episcopis exilio multati.

Anno CCCLIV Constantio VII et Gallo III coss. Gallus Cæsar Constantii jussu necatur, Athanasius Alexandriæ vexatur.

A. CCCLV Arbetione et Lolliano coss. Mediolanense concilium indicitur ac celebratur in causa Athanasii, præsente Constantio. Qui catholicos ac sanctissimos episcopos illius damnationi subscribere recusantes in exilium ejicit; nimirum Vercellensem Eusebium, Dio-

1 Sozom. lib. IV, cap. XII.

nysium Mediolanensem, ac postremo Liberium papam, quem Roma Mediolanum acciverat. Sub hæc Osius ex Hispaniis accersitus, frustraque sollicitatus in patriam rediit.

A. CCCLVI Constantio VIII et Juliano coss. Athanasius Syriano duce grassante Alexandria pulsus, eique substitutus Georgius. Constantius Mediolano Romam pervenit tertio kal. Maias. Ibi a matronis interpellatus Liberium edicto revocat. Eudoxius Germaniciæ episcopus audita Leontii morte Roma Antiochiam advolans Sedem occupat. Constantius 4 kal. Jun. urbe digrediens in Illyricum festinat.

A. CCCLVII Constantio IX et Juliano II coss. Sirmiense concilium coram Constantio celebratum. In quo primum damnatus Photinus, et a Basilio Ancyræ episcopo confutatus. Tum fidei formulæ tres conscriptæ. Prima auctore Marco Arethusio Græca. In qua damnati inter cætera, qui ex alia substantia, et non ex Deo Filium exstitisse dicerent. Habet hanc Athanasius lib. *de Synodis*, Hilarius lib. *de Synodis* et Socrates. Secunda Latine primum edita, et Græce postmodum conversa apud Athan. et
bstantiæ. Socratem exstat. Quæ τῆς οὐσίας et ὁμοουσίου,
nsubstantialis. necnon et ὁμοιουσίου vocabula commemorari
Similis ubstantiæ. vetuit; Patrem vero majorem esse Filio decrevit. Hanc fidei professionem ab Osio et Potamone conscriptam prodit Hilarius. Ex
xpositionem. quo facile colligitur, hanc esse fidei ἔκθεσιν, cujus approbatio vi ac tormentis ab Osio est expressa. Sed Osii lapsum compensavit Semiarianorum propemodum catholicum decretum in Ancyrana synodo, cui Basilius præfuit. In quo adversus Sirmianam perfidiam Orientales professi sunt, Filium per omnia adeoque secundum substantiam, esse Patri similem. Quam professionem valde commendatam, ac notis illustratam in Gallias misit Hilarius. At Basilius cum Semiarianis sociis Sirmium reversus, et cum Valente, Ursacio, cæterisque germanis Arianis congressus est. Qui ita demum inter se Constantio annitente consentiunt, ut sublato substantiæ nomine, Filium per omnia Patri similem esse profiterentur. Hinc tertia illa fidei formula manavit, quam Valens ad Ariminense concilium detulit, ut Epiphanius hac ipsa in hæresi testatur. Quam quidem apud Socratem habes, adscriptis coss. nominibus: qua de causa Catholicorum omnium, præsertim Athanasii, risu ac ludibrio est excepta. Eodem anno Liberius Berœa revocatus Sirmii primæ illi formulæ subscripsit, quæ Græce a Marco contra Photinum scripta fuerat; non secundæ. Quo impetrato Romam remittitur.

A. CCCLVIII absoluta Sirmiana pseudosynodo; Constantius Nicomediam alteram indicit. Sed ea terræ motu prostrata, mox etiam Nicæa, quo conventum transferri placuerat, eadem ruina subversa.

A. demum CCCLIX bifariam distributis episcopis, eodem tempore Arimini ac Seleuciæ in Isauria synodi celebrantur. Hanc illorum temporum historiam, cujusmodi in *Annalibus* traditur, cum in cæteris Nicolaus Faber vir eruditissimus non improbet, in hoc dissentit uno, quod tertiam fidei professionem, cui coss. additi sunt, negat in Sirmiensi synodo fuisse conflatam. Itaque duas duntaxat priores editas tum esse censet, cum adversus Photinum Ariani convenerunt. Postremam vero Sirmii illam quidem editam, sed in fortuito episcoporum concursu, non legitimo, indictoque concilio. Sic enim existimat in illa præfatione, quam Hilarii fragmentis præfixit: Constantium litteris ad Ancyranum Basilium scriptis, mandasse ut de loco cogendæ synodi cum Orientalibus deliberaret. Sed cum inter illos convenire non posset, Basilium ad imperatorem venisse Sirmium, ibique Marcum Arethusium, Valentem, aliosque reperisse. Tunc collatis capitibus, et conspirantibus ad Nicænam fidem evertendam animis, statuisse ut Nicææ synodus haberetur. Post cum eamdem urbem terræ motus afflixisset, statuisse, ut episcoporum pars Ariminum, pars Seleuciam sese conferret. Ac per idem tempus Sirmii novam ac tertiam fidei formulam a Marco Arethusio fuisse conscriptam; ut ex Germinii epistola, quæ in *Fragmentis* legitur, Nicolaus Faber observat.

Refellitur historica superiorum omnium narratio.

Fuit hoc igitur hactenus persuasum omnibus, ab una eademque Sirmiensi synodo condemnatum esse Photinum, et sive tres, sive duas saltem fidei formulas esse profectas. Quarum adversus Photini dogmata prior edita est, in qua Deo nomen οὐσίας attributum *Substantiæ.*
est, quam neque collatari, neque contrahi posse decreverunt. Quam etiam Græce a Marco Arethusio scriptam testatur Socrates lib. II cap. XXV. Altera Latino sermone tradita, Va-

lente, Ursacio, Germinio, ac cæteris episcopis præsentibus, ut inscriptio ipsa fert. In qua οὐσίας nomen necnon et ὁμοουσίου, atque ὁμοιουσίου vocabula, quod in sacris Litteris non extarent, oblitterata sunt, et in perpetuum proscripta. Nam de tertia merito, ut postea videbimus, Nicolaus Faber repugnat, quam alii eadem illa in synodo putant esse conscriptam. Hanc Socratis, Sozomeni, aliorumque, ut mox constabit, hallucinationem, novis erroribus recentiores historici cumularunt. Quorum non minimus ille est; quod Ancyranam Semiarianorum synodum, quæ adversus secundam Sirmiensem formulam habita est, in eumdem annum conjiciunt, quo a Sirmiensi concilio damnatus est Photinus, nempe Christi CCCLVII. Verum nos ex antiquis Patribus primum illud odorati sumus; tres omnino conventus episcoporum eodem in Sirmiensi oppido, non iisdem temporibus celebratos fuisse. Quorum primus synodicus et indictus fuit, cum adversus Photinum imperatoris litteris acciti sunt episcopi: Reliqui duo fortuiti, minimeque conciliorum loco ac nomine censendi: in quibus pauci duntaxat episcopi, qui forte ad imperatorem accesserant, communicatis consiliis nova fidei decreta condiderunt. Quocirca primum omnium contra Photinum Sirmii concilium generale Constantii jussu celebratum; de cujus anno postea constituemus. Ibi formula illa fidei edita, de qua proxime diximus. Deinde diversis temporibus aliæ duæ ab Ursacio et Valente, aliisque Arianis episcopis conscio imperatore prodierunt. Hoc ne temere contra communem tot scriptorum consensionem attulisse videar, proponam breviter, quibus id argumentis fretus affirmare non dubitem.

Horum itaque primum est; quod istud ipsum Basilius Ancyranus, ac cæteri Semiarianorum principes, qui Ancyranæ synodo subscripserunt, diserte testati sunt in epistola synodica, quam Epiphanius descripsit. Quam quidem in hanc fere sententiam exorsi sunt: Optasse id sese quidem, ut post expositionem illam fidei, quæ Antiochiæ in Encæniis edita est, καὶ μετὰ ταῦτα κατὰ Σαρδικὴν, καὶ τὴν ἐκεῖ αὖθις ἀνθήσασαν πίστιν, καὶ ἔτι μετὰ τὰ ἐν Σιρμίῳ ἐπὶ Φωτεινῷ γεγενημένα: *post Sardicensem fidei professionem. eaque quæ Sirmii contra Photinum decreta sunt*, Ecclesia conquiesceret. Tum aliquot interjectis, ea se perpolire atque explicare voluisse demonstrant, quæ in superioribus synodis constituta erant, ut Antiochena, et Sardicensis, ἣν ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ Σύνοδος; *quam* inquiunt, *Sardicencis concilii fidem Sirmiensis synodus amplexat*, vel *repetiit*. Quare Sirmiensem synodum Ancyrana illa synodus approbavit. Eadem vero e contrario formulam fidei alteram, quam in Sirmiensi concilio omnes editam opinantur, non modo non recepit; sed ad eam evertendam, ac profligandam est potissimum coacta. Quod in libro *de Synodis* docet Hilarius: ubi Ancyranam synodum ejusque decretum, cujusmodi hic apud Epiphanium exprimitur, accuratius explicans, ac vehementer commendans, eidem Sirmiensem illam fidei professionem præfixit; cum hoc titulo: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, et Potamium conscriptæ*: et adversus hanc fidei ἔκθεσιν Orientales Ancyræ convenise confirmat. Quare fieri nullo modo potest, ut hæc, quam Semiariani tantopere impugnarunt, fidei formula in eo concilio sit edita, cui non interfuerunt modo ipsi, verum etiam præfuerunt; quodque recipere, ac sartum tectum tueri velle sese profitentur. Audi ipsosmet apud Sozomenum lib. IV, cap. II enixe ab imperatore postulantes, ὥστε κρατεῖν τὰ ἐν Σαρδικῇ, καὶ ἐν Σιρμίῳ· καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις Συνόδοις κεκριμένα. *Ut ea rata manerent, quæ in Sardicensi, ac Sirmiensi, aliisque conciliis constituta fuerant.*

Præterea Basilius Ancyranus in eadem synodica Ancyrani concilii, longo post Sirmiensem synodum intervallo, alteram illam Sirmiensem formulam exstitisse demonstrat. Etenim post Sirmiense concilium, quod, uti dictum est, observare ac tueri velle significat, acquievisse se scribit, donec novorum hæreticorum importunitate, et Georgii Laodiceni litteris commotus ad propugnandam fidem se cum suis episcopis erexit. Oportet igitur inter Sirmiensem synodum, et Ancyranum concilium intercessisse Georgii Laodiceni litteras; quas recitat Sozom. lib. IV, cap. XII. Superiori autem capite scribit Eudoxium, simul atque in Antiochenæ sedis possessionem pedem posuit, totum se ad Aetii promovendam perfidiam cum Acacio Cæsariensi, et Uranio Tyri episcopo contulisse; eamque præ se tulisse speciem, quod Occidentis episcopi eidem suffragati fuissent: nimirum Osius, qui cum Ursacio, et Valente invitus consenserat, ut τὸ ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον expungeretur. Quas cum Osii litteras accepissent, Valenti et Ursacio gratias egerunt, quod illorum opera Occidentis episcopi rectam fidem essent amplexi. Quibus rebus excitatus Georgius Laodicenus Semiariano-

rum patronus, cum sub idem tempus ad novam dedicandam Basilicam Ancyræ vicini a Basilio convocati essent episcopi, epistolam ad eos scripsit, hortatusque est, ut Eudoxii, atque Aetii grassantem impietatem auctoritate sua compescerent. Ea fuit Ancyrani conventus occasio : a quo legati ad imperatorem missi, Basilius ipse, Eustathius Sebastiæ, Leontius Cysici episcopi, qui nominatim hoc peterent, ut Sardicensis ac Sirmiani concilii decreta servarentur. Jam illud ex superioribus didicimus, Eudoxium anno CCCLVI cum Romæ una cum imperatore esset, audita Leontii morte, Antiochiam 4 kal. Jun. esse profectum. Qua in urbe Ursacii et Valentis litteras accepit cum fidei formula, quæ τοῦ ὁμοουσίου, atque ὁμοιουσίου voces oblitterari jubebat. Est autem, ut ex Hilario monstravimus, eadem illa formula, quam in Sirmiensi synodo secundo loco dictatam arbitrantur omnes. Quod si anno sequenti, hoc est CCCLVII Sirmiense concilium habitum est, ut iisdem auctoribus placet, neque Eudoxius, Acacius, et Uranius, neque Basilius ipse, ac Georgius Laodicenus Sirmiensi synodo, ac Photini damnationi interfuerunt. Quod de Basilio sane falsissimum est, qui magna pars Sirmiensis concilii fuit; utpute cujus opera convictus est, ac superatus Photinus. Quin ut omni ex parte veritas elucescat, alterum accipe. Ancyrana synodus, quemadmodum synodica illius epistola docet, ante Pascha celebrata est, τῆς ἁγίας ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἐπικειμένης : ad quam propterea episcopi plerique, qui convocati fuerant, adesse ob hiemis inclementiam minime potuerunt. Quid igitur fingi potest absurdius, quam quod ex illorum narratione sequitur, Ancyranam synodum ante Sirmiensem esse celebratam? Etenim si anno CCCLVI Eudoxius Antiochenam sedem nactus est, Ancyranum vero concilium anno sequenti; ut eodem anno Sirmiense concilium indictum fuerit, nonnisi post hiemem, et Pascha, adeoque post Ancyranum celebrari potuit. Atqui jam peractum esse oportuit : siquidem edita ab Osio Sirmiensis concilii formula jam emanarat in publicum. Quare et absente Basilio, ac reliquis episcopis, damnatus Photinus, ac Sirmiense concilium absolutum est; et propter alias causas nondum inchoari potuit : quoniam Ancyranum Sirmiensi debet esse posterius. Apparet autem tum cum Sirmiensi illa posterior est emissa formula, neque Eudoxium, neque Basilium aut Georgium fuisse Sirmii : quandoquidem Eudoxius et alii ob acceptam illam, Sirmioque missam, et a solis videlicet Occidentalibus, ideoque Latine conceptam, gratias egerunt per litteras; πρόφασιν, inquit, ποιούμενος, ὡς καὶ οἱ ἀνὰ δύσιν Ἐπίσκοποι ταῦτα ἐψηφίσαντο. *Hoc ipsum ad impietatis suæ patrocinium allegans, quod eamdem fidem Occidentales professi fuissent.* Mox : Ἐπιστολὴν πρὸς αὐτοὺς διεπέμψαντο, Οὐάλεντι, καὶ Οὐρσακίῳ καὶ Γερμανίῳ χάριν ὁμολογοῦντες, καὶ τοῦ ὀρθῶς δοξάζειν τοὺς ἐν τῇ δύσει τὰς ἀφορμὰς ἀυτοῖς ἀνατίθεντες. Hæc omnia, quod et ab Occidente, et ab Occidentalibus episcopis Osio, Valente, atque Ursacio missa, et in Occidentalium gratiam conscripta fidei expositio dicatur, satis indicant alio quam Sirmiensis synodi tempore fuisse contextam. Fuit enim non solum generalis ista synodus, sed ab Orientalibus præsertim, Græcisque celebrata; a quibus præ cæteris, ut dictum est, Photini error disputando convictus est. Ac si inter acta Sirmiensis concilii secunda illa formula censeretur, nunquam Semiariani aut illud laudassent, aut ratum haberi sine ulla exceptione postulassent; sed nominatim repudiatis posterioribus, de prioribus ejus actis cavissent. Verum quid hic tergiversamur? Est enim evidens, et sane luculentum Hilarii ea de re testimonium : qui in libro *de Synodis* dubitationem omnem eximit. Scripsit hunc librum ad episcopos Gallicanos Hilarius paulo ante Ariminensem synodum; cum ab illis interpellatus esset, ut de actis Ancyrani Orientalium consessus, deque Sirmianæ blasphemiæ damnatione perscriberet. Quibus morem ille gerens principio Sirmiensem ἔκθεσιν proponit, eadem plane cum ea, quam Socrates et Athanasius referunt : cujus *Professionem.* auctores Osium ac Potamium facit. Subjicit deinde Orientalium decretum, quod adversus istam formulam in Ancyrano concilio statutum est, idque cum mirifice prædicat, tum singulas ejus sententias, et anathematismos uberrime declarat. Postremo reliquas ab Orientalibus editas professiones, quæ cum catholica fide consentaneæ sunt, exponit; quibus ita præfatur. « Dignum autem est conscientia communi etiam cæteras eorumdem episcoporum Orientalium *diversis et locis, et temporibus* conscriptas fides noscere, ut per plures confessiones sinceritas conscientiæ possit intelligi. » Subdit postea Sardicensis Orientalium synodi formulam. Tum ita pergit : « Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim tunc, cum Photinus episcopatu dejectus est, conscripta est. » Mox

Sirmiensis concilii professionem describit. Satin' aperte Latinam illam posterioremque formulam ab Osio, ut scribit, editam, a Sirmiensi concilio separat; quod *diverso tempore* celebratum affirmat? Sed et cum ita loquitur, *tunc cum Photinus episcopatu dejectus est;* itemque cum expositionem fidei contra Photinum scriptam explicans, his verbis orditur : « Necessitas et tempus admonuit eos, qui *tum* convenerant per multiplices quæstiones latius, ac diffusius expositionem fidei ordinare, etc.,» non obscure aliud illius tempus esse significat. Hoc enim attente considerari volumus; quod cum deinceps « cæteras eorumdem Orientalium episcoporum diversis et locis, et temporibus conscriptas fides » expositurum se esse denuntiasset, nullam præter Sardicensem, et Sirmiensem contra Photinum editam subjecerit. Ex quo necessario sequitur, non minus istam, quam Sardicensem, si non locis ab Osiana et Latina posteriore diversis, temporibus certe non iisdem esse conscriptam. Postremo Sulpitius Severus, lib. II *Historiæ sacræ*, liquida apertaque narratione multo id validius confirmat. Scribit enim post Sardicensem synodum, et Ursacii ac Valentis pœnitentiam, interjecto deinde tempore, cum Athanasius Marcellum, qui in Sardicensi concilio a catholicis erat absolutus, parum sianæ fidei compertum a communione suspendissst, Arianos ea occasione libenter usos, quo Sardicensis synodi decreta subverterent. Igitur astuto concilio Photini, Marcelli et Athanasii damnationem miscuisse. Cum enim propalam Ariani erroris sui dogmata prædicare non auderent; ac catholicos se gererent, nihil prius sibi agendum ratos esse, quam ut Athanasium ab Ecclesia submoverent. Sed cum litteras de illa Photini, Marcelli, et Athanasii damnatione dedissent, restitisse catholicos scribit: atque inter cæteros Paulinum Treverensem ita subscripsisse: se in Photini ac Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare. Quare cum illorum de Athanasio sententia repudiaretur, plerique a Constantio relegati; ac tum Arelatensis, et Biterrensis synodi celebrantur: inde Mediolanensis; in qua insignes quidam episcopi in exilium pulsi, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus; Liberius quoque, et Hilarius. Quæ omnia Arbetione et Lolliano coss. facta esse scribit. Hæc summatim Sulpitius. Quibus superior ille agnitus a nobis et patefactus error convincitur. Vides enim post Sardicensem synodum et receptos in communionem Ursatium, ac Valentem, aliquanto tempore interjecto, Sirmiensem adversus Photinum celebratam synodum, ante Arelatensem, et Mediolanensem, necnon antequam Liberius papa, Eusebius, aliique proscriberentur. Atqui conciliabulum Arelatense, quod a Saturnino celebratum est, anno Christi CCCLIII contigit, cum Sirmio in Gallias profectus esset Constantius, ut in Annalibus legitur; Mediolanense vero anno CCCLV, Arbetione et Lolliano coss. Tanto igitur ante tempore damnatus Photinus ac Sirmiensis peracta synodus est, quam secunda fidei formula in eodem Sirmiensi oppido ab Ursacio, Valente, Osioque prodiret, quæ post relegatum Hilarium, nec longe ante synodum Ariminensem edita est, ut ex eodem Hilario constat: neque potest anno CCCLVII Sirmiense concilium ullo modo congruere.

Neminem vetustissimi erroris adeo tenacem fore confido, qui non tot argumentis convictus nostræ illi non opinioni, aut conjecturæ, sed certissimæ veritati suffragetur; adeoque vehementer obstupescat, nemini hactenus mortalium tam immanem historiæ labem in tanta doctrinarum omnium luce, tantaque annalium, et chronicorum copia vel levissime suboluisse. Ac nostris quidem accuratis, atque eruditis hominibus danda venia est, qui Socratis, Sozomeni, atque antiquorum vestigia secuti sunt: illos ipsos erroris auctores ac duces excusare non possum; qui ut illorum temporum viciniores erant, sic ad eorum explorandam historiam instructiores esse debuerunt.

Posteaquam firmamentum ipsum falsæ narrationis, et caput evertimus, reliqua, quæ huic innixa minus habent momenti, erroris non minus, suapte sponte fracta infirmataque concident. Ejusmodi est quod de Ancyranæ synodi tempore definitur; in eumdem annum incidisse, quo Photinus in Sirmiensi concilio damnatus est, nempe anno CCCLVII. Quod non modo falsum est, quia longe ante hunc annum Sirmiensem illam synodum celebratam paulo ante docuimus, sed etiam quod, etsi hoc ipso anno peracta sit, non potest in eumdem Ancyramus conventus incurrere. Hic enim ante Pascha celebratus est : unde et plerique ob hiemem interclusi in synodica epistola dicuntur. Non potuit igitur eodem anno Sirmiensis synodus fieri : nisi posteriorem hanc fuisse velis, quod longe est absurdissimum : quoniam ad oppugnandam Sirmiensem illam formulam, quam in concilio conscriptam existi-

mant, Ancyrana est synodus collecta. Quinetiam postquam hæc fidei professio allata Sirmio est, nonnihil ante concilium Ancyranum temporis intercessit. Nam Hilarius lib. *de Synodis*, Occidentales episcopos collaudat, quod « missam ad sese ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepissent, sed nuntiatam etiam significatamque damnassent. » Quo cum exemplo scribit excitatos Orientales episcopos in Ancyrano concilio « irreligiosorum audaciæ quibusdam sententiarum suarum decretis contradixisse.» Necesse est itaque aliquanto post publicatam Sirmiensem ἔκθεσιν spatio, Ancyranam a Basilio synodum esse conflatam. Quid quod Osius ipse, a quo eamdem illam profectam formulam auctor est Hilarius, annum integrum Sirmii retentus est, priusquam ad consensum adigeretur? Quare cum nonnisi post Junium mensem anni CCCLVI Constantius Sirmii esse potuerit, consequens est, anno sequente, eodem circiter tempore, istam ab Osio professionem Arianos extorsisse. Atqui diu ante, nimirum sub Paschale tempus, Ancyræ convenere Semiariani. Vides quantus sit apud illos rationum inter sese, sermonisque conflictus. Sed ex iis, quæ supra constituimus, quæque paulo post tractranda sunt, apparet aliud Ancyranæ synodo tempus esse tribuendum.

Professionem.

Nec minus quod illi tam acriter pugnant indidem refellitur; Liberium papam priori illi fidei professioni subscripsisse, quæ in Sirmiensi synodo contra Photinum est emissa. Quippe aliquot annis non Liberii modo restitutionem, sed exilium ipsum Photiniana damnatio præcessit. Fecerit Liberius, necne, quod fecisse plerique veterum Patrum, ut Athanasius, Hieronymus, aliique consentiunt, nihil ad institutam disputationem attinet. Etenim fieri potest, ut cum Ursacio, Valente, ac reliquis Arianis communicaverit quidem, et Athanasium damnaverit, sed hæreticæ pravitati nequaquam subscripserit. Hæretici vero etiam comprobatam ab illo hæresim falso jactaverint. Hoc vero certissimum est, neque priori illi contra Photinum editæ subcripsisse, et, si ex tribus Sirmiensibus aliquam admiserit, non aliam, quam secundam, cui et Osius assensus est, comprobasse. Ac mihi quidem purgandi ab omni hæresis suspicione Liberii expedita quædam ratio, et facilis occurrit; si oblatam quidem illi secundam Sirmiensem ἔκθεσιν dixerimus: non integram tamen, aut cujusmodi apud Socratem, et Athanasium, atque Hilarium legitur: sed priorem ejus partem, in qua τοῦ ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου vocabula reticenda esse decernitur; quod pacis ac quietis studio complexus est. Verum Ariani eidem formulæ reliqua postmodum intexuerunt, ac specioso Romani pontificis nomine et auctoritate suum dogma venditarunt. Dicam amplius, ne isti quidem professioni subscripsisse Liberium; sed alteri cuidam, qua id unum caveretur, ne quis consubstantialis vocabulo in posterum uteretur. Quod cum de catholica severitate Liberius remisisset, et Athanasii insuper damnationi consensisset, visus est in hæresin prolapsus; eaque postmodum opinio Arianorum fraudibus, et calumniis percrebuit; cum Sirmiensem fidei formulam eodem tempore publicantes, eam ipsam, cui assensus erat Liberius, illam esse mentiti sunt. Cujus rei conjecturam ex Sozomeno licet capere: qui lib. IV, cap. XIV scribit, cum a Liberio Valens et Ursacius consensionem expressisset, vicissim ab eo professionem accepisse alteram, qua illi damnarentur omnes, qui non substantia, cæterisque similem Patris esse Filium assererent. Tum addit: Eudoxium, ac reliquos Anomœos, qui Antiochiæ versabantur, cum Osii epistolam, hoc est, Sirmiensem formulam accepissent, id in vulgus sparsisse, Liberium τὸ ὁμοούσιον repudiasse, ac dissimilem Patris asseverasse Filium. Quocirca perspicuum est Liberium professioni illi Sirmiensi, quam Osii et Potamii blasphemiam appellat Hilarius, minime subscripsisse, in qua nominatim τὸ ὁμοιούσιον, quemadmodum et τὸ ὁμοούσιον, rejectum est; imo vero et οὐσίας nomen ipsum: ac præterea pronuntiatum, Patrem honore, dignitate, claritate, et majestate majorem esse Filio; qui Patri cum omnibus ab eo sibi subjectis sit ipse subjectus. Quomodo enim hæc approbari a Liberio potuerunt, qui conceptis verbis Patri per omnia, adeoque τῇ οὐσίᾳ similem esse Filium edixerit? Sed nimirum simplicem ab eo controversi vocabuli suppressionem cum extorsissent, cætera ad illam adjunxerunt: eaque res ob damnati præsertim Athanasii invidiam, fidem apud Arianos perinde ac catholicos obtinuit.

Homousiou et homœousiou id est ejusdem et similis substantiæ.

Substantia.

Hic mihi præ cæteris Hilarii auctoritatem objici posse video, qui in fragmentis a Nicolao Fabro editis epistolæ Liberii, quam *ad Orien-*

1 Liberii purgatio.

tales scripsit, quaque se a Demophilo fidem catholicam, quæ apud Sirmium prodita est, didicisse narrat, ista subjicit : « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt : Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius Sylvanus, Ursacius, Valens, Macedonius, » etc. Sed quicquid de Fragmentis illis sentiendum sit, hæc profecto subscriptio ab Hilarii manu esse non videtur, sed imperiti cujusdam, qui Arianæ sectæ divortia non satis perspexerat. Etenim Basilius iste, ac Silvanus, nec non et Macedonius ab Epiphanio, cæterisque Semiarianorum principes censentur : quorum adversus Sirmiensem illam professionem acerrima studia, ac contentiones exstiterunt. Neque vero tum, cum ea est edita, Sirmii esse Basilius potuit; imo nec Eudoxius ipse, qui hanc ab Ursacio et Valente missam Antiochiæ, ubi tum cum suis versabatur, accepit, et a solis Occidentalibus conscriptam esse datis ad illos litteris testatus est. Quæ omnia supra copiose declarata sunt. De tertia fidei expositione quid statuendum sit dicemus ad numerum 22.

Nova quædam ex veterum Patrum testimoniis rei gestæ series exponitur.

Pergam de historiis, et annalibus ecclesiasticis bene mereri, ac quemadmodum dirigi veritatis ad amussim debeant, proponam hoc loco breviter, ut hac offensione sublata, rectam deinceps viam omnes insistant. Initium a concilio Sirmiensi capiam, quod contra Photinianum dogma collectum a Constantio est. De quo verissimum esse statuo, quod Socrates ac Sozomenus scripserunt : celebratum esse Sergio ac Nigriano coss., anno Christi CCCLI, quod sine dubio ex actis concilii Sirmiensis compertum habuerant. Hoc enim e superioribus abstulimus, præsertim ex historia Sulpitii, synodum illam ante Arelatense, et Biterrense concilium indictam fuisse, hoc est, ante annum CCCLIII. Igitur in annum illum convenit, quem historici veteres adnotarunt. Sed in eo hallucinati sunt, quod cum triplex Sirmii edita esset fidei professio, uno eodemque tempore et a synodo decretas omnes existimarunt. At id secus sese habet. Nam in concilio Sirmiensi prima duntaxat illa dictata est, qua Photiniani errores damnantur : quamque ut piam ac catholicam descripsit, atque explicavit Hilarius. Quanquam in eadem synodo adversus Athanasium aliquid præterea decretum ab Arianis testatur Sulpitius. Auctor vero Sirmiensis illius formulæ non Marcus Arethusius, sed synodus ipsa, ut Hilarius innuit. Nam a Marco tertia, ut suo loco dicetur, est conscripta. Post Sirmiense concilium, convictumque ab Ancyrano Basilio, et ab omnibus damnatum Photinum, cum jam Magnentius a Constantii legatis devictus esset, imperator anno CCCLIII in Gallias profectus est. Ac tum Arelatense conciliabulum celebratur, in quo plerique catholici præsules exulare jussi, grassante Saturnini perfidia.

Inde anno CCCLV Arbetione et Lolliano coss., cum jam Constantius Mediolanum pervenisset, synodus ibidem est habita, cæteraque gesta, quæ a Baronio diligenter explicantur. In reliquis nutant Annales.

Anno CCCLVII Sirmii, quo Imperator anno superiore sese contulerat, nova fidei expositio paucis ab Arianis episcopis, præsertim Occidentalibus, procuditur, quorum principes erant Ursacius et Valens. Cui mox invitus ac renitens licet subscribit Osius; non tamen Athanasium ut damnaret adduci potuit : quod in epist. *ad Solit.* Athanasius ipse confirmat. Contigit hæc Osii calamitas affecto jam anno CCCLVII. Quippe post annum integrum, quam Sirmii a Constantio detentus erat, Arianæ professioni assentiri coactus est. At Constantius Junio, vel Julio duntaxat mense anni superioris Sirmii esse potuit, ut supra probatum est. Quare circa idem tempus anno sequente extorta videtur ab Osio perfidiosa illa confessio. Est autem ea ἔκθεσις Sirmiana, *Professio.* quam secundam omnes numerant, quæque ab Hilario basphemia Osii, ac Potamii nominatur. Hujus cum Arianos postea pœnituisset, operam dederunt, ut ea ubique supprimeretur, interposita etiam imper. potestate, qui supplicium iis, qui illam penes se retinerent, interminatus est : auctor Socrates lib. II, cap. XXV. Per idem tempus Liberius pontifex, qui in Mediolanensi concilio ante biennium, hoc est anno CCCLV, Berœam gloriosissime relegatus fuerat, Constantii imperat. et Arianorum fraudibus ac terroribus infractus, simul recuperandæ sedis, et patriæ desiderio, Sirmium evocatus Athanasii damnationi subscripsit; unaque fidei professionem dedit, qua τοῦ ὁμοουσίου vocabulum concordiæ gratia reticeretur; licet Filium Patri substantia, omnibusque in rebus similem esse defenderet. Quam occasionem Valens et Ursacius nacti

secundam illam perfidiæ plenam fidei professionem, tanquam a Romano pontifice comprobatam, ubique disseminarunt, et imprimis ad Eudoxium ejusque sodales Anomœos Antiochiam miserunt. Qua re audaciores illi facti Aetianum dogma, quod timide hactenus, diffidenterque prædicabant, palam divulgare cœperunt. Ex quo magna per Orientem ac Syriam perturbatio consecuta. Cujus gratia Georgius Laodicenus epistolam scripsit *ad Basilium Ancyranum*, qui ad Ecclesiæ, quam nuper a fundamentis excitarat, Encænia finitimos episcopos conciverat, admonens ut cum collegis suis grassantem Anomœorum impietatem synodico decreto jugularet. Ex iis labi illos opinione constat, qui ex Theodoreto colligunt, Liberium ab exilio revocatum esse, eodem illo anno, quo Constantius Romæ degens a matronis interpellatus est. Siquidem nonsisi post biennium, quam ejectus fuerat, restitutus est Liberius. At anno CCCLV Mediolani, ut dictum est, imperator sententiam in illum dixit, et post Osii lapsum Sirmium accitus est. Quare ita Theodoretus interpretandus est, ut tum quidem Constantius matronis spem illius restituendi fecerit; sed id altero deinde anno præstiterit.

Anno CCCLVIII Basilius Ancyranus acceptis Georgii Litteris, cognitisque quæ Sirmii a Valente, et Ursacio gesta fuerant, cum ad Ecclesiæ, uti dictum est, consecrationem conventum haberet episcoporum, Ancyranam synodum celebrat, in qua Sirmiensis Osii, ac Valentis, et cæterorum condemnata fidei formula est, statutumque Patri Filium substantia esse similem. Qua ex synodo litteræ scriptæ sunt ad Phœnices, et Syros; ubi Eudoxii Antiocheni studio Anomœorum perfidia flagrabat : quas Epiphanius recitat. Deinde legati ad imperatorem Sirmium missi, Basilius ipse, Eustathius Sebastenus, Leontius Cyzicenus, qui Eudoxianorum illic disturbatis consiliis, imperatorem perpulerunt, ut adversus Eudoxium, et Anomœos ad Antiochenos scriberet. Tum autem, nisi fallor, accidit illud quod e Socrate supra retulimus, ut imperatoris mandato Osiana illa, sive secunda Sirmiensis abrogaretur formula : cum Basilius Semiarianorum signifer plurimum apud imperatorem gratia, et auctoritate posset. Atque ad Orientales illos tumultus, novamque hæresim exterminandam, Constantius synodum auctore Basilio Nicomediam indixit. Quæ cum terræ motu concidisset, ac subinde Nicæam, quo episcopos convocari placuerat, eadem calamitas afflixisset, tandem Basilius imperatoris litteris cum episcopis aliis de idoneo loco deliberare jussus, cum inter illos minime conveniret, Sirmium ad imperatorem advolat. Ibi Arianos episcopos reperit, Marcum Arethusium, Georgium Alexandrinum, Valentem, et cæteros. Quorum omnium consilio Constantius Seleuciam in Isauria ad synodum delegit. Verum Eudoxii, Acacii, Valentis, Ursacii Anomœorum opera factum est, ut divisis episcopis, Occidentales quidem Arimini, Orientales vero Seleuciæ congregarentur. In hoc Arianorum principum congressu accidit, quod Hilarius libro *de Synodis* narrat, ut Orientales episcopi, qui Sirmiensi blasphemiæ restiterant, auctores ejus compellerent, ut subscribendo damnarent, quod fecerant. Quinetiam ex eodem Hilario colligitur, posteaquam dividi synodum placuit, principio Ancyram ad Orientalium consessum delectam fuisse. Scribit enim his verbis: « Sed maxime cum comperissem synodos in Ancyra, atque Arimino congregandas, et ex singulis provinciis Gallicanis binos, vel singulos eo esse venturos. »

Cur autem in annum CCCLVIII non superiorem, ut cæteri omnes, Ancyranam Semiarianorum synodum contulerim, docebunt allatæ a me ante rationes, ex quibus necessario hæc temporum partitio deducitur.

Anno demum CCCLIX tertia illa Sirmiensis formula a Marco Arethusio, consentientibus Semiarianis, edita est; uti pluribus postea declarabitur. Qua conscripta, Valens ad Ariminensem synodum eam detulit, quæ hoc anno ab Occidentalibus habita, cum Orientales Seleuciæ in Isauria convenissent.

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBÆ SIRMITANÆ II

DE ANNO SYNODI SIRMIENSIS

CUM VIRI DOCTI ANIMADVERSIONIBUS AD EPIPHANIUM, ET NUPERA EJUSDEM DISSERTATIONE COMPOSITÆ.

LECTORI.

Biennium est, ni fallor, cum de Sirmiensi contra Photinum synodo Baronii sententiam asserere, contrariisque argumentis, quibus illam Epiphanianæ animadversiones oppugnarant, brevi diatriba respondere conatus sum. Hujus copiam, nec abnuente me, animadversionum auctor nactus cum esset, atque in quæstionem hanc universam attentius et accuratius incubuisset, prolixam nuper dissertationem rationario suo adjecit, in qua non solum pristina illa, quæ adversus Baronium scripserat, præclare sibi visus est confirmare; sed alia etiam haud paulo, ut ipse ait, abstrusiora, et digniora scitu, et nullius hactenus vel tenuissima suspicione perstricta, in medium proferre. Quo de utroque ne temere videar a docto viro dissentire, quam explorata sint quæ pro certis ratisque vendicat, mearum opinor est partium investigare. Quare sicut prior diatriba nostra cum ejus animadversionibus congressa est, ita nunc posterior ista cum dissertatione confliget, atque indidem unde auspicatus est, ab arcanis scilicet nullique cognitis observationibus ordietur. Sed ante omnia priorem illam diatribam, ex qua dissertatio nata est, latentem hactenus et paucorum notitiæ creditam, ut totius causæ fontem et cursum recognoscas, oculis tuis, Lector, et arbitrio subjiciam.

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBA PRIMA SIRMITANA

De anno Synodi Sirmiensis et fidei formulis in ea editis

PRO BARONIO ADVERSUS VIRI DOCTI ANIMADVERSIONES AD EPIPHANIUM.

Quo anno æræ christianæ, quibusve consulibus congregatum sit concilium Sirmiense, quot præterea numero, et quænam in eo conditæ sint fidei formulæ, non una est inter antiquos et ævi nostri scriptores controversia. Etenim ut de anno prius disseramus, Socrates[1] et Sozomenus[2] convocatum tradunt post Sergii et Nigriniani consulatum, qui fuit annus Christi CCCLI. At Baronius toto sexennio ab his differt, celebratum docens anno CCCLVII, consulatu Constantii Augusti nono et Juliani Cæsaris secundo. Socrati et Sozomeno adstipulatur vir magni nominis et amicus noster[3] in Animadversionibus suis ad Epiphanium.

Mihi cur potior Baronii sententia videatur, ratio est non obscura, ejusmodi certe, cui Socrates et Sozomenus refragari nequeant. Testatur enim uterque illorum concilio Sirmiensi adfuisse inter cæteros episcopos Hosium Cordubensem. At certum est, si concilium referas ad annum CCCLI, Hosium illi adesse omnino non potuisse. Enimvero si Hosii lapsus, quo ad Arianæ perfidiæ subscriptionem impulsus est, in synodo Sirmiensi contigit, ut Socrates et Sozomenus affirmant, synodum post Hosii exsilium coactam fateri necesse est. Quorsum enim, si præcesserat synodus, in eaque ad Arianos jam transierat Hosius, Hosio exsilium instigantibus Arianis a Constantio fuisset imperatum? Hosii vero exsilium qui accuratius ratiocinantur in annum Christi CCCLVII incidisse statuunt, argumento epistolæ sancti Athanasii *ad Solitarios*, quæ catholicorum antistitum exsilia ordine percensens, post mentionem Paulini Trevirensis et Luciferi Sardiniæ, Eusebii Vercellensis, Dionysii Mediolanensis, quorum ille a concilio Arelatensi anno CCCLIII, reliqui a Mediolanensi anno CCCLV sedibus suis sunt ejecti, et post Liberii papæ relegationem, quæ aliquanto post secuta est, Hosium extremo loco adnumerat, eumque narrat a Constantio primum in aulam accitum, atque in Hispaniam remissum : tum deinde rursus post datas ultro citroque litteras iterum accersitum, et pro exsilio Sirmii anno integro detentum. Quare si Hosii exsilio posterior ejus lapsus fuit, ut ostensum est, exsilii autem initium anno congruit CCCLVI, non potest synodus in qua lapsus dicitur ad annum referri CCCLI.

Sed de anno synodi Sirmiensis, in qua Photinus damnatus est, cur conjecturas quærimus, cum de illo nobis post sancti Hilarii professionem, quam in ejus fragmentis[4] testatam videmus, ambigere non liceat? « Ad tollendum, inquit, ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes. » Et post alia: « Inter hæc

1 Lib. II, cap. XXIV. — 2 Lib. IV, cap. V. — 3 Petavius. — 4 Lib. I.

Sirmium convenitur. Photinus hæreticus deprehensus, et a communione jam pridem unitatis abscissus, ne tum quidem per factionem populi potuit amoveri. » Ergo cum Mediolanensem synodum Arbetione et Lolliano consulibus anno CCCLV celebratam fuisse constet, et Sirmiensem biennio post convocatam testetur Hilarius, cui dubium esse queat, quin vera et certa sit Baronii sententia, qui anno CCCLVII adscribendam censuit? Quid quod anno CCCLI in quem synodum istam alii conjiciunt, cum Occidentis provincias obtineret Magnentius, et bellicis motibus arderet Pannonia, vix ac ne vix quidem synodum in ea convocare Constantio licebat, quem propterea Socrates[1] idem et Sozomenus[2] secum ipsi repugnantes narrant non nisi exstincto Magnentio, hoc est, non ante annum CCCLIII animum ad tractandas res ecclesiasticas revocasse.

De hoc igitur priori capite, hoc est de synodi nostræ anno jam satis; nunc alterum de formulis in ea conditis expendamus. Socrates enim tres in hac synodo editas commemorat[3]. Primam contra Photinum, quam a Marco Arethusio dictatam refert: alteram Latine scriptam, quæ Hosii blasphemia dicitur ab Hilario: tertiam quæ consules habuit, et a Socrate postea recitatur[4], cum agit de concilio Ariminensi. Cæterum duplex in his verbis, ut Nicolaus Faber in præfatione sua observat, Socratis fuit hallucinatio, una quod primæ formulæ auctorem Marcum facit, cum tertiæ auctorem, non primæ dicere debuerit: altera quod hanc tertiam in synodo Sirmiensi editam putat, cum ex Hypatii et Eusebii consulatu, quem adscriptum habuit, ad annum CCCLIX pertinere liqueat, et Sirmii quidem, non tamen in synodo, quæ ibi nulla tunc fuit, sed in fortuito paucorum episcoporum congressu præsente Constantio compositam fuisse docet epistola Germinii, quæ legitur in fragmentis Hilarianis[5].

Seclusa porro rejectaque a synodo Sirmiensi hac tertia formula, reliquæ sunt duæ priores, quas in ea synodo scriptas agnoscunt Hilarius in libro *de Synodis*, et Athanasius *de Synodo Seleuciæ et Arimini*, quarum alteram quæ adversus Photinum promulgata est, ut orthodoxam, vel ab orthodoxis non abhorrentem, interpretatur et commendat Hilarius: alteram quam Hosii blasphemiam nominat, ut impiam et Arianam, tum a Gallis merito repudiatam ostendit, tum ab Orientalibus postmodum in synodo Ancyrana duodecim oppositis capitibus accurate confutatam. Qua in re mirum nec injuria videri poterat, tam discrepantes fidei regulas ab una et eadem synodo prodiisse, nisi exploratum esset, non ab iisdem, sed a diversis diversæque sententiæ episcopis conditas fuisse. Quod enim jam ante acciderat in synodo Sardicensi, ut divisi inter se Orientales atque Occidentales episcopi suas utrique synodicas prorsus dissimiles conscriberent, hi pro Marcello et Athanasio, illi contra Marcellum et Athanasium, id ipsum contigisse liquet in Sirmiensi. Ad quam cum diversi, ut Socrates et Sozomenus tradunt, Orientis et Occidentis episcopi convenissent, utrisque post damnatum communi calculo Photinum, suas seorsim fidei formulas edere placuit, quas pro germanis synodi placitis in varias oras transmiserunt; Orientales Græcam, qua Photini dogmata confutantur, Occidentales Latinam edidere, quæ Hosii blasphemia nuncupata est, in qua rejecto homoousio atque homœousio, τὸ ἀνόμοιον dissimile, hoc est liquidus merusque Arianismus sanciebatur.

Verum reclamat hoc loco vehementerque obsistit auctor *Animadversionum*, et contendit in synodo Sirmiensi unicam duntaxat, id est, primam illam contra Photinum conditam formulam fuisse: Hosianam vero alteram Sirmii quidem, et anno CCCLVII, non tamen in synodo, quam in eum annum cadere posse negat, sed a paucis episcopis, qui apud Constantinopolim tum forte convenerant compositam arbitratur, et sententiam suam conjecturis adstruere conatur. Sed conjecturis quis locus esse possit contra certam et apertam Phœbadii episcopi auctoritatem, qui adversus hanc ipsam Hosii formulam scribens ex instituto, eam

1 Lib. III, cap. XXVII. — 2 Lib. IV, cap. VII. — 3 Lib. III, cap. XXV. — 4 Ibid. cap. XXXII. — 5 Lib. I.

in synodo natam sub libri sui finem diserte significat[1]. «Non sum nescius, inquit, antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari. Sed non potest ejus auctoritate præscribi, qui aut nunc errat, aut semper erravit. Nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte scribere non credam. Aut si nunc recte, quid de his opinandum est, qui ab eodem signati fide in qua ipse tunc erat de sæculo transierunt? Quid et de ipso pronuntiaretur, si ante hanc synodum dormisset? » Si hæc longo post tempore scripta essent a Phœbadio, tamen spernenda tanti viri auctoritas non esset. Nunc vero cum ea scribat, quæ oculis ipse cernebat, et missam ad Gallos Hosii perfidiam ex synodo missam profiteatur, de ea re quænam potest esse justa dubitatio? Quanquam ergo instar omnium hic unus esse debeat, accedat tamen testis alter Athanasius, sive Athanasii nomine Vigilius episcopus Africanus, qui Hosium in synodo Sirmiensi lapsum docet his verbis[2]: «Sicut tu, Hosie, jam in ætate prolixa in synodo Sirmiensi fidem tuam, quam in Nicæa conscripseras irritam fecisti, dum regiæ potestati famularis, ut diceres: Quis ignorat Patrem majorem esse honore, dignitate, claritate et majestate? »

Restat nunc ut viri docti conjecturas discutiamus et has testatæ veritati officere non posse ostendamus. Sirmiensem ait formulam a synodo Ancyrana laudari, Hosianam contra blasphemiam, ut quæ Arianæ τοῦ ἀνομοίου hæresi consentiret, rejici
omœi. penitus et explodi. Proinde consentaneum non videri, ut a synodo Sirmiensi utraque prodierit. Hæc prima illius argumentatio, cui nos aliud agentes jam supra occurrimus, cum formularum istarum unam ab Orientalibus, alteram ab Occidentalibus in synodo Sirmiensi conditam fuisse docuimus. Itaque absurdum non est, in synodo Ancyrana, cui Basilius episcopus præerat, idem qui præcipuas in Sirmiensi contra Photinum partes egerat, ut patet ex Epiphanio, approbari ab episcopis Orientalibus Sirmiensem formulam priorem, quam ipsimet condiderant, respui autem damnarique Hosianam ab Occidentalibus Arianis conditam, a quibus in Anomœi quæstione dissidebant. Atque hunc in modum satis, opinor, factum est primæ objectioni.

Proxima quæ ex synodica Ancyrani concilii demonstrare nititur, longo post Sirmiensem synodum intervallo Hosianam formulam exstitisse, nullius item est momenti. Neque enim scribunt in illa synodica Basilius Ancyranus et cæteri episcopi[4], se post synodum Sirmiensem diuturnam quietem egisse, ut videri vult, sed diuturnam optasse. Quod vero addit[5] de Georgii Laodiceni litteris, quas recitat Sozomenus, ex quibus confici putat inter synodos Sirmiensem et Ancyranam longius temporis spatium intercessisse, nullas etiam vires habet, aut contra ipsum habet; qui Hosii lapsum, de quo uno Georgii litteræ loquuntur, anno CCCLVII contigisse non inficiatur. Revera autem, cum synodicam Ancyranam sub Paschales sequentis anni ferias celebratam sit in confesso, nihil est incommodi, ut anni spatio quod inter synodum utramque interceptum est, ea omnia gesta sint, quæ in Laodiceni litteris commemorantur.

Nec virium plus habet tertia ejus ratiocinatio, quam duxit ab Hilario, ut Hosii formulam in synodo editam non fuisse concludat. Hilarius, inquit, in libro *de Synodis*, post Hosianæ blasphemiæ discussionem, subjicit deinceps Gallorum rogatu Orientalium fides omnes diversis et locis et temporibus conscriptas, in quibus et priorem synodi Sirmiensis formulam recenset. Alio ergo extra synodum tempore Hosianam exstitisse censuit. At quis non videt in his verbis Hilarii, non Hosianam cum formulis Orientalibus, ad quas nihil attinebat, sed ipsas inter se Orientales solas comparari, quas diversis locis et temporibus conditas in unum conferebat et digerebat Hilarius?

Reliqua est ergo postrema auctoris judicio validissima ratio ex Sulpitii Severi verbis petita, qui libro XI *Historiæ* synodum

1 Lib. *contra Arian.* — 2 Lib. I *de Unit. Dei.* edit. Basil. — 3 Hær. LXXI.— 4 Apud Epiph., hær. LXXIII.— 5 Lib. IV, c. XII.

Sirmiensem antiquiorem facere videtur Arelatensi et Mediolanensi, quarum altera cum anno CCCLIII habita sit, altera CCCLV, necesse est Sirmiensem dicamus post illas anno CCCLVII collocari non posse. Gravisque omnino et exceptione major Severi auctoritas foret, si hæc ab illo sic asserta esse constaret. Sed Severo tribui non debent, quæ Severi revera non sunt. Quis enim si mentem propius adjiciat, non statim animadvertat, Sirmiensis synodi, aut rerum in ea gestarum nullam apud Severum exstare mentionem, ac titulum istum qui in editione Sigoniana legitur, cum in superioribus non exstet, adscititium atque adulterinum videri? maxime cum ea quæ titulo mox subjiciuntur de Athanasio et Marcello ad Sirmiense concilium nullatenus pertineant, sed tempora illa spectent, in quibus Ariani vetere in Athanasium odio flagrantes, pristinam de illo judicii sui, quod in concilio Sardicensi solutum fuerat, quæstionem revolvere, Athanasiique damnationem cum Marcello et Photino miscere sunt agressi. Quod quidem ante concilium Arelatente et Mediolanense facere illos cœpisse dubium non est, eamque ob rem priore loco apud Severum commemorari, cum Sirmiensi autem concilio, ut dixi, conjunctum ista nihil habent.

Quare confutatis rejectisque omnibus, quæ contra obtendebantur, manet integra Baronii sententia, concilium Sirmiense biennio post Mediolanense, Hilario teste, celebratum in annum Christi CCCLVII incidisse: Hosii vero Sirmiensem blasphemiam, quam refellens Phœbadius in synodo editam significat, non in fortuito quopiam alio episcoporum congressu, sed in eodem ipso, ut Vigilius testatur, Sirmiensi concilio conflatam esse.

DE PHOTINO HÆRETICO

EJUSQUE DAMNATIONE IN QUINQUE SYNODIS FACTA

Ac de duplici Sirmiensi contra illum Synodo, et formulis in posteriore editis

DISSERTATIO

IN QUA NOVA QUÆDAM, ET VULGO HAUD SATIS COMPERTA ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ CAPITA PRODUNTUR. AUCTORE **DIONYSIO PETAVIO** E SOCIETATE **JESU**

AD LECTOREM.

Scripsi de Photino hæretico, deque Sirmiensi contra eum facta synodo, tum de variis fidei formulis per illud tempus editis, non pauca, neque vulgo cognita, in Epiphanianis Animadversionibus. Quæ cum ejusmodi essent, ut propter subtilitatem, et obscuritatem nonnisi longa explicari disputatione possent, ab Rationarii historici, quod tertio jam edimus, angustiis excludenda putaveram. Nam nulla, quod fateri necesse est, ecclesiasticæ pars historiæ, vel impeditior est vel ignota magis, non hac ætate solum, sed duodecim abhinc ferme sæculis : idque non falso a me dici sciet, qui illa legere, ac perscrutari voluerit. Sed cum ex eo tempore, quo Epiphanius noster in lucem exiit, quosdam esse compererim, qui se nostra illa non probare dicerent, cœpi omnem hanc historiam, et quæ de ea commentatus illic eram, attentius relegere. Quod cum sæpe, et accurate fecissem, duo sum assecutus : alterum, ut illa mihi, quæ tum scripseram, non minus quam ante placerent : alterum, ut in iis recolendis nova etiam occurrerent alia, quæ haud paulo abstrusiora prioribus essent, et digniora scitu ; et nullius hactenus vel levissima suspicione perstricta. Hæc mihi justissima visa ratio est, cur quæstionem illam tam eleganti auctam accessione mandarem huic opusculo, et universam damnati Photini historiam, ac Sirmienses fidei formulas exponerem, quod hoc, et altero capite quam potero brevissime complectar.

CAPUT PRIMUM.

Photini historia, et synodorum contra eum celebratarum tam a catholicis, quam ab hæreticis. Ostenditur duas fuisse Sirmienses : quarum prior hactenus ignota in lucem extrahitur.

Photinus Sirmii, quod Pannoniæ oppidum est, episcopus, Marcelli Ancyræ episcopi in adolescentia discipulus, et sub eo diaconus aliquandiu vixit. Is de Christo prave sentiens Pauli Samosateni instauravit hæresim : ob eamque sæpe damnatus est tam ab catholicis, quam ab ipsis Arianis [1].

Severus Sulpicius auctor est [2] ipsum una cum Marcello præceptore suo synodi judicio condemnatum esse etiam ante Sardicensem [3]. Ac videtur ea synodus Constantinopolitana fuisse, quæ post famosum illud Tyri conciliabulum anno Christi CCCXXXVI, imperante adhuc Constantino, peracta est, de qua Socrates lib. I, cap. XXXVI et *Tripart.* lib. III, cap. IX [4].

1 Sever. lib. II *Hist.*; Hilar. frag.; Epiph. hær. LXXI. — 2 Lib. II *Hist.* — 3 Primo damnatus in synodo Const. ab hæreticis 4 Socrat. lib. II, cap. x. Secundo in Sardicensi a catholicis. Lib. II, cap. VIII *Tripar.* I, cap. XXIV; hær. LXXI, n. 1. Tertio in Mediolanensi a catholicis; Hilar. in frag.

Nam Marcellus in illa depositus; quanquam de Photino nulla apud Socratem fit mentio. Porro cum Athanasius post id tempus cum ambobus istis communicasset, ab iisdem Arianis absens condemnatus est, ut ait Severus; quod ad synodum Antiochenam pertinet, in qua depositus est Athanasius.

Post Sardicense concilium anno CCCXLVII* celebratum est, in quo Athanasius, et Marcellus pristinum in locum restituti sunt: ut ex synodica constat, quæ apud Theodoretum legitur. Epiphanius refert in eadem synodo Photinum damnatum et gradu esse dejectum: cujus in synodica nulla exstat mentio.

Exinde Mediolani catholicorum celebrata synodus est, biennio antequam Valens et Ursacius in Ecclesiam recipi se postulantes Julio, et Athanasio supplices libellos obtulissent. « Igitur ad tollendum, ait Hilarius, ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quod jampridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ ab Ecclesia fuerant ejecti. Quam opportunitatem nacti Ursacius et Valens Romanæ plebis episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, » etc. Huic synodo Romani pontificis interfuere legati in eaque hæresis Ariana proscripta est, et Ursacius ac Valens a communione suspensi, rogata venia in gratiam recepti sunt: quatuor alii episcopi Arianæ sectæ cum Arii perfidiam damnare noluissent, irati exierunt. Cujus rei fidem faciunt in primis epistolæ duæ, altera concilii Ariminensis ad Constantium[1]: altera Liberii papæ, quam per Luciferum episcopum ad eumdem Constantium imperat. misit, cum ab eo sollicitaretur, uti Athanasii depositioni subscriberet, paulo antequam iret in exsilium. Hanc epistolam primo loco commemorabo. In qua Liberius Constantium hortantem, ut cum Arianis episcopis consentiret, ita compellat. « Quæ est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio iratis animis exierunt? » In altera synodi Ariminensis epistola[2] catholici episcopi de Ursacio, et Valente sic apud eumdem Constantium queruntur; ut e Græco vertit Epiphanius Scholasticus in *Tripartita*[3]. « Quapropter Ursacius, et Valens, quoniam participes, et concordes Ariani dogmatis erant, a nostra sunt communione segregati. Quam ut reciperent, cognoscentes delicta quibus peccaverant, pœnitentiam, atque veniam impetrare poscebant: et rescripta eorum hæc ita se habere testantur, per quæ criminum veniam consecuti sunt. Erat enim tempus, quo hæc gesta noscuntur, quando Mediolani synodus celebrata est præsentibus Romanæ Ecclesiæ presbyteris. Cognoscentes vero simul etiam post mortem dignum memoria Constantinum, cum omni integritate, et examinatione conscriptam exposuisse fidem; qui cum ab hac luce baptismate percepto discesserit, et ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum esse judicamus post illum aliquid novitatis admittere. » Hanc epistolam Latine conceptam retulit Hilarius in *Fragmentis*: sed concisam, et omnino plurimis, quæ in Græco sunt, mutilam. Ita enim verba illa, quæ descripsimus, illic leguntur. « Ideo Ursacius et Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, et suspensi erant a communione, et rogaverunt veniam; sicut eorum continent scripta: quam meruerunt tunc temporis a concilio Mediolanensi; et assistententibus etiam legatis Romanæ Ecclesiæ, Constantino præsente. In hoc cum magno

* Sardicense concilium a. CCCXLVII celebratum fuisse hactenus ex Socrate et Sozomeno crediderunt viri quique eruditissimi. Sed triennio ante concilium illud coactum fuisse persuadere nuper conatus est clariss. P. Mansius ex Anonymo Masseiano in dissertatione, quæ etiam Muratori suffragio probata est, *de Epochis Sardic. et Sirmiens. Concil.* Mansium adgressus est Dominicanus Mamachius in Romano Litteratorum hominum diario anni MDCCXLVII, art. VII et VIII, receptamque opinionem Anonymo illo Masseiano contempto multis confirmavit. Apologiam Lucæ eodem anno divulgavit suæ dissertationis Mansius; quum autem Mamachius quatuor epistolis Romæ a. MDCCXLVIII Apologiam hanc acriore stylo fuisset persecutus, sequente anno Mansius pro sua de anno habiti Sardicensis concilii sententia assertionem alteram in vulgus dedit. Controversiam hanc prolixe narrat cl. P. Sarteschius in libro *de Scriptoribus Matris Dei*, p. 354 seqq. Nolumus heic Mansii sententiam, Masseianique Anonymi auctoritatem ad examen vocare; sed ne Petavii chronologiam totam turbemus, vulgatam opinionem sumimus, quæ a. CCCXLVII Sardicense concilium habitum adserit. Quibus Mansii sententia probatior visa fuerit (erunt autem multi, quibus placuerit), ii facile ad eam Petavii dissertationes exigent.

1 Extat. in calce operum Luciferi et in frag. Hilar. — 2 Extat. apud Athan. lib. *de Synod.*; Socrat. lib. II; Theodoret. II, cap. XIX. — 3 *Tripar.* V, cap. XXI.

examine fuisset conscriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutare. » Ex his colliguntur quatuor, quæ ad Mediolanensem istam synodum illustrandam pertinent. Primum in ea damnatos Arianos, ac proinde celebratam esse ab episcopis catholicis. Deinde Romanæ Ecclesiæ presbyteros, vel, ut habet Hilarius, legatos interfuisse. Quod autem Constantino præsente facta esse apud eumdem Hilarium legitur, id in Græco non exstat: neque de Constantino Magno verum est, uti neque de ejus filio juniore Constantino, ut ex illius synodi tempore paulo post evidens fiet. De Constante itaque loquuntur, cujus jussu, utpote catholici principis, coacta videtur illa synodus. Quod si verum est; tum sane reliqua, quibus ejus mortis et baptismi meminerunt, ad Constantem, non ad Constantinum pertinebunt. Sed ea res alterius est disputationis ac loci. Tertio indidem constat, Ursacium, et Valentem in Mediolanensi concilio Arianæ postulatos hæresis veniam exorasse, et in integrum restitutos esse. Quarto annus quoque, quo illa synodus est congregata, ex Liberii epistola conficitur. Nam dicit ante octo annos, quam ad Constantium illam epistolam scriberet, Mediolani eam habitam fuisse. Porro scripsit ad Constantium Liberius antequam in exsilium mitteretur; adeoque anno Christi CCCLV. Quare octavus annus ante hunc erit annus Christi CCCXLVII, ut Sardicensem synodum brevi intervallo Mediolanensis consecuta sit, eodemque anno celebrata. Biennio post, cum Athanasius Constantis et Constantii auctoritate ac decreto ab exsilio revocatus esset, Alexandriamque profectus; et catholica res meliore jam loco esse cœpisset, Valens et Ursacius, qui in ditione Constantis erant, et ad potentiorum nutum, voluntatem ac religionem suam fingere jamdudum instituerant, ut antea cum Ecclesia catholica, ita cum Athanasio redire in gratiam e re sua esse statuerunt. Itaque libellum obtulere primum Julio papæ: in quo et illa omnia conficta esse fassi sunt, quæ contra Athanasium objecta fuerant; et Arianam perfidiam anathemate damnarunt: « Sicut per priorem libellum, inquiunt, nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, et nunc, et semper anathematizasse, hac manu nostra, qua scripsimus, profitemur. » Hæc in Latino eorum libello apud Hilarium: cui ista subjicit: « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est; » nempe in Mediolanensi synodo, ut ex iis patet, quæ paulo antea scripsit Hilarius; biennio ante Mediolanensem synodum, cui Romani interfuere legati, peractam esse, quam Valens, et Ursacius cum Athanasio dato libello reconciliati sunt.

[Illustratur Mediolanensis synodus.]

Cæterum Ursacii, et Valentis ista reconciliatio perperam in *Annalibus* confertur in annum Christi CCCL, post mortem Constantis, qui XV Cal. Febr. interemptus est. Etenim certissimum est, superstite Constante ambos illos resipuisse, ac libellos dedisse, quod Athanasius ipse dubium esse non patitur in *epistola ad Solitarios;* ubi istos ait post Constantis obitum ab Arianis adductos esse, ut ad vomitum redirent, et ab Athanasii pariter atque Ecclesiæ catholicæ communione desciscerent, causantes metu se Constantis, et ingratiis ad simulandam hanc pœnitentiam esse compulsos. Hoc vero falso illos allegasse dicit Athanasius; quod neque tum ullus Palatinus, aut Notarius ad eos missus sit, qui illos cogeret: quemadmodum ipsi deinceps instituerunt facere; sed nec imperator quidem adesset: verum sponte ipsi Romam advolassent, et in medio Ecclesiæ cœtu pœnitentiæ libellos palam protulissent. Hæc Athanasius: ex quibus perspicuum est, Constante adhuc vivo, Valentem et Ursacium Julio pariter et Athanasio supplicasse; quod anno CCCXLIX contigit, biennio post Mediolanensem synodum, quæ ante annos octo, quam Liberius ad Constantium epistolam daret, indicta ponitur ab eodem Liberio. Quocirca tertia Photini damnatio in Mediolanensi catholicorum synodo facta est, ut ex his omnibus constat.

[Ursacii et Valentis reconciliatio suo tempori restituta.]

Quarto damnatus idem est in Sirmiensi synodo, non illa celebri, cui Ariani præfuerunt, imperatore Constantio, ac Basilio Ancyrano præcipuas partes illius sustinente: sed in altera, cujus ex annalium, historiarumque monimentis hodie memoria omnis excidit; quam nos ex Hilarii Fragmentis, velut e parietinis ac ruderibus, sepultam, ac pene oblitteratam eruimus. Synodum ergo Sirmiensem a catholicis, et Occidentalibus in causa Photini celebratam esse dico priorem illa, quæ

[Quarto damnatus est Photinus in Sirmiensi concilio a catholicis.]

in eadem urbe ab Arianis, et Orientalibus est habita. Quod ex verbis Hilarii colligitur, quæ hujus capitis initio posuimus. Refert enim Hilarius ad tollendum ex episcopatu Photinum congregatos esse episcopos, post biennium, quam in Mediolanensi synodo damnatus fuerat : ac per eam occasionem Valentem, et Ursacium, qui in Mediolanensi synodo cum catholica Ecclesia in concordiam redierant, cum Athanasio reconciliatos esse. Quod superstite Constante factum esse, et anno Christi CCCXLIX paulo antea demonstravimus. His ista subjicit Hilarius. « Verum ante hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, et a communione jampridem unitatis abscissus, ne tunc quidem per factionem populi potuit admoveri*. » Hinc de loco synodi illius constat : nempe Sirmii eam habitam fuisse ; neque Photinum de sede pelli potuisse, quod populus seditione facta episcoporum conatu restitisset.

* Cer. amoveri.

Probatur Sirmiensis prior synodus.

Nam quod Sirmiensis ista synodus diversa sit ab ea, quæ posta contra Photinum eumdem celebrata est ab Arianis, quæque vel unum fidei decretum, vel etiam duo condidit, de quibus mox agetur pluribus ; his argumentis ostenditur. Primum ex tempore, quo ab Hilario significatur, et a nobis illustratum est hactenus. Biennio quippe post Mediolanensem synodum, et sex annis, antequam Liberius relegaretur, adeoque anno CCCXLIX, Sirmi congregata est illa synodus. At vero famosum illud concilium, cui Basilius Ancyranus interfuit, ut minimum biennio post, Christi CCCLI, celebratum est, ut autem aliis placet, nono post anno, Christi CCCLVII, de qua re postea. Deinde quia Photinus in priore illa, propter populi factionem, amoveri non potuit ; in posteriore vero ab Arianis et Constantio habita, omnino dejectus est ; ut Sozomenus refert libro IV, in fine capitis VI. Tertio quod concilium Sirmiense, de quo Hilarius scribit, Occidentales soli celebrarunt, decretumque suum ad Orientales miserunt episcopos, ut idem testis est Hilarius, qui « decretum de Photino ab Occidentalibus factum ad Orientales relatum » asserit : Orientales vero « mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione est dissolutum, quæsisse judicii, et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri, addidisse : ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret, et subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. » Hæc Hilarius : quorum ex antecedentibus, atque ex historia Severi, hæc sententia est. Marcellus Photini magister, cum ab Arianis una cum Photino depositus esset, ut supra demonstravi, in Sardicensi concilio in integrum restitutus erat. Verum cum pristinum errorem postea resumpsisset, « Athanasius hunc a sua communione suspendit, habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, sponte concederet, » ut Severus narrat. Quod Athanasii judicium Photini damnatione, ac Sirmiensi synodo anterius fuisse testatur Hilarius : atque « his, quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem præbuisse. » Itaque Orientales, decreto illo contra Photinum ab Occidentalibus misso, rescripserunt, non solum Photini damnationem approbantes ; sed Marcelli insuper addentes : ut hoc modo Sardicensis acta concilii labefactarent, et quæ ibi de Marcello et Athanasio constituta erant, irrita facerent. Quippe ambo, uti diximus, a Sardicensi synodo sedibus suis restituti sunt. Hujus autem convelli auctoritas, infringique videbatur, damnato Marcello, quem illa sublevarat ; et ad Athanasii damnationem, quem perinde complexa synodus erat, aditus præstrui. Hæc ab Hilario ad eum modum gesta narrantur. Unde illud apparet, Sirmiensem hanc synodum Occidentalium fuisse ; et quidem catholicorum ; primum quia Valens et Ursacius hujus occasione synodi cum catholicis, et Athanasio penitus concordiam inierunt ; ut ex Hilario supra docuimus. Deinde quod idem Hilarius, paucis interjectis, Occidentales istos, qui Sirmii convenerant, ea re commendat, quod decretum suum ad Orientales miserint bono more, institutoque, non ut eos ad assentiendum cogerent, « ut nunc, inquit, agitur : » sed ut certiores illos facerent. « De Photino autem, sicuti mos poscebat, ad Orientales epistolæ fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine. » Quamobrem Occidentalium iste consessus Sirmii factus non potest idem esse cum altero, in quo Basilius cum Photino commissus est, cui soli Orientales propemodum interfuere. Ac videtur Constans imperator catholicæ fidei studiosissimus princeps, ejus promovendæ, et in Occidente

sanciendæ gratia, primum Mediolani episcopos congregasse, ut de Arianis, ac præsertim Valente, et Ursacio cognoscerent; et quæ nuper in Sardicensi concilio decreta erant, denuo firmarent: deinde Sirmii, ut Photinum e gradu dejicerent, quod ne fieret, populus intercessit: Constans vero, antequam vim adhibere posset, e vita sublatus est. Itaque nova deinde synodo opus fuit ad deponendum Photinum.

uinta hotini mnatio concilio rmiensi æreticis abito.

Quinta igitur et postrema Photini damnatio in eadem urbe Sirmio, biennio post priorem, facta est anno CCCLI quo depositus est iterum Photinus, et episcopatu pulsus; quod obtineri hactenus non potuerat; atque etiam collatione cum Basilio Ancyrano habita, convictus, ac prostratus est. Cujus synodi ratio quia perplexa est, et multis obstructa difficultatibus, nec levis de actis illius controversia; seponemus ei explicandæ caput alterum, in quo quæ ad illam pertinent brevi complectemur.

CAPUT II.

De tribus fidei formulis Sirmii, e quibus sola prima in concilio adversus Photinum illic peracto facta esse monstratur.

Cum jam quarto episcopalibus sententiis notatus, ac depositus Photinus, invitis omnibus, sedem suam retineret, demum adversus eumdem Sirmiensis altera synodus est collecta, in qua Constantii imperatoris auctoritate rursus ille damnatus episcopatu cedere cogitur. Synodum hanc celebravere Orientales potissimum episcopi. Nam Hilarius libro *de Synodis* formulam fidei cum anathematismis illic editam sic inscribit: *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conscriptæ:* ac proxime ante, tunc eam esse propositam refert, « cum Photinus episcopatu dejectus est; » unde, quod superiori capite diximus, constat, alteram hanc Sirmiensem esse synodum ab ea, quam Occidentales biennio ante in eadem urbe fecerunt.

Duo sunt hac de synodo quæstionis capita; alterum de anno, quo peracta est; alterum de fidei formulis, quæ in ea publicatæ feruntur. Quod primum attinet, Socrates libro II, cap. XIX Græcæ edit. et Sozomenus lib. IV, cap. VI, testantur eum annum fuisse post consulatum Sergii et Nigriniani, quo nulli consulatum gesserunt ob bellicos tumultus. Hic est annus Christi CCCLI. At Baronius in annum CCCLVII illam conjicit. De fidei formulis non minor est controversia. Nam tres omnino exstant ejus urbis inscriptæ nomine, quæ in eadem Sirmiensi contra Photinum collecta synodo propositæ narrantur a Socrate [1], Sozomeno [2], ac Nicephoro [3].

Primæ auctor fuisse perhibetur Marcus Arethusius [*], ut scribit Socrates, Græceque concepta est cum anathematismis XXV. Ea Græce apud Athanasium legitur in libro *de Synodis*, et Socratem loco jam citato [4]. Latine autem apud Hilarium libro *de Synodis*, et in *Tripartita*, libro IV, cap. VII. In ea damnantur anathemate, qui dicunt Filium « de non exstantibus, aut ex altera hypostasi esse: vel fuisse tempus, aut sæculum, quando non erat. » Nulla porro in illa mentio fit οὐσίας, nisi quod damnantur, qui dicunt πλατυσμὸν τῆς οὐσίας, *collationem substantiæ* esse Filium [5]. Hujus fidei formulæ, ac Sirmiensis synodi et Photini depositionis, quod subit mirari, nullam mentionem facit in ejus hæresi sanctus Epiphanius [6], sed solius Sardicensis Occidentalium synodi meminit, in qua damnatus est, secundum quam Constantium adiisse, ac se injuste depositum querentem, judices impetrasse: ac missos esse Thalassium, Datianum, Cerealem, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, Leontium, quos ex ordine senatorio fuisse Socrates indicat. Coram his, et episcopis pluribus descendisse illum in certamen cum Basilio Ancyrano prodit Epiphanius, ac Socrates, et Sozomenus. Qui ambo significant, finita jam synodo Sirmiensi, et post depositum in eadem Photinum, disputationem illam esse factam, qua convictus Photinus, et exauctoratus est. Verum apud eumdem Epiphanium in Semiarianorum hæresi [7], Basilius aliique episcopi in synodica Ancyrani conciliabuli, meminerunt Sirmiensis synodi, ejusque actorum adversus Photinum.

Prima formula Sirmiensis.

Secunda fidei formula apud Sirmium edita est Latino sermone, ut testantur Athanasius, Socrates, Hilarius, qui eam describunt, Sozo-

Secunda formula.

[*] M. Arethusius tertiæ Sirmiensis auctor fuit, non primæ, ut Petavius ipse agnovit in primo *de Trinitate* lib., cap. IX. Vide etiam Valesium in notis ad Socratem lib. II, c. XXX.

1 Lib. II, c. XX. — 2 Lib. IV, cap. VI. — 3 Lib. IX, cap. LVIII. — 4 lib. II, c. XXX. — 5 Anathem. VI et VII. — 6 Hær. LXXI, — 7 Hær. LXXIII, n. 2.

menus, aliique. Hujus inscriptio est apud Hilarium ejusmodi : *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, et Potamium conscriptæ.* In ea prohibitum est fieri mentionem nominum οὐσίας, ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου, quia nusquam in Scripturis leguntur. Eamdem postea supprimere conati sunt Ariani, interposita auctoritate Constantii, ut iidem scriptores referunt *.

Substantiæ, homousiou, homœousiou

Tertia formula.

Tertia formula Latine itidem Sirmii concepta est, notatis coss. Eusebio et Hypatio, qui annus Christi fuit CCCLIX, eaque a Valente, et Ursacio Ariminum perlata, quæ apud Athanasium, et Socratem exstat. Sed eam in Sirmiensi contra Photinum synodo editam non fuisse perspicuum est, idque Nicolaus Faber in Præfatione ad Hilarii Fragmenta olim animadvertit.

Nos in Animadversionibus ad Epiphanium, ante annos quatuordecim, cum de hoc argumento longam disputationem faceremus, duo quædam exposuimus : alterum, Sirmiensem illam postremam synodum eo anno peractam fuisse, quem habet Socrates, Christi CCCLI, non, ut plerisque persuasit *Annulium Ecclesiasticorum* conditor, anno CCCLVII. Alterum, e tribus illis fidei formulis, quas paulo ante commemoravi, solam primam in illo concilio scriptam fuisse : secundam vero non in synodo ipsa Sirmiensi, sed aliquot annis postea editam, in consessu paucorum episcoporum. Horum primum veterum illorum, quos citavi, auctoritate nititur ; præsertim Socratis, qui ut sæpius, ita nunquam temere, aut falso notas illas consulatuum adhibet ; sed ex Actis publicis, ac Fastis haud dubie depromptas, quo major illis habenda fides est, maxime ubi nulla in contrarium idonea sunt argumenta : cujusmodi certe hic nulla sunt. Nam quæ in *Annalibus* opponuntur, satis iis responsum est in Animadversionibus ad Epiphanium ; ac paulo post ea prorsus irrita, et inania esse constabit ; ubi quod posterius est e duobus a me positis, ostendero, secundam de tribus fidei formulam non in Sirmiensi contra Photinum synodo, sed alio tempore, ac diverso cœtu præsulum in lucem exiisse. Quod illic disputatum latius, ut in pauca contraham, his maxime de causis asseritur.

In primis auctores sunt Epiphanius[1], et Hilarius[2], cum secunda ista formula publicata esset, atque e Sirmio in Orientem perlata, vehementer exarsisse Basilium Ancyranum episcopum, aliosque Semiarianarum partium : cumque ab Georgio Laodicenæ sectæ ejusdem patrono litteras accepissent, quibus de Eudoxii perditissimi Ariani vesania certiores illos faciebat (quem refert Sozomenus [3], postquam ecthesim illam ab Osio expressam, ab Valente et Ursacio missam recepisset, gratulationis plenas ad eos scripsisse litteras, quod ipsorum opera vera in Occidente fides revivisceret), his commotum Laodicenum Georgium, ad Basilium, et episcopos qui cum eo Ancyram convenerant, epistolam dedisse, qua eos hortabatur, ut Antiochenæ, imo Orientali Ecclesiæ succurrerent. Porro Ancyram ideo sese contulerunt, ut encænia celebrarent novæ basilicæ, quam a se conditam Basilius ibi dedicabat. Igitur Ancyræ Semiarianorum concilium habitum est, paulo ante Pascha, ut eorum synodica testatur apud Epiphanium. In quo fidei formulam istam, quæ secunda apud Sirmium edita est, damnarunt, et adversus eam longissimam aliam ecthesim cum anathematismis ediderunt. Post synodum deinde legati ad imperatorem Constantium profecti Basilius ipse, Eustathius Sebastenus, Eleusius Cyzicenus, et Leontius presbyter, qui hoc ab eo peterent, εἴτε κρατεῖν τὰ ἐν Σαρδικῇ, καὶ ἐν Σιρμίῳ, καὶ ταῖς ἄλλαις συνόδοις κεκριμένα, ἐν αἷς συνεδόκει ὅμοιον εἶναι κατ' οὐσίαν τῷ Πατρὶ τὸν υἱόν: *Uti rata hæc essent, quæ apud Sardicam, et Sirmium, et in aliis synodis decreta fuerant : in quibus communi consensu definitum erat similem esse secundum substantiam Patri Filium*, ut scribit Sozomenus ; qui imperatorem narrat ea legatione commotum revocasse omnia, quæ per Anomœos extorta fuerant : a quibus secunda illa Sirmiensis professio dictata erat.

Probatur secundam formulam non in Sirmiensi magna synodo editam fuisse.

Ex his omnibus validum argumentum efficitur, quo secunda illa formula Sirmiensis ostenditur nequaquam in Sirmiensi contra Photinum collecta synodo condita fuisse. Etenim Sirmiensi huic synodo non solum Basilius interfuit ; sed pene etiam præfuit, præcipuæ certe in ea partes illius fuerunt : ut qui in ejus omni actione floruit ; eademque finita, datis ab Constantio judicibus cum Photino congressus est, eumque superavit : quod Epi-

* Socratem errantem sequitur hic Petavius. Nam Athanasius in libro *de Synodis Arimini et Seleuciæ* Arianos narrat tertiam Sirmiensem formulam consulibus notatam supprimere conatos fuisse, non secundam, quod ex Socrate lib. II, c. XXX, hic Petavius scribit.

1 Hær. LXXIII, n. 2; . — 2 Lib. *de Synod.* — 3 Lib. IV, c. XII.

phanius, Socrates, Sozomenus, aliique narrant. Quid igitur fingi absurdius potest, quam in illa ipsa synodo eam fidei conceptam esse formulam præsente Basilio, quam is paucis post mensibus adeo detestatus est, uti contra eam cœtum coegerit episcoporum, acerrimoque decreto, et anathemate jugularit, et ad illam evertendam legatus ad Constantium Sirmium usque pervenerit? An talem unquam ecthesim coram se dictari passus esset, a qua tantopere dissidebat? Nam in illa τῆς οὐσίας, ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου vocabula ex æquo rejecta sunt, ex Anomœorum sententia. At Basilius Semiarianarum fautor partium τὸ ὁμοιούσιον propugnabat, et Anomœos, quos apud Epiphanium et Hilarium formulæ illius auctores Ancyrana synodus facit, pejus, quam catholicos, oderat. Quod si invitus illi Sirmii subscripsisset, age num Ancyram reversus, Sirmiensem synodum adeo commendasset, aut ejus decreta, fideique sanctionem confirmari ab imperatore petiisset? Nonne id egisset potius, ut ea Constantii decreto rejiceretur? Sane in Ancyrani concilii synodica optasse plurimum se aiunt episcopi [1], ut post Sardicensem synodum, et Sirmiensem, in qua Photinus damnatus est, quietis esse sibi liceret. Sed quoniam ex Illyricianorum litteris, et Georgii Laodiceni, didicerint, confossam tot synodorum decretis hæresim caput efferre cœpisse; ideo se Ancyræ congregatos ea omnia denuo confirmasse, quæ in Antiochena synodo, et Sardicensi, ἣν ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος, *quam Sirmiensis synodus est amplexa*, constituta fuerant. Non igitur secunda illa formula Sirmii edita ad eam synodum pertinere potest, quæ contra Photinum est habita.

Homœousion.

Præterea ex hac rei apud Sirmium, Ancyramque gestæ narratione colligitur, eamdem formulam absente Basilio Ancyrano esse conscriptam; quod si verum est, non potuit Sirmiensis concilii tempore fieri. Nam princeps, ut jam diximus, actionis illius ac synodi Basilius Ancyranus fuit: isque finito concilio cum Photino disputavit. Quod autem Sirmio tum abfuerit, cum ecthesis illa dictata est, e Sozomeno [2] probatur; qui refert Eudoxium, Acacium, et Uranium, cum ab Occidentalibus episcopis Valente, Ursacio, et Germinio formulam istam, qua de agimus, accepissent Osii subscriptione firmatam, ejus dogma, in quod ipsi cum Aetio consentiebant, audacter, ac palam divulgare cœpisse; quod indigne ferens Georgius Laodicenus certiorem de tota re Basilium ac reliquos Ancyranæ synodi præsules fecit: ut et ipsi in synodica sua testantur. Quare non videtur illius formulæ conscius fuisse Basilius. Quippe ab solis Occidentalibus episcopis dictata, ad Orientales deinde missa pervenit: ut ex Sozomeno colligitur.

Quinetiam illius inscriptio, quæ apud Hilarium, Athanasium, et Socratem legitur, satis indicat, eam a paucis episcopis, non a plena synodo profectam. Hilarius enim hoc ei lemma præscribit: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium et Potamium conscriptæ.* Tum sic eadem incipit. « Cum nonnulla putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt, et discussa, præsentibus sanctissimis fratribus, et coepiscopis nostris Valente, Ursacio et Germinio; » quod exordium Græce itidem apud cæteros exstat. Quare paucis, uti dictum est, ab episcopis condita est hæc fidei professio; non ab generali synodo. Longe enim aliter Sirmiensis concilii Ecthesim proponit, et inscribit Hilarius eodem in libro *de Synodis: Exemplum,* inquit, *fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conscriptæ.* Hic ab Orientalibus, hoc est, plena in synodo scriptam ait Sirmiensem illam formulam: alteram nonnisi ab uno, alterove. Ad hæc Hilarius idem postquam secundam hanc Sirmiensem ecthesim, et Ancyrani contra illam concilii decreta proposuit, ita loquitur: « Dignum autem est conscientia communi etiam cæteras eorumdem episcoporum Orientalium diversis et locis, et temporibus conscriptas fides noscere, » etc.; quæ postquam præfatus est, duas, non amplius, formulas describit; alteram Sardicensis synodi; alteram Sirmiensis contra Photinum. Hanc vero commemoraturus ita scribit: « Consequens est autem ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cum Photinus episcopatu dejectus est, conscripta est. » Itaque Sirmiensis hæc formula diverso vel loco, vel tempore ab ea conscripta esse debet, quæ secunda Sirmiensis dicitur. At loco diversa non est: tempore igitur diversa sit oportet. Huic argumento, quod ex Hilarii testimonio petitur, robur addit sanctus Vigilius, et opinionem nostram adstruit, dum in libro V *adversus Eutychem* duos illos conventus episcoporum, atque synodos distinguit, unam Orientalium, qui contra Photinum apud Sirmium collecti sunt,

1 Apud Epiph. hær. LXXIII, num. 2. — 2 Lib. IV, cap. XII.

quos catholicos appellat, eorumque decreta commendat : alteram episcoporum aliquot, ut Osii, Valentis, Ursacii, Germinii, et aliorum ; quibus universos ait Orientales episcopos contrariis restitisse decretis. Sed Vigilii verba, quibus egregie id, quod volumus, affirmat, melius est adscribere. De Ancyrana itaque Orientalium synodo contra secundam Sirmiensem formulam habita, sic ille scribit : « Deinde adversus sacrilegam impiæ professionis unitatem, quæ per Osium, Valentem, Ursacium, et Germinium, cæterosque similis pravitatis apud Sirmium fuerat conscripta, universi Orientales episcopi convenientes, alias, id est, duodecim sententiarum definitiones ediderunt, quæ Nicæno concilio non continentur. » De Sirmiensi porro concilio, in quo Photinus postremo damnatus antea fuerat, hæc subjicit : « Illius vero catholici concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis sufficiat multiplices fidei sanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam synodum, quia talis rei necessitas fuerat nulla, non sunt omnino sancita : quæ nullus fidelium audet respuere, aut cunctatur recipere, qui non vult eum Photino anathematis eorum sententiæ subjacere. » Hæc Vigilius, quæ non aliunde, quam ex Hilarii libro *de Synodis*, accepit. Hic enim Ancyranæ synodi ab Semiarianis præside Basilio habitæ decreta prædicat, et commentario illustrat ; quæ etiam duodecim numero refert, totidem anathematismis expressa ; quæ cum auctoribus suis Orientalibus episcopis pro catholicis amplectitur. Cum autem Hilarius decreta ista condidisse « Orientales episcopos in unum congregatos » absolute scripserit, Vigilius putavit omnium Orientalium concursu celebrem fuisse synodum illam. In quo falsus est. Pauci enim convenerunt, hoc est numero duodecim, quorum nomina synodicæ Ancyranæ subscripta sunt apud Epiphanium [1]. Non enim plena fuit ista synodus, sed provincialis duntaxat ; et per occasionem dedicandæ apud Ancyram basilicæ collecta ; ut ipsimet testantur in synodica sua. Inter hos episcopos nominatur Eustathius Sebastenus ; quem sanctus Basilius Cæsareensis episcopus, in epistola ad Occidentales, illi ipsi Ancyranæ interfuisse synodo, et cum hæreticis *homousion* damnasse scribit [2] : qui locus in VII synodo citatur. Hæreticos igitur istos fuisse scivit, qui hæc melius e propinquo nosse potuit Basilius. Quanquam nulla littera exstat in illorum anathematismis, ac synodica tota, quæ τὸ ὁμοιούσιον condemnet. Sed quia τὸ ὁμοούσιον præcise receperunt, suppressa mentione alterius, pro hujus damnatione Basilius istud habuit. Nisi forte altera quæpiam apud Ancyram celebrata synodus est in qua nominatim damnatum sit τὸ ὁμοούσιον, quod ego non puto. Itaque vera est, ut opinor, conjectura nostra.

Sed ut ad Vigilium revertar, perspicuum est Ancyranam ab eo synodum, itidem ut ab Hilario, dici contra Osii et aliorum blasphemam formulam, celebratam fuisse. Est hæc vero, ut sæpe docui, secunda illa Sirmiensis professio, quam in diversa synodo, ab ea, quæ Photinum damnavit, editam esse mox idem Vigilius indicat, dum hanc synodum Orientalium contra Photinum *catholicum concilium* appellat ; cujus sanctiones collaudat, similiter atque Hilarius, et alii quidam veteres perinde ac recentiores fecerunt ; at illum cœtum episcoporum, qui secundam apud Sirmium professionem condidit, hæresis et impietatis arguit. Hujus conventiculi, et impiæ professionis ab Osio non tam editæ, quam vi ac suppliciis extortæ, meminit Phœbadius Aginnensis, ubi hanc synodum appellat. Ex quo perperam aliqui concludunt Sirmiensem ab eo contra Photinum intelligi synodum. Sed errant. Synodus enim qualiscunque conventus episcoporum interdum dicitur ; cujusmodi tum profecto fuit, quando Constantii potentia et tyrannide freti Ariani nefariam ab Osio fidei formulam extorserunt ; de qua vide, si lubet, quæ in Epiphanianis animadversionibus notavimus.

Satis pro opinione nostra disputatum est hactenus. Unum illud restat argumentum, quod ex illorum temporum historia duci invictum putatur a quibusdam adversus Socratis, aliorumque veterum sententiam, quæ Sirmiensi postremæ contra Photinum synodo præfinit annum Christi CCCLI, quam nos ab recentioribus haud merito damnatam, ac verissimam esse monstravimus. Qui enim potuit, inquiunt, Sirmii jussu Constantii celebrari tum ulla synodus, cum Pannonia, cujus oppidum illud est, a tyrannis obtineretur ? Nam post Constantis obitum, qui ineunte contigit anno CCCL, Magnentius in Galliis, et Italia, Vetranio in Pannonia, cui præerat, dominatum arripuerunt. Sed accurata notatio temporum istorum, inane hoc esse irritumque docebit. Dissolvuntur argumenta contra nos opposita

1 Hær. LXXIII, n. 11. — 2 Epist. LXXIV.

Constans enim Constantii frater a Magnentio tyranno cæsus est, et Magnentius ipse tyrannidem invasit anno ineunte Christi CCCL, decimo quinto Cal. Feb., coss. Sergio et Nigriniano, ut Idatius in fastis, Socrates, Sozomenus, aliique narrant[1]. Magnentius Gallias, Italiam, et Africam obtinuit; eodemque anno Vetranio, qui peditum magisterio præditus Illyricum curabat, imperium et ipse usurpavit apud Sirmium calendis Martii, ut ait *Chronicon Alexandrinum*, ex quo castigandus est Idatii codex, qui calendas Maii notat, errore librariorum, qui litteram, *i*, pro, *r*, posuerunt. Hunc enim scribit in *Cæsaribus Victoricis* mensem decimum in ordinem redactum esse ab Constantio; quod 8 cal. Jan. accidisse testis est Idatius: apud quem etiam perperam id confertur in annum eum, qui inscribitur *Post consulatum Sergii et Nigriniani*, et est Christi CCCLI. Nam istud evenit antecedente anno, coss. Sergio et Nigriniano, decimo mense nondum expleto ab Martio. Vetranione summa potestate ita, uti diximus, exuto, Constantius Illyricum obtinuit. At sequente anno, qui fuit Christi CCCLI, Magnentius IV Cal. Octob. ut refert Idatius, ad Mursam Illyrici oppidum victus est a Constantio, et anno deinde tertio, Christi CCCLIII, apud Lugdunum sibi necem conscivit. Quocirca anni CCCLI majori parte, hoc est prioribus mensibus, et ab Octobri deinceps, Illyricum in potestate fuit Constantii, potuitque Sirmii episcoporum habere conventum.

Cum igitur Vetranione dejecto Constantius Sirmii moras faceret, ac Photinus in eadem urbe nefariam vulgaret hæresim, Ariani episcopi, quos in comitatu semper habebat Constantius, ut pro catholicis sese gererent, atque ab hæresi alienos se esse monstrarent, imperatori persuadent, ut Sirmium ex Orientis partibus episcopos cogeret; quod ab illo factum esse anno ipso CCCLI testatur Socrates. Neque vero constat quot illic episcopi fuerint. Sed illud certum est, paucissimis exceptis, Orientales omnes fuisse. Socrates Valentem solum Mursorum episcopum nominat, et Osium Cordubensem. Sed de Osio fallitur, ut in Animadversionibus ad Epiphanium ostendimus. Causa autem erroris hæc illi fuit, quod aliam fidei formulam, quæ in eadem urbe postea decreta est, Osius subscriptione sua probare coactus est; quam quidem in Sirmiensi concilio, quod adversus Photinum celebratum est, publicatam esse falso arbitratus est Socrates. Quamobrem Sirmiensis illa synodus Orientalium fuit episcoporum. Unde sanctus Hilarius libro *de Synodis*, fidem, quæ tum illic publicata est, expositurus, ita præfatur : *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conscriptæ.*

Cur autem plerique omnes, qui tum Sirmii convenerunt, Orientales essent, ac præter unum alterumve nullus Occidentalium accesserit; nulla fingi causa potest alia, nisi quod Occidentem, hoc est transalpinas regiones, et Italiam Magnentius occupabat. Nisi causa hæc fuisset, ac si Constantius Occidentem in ditione sua tenuisset: quis dubitat, quin Sirmii, quæ urbs Occidentalis erat imperii, habitam synodum frequentiores ex Occidente celebraturi fuerint episcopi? quemadmodum Arimini postea factum, et antea Sardicæ. Atque hoc non leve est argumentum, quo Magnentianis temporibus indicta illa synodus ostenditur.

[1] Zosim. II *Victor. Cæs.*

CAPUT III.

Hilarii locus ex Fragmentis illustratur : in quo de Photino agit, ac synodis contra eum factis; unde pleraque eorum probantur, quæ iisdem de rebus observavimus.

Cum ex Hilarii potissimum Fragmentis expressa sint ea, quæ de Photini damnatione, synodisque contra ipsum habitis capite primo docui; visum est ipsius locum integrum hic exscribere, ut singulorum probationes in promptu habeantur ; quibusdam additis scholiis, quibus velut radiis illustratus, planus legentibus, ac facilis occurrat; quem alioqui desperatæ obscuritatis esse , ac neque verbis, neque sententiis cohærere, docti quidam homines arbitrati sunt.

HILARIUS.

« Superest ut quid de Marcello, et Photino gestum sit, paucissimis dicam. Photinus Sirmiensis episcopus fuit a Marcello imbutus. Nam et diaconus sub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiæ moribus, ac disciplinis, turbare evangelicam veritatem persistebat novis prædicatibus. Et hoc ita sæpe est, ut cum incrementa vitiorum, detrimenta in amore Dei fecerunt, vesanum depravatæ

scientiæ studium increscat. Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum [1], qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus [2], ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti [3], atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quod jampridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti [4] Ursacius, et Valens Romanæ plebis episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, et in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex consilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicæ Ecclesiæ vires quoque detraheret Arianis, cum eos, qui unitatem ante turbaverunt, consilii hujus et audaciæ pœnitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret. Et quia non est nisi de veritate confessio, nisi de vitio pœnitentia, nisi venia de admisso, Valens et Ursacius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanasii innocentia, de judicii falsitate, de Arianæ hæresis piaculo talibus litteris ante profitentur. »

Sequitur libellus, quem suapte manu Valens perscripserat, et Ursacius subscripserat, Julio papæ oblatus.

PERGIT HILARIUS.

« Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est [5]. »

Sequitur libellus alter Valentis et Ursacii post aliquantum temporis a superiore, ad Athanasium, et episcopos missus.

HILARIUS.

« Superioribus igitur litteris datis venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur : maxime cum Sardicensis synodi veritatem ipsæ orantium veniam litteræ continerent. Verum inter hæc Sirmium convenitur [6]. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, et a communione jampridem veritatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri. Sed idem Athanasius Marcellum, qui post recitationem libri, quem scriptum ediderat (nam hunc quoque nos habemus) sententia synodi Sardicensis episcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miscere sensit, et ambiguis prædicationibus ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam quæ-

1 *Igitur ad tollendum.* Hic Sirmiensem synodum intelligit priorem a catholicis obitam : utpote cujus opportunitatem consectati Valens et Ursacius ad Ecclesiam redierunt, oblatis libellis tam Julio papæ, quam Athanasio. Id autem fecerunt anno Christi CCCXLIX, paulo ante Constantis obitum, qui ineunte CCCL accidit. Atque Sirmiensis secunda non ante annum CCCLI celebrata est. Diversa igitur ab hac illa fuit eodem in oppido peracta.

2 *Ante biennium.* Ergo anno CCCXLVII, brevi post Sardicensem tempore, et eodem anno. Mediolanensis autem ista perperam cum altera confunditur, quæ anno CCCLV ab Arianis Constantii auctoritate fretis est habita : in qua complures episcopi catholici relegati sunt, et inter alios Liberius papa. Contigit autem, ut et Mediolanensis una synodus biennio ante Sirmiensem priorem fieret, et post Mediolanensem alteram, biennio itidem Sirmii conventus episcoporum aliquot haberetur, non contra Photinum, sed ad novam fidei condendam formulam, quam Sirmiensem de tribus secundam esse demonstravimus ; quæ res nonnullis imposuit, ut Sirmienses plures synodos in unam conflarent ; Mediolanenses itidem plures in eamdem Mediolanensem.

3 *Hoc magis solliciti.* Ergo catholici erant, non Ariani, ut in secunda Mediolanensi.

4 *Quam opportunitatem nacti.* Florentibus catholicorum rebus, et Athanasio Constantis opera restituto, Valens et Ursacius ad Ecclesiam redire conati sunt, primum post Sardicensem synodum, ubi damnati erant, oblato libello in Mediolanensi catholicorum synodo ; deinde Romæ, Julio papæ ; quod ex ipsorum epistola priore ad Julium data, et Athanasii *Apologia* secunda colligitur.

5 *Hæc epistola.* Falso hæc Hilarii verba referas ad tempus illud, quod postremam Sirmiensem synodum, in qua depositus est Photinus, excepit, præsertim si ea anno CCCLVII facta est. Nam neque a Romanis in ista damnatus est, sed ab Orientalibus, et hæreticis : neque post eamdem Ursacius ac Valens resipuisse, ac libellos istos dedisse leguntur. Adde Julium papam, cui prior libellus porrectus est, anno CCCLII decessisse. Biennio ergo post Mediolanensem priorem, ut primo capite interpretati sumus, ad Ecclesiam reditum impetrarunt.

6 *Verum inter hæc.* Redit ad inchoatam paulo ante narrationem de Sirmiensi synodo *ad tollendum ex episcopatu Photinum ;* quam interposita Valentis et Ursacii historia nonnihil abruperat. In ea synodo priore Sirmiensi damnatus est Photinus ; sed episcopatu pelli minime potuit, quod propter eruditionem, et facundiam, qua in utraque lingua pollebat, vulgo esset acceptus ; hoc est quod ait, *per factionem populi amoveri* non potuisse.

rere, a sua communione separavit, anteriore tempore quam Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens, et non ex libri editione condemnans [1]. Sed quia promptum est ex bono malum efficere, præbuit non illis in Marcellum, quæ gesta antea fuerant, sed his, quæ in Photinum gerendæ erant, auctoritatem. Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam unquam adversus Marcellum, præter eam, quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam, neque huc unde Photino decretum ab Occidentalibus est, et ad Orientales est relatum, aliquod in eum expressum fuisse judicium [2]. Sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione est dissolutum, quæsivisse judicii, et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri addidisse, ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret, et subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. Exstat autem in superiore epistolæ corpore, Marcellum ab Arianis occasione libri, quem de subjectione Domini Christi ediderat, una cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi : falsitatem quoque judicii Ariani, exstantis adhuc libri fides arguit. De Photino autem [3], sicuti mos poscebat, ad Orientales epistolæ fiunt non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine. Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur ? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est ? Testes ipsi sunt, ex institutis ejus Photinum perversitatis istius initia sumpsisse. Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesiæ Marcellus abstinuit; ita communio cum eo in ista fide de subjectione et traditione regni docet negata rursum pravitate doctrinæ alterius ostendit. At sic utrumque viri istius judicium caret culpa, cum in data communione, synodi sit assecutus assensum : in abnegata vero, ipso se Marcello abdicante solo, sine ulla synodi auctoritate.

1 *Sed idem Athanasius.* Huic historiæ suffragatur Severus Sulpicius libro XI. Sed mirum videtur, Athanasium nihil in libris suis ejusmodi de Marcello significare. Nam eum potius ubique sublevat, et ab Arianis immerito, ac per calumniam accusatum esse contendit; ut in *Apolog.* I et in *Epist. ad Solit.* Verum in oratione quadam, cujus inscriptio est, *Quod unus sit Christus*, Marcellum cum Paulo Samosateno conjungens ideo reprehendit, quod Christum nudum hominem esse dixerit, ac servum, nec adoratione dignum. Sed oratio ista, meo quidem judicio, Athanasii non est. Nam et stylus ipse ab Athanasio diversus est, ac multo elegantior; tum aperte hypostases in Trinitate tres agnoscit, quibus quartam a Marcello, et Samosateno adjectam queritur hominis Christi. Atqui sæpius unicam in divinitate hypostasim tuetur Athanasius. Postremo, quod ad rem magnopere facit, Athanasii *Epistola ad Solitarios*, in qua Marcellum luculenter excusat, eique catholicæ fidei testimonium præbet, multo posterior est eo tempore, quo Marcellum eumdem ab Athanasio communione multatum Hilarius ac Severus indicant; quippe post Liberii relegationem lapsumque scripta est, hoc est post annum CCCLVII, qui undecimus fuit a Sardicensi synodo. Epiphanius Hæresi LXXII, n. IV, refert percontanti sibi aliquando de Marcello quid sentiret, Athanasium dubie respondisse, ac ne respondisse quidem ; sed nutu solo, ac risu levem de eo suspicionem indicasse ; quo sane contentus esse non potuit, si eum aliquando propter hæresim communione sua privasset. Quocirca valde mihi perplexa videtur, credo et prudenti cuivis, ista Hilarii et Sulpicii narratio. Quæ si vera est, tum illa sane Athanasii in Marcellum animadversio medio tempore Sardicensem inter, et Sirmiensem priorem tempore accidit, hoc est inter annum CCCXLVII et CCCXLIX. In eo vero laborat Hilarius, ut ab Athanasio damnati Marcelli invidiam repellat. Etenim quod una cum ipso in integrum restitutus erat in Sardicensi synodo; ac subinde tanquam hæreticum ab communione segregasset; Sardicensis auctoritatem visus est minuere ; quemadmodum postea ob tria capitula ab Justiniano et quinta synodo damnata, Chalcedonensis synodus labefactari visa est et ejus acta rescindi : quæ res catholicos plerosque contra Constantinopolitanam illam synodum armavit. Ejusdem enim generis utraque fuit quæstio. Sed Hilarius negat eadem de causa damnatum ab Athanasio fuisse Marcellum, ob quam ab Arianis primo depositus, ab Sardicensi deinde restitutus erat. Verum illic de libro quodam ab eo contra Asterium edito controversiam omnem exstitisse, quem Ariani deteriorem in partem acceperant; Athanasium vero propter quædam privatim, ac citra librum illum, ab eo sparsa, quæ occultum virus redolerent, eumdem ab communione rejecisse.

2 *Neque huc unde Photino.* Sirmiensis prioris synodi Patres nihil contra Marcellum decreverunt, ulla vel levi suspicione perstrinxerunt. Sed Orientales ipsi acceptis Occidentalium litteris, ita quod contra Photinum actum illic erat approbarunt, ut cum Photino etiam Marcellum eadem damnatione conjungerent; quo sibi viam munirent ad opprimendum Athanasium, qui in eadem cum illo causa esse videbatur; utpote damnatus cum eo pariter in Constantinopolitana synodo, et in Sardicensi restitutus.

3 *De Photino autem.* Notetur hic locus. Nam Sirmiensi priorem synodum aperte et ab Occidentalibus celebratam, et iis catholicis, ostendit.

Hæc ad Hilarii verba commentari voluimus, ex quibus appareret, consequentem illius esse loci sententiam, neque mutilum hunc, et inextricabilem videri, ut quidam existimant.

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBA SECUNDA SIRMITANA

EXAMEN CONTINENS DISSERTATIONIS, QUAM DE PHOTINO HÆRETICO, EJUSQUE DAMNATIONE, VIR DOCTUS IN LUCEM NUPER DEDIT.

CAPUT I.

De multiplici damnatione Photini, et novis synodis, quas nupera Dissertatio introducit.

Diversas quinque synodos, in quibus damnatus sit Photinus, repertas a se vel notatas dissertationis auctor enumerat. Non spernenda nec indigna scitu observatio, si vera est. Sed quis errorem in eo non statim deprehendit, quod primam Photini damnationem imperante adhuc Constantino factam putat? Enimvero damnari Constantino regnante Photini hæresis qui potuit, si exorta nondum erat? si post Constantini excessum Constantii demum temporibus, ipsius, qui loquitur, testimonio, nata est? Epiphanii verba sunt[1], ipso interprete, Photinum ἐπὶ Κωνσταντίου « Constantio imperante infelix doctrinæ suæ lolium disseminasse. » Sub Constantio igitur emersisse Photinum censuit Epiphanius. Hoc vero amplius Socrates[2], quod annum quoque ipsum, si attendimus, propemodum designavit, dum Photini exordia inter utramque synodum Antiochenam defixit. Nam cum priorem in Encæniis anno Constantii principis quinto, Christi CCCXLI, peractam fuisse constet, exinde post triennium posteriorem, quid verisimilius, quam ut Photini hæresis ex Socratis sententia, vel anno Christi CCCXLII prodiisse dicatur cum Baronio[4], vel CCCXLIII cum Sigonio[4]?

Cæterum ut de anno fortasse aliqua sit controversia, de auctore nostro nulla esse potest, quin errarit, ad Constantini tempora referens, quod ad Constantiana pertinebat, falsoque de Constantinopolitana synodo anni CCCXXXVI conjectarit damnatum in ea cum Marcello fuisse Photinum, quia de Marcello quidem et Socrates[5] et Sozomenus[6] et qui synodo interesse potuit, ac post illam mox scripsit, Eusebius Cæsariensis[7], et cæteri consentiunt; de Photino autem quod in ea damnatus sit, nemo hactenus somniavit præter ipsum. Photinum sane una cum Marcello synodica sententia perstrictum aliquando fuisse nescii non sumus; sed non ante synodum secundam Antiochenam, a qua damnari ambo reperiuntur in formula fidei pluribus verbis expressa, quæ ideo μακρόστιχος appellata est. Audiat et εὐστοχίαν suam miretur, qui primam damnationem Photini falsam et frivolam commentus sit, veram et germanam non observarit. Sic enim in ea synodo Ariani episcopi loquuntur apud Athanasium[8]. Βδελυσσόμεθα δέ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς Χριστὸν μὴ εἶναι πρὸ αἰώνων θέλοντας· ἀλλ' ἔκτοτε Χριστὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε. τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ Σκοτεινοῦ τῶν Ἀγκυρογαλατῶν.

1 Hær. LXXI. — 2 Lib. II, cap. XIV. — 3 *Annal.* an. 342. — 4 *De Occid. Imp.* — 5 Lib. I, XXIV. — 6 Lib. II, XXXI. — 7 Lib. II *contra Marc.* cap. IV. — 8 *Apol.* II.

Abominamur prœterea et anathematizamus eos qui Christum non ante sæcula fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum et Filium Dei factum fuisse, ex quo nostram carnem de virgine assumpsit. Tales sunt disciputi Marcelli et Scotini ab Ancyra Galatiæ. Scotinumne pro Photino appellarit synodus, ut est apud Athanasium, an Photinum, ut habet Socrates [1], nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium Lucifero Calaritano dictum in eo libro constat, cui titulus est *De non parcendo in Deum delinquentibus.* Hoc contendo primum omnium de Photino synodicum judicium istud esse numerandum quod dixi; antiquius illud certe synodo Sardicensi; quod ex Sulpitii Severi verbis [2], quæ citantur, consequi non negarim. Sed in confusa eo loco et distorta Severi oratione quam certum est falso tradi episcopos apud Sardicam Constantini jussu congregatos, qui ab ejus filiis decimo post mortem patris anno congregati sunt, tam minime dubium falli et errare duplici nomine virum doctum, tum quod absentis Athanasii damnationem, cujus meminit Severus, ad synodum Antiochenam pertinere velit, cum ad Tyriam referenda sit; quia licet absens in utraque damnatus sit, in Tyria tamen sola sub Constantino; tum quod objectam Athanasio participatæ cum Marcello et Photino communionis accusationem alieno loco apud Severum commemorari non sentiat: cum exploratum sit, e duobus judiciis, quæ in Athanasium per Arianos facta sunt, in concilio Tyrio et in Antiocheno, neutri hunc accusationis titulum competere. In Tyrio enim falsis de Ischyra et Arsenio criminibus damnatus est: in Antiocheno crimini datum, quod pristinam sedem, unde synodali, ut aiebant, judicio pulsus fuerat, sine episcoporum auctoritate repetiisset. De recepto autem ad communionem Marcello, aliisque Arianorum sententia damnatis, in Sardicensi demum synodo ab Arianis insimulatus est; quod ex ipsa illorum synodica in Hilarii Fragmentis observare est [3]. Quare ad synodum Sardicensem spectabat hæc accusatio, et alieno, ut dixi, loco apud Severum prolata est. Falsum igitur in prima sua Photini damnatione, multisque modis hallucinatum auctorem dissertationis hactenus ostendimus; nunc ad reliquas pergamus.

Post hæc in Sardicensi concilio iterum fuisse damnatum auctore asserit Epiphanio, qui Photinum narrat ἀπὸ τῆς ἐν τῇ Σαρδικῇ δυτικῆς συνόδου καθῃρῆσθαι, *in Sardicensi Occidentali synodo depositum.* Ac ne ambiguum foret, quia secedentibus apud Sardicam Arianis synodus bifariam divisa est, ab utra parte damnatum intelligeremus, a catholicis damnatum affirmat, et hoc addit ipse de suo. Itane vero ut damnatum a catholicis eo judicio Photinum credamus, in quo an catholicorum quisquam sederit incertum, hæreticus omnium consensu præfuit et primas partes egit Semiarianorum princeps Basilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non persuadebit. Porro cum damnati, episcopatuque dejecti Photini nulla in Sardicensibus actis sit mentio, et quæ de Photini exauctoratione, deque Basilii cum Photino disputatione, ab Epiphanio tanquam Sardicæ gesta memorentur, eadem omnia Sirmiensem ad synodum pertinere scriptores alii fidem faciant, parum perspicacem videri oportet eum, qui Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapsum hoc loco synodo Sardicensi tribuere, quod Sirmiensi congruebat, causamque et inanem auctoris observationem jacere non videat.

Tertia, inquit, Photini condemnatio in concilio facta est Mediolanensi; non in illo pervulgato anni CCCLV, de quo nos Hilarii Fragmenta interpretabamur: sed in altero quod statim post Sardicense ab episcopis catholicis eodem ipso anno celebratum vult persuadere. De Hilarii verbis utri faveant postea videbimus; nunc mirificam istam ejus synodum contemplemur. Mediolani ait episcopos qui Sardicæ nuper fuerant, quos enim alios dicere habeat? iterum congregatos, quis hoc indulgeat, duas uno anno synodos tam dissitis in locis, et tam

1 Lib. I, cap. XV. — 2 Lib. I *Hist.* — 3 Lib. II.

diversarum provinciarum episcopis imperatas ? Non omnes, inquit, ad Mediolanensem acciti sunt, sed soli catholici. Quorsum hi præcipue ? ut Photinum condemnarent. Atqui Sardicæ a catholicis, si ei credimus, proxime fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eosdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova synodo fatigari? Tam immemor est sui, ut quid paulo ante scripserit non recordetur ? tam securus nostri, ut oblivisci nos posse confidat ?

In hac præterea synodo Arianæ sectæ quatuor episcopos, Demophilum, Macedonium, Eudoxium, et Martyrium interfuisse docet, Ariique perfidiam damnare noluisse. Quis hoc rursus credi ab eo potuisse non miretur ? Quæro enim aliumne censeat hunc esse Demophilum, alium Macedonium, et alium Eudoxium, quam quorum subscriptiones in Sardicensi Arianorum synodica leguntur, Demophili a Beroe, Macedonii a Mopsuestia, Eudoxii a Germanicia[1]? Quod si hos ipsos esse non negabit, edicat, si potest, undenam tanta istorum tam repentina mutatio, ut qui proxime apud Sardicam, ne cum catholicis coirent, secessionem fuga fecerant, iidem nunc eosdem, ut eorum concilio intersint, Mediolanum usque consectentur ? Si edicere non potest, incredibilia et falsa hæc esse confiteatur.

Habet tamen unde vera esse confirmet, Liberii papæ ad Constantium epistolam, in qua narrat octavo ante anno quam scriberet, hoc est, ut ipse ratiocinatur, anno ipso synodi Sardicensis, episcopos istos cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio iratis animis exiisse. De hac ergo nos epistola quid statuemus ? Errare hic etiam illum, et falso niti principio, qui scriptam ponat anno CCCLV, cum anno superiore scriptam non vanis argumentis evicerit Baronius[2]; tum indicta synodus nondum erat, cujus impetrandæ gratia legati cum epistola mittebantur, et cum in Galliis adhuc ageret Constantius, quem inde postea in Italiam sub exitum anni CCCLIV ad hiberna descendisse auctor est Ammianus Marcellinus[3]. Proinde hunc verum et legitimum esse annum epistolæ Liberianæ. Ab hoc ergo annis octo, quos numerat Liberius, si regrediare, conventus occurret Mediolanensis, non quo anno statuebat Dissertatio, sed anteriore CCCXLVI, ac tum plana et liquida fluent omnia. Nam et Eudoxium collegasque episcopos, qui ab Orientalibus legati, ut Socrates[4] et Sozomenus[5] scribunt, μακρόστιχον illam fidei formulam in Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuisse nihil erit absurdi. Et cum Athanasium eodem quoque anno Mediolanum Roma Constantis principis accitu venisse, atque inde in Gallias profectum Sardicam ad synodum una cum Hosio contendisse, Athanasii ipsius ad Constantium apologia demonstret, liquet profecto Mediolanensem istum quiqui fuit episcoporum conventum, de quo scribit Liberius, Sardicensi contra quam amico nostro visum est non successisse, sed antecessisse. Quare nihil illi ad suum istud concilium Liberii epistola suffragata est.

Videamus an opis plus adferet altera synodi Ariminensis, quæ Ursacium et Valentem in concilio Mediolanensi ad communionem receptos testari videtur. Quanquam enim non in concilio, sed sub tempus concilii receptos emendatiora habeant exemplaria, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο [6], atque hoc ipsum in epistolam irrepsisse per errorem videri possit ex Valentis et Ursacii ad Julium epistola, in qua libelli abs se apud Mediolanum oblati meminerunt, tametsi nec synodum ibi tunc fuisse, nec ad pacem se receptos significent : quia tamen in concilio receptos ipse, atque suum hoc concilium Mediolanense id esse, omnibus nervis contendit ; hic enim vero quod de aliis quatuor episcopis antea quærebamus, percontari denuo libet, quam verisimiles arbitretur duos istos Arianorum principes et antesignanos, qui pro facinoribus suis a synodo Sardicensi dejecti proxime fuerant, et communione privati, ad frugem tam subito conversos advolasse Mediolanum, ibique communionem sine mora recepisse.

Sed receptos prorsus non fuisse, fallique

1 ilar. Frag. lib. II, XXVIII. — 2 *Annal.*. an. 354.— 3 Lib. XIV.— 4 Lib. II, XV. — 5 Lib. III, X. — 6 Athan. *de Synod.*

qui aliter sentiant, manifestum est. Etenim si a Mediolanensi, ut volunt, synodo fuerant in integrum restituti, si cum Ecclesia catholica redierant in gratiam, quid est quod biennio post concilium illud narrat Hilarius, Ursacium et Valentem Romanæ plebis episcopum adiisse, « recipi se in Ecclesiam deprecantes, et in communionem admitti rogantes[1] ? » quid quod recitatis illorum litteris subjungit, « Venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur ? » An ignorare potuit Hilarius veniam illos a concilio impetrasse si revera impetrarant ? et qui recipi se in Ecclesiam rogabant, nondum receptos se non satis ostendebant ? Quid ergo est quod contra horum confessionem, et contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet, illos in concilio Mediolanensi cum Ecclesia catholica in gratiam rediisse, postea cum Athanasio, et quod addi debuit, cum Julio papa reconciliatos ? Sed Julii nomen pudore suppressum est, ne in Ecclesiam eos receptos dicere videretur, quibus cum Ecclesiæ capite communio nondum esset. Et tamen hoc intelligi necesse est, si vera sunt quæ dicit. Cæterum de Valente et Ursacio, quo tempore, quove impulsu ad pœnitentiam adducti sint, nemo certius noverat, nemo libentius audiendus est quam Athanasius ; qui nec priorem hac Romana resipiscentiam istorum ullam agnoscit[2], et hujus ineundæ occasionem non ex ficta synodo Sirmiensi, quæ etiamsi fuisset, ad causam nihil attineret, sex ex frequenti episcoporum passim, tum maxime Syrorum ac Palæstinorum, ad Athanasii communionem gregatim redeuntium concursu natam refert, cum de rebus suis jam desperarent, et stimulis acti conscientiæ remedia conquirerent. Quare satis opinor hoc etiam ex capite Mediolanensis hujus concilii, tertiæque in eo Photini damnationis vanitas patefacta est.

Quarto præterea damnatum facit in synodo Sirmiensi, non illa celebri et nota sub Constantio, sed altera, quam Constante superstite a catholicis Occidentalibus habitam fabulatur. Consequens erat nimirum, ut qui futilem Mediolani synodum procuderat, frivolam quoque nobis daret Sirmitanam. Quid ita vero ? Quia Hilarius in Fragmentis scribit biennio post damnatum in Mediolanensi synodo Photinum episcopos ad eum tollendum ex episcopatu Sirmium convocatos. Porro Sirmii anno CCCXLIX convenisse ob adnexam ab Hilario Valentis et Ursacii reconciliationem non dubitat. Ideo Mediolanensem synodum Hilarii suam illam esse putat quam biennio ante collocavit. Nos simpliciores Mediolanensem accipiebamus, quam Mediolanensem omnes vocant, et anno CCCLV celebratam loquuntur historiæ. Itaque de hoc nunc capite inter nos est controversia.

Quo autem argumento ecquam synodum Hilarius intelligat certius cognoscemus, quam ex Photini damnatione, quam in synodo factam docet ? At nunquam ostendet adversarius de Photino in ea quam fingit synodo ullam fuisse mentionem, quia de synodo illa præter ipsum nemini unquam suboluit. Nos in vera et omnibus nota Mediolanensi hæreticum damnatum fuisse Photinum, ex synodi ipsius actis ostendemus. Exstat enim, et *Ecclesiasticis Annalibus*[3] indita est concilii hujus epistola ad Eusebium Vercellensem his verbis.

CONCILIUM MEDIOLANENSE EUSEBIO FRATRI IN DOMINO SALUTEM.

« Non ignorat charissima nobis dilectio tua, quam sit pretiosum vinculum charitatis et pacis. » Et post alia, de legatis ad eum missis : « Itaque sincerissima prudentia tua, quod specialiter et sinceriter admonemus, audiat supradictos, et communicato pariter cum his consilio, definiat quod de nomine hæreticorum Marcelli et Photini, necnon Athanasii sacrilegi totus prope definivit orbis ; ne non tam veritati, quam intentioni patere videaris, » etc. Post tam expressi testimonii auctoritatem dubitationi locus esse quis potest ? Ac mirum profecto viri docti oculos fugere hanc epistolam potuisse : aut si vidit, qua de synodo Hilarius ageret,

1 Fragm. lib. I, XXIV. — 2 *Apolog.* II et epist. *ad Solit.* — 3 Ann. 355.

quamve post biennium Sirmii coactam diceret, non percepisse; ne in Ursacii et Valentis pœnitentia illud sibi ab Hilarii fragmentis, quæ alieno hanc loco recitant pateretur, et in eruenda e parietinis, ut ait, ruderibusque nova Sirmii synodo frustra laboraret.

Quam multa sunt enim, et quam aperta, quæ commenti hujus inanitatem refellunt? Nam ut omittam synodo isti, si Athanasio Alexandriam reverso, et Ursacio ac Valente in gratiam receptis habita est, ut fingitur, punctum temporis in quo habita sit, ante Constantis obitum, qui sub ipsum Athanasii reditum incidit, adsignari nullum posse: fallitur haud dubie, cum id, quod ab Hilario dictum est [1], Athanasii de abstento Marcello judicium damnationi Photini auctoritatem præbuisse, de hac synodo sua dictum interpretatur. Quasi hærere in hac synodo potuerint episcopi Occidentales aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum desiderare, quem ipsi jam Mediolani, si verum est, ante biennium condemnarunt. Verum hoc tamen amici causa dissimulemus. Quæro igitur ecquando ab Athanasio factum censeat hoc judicium. Num ante reditum Athanasii? at ridiculum est Athanasium a communione sua quemquam, priusquam sedem suam reciperet, exclusisse. An vero post reditum? Et quantulum ante Constantis obitum tempus fuit, si tamen fuit, ut de Marcello judicare Athanasio liceret? Posterius ergo, interjecto, ut Severus ait [2], tempore judicavit, sed prius tamen quam Photinus argueretur, auctoritatemque, quod testatur Hilarius, præbuit non subdititiis auctoris nostri synodis, sed veris certisque conciliis, Mediolanensi atque Sirmiensi, quorum in utroque damnatum reipsa Photinum fuisse compertum est.

Fallitur rursum vehementerque hallucinatur, ubi maxime sibi placere, ac synodum suam egregie stabilire visus est, cum decretum Occidentalium de Photino, cujus meminit Hilarius, ad suam istam synodum et annum Christi CCCXLIX transferri posse arbitratur; quo certe absurdius alieniusque fingi nihil potuit. Quid enim? an non testis est Hilarius Orientales hoc accepto decreto occasionem revolvendi de Athanasio quæsisse judicii, « et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, ut institutorum talium magistri addidisse, ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret? » Quis hæc autem anno CCCXLIX convenire non posse, si verum amat [3], non fateatur? ut quo tempore Athanasii suam in sedem redeuntis læta et tranquilla erant omnia, ejusque communionem certatim universi, et integræ synodi, atque ipsi etiam Arianorum principes expetebant, eo ipso agitasse in Athanasium consilia, et odia exercuisse credantur. Et quo sensu mortua ipso jam tempore quæstio dici potuit, si non interquieverat, si nullo tempore cessarat?

Alia igitur ad tempora spectent Hilarii verba necesse est; ad illa, inquam, tempora Constantii, quibus post cædem Magnentii, pacatis bellis civilibus, Arianorum in Athanasium furor renovatus est. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis, damnatique Photini occasionem nacti, astuto, ut scribit Severus [4], consilio, innoxium criminosis miscentes, damnationemque Photini et Marcelli et Athanasii eadem sententia comprehendentes, eamdem ad Athanasii condemnationem catholicos episcopos primum in Arelatensi concilio anno CCCLIII, tum biennio post in Mediolanensi, et deinceps, quandiu Constantius vixit, adigere conati sunt, et vi ac minis plurimos impulerunt. De Mediolanensi perspicua res est; tres una ibi damnatos concilii ad Eusebium epistola nos docuit; ad Arelatense referenda est, quæ id ipsum confirmat, Paulini episcopi responsio, de qua Severus episcopos laudans, qui Arianis non cesserunt. « Inter quos, inquit, Paulinus episcopus Trevirorum oblata sibi epistola ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare [5]. » Cætera prætermitto. Poterant hæc sola solerti viro, si animum adjecisset, sufficere; tum ut de Hilarii ver-

1 Frag. lib. I, XXVI. — 2 Lib. II *Hist.* — 3 Lib. I. — 4 Lib. II *Hist.* — 5 Lib. II *Hist.*

bis quo spectarent non ambigeret, tum ut suam istam Sirmiensem, in qua fingenda et ornanda tantum operæ posuit, in suis mallet parietinis et ruderibus relinquere. Nunc quoniam explosæ sunt quatuor, quas jactabat, Photini hæretici damnationes, restat ut de Sirmiensi vera synodo, in qua damnatum fuisse Photinum inter nos convenit, quid adversus priorem Diatribam nostram in Dissertatione sua proferat, expendamus.

CAPUT II.

Discussio eorum quæ ad priorem Diatribam responsa sunt de anno synodi Sirmiensis, fideique formulis in ea editis.

Duo inter nos de synodo Sirmiensi controversa esse dicebamus: unum de tempore, utrum anno CCCLI habita sit, ut cum Socrate sentit auctor Animadversionum: an CCCLVII, ut Baronius; alterum de Hosianæ perfidiæ formula, eademne in synodo edita fuerit, ut cum Socrate censuit Baronius, an Sirmii quidem, sed alio tempore extra synodum, ut contra Socratem et Baronium auctor idem contendebat. Nos annum CCCLI synodo non convenire adversus Socratem ex Socrate ipso arguebamus: quia synodo interfuisse Hosium, in eaque blasphemiam suam condidisse Socrates affirmat. Hosium autem non ante annum CCCLVII lapsum esse, ac proinde synodum, si in ea lapsus est, ante hunc annum cogi non potuisse adstruebamus.

Quid ad hæc respondit nupera Dissertatio? Socrati de anno concilii habendam fidem esse, de Hosio non habendam, quia fallitur. Cur enim vero? Undenam hoc discrimen? Quia synodi annum, inquit, ex actis publicis haud dubie deprompsit. Quid si Hosii quoque nomen ex iisdem actis didicit? Nam mirum sit profecto in actis illum synodi quo anno celebrata sit observasse, et in actis acta ipsa, hoc est quid et per quos unumquodque gestum sit, neglexisse. Socratem falli nonnunquam et errare non inficior: sed cur de anno hic potius audiendus sit, quam de Hosio, nondum video. An quia consules adscripsit, et « nunquam, si amico credimus, temere aut falso notas consulatuum adhibet? » Quasi vero non hoc ipso in loco, ne longius exempla repetam, in comparandis consulatibus pueriliter lapsus sit Socrates, cum fidei formulam, quæ Eusebii et Hypatii consulum nomina, hoc est anni CCCLIX notam gerebat, synodo Sirmiensi, quam post consulatum Sergii et Nigriniani nono ante anno habitam tradit, adscribere non dubitavit[1].

Desinat ergo vir doctus auctoritatem Socrati pro arbitrio suo nunc dare, nunc negare; quia si discrimen statuendum hic erat, de Hosio potius vera dixisse credendus est, in quo adstipulatores ex antiquis habet plurimos, ut ostendam: quam de anno synodi, de quo Sozomenum si excipias, veterum nullus est qui idem sentiat. Dissidet autem et reclamat in primis Hilarius[2], a quo diserte proditum est, synodum Sirmiensem, bienno post Mediolanensem, quæ Photinum damnarat, consecutam. Unde quia Mediolanensem anno CCCLV celebratam fuisse non ambigebatur, consequens erat, ut vinceret Baronius, rectiusque Sirmiensem anno CCCLVII collocasse censeretur. Quo nos Hilarii testimonio usi cum essemus in *Diatriba*, non defuit acuto viro ingenium nec industria, qua ictum eluderet. Aliam namque ab Hilario Mediolanensem synodum, aliamque Sirmiensem, non istas quas putamus intelligi causatus est. Sed nos commentitias ejus synodos anteriori capite sic retudimus, ut fucum deinceps, ut spero, facere non possint.

Non minore, sed nihilo feliciore argutia expedire se altera objectione nostra conatus est, qua docebamus anno CCCLI in quem synodum Sirmiensem conjiciebat, cum Occidentis provincias obtineret Magnentius, et bellicis motibus arderet Pannonia, vix ac ne vix quidem synodum in ea convocare Constantio licuisse. Et vero arduum

1 Lib. II, XXIV. — 2 Fragm. lib. I, XXIII.

atque incredibile videbatur, cum a bello bellique apparatu vacua ejus anni nulla pars foret, inter armorum strepitus opportunum ac liberum cogendo habendoque concilio reperiri tempus potuisse. At reperit tamen. Sic enim calculos subducit. « Victus est, inquit, Magnentius a Constantio 4 Calendas Octobres. Quocirca anni majori parte, hoc est prioribus mensibus, et ab Octobri deinceps potuit Constantius Sirmii episcoporum habere conventum. » Quasi temporis momento bellum id comparatum, gestum, confectumque sit ; nullam ut anni partem, nullam diem præter 4 calend. Octobres occuparent hostiles illi tot locis impetus et impressiones, pontes fluminibus impositi, castra oppidis admota, et quæcumque ad Sisciam, Sirmiumque ipsum, ad Cibalim et Mursam gesta Zozimus refert[1]. Sentio tamen quid dicturus sit ; æstivos belloque aptos menses occupasse, reliquos synodo concessisse. Quosnam vero ? hibernos videlicet. Nempe ut ad cæteras difficultates hæc etiam accederet, ut cum plurimis ex provinciis congregatos ad synodum Sirmiensem episcopos testetur Hilarius[2], ex Oriente et Occidente Socrates[3] et Sozomenus[4], his ut adessent necesse fuerit aut ninguidos montes saltusque aliena tempestate transgredi, aut nondum aperto mari, si navigandum erat, vel jam clauso, cum procellis et fluctibus luctari. Tantis cum incommodis, tanta cœli inclementia, imperari vel cogi anno CCCLI synodum potuisse supra fidem ducebamus, amico nostro novarum synodorum artifici credere libuit, tametsi affine, aut simile synodi exemplum, nullum, nisi fallor, proferri possit.

De hoc igitur capite dictum satis. Superest ut de altero disseramus, hoc est, de perfidia Hosiana, quam cum in synodo ulla editam in Epiphanianis Animadversionibus negaret, nunc Diatribæ nostræ admonitu, Phœbadium Aginnensem episcopum suggerentis, qui in synodo, et Vigilium Africanum, qui in synodo Sirmiensi conscriptam disertis verbis pronuntiarunt, sententiam mutavit. In concilio enim Sirmiensi, quod negare amplius non poterat, conditam fatetur : sed concilium hoc diversum ab eo vult fuisse, in quo Photinus condemnatus est. Itaque si illum nunc audimus, triplex jam apud Sirmium numeranda est synodus. Prima Occidentalium sub Constante, altera Orientalium sub Constantio, tertia ista, in qua lapsum vult Hosium. Et ubi est quod in animadversionibus tam asseveranter prædicabat, « ex antiquis patribus odoratum se esse, tres omnino conventus episcoporum eodem in Sirmiensi oppido non iisdem temporibus celebratos fuisse : quorum primus duntaxat synodicus et indictus fuerit, reliqui duo fortuiti, minimeque conciliorum loco et nomine censendi ? » Unicam synodum Sirmiensem tunc noverat, nunc tres affirmat. Errasse illum tunc temporis dicemus, an modo.

Sed verius certiusque, quod antea senserat, synodum Sirmiensem unicam fuisse, in qua et damnatus sit Photinus, et Hosiana blasphemia perscripta. Quis enim veterum scriptorum synodos Sirmienses plures una numeravit ? quis Hosianam a Photiniana distinxit, aut quis cum apud Hilarium, Athanasium, Phœbadium, et alios, atque in synodo Ancyrana synodi Sardicensis conjuncta nomina legit, non sicut unicam Sardicæ synodum cogitat, sic unicam Sirmii ? et cum in synodo Sirmiensi lapsum esse Hosium Vigilius testatur, aliud quam in hac unica lapsum suspicari possit ? Sed repugnat acerrime, et argumenta ingerit, ex quibus confici putat Hosii lapsum synodo in qua damnatus est Photinus tribui non posse, auctores etiam sibi esse ait, qui synodum utramque distinguant. Argumentis olim quatuor in Animadversionibus suis usum memini, singulisque a me in Diatriba responsum. Nunc duobus contentus reliquis abstinet, quia in his deceptum se, ut reor ex refutatione nostra deprehendit. Poterat, nisi causæ serviret, istorum etiam repetitione supersedere,

1 Lib. II *Hist.* — 2 Lib. I, XXIII. — 3 Lib. II, XXIV. — 4 Lib. IV, V.

quorum vim omnem Diatriba jam eliserat.

Quid enim est quod priore loco tam enixe et tam multis verbis edisserit, ut probet formulam Hosianam in Sirmiensi contra Photinum synodo conditam non fuisse? Quia cum ista, inquit, formula publicata esset, atque in Orientem perlata, vehementer exarsit Basilius Ancyranus, et alii cum illo episcopi Semiariani, eamque mox in synodo Ancyrana decretis suis confoderunt. At synodo Sirmiensi Basilius idem non solum interfuit, sed pene etiam præfuit. Quid igitur fingi absurdius potest, quam in illa synodo præsente Basilio eam fidei conceptam esse formulam, quam is paucis post mensibus detestatus est? Hæc summa ratiocinationis ejus, quam in Diatriba jam diluimus. Ostendimus enim episcopos, qui Sirmium ad synodum convenerant, post damnatum communibus suffragiis Photinum bifariam divisos, diversas exinde, ut diversarum sententiarum erant, placitis suis congruentes fidei formulas edidisse; Orientales Græcam, quæ similem substantia Patri Filium statuebat; Occidentales Latinam, quæ dissimilem profitebatur, et Hosii blasphemia nuncupata est. Quis porro Sirmii factum miretur, quod et antea Sardicæ et Arimini postea factum non ignoret? Nam et in synodo Sardicensi, ut observabamus, divisis inter se Occidentalibus et Orientalibus episcopis, suas utrique prorsus discrepantes synodicas conscripsere, quas in Fragmentis Hilarii[1] videre est: et in Ariminensi aliam fuisse catholicorum definitionem, quæ in iisdem Fragmentis legitur, aliam Arianos suggessisse omnibus notum est. Denique in conciliis ubi diversarum partium erant episcopi, usitatius nihil fuit, quam ut diversa itidem partium studia, diversi congressus, et diversæ verbis scriptisque definitiones cernerentur. Quæ singula seorsim ita fiebant a singulis, ut talia geri et scribi ab aliis pars adversa non nesciret, gerendis tamen scribendisque non adesset. Quare in Sirmiensi concilio, cujus pars una Semiarianorum fuit, quorum princeps Basilius Ancyranus, [pars Arianorum, in quibus Valens, Ursacius, et cæteri similis pravitatis, absurdum sit, non duas exstitisse formulas, quod in multis sæpe conciliis factum est; sed de Basilio sciscitari, an Hosiana eo conscio vel præsente scripta sit, quasi hoc necesse fuerit: ultrone an invitus illi subscripserit, quasi ab eo quisquam ut subscriberet flagitarit: cur denique illam dictari passus sit, quasi vetare aut inhibere potuerit. Post damnationem namque Photini, quem pars utraque ut diversa sentientem communi calculo damnarat, in suas deinceps privatim definitiones incubuere, quod pars una faceret hoc alteram facere non nescii, sed quominus libere sua tractarent, minime solliciti. Quid ergo est quod formulæ istius causa exarsisse fertur cum Semiarianis suis Basilius? Male hos habebat urebatque, non talia scribi ab Arianis, quorum ipsi cujusmodi placita essent non ignorabant: sed quod perlata in Orientem Hosii formula spiritus inflatos audirent Eudoxii Antiocheni, cæterorumque quibus illa favebat Anomœorum, atque hoc jam licentius hæresim suam venditarent, quod hanc Occidentales Valentis et Ursacii opera suscepisse jactarentur. Qua re perculsi incensique non ante conquieverunt, quam et in synodo Ancyrana suis illam decretis averterent, et a Constantio per legatos, ut eamdem edicto suo tolleret, impetrarent.

Nec vero propterea quod formulam istam oppugnantes petierunt a principe legati, « ut rata essent quæ apud Sardicam et Sirmium in synodis decreta fuerant, » idcirco conscriptam in Sirmiensi non fuisse, argumentari liceat. Neque enim omnia quæ apud Sardicam et Sirmium decreta fuerant confirmari petebant, sed ea duntaxat, quæ Orientales decreverant, ea nimirum, « in quibus definitum erat similem esse secundum substantiam Patri Filium, » quod utroque in concilio decretis suis sanxerant Orientales, cum Occidentales contra in Sardicensi consubstantialem, in Sirmiensi dissimilem substantia professi sint. Cæterum ut ridiculus fuerit, qui ea quæ Occidentales apud Sardicam pro-

1 Lib. I, VII; lib. II, VI; lib. II, XLI.

fessi sunt, idcirco ad synodum illam pertinere negaret, quia Orientales in eadem synodo aliter sentiebant: sic Hosii formulam ad synodum pertinere, atque in ea conceptam et conscriptam fuisse nihil vetat, quamvis hanc Orientales non probarint.

Nec virium plus habent ea quæ secundo loco de formularum titulis et inscriptionibus ex Hilario depromuntur. Hilarius in libro *de Synodis*: aliter, inquit, Hosianam formulam inscribit, aliter Photinianam. Hosianæ siquidem hoc lemna præscribit, ***Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium et Potamium conscriptæ:*** alteri vero, ***Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conscriptæ.*** Quid ex inscriptionibus istis arguit vir doctus? Ab Orientalibus plena in synodo scriptam fuisse formulam posteriorem, alteram non nisi ab uno alterove. Atqui hoc inter nos, opinor, non quæritur, paucioresne numero fuerint qui Hosianam conflarunt, quam qui alteram. Vigilius quidem, cum per Hosium, Valentem, Ursacium, Germinium, cæterosque similis pravitatis conscriptam refert, non exiguo numero fuisse indicat. Sed fuerint sane pauciores, an ideo sequitur in eadem synodo conditam non fuisse? imo vero, si Hilarii mentem et verba introspicimus, in eadem utramque conditam ostendunt. Quid enim opus erat, cum solas Orientalium fides proferret, de hac speciatim monere ab Orientalibus fuisse conscriptam, nisi ut alteram, id est Hosianam secerneret, quam in eadem synodo conditam meminerat, sed ad Orientales minime pertinere?

Contra nos igitur nihil facit hic locus Hilarii. Ne alter quidem, in quo episcoporum Orientalium diversis et locis et temporibus conscriptas fides se commemoraturum significat. Unde colligi volunt Sirmiensem formulam contra Photinum diverso vel loco vel tempore ab ea conscriptam esse quam dicimus Hosianam. « At loco, inquit, diversa non est; tempore igitur diversa sit oportet. » Videlicet Hilarius diversis et locis et temporibus conscriptas dixerat: timuit vir doctus ne Hilarii dicto veritas non constaret; itaque diversas vel loco vel tempore interpretatus est, nempe ut Hosianam includeret; quam loco diversam a Photiniana dici non posse sentiebat, tempore ab Hilario distinctam persuadere voluit, sed incassum. Ecquas fidei formulas describit Hilarius, quas a Gallis expeti noverat, Orientalium scilicet episcoporum? Quis ergo hic locus Hosianæ, quæ Orientalium non erat, nec Gallis ignota, qui hanc nuper ad se missam repudiarant, quamque Hilarius ipse invitum se operi suo inseruisse testatur, tantum ut Orientalium e diverso responsiones noscerentur? Orientales namque solas complecti animus erat, Antiochenam, Sardicensem, Sirmiensem et Ancyranam; quas omnes verissimum est diversis, quod perhibet, et locis et temporibus scriptas fuisse. Itaque nihil hic opus fuit illius glossemate.

Post Hilarium iterum objicitur Vigilius, non sanctus ille martyr Tridentinus, ut multis persuasum videtur, sed alter annis centum et quinquaginta posterior, episcopus Africanus, qui Justiniano imperante, adversus Nestorium et Eutychen Constantinopoli scripsit. Hujus ergo verbis egregie id quod volebat affirmari, Hosianamque professionem in diversa synodo ab ea quæ Photinum dejecit, editam probari ait, dum synodum Orientalium contra Photinum catholicum concilium appellat, ejusque sanctiones collaudat; illum vero cœtum episcoporum qui Hosianam condidit, hæresis et impietatis arguit. Veri speciem aliquam habent ista, nec inficior, sed speciem duntaxat; re autem vera non duas diversas synodos Sirmienses denotant, sed synodi ejusdem duas, ut ante dixi, partes diversas, placitis inter se doctrinaque discrepantes: quarum altera Hosianæ perfidiæ auctor fuit; altera formulæ illius quæ contra Photinum Græce conscripta est. Harum partium alteram, quæ Orientalium episcoporum fuit, a quibus posterior formula manarat, concilium Sirmiense Vigilius appellat, et quidem catholicum. At Sirmiense concilium partem quoque alteram, in qua lapsus est Hosius, idem Vigi-

lius nominat in libro *de Unitate Dei*, cujus verba in priore Diatriba descripsimus. Porro quemadmodum in Fragmentis Hilarii, cum diversas Orientalium et Occidentalium, qui apud Sardicam convenerant, epistolas legimus, et utrisque synodi sardicensi præscriptum nomen cernimus, haud quaquam diversas synodos Sardicenses auguramur, sed synodi ejusdem diversas partes: ita prorsus de Sirmiensi statuendum est, operamque eos ludere qui contra nitantur.

CAPUT III.

De loco Fragmentorum Hilarii scholiisque ad eum illustrandum a viro docto editis.

Erroris auctori nostro ad novas synodos excogitandas occasio nata est ex *Fragmentis* Hilarii. In quibus cum Valentis et Ursacii pœnitentiam biennio post synodum Mediolanensem sub synodi Sirmiensis exordia positam videret, pœnitentiamque istam redeunte Alexandriam Athanasio anno CCCXLIX contigisse non ignoraret, in hanc se fraudem impelli passus est, ut quoniam Hilarii verba quemadmodum de Mediolanensi et Sirmiensi, quæ sub Constantio celebratæ sunt, intelligi possent non capiebat, alias nobis sub Constante nominis ejusdem synodos fingeret, de quibus Hilarium accipi juberet. Ut scopulum hunc vitaret, nec in sententiam ab Hilario alienam incurreret, animadvertere potuit Valentis et Ursacii resipiscentiam in *Fragmentis* illis loco non suo commemorari. Et vero cum propositum sit Hilario, ut ipsa operis præfatio declarat, res sub Constantio gestas complecti, et initium ducere a synodo Arelatensi, quid ab ejus mente fingi possit disjunctius, quam ut locum hic habeant synodi quæ sub Constante habitæ dicantur, et Arelatensi fuerint antiquiores? Deinde si Athanasii de Marcello judicium Constantis obitum præcedere non potuit, ut superius ostensum est, Marcellum autem priusquam Photinus argueretur, ab Athanasii communione summotum auctor est Hilarius, qui convenit, ut Hilario notas fuisse credamus has synodos, quæ si veræ sint, Hilario manifestissime repugnent?

Placuit tamen hic error auctori, et ita placuit, ut ejus firmandi studio verba Hilarii, in quibus conjecturas suas commode sibi repræsentare visus est, longius describenda, scholiisque suis illustranda judicarit. Quasi vero, nec enim dispar est ratio, duas nos apud Sardicam synodos propterea fingere sit opus, quia synodum Sardicensem, quam a Constantini filiis congregatam omnes norunt, a Constantino patre convocatam Sulpitius Severus falso tradit: aut quia Valentem et Ursacium, ne a re nostra egrediamur, in concilio Mediolanensi veniam adeptos dicere videtur epistola synodi Ariminensis, eo effici queat reconciliationem istorum, quam unicam fuisse, Romæque a Julio papa factam omnibus est in confesso, non unam revera, sed geminam exstitisse. Quod si nec duas Sardicæ synodos, nec duplicem Ursacii et Valentis reconciliationem dici patitur, satiusque intelligit errorem in Historia Severi, et in Ariminensi epistola confiteri, quam ex falsis falsa concludere, et omnibus adversari: cur idem judicium in *Fragmentis* Hilarii nos sequi non sinit, aut secutus ipse non est? præsertim cum seclusa et rejecta Ursacii et Valentis mentione, quam adscititiam hoc loco et alienam diximus, præclare cætera consentiant, totaque ista novarum synodorum suspicio et color evanescat? Quæ cum ita sint, scholia ista, quæ in his confingendis tota sunt, et sua sponte jam corruunt, supervacaneum sit confutare; quanquam illa, cum eadem inculcent, novique nihil adferant, satis antea superque a nobis refutata et labefactata sunt.

Finem tamen ante non faciam, quam id patefaciam, in quo maxime summa consistit et quod a nobis jam pridem, nisi studio dilatum esset, minime dissimulari oportebat, decretum illud Occidentalium de Photino ad Orientales missum, quod a sua Sirmiensi profectum auctor volebat, et quo accepto revolvendi in Athanasium judicii occasionem quæsisse dicunt Orientales,

non falsæ istius synodi, quæ nulla fuit, decretum fuisse, sed Romanæ; quam a Julio papa ante mortem anno CCCLI habitam indicio est Liberii ad eosdem Orientales epistola, quæ in Hilarii Fragmentis habetur; quamque ab Hilario ipso designari, cum hæresim Photini a Romanis damnatam scribit, non dubitem affirmare. Sic autem se habet:

Dilectissimis fratribus et coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis Liberius urbis Romæ episcopus salutem.

« Studens paci et concordiæ Ecclesiarum posteaquam litteras charitatis vestræ de nomine Athanasii et cæterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi, secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, et Helianum a latere meo ad Alexandriam ad Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret, » etc. Ex his verbis apparet quod dixi, Julium sub vitæ finem ad Orientales de Photino litteras dedisse; Orientalium vero epistolam, qua Julio respondebant, eo mortuo, successori ejus Liberio redditam fuisse. In hac illos Athanasium cæteris, id est Marcello et Photino ita miscuisse, ut obscurum non esset machinas illorum in Athanasium præcipue dirigi, eamque ob rem de illo uno rescribere Liberium. Sed et Hilarius ipse in prima operis parte argumentum idem tractans adversus Orientales, ab Athanasii defensione orditur, in eaque copiosius versatur, tametsi hodie mutila est, et principio caret, quod Sardicensis concilii epistolas, quarum testimonio utebatur, et quæ primum locum nunc obtinent, præcedebat. De Photino autem duas tantum quæ de illo judicarunt synodos memorat, Mediolanensem et Sirmiensem. De Marcello id unum maxime, « neque tunc cum de Photino, sic enim legendum, decretum ab Occidentalibus est, aliquod in eum expressum fuisse judicium; de Photino tantum epistolas esse factas. Sed Orientales rescribentes de Photino Marcelli mentionem addidisse. » Decretum hoc synodi Sirmiensis, quæ sub Constante fingebatur, si esse non potuit, ut suo loco demonstravimus; si Romanæ revera fuit, ut ex Liberii epistola non inani conjectura didicimus: quid restat, nisi ut minus feliciter locatam ab auctore in scholiis istis, et in dissertatione tota operam intelligamus?

APPENDIX.

Sunt qui adversus Baronii sententiam de synodo Sirmiensi novam machinam instrui posse putent ex nomine Thalassii, quem Ammianus Marcellinus obiisse tradit Constantio VII consule, id est anno Christi CCCLIV. Sic enim ratiocinantur. Judices Photino post synodum ex aula dati, Epiphanio teste, hi fuerunt: Thalassius, Datianus, Cerealis, Taurus, Marcellinus, Evanthius, Olympius et Leontius. Si post synodum, inquiunt, ut cum Epiphanio innuere videntur Socrates et Sozomenus, factum est hoc judicium, atque in hoc judicio sedit Thalassius, non potest synodus coacta dici anno CCCLVII ante quem Thalassius vivere desiit, falliturque Baronius qui ad hunc annum refert. Res perspicua, ut apparet, ac minime dubia. Attamen si retorquere libeat, et ex nomine Marcellini, qui in eodem est numero judicum, similiter argumentari, ut doceamus anno CCCLI synodum adscribi non posse, quod absurdissimum sit Marcellinum Magistrum officiorum, qui Magnentianarum partium princeps fuit, et eodem illo anno in castris Magnentii pugnabat adversus Constantium, delectum a Constantio judicem existimari: hoc, inquam, argumenti genere si utamur, quid respondebunt? Negabunt, opinor, eumdem esse Marcellinum. Et nos si negemus eumdem esse Thalassium, qua ratione convincent? Ex Ammiani Marcellini verbis Thalassium contendunt ad annum CCCLVII non pervenisse. Nos contra isto ipso anno Thalassium præfectum prætorio fuisse docemus ex lege VI cod. Theod. *De Judæis*, etc. cujus inscriptio est *Imp. Constantius et Julianus Cæsar ad Thalassium P. F. P.* subscriptio autem hujusmodi: *Dat.* 5 *nonas Julias Mediolani Constantio Aug. IX et Juliano Cæsare coss.* Non latet nos mendum suscriptioni subesse, quatenus data lex dicitur Mediolani, cum illo anno nec Constantius Mediolani fuerit, nec Julianus, sed ille Sirmii, hic vero in Galliis. Sed quoquomodo emendari placeat, Baronio prorsus lex favet, si salva est nota consulatus; adversarios refellit, si vera est inscriptio. Nam cum Thalassii mortem Gallo adhuc superstite compertam scribat Marcellinus, Juliani, qui Gallo successit, non potuit ad Thalassium lex dari, si Thalassius jam obierat. Quare aut falsa est Marcellini de morte Thalassii assertio, si unus idemque est Thalassius: aut cassa, si duo fuerunt, quæ contra Baronium ex Thalassii judicio ducebatur, argumentatio.

DIONYSII PETAVII
ELENCHUS
DIATRIBÆ UTRIUSQUE DE PHOTINO
ET SIRMIENSI SYNODO.

CAPUT PRIMUM.

Quibus argumentis Mediolanensis nova synodus adstruitur, nec non Sirmiensis: illa anno Christi CCCXLVII, *hæc anno* CCCXLIX. *Refelluntur quæ in Diatribæ secundæ capite primo contra ambas exposita sunt.*

Dissertationis nostræ de Photino hæretico nuper editæ duplex institutum fuit: alterum, synodos duas asserere, atque e tenebris vindicare in lucem, Mediolanensem, et Sirmiensem priorem; in quibus ab catholicis damnatus est Photinus: alterum, posterioris synodi Sirmiensis, quam hæretici celebrarunt, annum ex Socratis auctoritate constituere, Christi CCCLI, non, ut recens opinio fert, CCCLVII. Utrumque *Diatribæ* auctor impugnat, cui nos hoc ordine respondebimus, ut de primario controversiæ capite primum agamus: tum de cæteris, quæ velut incidentia sunt, neque ad præcipuam quæstionem pertinent.

In primis ergo Mediolanensem quamdam synodum ab catholicis habitam esse defendimus, in qua Photini damnata est hæresis: et Ursacius, ac Valens, rogata venia, recepti sunt; quod anno CCCXLVII paulo post Sardicensem synodum accidisse videtur. Hanc biennio postea excepisse Sirmiensem alteram dicimus, in qua Photinus catholicorum sententia depositus, propter populi factionem amoveri nondum potuit. Quas quidem ambas synodos ignoratas hactenus, ex Ariminensi synodica, et Hilarii Fragmentis hunc in modum adstruimus.

In concilii Ariminensis epistola, quam catholici episcopi, nondum depravata hæreticorum versutia synodo illa, scripserunt ad Constantium imperatorem; vehemens habetur expostulatio contra Ursacium, et Valentem signiferos Arianæ perfidiæ: quorum levitas et inconstantia notatur, quod cum in Mediolanensi concilio anteactorum criminum veniam libellis oblatis impetrassent, ad eadem illa rediissent postea [1]. Ὅθεν Οὐρσάκιός τε καὶ Οὐάλης, ἐπειδὴ ἔκπαλαι μέτοχοί τε, καὶ σύμφωνοι τοῦ Ἀρειανοῦ δόγματος ἦσαν καθεστηκότες, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας χωρισθέντες ἀπεφάνθησαν, ἧς ἵνα μετάσχωσιν ἐφ' οἷς ἑαυτοῖς συνεγνώκεισαν πλημμελήσαντες, μετανοίας τε, καὶ συγγνώμης ἠξίουν τυχεῖν, ὡς καὶ τὰ ἔγγραφα τὰ ὑπ' ἐκείνων γεγενημένα μαρτυρεῖ, δι' ὧν ἁπάντων φειδὼ γεγενῆται. ἦν δὲ ὁ καιρὸς καθ' ὃν ταῦτα ἐπράττετο, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο συμπαρόντων δὲ καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς τῶν Ρομαίων ἐκκλησίας. Quæ sic in *Tripartita* vertit Epiphanius Scholasticus [2]: « Quapropter Ursacius et Valens, quoniam participes et concordes Ariani dogmatis erant, a nostra sunt communione segregati. Quam ut reciperent, cognoscentes delicta, quibus peccaverunt, pœnitentiam, atque veniam impetrare poscebant: et rescripta eorum hæc ita se habere testantur, per quæ criminum veniam consecuti sunt. Erat enim tempus, quo hæc gesta noscuntur, quando Mediolani synodus celebrata est; præsentibus Romanæ Ecclesiæ presbyteris. » Hæc epistola ab Athanasio descripta legitur in libro *de Synodis*; necnon apud Socratem [3], Theodoretum [4], Sozomenum [5], Nicephorum [6], tum in *Tripartita* [7], et Hilarii *Fragmentis*; ubi, sine ulla varietate scriptum est. Ursacium et Va-

1 Theodoret. lib. II *Hist. Eccl.* cap. XIX. — 2 Lib. V, c. XXI. — 3 Lib. II, c. λζ.— 4 Lib. II, c. XIX. — 5 Lib. IV, c. XVIII.— 6 Lib. IX, cap. XL. — 7 Lib. V, cap. XXI.

lentem in Mediolanensi synodo libellis oblatis veniam exorasse; ut certissimum sit, hoc omnino Ariminenses Patres in epistola sua posuisse. Porro cum Ursacii et Valentis illa reconciliatio ante annum CCCLIX inciderit, necesse est Mediolanensem quoque synodum, ad quam supplices adierunt, eumdem annum antecessisse. Quare diversa fuit ista synodus ab alia Mediolanensi, quæ anno CCCLV celebrata est.

Conferantur modo cum Ariminensi illa synodica, quæ Hilarius in *Fragmentis* de eadem, ut apparet, synodo scribit: « Igitur ad tollendum, inquit, ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quod jam pridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti Ursacius et Valens Romanæ plebis episcopum adeunt; recipi se in Ecclesiam deprecantur, et in communionem per veniam admitti rogant. » Subjicit Hilarius amborum libellum oblatum Julio papæ, tum ita loquitur: « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est. » Ex quibus efficitur Mediolanensem synodum biennio contigisse antequam Ursacius et Valens Julio papæ libellum offerrent: biennio itidem antequam Sirmii ad deponendum Photinum synodus haberetur a catholicis, de qua mox. Quare cum anno CCCXLIX. Ursacius et Valens Julio papæ libellum obtulerint, ut in dissertatione probatum est: consequens sit, anno CCCXLVII Mediolani synodum esse collectam: indidemque concluditur Sirmiensem illam synodum anno CCCXLIX esse factam, nempe biennio post Mediolanensem, et eodem anno, quo Valens et Ursacius Julium adierunt.

Hoc invictum argumentum est; quod nulla tergiversatio potest eludere. Sed neque Diatriba tota probabile quidquam adfert, quod recte et citra ambages illi respondeat.

Nam quod in Ariminensem epistolam irrepsisse per errorem putat illud de Mediolanensi synodo, ex Valentis et Ursacii ad Julium libello; divinantis est, et utcumque extricare se cupientis; potius quam bona fide, et ex animo respondentis hæc exceptio. Cui enim persuaderi queat Ariminensem in eo synodicam esse falsam? id si esset, vel librariorum ea culpa foret, vel Ariminensium ipsorum præsulum. Utrumque autem incredibile est: imo etiam absurdum. Etenim neque librarios in tam diversis auctoribus, illam qui Græce Latineque descripserunt, corrumpendis illo loco, conspirasse verisimile est: neque in tanto Ariminensium numero, qui, quæ viderant, magna ex parte referebant, fuisse neminem, qui erroris admoneret. Deinde quid Hilario faciemus æquali temporum illorum, qui Valentis et Ursacii epistolam interpretatur; et quod apud Mediolanum porrectum a se priorem libellum isti dicunt, ad Mediolanensem synodum refert, in qua Photinus a Romanis, utique catholicis, biennio erat ante damnatus? Nam biennio ante Sirmiensem synodum, in qua depositus, nec amotus est a catholicis, Mediolanensem synodum celebratam esse docet. Deinde post Valentis et Ursacii libellos ita subjicit: « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est. » Ubi autem, et a quibus damnata, paulo ante docuit: « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes. » Profecto, si quis in nobis est candor, atque æquitas, fateri cogimur, in Mediolanensi aliqua synodo catholica Valentem et Ursacium priorem libellum obtulisse; quod Ariminenses præsules disertis verbis asserunt. Neque enim in tam recenti memoria, contra Valentem et Ursacium Constantii imperatoris intimos ad imperatorem ipsum publice, et e synodo scribentes, de utroque mentiri tam insigniter potuerunt.

Atenim probabile non est Valentem et Ursacium « pro facinoribus suis a Sardicensi proxime dejectos, ad frugem tam subito conversos advolasse Mediolanum, ibique communionem sine mora recepisse. » Deinde « si recepti fuerunt, quid est quod biennio post concilium illud narrat Hilarius Ursacium et Valentem Romanæ plebis episcopum adiisse, recipi se in Ecclesiam deprecantes? » Cum de facto constet, de facti causa et ordine litigare et otiosi, et nimie contentiosi hominis est. Quam multa in historiis occurrunt, quæ, ut certo evenisse scimus, sic fieri potuisse miramur? Neque enim rerum omnium gestarum rationes ab Scriptoribus memoriæ proditæ sunt: et brevissimo interdum tempore magnæ rerum conversiones incidunt; quas nullius conjectura et suspicio consequi potest.

Postremo quod in omni nostra defensione

validissimum, et ἀναντίῤῥητον est, si errarit in eo dissertatio nostra, non mihi, sed antiquissimis illorum scriptoribus temporum tribuendus hic error est, Ariminensi concilio, et Hilario, quos negari non potest plane hoc, quod scripsimus, aperteque testari. Quibus et Liberius adjungi potest Romanus Pontifex, qui in colloquio, quod habuit cum imperatore Constantio, refert Ursacium et Valentem « libellos in synodo dedisse, quibus veniam rogabant ob id nominatim quod in Mareote provincia per calumniam ex una parte contra Athanasium acta confecerint. » οἱ ἐν τῇ συνόδῳ βιβλία ἐπιδεδώκασι συγγνώμην αἰτοῦντες, ἐφ' οἷς ἐν τῷ Μαρεώτῃ κατὰ συκοφαντίαν ἐκ μονομεροῦς συνεθήκαντο κατὰ 'Αθανασίου ὑπομνήματα [1]. Baronius in *Annalibus* existimavit hanc synodum fuisse Sardicensem [2]; cujus opinionis ansam ex Epiphanii Scholastici Latina versione fateor arripi posse [3]. Sed Græca ipsa si quis adhibeat, ad aliam synodum pertinere istud intelliget; cum alioqui in Sardicensi constet prorsus illos esse damnatos. Quod si in Sardicensi ipsa synodo, in qua proscripti, exauctoratique sunt Ursacius et Valens, nec usquam in ea recepti leguntur; tamen in ea resipuisse, et libellos obtulisse tantus vir absurdum non judicavit; unius loci Latina interpretatione fretus; quid est quod tam hostiliter Diatriba nos insequitur, quod in altera synodo de paulo post accidisse, synodica tot præsulum epistola, et Hilario teste defendimus? Sane si quis Liberii verba illa diligentius expendat, non dubitabit, quin synodum aliquam fuisse significet, in qua libellum ambo illi dederint, et quidem ab eo diversum, qui apud Hilarium et Athanasium exstat, Julio Romano Pontifici inscriptus. In hoc enim nulla Mareotæ mentio est, neque actorum ab se contra Athanasium ex una parte per calumniam conscriptorum, quæ in priore libello, quem synodo obtulerunt, expressa fuisse Liberius affirmat. Sed hoc unum confitentur, « falsa esse omnia, quæ ad aures suas pervenerunt de nomine Athanasii, atque omnibus viribus carere. » Quare diversos esse libellos oportet; et, quod consequens est, priorem in synodo fuisse datum, cujus in posteriore meminerunt.

Sed nec illud consentaneum est, quod Diatriba de Mediolanensi synodo, cujus mentionem facit Hilarius, affirmat, hanc illam fuisse Mediolanensem, quæ anno CCCLV ab Constantio, et Arianis episcopis est habita. Hoc enim ex Hilario ipso perspicue refellitur, qui Mediolanensem, de qua loquitur, a Romanis contra Photinum esse factam ait ante biennium, quam Valens et Ursacius epistolam offerrent; cui consonat et Ariminensis synodica, quæ in Mediolanensi ista synodo adfuisse Romanos presbyteros refert. At Mediolanensis altera, quæ anno CCCLV celebrata est, neque catholicorum, aut Romanorum fuit, et longe post Valentis et Ursacii pœnitentiam accidit: imo vero jam ad pristinam perfidiam post Constantis obitum relapsis iis, et Athanasium ac catholicos toto furore persequentibus.

Nam quod Ursacii ac Valentis mentionem alieno loco ab Hilario positam asserit, nemo illi concedet, qui Hilarii locum accurate legerit. Est enim cohærens illius narrationis pars, quæ est de Ursacio et Valente, cum proxime superiori, in qua de Sirmiensi agit synodo. Postquam enim de Athanasio, et falsis ejus criminationibus sermonem instituit, transit ad Marcelli ac Photini historiam « Superest, inquit, ut quid de Marcello, et Photino gestum sit, paucissimis dicam, » etc. Tum quomodo depositus sit, explicat: « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, » etc. convenisse ait sacerdotes. Quonam? Sirmium utique, quod postea scribit: « Verum inter hæc Sirmium convenitur. » Hos vero sacerdotes, « hoc magis sollicitos, atque anxios turbari rursum, miscerique omnia fuisse dicit, quod jam pridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. » Ergo catholici erant illi, quos Ecclesiæ status anxios et sollicitos habebat. Mox vero Valentem et Ursacium usos ea opportunitate veniam esse deprecatos ait; quod consentaneum est antecedenti narrationi: in qua episcoporum meminit, qui vel falsi convicti, vel hæresis Arianæ, ab Ecclesia rejecti fuerant: e quibus erant Ursacius, et Valens. Nihil ergo redundans, aut hiulcum habet hic locus. Imo vero si interjectam illam Ursacii et Valentis historiam detrahas, male cohærens, et manca species erit orationis. Quæro enim, si totum hoc avellas, in quo et de Ursacio et Valente agitur, ab iis verbis: « Quam opportunitatem nacti » etc. usque ad illa: « Verum inter hæc Sirmium convenitur, » quorsum ista pertineant: « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis dam-

1 Theodoretus, lib. II, cap. XVI. — 2 Ad annum CCCXLVII.— 3 *Hist. Tripar.* lib. V, cap. XVII.

nata est? Nonne ad illa priora necessario referenda sunt: « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum? » etc. Deinde non recte demptis mediis quadrare illa superioribus: « Verum inter hæc Sirmium convenitur; » ubi particulæ istæ, *inter hæc*, abruptum, interposita rei alterius narratione, ac repetitum ex intervallo sermonem indicant. Frustra igitur alieno hæc inculcata loco *Diatriba* suspicatur.

Postremo quod Sirmiensem synodum spectat, cujus ibidem mentio est apud Hilarium; apparet diversam eam fuisse ab famosa illa Sirmiensi, quam Socrates anno CCCLI *Diatriba* anno CCCLVII celebratam esse vult. Primum quod in hac posteriore depositus omnino, et ab episcopatu depulsus est Photinus; uti Socrates, aliique testantur, et his antiquior Epiphanius: qui post synodum ad imperatorem confugisse illum referunt, et judices impetrasse: coramque iis convictum ab Ancyrano Basilio, ac penitus exauctoratum fuisse. Μεγίστη δὲ μάχη, ait Socrates[1], μεταξὺ τῶν παρ' ἑκατέρου λόγων ἐγένετο· ἐν οἷς ὁ Φωτεινὸς ἡττηθεὶς, κατεκρίθη ἐν φυγῇ τε διάγων τοῦ λοιποῦ, etc. *Maximus autem conflictus verborum utrimque fuit; quibus victus Photinus condemnatus est: et in exsilio deinceps agens*, etc. Itaque episcopatu tunc Photinus ejectus est. At in Sirmiensi illa synodo Hilarii, propter populi seditionem amoveri non potuit. Ita enim legendum videtur pro eo, quod ibi legitur, *admoveri*, nisi *admoveri* sit idem quod in judicio sisti, causamque dicere. Omnino vero popularem vim intercessisse Hilarius ostendit, ne Photinus sede sua pelleretur. Quare diversæ sint ambæ illæ synodi necesse est. Ad hæc Sirmiensis Hilarii synodus catholicorum fuit, ut ex antecedentibus constat. Quippe et de Ecclesiasticis turbis componendis sollicitos fuisse dicit: et hac occasione Valentem, et Ursacium iterum libellos obtulisse. Quoniam quidem continentem hanc esse narrationem; neque assutam de Valente et Ursacio laciniam istam, contra Diatribæ auctorem evicimus. Adde Sirmiensem Hilarii synodum ab Occidentalibus celebratam esse; posteriorem autem fere ab Orientalibus: quod sequenti capite planum faciemus.

CAPUT II.

Confutantur alia quædam, quæ in eodem capite primo Diatribæ secundæ contra Dissertationem allata sunt, ac nonnulla illius errata discutiuntur.

Postquam caput ipsum opinionis nostræ, causæque constituimus, nunc reliqua Dissertationis expendenda sunt quæ frustra *Diatriba* vexare studuit.

Horum primum sit, quod, ut Valentis et Ursacii pœnitentiam alieno loco positam, apud Hilarium ostendat, hunc in modum objicit: « Si, inquit, Athanasio Alexandriam reverso, et Ursacio ac Valente in gratiam receptis habita est Sirmiensis ista synodus, ut fingitur; punctum temporis, in quo habita sit, ante Constantis obitum, qui sub ipsum Athanasii reditum incidit, adsignari nullum potest.» Verum captiosum hoc oppugnandi, et argumentandi genus esse superius admonui: cum adversus expressa de gesta re scriptorum testimonia, ex incertis et obscuris circumstantiis conjectura capitur.

Quocirca contra *Diatribam* paucis ita præscribimus: Sirmiensem synodum eo tempore factam esse constare ex Hilario, quo Ursacius et Valens libellos obtulerunt: quod omnino negari non potest. Cæterum qua anni parte celebrata sit, et ubi tum esset Athanasius, scire posse neminem. Proinde callide id pro concesso *Diatribam* accipere, quod non damus; Athanasio jam reverso, et Alexandriæ morante, synodum istam esse habitam. Potuit enim haberi antequam Alexandriam venisset, et ante Constantis obitum. Diu enim in itinere fuit Athanasius, et Antiochiæ, atque in Palæstina moras habuit: dum interim et Ursacius ac Valens plenam cum catholica Ecclesia reconciliationem urgerent, et Sirmii ad deponendum Photinum cogerentur catholici.

Sed instat rursus *Diatriba*, et quod Hilarius habet de Marcello ab Athanasii communione abstento, unde Photini damnationi auctoritas est quæsita, ad tempus Sirmiensis nostræ synodi revocari non patitur. Sed pro nobis aperta est Hilarii narratio: qui cum Sirmiensis concilii ad deponendum Photinum sub Valen-

[1] Lib. II, cap. XXX.

tis et Ursacii pœnitentiam habiti meminisset; statim addit, Marcellum ab Athanasio communione sua multatum anteriore tempore quam Photinus arguitur : nempe inter Sardicensem et Sirmiensem synodos, ac biennii interjecti spatio ; quod Severus intellexit his verbis : « Interjecto deinde tempore Athanasius, cum Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit. » Cum igitur in Oriente esset Athanasius, ac Marcellum parum sanæ fidei esse comperisset, ab ejus communione abstinuit: vel, ut Hilarius loquitur, eum « a sua communione separat; » quod ubique etiam extra diœcesim suam quivis episcopus facere potuit. Sic enim Antiochiæ eodem anno cum esset Athanasius, Alexandriam petens, a Leontii Ariani, qui ibi episcopus erat, communione abstinuit, ut refert Sozomenus[1]. At *Diatriba* «ridiculum esse clamat, Athanasium a communione sua quemquam, priusquam sedem suam reciperet, exclusisse ; » quod mirum est excidisse homini docto.

Atenim quid necesse fuit Photini damnationi auctoritatem comparari ex Athanasii judicio : tanquam in eo Occidentales hærere potuerint, qui biennio ante Photinum damnassent? Sed hæc περιεργία nimis angusta est. Photino biennio ante damnato, hoc est, notato ejus errore, certa dies præscribi potuit, ante quam nisi resipisceret, in ordinem cogeretur. Potuit et fraude aliqua, dissimulationeque frustrari catholicos præsules, atque illorum sententiam eludere, qui postmodum tanti viri, quantus fuit Athanasius, auctoritate ac præjudicio freti, denuo rem aggressi sunt.

De eadem catholicorum Occidentalium synodo Sirmii habita illud acceperam, quod scribit Hilarius : « De Photino decretum ab Occidentalibus factum ad Orientales relatum esse ; » hos vero tanquam « homines mente callidos, rescribentes de Photino, Marcelli mentionem adjecisse. » Displicuit hoc *Diatribæ :* quod verisimile non sit, anno isto CCCXLIX quo Sirmiensis synodus ponitur, dum Athanasii communionem certatim omnes expeterent, Orientales in Athanasium agitasse concilia. Verum cogitandum hoc illi fuit; interim dum ad Orientales Occidentalium litteræ istæ perferuntur, Constantem esse mortuum; et ingenti rerum facta conversione, superiorem fuisse causam Arianorum. Itaque deinceps eos Athanasium vexare cœpisse.

Porro cum Hilarius affirmet, Occidentales, damnato Photino, decretum suum ad Orientales misisse : hos autem rescribentes de Photino, Marcelli mentionem adjecisse ; clarissime demonstrat, Occidentales synodicam aliquam misisse ad Orientales; hos vero, cum Ariani essent, callide cum Photino Marcellum miscuisse. Nam *rescribere*, est *vicissim scribere.* Itaque non alii rescripserunt, quam ii, ad quos decretum Occidentales miserant, nimirum Orientales. Tum vero catholicos fuisse decreti illius auctores satis indicat, cum eos subinde commendat, quod ad Orientales epistolas istas fecerint, « non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine.» Quæ verba perspicue declarant, catholicos, quod dixi, episcopos fuisse Occidentales istos, quos ab hæreticorum violentia, et tyrannide alienos esse dicit. Deinde synodum ab iis aliquam esse factam; cujus acta, decretaque, uti consuetudo fert, ad alias Ecclesias miserint. Quamobrem valde consentaneum est ex tota Hilarii disputatione, synodum illam Sirmiensem, in qua Photinus damnatus est, sed non dejectus, ab Occidentalibus catholicis celebratam fuisse. Est enim perpetuus et continens sermo de Photini damnatione in ea facta synodo, quæ sub Valentis et Ursacii pœnitentiam Sirmii est habita; quam ad synodum cætera pertinere, series ipsa orationis arguit. Ut autem *Diatribæ* sententia se habet, interrupta, fœdeque dissoluta, nec ullo modo cohærens est narratio. Etenim synodos illic ab Hilario commemorari putat Mediolanensem et Sirmiensem : illam anno CCCLV celebratam, hanc CCCLVII, in quibus Photinus damnatus est; in hac etiam depositus. Sed non convenire synodos istas ad Hilarii institutum, satis hucusque demonstratum est. Nam et temporis ratio repugnat : quia Mediolanense istud, et Sirmiense Hilarii longe annos illos antecedit: et utriusque anni concilia ab hæreticis habita sunt [2]. Mediolanense quidem ad Athanasium damnandum, et episcopos catholicos, qui illius communionem ejurare nollent, exsilio multandos; quod tum in plerosque decretum est; ut Eusebium Vercellensem, Luciferum Calaritanum, Hilarium Pictaviensem, et Liberium Romanum Pontificem. Atqui in Mediolanensi synodo, cujus meminit Hilarius, Romani interfuere Legati : imo præfuere, ut ex eodem et Ariminensi synodica colligitur. Sirmiense

1 Lib. III, cap. XX. — 2 Severus Sulp. II ; Socr. lib. II; Sozom. lib. IV.

quoque iisdem ab hæreticis contra Photinum celebratum est : et quidem Orientalibus plerisque. Quamobrem non congruit huic Sirmiensi, quod Hilarius refert, « decretum de Photino ab Occidentalibus factum, et ad Orientales relatum ; » uti mos est in synodis. Ex quo itidem *Diatriba* refellitur, quæ quod Hilarius scribit, Orientales, accepto decreto Occidentalium, occasionem revolvendi de Athanasio quæsisse judicii, et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem addidisse ; referendum existimat ad tempora Magnentii cædem secuta, « quando pacatis bellis civilibus, Arianorum furor renovatus est. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis, damnatique Photini occasionem nacti, astuto, ut scribit Severus, consilio, innoxium criminosis miscentes, damnationemque Photini, et Marcelli, et Athanasii eadem sententia comprehendentes, eamdem ad Athanasii condemnationem catholicos episcopos in Arelatensi anno CCCLIII, tum biennio post in Mediolanensi, et deinceps quamdiu Constantius vixit, adigere conati sunt. » Hæc *Diatriba*, in quibus non uniusmodi error est.

Nam istud omne ab Hilarii mente, et historia tam alienum est, nihil ut esse magis queat. Scribit Hilarius Occidentales, et quidem catholicos, contra Photinum fecisse decretum, et ad Orientales misisse. Rursus Orientales ad eos rescripsisse, et Photino Marcelli nomen admiscuisse, ut ad Athanasii damnationem tacite viam munirent, eo ipso, quod cum Marcellus in eadem, in qua et Athanasius, Sardicensi synodo restitutus esset; reo iterum facto Marcello, synodi de eo judicium, atque auctoritas irrita fieret; adeoque et de Athanasio, qui eadem sententia comprehensus esset in Sardicensi illa synodo. Doceat ergo nos, quænam illa synodus vel Sirmiensis, quod Hilarii locus exigit, vel alia quævis catholicorum Occidentalium fuerit, in qua Photino damnato, decretum ad Orientales missum sit, hi rescribentes Photino Marcellum addiderint. Quæ enim concilia memorat, Arelatense, ac Mediolanense, catholicorum non erant : tum contra Photinum nequaquam habita sunt : neque in eorum epistolis solius Photini tanquam hæretici ac damnati, damnandive mentio fit : neque Orientales ad illorum rescripsere decreta, et ad Photini nomen Marcellum adjunxere. Mediolanensis concilii ad Eusebium Vercellensem epistola, quam ex Baronio[1] citat *Diatriba*, et ad Hilarium interpretandum adhibet, hortatur ipsum ut « de nomine hæreticorum Marcelli, et Photini, nec non Athanasii sacrilegi idipsum definiat, quod totus probe definivit orbis. » Sed nec ad Orientales data est, neque solius Photini damnationem continet ; sed Marcelli insuper, et Athanasii. Horum vero duorum nomina ab Occidentalium decretis, et epistolis aberant, quas Hilarius commemorat : si quidem Photini solius meminerant ; cui solum itidem Marcellum Orientales addidere. De Athanasio neutri omnino mentionem fecere. Hæc si *Diatribæ* auctor animadvertisset, nostram de Hilario conjecturam haud adeo contempsisset.

Quocirca annis aliquot anteriora sunt illa, quæ refert Hilarius, Occidentalium decreta, et Orientalium rescripta, Gallicanis, et Mediolanensibus actis, quæ *Diatriba* memorat.

Quippe Ariani et Athanasii damnationem, primum occultè callideque grassati sunt, postquam Sardicensis auctoritate concilii, et utriusque imperatoris edictis sedi suæ restitutus est : nec aperte nomen illius notare, ac damnare initio sunt ausi. Postea majore sumpta fiducia, palam illum execrati sunt cum Marcello atque Photino : cum post Constantis obitum solus rerum potiretur Constantius : qui se totum illorum voluntati permiserat. Ergo illa omnia, quæ ex Arelatensi, Mediolanensique synodo, et ex Severo *Diatriba* retulit, ad posteriora ista tempora pertinent; maxime postquam in Sirmiensi postrema synodo funditus eversus ejectusque Photinus est : quod anno CCCLI accidisse nonnulla ex eo conjectura ducitur, quod deinceps, tanquam manifestarii hæretici et exauctorati, nomen ejus profertur, et cum Marcello, et Athanasio conjungitur : qui ambo sedibus suis extrusi jam erant : ut idem passum tunc esse Photinum verisimile sit; de quo paulo post dicetur.

Ex iis itaque perspicue colligitur, quæ de Occidentalium et Orientalium gestis Hilarius perscribit, superiora iis esse, quæ in *Diatriba* memorantur.

Cujus rei observatio mirificum quemdam usum habet ad alium *Diatribæ* convincendum errorem, qui in fine tertii capitis occurrit. Ibi enim novum quiddam ostentat, « in quo maxime, inquit, summa consistit, » super Hilarii loco illo, quo de Occidentalium decreto, rescriptoque Orientalium agitur. Sic enim existimat; decretum illud, « quo accepto

1 Ad annum CCCLV.

Orientales revolvendi de Athanasio judicii occasionem acceperunt, ad Romanam pertinere synodum, quam a Julio ante mortem anno CCCLVII habitam, indicio est Liberii ad eosdem Orientales epistola ab Hilario descripta; quam ab Hilario ipso designari, cum hæresim Photini a Romanis damnatam scribit, non dubitem affirmare. Sic autem se habet : *Dilectissimis fratribus, etc. Studens paci, et concordiæ Ecclesiarum, posteaquam litteras charitatis vestræ de nomine Athanasii, et cæterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi, secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, et Helianum e latere meo ad Alexandriam, ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret*, etc. Ex his verbis apparet, Julium sub vitæ finem ad Orientales de Photino litteras dedisse : Orientalium vero epistolam, qua Julio respondebant, eo mortuo successori ejus Liberio redditam fuisse. In his illos Athanasium cæteris, id est Marcello et Photino ita miscuisse, ut obscurum non esset, machinas illorum in Athanasium præcipue dirigi, eamque ob rem de uno illo rescribere Liberium. » Hæc *Diatriba.*

Hanc falsam esse conjecturam declarant ea, quæ de Hilarii loco illo supra disputavimus. Nam Orientalium litteras Marcelli tantum, non etiam Athanasii nomen expressisse, disertis verbis asseverat Hilarius. Quorsum enim ad Photini nomen, quod Occidentalium epistola continebat, callide eos Marcelli nomen addidisse diceret, ut « occasionem quærerent revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione dissolutum erat, judicii, » si Athanasium ipsum nominatim cum Photino, Marcelloque comprehendissent? Cur mox Hilarius diceret, Marcelli mentionem ab Orientalibus ad Photinum additam, « ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret? » Nonne Athanasii potius ipsius nomen intextum ab illis, et cum Photino, ac Marcello conjunctum dicere debuerat? Quin etiam apparet, Orientales in epistola, quam rescripserunt, Marcellum adjungentes Photino, subjecisse, ab Athanasio ipso communiomen illi abnegatam fuisse; quod sequentia Hilarii verba demonstrant : « Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athasius reus esse rescribitur? » Ubi *rescribendi* verbum ad Orientalium responsionem refero, de qua paulo ante sic loquitur : « Et rescribentes de Photino, » etc. Porro quod Hilarius ait rescripsisse illos « reum esse Athanasium abnegatæ Marcello communionis; » non sic accipiendum est, tanquam illi eam facto Athanasii notam adscripserint, ut reum ejus esse dicerent, quod ipsi probabant. Sed Hilarius ad mentem illorum, et consilium accommodata voce utitur. Si quidem propterea Marcellum ab Athanasio rejectum esse memorabant, ut Sardicensis concilii labefactatam ab illo auctoritatem tacite significarent; a qua suspicione purgare ipsum Hilarius hoc loco studet; atque reum non esse abnegatæ Marcello communionis; utique ob eam causam, quam Orientales videri volebant, ut scilicet *propter libri vitium*, hoc est Photinianum dogma in ejus contra Asterium libro deprehensum, quo nomine Sardicensi decreto absolutus erat; ab Hilario putaretur esse damnatus. Hanc nostram de Hilarii loco conjecturam vel hoc unum commendat, quod ea sola planam, facilem, et cohærentem sibi sententiam illius efficit; quem si, ut *Diatriba* jubet, interpretemur, incondita et salebrosa narratio erit, et ab una re ad alteram, sine ullo nexu, atque ordine transitum faciens. Nunc ejusdem primi *Diatribæ* capitis reliqua persequamur.

CAPUT III.

Propugnantur alia quædam, quæ in Dissertatione nostra Diatriba posterior primo capite oppugnare studuit..

In aditu ipso ac limine disputationis sciens ac volens aberrat, dum Epiphanium ait dicere, Photinum ἐπὶ Κωνσταντίου, Constantio imperante hæresim vulgasse; falso id quidem. Nam diserte sub Constantino ait prodire cœpisse. Verba Epiphanii : Οὗτος δὲ ὡρμᾶτο ἀπὸ Σιρμίου· καὶ ὅτε μὲν τοῦτο τὸ ζιζάνιον τῷ κόσμῳ εἰσηγήσατο τότε κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ βατιλέως καιρὸς ἦν *Hic ex oppido Sirmio exstitit : et cum hoc lolium in mundum invexit, per illud tempus, Constantinus imperabat*[1]. Cœpit igitur Constantino rerum potiente, non Constantio; ut quidem scribit Epiphanius. Nos olim, antequam historiam illam penitus exploratam haberemus, communi imbuti opinione, legendum

1 Hæresi LXXI.

adnotavimus ἐπὶ Κωνσταντίου. Hoc *Diatriba* scilicet pro Epiphaniano ipso contextu nobis objicit. Hæc quidem vis est. Non enim Epiphanius Petavio; sed Petavius sibi opponendus ipse fuit; qui sic emendandum ex conjectura tunc putabat.

Jam si Constantino imperatore Photinus hæresim vulgare suam instituit; cui dubium est, quin eodem tempore episcoporum judicio notata, damnataque fuerit?

Nam quod in Antiochena primum synodo secunda perstrictum esse Photinum, velut ex oraculo, pronuntiat; nullo id argumento probat. Imo vero ex illo ipso testimonio synodicæ illius, quam μακρόστιχον vocarunt, conjectura fit aliquanto ante Antiochenam istam synodum damnatum esse Photinum, ut et præceptor ejus qui fuit, Ancyranum Marcellum. Etenim in epistola, formulaque illa fidei longiore, condemnare se dicit synodus eos, qui dicunt Christum in tempore esse cœpisse: quales sunt Marcelli, Photinique sectatores: τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου, καὶ Σκοτεινοῦ τῶν Ἀγκυρογαλατῶν[1]. Quo ex loco nemo id prudens suspicabitur; tum primum synodica sententia notatum esse Photinum; nihilo magis, ut dixi, quam Marcellum, quem ante in tempus damnatum esse constat. Magis autem erit, ut de nota jam hæresi, et cum suis auctoribus antea proscripta significasse putet Antiochenam illam epistolam: quæ, si tricari volumus, non tam ad magistros erroris ipsos, quam ad eorum sectatores pertinere videtur.

Primam Photini damnationem in Constantinopolitana synodo anno CCCXXXVI videri esse factam, ex Severo docui: qui « Marcellum atque Photinum hæreticos sacerdotes synodi judicio condemnatos » asserit[2]; ac post eos Athanasium absentem, quod eos recepisset.

Quæ verba synodum duplicem designant: quarum in priore Marcellus et Photinus damnati sint; in posteriore Athanasius. Prima omnium Marcelli damnatio notatur in ecclesiastica historia an. Christi CCCXXXVI, Constantino imperante, Constantinopoli facta, post relegatum Athanasium. Scribit enim Socrates libro I, cap. XXXVI, Arianos episcopos, postquam Athanasius in exsilium abiit, Constantinopoli synodum instituisse; in qua Marcellus ob hæresim redactus est in ordinem: quod et Basilius Ancyranus, aliique Semiariani testantur in synodica apud Epiphanium, Hær. LXXIII, n. II. Proxima deinde Athanasii condemnatio incurrit in annum CCCXLI, quo Antiochiæ per Encænia depositus est. Si, ut Epiphanius auctor est, nequicquam reclamante *Diatribæ* scriptore, Photinus Constantino imperante hæresim vulgare est orsus; nonne verisimillimum est, saltem in Constantinopolitana illa synodo, quæ et Marcellum perculit, et qua nulla posterior exstat Constantini facta tempore, Photinum esse damnatum? Proferat aliam si potest synodum amicus ille noster, in qua Constantino superstite damnatus sit Marcellus; quam altera sit consecuta, quæ Athanasium dejecerit. Quod enim Tyriam esse dicit, in qua absentem condemnatum Athanasium Severus affirmat; tum utrumque ferri potest, si anteriorem ullam synodum haberet, in qua Marcellus idem passus est. Nam duo scribit Severus, et Marcellum cum Photino primum esse damnatum; et Athanasium postea in altera synodo. Nos nullam Constantino regnante synodum meminimus, in qua Marcelli exstet mentio, præter Constantinopolitanam: nullam in qua proxime post Marcellum depositus sit Athanasius, præter Antiochenam. Quis ergo non videt, ne fingi quidem alias posse, quæ ad Severi narrationem congruant, quam duas istas, quæ in Dissertatione notantur?

Quod enim Antiochena illa Constantino mortuo celebrata est; Severus autem eo superstite factam eam synodum indicat, in qua damnatus est Athanasius; nimirum temporis rationem haud exacte Severus habuit in tota illa narratione; quod et amico nostro nimium videtur. Itaque multa, rerum ordine connexa, tempore distracta, continenti oratione pertexuit. Neque tamen, quia rerum gestarum ordinem, ac tempus interdum negligit, ei fides ideo detrahenda est in omnibus, quamvis nonnulla referat, quæ nusquam alibi legantur. Nam illorum temporum historia perobscura est, præsertim Marcelli, ac Photini: nec pauca Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique prætermittunt: quæ ab aliis scriptoribus commemorata, perdifficiles habent annorum notas. Ejusmodi est illud quod narrat Severus, Athanasium a communione suspendisse Marcellum, cum eum parum sanæ esse fidei compérisset; quod ex Hilario didicit, qui id in Fragmentis refert. Sed quam difficile, impeditumque sit, in Dissertatione docui. Sic illud obscurum et inexplicabile est, quod iisdem in fragmentis legitur. Ibi enim Liberii exstat

1 Athan. *Apol.* II. — 2 Lib. II.

epistola ad Orientales data; in qua citatum a se ad judicium dicit Athanasium, et quod venire noluisset, a communione Romanæ Ecclesiæ rejectum. Hæc epistola sub initium pontificatus ipsius, hoc est anno CCCLIII missa videtur. Atqui Liberius idem anno post ad Constantium scribens, causam agit Athanasii, scribitque illius se damnationi consentire noluisse, quod « eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnaret[1]. » Quin ipse mox in exsilium ire maluit, quam Athanasii damnationi subscribere.

Secunda Photini condemnatio in Sardicensi concilio ab catholicis facta in Dissertatione ponitur; quod Epiphanius Hæres. LXXI prodidit. At *Diatriba* tum illud reprehendit; tum « parum perspicacem videri, inquit, oportet eum, qui non animadvertat Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapsum hoc loco synodo Sardicensi tribuere, quod Sirmiensi congruebat. » Quod convicium in Baronium recidit, qui ad annum CCCXLVII hanc de Epiphanii hallucinatione conjecturam respuit : nec absurdum putat, in Sardicensi synodo damnatum esse Photinum; cum ante triennium in posteriori Antiocheno concilio, cum Marcelli discipulis Photiniani notentur hæretici. Severus certe Sulpitius libro secundo non imprudentem ejus rei conjecturam objicit, dum in Sardicensi concilio ex tribus illis, qui in eamdem causam callide ab hæreticis inclusi fuerant, Athanasium, et Marcellum absolutos fuisse asserit, Photinum vero non item. « Nam de Photino, ait, episcopo Smyrnensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur. » Ex eo, inquam, suspicari quis possit Photini damnationem synodi illius judicio comprobatam.

Neque vero Epiphanii locus collationem istam Basilii cum Photino, quæ haud dubie in Sirmiensi synodo facta est, adeo liquido ac diserte cum Sardicensis mentione concilii nectit, ut in unam eamdemque synodum necessario ambo ista conjicienda sint. Possunt enim in duas distrahi synodos; idque verborum ipse contextus patitur : quæ fuit opinio Baronii. Quem si parum ideo perspicacem fuisse auctor *Diatribæ* putat, quam sit acutus ipsemet viderit, qui in illo ipso loco, in quo de Sardicensi synodo nos arguit, haud paulo gravius impingit.

Cum enim absurdum esse probare vellet, quod cum Baronio scripsi, Photinum in Sardicensi concilio a catholicis damnatum esse; « Itane vero, exclamat, ut damnatum a catholicis eo judicio Photinum credamus, in quo an catholicorum quisquam sederit, incertum; hæreticus omnium consensu præfuit, et primas partes egit Semiarianorum princeps Basilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non persuadebit. » Atqui et falsa ista sunt. Quid enim? An non catholicorum præsulum fuit Sardicensis vera synodus? Non illam adulterinam, et latrocinalem loquor, quam eodem tempore Orientales hæretici, cum serio ac sincera fide rem agi cernerent, Sardica fugientes, Philippopoli in Thracia celebrarunt, ac pro Sardicensi venditarunt. Sed germanam Sardicensem intelligo, cui præfuit Osius, et in qua Athanasius ac Marcellus, aliique catholici antistites absoluti, eorum damnatis accusatoribus. Ista ergo synodus si et catholicorum fuit, et in ea condemnatus est Photinus; a catholicis utique damnatus est. Nam Sirmiensis synodi mentio, quam in animo tum *Diatribæ* scriptor habuit, ab eo loco et disputatione erat aliena, in quo Sardicensis agebatur, et quidem δυτικῆ, ut eam Epiphanius vocat; hoc est, ab Occidentalibus habita : quorum ab consessu, et consortio sese Orientales abstraxerant.

Nihil ergo causæ fuit cur, cum de Sardicensi sermo esset, Sirmiensem synodum, et Basilium Ancyranum misceret.

De Mediolanensi synodo, in qua tertio ab catholicis docui Photinum esse damnatum, perleve quiddam opponit *Diatriba* : non videri « duas uno anno synodos tam dissitis in locis, et tam diversarum provinciarum episcopis imperatas. » Deinde « cur soli catholici convocabantur? An ut Photinum damnarent? Atqui jam in Sardicensi damnatus erat. » Verum περιεργία ista jam explosa est a nobis ut inutilis, nec responsione digna. Quis enim causas, ac rationes, ordinemque præstare possit omnium rerum, quas certissime alioqui gestas esse ex historia constat? Tamen hujus Mediolanensis concilii probabilis excogitari ratio potest. Videntur enim Sardicensis concilii Patres legatos ad Constantem misisse, qui, quæ ibi gesta essent, illum docerent. Ὁ δέ Κώνστας τὰ ἐν Σαρδικῇ γεγενημένα μαθὼν, ἔγραψε τῷ ἀδελφῷ, ait Sozomenus[2]. Ac tum Mediolani conventus episcoporum fieri potuit, in eoque

1 Lib. II *Fragm.* — 2 Sozom, lib. III, cap. XX.

approbari Photini damnatio. Neque vero necesse est indictivam hanc fuisse synodum; aut, si Constantis jussu est indicta, longinquos ad eam excitos esse præsules; sed vicinos duntaxat; præsertim italos. Nam et Romani Pontificis interfuere presbyteri, ut Hilarius, et synodica Ariminensis affirmant.

Quin etiam verisimile est ab Orientalibus quoque, qui Sardicensis synodi nomen ementiti sunt, legatos ad Constantem Philippopoli esse missos, qui acta conventiculi sui, pro legitimæ synodi decretis obtruderent; ut mirari *Diatriba* desinat, Arianos episcopos, qui nuper ab catholicis secesserant, in Occidentem usque eos esse consecutos. Quanquam de Liberii epistola non nego probabilem esse Baronii sententiam, qui Mediolanense concilium, cujus illic mentio est, aliud quiddam Sardicensi anterius esse putat. Sed indidem *Diatribæ* auctor agnoscet, inique se facere, qui concilii, vel synodi nomine fortuitum conventum episcoporum appellare nos vetet, ac nos reprehendendos existimet, quod concursum ejusmodi præsulum ad condendam Sirmii formulam synodum, vel concilium nominemus: de qua re postea.

CAPUT IV.

De tempore Sirmiensis synodi contra Photinum habitæ: quam in annum cadere CCCLI *contra Diatribam primam, et posterioris caput secundum evincitur.*

Nunc de tempore posterioris synodi Sirmiensis, et secunda fidei formula, quæ ibidem edita dicitur, agendum restat: idque paucis. Nam aliis in libris ea res copiose tractata est: neque *Diatriba* novi quidquam objicit, cui non provisum ante sit a nobis, ut ex iis, quæ ibidem explicata sunt, facile possit occurri.

Synodum Sirmiensem, in qua Photinus e sede sua dejectus est, veteres historici[1] ante Magnentii cladem esse habitam referunt; anno videlicet Christi CCCLI, post consulatum Sergii et Nigriniani, ait Socrates, quo anno propter tumultus bellicos, nemo consulatus ex more dedit. Baronius, antiquos illos arguens, eam synodum in annum CCCLVII rejicit. Cujus argumenta in Epiphanianis Animadversionibus explicata sunt: quæ frustra recoquere *Diatriba* studuit, unico duntaxat addito, cui in Dissertatione satisfecimus. Mea porro ratio est ejusmodi: cum de tempore agitur gestæ rei alicujus, iis potissimum habendam fidem, qui vel eadem ætate vixerunt; vel ab iis, qui viderant, scire potuerunt: nisi ad horum labefactandam auctoritatem ea proferantur, quibus obsisti, contradicique nullo modo possit. Atqui talia non sunt, quæ adversus Socratis opinionem auctor *Annalium ecclesiasticorum* et ex eo utraque *Diatriba* disputavit. Nam ea singillatim exposita sunt, ac discussa. Quare non est quod nos Socratem secutos esse, ac recentioribus antetulisse pigeat: præsertim cum notam illam consulatus ad Sirmiensem synodum haud vane, ac temere videatur adscribere. Nec movere nos debet, quod *Diatriba* contra hoc objicit: etiam Osii nomen ex actis ipsis Socratem potuisse dicere. Quasi Osius iis coss. quibus Sirmiensem synodum actam esse scribit, Sirmii esse potuerit. Quod quia non potuit, restat ut nota consularis in solam congruat synodum: cujus anno vere, et ex actis constituto, cætera adstrui falsa potuerunt de Osio, ac reliquis, quæ Sirmii sex annis postea gesta sunt eadem in urbe; quæ res Socratem fefellit.

Sic alterius nota consulatus Eusebii et Hypatii, tertiæ subscripta formulæ, hujus germana est: annoque CCCLIX revera convenit; quam in Sirmiensi synodo conceptam esse, leviter indicat Socrates: in eoque falsus est. Sed aliud est suas primariæ cuique res notas apponere: aliud propriis, ac diversis notis affectas res in unum tempus conferre. In priori haud facile errasse Socratem dixi; in posteriori nonnunquam hallucinatus est.

Quamobrem quod ex Osio petitur argumentum, leve est, imo nullum. Nec eo firmius est alterum illud ex Hilario qui synodum Sirmiensem biennio post Mediolanensem consecutam ait; quæ in annum cadit CCCLV. Hoc enim abunde confutatum est superioribus in capitibus, ubi ex Hilario ipso demonstravimus Mediolanensem, ac Sirmiensem synodos, quas ibi commemorat, longe alias ac diversas fuisse ab vulgatis istis.

Majoris in speciem est momenti quod tertio loco nobis opponitur de angustiis temporis; quia anno CCCLI victus est Magnentius, IV Cal. Octob. ex quo consentaneum sit, totum hunc annum bellico apparatu, ac tumultu sic occupatum fuisse, ut cogendæ synodo vacua nulla

1 Socrat. lib. II, cap. XXIX; Sozom. lib. IV, cap. VI.

pars ejus fuerit. Verum hoc cum dicit, non intelligit, ad historiam quidem gestæ rei aliquid se dicere, quod diligentius scrutandum sit; non tamen expressam ab auctore notam consulatus, ac temporis ideo labefactari; quia etsi res ubi gesta sit, explicare nequeam propter aut inscitiam, aut scriptorum inopiam: non tamen dubitare, quin gesta sit, debeo, aut historiæ in eo, quod continet, elevare fidem.

Ac si quis belli hujus accurate tempus, ordinemque respexerit, sciet anno ipso CCCLI Sirmiense concilium haberi potuisse. Si quidem ex anno antecedente, Vetranione in ordinem redacto, Constantius Pannoniam recepit. Hinc ducibus cum exercitu contra Magnentium missis, diu Sirmii resedit, ut ait Socrates[1]. Erant autem in Constantii comitatu perpetuo fere episcopi, quorum catervas ultro citroque discurrere jubebat, ut queritur Ammianus Marcellinus[2].

Ecquid ergo mirum est, aut insolens, verno tempore celebratam esse Sirmiensem synodum? Nam et *Diatriba* hoc ipsum tempus assignat illi synodo, dum annum integrum intercessisse vult inter Sirmiensem, et Ancyranam a Semiarianis factam. Cum enim Ancyrana ante Pascha habita sit, ut in eorum synodica apud Epiphanium legitur; si annuum spatium inter hanc, et Sirmiensem intercessit, necesse est Sirmiensem ineunte vere coactam fuisse. Quare quoscumque nobis ninguidos montes, saltusque, ut procellas, ac fluctus opponet, quo minus episcopi convenire potuerint; iisdem difficultatibus et suorum iter intercludet, ne ad id tempus accurrerint. Sed hæc ἀκριβολογία jocularis est.

CAPUT V.

De duplici formula fidei, Sirmiensi synodo tributa: quarum posterior extra illam edita monstratur.

Venio jam ad secundam Sirmiensis concilii formulam. Duplex enim in eo condita, vulgataque dicitur a Socrate, Sozomeno, cæterisque omnibus, quarum prior est ea, quam Athanasius refert[3], et Socrates[4]: Latine autem Hilarius in libro *de Synodis:* cui anathematismi aliquot adnexi sunt. In ea suppressa mentio est οὐσίας, et ὁμοουσίου pariter, ac similitudinis; quam etiam ex Sardicensi conciliabulo Arianorum, Sirmienses assumpserunt[5]. Exstat enim in calce longissimæ illius epistolæ, quam in Africam miserunt pro germana synodica Sardicensi[6]. Unde apparet vere Basilium Ancyranum ex Ancyrano concilio scripsisse de Sardicensi Ἐκθέσει, ἣν ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος. Altera est Latine scripta; quam Athanasius et Socrates Græce, Latine Hilarius exscripsit. In ea nominatim decretum, ut substantiæ vel οὐσίας perinde atque ὁμοουσίου, et ὁμοιουσίου vocabula in usu ne essent amplius; quod in sacris Litteris nusquam legantur: Hanc Hilarius vocat *Blasphemiam apud Sirmium per Osium, et Potamium conscriptam.* In Fragmentis vero *perfidiam apud Sirmium descriptam;* cui Osius, et postea Liberius subscripsisse feruntur. Utramque igitur illam fidei formulam in eadem Sirmiensi synodo conscriptam, ac publicatam Socrates, et eum secuti omnes hactenus arbitrati sunt. Ac Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii Fragmenta posteriorem hanc censet « velut ultimam concilii Sirmiensis definitionem, ac sententiam habitam fuisse, atque eo nomine ad Ecclesias pro more transmissam a synodo. » Quoniam Hilarius in libro *de Synodis*, Gallicanis suis gratulatur, « quod missam ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem damnaverint. »

Homousiou et homœousiou

Verum in Epiphanianis Animadversionibus anno abhinc decimo quinto, docuimus, secundam istam Sirmii editam formulam nequaquam in Sirmiensi contra Photinum habito concilio scriptam esse, sed in fortuito concursu aliquot episcoporum, qui Sirmii convenientes illam ediderunt; cuique Hosius verberibus et cruciatibus coram ab Constantio coactus est subscribere. Quibus autem rationibus inducti ab communi opinione dissensimus, plenius ex illa disputatione licet cognoscere. Hic vero summa probationis capita perstringemus; in quibus oppugnandis *Diatribæ* auctor inanem operam posuit.

Primum, idque firmissimum argumentum ex Basilii Ancyrani, et Semiarianorum actione omni petitur[7]; qui anno CCCLVIII, hoc est altero ab celebrata, uti volunt, Sirmiensi synodo, Ancyræ sub Pascha convenientes secundam illam fidei formulam decreto suo damnarunt;

1 Lib. II, cap. XXVIII. — 2 Lib. XXI. — 3 Lib. *de Synodis.* — 4 Lib. II, cap. XXX. — 5 Lib. II Fragm. Hilar. — 6 Apud Epiph. Hær. LXXIII, n, 2. — 7 Apud Epiph. Hær. LXXIII.

cum quidem de ea ab Georgio Laodiceno moniti essent, eademque per Illyricum, et Orientem vulgata, magnos animorum motus attulisset. Atque illi quidem in epistola sua synodica, quam ad Phœnices episcopos scripserunt, optasse se dicunt, ut post tot de fide quæstiones concertationesque habitas, ac tot decreta conciliorum, Constantinopolitani, Antiocheni, Sardicensis, ac Sirmiensis; deinceps pace ac tranquillitate frui sibi liceret, quod per novos illos hæreticos, a quibus formula ista manarat, obtineri non potuerit. Ex quibus aliisque colligitur, longe post Sirmiensem synodum illam Ecthesim editam fuisse. Non enim in Sirmiensi ipsa synodo scripta fuit; quippe in qua Basilius Ancyranus primas partes habuit; qui tum apud imperatorem Constantium auctoritate pollebat et gratia. Quis autem persuadere sibi possit, aut inscio, aut dissimulante Basilio talem formulam conditam fuisse? primum qui toto illo tempore, quo concilium habitum est, Sirmii fuerit. Nam post concilium, novum cum Photino certamen iniit. Eo quippe ad Constantium provocante, ac se inique depositum esse conquerente, dati sunt illi e senatu cognitores ac judices a Constantio, ac Basilius oppositus ex adverso; quo cum habita collatione victus ac prorsus ejectus est, ut Epiphanius, aliique prodiderunt.

Non potuit igitur Basilium latere concilii Sirmiensis actio illa; ut qui princeps synodi ejus esset: neque porro invito illo aut connivente scribi potuit. Nam nemo eam vehementius execratus est, aut impugnavit acrius, quam Basilius. Tum pro ea, qua apud imperatorem erat gratia, illius auctores, si scisset, dicto citius compressisset.

Non enim clanculum, sed luce palam, et coram Constantio, imo auctore ipso, et propemodum præeunte ac dictante, formula ista scripta est; quod vel locus ille Vigilii libro *de Unitate Dei* a *Diatriba* citatus ostendit. Sed et Osium coram, ut ei subscriberet, pœnis ac terroribus adegit Constantius. Non igitur obscure concepta sic fuit, ut eam Basilius ignoraret, qui apud imperatorem, ut dixi, tum omnia poterat.

Nam quod *Diatriba* fingit, « In Sirmiensi synodo, episcopos bifariam divisos fuisse, et separatim formulas suas edidisse : quod et Sardicæ et Arimini contigit : ut de Sardica testantur Hilarii Fragmenta[1]; » ac sic« in Sirmiensi partem utramque suam formulam edidisse; » quæ cum emanasset, eaque factus audacior Antiochenus Eudoxius, nefariam hæresim ubique spargeret; tum in eum commotos fuisse Semiarianorum principes : hoc commentum nihil est.

In primis enim redit illud, quod paulo ante dixi; Basilium Ancyranum partis illius, a qua formula ista profecta est, inimicissimum, apud Constantium magna tum in gratia fuisse, deque ejus consilio gesta illic, et administrata esse omnia; ut qui ad opprimendum, obterendumque penitus Photinum unus sit ex omnium numero in certamen productus : illam ipsam vero formulam multum a priore et synodica discrepantem, et invisam Basilio, auctore Constantio, non conceptam occulte fuisse, sed publice propositam, et ubique vulgatam. Hoccine ergo ut Constantius inconsulto Basilio, aut invito faceret unquam : aut si faceret, non eum refragantem, ac reluctantem ad subscribendum, uti Osium, aliosque, subinde compelleret ?

Deinde quod eidem formulæ præfixum est initium, satis arguit, non ex condicto, ac professo, ut in legitimis et indictis synodis assolet, eam esse scriptam :.sed fortuito, et alterius occasione rei coactis episcopis expressam fuisse : Ἐπειδὴ περὶ πίστεως, inquiunt, ἔδοξέ τινα διάσκεψιν γενέσθαι, πάντα ἀσφαλῶς ἐξητήθη, καὶ διηρευνήθη ἐν τῷ Σιρμίῳ ἐπὶ παρουσίᾳ Οὐάλεντος, καὶ Οὐρσακίου, καὶ Γερμινίου, καὶ τῶν λοιπῶν. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata sunt, et inqusita Sirmii, præsentibus Valente, et Ursacio, et Germinio, ac cæteris.* Placuisse dicit aliquam de fide disceptationem fieri; idque ita factum coram Valente, etc. Quæ haud obscure demonstrant, non eo consilio venisse illos Sirmium, ut de fide novi aliquid statuerent; sed tum forte data occasione id in animum induxisse; quod quidem revera ita contigit, ut ex Socrate, Sozomeno aliisque constat.

Cum enim Osium annum integrum Sirmii detentum, ut scribit Athanasius[2], ad assentiendum hæresi suæ non posset adducere; demum anno CCCLVII, ut scribit Sozomenus[3], ejusmodi fidei conscripta formula est, quæ pacis et concordiæ causa contentiosa illa nomina reticeri juberet, οὐσίας, ὁμοουσίου et ὁμοιουσίου. Id enim ad conciliationem inter se partium aptissimum visum est, quod neque damnarentur, neque approbarentur ista nomina; sed quietis ac pa-

1 Lib. I, et II. — 2 In epist. *ad Solit.* — 3 Lib. IV, cap. II.

cis causa supprimerentur. Hujus conciliationis, ac mediæ cujusdam ad ineundam concordiam viæ auctorem fuisse Osium indicat Sozomenus. Refert enim Eudoxium Antiochena sede potitum, cum factionis suæ episcopis, tam ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον damnasse, *eo prætextu, quod et Occidentales episcopi eadem decrevissent,* πρόφασιν ποιούμενος, ὡς καὶ οἱ ἀνὰ τὴν δύσιν ἐπίσκοποι ταῦτα ἐψηφίσαντο. Quod quemadmodum Occidentales fecerint, ita declarat, « Osius enim cum his, qui aderant, episcopis ad eludendam Valentis, et Ursacii, ac Germinii pervicaciam, coactus permisit, ut nec ὁμοούσιον, neque ὁμοιούσιον usurparetur; quod neque sacris in Litteris exstarent ea vocabula, et supra captum humanæ mentis esset in Dei substantiam inquirere. » Hæc Sozomenus. Unde constat hæreticorum importunitate victum Osium eam concordiæ rationem iniisse. Ideo Osii et Potamii blasphemia vocatur ab Hilario ista formula. Itaque Eudoxius, Acacius, Uranius aliique hæretici Aetium fovebant, ubi Antiochiam ea perlata est, ad Valentem, Ursacium, et Germinium scripserunt, gratulantes, quod ab Osio tales litteras expressissent, eorumque opera factum esset, ut Occidentales rectam fidem amplecterentur. ὡς κατωρθωκόσι δὲ περὶ τούτου τὰ Ὁσίου γράμματα, πρὸς αὐτοὺς ἐπιστολὴν διεπέμψαντο, Οὐάλεντι, καὶ Οὐρσακίῳ, καὶ Γερμινίῳ χάριν ὁμολογοῦντες, καὶ τοῦ ὀρθῶς δοξάζειν τοὺς ἐν τῇ δύσει τὰς ἀφορμὰς αὐτοῖς ἀνατιθέντες. Apparet ex iis concordiæ, uti dixi, gratia in eam fidei formam convenisse omnes, qui tum in comitatu erant, episcopos, instante potissimum imperatore, qui dissidentes inter se consociare magnopere cupiebat; ideoque se in omnem partem, utcumque spes erat ejus rei obtinendæ, facilem, ac versatilem præbebat.

Quare, quod sæpe cogor repetere, non obscure, neque clanculum, neque inscio, si tum aderat, Basilio, geri ista potuerunt. Qui quidem statim ut eam formulam accepit, totus in id incubuit, non solum ut synodali decreto damnaretur, cui ipse præfuit in Ancyrano concilio; sed etiam ut ab Constantio revocaretur[1]. Etenim ex Ancyrana ista synodo legati ad imperatorem profecti sunt Basilius ipse, Eustathius Sebastenus, Eleusius Cyzicenus, eique persuaserunt, ut et contra Eudoxium plenas stomachi litteras ad Antiochenos scriberet; et Hosianam illam formulam proscriberet, pœna mortis proposita, si quis eam occultaret, ut testatur Socrates[2], et Hilarius[3] indicat.

Proinde ex tempore nata est fidei hæc ecthesis, et ab Osio extorta, in fortuito episcoporum aliquot conventu, quam synodum dixi ab nonnullis appellari. Quod *Diatribæ* auctor irridet; quasi ipsemet fortuitum ejusmodi concursum præsulum Mediolani factum anno CCCXLVI non ab Liberio concilium nominari censeat, in ea epistola, quam scripsit ad Constantium. Deinde qui tot Ariminenses episcopos Mediolanensem alteram synodum per errorem commemorasse putat, in epistola synodica; quo jure irasci mihi poterit, si Phœbadium singularem utique scriptorem itidem aberrasse dicam? At non est necesse. Nam synodum passim appellari videas qualemcumque conventum præsulum. Quare nihil hic habet *Diatriba,* quod succenseat.

1 Sozom. lib. IV, cap. XIV. — 2 Lib. II, cap. XXX. — 3 Lib. *de Syn.* init.

DISSERTATIO

DE COMMENTITIO LIBERII LAPSU

Auctore F.-A. ZACHARIA e soc. Jesu P.

CAPUT I.

Controversiæ status exponitur.

I. Liberii pontificatus in tria veluti tempora a Bellarmino tribuitur *de Rom. Pont.* l. IV, c. IX, sedis initium ad exilium, exilium ipsum, reditus ab exilio ad annum CCCLXVI, quo vita functus est. Illud porro exploratum est, eum ab initio pontificatus usque ad exilium, quod pro fide catholica subiit, religionis orthodoxæ vindicem acerrimum, defensoremque fuisse. Etenim tanta scriptores omnes consensione id tradunt, ut hoc inficiari delirare sit. Consule Ammianum Marcellinum, Ruffinum, Sulpitium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Nicephorum, quorum loca ibid. indicat nuper memoratus cardinalis. Unum audiamus Athanasium in *Apologia contra Arianos*, quam anno circiter CCCL scriptam adnotant Benedictini in sua Parisiensi operum S. Athanasii editione anni MDCXCVIII, qua posthac semper utemur. Itaque tom. I, p. 205, n. 90. « Si quis, inquit Athanasius, quæ nos spectant, simulque Eusebianorum sycophantiam ediscere cupiat, is, quæ nostri gratia scripta sunt, legat, testesque accipiat, non unum aut duos, vel tres, sed tantam episcoporum multitudinem ; testes iterum sumat Liberium et Osium, eorumque socios, qui cum adversum nos gesta facinora conspicerent, extrema pati maluerunt, quam aut veritatem, aut judicium nostri gratia datum prodere. » Luculentius Liberianæ religionis testimonium idem Athanasius reliquit in sua *Historia Arianorum ad Monachos*. « Nam, inquit, neque Liberio Romano episcopo ab ipso initio pepercere (Ariani).. Cum enim illum cernerent sanæ fidei cultorem, Arianæque hæresis adversarium, auctoremque omnibus esse, ut eam aversarentur, ab eaque declinarent, arbitrati sunt impii homines, se, si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos. »

II. Neque vero compertum minus est, ac veterum testimonio comprobatum, Liberium post suum ab exilio reditum fuisse etiam vere orthodoxum, et pium. Etenim quum Macedoniani legatione ad ipsum missa Romanæ Ecclesiæ communionem peterent, non alia ille eorum precibus satisfaciendum conditione censuit quam ut Nicænæ fidei subscriberent. Testes rei hujus habemus Liberii litteras *ad Episcopos Macedonianorum*, quas recitat Socrates l. IV, cap. XI. Imo paulo post reditum magna ipsum constantia Ariminensi synodo subscribere detrectasse auctor est Damasus proximus Liberii in Romani episcopatu successor in litteris *ad Episcopos Illyrici*, quas Theodoretus Cyrensis describit (*Hist.* l. II, cap. XXII. « Neque enim (en tibi Damasi verba) præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt : cum constet Romanum episcopum (Liberius is erat) cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos sacerdotium illibate servavit, neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse. » Huc etiam spectat, quod Liberius etiam post mortem sanctus semper est habitus. Id infra pluribus docebimus. Non omittendi hic Ambrosius, Epiphanius, Basilius, et Siricius tertius a Liberio Romanæ Ecclesiæ pontifex.

III. Ambrosius igitur l. III *de Virginibus*, cap. I, ad Marcellinam sororem : « Tempus est, inquit, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. » Hos autem libros ab se tertio episcopatus sui anno, id est, a reparata salute CCCLXXVII, a Liberii obitu XI compositos ipse testatur Ambrosius l. II, cap. VII. Eodem

ferme tempore Epiphanius hæresi LXXV, quæ est *Aetii*, de Eustathio Sebasteno agens, « Videtur, inquit, et ad Liberium beatæ memoriæ Romanum episcopum cum aliis episcopis legationem obiisse. » Dixi *eodem ferme tempore;* quum enim hæresi LXVI, quæ est *Manichæorum*, dicat Epiphanius, annum tunc actum fuisse XIII Valentis, et primum Valentiniani Junioris, nempe CCCLXXVI, superest ut adversus Aerium vel ipso anno CCCLXXVI, vel sequente, CCCLXXVII disputarit. Basilius eodem anno CCCLXXVII, ep. CCLXIII, al. LXXIV (t. III Operum edit. Bened. Paris. 1730, p. 406) de Eustathio Sebasteno verba et ipse faciens: « Quænam autem, inquit, ei proposita fuerint a beatissimo episcopo Liberio, et quibusnam assensus sit, ignoramus. » Demum Siricius ep. prima *ad Himerium, episc. Tarraconensem*, can. I (tom. I *Conc.* Hard., vel tom. II *Conc.* Labb.), Liberium vocat « venerandæ memoriæ prædecessorem suum. » « Quomodo autem (egregie observat Bell. loco laudato) patres isti Liberium jam defunctum beatissimum vocarent, si in hæresi mortuus esset ? »

IV. Itaque id unum in controversiam vocari potest, an paulo ante reditum ab exilio aliquid egerit Liberius contra fidem. Atque illum quidem hæreticum fuisse, atque Arianæ hæresi subscripsisse contendunt præter Magdeburg. Cent. IV, Tilmannum Heshusium, Junium, Chamierum, Witackerum, aliosque antiquiores, quos refellit Gretserus (in *Controv. Rob. Bell. defens.* t. II, col. 1044 et seqq.) Janseniani pene omnes. Hinc enim tria veluti doctrinæ suæ corollaria colligunt. Aliqui, quos inter Dupin (*De antiqua Ecclesiæ disciplina* diss. V, § 3), reformabile, nec falli nescium Romani Pontificis judicium ea historia ostendi putant. Alii majorem episcoporum partem etiam cum Romano Pontifice asphalia haud præditam inde conficiunt. Alii demum, quos Emin. de Bissy confutat (in *Monum.* anni MDCCXVII, p. 88) exinde confirmant, a pontificia constitutione appellationem ad generale concilium omnino licere. Qui autem catholicorum partes, ac Romani Pontificis jura tuentur, errasse quidem Liberium ultro concedunt, et humanæ aliquid labis passim fuisse; nihil tamen pro hæreticis, aut Gallicana pontificiæ fallibilitatis sententia erui posse pluribus demonstrant. Hos inter ne antiquiores commemorem, eminent Constantius in *Notis ad Hilarium*, Sbaraglia in dissertatione quadam, quam disputationi de pravorum hominum ordinationibus subjecit, Mazochius in *Calendario Neapolitano*, ac nuper eruditus Merenda in sancti Damasi Romana editione. Verumtamen lubet in hac prima parte via incedere, quam omnium primus ingressus est vir clariss. Corgnius Suessionensis canonicus in libello Parisiis recuso an. MDCCXXXVI, cui titulus : *Dissertation critique et historique sur le Pape Libère, dans laquelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé.* Statuo itaque (quod etiam placuisse video sacri palatii magistro Orsio in sua *Historia Ecclesiastica*) Liberii lapsum supposititium plane esse, atque in invidiam episcoporum Romanorum nomini conflandam a malevolentissimis hominibus excogitatum. Ad id vero pluribus demonstrandum adgredior, aliis quandoque rationibus additis, aliis sæpe illustratis, quæ a Corgnio vel omissæ penitus sunt, vel non satis enucleatæ, atque a gravissimis difficultatibus vindicatæ. Qua in re a cl. quidem viro P. Hieronymo *de Prato* in sua Sulpicii Severi præclara editione, t. II, p. 214, dissentire me intelligo; verum amico homini etsi aliter opinanti non ingratus plane fortassis erit qualiscumque labor hic noster.

CAPUT II.

Duplici argumento evincitur Liberiani lapsus nothia.

I. Quatuor potissimum testimoniis res peragenda est, Sulpicii Severi, Socratis, Theodoreti, et Cassiodorii. Quare lubet eorum verba ante proferre, quam ullo Liberium argumento a supposititio lapsu vindicamus. Sulpicius Severus *Hist. sacræ* lib. II, c. XXXIX, p. 263 et 264 edit. Lipsiensis an. MDCCIII cum notis Vorstii, pagina vero 408 et 409 edit. Bonon. an MDLXXXI cum notis Sigonii, « Liberius quoque, inquit, urbis Romæ, et Hilarius Pictavorum episcopus, dantur exilio... Sed Liberius paulo post urbi redditur, ob seditiones Romanas. » Audi nunc Socratem *Hist. Eccl.* l. II, c. XXXVII. Vales. edit. « Cæterum Liberius haud multo post ab exsilio revocatus, sedem suam recepit, cum populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, et imperator licet invitus assensum illis præbuisset. » Theodoretus vero *Hist. Eccle.* l. II, c. XVII. (Vales. item edit.) Liberii reditum fusiore calamo persequens : « Gloriosus igitur, inquit, veritatis athleta in Thraciam, uti præceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio Constantius Romam profectus est, (hic vero a

Romanis matronis, ut Liberium ab exilio revocaret, enixe rogatus est.) Flexus itaque imperator, egregium illum omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit : ambos vero (Liberium et Felicem), in commune Ecclesiam administrare. » Sed hanc imperatoris epistolam populus explosit, ac « omnes una voce acclamarunt : Unus Deus, unus Christus, unus episcopus... Post has christianissimæ plebis acclamationes pietate, ac justitia plenas, reversus est admirandus ille Liberius. » Eadem ferme verbatim recitat Cassiodorius *Hist. tripart.* l. V, c. XVIII (p. 266. t. I Operum edit. Rotomag. an MDCLXXIX), hoc uno inter ipsos discrimine : Quem Theodoretus initio capitis *gloriosum veritatis athletam*, *admirandum* vero sub capitis finem, eum Cassiodorius *Veritatis propugnatorem, et victorem* appellat initio, in fine capitis *Sanctissimum*.

II. Jam vero duo adfero. Primum est, auctores, quos appellavimus, ea, quæ de Liberio sua ætate ferebantur, minime credidisse : alterum, ipsos ea spectasse veluti impudentissimam fabulam, indignam propterea, quæ historiis adcenseretur. Porro utrumque facile est evincere. Primum quidem ex ipsorum silentio satis compertum esse debet. Si enim ea crediderunt, cur de iis ne verbum quidem adtexuerunt, quum tamen id maxime posceret argumenti, quo de agebant, materies, ac ratio? Alterum vero hac ratiocinatione suadeo. Notum est, Rufinum Aquileiensem l. I *Hist.*, c. XXVII (edit. Paris. MDLXXX), hæc scripsisse : « Liberius urbis Romæ episcopus Constantio vivente regressus est. Sed hoc, utrum quod adquieverit voluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulgens, pro certo compertum non habeo. » Quamobrem illud constare debet, Rufini temporibus incertum fuisse Liberii lapsum, causam reditus incertam, ac scriptores ea super re in varias abiisse sententias. Hæc porro quis credat, ignorasse Sulpicium Rufino æqualem scriptorem, Socratem, quem nemo nescit plurima ex Rufino exscripsisse, Theodoretum hominem doctissimum, et in historiis versatissimum, Cassiodorium denique « virum acerrimi ingenii, et insignis eruditionis, » uti loquitur Hincmarus Remensis *De diversa, et multiplici animæ ratione*, cap. II? Quod si hæc non ignorarunt, Liberium tamen ab exilio Romam reversum Romani populi precibus tradiderunt; palam est, eos sensisse, fabulatores esse, qui Liberium rediisse docebant, quod Constantio indulgens Athanasium damnarit, aliaque id genus patraverit.

III. Sed hanc Theodoreti fuisse mentem clarius etiam argui potest. Liberium ab exilio redeuntem vocat « egregium, omni laude dignissimum, admirandum. » Æquus nunc lector judicet, an de Liberio in urbem revocato hæc scribi sana mente potuerint, si lapsum illum fuisse Theodoretus censuisset? Rem urgeo. Quoniam Liberium in exilium secedentem Theodoretus adpellat « gloriosum veritatis athletam, » nonne jure optimo colligam, Liberium antequam exularet, fidem integram, inviolatamque servasse? Cur igitur ex similibus, imo splendidioribus, quibus Liberii reditum Theodoretus idem prosequitur, nominibus non illud efficiatur, ne in exilio quidem lapsum unquam fuisse? Eadem methodo Cassiodorii verba expendenda, quippe qui Theodoreti non modo sententiæ adhæsit, sed verba ipsa (quod nuper adnotabam) pene descripsit. En primum pro Liberio argumentum. Jam vero ea ipsa ad examen vocemus, quæ de Liberii reditu ab iis et ab aliis scriptoribus accepimus.

IV. Romanum populum a Constantio etiam atque etiam postulasse, ut Liberium ab exilio revocaret, ex appellatis auctoribus didicimus, quod et Sozomenus refert l. IV, cap. XI. Amplius quidpiam, ac Liberio longe honorificentissimum referunt Marcellinus, atque Hieronymus, Liberium nempe a Romano populo veluti triumphatorem exceptum fuisse. « Cui (Marcellinus inquit, præf. t. V *Bibl. PP.* p. 652) obvius cum gaudio populus Romanus exivit. » Hieronymus autem in *Chronico*, « Romam, inquit, quasi victor ingreditur. » Illud porro animadvertendum, populum Romanum Nicænæ fidei studiosissimum fuisse, atque Athanasio, ejusque defensoribus perquam addictum. Age jam. Si Liberius Athanasium damnasset, si Nicænam fidem prodidisset; an Romanum populum credibile est, de Liberii reditu futurum fuisse adeo sollicitum, ac tanto gaudio exultaturum fuisse, dum Romam ille repeteret? Quænam obsecro, admirandæ hujus metamorphoseos verosimilis causa fingi, aut excogitari potest?

V. Non equidem inficior, Romano populo Liberium apprime charum fuisse. Verumtamen ex Sozomeno causam accipe. « Liberium, inquit ille, *Hist. eccles.* l. IV, cap. XV, utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione imperatori fortiter restitisset, populus

Romanus impense diligebat : » Itaque si Liberius ut imperatori obsecundaret, a Nicæna fide descivisset, non eum sane fingere possumus, tum quoque a Romano populo fuisse diligendum. At, inquies, Felix populo Romano erat invisus. Non repugno. At cur? « quod etiam ante ordinationem, ait Sozomenus l. IV, c. XI, communione cum hæreticis sociatus fuisset. » Clarius Theodoretus in loco, quem antea appellavimus. « Qui (Felix) formulam fidei a Nicænis Patribus expositæ, integram quidem, atque inviolatam servabat: cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset. » Quidni igitur hinc arguam, futurum fuisse, ut a Romano populo Liberius quoque odio haberetur, si cum Arianis paulo antea communicasset?

CAPUT III.

Aliis argumentis Liberii lapsus refellitur.

I. Argumenta, quæ prolata hactenus a nobis sunt, una ferme Sulpicii, aliorumque historicorum auctoritate nituntur. Verum alia nobis ratio suggerit. Ac primo quidem si lapsus in exilio esset sanctus Liberius, postquam Romam remeavit, aliquo sane documento palam ea recantasset, quæ imperatoris vi coactus atque Arianorum fraudibus irretitus admiserat, quo et scandalo mederetur, omnem a se suspicionem amoveret, et suæ præsentis fidei integritatem, constantiamque significaret. Episcoporum, qui Arimini lapsi fuerant, pœnitentiam testatur non Sulpicius modo l. II *Hist. sacræ*, Hieron. *Dial. adv. Lucif.* et Damasus in epist. *ad Episcopos Illyrici*, apud Theodor. l. II *Hist. eccles.* c. XXII, sed Liberius ipse in epist. *ad Episc. Orientis* apud Socratem l. IV *Hist.* c. XII, ubi lapsis pœnitentiæ leges etiam præscribit. Quapropter a fide prorsus alienum est, Liberium, si lapsus revera fuisset, hanc declarationem omissurum fuisse, quæ sane si facta esset, longe majoris ponderis futura erat, quam Ariminensium Patrum retractatio; sin autem omissa, et scandalum paritura erat, et locum exprobrationibus relictura.

II. Huc accedit, Orientales episcopos litteras, et legatos ad Liberium Romam reversum misisse tanquam ad Nicænæ fidei, et vocis *consubstantialis* defensorem. Imo Eusebius Vercellensis, ut testantur ejus *Acta* ab Ughellio edita (T. IV *Ital. sacr.* Venetæ novissimæ edit. pag. 759), « Romam veniens Liberium papam adiit, quem summo gaudio Liberius excipiens collegam illius se fore congratulabatur : ostenditque ei B. Eusebius fidei decretum, quod ipse et Athanasius vir gloriosus (anno CCCLXII, biennio scilicet post Ariminense concilium) Alexandriæ peregerunt, cum cæteris Orientalibus episcopis, » utique ad ipso comprobandum. Quis autem hæc credat contingere potuisse, nisi constantiam fidei suæ aliquo documento Liberius probasset? At ne ullum quidem rei hujusce vestigium videre est in Severo, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, aliisque, qui res ejus temporis complexi sunt. Illud igitur dicendum, ea, quæ de Liberii lapsu vulgo feruntur esse conficta. Hoc argumentum tanti ponderis est, ut otiosi nonnulli Liberii nomine epistolam communicatoriam ad Athanasium confinxerint, cujus fragmentum vide apud Labbeum t. II *Concil.*

III. Aliud argumentum ad Liberium a lapsus nota vindicandum ex epistola depromo, quam Liberius ad episcopos Italiæ dedit anno CCCLXIII aut etiam serius, quæque inter Hilarii fragmenta exstat (pag. 1357 edit. sancti Hilarii a monachis Benedictinis adornatæ). Adserit in ea Liberius nonnullos fuisse, qui dicerent, « non esse parcendum his, qui apud Ariminum ignorantes egerunt. » Mox subdit : « Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes, et Achivi accusati sententiam receperunt, multis (seu, quæ lectio a Benedictinis redintegrata est, *hanc adunati sententiam receperint, visum est*,) parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus. » Hæc Liberii verba qui rite perpenderit, nescio sane, qui fieri possit, ut Liberii lapsum fabulis non adcenseat. Liberius enim Petri successor illud se sibi aptare debuerat, quod Petro Christum dixisse Lucas refert c. XXII, v. 32 : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » Cur igitur animi sui moderationem obtrudit? Cur ad Græcorum, et Ægyptiorum episcoporum litteras provocat? Nonne æquum erat, ut ille, cui lapsus condonatus fuerat, lapsos quoque pœnitentia ductos reciperet ? Profecto nisi lapsis pepercisset, facile nimium, ac pronum erat, ut vel ab æmulis, vel ab iis ipsis, quibus venia denegata fuisset, ipsi objiceretur, eum quoque eodem crimine obstrictum fuisse; memorem proinde esse oportere evangelicæ parabolæ *Matth.* XVIII : *Serve nequam, omne*

debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui? etc. Imo hæc vel ipsi parcenti ab Ariminensibus dici potuissent, quos dubio procul illa moderationis prædicatio irritare nonnihil debuisset, si ab eo profecta esset, qui in eadem damnatione fuisset.

IV. Neque illud omittendum, Liberium Ariminensi synodo minime interfuisse. Quod quidem facile ex omnium historicorum silentio conficitur; etenim quoties conciliis frequentioribus, cujusmodi sane Ariminense fuit, pontifices vel ipsi, vel legatis missis adfuerunt, id nunquam non ad notarunt. Adde ea quæ habet Damasus apud Theodoretum l. II, c. XXII, in epist. *ad Episcopos Illyrici* : « Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt : cum constet neque Romanum episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium (Capuanum)... neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse. » Ægre autem quis sibi persuadeat, Ariminenses suorum statutorum confirmationem a Liberio expetituros non fuisse, si concilio interfuisset. Quorsum hæc, inquies? Liberium, aio, si formulæ subscripsisset, si Athanasium damnasset, si cum Arianis communicasset, verbo, si imperatoris voluntati acquievisset, ad concilium Ariminense vocandum fuisse. Id profecto Arianorum artes, ac fraudes suadent.

V. Illud fortasse quispiam respondeat, vocatum non fuisse, quod errores jam ipse suos retractasset. At effugium hoc nullo negotio præcluditur. Etenim si Liberius imperatori, et Arianis antea consensisset, ii cognita illius imbecillitate, non dubitassent quin ipsum iterum dolis, terroribus, pœnis in suam sententiam possent adducere. Itaque ipsum vocassent. Exemplum nobis suppeditat imperator Justinianus. Quamvis enim Vigilius anno DXLIX et DL litteras ad Afros, Illyrios, Dalmatas in defensione trium capitulorum perstantes dedisset, quibus nihil derogare se concilio Chalcedonensi adfirmabat ; quamvis anno DLI Justiniano edicta in capitulorum damnationem proponente reclamasset, et excommunicationem in eos indixisset, qui assensum præberent, iram propterea principis ebullientem multiplici fuga declinare coactus ; quamvis demum anno DXXXIII indictæ synodo V generali abnuisset interesse, imperator tamen, qui anno DXLVIII eum ad illorum damnationem studio pacis influxerat, animum non despondit, dum tandem Vigilius V synodo subscribens illa opuscula anathemate feriret.

CAPUT IV.

Primum, quo Liberii lapsus vulgo stabilitur, argumentum ex sancto Athanasio petitum diluitur.

I. In historia Arianorum, quam sanctus Athanasius epistolæ suæ *ad Monachos*, seu ut alii legunt, *ad Solitarios vitam agentes* subjecit, hæc leguntur num. 41, t. I editionis Benedictinorum, pag. 368 et t. I antiquæ Parisiensis editionis anni MDCXXVII, pag. 837. « Sic itaque a principio ipsam Romanam Ecclesiam labefactare conati sunt (Ariani) optantes suam illi admiscere impietatem. Porro Liberius extorris factus, post biennium, denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit : verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quandiu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non re formidantium, sed vexantium sunt placita. Nihil itaque hæresis suæ gratia non aggressi sunt. » Pergit historia, et num. 45, pag. 372 recentis edit. veteris 841 ; hæc de Osii lapsu subdit : « Constantius... Osium, quem exilii vice anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens impius homo, neque patris erga Osium affectum reveritus improbus ille, neque senectutem (centenarius quippe erat) veneratus vir inhumanus. Hæc namque omnia hæreseos gratia nihil fecit, novus ille Achab, aliusque nostri ævi Balthasar. Tantam enim seni vim intulit, tandiuque illum detinuit, ut malis oppressus, vix tandem cum Valente, et Ursacio communicaret, neque tamen scriberet contra Athanasium. Sed eam rem minime neglexit senex, instante quippe morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim feriit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet. » Hæc ibi.

II. Atque ea sane, si revera Athanasii sunt, peremptoria haberi debent adversus eam, quam propugnamus sententiam. Verum non Athanasii esse, sed ab imperito quopiam adsuta esse contendo. Duo itaque adfero. Primum est, ea ab Athanasio scribi non potuisse, dum epistolam illam *ad Monachos* daret. Al-

terum ne ab ipso quidem addita postea fuisse. Quæ quidem si demonstravero, illud supererit, laciniam esse, quæ aliunde in Athanasii textum irrepserit. Itaque quod ad primum attinet, Osii lapsum anno CCCLVII contigisse nemo nescit, Liberium vero qui imperatoris voluntati acquievisse tradunt, id ad anni sequentis CCCLVIII initia referunt. Quamobrem, si Arianorum historia anno CCCLV aut serius CCCLVI ab Athanasio concinnata fuit; quis illud manifestum esse non videat, Athanasium ea tum scribere non potuisse, quæ ad Liberii, et Osii lapsum spectant? Porro historiam illam anno CCCLV aut sequente, non serius ab Athanasio scriptam fuisse sic efficio. Ejusdem historiæ num. 4 Leontii Ariani Antiocheni pseudoepiscopi meminit sanctus Doctor his verbis: « Leontius castratus, qui nunc Antiochiæ episcopus est: » quæ sane indicant, Leontium tum in vivis fuisse, quum ea Athanasius scriberet. At Leontius anno CCCLVI diem supremum obiit, quemadmodum ex Socrate l. II *Hist.* c. XXXVII recte colligunt Baronius ad annum CCCLVI. Valesius in adnot. ad eum Socratis locum, et Petavius in animadv. ad Epiph. hær. LXXIII *Semiarianorum*. Etenim refert Socrates, Leontii mortem Romæ nuntiatam fuisse, cum ibi Eudoxius Germaniciæ episcopus moraretur. Morabatur autem anno CCCLVI aut CCCLVII circa Maium mensem. Ibi enim fuisse certum est, cum imperator Constantius ibi pariter esset; hic autem Romam advenerat anno CCCLVI, quod Baronio ad eum annum n. 112 et Petavio visum est. Quod si ex Idacii fastis, et Ammiano velis cum Pagio in *Critica* ad an. CCCLVI, n. 13, Tillem. t. IV *de Imperatoribus*, adnot. XXXIX in Constantium, et Bollandianis in *Hist. Chronol. Patriarch. Antiochen.* t. IV Julii præfixa n. 210, Constantium in Urbem anno CCCLVII venisse; sub hujus anni initium Leontius e vivis excesserit. At Benedictini Athanasii editores in admonitione ad historiam Arianorum num. 11, Tillemontius t. VI *Monum. Eccl.*, art. 70, Bollandiani loco nuper laudato, num. 211 et 212, Leontii obitum aut sub finem anni CCCLVII aut sub CCCLVIII initium contigisse tradunt, Socrate licet repugnante. Id verissimum est. Sed cur Socrati fidem denegant viri eruditissimi? Nimirum hinc Athanasium Leontio superstite scripsisse vident: hinc Liberii, Osiique lapsum in historia eadem legunt. Verum suspicari hinc potius debuerant, ea quæ apud Athanasium de Liberio, et Osio lapsis dicuntur, additamentum esse, quam ut Socrati fidem adimerent.

III. Atque id eo verius est, quod nihil ad elevandam Socratis fidem adduci queat. Etenim quod aiunt Benedictini, eum sæpissime labi, confidentius dictum videtur; neque ad rem facit; quod enim alibi erraverit, non probat, hic quoque lapsum fuisse. Solidius videri posset, quod ex Philostorgio objiciunt Bollandiani. Vetustus quippe ille scriptor l. IV, c. IV de Leontii morte meminit postquam de Osii Liberiique casu, ac restitutione dixisset. At quemadmodum Bollandiani ipsi fateri coguntur, Liberii restitutionem a Philostorgio cum ejus lapsu conjunctam, quod res natura connexas divellere noluerit; quid item vetat, quominus dicamus, Philostorgium post Osii, ac Liberii lapsum Leontii obitum memorasse, ut non interrupta narrationis serie Eudoxii, qui post ipsum Antiochensem sedem invaserat, gesta percenseret? Sane toto eo libro a capite IV de Eudoxio agit. Addo cum narrationis ordinem non ipsius fortasse Philostorgii esse, sed Photii, qui ejus epitomen confecit. Præterea peto a Bollandianis, quid dicturi essent, si eadem, qua ipsi, forma arguerem: « Philostorgius postquam de Alexandri C. P. episcopi morte egisset l. II, c. X, sequenti mox capite Alexandri Alexandriæ antistitis obitum refert; igitur post Alexandri C. P. mortem supremum diem obiit Alexander Alexandrinus episcopus. » Profecto ineptam ratiocinationem riderent ipsi, quum certum sit, Alexandrum Alexandrinum decessisse anno CCCXXVI, vel etiam sub finem anni CCCXXV, ut erudite ostendit Sollerius in *Hist. Chronol. Patriarch. Alexandr.* t. V Junii a pag. 37. Sanctus vero Alexander Constantinopolis episcopus non ante annum CCCXXV vel CCCXXVI sancto Metrophani succedere potuerit, ut adnotat Cuperus in *Hist. Chronol. Patriarch. Constantinop.* t. I August. num. 58 et usque ad annum CCCXL superstes fuerit, quemadmodum Sanningus t. VI Junii, part. I, a pag. 71 solidis argumentis probavit.

V. Fac tamen, errasse Socratem; fac Leontium, quem Eutychius Leonem vocat, anno CCCLVIII superstitem fuisse; fac demum eo anno scriptam fuisse ab Athanasio Arianorum historiam. Nego tamen ea, quæ ad Liberium et Osium spectant a sancto Doctore tunc esse profecta: idque multis ostendo, quæ quidem et illud demonstratura sunt, quod secundo loco probaturum me supra receperam, ea

nimirum nunquam ab ipso Athanasio addita fuisse; quæ fuit Papebrochii ad 2 Maii in *Prologo ad Vitam sancti Athanasii*, aliorumque sententia. Ac primo quidem si recolantur, quæ ex historia Arianorum recitavimus n. 15 de Osii lapsu, illud constabit, Osii crimen solum fuisse, cum Arianis communicare : « ut malis oppressus, vix tandem cum Valente, et Ursacio communicaret. » At id manifestæ falsitatis arguitur ab antiquissimis quibusque scriptoribus, qui Osium Arianæ hæresi consensisse tradunt. Mitto Epiphanium, hæresi LXXIII n. 14, Socratem, l. II, c. XXXI, Sozomen. l. IV, c. VI, Vales. edit. Tres audiamus testes non Athanasio tantum æquales temporum, sed et ipsos Arianorum persecutionibus agitatos. Hilarius Pictavorum episcopus agmen ducat in lib. *de Synodis*, num. 11 ubi exhibet « Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, et Potamium conscriptæ; » id est, subscriptione sua firmatæ, ut optime adnotant Benedictini Hilarii editores in eum locum. Idem in libro *contra Constantium imperatorem*, num. 23, Sirmiensem hæreticam formulam vocat « deliramenta Osii, et incrementa Ursacii, et Valentis. » Vercellensis Eusebius in epist. *ad Gregorium Eliberitanum episcopum*, quæ est inter fragmenta Hilarii fragmentum XI pag. 1356 Paris. edit. MDCXDXIII, Osium vocat *transgressorem*. Demum sanctus Phœbadius, seu Fœgadius Agennensis in Aquitania episcopus *Bibl. PP.* t. IV pag. 305, quum Osii lapsum sibi objecisset, « non mihi, inquit, ejus auctoritate præscribitur, nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam. »

VI. Ex his omnibus fit, Athanasium illa, quæ de Osii casu in historia Arianorum leguntur, scribere non potuisse. Quis enim credat Athanasium virum solertissimum, atque accuratissimum rem toto orbi notissimam iis verborum involucris significare voluisse, ut alia omnino videatur, præsertim quum nullo negotio ab Arianis mendacii insimulari posset, et eo quidem in loco, ubi historiam Arianorum contexebat? At magnus Doctor in eremo commorans de Osii lapsu non bene instructus fortasse fuit. Responsionem intelligo; probare non possum. Quamvis enim in eremo lateret, a multis tamen fidelibus testibus de iis edocebatur, quæ in Arianorum causa quotidie contingebant. Horum sane narrationibus ea omnia innituntur, a nemine unquam non probata, quæ in eremo delitescens scripsit Athanasius in *Apologia ad Constantium*, in epistola *ad Episcopos Ægypti, et Libyæ*, in hac ipsa *Arianorum historia*. Ecquis autem illud cuipiam sanæ mentis persuadeat eos, quos Athanasio minutiora, quæque, et ab Arianis callidissime tecta summa fidelitate, ac veritate retulisse constat, rem deinde, quæ omnium ore, et calamo circumferebatur, Osii casum intelligo, aut ignorasse, aut dissimulasse?

VII. Accedit, in objecta sententia Osii obitum memorari. Porro quum inter ejus lapsum, et mortem multum temporis intercesserit, et magnum, ut ex nuper appellatis scriptoribus constat, tumultum civerit illius lapsus, tanto temporis intervallo incredibile prorsus est, rei hujus historiam ad Athanasii aures non pervenisse. Cæterum si Athanasium velis de Osii lapsu minime certiorem factum fuisse; vide ne eum quoque deceptum fateri debeas in iis, quæ de Liberio ipsum scripsisse contendis. Etenim longe facilius in Liberii, quam in Osii causa falli potuit. Notum est Arianos fraudibus suis effecisse, ut pseudosynodum, quam Sardica aufugientes Philippis in Thracia sub eodem tempore habuerunt, quo celebrata est vera Sardicensis, Africani veluti veram Sardicensem synodum susciperent, ut constat ex Carthaginiensi IV concilio anni CDXIX in quem errorem etiam lapsus fuit sanctus Augustinus contra Cresconium l. III c. XXXIV et l. IV c. XLIV et in epist. XLIV al. CLXVII *ad Eleusium, Glorium, et Felices* n. 6. Imo, ut rem propius urgeam, nonne « cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochiæ Osii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri? Id sane testatur Sozomenus, l. IV *Hist.* c. XV, Vales. edit. vet. XIV cujus ea verba sunt, ac post ipsum Nicephorus, l. IX, c. XXXVII.

VIII. Falsa igitur scripsisset Athanasius, si ejus verba essent, quæ nobis objiciuntur. Addo, Athanasium sibimetipsi pugnaturum fuisse. Ut id evincam exscribenda hic sunt, quæ de eodem Osii lapsu certissime scripsit magnus doctor in *Apologia contra Arianos* n. 89. « Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romæ episcopus; nam etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleraverit: attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus; cum autem ex eorum numero sit magnus ille

Osius cum episcopis Italiæ, Galliarum, et aliis ex Hispaniis, ex Ægypto, et ex Libya, omnibusque Pentapoleos episcopis; nam licet ille ad breve tempus Constantis minis perterritus, iis non obsistere videretur; attamen ingens illa vis, atque tyrannica Constantii potestas, nec non plurimæ illæ contumeliæ, et plagæ palam faciunt, eum, non quod reos nos existimaret, sed quod propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, ad tempus cessisse. » Similia quod ad Osium spectat, habet Athanasius *De fuga sua*, num. 5. « Hunc tamen tantum virum vexare ausi sunt, gnarus quippe cum esset earum, quas impietatis suæ causa confingunt, calumniarum, insidiosis eorum adversus nos rescriptis subscribere noluit. Quamvis enim tandem ob vim plagarum, quibus eum immanissime, et ultra modum lancinarunt, et ob conspirationes adversum cognatos ejus conflatas; utpote senex, et corpore imbecillus ad quoddam temporis spatium illis cesserit; attamen eorum malitia ex iis quoque eorum gestis innotescit. »

IX. Vides hic manifesto Athanasii damnationi subscripsisse Osium, quamvis id neget V Cl. Nicolaus Antonius t. I *Biblioth. Veteris Hispanæ* l. II c. I n. 10. Quem enim alium sensum, obsecro, reddere possint ea verba *illis cesserit*, post illa *adversus nos rescriptis subscribere noluit*? Præterea quid illud *ad tempus cessisse* significet? An quod Osius hæreticæ formulæ subscripserit? At huccine spectare potest ea occupatio *non quod reos nos existimaret*? Nugæ. Hoc unum Athanasius in sua illa apologia ad demonstrandum aggressus fuerat, se eorum, quæ per summam injuriam Ariani confinxerunt criminum purum omnino esse. Eam ob rem quum plura innocentiæ suæ argumenta adduxisset, atque inter ea Liberii Osiique sibi patrocinantium auctoritatem, objectionem occupat, quæ ex Liberio peti poterat exilii sui tandem pertæso, et ex Osio, qui Constantii voluntati tandem cesserat. Et quod ad Osium attinet, respondet eum Constantio adquievisse, « non quod reos nos existimaret, sed quod propter senectutis infirmitatem plagas ferre non posset. » Igitur Athanasius de sui damnatione loqui debuit, cui Osius subscripserit. Quocirca, ne Athanasius sibi non constitisse dicatur, nunquam scribere potuit, in historia Arianorum, Osium suæ damnationi non subscripsisse. Aliena igitur manu addita illa fuere.

X. Neque vero negotium nobis ullum facessere possunt, quæ de Liberio in adlatis locis narrat Athanasius. Etenim quod Liberius « exsilii ærumnas ad finem usque non toleraverit, » non probat Liberium Constantio, et Arianis consensisse, sed ad summum, ipsum exilii pertæsum precibus tum populum Romanum, cum Occidentales episcopos fatigasse, ut Constantium lenirent, atque ad eum ob exsilio revocandum permoverent. Atque hinc fortassis legatio illa Occidentalium episcoporum, de qua Sozomenus l. IV c. XV et Romani populi clamores, tumultus, preces ad Constantium fusæ ortum habuere. Demum quod spectat ad hæc duo Athanasii testimonia, observo, quæ hic de Osio, ac Liberio dicuntur, addita postea fuisse ab Athanasio. De loco ex *Apologia contra Arianos* petito certum est; ea enim, ut optime adnotant in eum locum Benedictini pag. 204, anno circiter CCCL, ac manifestissime ante annum CCCLII conscripta fuit. Etenim num. 88 innuit Athanasius, Ursacium et Valentem nondum in Arianam impietatem fuisse relapsos, uti fecere circa annum CCCLI vel CCCLII, neque vero, si ii Athanasii accusatoribus sese jam denuo sociassent, credibile est illud ab Athanasio prætermittendum fuisse.

XI. Quod vero ad locum adtinet ex *Apologia pro fuga sua* desumptum, cum esse parenthesim postea adjectam margini ab ipsomet Athanasio, et a librariis imperite insertam textui, suadet, quod eruditissimus Papebrochius animadvertit t. I Maii in *Vita sancti Athanasii*, n. 28, pag. 231. Textus nimirum absque iis verbis optime cohæret. Imo nullus videtur patere locus interjiciendi quidquam, quod sit irruptione Syriani posterius, salva sententiæ illius integritate: Quod etiam fateri coactus est Tillemontius t. VIII adnot. LXXVIII *in sanct. Athanasio*. Deinde non video, cur multo post tempore a fuga scribere apologiam aggressus fuerit Athanasius pro fuga sua. Longe vero est similius eam conscripsisse quam primum licuit. Dissentiunt quidem Benedictini in admon. ad illam n. 3 et Tillem. artic. 87. « Non potest quippe ante annum CCCLVII edita fuisse, cum eo ipso anno contigerit Osii lapsus in hoc opere memoratus. Nequit etiam ultra annum differri CCCLVIII cum Leontius, qui eo anno diem obiisse creditur, hic haud semel superstes fuisse dicatur. » Verum quod de Leontio viri eruditissimi dicunt, abunde supra refutatum est, ut potius hinc novum adversus ipsos argumentum extundi possit. Quod vero de Osii casu adferunt, non satis iis cohærere videtur, quæ in notis ad

num. 89 *Apologiæ contra Arianos* ipsi dixerant. Quæ enim quæso gravior ratio suadere possit, illa postea non adjecta fuisse; hæc vero, ut ibi ipsi aiunt, « diu post scriptam *apologiam* hic addita fuisse post lapsum scilicet Liberii, et Osii, qui in annum cecidit CCCLVII.

XII. Scripta igitur videtur *Apologia pro fuga sua* post Pentecostem anni CCCLVI et ante Maium anni CCCLVII. Ante Maium quidem anni CCCLVII quod Leontii adhuc superstitis ibi fiat mentio. Post Pentecostem vero anni CCCLVI (in quo nonnihil a Papebrochio dissentio) quod num. 6 cædium a Sebastiano duce Syriani successore « hebdomade post sanctam Pentecostem » patratarum sanc. D. meminerit. Nolim autem ex iis, quæ hactenus disputavimus, quempiam colligere, ea quoque, quæ in historia Arianorum de Liberio, et Osio leguntur, addita postea ab Athanasio fuisse. Dispar quippe longe est ratio. In iis, quæ ab Athanasio in utraque apologia adjecta fuisse concessimus, nihil falsi, nihil cum Athanasio pugnans ostendere est. Falsitatis plena, plena antilogiarum quæ in historia Arianorum reperiuntur, Quid? quod neque Rufinus, neque Sulpitius Severus, nec Socrates, Theodoretus, Sozomenus, quorum plerique Græci cum fuerint, incredibile prorsus est Historiam Arianorum non vidisse, ea, quæ de Liberio hodie habemus, non legerunt, alias de sancto Pontifice secus locuti fuissent, atque eos scripsisse compertum est; nemo enim nescit, quantæ apud ipsos auctoritatis esse debuisset Athanasii testimonium. Et vero de Socrate id certius est, quippe qui *Hist.* lib. II, cap. I adserit, Athanasii libros nactum se fuisse, « in quibus ille suas calamitates deplorat, et qua ratione per calumniam, ac fraudem Eusebianorum in exsilium missus fuerit, exponit. » Ubinam autem de his luculentius queritur Athanasius, quam in *Arianorum historia?*

XIII. Addit præterea Corgnius pag. 63 quæ in *Historia Arianorum* leguntur, ab Athanasii instituto aliena esse; eum nempe nunquam solitum fuisse de quoquam, qui pro fide egregie certasset, male in scribendo mereri, quodvis deinde crimen admisisset; id vero constare ex ratione agendi, qua erga Marcellum Ancyranum usus est, de cujus fide cum interrogaretur, nihil respondit, sed leniter risit, teste Epiphanio. Verum V. Cl. pace dictum sit, earatiocinatio prorsus infirma est. Etenim eodem plane argumento conficere possem, quæ in *Apologia contra Arianos*, et *pro fuga sua* de Liberio, et Osio inveniuntur, nunquam fuisse ab Athanasio conscripta cum tamen Athanasio fœtum illa esse ipse fateatur. Malim itaque hactenus dicta nonnullis animadversionibus firmare. Prima ea est, textum historiæ Arianorum optime absque iis, quæ objiciuntur verbis cohærere; imo non satis cohærere, si ea addantur. « Hæc namque omnia hæreseos gratia, nihil fecit, novus iste Achab, aliusque nostri ævi Balthasar. » Audi quæ sequuntur: « Tantam enim seni vim intulit, etc. » Quid hic quæso particula illa causalis *enim*, γὰρ? Altera est alios quoque Athanasii libros additamentis quibusdam auctos postea fuisse, quæ nisi falsitatis, aut conflictus arguantur, ab Athanasio dici possunt profecta, secus vero, si falsi quidpiam, aut ab Athanasii mente in iis reperire sit dissentaneum. Tertia est hanc ipsam Arianorum historiam non eam esse, quæ primum ab Athanasio edita est. Initio mutilam fatentur omnes Osii epistolam, quæ ad calcem conscripta fuerat, post numerum 43 collocarunt amanuenses. Demum in fine promittitur epistola, « quæ res in synodis Arimini, et Seleuciæ in Cappadocia gestas enarret; » hæc autem desideratur. Hactenus de Athanasio.

CAPUT V.

Hilarii loca, quibus Liberii lapsus arguitur, ad trutinam revocantur.

I. Nunc Hilarii loca, quibus Liberii lapsus probari solet, paulo diligentius sunt expendenda. Primus sit ex num. 2 libri *contra Constantium*, ubi Hilarius sic imperatorem alloquitur: « Vertisti deinde usque ad Romam bellum, eripuisti illinc episcopum (Liberium) et o te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris. » Quibus ex verbis illud colligi videtur, a Constantio fuisse ab exsilio revocatum Liberium, quod ipsius voluntati cessisset; quomodo enim alias problemati locus relinqui potuisset, « utrum majore impietate relegaverit, quam remiserit. » Sed modum in scirpo quærunt, qui hæc objiciunt. Namque potuit hujusmodi dubio, quod sane emphaticum est, atque oratorium, esse locus, quin ad subscribendum hæreticæ formulæ ipse Liberium cogeret. Quid enim? Nonne impietas, eaque summa

fuit, in Liberium ante sævire, quam Romam remitteretur? Sæviit in eum Constantius. Nonne admodum impius dici debuit, qui Romam remiserit Liberium, sparso falso rumore ab Arianis de illius consensu in hæresim? Sic eum remisit Constantius, ut ex Sozomeno et Nicephoro discimus. Sed quod gravissimum est, ea lege Liberio reditum concedere voluisse Constantium scimus, ut ipse cum Felice in commune Ecclesiam administraret. Infandum sane scelus, quo « sedes Petri dehonestaretur, » ut loquitur Sozomenus lib. IV cap. XV a Nicephoro ferme exscriptus lib. IX cap. XXXVII « a duobus præsulibus simul gubernata : quod discordiæ signum, et ac Ecclesiasticis legibus alienum est. » Alia in hoc textu explicando via incedit Corgnius; sed hæc longe solidior.

II. Graviora nos manent, quæ sancti Hilarii ex opere historico Fragmenta suppeditant. In his autem recensendis, et refellendis deinceps utar editione sancti Hilarii a Benedictinis adornata, et Parisiis edita anno MDCXLIII. Itaque in iis Fragmentis plures leguntur Liberii epistolæ, quæ manifesto ipsius lapsum comprobant. Frag. IV epistola *Studens paci* ad Orientales episcopos, fragm. VI n. 5 epistola *Pro deifico timore* fratribus presbyteris, et coepiscopis Orientalibus num. 8; epistola *Quia scio vos* ad Ursacium, Valentem, et Germinium num. 10, epistola *Non doceo, sed admoneo* ad Vincentium Capuanum. Huc accedunt celebres anathematismi ejusdem Hilarii in Liberium. In epistola *Pro deifico timore* pag. 1337. « Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis, » et in epistola *quia scio vos* n. 9 in fine : « Prævaricatori anathema una cum Arianis a me dictum. » Adde etiam, quæ eodem frag. VI subdit Hilarius n. 4. « Post hæc omnia, quæ vel gesserat, vel promiserat Liberius, missus in exilium universa in irritum deduxit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum episcopum injustam tulere sententiam. » Similia ea sunt, quæ num. 7 subjiciuntur epistolæ *Pro deifico timore*: « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam ; quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, et Junior (requirendum) omnes hæretici. »

III. Quis hæc legens, sententiam nostram jamjam penitus prosterni, ac labefactari non crederet ? Verum tamen quid si aut cum Dupin t. II Bibl. pag. 89 edit. Paris. MDCXCIII dicerem, horum Fragmentorum auctorem ignotum omnino esse, et incertæ prorsus ætatis? aut cum Emin. Perronio in libro cui titulus *Réplique à la Réponse du Roi de la grande Bretagne* edit. tertiæ Paris. MDCXXXIII, pag. 127, illud esse opus aut Hilarii Diaconi Luciferiani, aut alterius ex eadem Luciferianorum secta, qui tamen Hilario Pictaviensi æqualis fuerit? Sed demus aliquid antiquitati manuscriptorum, ex quibus illud opus primus omnium vulgavit Nicolaus Faber anno MDCXIII et rursum PP. congreg. sancti Mauri annis a prima illa editione XCV non semel, sed iterum, ac tertio sancto Hilario adscribentium, præsertim, cum liber ille Hilarii « adversus Valentem et Ursacium historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens, » haud obscure promittatur titulo, qui primo Fragmento inscribitur, « Incipit liber sancti Hilarii Pictaviensis provinciæ Aquitaniæ, in quo sunt omnia quæ ostendunt, vel quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus sub imp. Constantio factum est Ariminense concilium, etc. » Illud tamen, velit nolit Blandellus in libro, quem prænotavit *De la primauté en l'Eglise*, p. 479, fatendum est cum Emin. Baronio ad annum CCCLII n. 12 et seqq. Natale Alexandro diss. XXXII in sec. IV et Benedictinis Hilarii editoribus in notis ad epist. *Studens paci*, multa in eo libro contineri apocrypha, corrupta, et ab Arianis addita.

IV. Id sane satis esse deberet, utne hujus libri auctoritate duceremur. Sed ad singula, quæ objecta nobis sunt, descendendum est, ac de singulis pronuntio, supposita illa esse, vitiata, et Hilario prorsus indigna. Ordior ab epistola *Studens paci*, eamque cum Baronio, Benedictinis, Dupin in locis nuper laudatis, V. Cl. Montfauconio tom. II *Collect. Novæ Patrum* et *Scriptorum Græcorum Animadv.* XX *in vitam, et scripta sancti Athanasii* et Petro Coustant. tom. I Epistolarum Romanorum Pontificum in App. pag. 94 et 95 notham esse, ac Liberio suppositam contendo. Id vero pluribus iisque invictis argumentis demonstro, quæ si æqua lance perpendisset Tillemontius, pro illius, authentia non tam facile stetisset tom. VIII *Vitæ sanc. Athan.* articul. 64 et adnot. LXVII.. Sed prius accipe paucis illius epistolæ summam Pseudo-Liberius in ea scribit, se pontificatus initio acceptis Orienta

lium episcopis, ad Athanasium deferendas Alexandriam tribus legatis tradidisse litteras, quibus ipsum sub excommunicationis pœna Romam accedere jubebat; Athanasium vero in urbem venire noluisse; ea propter a se excommunicatum fuisse. Quid his quæso falsius excogitari possit? Falsa omnia clamat temporum ratio, clamat Athanasius, clamat ipse Liberius.

V. Et vero frag. VI exstat Liberii epistola *de Lapsu Vincentii Capuani*, qui, ut refert Athan. *Apol. ad Const.* n. 27, pag. 312, vim non mediocrem contumeliasque passus est, donec polliceretur se cum ipso non amplius communicaturum. Eam autem hisce concludit sanctus pontifex: « Post cujus factum duplici affectus mœrore, mihi moriendum magis pro Deo decrevi, ne viderer novissimus delator, aut sententiis contra Evangelium commodare consensum. » Nota autem hasce Liberii litteras datas esse post recentem Vincentii lapsum, anno scilicet aut CCCLIII exeunte, aut CCCLIV ineunte, adeoque pontificatus initio, cum anno CCCLII pontifex ordinatus fuerit Liberius 21 Junii juxta Franciscum Pagium, aut si malis Papebrochio adsentiri, 24 Mai. Jam vero credibile ne sit, eum, qui primo pontificatus anno vix elapso ob Athanasium a Vincentio damnatum tanto dolore correptus est, ut mortem optaret sub initium pontificatus in Athanasium damnationis sententiam tulisse? Præterea frag. V legere est epistolam ejusdem Liberii *ad Constantium imperatorem*, quam licet Valesius in cap. XXXVII lib. II Socratis ad annum CCCLVI differat, inter eruditos convenit, anno CCCLIV scriptam esse, cum Liberius ea concilium obtinuerit, quod anno CCCLV Mediolani habitum est. Ex illa vero constat Orientales apud Constantium expostulasse, quod suis de Athanasii nomine litteris Liberius nullam habuisset fidem, easque prorsus suppressisset, « ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent. » Quis autem huic calumniæ fuisset locus, si id egisset revera, quod epistola *Studens paci* fecisse perhibetur?

VI. Quid vero Orientalium querelæ facturus satis respondet Liberius? Negat se Orientalium litteras suppressisse: « Satis omnibus clarum esse ait se illas intimasse, legisse ecclesiæ, legisse concilio, atque ipsis Orientalibus respondisse; » at quid? « qui fidem et sententiam non commodavimus nostram. » In litteris igitur, quas pontificatus initio ad Orientales Liberius miserat, iis Athanasii damnationem postulantibus adsensum negavit. Quomodo igitur eodem tempore Athanasium damnasset, acceptis ab Oriente litteris *de nomine Athanasii?* Pergit Liberius, et hanc reddit rationem, cur Athanasium damnare noluerit, « quod eodem tempore LXXX episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat... unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum. » Quæro jam, qui ob acceptas Orientalium litteras Athanasium damnasse dici possit Liberius, cum eodem tempore Ægyptiorum epistolam ad se perlatam asserat, atque ob eam Orientalibus noluisse *commodare consensum?* Demum Theodoretus lib. II *Hist.* cap. XVI adfert dialogum Liberii cum Constantio Mediolani habitum anno CCCLV. In eo autem colloquio negat Liberius posse se Athanasii damnationi subscribere, « neque enim, inquiens, a nobis condemnari potest vir, quem non judicavimus. » Quæso, qua id ratione dicere potuisset Liberius, si jam illum sua, et Ecclesiæ Romanæ communione privasset. Idne judicare non est?

VII. Hactenus ex Liberio ipso Liberium vindicavimus. Age jam, Athanasium consulamus. Refert sanctus Doctor in *Hist. Arianorum* n. 35 et 36, p. 364 et seq. Eusebium eunuchum Romam a Constantio missum fuisse, ut tum donis, cum minis Liberium ad Athanasii damnationem pertraheret; Liberium vero restitisse, « qui, quæso, inquiens, adversus Athanasium id agatur? Nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque jure declaravit, quem Romana synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? » Hæc sane verba peremptoria sunt. Addo alium insignem Athanasii locum in epist. encyclica ad episcopos Ægypti, et Libyæ, quæ in aliquot Græcis manuscriptis codd. et in editis Latinis prænotatur *Oratio prima contra Arianos*, scripta non anno CCCLXI ut sensit Baronius, sed anno CCCLVI ut invicte probant Maurini in Admonit. ad illam epistolam. Ibi n. 8 pag. 278 Osio Maximino, Macario, Basilio, Julio aliisque *Orthodoxis* episcopis Liberium accenset. At, inquit Tillem., latuit ea Liberii epistola Athanasio, quia illam Liberius in arcanis habuit, nec emisit. At (præterquam quod id gratis omnino fingitur) latuit ne ipsi Liberio, ut in epist. *ad Constantium* scripserit, se Orientalibus adsensum non commodasse, ut Eusebio dicere potuerit, se in hominis a pluribus

synodis, ac nominatim a Romana sub Julio prædecessore suo non absoluti modo, sed etiam pluribus laudibus ornati damnationem consentire minime posse; ut demum in dialogo cum eodem Constantio asseruerit, se de Athanasio nondum judicasse?

VIII. Præterea si de epistola tantum ageretur, (ut optime observat Montfauconius) vix ac ne vix quidem staret illud sive ratiocinium, sive commentum. Cum autem legatione solemni trium presbyterorum Liberius Athanasium ad synodum evocasse feratur, interminatus communionis privationem, ni accederet, incassum inter arcana hæc computare satagit Tillemontius. Nihilne horum subodorati Ariani fuerint? An inter arcana hæc item legatio statui possit? Demum *Chronologia* ipsa et epistolam spuriam declarat, et Tillemontii evasionem præcludit. Nam anno CCCLII mense Maio, aut Junio, ut diximus, ad episcopatum Romanum evectus est Liberius; anno autem CCCLIII missis ad Constantium legatis Arelatem, ab ipso postulabat, « ut juberet, sicut jamdudum ipsi placuerat, concilium ad Aquileam congregari » pro Athanasii causa. Ubi vides jam ante aliquod tempus, aliquot saltem ante menses ut illo *jamdudum* significatur, de synodo pro causa Athanasii cogenda cum imperatore egisse Liberium. Si autem Liberius anno CCCLII mense Maio aut Junio ad sedem evectus Orientalium acceptis litteris, legatos tres miserit Alexandriam, qui Athanasium Romam evocarent, ac postea legatis re infecta in urbem reversis Liberius demum reluctantem Athanasium a communione sua repulerit; quod in tempus rejicias illam Aquileiensis synodi indictionem a Liberio *jamdudum* expetitam? Finge indictam sub finem anni CCCLII quo pacto alia, quæ a mense Maio vel Junio ad ejusdem anni finem gesta dicuntur, tam brevi spatio concludas? Quid? quod etsi ad ea omnia spatii satis esset; an credibile est Liberium, cum Athanasium a communione sua removisset, statim synodum in Athanasii gratiam postulasse?

IX. Hæc iisdem pene verbis Montfauconius. Hæc vero omnia confirmari posse censebam argumento, quod pag. 79, Corgnius invictum vocat. Nimirum epistolæ, quam expendimus, hæc subjiciuntur: « Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? » Verba scilicet ea sunt, quæ nonnisi ab Ariano homine pronuntiari possint. Verumtamen rem mihi certissimam nolui ratiocinatione stabilire, quam comperi facile eludi posse. Quid? si enim aut cum Godefrido Hermant not. III in c. XXV l. VI *Vitæ sancti Athanasii* eam appendicem contendas non ad proximam epistolam Liberio inscriptam, sed ad litteras Sardicensis synodi *ad Constantium* quas Hilarius ad calcem XII fragmenti exhibebat, pertinere? aut cum Benedictinis Hilarii editoribus (adnot. in eum locum) et Montfauconio p. 47 id dictum velis ad Hilario εἰρονικῶς. Sed de epistola illa Liberii satis hæc sunt. Quod ad alias spectat, quoniam singulas non vacat perpendere, in universum duobus argumentis eas quoque suppositas esse demonstro. Ex quatuor illis epistolis unam notham esse abunde demonstravimus, et alteram *Quia scio* spuriam paulo post ostendemus. Reliquæ, tum si stylum, tum si cæterea spectes, idem ingenium, eamdem auctoris indolem exhibent. Eas quoque proinde supposititias libens crediderim. Præterea observarunt Petavius, et Benedictini in notis ad fragm. XI col. 30 Severum Sulpitium horum fragmentorum quasi breviarium quoddam inseruisse. At Severus ne verbum quidem de his epistolis habet, cum tamen, esto stylo valde compendario utitur, plurima referat ad Arianorum causam spectantia imo et fusiore calamo persequatur quæ in conciliis Arelatensi, Mediolanensi, et Ariminensi gesta sunt: et quod majus est Liberii lapsum silet, cumque ab exilio revocatum adfirmat *ob seditiones Romanas;* quod epistolis illis plane adversatur. Quocirca adsutæ videntur post Severum.

X. Addo solum epistolam *Quia scio* tertio loco objectam iisdem ferme argumentis νοθείας argui, quibus epistolam *Studens paci* falsitatis insimulavimus; quamobrem a Baronio quoque ad an. CCCLII et a Binio, Labbeo non repugnante t. II *Concil.* p. 757 rejecta est. Nimirum ibi dicitur: « Cognoscat prudentia vestra Athanasium, qui Ecclesiæ Alexandrinæ episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium episcoporum ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse, sicut testis est omne presbyterium Ecclesiæ Romanæ. » Quis autem hic non videat eamdem crambem recoqui de Athanasio per Liberium damnato sub pontificatus initium? Legunt quidem Benedictini ex manuscripto sancti Remigii, quod habuit Sirmondus: « Cognoscat prudentia vestra Athanasium, qui Alexandrinæ Ecclesiæ fuit episcopus, a me esse damnatum, priusquam ad comitatum sancti

imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum, et ab Ecclesiæ Romanæ communione esse separatum, sicut teste est omne presbyterium Romanæ Ecclesiæ. » Verum recepta ultro Benedictinorum lectione difficultas amoveri non potest, nisi cum iisdem asseras, hic intelligi Liberii ad imperatorem adventum, non quidem, ut Baronius interpretatur, Roma Mediolanum, unde relegatus est, sed Berœa, quo relegatus erat, Sirmium, quo scilicet ab imperatore, qui ibi versabatur, nondum accepta Romam revertendi potestate accersitum fuisse tradit Sozomenus l. IV, c. xv. At quum ibidem Sozomenus referat, Ursacium, Valentem, et Germinium, ad quos ea epistola scripta dicitur, Sirmii fuisse, non video, cur litteras Sirmium dare ad illos debuerit Liberius. Adde quod ea verba : *Teste est omne presbyterium Romanæ Ecclesiæ*, satis significare, damnationem, de qua est sermo, presbyteris Romanæ Ecclesiæ annuentibus aut saltem præsentibus latam fuisse ; at Berœæ solus fuit Liberius. Optime igitur ea verba refert Baronius ab Liberii adventum Roma Mediolanum, atque eo nomine epistolam illam ceu notham rejecit.

XI. Duo autem video pro istarum quoque epistolarum veritate objici posse, quæ pro tuendis litteris *Studens paci* a nonnulis opponuntur. Primum sit illud, quo Nicolaus Faber urgeri se aiebat : « Falsas, aut subdititias esse stylus negat. » Sed facile respondeo cum Baronio ad an. CCCLII, n. 15, stylum harum epistolarum redolere quidem antiquitatem ; neque negat (si quis et hoc velit) Liberii tempore scriptas ; sed quod Liberii sint, nihil est quod adfirmare cogat, et plurima esse vidimus, quæ omnino negare compellunt. Alterum sane lepidum, ne quid gravius dicam, est Tillemontii : « Hæ epistolæ aliis germanis epistolis intermistæ sunt ; non igitur pro suppositiis haberi possunt. » Sed hæc abs re adferri quivis haud ægre cum Cl. Montfauconio fatebitur, qui animadverterit, supposititia veris intermixta hoc maxime ævo deprehendere non insolens, sed admodum frequens esse. Mitto, quæ in Appendicibus ad Opera sanctorum Augustini, Ambrosii, Cypriani, aliorumque. An non Liberii ad Athanasium, et hujus ad illum epistolæ, quæ a multis retro sæculis inter germana Athanasii opera locum habuere, jam cuivis emunctæ naris viro notha sunt? Atque id eo adfirmamus libentius, quo plures hujusmodi litteras tum Athanasii tum imperatoris nomine circa idem tempus, ab Arianis editas esse testatur Athanasius in *Apol. ad Const.;* quod etiam ex Sardicensi concilio constat in epist. ad universas Ecclesias apud Hilar. fragm. II, n. 3, ubi « lectæ dicuntur litteræ factæ a Theognito falsæ adversum Athanasium, et Marcellum. » Vide cap. IV, n. 7.

XII. Venio nunc ad anathematismos. Eos etiam suppositos esse Hilario, et incerta manu additos adsero duce Baronio ad an. CCCLVII, n. 50, cui consentiunt Benedictini in notis ad Hilar. Frag. col. 1338 et Natalis Alexander diss. XXXII in Sæc. IV, artic. 1. Id vero præter dicta num. 9, quæ huc transferri possunt, hac ratione conficio. Hoc opus suum Hilarius Liberio jam correcto, et pro fide catholica strenue iterum depugnante, juvat enim hic ejus lapsum tantisper permittere, in publicum emisit. Jamvero etsi summo pro fide zelo flagravit Hilarius, eaque idcirco scribere potuisset Liberio lapso ; credibile tamen non est, illa ab eo scripta fuisse, cum jam Liberius resipuerat ; ac fidem orthodoxam egregie defendebat. Apage cum his gerris. Itaque fatendum est illa omnino irreptitia esse. Quod quidem minus mirandum, cum in Pithœano Codice post verbum *suscepi*, uno eodemque contextu sequatur : « Sanc. Hilarius anathema illi dicit : anathema tibi a me, » etc., quæ sane nonnisi imperiti librarii opera in textum irrepere potuerunt. Supposititia item sunt verba illa frag. VI, n. 4 : « Post hæc omnia, quæ, » etc. Id satis evincunt, quæ hactenus disputata sunt ; quibus adde, in hoc fragmento Athanasium vocari *sanctum;* cum tamen Hilarius nusquam eo ipsum nomine insigniat, sed vel *Athanasium*, vel *Episcopum Alexandriæ* vocare sit solitus, ut l. I *ad Const.* n. 6, 7, 8, et l. *contra Const.* n. 11.

XIII. Tandem iisdem de causis spuria sunt verba illa fragm. ejusdem VI, n. 7 : « Perfidiam autem apud Sirmium descriptam. » Etenim vel nomine Sirmiensis formulæ hic secundam, quæ Osii nomine an. CCCLVII vulgata est, intelligis, vel primam, quæ an. CCCLI contra Photinum scripta est ; nam tertiam, quæ mense Maio an. CCCLIX edita est, nemo, si Valesium excipias, animadv. in Sozom. l. IV, c. XIV, somniavit. Si secundam, ut observat Cl. Petavius in animadv. ad hæresim LXXIII sancti Epiph. pag. m. 317, Basilius, qui Sirmiensi

illi formulæ subscripsisse dicitur, ac Silvanus, necnon et Macedonius ab Epiphanio, cæterisque Semiarianorum principes censentur; quorum adversus Sirmiensem illam professionem acerrima studia, ac contentiones exstiterunt. Neque vero tum, cum ea edita est, Sirmii esse Basilius potuit; imo nec Eudoxius ipse, qui hanc ab Ursacio, et Valente missam Antiochiæ, ubi tum cum suis versabatur, accepit, et a solis Occidentalibus conscriptam esse datis ad illos litteris testatus est. Sed si cum Baronio, et Benedictinis (in hunc Fragmentorum locum) primam intelligis, cave ut Hilarium sui immemorem dicas. Etenim Hilarius in lib. *de Synodis* Sirmiensem formulam vocat quidem *blasphemiam*, sed de ea loquitur, quæ per Osium et Potamium conscripta est. Cæterum primam illam in eodem libro *de Synodis* ut catholicam probat.

XIV. Neque vero probari cuipiam possit quod Tillemontius t. VI, p. 773 et Benedictini loco citato respondent, nimirum Hilarium dum librum *de Synodis* conscripsit, illam formulam excusasse, quod ea Ariani minime abuterentur; postea hos illa abusos, quamobrem eam in *Fragmentis* sanc. episcopum rejecisse, quemadmodum et lib. *cont. Const.* n. 23 illam damnavit his verbis : « Quidquid apud te præter fidem unam (Nicænam) est, perfidia non fides est; » certe autem Sirmiensis illa ecthesis præter Nicænam fidem fuit. Probari, inquam, id cuipiam posse haud crediderim. Namque Hilarius in *Fragmentis* adnotare haud omisisset, cur quam antea defenderat, nunc perfidiam vocaret Sirmiensem formulam. Præterea parum vero similiter fingitur, Arianos post annum CCCLVIII quo scriptus est liber *de Synodis*, illa formula abusos fuisse. Imo si ad ea quæ Seleuciæ et Constantinopoli ab Arianis episcopis, iisque, qui primæ Sirmiensi professioni subscripserant, implacabili odio gesta sunt, animum quis referat; facile intelliget, Arianos adeo illa formula non abusos fuisse, ut illam semper reprobarint. Atque id majorem vim habet, quod circiter annum CCCLX Seleuciense, et Constantinopolitanum illud concilium fuerit celebratum, et Hilarius opus suum historicum magna ex parte absolverit. Demum Hilario adversantur, qui verba illa ex lib. *cont. Const.* de Sirmiensi ecthesi intelligunt, quum in lib. *de Synodis* illam ut Nicænæ fidei consonam defenderit, et Orientales episcopos ejus adsertores adloquens non solum eos num. 78 « studiosos apostolicæ, atque evangelicæ doctrinæ viros appellet, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit, » sed etiam n. 88 dicat : « Unum atque idem pie sapimus, rogo ut unum atque idem quod sapimus, pium inter nos esse velimus. »

XV. Quid plura? ex ipsa objecta sententia manifestissimum est, ibi quoque Sirmiensem fidei professionem ab Hilario probari. Audi Hilarii verba. « Post synodum deinde Sardicensem, omnem rursum adversum Photinum Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam. Sed tibi statim hoc, quod utraque fide continebatur, exhorret. » Recitat deinde verba Can. I Sirmiensis, quæ etiam sunt in Symbolo fidei Philippopolitanæ, seu pseudo-Sardicensis; t. I *Concil.* Hard. col. 681 iisque subjungit : « Tuis ipsis dissides, et adversus tuos hostis rebellas. Novis vetera subvertis, nova ipsa rursum innovata emendatione rescindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suscipis etiam adversum deliramenta Osii, emendationum tuarum damnationes; sed mox emendanda tua omnia esse, vel potius damnanda constituis.... Non calumniamur de rescissis... Taceo cur nostra apud Nicæam a Patribus gesta rescindis... hoc tantum quæro cur tua damnas? Fidem enim unam, et unum baptisma Apostolus prædicat : jam quidquid apud te præter fidem unam est, perfidia non fides est. » Itaque Hilarius duas Sirmienses formulas primo omnium distinguit, ut ex iis verbis constat, « omnem rursum adversum Photinum, » etc., et, « Suscipis etiam adversum deliramenta Osii, » etc.; his enim alter, illis primus denotatur Sirmiensis conventus. Deinde canonem illum Sirmiensem Hilarius probat. Etenim 1° pro *utraque fide* duo manuscripta habent *vera*. 2° Verba illa : « omnem rursum adversum Photinum, Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam; » quid aliud significant, quam Constantium in eo cogendo concilio catholicum se præstitisse? id autem qui dici potuisset ab Hilario, si fidei professionem ibi editam Arianam perfidiam existimasset? Neque obstat, quod synodus illa Sardicensis fuerit Arianorum conciliabulum; professio enim fidei ibi conscripta dubio procul Hilario probata est in libro *de Synodis*, n. 35. Quid igitur verba illa significant : « jam quidquid apud te præter fidem unam est, perfidia non fides est? » Nihil aliud prorsus, quam Constantium nullius esse fidei; id enim optime ex præfatis verbis descendit. Ostenderat enim imperatoris inconstantiam in suscipiendis, et rejiciendis

fidei formulis; mox subjicit illud Apostoli: *Fidem enim unam*, etc.; quid hinc fit, nisi non fidem esse Constantii fidem, sed perfidiam? Et vero iis verbis, « præter fidem unam, » Nicænam fidem intelligi non posse, ex eo constat, quod paulo antea dixerat Hilarius: «Taceo cur nostra apud Nicæam a Patribus gesta rescindis;» quomodo enim apud eum Nicæna fides esse poterat, qui Nicæni concilii acta resciderat?

CAPUT VI.

Faustini, et Marcellini, Hieronymi, Philostorgii, Sozomeni, Auxilii, Petri Damiani, aliorumque recentiorum testimoniis fit satis.

I. Gravissima, quæ opponi possint, diluimus testimonia. Leviora breviter sunt expendenda. Ac primum sit Faustini, et Marcellini presbyterorum in præfatione ad *Libellum precum* Valentiniano, Theodosio, atque Arcadio ab ipsis oblatum, qui primum a Sirmondo ex tenebris erutus deinde in Bibliothecam PP. illatus est t. V edit. Lugd. pag. 652 et tomo I operum ejusdem Sirmondi, edit. Paris, MDCXCVI. Ibi hæc ad rem nostram leguntur. « Post duos annos venit Romam (Constantius): pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. » Quid ad hæc? Dico 1° cum Sollerio, t. VII, Jul. ad diem 29, in *Comm. Critico de S. Felice papa*, § I, graviter hallucinatos fuisse viros cæteroqui emunctissimæ naris Baron. ad an. CCCLXVII, n. 14; Papebrochium in *Conatu*, diss. IX, p. 53, Christianum Lupum, t. V operum, edit. Venetæ MDCCXXV, p. 380; Mazochium in *Calendario Neapolitano* aliosque, dum eam præfationem eorum presbyterorum esse opus crediderunt. Etenim ea præfatio nihil commune habet cum Libello, ut etiam observavit Tillem. t. VII, adnot. V, in Lucifer. Calarit. pag. 767. Deinde, quia cum, ut adnotat Corgnius, pag. 106, præfationis auctor Ursinum, ejusque sectatores schismaticos laudet, quod Liberio semper adhæserint, manifestum fit, ipsum quoque Liberio semper communicasse. At id de Marcellino, et Faustino Luciferianis quis credat, de Marcellino, inquam, et Faustino Luciferianis, qui non ab Ariminensi modo, et Seleuciensibus episcopis, qui utique Liberio (ejus lapsum hic permitto) pejus haudquaquam errarunt, sed et ab iis segregarunt sese, qui cum illis communicabant? Non igitur ea præfatio, in qua Liberius cecidisse fertur, Marcellino, et Faustino tribui potest.

II. Adde 1° ridiculum omnino videri, Libello supplici tantis principibus offerendo præfationem adjicere. Adde 2° impium illum narratorem de Marcellino, et Faustino in tertia persona loqui, quemadmodum et ipse Valentinianus imperator inducitur. Adde 3° orationis principium tam procul accersitum: « Temporibus Constantii imperatoris, filii Constantini, » ut non aliter quis loqui possit de re multis jam sæculis præterita. Quæ omnia si rite perpendantur, fatendum omnino erit cum Sollerio nonnisi totis post ipsos sæculis, humano utrumque capiti cervicem equinam, imo vero monstruosam appingi potuisse. Dico 2° cujus tandem auctoris sit illa præfatio, nullam in iis fidem mereri, quæ ad Liberium spectant. Certe de Damaso insigniter mentitur homo impudentissimus; tibi probandum nunc superest, non mentiri de Liberio. Quod etiam intellige, etsi Marcellinus et Faustinus ejus revera præfationis auctores forent; quis enim credat hominibus schismaticis, et qui vel ipso Lupo adsentiente, plura mentiantur? Dico demum 3° nihil in iis verbis esse, quo Liberii casus probari possit, siquidem presbyteros illos præfationis auctores volumus. Quid enim aliud de Liberio dicitur, quam eum *manus perfidiæ dedisse?* At in Marcellini, et Faustini phrasi id non subscriptionem cujuspiam suspectæ formulæ, aut Athanasii damnationem significat, sed tantummodo facili nonnihil in Arianos animo Liberium fuisse. Profecto Damasus nulli hæreticæ formulæ subscripsit, Athanasium non damnavit: de Macario tamen presbytero Luciferiano, qui se a Damasi communione sejunxerat, loquentes, « Presbyter, inquiunt, memor divini judicii, præsentem judicem non timens, perfidiæ communionem repulit. »

III. Atque ex his constat, quid respondendum iis, quæ Onuphrius Panvinius in suis ad Platinam notis adlegat ex vetutissimo, ut ait, registro monasterii Sanctæ Crucis de Avellana Eugubii reperto; illa enim ex mendacissima hac præfatione desumpta sunt, ut ea cum præfatione conferenti constabit Adde quod, ut V Cl. Godefridus Henschenius dili-

genter animadvertit t. III April. in Append. ad diem 25, pag. 1001, n. 17, saltem octingenti tunc elapsi erant anni ab obitu Liberii, adeoque scriptum illud Avellanense respectu rei tanto vetustioris, non debuit vetustissimum vocari. Sed de Marcellino, et Faustino satis. Hieronymi testimonia ad sese animum vocant; alterum ex libro *de Script. Eccles.*, alterum ex *Chronico* desumptum; hic enim « Liberius, inquit, tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit; » ibi vero: « Fortunatianus natione Afer, Aquileiensis episcopus, imperante Constantio... in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit. » Atque hæc quidem testimonia eo majorem vim habere videntur, quod cum νοθείας argui nequeant, a viro sanctissimo, atque doctissimo profecta sunt.

IV. Nihilominus quid vetat, a Doctore maximo in re historica reverenter recedere, atque eum falsis rumoribus deceptum dicere? Id sane multa argumenta suadent. Eum namque nimiæ credulitatis vitio interdum laborasse, inficiari quis possit, si oculos ad ea converterit, vel quæ in chronico de Cyrillo Hierosolymorum antistite, ejusque ordinatione adnotavit, vel quæ ex incertis vulgi rumusculis adversus sanctum Johannem Chrysostomum veluti Origenistam, ac flagitiosum hominem scripsit ad Theophilum, ep. LXXXVIII in Martianæi editione? Sed ut propius ad rem nostram veniamus, nonne vir fervidæ indolis, et Paulini partibus, a quo fuerat ordinatus sacerdos, omnino addictus, fabulis, quas de magno Meletio Antiocheno episcopo spargebat invidia, nimis facilem præbuit adsensum? Sufficit sane cum certissimis historiæ Ecclesiæ monumentis ea conferre, quæ de sancto illo antistite tradit ipse in *Chronico* V. Bolland. ad d. 12 Februarii in *Comm. Historico de sancto Meletio*, § 2 et 5. Non igitur injuriæ sancto Doctori illatæ postulari debeo, si et in iis, quæ de Liberio scripsit, hallucinatum ipsum fuisse pronuntiavero, præsertim cum utrumque illud opus *de Scriptoribus*, et *Chronicon* in Oriente conscripserit, ubi Ariani, quod ex Sozomeno didicimus n. 21, Liberium *consubstantialis* vocabulum damnasse impudentissimi ac mendacissimi hominum palam deprædicabant.

V. Præterea, quod post Scaligerum adnotat Tillem. t. XII, artic. XX, de sanc. Hieron. p. 53, vix librum invenire erit, cujus tum editiones, cum manuscripti codices imperfectiores sint, ac pluribus mendis scateant, atque Hieronymi *Chronicon*. Sed ea, quæ ad Liberii lapsum adtinent, ab alia recentiore manu prodiisse et illud conjecturæ loco haberi potest, quod epistolarum contra Cl. P. Mansium *de Ratione temporum Athanas.* p. 333, monet eruditus P. Mamachius in vetustissimo nempe Vaticano Hieronymiani Chronici exemplo lapsus ejusmodi ne vestigium quidem exstare. Fortasse etiam in perantiquo Lucensi Codice desiderabatur. Vide Mansium in Natalis Alexandri diss. XXXII, Sæc. IV, artic. 1, pag. Lucensis novissimæ editionis 570. Quid si etiam illud ex Catalogo manifestæ falsitatis arguatur? At id nullius negotii est demonstrare. Sufficit enim duo animadvertere: primum, ante concilium Mediolanense, Fortunatianum fidei catholicæ acerrimum defensorem fuisse: alterum in eo concilio Athanasii quidem damnationi subscripsisse Fortunatianum, non tamen ulli hæreticæ formulæ; imo non minima vi, sed gravibus injuriis tandem adductum, ut cum Athanasio se deinceps polliceretur non communicaturum. Utrumque ex indubitatis monumentis eruitur; primum quidem ex Liberii epistola ad Vercellensem Eusebium, quam ex Vercellensis Ecclesiæ archivo primus omnium eruit Emin. annalium parens ad an. CCCLIV quo scripta est, num. 8, atque inter Romanorum pontificum epistolas recudit Dom. Constantius Paris. MDCCXXI, col. 428 Ibi enim hæc scribit Liberius: « Etiam ad fratrem, et coepiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam nec personas hominum vereri, et futura magis præmia cogitare, litteras erogavi, ut et ipse pro sinceritate pectoris, et pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitæ præsentis custodiisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare. »

VI. Alterum vero quod ad Athanasii damnationem spectat nonnisi maxima violentia ab ipso extortam, ex ipso Athanasio colligitur *Apol. ad Const.* 27; quod autem ad illud adtinet, quod de fidei hæreticæ formula ab eo minime subscripta diximus, facile evincitur non modo, quod nullum ex tota antiquitate proferri possit monumentum, quod Fortunatianus Arianæ, aut Semiarianæ hæresi nomen dedisse convincatur; sed etiam ex Sulpicio Severo, qui l. II de Mediolanensi Arianorum conciliabulo agens, Dionysium Mediolanensem, Rhodanum Tolosanum aliosque testatur Arianis recepisse, in Athanasii damnationem

se consensuros, *dummodo de fide inter episcopos quæreretur;* hanc autem legem Arianis displicuisse; quamobrem illos in exsilium pulsos esse, quod Athanasium damnare noluissent, « cum tamen... parati essent, Athanasium a communione suspendere, modo ut de fide inter episcopos quæreretur.» Jam vero quis credat, Fortunatianum potuisse eo concilio vix soluto, nam tunc Liberius in exsilium profectus est, fidem tam impie probare, ut Liberium ad subscriptionem hæreseos sollicitaret, atque compelleret ?

VII. Philostorgius quoque Liberii lapsum refert l. IV, c. III; sed quis ejus hominis auctoritate moveatur, qui non *impius* solum, *mendacissimus, impius mendaciorum artifex* a Photio suo Epitomatore centies dicitur, sed etiam Arianus fuit, et ipse proinde ad indolem sectæ comparatus ? Satis sit adnotare verba, quibus eum Pontificis casum describit: « Tunc etiam eumdem Liberium, et una cum illo Osium episcopum, contra consubstantialis vocabulum, et contra Athanasium subscripsisse ? » Audin' ? *contra consubstantialis vocabulum?* En Arianorum fabellas a Sozomeno l. IV, c. II memoratas. Quoniam vero Sozomeni mentio facta est, evellendus ex quorumdam animis est scrupulus, quo ex Sozomeni auctoritate tangi possent. Itaque assero, Sozomenum adeo Liberii causæ non adversari, ut potius faveat. Etenim ex l. IV, cap. XV Basileensis edit. an. MDXLIX et Vales. refert, Liberium fuisse Berœa Sirmium ab imperatore accersitum, moxque tentatum, « ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur.» Addit episcopos Arianos « cum ea, quæ contra Paulum Samosatensem, et contra Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent, perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli consubstantialis propriam hæresim stabilire conarentur,» dedisse operam, ut Liberius, et Athanasius, aliique consentirent. Denique Arianos ait sparsis rumoribus divulgasse, « Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri; » Liberium vero, ubi id cognovit, edidisse formulam, «qua eos qui Filium secundum substantiam, et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. »

VIII. Age jam. Ostende hic de Athanasio per Liberium damnato verbum unum. Ostende a Liberio rejectum *consubstantialis* vocabulum. Habemus Arianorum figmenta egregie ab ipso Liberio difflata : nihil vero aliud. At Valesius quod diximus num. superiore, Arianos « dedisse operam, ut Liberius, Athanasius, aliique consentirent, » interpretatur *effecerunt.* Scio, sed æquivocum hocce verbum *efficio* non alium apud ipsum Valesium sensum habere potest, ac verbum *do operam, curo;* non solum quod hoc proprie Græco verbo παρασκευάζω respondeat, sed etiam quia alias Athanasius quoque illam ecthesin amplexus fuisset; quod nemo hactenus dixit. Cæterum etsi Sozomenus Liberium cecidisse adfirmaret, non admodum ejus auctoritas nos urgeret, hanc enim de Liberio narrationem fabellis inspersit, quæ omnem ipsi adimunt fidem. Quid illud, quamque a fide alienum est episcopos Sirmienses in litteris ad clerum Romanum postulasse, « ut ambo (Liberius et Felix) apostolicam sedem gubernarent, » imo et ambos Ecclesiam aliquandiu administrasse, quod ea verba procul dubio significant? « Post hæc vero cum Felix modico tempore supervixisset, Liberius solus Ecclesiam administravit. »

IX. Habes ex his, quid de Nicephori mente, et auctoritate statuendum sit, quippe qui l. IX, c. XXXVII, Sozomenum pene exscribat. Auxilii vero l. I *de Ordinationibus Formosi*, c. XXV, Petri Damiani, aliorumque recentiorum scriptorum testimonia non moramur. Etenim nimis a Liberii temporibus distant, ut hac in re audiri mereantur, præsertim cum evidens sit, eos deceptos fuisse a pseudo-Anastasio, de quo paulo post disseremus. Sufficit nobis, neminem ex coævis, aut pene synchronis, iisque gravioribus scriptoribus Liberii lapsum adfirmare, plures negare, quod hactenus ostendisse nobis videmur. Supersunt nunc enodandæ leves aliquæ difficultates, quæ ex Pontificali Damasi, aliisque ecclesiasticis libris peti possunt, uti et ex Felicis pontificatu. Item responsa quædam enervanda, quibus argumenta nostra infirmari possent : quod quidem tribus sequentibus capitibus præstabo.

CAPUT VII.

Quæ ex Pontificali, aliisque ecclesiasticis libris peti possunt argumenta ad lapsum Liberii stabiliendum enodantur.

I. Pontificalis nomine intelligo Romanorum Pontificum Vitas, quæ olim Damaso, nunc vulgo Anastasio tribuuntur. Ibi autem t. III Blanchinianæ Anastasii editionis Romæ MDCCXXVIII, pag. 11, hæc reperies de Liberio. « Consensit præceptis Constantii, ut una participatio conveniret communionis cum hæreticis tantum ut non rebaptizarent. » Sed levis nimium est hujus libri auctoritas, hac saltem in re, qua de agimus. Eum enim librum neque Damasi, neque Anastasii esse, Schelstratii, Ciampini, Labbei, Blanchini, et omnium fere eruditorum sententia est. Itaque non aliam fidem ea verba merentur, ac eam, quæ fontibus ipsis habenda est, ex quibus auctor ejus libri (quisquis ille est) ea hausit. Hausit autem dubio procul ex duobus Catalogis, quos ab Henschenio tomo I Aprilis præfixos in suo *Propylæo* recudit Daniel Papebrochius. At ex primo antiquiore nihil ad Liberii lapsum pertinens depromere auctor ille potuit, cum in eo initium solum pontificatus Liberii adnotatum sit.

II. Superest igitur, ut ex secundo Catalogo, qui ad sextum sæculum dubio procul spectat, cum in Felice Joannis I successore desinat, qui anno DXXIII Romanam Ecclesiam administrare cœpit. Verumtamen etsi secundum hunc catalogum maximæ esse fidei concedo, nullam tamen hoc in loco mereri contendo; textum enim ab sciolo quopiam vel ex actis apocryphis, vel ex falsis rumoribus interpolatum fuisse non modo ea probant, quæ de Sinuessana synodo, Inventa Cruce, Julii Papæ exilio, aliisque id genus in Silvestro, cæterisque pontificibus leguntur, sed ea ipsa verba, quæ numero superiore recitavimus, quæque præcedunt: « Et fecit concilium Felix (hunc presbyterum fuisse paulo antea dictum fuerat) et invenit duos presbyteros consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursacium, et Valentem, et exegit eos in concilio XLVIII episcoporum. » Quid enim commentum illud de dogmate rebaptizantium a Constantio, Arianisque inducto? cujus nemo uspiam meminit. Quid etiam illud Felicem fuisse presbyterum, cum tantum diaconus fuerit? Deinde, inquit Papebrochius in *Propyl.* diss. X, pag. 57, vigilabatur intentissime in omnes catholicorum episcoporum damnationi Athanasii subscribere recusantium actiones: ac forte vix unus alterve in Italia supererat, cæteris in exilium actis, qui impiæ sententiæ non subscripsisset: quomodo igitur ad concilium contra Arianos habendum convenissent Romam *Episcopi quadringinta octo?* Mitto alia, quæ apud eumdem Papebrochium videri possunt, et nonnulla quæ in caput sequens commode transferimus.

III. Hæc vero, ut optime advertit Bencinus, Liberii actis adsuta videntur ex Actis sancti Felicis, uti et ex Actis sancti Eusebii presbyteri, quæ olim a Bonino Mombritio edita, ad quatuor vetustissimos mss. codd. recensita, et emendata rursum emisit Baluzius t. II *Miscell.* p. 141 et notis illustravit ibid. p. 496 et seqq. Quodnam vero de his Actis judicium ferendum sit, præter ea, quæ hactenus diximus, quæque sequenti mox capite disseremus, ex his collige. 1° Hic fingitur, Constantium cum Liberio, et Eusebio Romæ eodem tempore fuisse; cum tamen id falso falsius sit; ut enim observat Sollerius t. III Aug. p. 167, n. 8. advenit Constantius triumphabundus in Urbem sub finem mensis Aprilis an. CCCLVII; unde, mora exigua interposita, Maio ejusdem anni exeunte, Mediolanum digressus est, tum quando Liberium necdum ab exilio Romam rediisse, constans est chronologorum sententia, ut proinde eo anno simul esse Romæ non potuerint; multo minus autem anno insequenti CCCLVIII quo ab exsilio reversus est Liberius, tum nempe dum ab Urbe procul aberat imperator Constantius. 2° Cui stomachum non faciat hæretica illa, et amarulenta Liberii cum Eusebio collocutio, qua Liberius ad communicandum cum Constantio Eusebium permovere conatur? 3° Dicitur Damasus mortuum Liberium facta synodo cum episcopis XXVIII et presbyteris XXV damnasse; quis autem hujus usquam meminit synodi? imo vero qui Damasus Liberium damnare poterat, qui apud Theodoretum, ut vidimus cap. III, num. 4, Ariminense concilium reprobavit, quod Liberii sententia a synodi Patribus expetita non fuisset. Itaque hæc Acta non correctione tantum indigere videntur, quod ait Sollerius; sed penitus negligenda, quod Tillemontio visum est t. VI, not. LIX, in Arian. p. 776 et seqq.

IV. Atque ex hujusmodi Actis in Adonis

Martyrologium, ejusque perpetuum exscriptorem Notkerum profluxere, quæ ibi ad XIV Augusti leguntur: « Natale sancti Eusebii presbyteri, et confessoris, qui præsente Constantio cum fidem catholicam constantissime defenderet, et Liberium papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, » etc. Verum id mirum esse non debet; ea enim suo *Martyrologio* inseruit Ado, quæ in *passionum*, ut ipse in Præfatione ait, seu Actorum Codicibus invenit, diligentiori ad critices regulas examine misso. Cæterum neque olim apud Usuardum, neque hodie in Romano Baronii *Martyrologio* illa leguntur. At, inquies, illa Adonis verba olim in Romano Breviario exstabant. Non inficior. Ipse illa legi in Breviario Gothicis, ut vocant, characteribus impresso Venetiis anno MCDLXXXII, quod in Romani nostri Collegii Bibliotheca adversatur, pag. 284. Sed quid tum? Post Pii V aliorumque Pontificum correctiones a Breviario ablata sunt. Finge etiam hodieque in Breviariis exstare. An ideo piaculum erit, hæc supposititiis narratiunculis accensere? « Nimia profecto, inquit magnus Papebrochius in *Propyl.* pag. 52, n. 3, simplicitate peccant, qui scandalizantur, quoties audiunt, aliquid ex jam olim creditis, et juxta Breviarii præscriptum hodiedum recitandis, in disputationem adduci. Id enim si male nunc fieret, factum etiam male fuisset ante hac, in iis quæ postea mutata, expunctaque fuerunt. » Videsis eumdem Papebrochium in Respons. ad exhibitionem errorum tum artic. 9, § 3, cum artic. 17; Guidonem Grandum in *Dissertat. Camaldulens.* diss. III, c. VIII; Bollandianorum Apologiam adversus Fratrem Anonymum pro Comment. prævio ad Vitam sancti Dominici, et ea quæ nos ipsi de Breviarii auctoritate adnotavimus in Dissert. *de Inventione sanctæ Crucis.*

V. Quæres, cur a Baronio omissus fuerit Liberius in *Martyrologio*, siquidem a lapsus nota immunis est? Resp. me id miraturum, etsi Liberium imperatoris voluntati tandem acquievisse sentirem. Etenim (quod cap. I ostendimus) post reditum ab exsilio, quidquid humanitus passus fuisset, præclara, quam suscepit, fidei defensione satis diluisset. Neque vero hæc Baronium latere potuerunt, uti ne egregii illi quidem tituli, quibus Liberium demortuum gravissimi, sanctissimique Ecclesiæ Patres condecorarunt. Quamobrem nescio quid singularis prudentiæ in eo Bailletus ad 23 Sept. videri sibi visus sit, quod Baronius Liberii nomen ecclesiasticis tabulis minime adscripserit. Cæterum ratio in promptu esse potuit, quam ne ipse quidem dissimulavit Bailletus. Nimirum ab Usuardino textu Liberius aberat. At cur omisit Usuardus? Davus sum, non Œdipus. Si tamen conjecturis locus, illud in causa fuisse crediderim, quod Ado, quem, ut erudite ostendit Sollerius in *Præf. ad Martyrol. Usuardi*, cap. III, a. 2, Usuardus præ cæteris consuluit, uti et genuinus Beda Liberium præterierit. Neque obstat, quod idem Usuardus Hieronymi Martyrologium vidisse se dicat, in Hieronymiano vero notetur Liberius 9 cal. Octobris. Namque videre potuit solum Hieronymianum contractum, cujusmodi est Rhinoviense, et Corbeiense, quod idem Sollerius edidit ante secundam partem Martyrologii Usuardini, et a quo Liberii nomen abest.

VI. Ado autem fors prætermisit, quia in Romano parvo, quo se maxime adjutum fatetur in præfat., deerat. Et sane si Romanum Martyrologium, de quo Ado, illud est, quod V. Cl. Rosweidus noster vulgavit, ut adversus Valesii, Florentinii, Saussaii, ac Frontonis conjectationes acerrime defendit Sollerius cap. II citatæ præfationis; in Romano vetere Ado profecto Liberii nomen non legit. Mirum autem esse non debet, a Romano illo Martyrologio abesse Liberii nomen, cum plures sancti Pontifices in eo omissi sint, ut Cletus, Evaristus, aliique. Cæterum Liberius non in Hieronymiano solum Martyrologio legitur, sed etiam in appendice Adonis, in *Martyrologio*, quod Bedæ tribuitur apud Martene t. VI ampliss. Collectionis, pag. 638, in Floro vulgato apud Bolland. t. II Martii, in pluribus Usuardini Martyrologii auctariis apud Sollerium ad diem 23 Sept. Adde Wandelbertum in suo *Martyrologio* metrico, quod circiter annum DCCCXLII composuit, t. V. *Spicileg.* Acheriani, pag. 334. Meminit etiam Rhabanus in suo martyrologio 24 Sept. apud Henricum Canisium, t. VI *Antiq. lect.* pag. 740 vet. edit. Ubi illud obiter animadverte, quam imprudenter Benno Gregorium VII criminatus fuerit, quod ad hæresim confirmandam primus Liberii festum instituerit. Accedit, Liberii festum non in Occidentali solum, sed etiam in Orientali Ecclesia celebre fuisse. Id testatur Martyrologium Copticum, cui Liberius inscribitur 6 Octobris apud Papebroch. in *Prop.* p. 52, n. 4, in f. Testantur Græcorum Menæa, et Synaxarium Basilii Porphyrogeniti, in quibus non sine singulari elogio, nullaque lapsus mentione facta recolitur ad XXVII Augusti.

CAPUT VIII.

Liberii lapsum ex sancti Felicis pontificatu non evinci ostenditur. Dirimitur etiam controversia, an sanctus Felix revera unquam fuerit legitimus Pontifex.

I. His, quæ hactenus de ecclesiasticis libris disseruimus, adfinis est speciosa satis objectio, quæ ex Felicis pontificatu duci potest. Si nimirum Liberius nunquam lapsus est, Felix II antipapa semper fuerit necesse est; at aliquando eum legitimum fuise Pontificem pluribus demonstrat Bellarm. *de Rom. Pont.* l. IV, c. IX; Schelstratius *Antiquit. Ill.* t. I, diss. II, c. IX; et novissime Sollerius t. VII Julii, ad diem 29. Ego tamen his non moveor. Quæro enim ex adversariis, ac Pontificali seu pseudo-Anastasio fidem haberi velint, necne? Utrumlibet eligant. Si tanti apud ipsos est libri Pontificalis auctoritas, nego ex eo, quod Felix antipapa aliquando non fuerit, Liberii lapsum evinci. Audi enim ejus libri verba in Liberio. « Et congregati sacerdotes, et cum consilio eorum Liberius, ordinaverunt in loco ejus Felicem presbyterum episcopum, venerabilem virum. » Quid tum? Censeo, si hæc vera sunt, cum Papebrochio in *Propyl.* diss. IX, n. 6, et Marangonio in *Animadversionibus ad Chronologiam Romanorum Pontificum*, p. 38, Liberium ipsummet, videntem serio ab imperatore, et Arianis agi, neque ullam sibi relinqui spem reditus; quandiu persisteret in proposito, in quo persistere usque ad mortem elegerat, mandasse Damaso, ut rediret, congregatisque sacerdotibus prospiceret Ecclesiæ, idque vel designando disertis verbis Felicem, vel liberam clero electionem remittendo. Hoc autem consilium duplici modo proficisci a Liberio potuit, scilicet vel ita ut ultro abdicante illo, Felix aut alius Pontifex eligeretur; vel more majorum in persecutionibus frequentatissimo, jubente ut pro se ordinaretur episcopus vicarius cum jure successionis, si mori ipsum in exilio contingeret. Habes hic Liberium in fide constantem, habes Felicem legitimum Romæ episcopum, sed Liberii vicarium, quem tamen papam latiore significatione dicere possis.

II. Verumtamen quis fabuloso secundi Catalogi interpolatori credat, tot pene mendacia effutienti, quot verba? Plura superiore capite adnotavimus: duo hic indicanda servavimus. Ait itaque, Felicem in civitate Corana III idus Novembris, occulte juxta muros passum esse, cum multis tamen clericis, et laicis. Sed memor esse debuerat eorum, quæ paulo antea in Liberii vita scripserat, Felicem depositum de episcopatu, habitasse in « prædiolo suo via Portuensi, ubi et requievit in pace IV Kal. Augusti. » Narrat præterea, Felicem declarasse « Constantium filium Constantini hæreticum, et secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi juxta Nicomediam in Aquilone Villa, et per hoc declaratum ejusdem Augusti filii Constantini præcepto, martyrio coronatum fuisse, et capite truncatum. » Quæ falsa esse nemo non videt, inquit Cl. Bencinus tom. III Anast. pag. 27. Etenim anno CCCLI quo Sirmiensis prima formula edita est, *nondum regeneratum* fuisse Constantium disertis verbis adfirmat Hilarius lib. *de Syn.* n. 78, pag. 1194. Catechumenum quoque fuisse an. CCCLV quo Mediolanense concilium celebratum est, narrat Sulpicius Severus lib. II. Demum ab Euzoio Ariano pseudo-episcopo instante morte baptizatum fuisse tradunt Athanas. lib. *de Synodis*, n. 31 et Philostorgius lib VI, cap. V. Conatur quidem Blanchinus iteratum hunc Constantii baptismum defendere; sed illud inficiari non poterit, saltem errasse suum Anastasium, dum scribit ab Eusebio Nicomediensi secundo rebaptizatum; tum enim diem suum obierat Eusebius, et Euzoium Baptismi illius sive primi, sive secundi administrum testanti Athanasio fides denegari non potest.

III. Deinde cum ea Blanchini defensio uni innitatur sententiæ de Constantino Romæ baptizato a sancto Silvestro, iis ipsis momentis, quibus Romanus ille Constantini baptismus a viris gravissimis refellitur, ea quoque infirmatur. V. *Apologiam pro Actis Sanctorum* tom. I Junii. Quid? quod veterum nullus Constantium a Felice fuisse damnatum testatur, imo ipsum fuisse propensissimum in Felicem ex Theodoreto colligitur, et Sozomeno; siquidem Romanis matronis ipsum orantibus, ut Liberium Ecclesiæ Romanæ restitueret, respondit imperator: « altero Pastore civitati opus non esse, quippe cum haberet unum, qui ipsi posset providere, » nimirum Felicem. Imo cum tandem earum precibus delinitus Liberium in Urbem revocare statuisset, ea vidimus lege id fieri mandasse Constantium, ut Ecclesiam communi consilio, et auctoritate cum Felice administraret. Id enimvero jussurum fuisse Constan-

tium quis credat, si fuisset ab ipso damnatus, ob idque illi infensissimus? Quamobrem liceat mihi a pseudo-Anastasio discedere, liceat hominem, ut loquitur Tillemontius, a tota antiquitate desertum deserere, liceat Felicem ex Pontificum numero expungere. Scio equidem, hanc meam sententiam viris cum dignitate, tum sanctitate, tum scientia spectatissimis adversari. Verum etiam pro nobis stant viri doctissimi Onuphrius Panvinius in suis adnot. ad Platinam, Ciacconius in *VitaFelicis*, Christianus Lupus in Dictatum Gregorii VII, t. V operum, p. 381; Dupin *Bibl.* t. II, p. 78; Tillem. t. VI; Baillet ad diem 29 Julii; Natalis Alexander, diss. XXXII in sæculum IV, artic. 3; Fleury, t. III, pag. 556.

IV. Quanquam quid hos memoro? Appellandi erant omnium primi sanctus Augustinus, et Optatus Milevitanus, quorum neuter Felicem legitimum Pontificem agnovit. Ille enim ep. LIII, al. CLXV, n. 2, hic vero l. II *contra Parmenianum*, pag. 76 edit. Moguntinæ anni MDXLIX, Catalogos Romanorum Pontificum ad sua usque tempora deducentes, omisso Felice, solius Liberii meminerunt. Atque hic nota in editione Optati Londinensi anni MLCXXXI legi quidem: « Liberio Felix, Felici Damasus; » sed Mericus Casaubonus, qui illam editionem observationibus illustravit, monet, absentem se fuisse, cum hæc excuderentur, atque non solum imprudente, et invito se, sed et contra fidem exemplaris typographo a se traditi, et omnium Optati editionum, Felicis nomen ab aliquo huc intrusum fuisse. Quod autem ait Henschheniust. III April. p. 1001, n. 20, eorum auctoritatem « non magis movere nos debere contra Felicem, quam contra Cletum ab iisdem præteritum, aut non distinctum ab Anacleto, » pace viri summi dixerim, ad rem non venit. Nam (ut hic de fide Augustino, et Optato circa Cletum habenda non disputem, de quo satis in peculiari dissertatione actum a me est longe dispar in his ratio est. Multis quippe sæculis a Cleto dissiti fuere; at Liberio pene æquales; Optatus quippe circa annum CCCLXX sub Valentiniano, et Valente, sedente Romæ Damaso Liberii successore, suos adversus Parmenianum libros sex elucubravit, quibus postea septimum addidit. August. vero epistolam illam anno circiter CD conscripsit.

V. Felicius ab eorum auctoritate expedire se molitus est Card. Baron. ad an. CCCLVII, n. 67 dicens, obiter cum illa tractent August. et Optatus, atque cursim expediant, eam sedis unius Pontificis, nempe Liberii, factam iterationem, et sedis Felicis temporis distinctionem consulto prætermisisse. Sed quamvis id dici verosimiliter posset, si de Felicis pontificatu constaret; cum tamen dubius saltem is sit, ea dici nequeunt, quin illud ipsum, de quo quærimus, ceu verum turpiter sumamus. Quid? quod etsi id de Pontificibus ab eorum ætate remotis fortasse credibile esset; non tamen de æqualibus, præsertim quum paucis verbis res posset absolvi, « Liberio Felix, Felici iterum Liberius, Liberio Damasus, » neque ipsis de temporis distinctione admodum curandum foret. Nobis itaque, quidquid adversarii obluctantur, nunquam Optatum, et Augustinum eripient. Adde duo argumenta sane gravissima. Primum hoc sit. Felix, Baronio ipso annuente ad an. CCCLV n. 51 in sua ordinatione non fuit verus Pontifex; ab Arianis quippe ordinatus est, ut tradunt Ruffinus l. I, c. XXII, Athanasius *ad Monachos*, Hieron. *de Script. Eccles.* in Acacio, Socrates, l. II, c. XXIX; imo ne a catholicis quidem vivente Liberio legitimo Romano Pontifice ordinari Pontifex legitime potuisset. At ne postea quidem legitimus Pontifex esse potuit. Tum quippe potuisset, cum Liberius a pontificatu decidisset, aut sponte eum abdicasset. At abdicare non potuit; nec enim sic, nisi sacrilege potuisset sedem suam repetere, invito, qui suffectus esset, Felice; quin etiam hoc mortuo opus habuisset, per novam electionem clerique consensum in pristinam restitui dignitatem. Neque vero decidisse dici potest, quem neque hæresim subscripsisse, neque Athanasii damnationi acquievisse, neque cum hæreticis communicasse hactenus ostendimus.

VI. Huic affine est argumentum alterum, quo utitur etiam Natalis. Si Felix legitimus unquam Pontifex fuit, Liberius, qui sua dignitate canonico crimine excidisset, causæ nimirum catholicæ proditione, et communione cum hæreticis, in ipsam restitui non potuisset, nisi sede saltem vacante per obitum legitimi Pontificis. Itaque si Felix fuit aliquando legitimus pontifex, et postea esse desiit, exauctorationem promeritum illum fuisse oportet crimine aliquo, quod post Liberii reditum admiserit. Sed id nemo hactenus inventus est, qui comminisceretur. Quamobrem usque ad obitum, qui in annum CCCLXV incidit, pontifex fuisset, proindeque aut duo simul sedissent in cathedra Petri legitimi pontifices; aut Liberius legitimus pontifex non fuisset: quid vero his falsius? Responderi fortasse possit, Felicem pontificatui ultro cessisse. Sed id gratis om-

nino fingitur. Invitum enim Felicem fuisse satis ostendit Hieronymus, et Prosper, uterque in *Chronico* dicentes, plurimos, qui pejeraverant, reverso Liberio cum Felice ejectos fuisse: quibus concinit Socrates lib. II, cap. XXXVII, his verbis. « Cæterum Liberius haud multo post ab exsilio revocatus, sedem suam recepit, cum populus Romanus seditione facta Felicem Ecclesia expulisset, et imperator licet invitus assensum illis præbuisset. »

VII. Neque propterea quidquam Felicis sanctitati detractum volumus. Absit. Cum sancti sunt, qui publicani fuerunt; sancta mulier « quæ erat in civitate peccatrix; » quid absurdi, sanctum esse, qui antipapa fuerat? Certe Felicem cum Arianis communicasse ne ipsi quidem inficiari possunt adversarii. Quod si hocce peccatum ejus sanctitati non officit, cur alia oberunt? Retractare ea potuit, quæ prius gesserat. Atque hujus quidem argumentum non contemnendum singularis ipsius ad obitum usque per annos plusquam octo modestia, qua in humili recessu continuit sese, nunquam de recuperanda sede cogitans, postquam id sine rei christianæ discrimine fieri non posse intellexerat. Nolim tamen vas esse, quod martyrii palma insignitus fuerit, quidquid Sollerius dicat. Sed quoniam id perpendere ab instituto nostro perquam alienum est, vide Papebrochium in *Propyl.* diss. X et Tillem t. VI, adnot. LX *in Arianos*, p. 778 et seqq.; a quibus tamen in eo dissentio, quod spuriæ, mendacissimæque Marcellini, et Faustini præfationi nimium tribuant.

VIII. Porro unam Felicis sanctitatem ad summum probant, quæ ex officio legendo ad missam sancti Felicis, quod in Sacramentario, et Antiphonario sancti Gregorii Magni videre est ad IV kal. Augustas, objicit Bellarminus, quæ Sollerius tum ex Sacramentario Tolosano, ubi in litaniis antiquissimis inter alios sanctos pontifices sic invocatur Felix: « Sancte Felix Apostolice, ora; » tum ex pervetusto kalendario Romano Frontonis, ubi sic legitur: « Die 29 (Julii) natal. sanctor. Felicis papæ, Simplicii, Faustini, et Beatricis via Portuense, » tum demum ex Martyrologiis Adonis, Rabani, Notkeri, Usuardi et Romano tum recentiore Baronii, cum parvo Rosweidi, in quo disertissime leguntur hæc verba: « Romæ, Felicis papæ, et martyris sub Constantio. » Dixi *ad summum.* Etenim quod ad Sacramentarium sancti Gregorii spectat, Sacramentarium Tolosanum, et Kalendarium Frontonis, fortassis non improbabiliter Natalis, et Tillemontius ea verba de sancto Felice I intelligunt, præsertim cum ea verba æque Felici I aptari possint, qui et pontifex et apostolicus et martyr fuit sub Aureliano; imo si sanctus Felix, qui ibi memoratur, ille sit, qui Liberio propter fidem exsule in Sedem Romanam intrusus est, Felix primus, quem sanctum, et martyrem Ecclesia universa agnoscit, nullum in antiquioribus sacris Fastis locum obtineret. Quod vero ad martyrologia adtinet, non desunt viri gravissimi, qui etiam in Martyrologio Romano aliquem adscriptum esse, qui sanctus non sit, adfirment. Sic ut mittam in Romano Martyrologio anni MDLXXX, imo et in prima editione ejusdem a Baronio curata ad diem 24 Januarii factam fuisse commemorationem sancti Xynoridis martyris ex male intellecto Chrysostomo, qui hom. XIV *de Lazaro* Xynoridis nomine appellativo par martyrum indicat; etiam post correctum secundo a Baronio martyrologium Theodorus Laodicenus nuntiatur in sacris tabulis ad 2 Nov.; quem tamen Arianum obiisse probant Valesius in *Notis ad Eusebium*, p. 317, Florentinius *ad Martyrol. Hieronymi*, pag. 497 et 498, Pagius ad an. CCCXVIII, num. 17 et 18, et Bollandiani t. VI Junii, p. 24 et t. II, parte II, p. 645, frustra oppugnati a fratre anonymo in amarulentis, imperitisque litteris, quæ *Viris pacificis* inscribuntur die 20 Jan. MDCCXXXV.

IX. Cæterum ex his omnibus, uti dicebam, sola sanctitas Felicis argui potest. Etsi enim in iis Martyrologiis Felix dicatur pontifex, et martyr, parvi refert. Non loquor de *Martyrologio* Adonis, Notkeri, et Rabani, in quibus legitur fabula Constantii ab Eusebio Nicomediensi rebaptizati e cœnosis fontibus supra indicatis dubio procul hausta. In Romano Martyrologio sistamus, cujus licet non negem aliquam esse auctoritatem, nolim tamen in iis, quæ ad topographiam, chronologiam, et historiam pertinent, tantum ei tribuere, quantum pii quidam viri videntur tribuere; ut enim optime animadvertit V. Cl. Honoratus a S. Maria, t. II, l. I, diss. II, a. 5, § 3 sub finem, neque Ecclesia Romana, neque aliæ particulares Ecclesiæ unquam se in eo implicarunt, ut nihil ponerent in calendariis, martyrologiis, et breviariis, quod non esset extra omnem dubitationem. Innumeris id exemplis demonstrari posset, quæ quisque facile adnotare poterit, modo cum Romano Martyrologio *Acta sanctorum* a Bollando, ejusque continuatoribus summo studio illustrata conferre velit. Ut ipse unum alterumve

subjiciam, quem ætate hac nostra invenias vel mediocris notæ chronologum, qui adversante Martyrologio Romano ad 24 Decembris, aut cum Henschenio, Norisio aliisque quinque ipsis annis, aut cum Petavio quatuor saltem annis æram vulgarem non antevertat? Quæ 26 Martii de sancto Eutychio subdiacono martyre Alexandriæ Ægypti dicuntur, aperte refragantur Athanasio in epist. *ad Solitarios,* seu in *Historia Arianorum*, quam tamen unam Baronius in notis ad eum locum citat; Martyrologium quippe Eutychium *gladio cæsum* dicit cum aliis, cum Athanasius ibi col. 380, n. 60, referat, Eutychium, *ex dolore vulnerum in itinere decessisse*, imo ex tota Athanasii narratione nullum in ea Arianorum persecutione gladio cæsum certo habeamus. Scio etiam plerisque eruditis viris, qui studio partium minime ducuntur, prorsus displicere quæ 9 Octobris de uno eodemque Dionysio Areopagita, et Parisiensi dicuntur. Sed de his satis. Vide, si lubet, Lucæ Holstenii viri clarissimi litteras Romæ anno MDCLVIII ad eruditissimum Florentinium datas, ipsumque Florentinium in admonitionibus præviis ad vetustius occidentalis Ecclesiæ Martyrologium admonit. XI, uti et Papebrochium in Respons. ad artic. 18, pag. 340 ad 360.

X. Sed audiamus, quæ adversus nostram de falso Felicis pontificatu sententiam Bellarminus, cæterique opponunt. Hæc autem, si spuria sancti Eusebii, ipsiusque sancti Felicis acta, Anastasium, et Martyrologia demas, de quibus hactenus disseruimus, ad duo veluti capita revocari possunt. Primum est, Felicem papam sancti Gregorii atavum ab antiquissimis scriptoribus, Johanne Diacono l. I *de Vita sancti Gregorii,* cap. I et Leone Ostiensi l. I *Chronici Cassinencis,* c. I, dici Felicem papam IV. Porro quartus hic esse non potuisset, nisi Felix, de quo disputamus, secundus fuisset. Alterum est historia, quam refert Baroniusad ann. CCCLVII, n. 63, his verbis: «Accidit, ut temporibus pontificatus Gregorii XIII (annus is fuit MDLXXXII), dum de emendatione Romani Martyrologii a viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conventus, et de Felice non levis controversia incidisset, expungendusne esset... et ego in eam sententiam pedibus irem, ut Felicis nomen expungendum esset : accidit plane veluti divino miraculo, ut cum in diaconia sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani in foro ad templum Pacis posita, quidam male consulti, sed non sine divina providentia, clam altare unum a dextris positum suffoderent, ut thesaurum invenirent, quem acceperant, nescio quo revelante, ibi esse repositum, in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ invenirentur reliquiæ sanct. martyrum Marci, atque Marcelliani, et Tranquillini; in altero vero latere corpus sancti Felicis, de quo agimus, una cum lapideo laterculo ibidem intus posito hisce litteris exarato : *Corpus sancti Felicis papæ, et martyris, qui damnavit Constantium.* » Hæc Baronius, quibus addi potest, a Theodoreto l. II, c. XVII, Felicem legitimum papam agnitum fuisse, cum dicat: « Successum est Liberio a fideli quodam ejus diacono, nomine Felice, qui fidem in concilio Nicæno expositam servavit integram. »

XI. Facile tamen hæc corruunt. Dico enim, Johannem Diaconum, qui nono sæculo, Leonem Ostiensem, qui duodecimo floruit, aliosque, qui Felicem sanc. Gregorii Magni atavum anno DXXX demortuum Felicem IV nuncuparunt, ex libro Pontificali deceptos fuisse. Neque id mirum. An non enim Martinus *quartus* dicitur, qui dicendus erat *secundus ; quintus*, qui *tertius?* Certe Martinus secundus, et tertius non Martini fuerunt, sed Marini primus, et secundus, ut videre est apud Papebrochium in *Propylæo*, parte I, pag. 142 et 159. Huc spectant, quæ animadvertit V. Cl. Franciscus Pagius in *Breviario gestorum Pontificum Romanorum*, ubi de Benedicto X pseudo-papa hæc adnotat, n. 3. «Licet autem Benedictus omni honore sacerdotali depositus fuerit, et ad solam laicam communionem admissus ; quia tamen Benedictus, qui sæculi XIV initio creatus est pontifex, Benedicti XI nomen sumpsit, hic antipapa dicendus fuit Benedictus X; ex quo et intelligimus, summopere hallucinatos viros eruditos, qui Leonem VIII verum pontificem credidere, et quod sanct. Leo non se Leonem VIII, sed Leonem IX appellarit. » Cæterum quem, si Felix noster dicatur secundus, vocare oportet Felicem III, secundum appellat Onuphrius, et Eminent. Bona *Rerum liturgic.* l. II, c. II. Ad inscriptionem quod attinet, Christianus Lupus pag. 380 respondet his verbis : « Contra tanti pontificis (Gregorii XIII) judicium ego nolim sentire, longe minus scribere. Interim est nodosa quæstio. Nam et Juliano episcopo Celianensi, ob defensam pertinacissime Pelagianam hæresim, et per Romanam Ecclesiam, et per Ephesinam synodum degradato, discipuli et fautores posuerunt hocce epitaphium : *Hic in*

pace quiescit Julianus episcopus catholicus. Et ex ipso quidam conati sunt lavare istum Æthiopem. » Vah! imprudens dictum, sed eo theologo omnino dignum, qui casuistas Arnaldo, et Paschali inimicos cane pejus et angue aversaretur.

XII. Respondeo igitur, eam inscriptionem valere plurimum ad sanctitatem hujus Felicis probandam, cum ex ea appareat, Ecclesiam illum per annos plurimos coluisse : at parum efficaciter exinde probari posse legitimum ejus pontificatum. Ea quippe inscriptio (quod observarunt Papebrochius, Natalis Alexander, et Tillemontius) non est IV sæculi, sed haud dubie accepta est ex catalogo pontificali, qualem jam inde a sæculi VI initio, cum istis figmentorum laciniis descriptum fatemur. Quod enim in ipsa legitur, Felicem damnasse Constantium, falsum esse jam ostendimus. Neque mirum, quod ab aliquibus ignaris, dum illic sanctum corpus conderetur, ea in hunc modum elaborata sit; cum innumera his monstris similia simplex antiquitas peperit. Ea vero, quæ ex Theodoreto objiciebantur, uno halitu difflantur, si dicas cum Natali, Theodoretum ibi successoris nomen improprie, et late sumere : quo sensu qui post alterum aliquam ad dignitatem promovetur, sive jure sive injuria, sive illam usurpet, vel in eam intrudatur, sive ejus insignia legitime accipiat, illius successor dici solet. Agnoscit namque Theodoretus, Felicem Arianorum factione fuisse in Sedem Romanam intrusum, et eorum communione maculatum; hæc namque subdit : « Tamen cum illis, qui eamdem labefactare studebant, libere communicavit; ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam dum ille intus erat, ingredi voluit. »

XIII. Difficilius, ut nihil dissimulem, illud est argumentum, quod Marangonius urget, in orbiculis nempe Ostiensis Basilicæ, in quibus picta primum quinto sæculo Romanorum pontificum chronologia, Felicem pontificibus adnumerari. Enimvero et ipse *Hist. Litter. Ital.* t. V, p. 567, conjeci, anno circiter CDXVII, sexagesimo fere post Felicis obitum imagines illas fuisse elaboratas. Æqualis igitur temporum ferme est pictus ille orbiculus. Ego tamen dum et Felicis sanctitatem iis temporibus, fortasse etiam martyrium divulgatum fuisse, et falsos de Liberii lapsu per Italiam late disseminatos rumores animadverto, facile patior mihi persuaderi, pictorem, aut eum, qui operi præerat, existimasse bene mereri se de Romana Sede, si sanctum illum legitime Ecclesiam administrasse posteros edoceret. Sed est alia difficultatis hujus evadendæ ratio, Felici ipsi satis gloriosa. Antipapam fuisse illum docuimus, quod nempe contra jura ab Arianorum factione perditissima in Petri sedem fuerit intrusus. At non is erat Felix, quem Ariani existimaverant, sed catholicæ rei studiosior, quam fuerant hi opinati. Quamobrem cum Liberius de ejus studiis, constantiaque in fide, a Damaso, qui jam redierat, fuisset per litteras monitus, illum Damasi ipsius, aliorumque hortatu facile a Pontificalis injuria retinendæ cathedræ consilio dimovit, suumque vicarium cum successionis jure constituit. Atque hinc ea originem habent, quæ in pontificali libro narrari vidimus n. 1, etsi fabulis immixta, aut certe vitiata. Quid ergo mirum LX post annis Pontificibus fuisse inscriptum ejus nomen, qui et sanctitatis fama præstabat, et Romanam Ecclesiam ita administraverat, ut Liberio mortuo pontifex cum fuisset renuntiandus, veluti electus pontifex haberetur? Quamobrem notæ illæ Chronicæ, *Sedit annum unum, menses tres, dies tres,* quæ Ostiensi Felicis orbiculo sunt inscriptæ, mea sententia tempus spectant, quo Felix vices Liberii gessit, postquam pontificalem sedem dimiserat.

CAPUT IX.

Leves aliquæ difficultates contra hactenus dicta diluuntur.

I. Post hæc damnari audaciæ non possumus, si Felicem e Pontificum catalogo expungendum statuimus, præsertim cum id dicamus non ad negandam illius sanctitatem, quam ultro concedimus, sed ad fidem Liberii ab omni vel levissimi lapsus suspicione vindicandam. Qua in re honori potius Pontificum, et Cathedræ sancti Petri consulere credimus. Temeritatis tamen notam alia de causa nobis quispiam inurat. Etenim non parum impudentiæ habere videtur historiam communissime receptam negare, cujusmodi est, Liberium in Athanasium damnationis sententiam tulisse, cum Arianis communicasse, formulæ de hæresi saltem suspectæ subscripsisse. Deinde modus ille respondendi, Patrum loca interpolata esse, atque corrupta ad Pyrrhonismum deducit, et omnem historiæ fidem

evertit. Sed hujusmodi tela facile retunduntur. Equidem non inficias ibo, Liberii lapsum ante Corgnium omni diligentia examinatum non fuisse ; sed tamen falsissimum est ab omnibus fuisse semper admissum. Sane Ruffinus, cujus verba initio recitavimus, adserit, se non potuisse certo cognoscere, num revera Liberius lapsus sit ; ac Sulpicium Severum, Socratem, Theodoretum, Cassiodorium aliter sensisse cap. II abunde ostendimus. Sozomenus quoque, ac Nicephorus, de quorum mente actum supra est, testantur, falsos de Liberii lapsu rumores sparsos fuisse. Atque hæc adeo vera sunt, ut Bellarm. l. IV *de Rom. Pont.* c. IX, ingenue fateatur, Sulpitium, Socratem, Sozomenum, et Nicephorum locis notatis indicare, Liberium semper eumdem fuisse, nec unquam de fidei constantia aliquid remisisse. Quod si nihilominus Bellarminus oppositæ sententiæ adhæsit, ab interpolatis falsisque Athanasii, Hilarii, ac Liberii testimoniis deceptus est, ut nostræ sententiæ ipsum victas manus daturum fuisse certum mihi sit, si eorum testimoniorum corruptionem, ac νοθείαν diligentius explorasset.

II. Cæterum quid de sententiæ hujus vetustate disceptem? Cur de numero sectatorum laborem? Quot olim diligentiore inquisitione nondum peracta credebantur, quæ ab eruditis nostræ ætatis vel omnino negantur, vel in dubium revocantur ? Consule, quæso, Acta sanctorum a Bollandianis digesta, atque illustrata, atque illud perspicies, quot pro veris martyrum actis, sanctorumque historiis fabulas venditarit simplex antiquitas. Consule appendices ad nuperas editiones SS. PP. quas Benedictini adornarunt ; intelliges profecto, quamplurima, quæ plurium sæculorum intervallo magnis illis Ecclesiæ magistris fuere adscripta opera, aliis omnino auctoribus esse restituenda. In hæc sæculi nostri luce peculiaria addere exempla supervacaneum omnino est. Nunc quod ad Pyrrhonismum adtinet, vetus hæc est cantilena, qua Germonii nomini invidiam conflare superioribus annis conati sunt Benedictini Congreg. sancti Mauri, nimium ægre ferentes ab juniore Jesuita diplomaticam Mabillonii viri sane doctissimi artem fuisse non contemnendis magnam partem (quidquid Fontaninio, Lazzarinio, aliisque obtrectatoribus visum sit) argumentis infirmatam. Verum legendus Germonius ipse in aureo libro, quem sub annum MDCCXIII prælo dedit, prænotavitque *De veteribus hæreticis ecclesiasticorum Codicum corruptoribus.*

III. Itaque Germonii vestigiis quod ad hoc spectat inhæreo, fateorque lubens eum graviter peccare, qui receptum a majoribus tanquam genuinum opus aliquod, aut sine idonea probatione accusat falsi, aut sine legitima causa suspectum habet : ubi hæc suffragetur, nihil omnino metuendum, nisi ab iis, qui ludicris imaginibus, spectrisque aguntur. Duplex autem causa est præcipua, propter quam antiquorum scriptorum opera dici possunt adulterata, atque supposita : prima, si hujus facti testis dignus producatur ; altera, si libro ad severæ ac prudentis critices normam examinato, hærentia textui fraudis vestigia deprehendantur. Has quidem Germonii regulas carpit Coustantius in libro, cui titulum fecit : *Vindiciæ veterum Codicum confirmatæ*, parte VI, cap. VI. At cum eo potissimum spectet ejus conatus, ut has regulas, si ex Germonii ipsius explicentur factis, quam latissimum Pyrrhonismo campum aperire ostendat ; non admodum de Coustantii animadversionibus nostra in re solliciti esse debemus. Præterea addo factum, quo de agimus, *personale* tantummodo esse, atque ad traditionem minime pertinens. Accedit, nos hac in re diversas, contrariasque inter auctoritates versari, ut necesse sit aut aliquos deceptos, aut aliquos codices interpolatos, vitiatosque adfirmare.

IV. Quid demum nobis adversari possit, non video, nisi forte hæc satis levia objicias : 1° argumentum, quo ad Liberium vindicandum usi sumus, negans esse, quod scilicet Theodoretus, aliique Liberium subscripsisse, et in Athanasii damnationem consensisse haud dicant. 2° Auctores, qui Liberium ab exilio revocatum seditione populi, et matronarum precibus scribunt, iis, qui restitutum Urbi Liberium statuunt ob Athanasium damnatum, facili negotio conciliari posse, si nempe utraque de causa ab exilio redux dicatur Liberius, quarum alteram illi, hi alteram commemorarint. 3° Episcopos Sirmii congregatos, Sozomeno teste lib. IV, cap. XIV et Nicephoro lib. IX, cap. XXXVII, Felici, et clero Romano scripsisse, ut Liberium susciperent ; a vero autem alienum esse, Arianos episcopos Liberii causam acturos fuisse, nisi tandem in eorum partes concessisset.

V. Levia hæc esse nuper monui, neque, immerito. Primum sane (ne de negantis argumenti efficacitate importunam hic disceptationem instituam) ab eo solum opponi potest, qui nostra argumenta non legerit,

Etenim positivis quoque rationibus usos nos esse animadvertisset. Alterum quoque cap. II, num. 4, præclusimus; ex iis enim, quæ ibi adnotabam, constat, duas illas Liberiani reditus causas mutuo sibi adversari. Tertium quod spectat, Arianorum fraudes in ea epistola videre mihi videor. Cum enim Constantium a consilio Liberii Urbi restituendi deduci non posse animadverterent nequissimi homines, simulatione usi sunt, et ut imperatori assentarentur, litteras ad Romanum clerum dederunt. Quid si etiam his artibus rumores augere studuissent, quos de Liberii lapsu antea sparserant, hocque amoris in Liberium sui argumento fraudes tegere? Illud etiam non abs re est, eas litteras forte fuisse consolatorias, forte etiam hortatorias, ut omni studio, et contentione id saltem obtinere laborarent, quod antea adsequi minime potuerant, ut nempe Felix cum Liberio sederet. Neutrum sane ex Sozomeni, et Nicephori narratione falsitatis convinci potest. Sed quocumque tandem consilio hanc epistolam Ariani scripserint, Liberium ob seditionem populi Romani, et matronarum preces ab exsilio revocatum fuisse, certissimis auctoritatibus constat; quod cum pontificis sanctissimi lapsu pugnat.

APPENDIX

SEU DIATRIBA

IN QUA NONNULLA PETAVIANARUM DE SIRMIENSI SYNODO DISSERTATIONUM LOCA EMENDANTUR, ILLUSTRANTUR, VINDICANTUR.

I. Hactenus commentitium Liberii lapsum ostendimus. Nulla tamen ad id nos coegit necessitas. Nam quod hinc Pontificiæ dignitatis, imo et Romanæ Ecclesiæ osores accersunt suæ in contemnendis Pontificum Romanorum constitutionibus impudentiæ præsidium, nullo ex his, quæ Petavius noster ad purgandum Liberium adtulit, quæque nos adnotavimus ad primi *de Trinitate* libri caput IX, negotio potest everti. Unum id restat, ut quæ Petavius de Sirmiensi synodo adversus Sirmondum conjecit, castigemus aliqua, aliqua illustremus aut vindicemus. Quinque igitur Sirmiensia concilia quod ad præsentem disceptationem spectat, arbitror esse accuratius distinguenda. Primum Occidentis episcopis constitit, habitumque fuit an. CCCXLIX, duobus post Mediolanense annis. Photinus Sirmii episcopus, qui de Christo prave sentiens Pauli Samosateni hæresim instauraverat, eaque de causa aliis in synodis fuerat anathemate perculsus, ibi quoque damnatus est; cum tamen sede sua ejici non potuisset, satis Occidentabibus episcopis fuit, sententiam, quam adversus illius errores tulerant, Orientalibus episcopis significare.

II. Alteram Sirmiensem synodum habuere Orientales episcopi per imperatorem Constantium coacti an. CCCLI. In ea Basilius Ancyranus cum Photinum hæreseos convicisset, ab episcopis impius homo depositus est, atque imperatoris auctoritate in exilium pulsus. Sirmiensem hanc synodum a prima anni CCCXLIX diversam fuisse nemo, quod sciam, ante Petavium animadverterat. Jacobus Sirmondus quidem in *Diatriba* I *Sirmitana*, quæ hac super re docuerat vir eximius Petavius in animadversionibus suis ad Epiphanium, convellere conatus est, ac Baronii sententiam de unico Sirmiensi concilio anni CCCLVII nervis omnibus stabilire contendit. Sed Sirmondi *Diatribam* solide confutavit Petavii dissertatio *de Photino hæretico, ejusque damnatione;* et quanquam Sirmondus novis animis hanc dissertationem *Diatriba* II *Sirmitana* adgressus sit ad refellendum; Petavius tamen in *Elencho Diatribæ utriusque*, qui tomo IV operum Sirmondi, et tomo III *de Doctrina temporum* edit. Antuerp. MDCCIII, atque hic tertium editus est, adversarium suum fregit, atque prostravit; ut mirum non sit, viros quosque doctissimos, Dupinium, Natalem Alexandrum, Tillemontium in Petavii sententiam concessisse. Non inficior tamen, humani aliquid passum esse Petavium, dum Mediolanense concilium anni CCCXLV cum eo confudit, quod duobus post annis in eadem urbe celebratum est. Sed cum hæc ad ea, quæ deinceps disputanda sunt, maxime faciant, aliquanto latius sunt enucleanda.

III. Aio itaque 1° anno CCCXLV Mediolani habitam esse synodum, idque hac ratiocinatione conficio. Anno CCCXLV synodum celebrarunt Ariani Antiochiæ, in qua prolixa fidei formula, quæ μακρόστιχος vulgo cognominatur, est promulgata. Athanasius enim ait libro *de Synodis*, num. 25: « Post hæc (nimirum postquam Narcissus, Theodorus, Maris, et Marcus Arethusanus novam fidei formulam tanquam Antiochiæ conditam ad Constantem pertulissent: quæ legatio in annum incidit CCCXLII), quasi istorum eos pœniteret, post triennium rursus concilium partis suæ congregant (Antiochiæ). » Ex hoc vero concilio Eudoxium, Martyrium, Macedonium Cilicem missos « in partes Italiæ deferentes fidem multis verbis conscriptam, » refert ibidem Athanasius, Socrates lib. II, cap. XIX, et Sozomenus lib. III, cap. XI; qui præterea addit, eam expositionem « Occidentis sacerdotes suscipere noluisse; Decretis enim Nicænæ synodi se contentos esse dicebant, » ac tum demum Sardicensem synodum « ex communi consensu utriusque imperatoris » indictam fuisse. Itaque inter

annum CCCXLV quo Antiochenum concilium habitum est, et annum CCCXLVII quo Sardicense ex vulgata sententia coactum est, synodus aliqua in Italia est celebrata, in qua Antiochenorum formula ab Occidentis sacerdotibus rejecta fuerit; neque enim credibile est, ad singulos in singulis civitatibus fuisse perlatam hujusmodi formulam.

IV. Cur autem Mediolani statuitur, Athanasio, Socrate, Sozomeno silentibus? Cur ipso anno CCCXLV habita dicitur, non autem insequenti CCCXLVI, quod docuit Valesius in notis ad lib. III Sozomeni, cap. XXIII, Sirmondus, Petrus de Marca, et Pagius? Accipe. Exstant apud Baronium ad ann. CCCLIV, Hilarium fragm. V, Coustant. in *Epist. Roman. Pontif.* col. 423, Liberii papæ litteræ *ad Constantium imperatorem,* in quibus ait, Demophilum, Macedonium, Eudoxium et Martyrium *ante annos octo* de concilio Mediolanensi exiisse, et Arii sententiam damnare noluisse. Quæ sane ad Mediolanense concilium, quod post Sardicense celebratum dicemus anno CCCXLVII, transferri non possunt. Hanc enim epistolam anno CCCLIV scriptam invictis argumentis probat Baronius, Sirmondus, et Pagius. Nondum enim tum indicta fuerat Mediolanensis alia synodus, quæ anno CCCLV habita, cujus impetrandæ gratia legati cum epistola Liberii missi sunt, et præterea adhuc in Galliis degebat Constantius, quem sub anni CCCLIV exitum in Italiam ad hiberna discessisse tradit Ammianus lib. XV, cap. IV. Quod si in his Liberii litteris Georgii mentio fit, non is ille Georgius est, qui Alexandrinam sedem invasit anno CCCLVI, sed Georgius Laodicenus Arianus et ipse episcopus in concilio Sardicensi damnatus, et ab Athanasio, aliisque horum temporum scriptoribus sæpe memoratus. Porro ab anno CCCLIV annis octo, quos numerat Liberius, si regrediare, conventus occurret Mediolanensis anno CCCXLV. Nam dum Liberius *ante annos octo* dicit, annos octo completos indicare videtur, proindeque pauci illi menses qui post annum effluxerunt CCCLIII, quo octo illi impleti erant, in hac supputatione vix locum habent. Quod si cum Mansio Sardicense concilium velis an. CCCXLIV coactum, ipso illo anno, sed ante Sardicense, collocandum erit hoc Mediolanense. Vide Mansium tom. I *Suppl. ad Concil.* col. 178.

V. Aio 2° post Sardicense concilium anni CCCXLVII, ipso hoc anno celebratum fuisse Mediolani aliud concilium ex episcopis catholicis, in quo damnatus fuisset. Hanc synodum primus suo anno reddidit Petavius, nequidquam adversante Sirmondo, uti eruditi quique fatentur. Equidem non inficior, in eo hallucinatum fuisse Petavium, quod ad hanc synodum Liberii verba retulerit, quæ procul dubio ad Mediolanense concilium spectant an. CCCXLV; sed errandi occasionem dedit viro doctissimo annus CCCLV, quo Liberii litteras ipse consignabat. Sed adversus Sirmondum, qui Mediolanensem synodum anni CCCXLVII commentitiam ratus est, invictissimum ex eo ducitur argumentum, quod Hilario teste *Fragmento* II « ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur (Sirmii) sacerdotes. » Porro cum Sirmiensis synodus, de qua hic Hilarius, spectet ad annum CCCXLIX, uti mox demonstrabitur, quæ biennio Sirmiensem præcessit Mediolanensis, in annum CCCXLVII transferenda est. Cur vero post Sardicense concilium collocetur a nobis, palam ex iis fiet, quæ adversus Benedictinum Coustantium docebimus. Interea moneo, Pagium virum eruditissimum ad annum CCCXLVII, num. 16, non modo hallucinari, sed etiam sibi non satis constare. Distinguit ipse nobiscum duo Mediolanensia concilia, sed quod nos anno CCCXLV, ipse vero CCCXLVI collocat, ait Arianorum fuisse conventum; contra ex catholicis fuisse conflatum episcopis, quod anno CCCXLVII statuimus. Errat primum, nam catholicorum episcoporum fuisse et primum illud anni CCCXLV concilium, manifestissimum mihi est ex epistola Liberii, quæ refert, Demophilum, sociosque iratos de Mediolanensi concilio exiisse, et Arii sententiam damnare noluisse; quis enim sibi persuadeat, Arianos episcopos a Demophilo postulaturos fuisse, ut Arii dogmata anathemate feriret? Neque vero, quod illi synodo quatuor Ariani interfuerint, idcirco ea continuo Arianorum dicenda est, nisi plerasque œcumenicas synodos hæreticorum conciliabula velimus dicere, cum hæretici quoque catholicis Patribus in ejusmodi conciliis plerumque fuerint admixti. Adde et Sozomenum Occidentis episcopos Mediolani coactos Antiochensem Arianorum formulam recipere detrectasse referentem, ut num. 3 animadvertebam; quod de Arianorum conventu, miror, quis sanæ mentis intelligere possit. Sibi deinde non satis constat Pagius, cum anno CCCXLIV idipsum, quod nos ex Liberio, et Sozomeno summatim descripsimus, latius probet, aliisque testimoniis confirmet.

VI. Aio 3° Petavium secutus, anno CCCXLIX Sirmii habitum esse concilium, de quo Hilarius in fragmento II. Tres hac in re præcipuos adversarios habemus. Primus est Sirmondus, qui Baronii sententiam de una Sirmiensi synodo anni CCCLVII instaurare nervis omnibus conatus est, Alter est illustriss. Petrus de Marca, quem Pagius ferme describit. Docet is, anno CCCXLIX habitum quidem esse concilium, non tamen Sirmii, sed Romæ: quod etiam Cl. P. Mansio placuisse video tom, I, *Suppl. ad Conc.* col. 180, etsi in eo a Petro de Marca discrepat, quod in superiorem annum CCCXLVIII synodum hanc suam conferat. Tertius est Petrus Constantius in suis ad Hilarium adnotationibus, qui tertium quoddam Mediolanense concilium sibi confinxit eodem anno CCCXLIX celebratum. Singulos paucis adgredior. Ac Sirmondum quidem jugulat Hilarius, cujus verba hic exscribenda. « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii turbari rursum, miscerique omnia... Quam opportunitatem nacti Ursacius, et Valens Romanæ plebis episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur, et in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex consilio veniam, quam orabant. impertit... Verbum inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, et a communione jampridem unitatis abscissus, ne tunc quidem per factionem populi potuit amoveri. » Hæc Hilarius, ex quibus tria colligo, quæ Sirmondum plane confodiunt.

VII. Primum illud est, concilium hoc « ad quod ex plurimis provinciis congregati sunt sacerdotes » biennio Mediolanensem synodum esse consecutum, illam, inquam, quæ in annum incidit CCCXLVII, uti antea demonstravi. Anno igitur CCCXLIX habitum fuit. Alterum est, hujus concilii opportunitatem nactos Ursacium, et Valentem Romam petiisse, et ab Julio veniam impetrasse. Porro Ursacii et Valentis reconciliationem perperam in Annalibus Baronii conferri in annum Christi CCCL post mortem Constantis, qui 15 kal. Februarii interemptus est, optime probat Petavius *Diss. de Photino*, cap. I atque ex eo Pagius *Ad ann.* CCCXLIX, num. 9, quod Athanasius in epist. *ad Solitarios* scribat, num. 29, mortuo Constante persuasisse Arianos Valenti, et Ursacio, « ut mutata sententia, quasi canes ad proprium vomitum reverterentur, et tanquam porci in pristino impietatis luto volutarentur, ac simulantes, hanc pœnitentiæ suæ causam comminiscerentur, quod scilicet piissimi Constantis formidine ad id agendum compulsi essent. Quod si post obitum Constantis Arianam hæresim Ursacius, et Valens repudiassent, et Ecclesiæ reconciliati fuissent; qui, quæso, prætexere potuissent Constantis formidinem? Præterea Athanasius ait, falso causatos metu se Constantis compulsos fuisse. Cur? Num quia Constans vita cesserat? Ita sane dicere debuerat, et profecto dixisset Athanasius, si eo temporis Constans fato functus fuisset. Sed aliam plane init viam magnus doctor. Ait ergo, nullum tum palatinum, aut notarium ad eos missum, qui illos cogeret, sed nec imperatorem quidem adfuisse: verum sponte ipsos Romam ad Julium advolasse, et in medio Ecclesiæ cœtu pœnitentiæ libellos palam protulisse. Tertium est, in eo concilio actum esse quidem, ut de episcopatus honore dejiceretur Photinus; amoveri tamen non potuisse « per factionem populi. » At in Sirmiensi concilio, quod nos anno CCCLI coactum dicemus, Sirmondus vero in annum confert CCCLVII exauctoratus est Photinus, exilioque mulctatus, teste Sozomeno, cujus verba dabo.

VIII. Age jam cum Petro de Marca, et Pagio congrediamur, et synodum, de qua loquitur in appellato fragmento Pictaviensis doctor, Romæ celebratam minime fuisse ostendamus. Sufficiat autem ea ipsa Osii verba apud Athanas. epist. *ad Solitarios*, num. 44, referre, quibus tamen illustriss. de Marca suam putat confirmari sententiam. Ait ergo Osius de Valente, et Ursacio: « Ultro ipsi Romam profecti, coram episcopo, et presbyteris hæc scripsere. » Imo Valens ipse, et Ursacius in litteris suis ad Julium, quas refert Hilarius, aiunt: « Profitemur apud Sanctitatem Tuam cunctis præsentibus presbyteris. » His sane verbis non celebre aliquod concilium « ex plurimis provinciis » congregatum significatur, cujusmodi hoc anno celebratum antea probavimus disertissimis Hilarii verbis. Accedit Athanasium in eadem epistola, num. 26, de Ursacii, et Valentis pœnitentia agentem, id solum commemorare, eos Romam profectos, pœnitentiam egisse, eamque scripto tradidisse

Romano episcopo, Porro quis credat Athanasium nullam tanti concilii mentionem facturum fuisse in re tam gravi, quæque ipsius summopere intererat?

IX. Quæ duo autem de Marca, et sectatores opponunt, nullo negotio diluuntur. Primum est Julium teste Hilario « ex concilio veniam, quam orabant, » impertiisse Valenti, et Ursacio. Alterum est, quod descriptæ Valentis et Ursacii epistolæ subjicit e vestigio veluti epiphonema Hilarius : « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est. » Quomodo autem a Romanis damnata dici posset Photini hæresis, nisi Romanum quoddam concilium adstruamus? Hæc vis omnis argumenti. Sed ad primum quod adtinet, non desunt, qui legant *ex consilio*, nempe dedita opera. Quod si id non placet, et aliquid eo in Hilarii loco immutandum sit, mallet Constantius legi *eo consilio*. Ego vero neutrius correctionis indigeo. Do *ex concilio* Julium veniam impertiisse Valenti, et Ursacio. Probandum superest Petro de Marca, et asseclis, hoc fuisse concilium « ex plurimis provinciis » congregatum, de quo Hilarius. Imo ex Osii verbis nuper descriptis, et ex Litteris Valentis, et Ursacii constare aio, illud nihil aliud fuisse, quam conventum presbyterorum Romanæ Ecclesiæ. Itaque quo anno Sirmii magnum illud celebrabatur ab Hilario memoratum, Romæ aliud habitum fuit concilium, seu potius conventus presbyterorum, quæ duo sane longe diversa sunt, neque a quoquam, quod sciam, satis hactenus distincta.

X. Ad alterum, quod spectat, miror Petrum de Marca ea verba objicere potuisse, quæ ipsum jugulant. Audi. « Hæc epistola post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est; » igitur biennio antea, quam ea epistola mitteretur, hæresis Photini a Romanis damnata est. Cum igitur ea epistola missa fuerit anno CCCXLIX, ipso fatente Petro de Marca, hæresis Photini a Romanis damnata fuit anno CCCXLVII quo nullum Romæ concilium coactum fuit, sed Mediolani.

Occurrit quidem Baluzius in nova *Conciliorum collectione*, et mendum in ea verba irrepsisse clamat, et legendum « post biennium missa est, quum hæresis Photini a Romanis damnata est. » Sed cur mendum irrepsit? nimirum quia ea verba ipsius sententiæ incommodabant, Verum quis non videat, præcedentibus verbis *post biennium* rectius cohærere *quam*, et ad ea referri hanc Hilarii clausulam, quæ paulo antea idem Hilarius dixerat: « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus. » Atque hac de causa suspicor Harduinum, qui Petrum de Marca hac in re secutus est, et ex Baluzio plurima in suam Conciliorum collectionem transtulit, in hæc verba nullam variantem lectionem adnotasse; quod nimirum corrector correctione indigeret.

XI. Ea igitur verba *a Romanis* ad Mediolanense concilium non anni CCCXLIX quod nullum fuit, sed CCCXLVII referenda sunt. Sed qui *a Romanis* damnata dici potest hæresis, quam Mediolani confixam dicimus? Respondet Coustantius in adnotationibus ad hunc Hilarii locum col. 1298 illud *a Romanis* perinde esse atque *a Latinis:* quo nomine intellige Italos, aut etiam alios Occidentales, Sane Hilario *in Psalm.* II, num. 35, *in Romanam linguam* idem est, quod in *Latinam.* Valde autem probabile est hanc vocem ideo ab Hilario additam esse, ut quid ab Orientalibus adversus Photinum gestum sit, se minime adtingere præmoneret, adeoque Romanos hic opponi Orientalibus. Non displicet hæc Coustantii conjectura, modo et ea non rejiciatur, quam dudum suggessit Petavius, nimirum Photinum a Mediolanensi synodo anathematizatum merito ab Hilario dici *a Romanis* damnatum, cum illi concilio adfuerint Romani pontificis legati. Scio Coustantium excipere, nullum suppetere monumentum, unde Romanæ Ecclesiæ legatos Mediolanensi anni CCCXLVII synodo interfuisse nobis constet. Sed qui probabit Coustantius, et quodnam proferet monumentum, unde evincat Romanæ Ecclesiæ legatos concilio Mediolanensi anni CCCXLIX quod ipse commentus est, interfuisse? Intelligo. Patres Ariminensis concilii in epist. *ad Constantium Imperatorem* id tradunt. Errat Coustantius. Ea Ariminensium verba de Mediolanensi synodo anni CCCXLVII intelligenda sunt, ut mox ostendam. En igitur, quod exposcebat, monumentum.

XII. Actum est de Romano Petri de Marca concilio. Quid nunc de Mediolanensi anni CCCXLIX quod nuper excogitavit Coustantius? Commentum est quod ut refellatur, repetendus est Hilarii locus. « Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quodjam-

pridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti Ursacius, et Valens Romanæ plebis episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur... Verum inter hæc Sirmium convenitur.» Hæc Hilarius. Cæcus enim vero sit oportet, qui hæc posteriora verba, ubi Sirmium diserte designatur, ad superiora non referat, nec videat Hilarium redire ad inchoatam paulo ante narrationem de Sirmiensi synodo « ad tollendum ex episcopatu Photinum, » quam interposita Valentis et Ursacii historia nonnihil abruperat, ut monet Petavius? Ea præsertim de causa, quod qui Mediolanensem synodum anni CCCXLVII indicaverat, profecto et alteram adnotaturum fuisse certissimum est.

XII. Non despondet animo Coustantius, et ait, verius illud *inter hæc Sirmium convenitur*, intelligi debere vel de iis, qui Mediolanensis adversus Photinum synodi sententiam Sirmium detulerint, vel de iis, quos eodem tempore in eadem Sirmiensi civitate convenisse evidens est, ac Photini damnationem ita confirmasse, ut Marcelli velut illius Magistri, a quo Athanasius ipse se abstineret, mentionem callide insererent. Illum autem Sirmiensem conventum Arianum fuisse convincitur primo ex Sulpicii testimonio, qui lib. II, cum de Sardicensi concilio egisset, tum titulo posito, « concilium Sirmiense Arianum, » subjicit: « Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem conspirant penitus Sardicensis synodi decreta convellere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur... Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini, et Marcelli, et Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello, atque Photino vera sensissent. » Ex quibus etiam constat conventum hunc alium ab eo fuisse, qui anno CCCLI in eadem Urbe celebratus est. Cum enim, *Imperatorum animos* adversus Sardicensia decreta prævertere astu tentarint; sequitur, ut superstes adhuc fuerit Constans, qui anno CCCL vivere desiit. Arianum etiam fuisse ejusmodi conciliabulum suadet ejusdem fides, cujus venenum prodit Hilarius eodem *Fragmenti* XI. Hactenus Coustantius col. 1299 quibus vir optimus historiam hujus temporis susquedeque vertit.

XIII. Certum itaque, et exploratum esse debet, Sirmiense concilium fuisse Occidentalium catholicorum. Atque hoc iisdem argumentis evincitur, quibus Coustantius Mediolanensem suam synodum ex Occidentalibus orthodoxis constitisse suaderet; cum enim ex violenta Hilarii interpretatione quæ sanctus episcopus de Sirmiensi indicat, ipse ad Mediolanense concilium transferat; evidens est, Sirmiensis orthodoxiam iisdem niti rationibus, quibus Mediolanensis. Sunt autem potissimum hæ. Prima ex iis ducitur Hilarii verbis: « Ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis solliciti, atque anxii, turbari rursum, miscerique omnia, quod jampridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. » Ergo, infert Petavius, catholici erant, non Ariani. Altera iis nititur, quæ continenter subjiciuntur: « Quam opportunitatem nacti » etc. Si enim Valens, et Ursacius hujus synodi occasione cum catholicis, et cum Athanasio concordiam penitus inierunt, profecto Arianorum conventus esse non potuit. Tertiam indicabo inter solvendum argumenta Constantii; quod quidem ut clarissime præstem, quid in hac Sirmiensi synodo factum sit, quæque illam sint consecuta, ex ipso Hilario docebo, et cum hoc Sulpicium conferam.

XIV. « Sirmium itaque convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, et a communione jampridem veritatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri. » Porro Sirmienses Patres synodicam *ad Orientales* scripsere. Quid hi? Marcellum Ancyranum Photini Magistrum, quem Eusebiani damnaverant, et sede spoliaverant, pristinum in locum una cum Athanasio restituerat Sardiciensis synodus. Interea « Athanasius Marcellum, ubi quædam alia nova miscere sensit, et ambiguis prædicationibus ejus, in quem Photinus erupit, doctrinæ viam quærere, a sua communione separavit. » Nacti ergo, ut Sulpicius objectus loquitur, Ariani istiusmodi occasionem, epistolæ scilicet ab Occidentalium conventu ad se missæ, « conspirant penitus Sardicensis synodi decreta convellere: » qua autem id ratione moliti fuerint, paucis docet Hilarius, dum ait, Orientales « rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri addi-

disse; » quæ fusius objecto loco persequitur Sulpicius. Jam vero, ut ad Constantii argumentum deveniam, satis id sit animadvertere, unum hoc nos inter, et illum discrimen intercedere, quod quæ ipse de Mediolanensi, nos de Sirmiensi catholicorum dicimus, quæ ipse de alio Sirmiensi, ut putat, Arianorum, nos de alio Orientalium conventu, cujus locum malumus Hilario, et cæteris silentibus ignorare, quam perperam divinare. Constantius Mediolanensem synodum catholicam habet, ego Sirmiensem; ille ex Mediolanensi, ego ex Sirmiensi missam adsero ad Orientales synodicam; ille Sirmienses Patres Arianos putat, iisque tribuit, quæ Severus, et Hilarius tradunt contra Sardicensis concilii canones ab Orientalibus intentata; ego Orientales, ad quos Sirmienses scripsere, Ariana labe infectos dico, ac de his Severum, et Hilarium locutos esse contendo. Uter melius, ac verius, ex Hilario definiendum.

XV. Negari sane non potest, in Sirmiensi anni CCCXLIV conventu damnatum fuisse Photinum, cum id disertis verbis tradat Hilarius. « Sirmium convenitur, Photinus hæreticus » etc. At ex Sirmiensi concilio missam *ad Orientales* synodicam, si Hilarius dicat, dubium ne supererit, an Sirmienses Occidentales et catholici fuerint? Audi nunc Hilarium, « Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam unquam adversus Marcellum, præter eam, quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam; neque huc unde Photino decretum ab Occidentalibus est, et ad Orientales est relatum, aliquod in eum expressum fuisse judicium. Sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione est dissolutum, quæsivisse judicii, et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium Magistri addidisse. » Ex his autem sic arguere liceat scholastica methodo, ut res pressius urgeatur. Ab iis missa est ad Orientales synodica, cujus occasione Marcelli nomen in rescripto additum est, ab iis, inquam, qui Photinum damnaverant; sed Sirmienses Photinum damnasse ait Hilarius; a Sirmiensibus igitur ea synodica ad Orientales missa est. Porro si dixeris tum Mediolani, tum Sirmii damnatum fuisse (præterquam quod Hilarium turpissimæ amphiboliæ reum facis, qui res quam necessario tam facile distinguendas confuderit); te jugulat verbulum illud : *huc*, cum enim paulo ante dixisset, Sirmii Photinum damnatum, quo spectat, nisi Sirmium, verbum *huc?*

XVI. Sulpicii porro Severi auctoritate non moveor; quis enim, ut observavit jampridem eruditus Sirmondus *Diat. Sirm.* I. si mentem propius adjiciat, non statim animadvertat, Sirmiensis synodi, aut rerum in ea gestarum nullam apud Severum exstare mentionem, ac titulum illum, qui in editione Sigoniana legitur, cum in superioribus non exstet, adscititium, atque adulterinum videri? Profecto nihil ejusmodi ipse vidi in editione Severi Romana Pauli Manutii MDLXIV. Quare merito titulus ille omissus est in ejusdem Severi Elzeviriana editione anni MDCXXVI et in recentioribus Lipsiensibus anni MDCCIII et MDCCIX ac Veronensi præstantissima ann. MDCCLIV. Quid si præterea Severi verba ad Sirmiense concilium ann. CCCLI spectent, uti nuperus eruditissimus Sulpicii Veronensis editor suspicatur tom. II, pag. 201? Nam quod objiciebat P. Constantius, anno CCCLI Constante jam mortuo solum imperasse Constantium, nec potuisse propterea Sulpicium iis verbis uti *apud Imperatorum animos*, nullius est momenti; id enim vel ignorasse Severum, vel ad imperatores etiam posteriores respexisse puto. « Ego tamen, inquit appellatus Sulpicii editor Veronensis, p. 202, quovis pignore contendo pro *imperatorum* legendum esse *imperitorum*. Quod quidem, ut tanti viri judicium confirmem, totius Severianæ sententiæ series videtur exposcere.

XVII. Discutienda nunc sunt argumenta, quibus Constantius suum Mediolanense concilium comprobat. Reddo illa ipsius auctoris verbis, col. 1295, Mediolani, non Sirmii habitum fuisse anno CCCXLIX concilium, haud obscure significat Ariminensis synodus *Frag.* VIII, num. 2, ubi de Ursacii et Valentis retractatione sic loquitur : « Rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis a concilio Mediolanensi assistentibus etiam legatis Romanæ Ecclesiæ. » Clarius græca ejusdem synodi verba apud Athan. *de Synodis* enuntiant, veniam postulasse, et impetrasse, quando concilium Mediolani celebrabatur. Atqui illi veniam non impetrarunt, nisi anno CCCXLIX. Ex quo conficitur, Ariminensis synodi verba ad concilium Mediolanense non anni CCCXLVII sed CCCXLIX esse referenda. Idem dicendum de verbis Ursacii, et Valentis, qui in epistola ad Julium Pontificem profitentur se in libello, quem *apud Mediolanum* porrexerant, Arium anathematizasse. Ut enim libellum hunc anno CCCXLVII oblatum

intelligamus, non sinit Socrates, qui lib. II, cap. XXIV, scribit Valentem, et Ursacium permagno erga Arii dogma studio exarsisse, donec Athanasium concilio Hierosolymitano anni CCCXLIX sedi suæ, et ecclesiasticæ communioni restitutum rescierunt. Eorumdem pœnitentiam eidem tempori consignat Athanasius apolog. II. Et certe anno CCCXLVII Valentis, et Ursacii res non erant adeo desperatæ, ut catholicorum gratiam protinus sibi putarent necessariam. Ipsorum animos, etsi Sardicensis synodi sententia nonnihil dejectos, relevabant Philippopolitana placita. Eusebiani etiam tunc temporis multis in locis impune sæviebant. Athanasius ipse non ausus est, nisi post biennium ad Ecclesiam suam redire. En Coustantii conatus omnis.

XVIII. Hisce tamen minime obstantibus Petavio, Pagio, de Marca, Natali Alexandro, Tillemontio, et cæteris omnibus adsentior, et ea verba Ariminensium Patrum, uti et Valentis et Ursacii non ad Mediolanense concilium anni CCCXLIX, quod nullus novit antiquorum aut recentium, sed ad concilium anno CCCXLVII in eadem Mediolanensi urbe celebratum referenda esse contendo. Nam ut ab Ariminensibus Patribus initium ducam, necesse non est, ut verba illa *tunc temporis* ita accipiamus, ut fere eodem tempore, quo a Mediolanensi concilio veniam impetraverant Ursacius et Valens ab Julio quoque Pontifice eamdem exorarent. Enimvero duo hic perperam miscet Coustantius, veniam scilicet a Mediolanensi concilio datam Ursacio, et Valenti, et veniam, qua ab Julio Pontifice donati sunt. Hanc anno CCCXLIX obtinuerunt; illam, de qua una loquuntur Ariminenses Patres, anno CCCXLVII in Mediolanensi concilio fuerant adsecuti. Nam quod ex Socrate deinde addit Coustantius, ad rem non facit. Cum duo illi adolescentes episcopi a Sardicensi concilio fuissent ab episcopatu dejecti, exauctoratique, ad Mediolanenses Patres confugere, atque ut eorum animos sibi devincirent, libellum iis obtulere, quo Arii dogmata ejurabant. Synodus eis pacem Ecclesiæ indulsit, et sententiæ adversus eos a Sardicensibus Patribus latæ gratiam fecit. Restitutio illa communionis accepta fuit Julio papæ, qui hac de re certior factus, juxta synodi Mediolanensis decretum suam illis communionem libens impertivit. Verumtamen, ut ex eorum ad Julium ipsum epistola constat, id ab illis postulasse videtur Pontifex, ut Athanasii communionem amplecterentur, quasque in illum disseminarant, criminationes scripto recantarent. Ægrum illis videbatur, calumniæ sibimetipsis notam inurere. Moras igitur nectere. Julius eos per litteras monuit, ut fidem liberarent. Cum autem tempus traherent, jamque se in eas angustias redactos intelligerent, ut nisi promissis stetissent, ab Ecclesiæ communione segregandi forent, Romam profecti scripto libello ann. CCCXLIX egregium de Athanasio testimonium tulere. Hæc fere ex Petro de Merca, quem Pagius quoque exscripsit. Itaque simulate egisse illos in Mediolanensi synodo ex ipsa, quam deinde trahebant, mora, ne cum Athanasio communicarent, sit exploratum; quamobrem Socrates non injuria scribere poterat, eos ad illud tempus Arianorum dogmati mordicus adhæsisse. Quanquam ne id quidem ait Socrates. En ejus verba : « His compertis Ursacius et Valens, qui *prius* Arianorum dogmati mordicus adhæserant, damnato priore studio Romam se conferunt. » Finge illos Arianorum dogma ejurasse ann. CCCXLVII in Mediolanensi synodo. Annon vere ab eo, qui illorum res biennio post gestas describeret, dici potuisset, « prius illos Arianorum dogmati mordicus adhæsisse? » Cæterum mirum non est Socratem, qui Mediolanensem synodum, Juliique et Valentis, atque Ursacii litteras, cæteraque illas secuta penitus præterit, ita locutum ; præsertim cum non ante revera damnasse Arium dicendi episcopi illi sint, quam Julii mandatis omnino obtemperarint. Tandem Philippopolitana placita, et Eusebianorum potentia (quod extremum est Coustantii argumentum) Valentis et Ursacii animos relevarunt; (atque hinc fortasse factum, ut moras necterent, nec quod Julio promiserant, implerent) perculsi tamen Sardicensis concilii sententia, quæ eorum calliditas fuit, eam declinare tentarunt, simulata Arii damnatione, via nempe longe expeditissima. Atque de Mediolanensi Coustantii concilio hactenus.

XIX. Confirmavimus Petavii sententiam de primo Sirmiensi concilio anni CCCXLIX. Ad alterum progredior, quod ann. CCCLI celebratum cum eodem Petavio dixi. Cl. P. Mansius, qui tres Sirmienses synodos distinguit, primam, quam nos cum Petaviio secundam dicimus, t. I *Suppl. ad Conc.* col. 182 seq. in annum differt CCCLVIII. Necesse non est eas hic rationes adferre, quibus permotus Petavius ann. CCCLI Sirmiense hoc concilium constituit. Unam addam contra Mansii sententiam. Inter episcopos, qui huic synodo interfuere, cense-

tur Cecropius Nicomediensis præsul. Atqui in celebri illo terræ motu, quo Daciano, et Cereale consulibus, seu anno CCCLVIII quinto kalendas Septembris, ut refert Socrates lib. II cap. XXXIX. Nicomediensis urbs miserrime eversa fuit, Cecropius, Sozomeno teste lib. IV, c. XVI ruinis oppressus interiit. Non igitur synodus ista post secundum Octobris diem anni CCCLVIII quo die Georgius ab Alexandrinis urbe pulsus fuerat, potest cum Cl. Mansio p. 207 collocari. Non equidem video quid huic argumento responderi possit. Nihil vero facilius, quam illa refellere, quæ pro nova hac sua sententia objicit Mansius, uti animadversum reperio etiam a docto P. Sbaralea, quæst. v. e sex, quas suæ disputationi *De sacris pravorum ordinationibus* adjecit. Nam cum huic concilio adfuisse credat Mansius Osium, et Georgium Alexandrinum, ille vero nonnisi post Liberii lapsum, quem hic concedimus, Sirmium adcitus fuerit, hic autem anno tantum CCCLVI Alexandrinam sedem invaserit, facile colligit, multo serius ann. CCCLI cogi synodum istam potuisse. Verum Sozomenum, Socratem, Athanasium, et Philostorgium, quos ille in hac narratione auctores sequitur, de synodo Sirmiensi III esse intelligendos respondemus; idque quod ad Athanasium, et ad Philostorgium spectat, ipsa illorum verba satis declarant; quod vero ad duos illos attinet Ecclesiasticæ historiæ scriptores, Valesius, Petavius, aliique docti viri jamdudum monuerant eos secundam, et tertiam Sirmiensem synodum perperam confudisse, ita tamen ut cum consules, quibus illa celebrata fuit, adnotarint, hinc lapsum in adscribendis illi episcopis, quorum aliqui tertiæ tantum interesse potuerunt, facile sit agnoscere, atque emendare. Nam etsi demus, nonnunquam in adnotandis consulibus errasse illos, uti contendit doctissimus Mansius p. 184, non tamen licet hujusmodi chronicas notas, quas e publicis tabulis hausisse illos verosimile est, pro libito et gravissimis sine causis rejicere. Porro cum illi synodum Sirmiensem post consulatum Sergii et Nigriniani, anno scilicet CCCLI celebratam disertis verbis adfirment, pugnet vero cum hoc anno Osius, et Alexandrinus Georgius, quem ipsimet concilio interfuisse aiunt, credibilius est errasse eos in episcopis quam in consulibus adscribendis. Nam episcopos perperam notare potuerunt, quod e duabus synodis unam effecerint; consules non est cur illos fingamus huc adtulisse, si nulla eo consulatu synodus habita est.

XX. Annum constituimus Sirmiensis secundæ synodi, in qua prima edita est fidei formula, quam Liberium, quemadmodum alibi diximus, subscripsisse plerique sentiunt. Ad tertiam accedo. Eam Mansius ann. CCCLIX Sbaralea p. 317 ann. CCCLVI mense Septembri, vel Octobri, vel etiam Novembri, Petavius, quem Valesius, et Coustantius sequuntur, ann. CCCLVII consignat. Merenda vero nullam ejusmodi synodum agnoscit, negatque secundam Sirmiensem formulam, quæ huic synodo a cæteris doctis viris tribuitur, synodicam fuisse. Ego vero miror Merendam litem de voce intentare voluisse non tam præclarissimis ætatis nostræ scriptoribus, quam Phœbadio Aginnensi, qui Sirmiensem hunc episcoporum conventum *Synodum* disertis verbis appellat. Enim vero synodus, ut recte monuit Petavius in *Diss. de Photino hæretico* cap. II qualiscumque conventus episcoporum interdum dicitur; cujusmodi tum profecto fuit, quando Constantii potentia, et tyrannide freti Ariani nefariam ab Osio fidei formulam extorserunt. « Hosius enim, ut scribit Sozomenus lib. IV c. XII cum his qui aderant episcopis ad eludendam Valentis, et Ursacii, ac Germinii pervicaciam coactus permisit, » etc. Nam quod Hilarius ex *oppido Sirmiensi*, non ex synodo missam dicat Ecthesim illam, omniaque insuper imperatoris nomine tunc peracta fuisse insinuet, dum scribit, « nunc publicæ auctoritatis professione hæresim prorumpentem, » probat quidem latrocinale fuisse conventiculum illud paucorum episcoporum, atque ad imperatoris arbitrium omnia patrasse, non autem synodum dici non posse, quemadmodum vulgato nomine appellari consuevit. Sed Merendam dimittamus, qui tandem p. 157 ad communem sententiam accedit, modo *Synodus* eo sensu dicatur, « quo Sardicense concilium scripsit, *Arianos venientes Sardicam* per singula loca synodos fecisse inter se, et pactiones... ea voce peculiares, clandestinosque eorum conventus exprimens; quo scilicet sensu hactenus *Synodi* nomine donatus est ab omnibus Sirmiensis iste conventus; neque enim quisquam somniavit, aut legitimam fuisse synodum, aut multorum episcoporum.

XXI. Annum autem coactæ synodi ut definiamus, nonnulla sunt antea constituenda. Primum est, Liberium circa medium annum CCCLV Berrhœam Thraciæ relegatum fuisse. Alterum est post Liberii exilium annum fere integrum fluxisse, antequam Sirmium Osius accerseretur. Enimvero Sirmii Constantius

erat, cum illuc Osium ex Hispaniis evocavit, sancto Athanasio teste in epistola *ad Solitarios*, ab anno vero CCCLV quo Mediolanensi concilio interfuerat, non potuisse Constantium Sirmii esse ante Junium, vel Julium anni CCCLVI a Petavio demonstratum fuit. Præterea Liberio in exilium misso Constantius Osio scripsit, edixitque, ut ad se veniret. Paruit Osius, imperatorem vero, qui eum ad Arianorum partes trahere conatus fuerat, « magnis rationibus conterritum de sententia deduxit, atque ita in patriam suam, ac Ecclesiam rediit; » quod scribit citatus Athanasius. Porro imperator Arianorum querelis commotus « scribit denuo cum minis ad Osium; » neque id semel. Nam « subinde, inquit Athanasius, Constantio scribente, et nunc quidem blandiente, etc. nihil ad ista expavit Osius. Ille autem (Imperator) neque insidias de manibus deposuit, neque criminandi occasiones quærere desiit, sed gravius semper minabatur. » P. Sbaralea hæc omnia quatuor aut quinque mensibus concludit. Verum nemo prudens tam brevi spatio isthæc definiet, Osii iter Italicum, reditum in Hispanias, epistolæ ejusdem cum Constantio commercium, imperatoris in quærendis criminandi occasionibus diligentiam, Sirmiensem Osii ex Hispaniis profectionem. Hæc sane annum postulare videntur. Igitur circa Junium, Juliumque anni CCCLVI, Sirmium advenit Osius. Porro (quod tertium est iis, quæ in antecessum jacienda erant veluti hujusce disquisitionis fundamenta) Constantius « pro exilio detinet (Osium) integrum annum Sirmii, » ut in appellata epistola queritur Athanasius. Ex quibus omnibus compertum jam esse debet Sirmiense concilium, in quo Osius exilio fractus, adtritusque malis formulam illam, seu ut Hilarius loquitur, *blasphemiam* subscripsit, Junio aut Julio anni CCCLVII citius non potuisse celebrari. An autem Constantius Sirmii fuerit quo tempore Osius cum Arianis communicavit, quemadmodum Socrates et Philostorgius tradunt? quæstio est nullius in hanc rem momenti. Certum illud mihi videtur potuisse Constantium Sirmii tunc esse, uti a Petavio ostensum fuit lib. I *de Trinit.*, c. IX, nec porro est, cur non adfuisse Sirmiensi illi concilio dicamus. Nam quod ait Sbaralea p. 318 Ecthesim in eo editam fuisse « in præsentia Valentis, Ursacii, Germinii, cæterorumque omnium, » nec memorari Constantium, facile solvitur. In tertia Sirmiensi formula, cujus deinde mentio fiet, memoratur Constantius initio, ubi nota etiam consulatus adscribitur. Quid si idipsum in secunda servatum sit, cui propterea in fronte, nisi mavis sub finem, imperatoris et consulum nomina fuerint inscripta? Quamobrem cum ad nos nequaquam pervenerit inscriptio, aut subscriptio hujus formulæ, mirum esse non debet, si Constantii in ea nomen non legimus, quemadmodum ne in prima quidem Sirmiensi ecthesi legitur, etsi vel ipso fatente Sbaralea Sirmiensi concilio, in quo cusa est, Constantius interfuit.

XXII. Cur autem serius ann. CCCLVII collocari non possit Sirmiensis tertia hæc synodus, edisseram, postquam Ancyranam synodum nonnisi anno CCCLVIII congregari potuisse docuero. Id jampridem ostendit Petavius in *Epiphanianis animadversionibus*, Pagio, et Valesio non dissentientibus. Sed nuper in superiorem annum CCCLVII synodum illam retrahit P. Sbaralea hisce de causis. Paulo ante Pascha coacta est synodus illa; plures vero Antistites *ob hyemem* accedere non potuisse legimus in concilii synodica epistola; « quod, inquit vir doctus, non videtur dici potuisse de Paschatis tempore ann. CCCLVIII, quoniam in vere factum est, cum in diem prid. idus Aprilis inciderit; sed de Paschate anni CCCLVII quod in hyeme, ac die 13 kal. Aprilis celebratum fuit. » Deinde synodus Ancyrana dicitur convocata occasione *dedicationis Basilicæ* teste Sozomeno lib. IV, cap. XII; quæ solemnitas tempore Quinquennalium, aliorumque hujusmodi festorum fieri consuevit juxta doctrinam Pagii : anno autem CCCLVII non CCCLVIII in cursu erant 7 quinquennalia imperii Cæsarei Constantii; igitur eo anno celebrata est synodus, et non anno CCCLVIII. Hæc ille; quæ quidem quam imbecilla sint: nemo non videt. Nam nostris quoque temporibus non Aprili modo, sed ipso Maio mense quam sæpissime frigus hyemale protrahitur, ut certe mirari nemo possit, paulo ante Pascha ann. CCCLVIII scilicet sub initium Aprilis, aut Martii finem episcopos hyeme fuisse interclusos, ne Ancyram pergerent ad concilium. Encænia autem sæpe Quinquennalium tempore, aliorumque id genus festorum celebrabantur, non semper; imo nullus dubito Sozomenum hoc omissurum haud fuisse, si Basilius quinquennalium tempore consecratæ Basilicæ suæ solemnia habuisset. Et minus mirandum, Basilium tunc ad encænia convocasse synodum, quod synodo non ipsa encænia, sed Sirmiensis formula occasionem dedis-

set. Igitur cum ante Pascha ann. CCCLVII formula illa edita non sit, ut supra comprobavimus, Quinquennalium, quæ eo anno celebrabantur, rationem habere Basilius non potuit in cogenda synodo Ancyrana.

XXIII. Miror autem, Sbaraleam non animadvertisse Hilarium, quem ipse Mansio objicit, ut mox videbimus, ejus de Ancyranæ synodi tempore epocham plane labefactare. Circa anni CCCLVIII exitum ad Galliarum episcopos scripsisse Hilarium librum *de Synodis*, in quo multa quoque de anathematismis concilii Ancyrani tradit, fatetur Sbaralea; neque injuria. Nam ut ex Coustantio refert Oudinus in *Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis*, tom. I, col. 448, ex Hilarii ipsius verbis, num. 8, « Perspicuum est scriptum esse hunc librum, cum jam propter terræ motum, qui anno CCCLVIII, die Augusti 24 (imo 28) contigerat, concilium Nicomediæ, vel etiam Nicææ in Bithynia congregandi immutatum esset propositum, cumque nondum decretum esset, ut omnes quotquot possent, Ariminum atque Seleuciam cogerentur; sed tantum ut bini, aut singuli ex singulis provinciis, iique Ancyram atque Ariminum convenirent; » quod ann. CCCLVIII desinente statutum fuit. Jamvero Hilarius eo in libro n. 28 cum Gallicanos episcopos de synodi Ancyranæ definitionibus edoceret, « et hæc, inquit, quidem, Fratres charissimi, omnis quæ edita est fidei doctrina per paucos juxta universitatis modum Orientales, *sub his ipsis prope diebus*, quibus vos ingestam hæresim respuistis, emersit. » Ex his porro verbis luce clarius est Gallicanos Patres eodem fere tempore, quo Ancyranos, *ingestam* Sirmiensis formulæ Osianæ *hæresim* respuisse; cum vero Hilarius dicat, *sub his ipsis prope diebus*, Gallicanos illos episcopos indicat Sirmiensem Ecthesim damnasse paulo ante quam ipse hæc scriberet. Quamobrem illud demum efficitur, Ancyranos quoque Patres Sirmiensem formulam improbasse *sub his ipsis prope diebus*, quibus isthæc scribebat Hilarius. Quomodo ergo Ancyranum concilium ad Pascha anni CCCLVII spectabit? cum librum *de Synodis* sub finem anni CCCLVIII Hilarius perscripserit?

XXIV. Nolim autem, ex hoc Hilarii loco quispiam Merendæ adsentiatur in annum CCCLVIII Sirmiensem quoque synodum conferenti. « Quantum, inquit eruditus hic Damasi editor p. 155 temporis spatium intercurrisse potuit, ut impia hæc formula a loco, ubi scripta est (Sirmio,) in Gallias deferri posset? Nam statim ac ea accepta, et significata est, Hilarius damnatam indicat (n. 2.) An vero mensis unius spatium minime sufficiens fuerit, Ursacio potissimum, et Valente adnitentibus, ut ea quam citissime transmitteretur? Itaque extra primum, aut alterum anni ejusdem mensem collocari vix poterit. » Hactenus Merenda. Enimvero si quod Coustantius, et Tillemontius ex Hilario *de Syn.* n. 3 conjiciunt, Gallicani episcopi Ancyranis exemplo auctores fuissent, ut Sirmiensem formulam configerent, rueret statim hæc viri ingeniosi argumentatio. Tunc enim inter Gallicanam, et Ancyranam synodum illud debuisset intercedere temporis spatium, ut commode posset Sirmiensis Ecthesis in Gallias deportari, deinde Gallicanorum præsulum cogi conventus, hujus decreta in Asiam ad Hilarium, et ab Hilario ad Orientales perferri, qui Gallorum exemplo excitati Ancyranam demum synodum congregarent. Verum alius fortasse Hilarii verbis sensus inest, quemadmodum Merenda non inscite animadvertit p. 154. Itaque aliter solvi nodus hic potest. Nimirum noverant Ursacius et Valens *fidei* Gallicanorum Antistum *imperturbatæ famam*, ut Hilarii verbis utar; quamobrem non fuit, cur adniterentur, ut in Gallias edita nuper Ecthesis perferretur. Facile enim illud suspicari poterant, quod reapse contigit, a præstantibus illis Nicænæ fidei vindicibus formulam Osianam esse improbandam. Nihil igitur obest, quominus quæ Junio, aut Julio excusa fuerat Sirmii formula fidei, ea in Gallias delata primum fuerit Octobri mense, aut Novembri. Hyems instabat. Cogerentne tunc Gallicani Antistites synodum? Indicere potuere, celebrare non item. Ut primum igitur per tempus licuit, licuerit autem Aprili anni sequentis, convocato concilio hæreticam illam blasphemiam damnarunt. Ad Hilarium deinde decreta synodi miserunt in Asiam, nec a veri similitudine abest, eodem fere tempore, quo de Ancyrano concilio edoctus fuit sanctissimus præsul, de Gallicano eum cognovisse. Plana sunt omnia; nihilque cogit, ut ab anno CCCLVII Sirmiensem synodum moveamus.

XXV. Nam quod spectat ad P. Mansii sententiam, quæ illud concilium ad annum refert CCCLIX ea ex dictis de Ancyranæ synodi epocha perspicue refellitur. Cum enim hæc synodus post Sirmiensem habita sit, atque illam docuerimus ann. CCCLVIII celebratam, Sirmiensis certe uno post anno cogi minime potuit. Huc refer cum P. Sbaralea Hilarium, qui jam

anno CCCLVIII, Sirmiensis, et Ancyranæ synodi meminit; adde Ancyranam aliquot mensibus ante coactam fuisse, quam de concilio Nicomediæ habendo cogitaretur; hoc autem propter terræ motum, quo Augusto mense anni CCCLVIII Nicomedia concussa fuerat, ibi congregari non potuit; atque iterum colliges Sirmiensem synodum Ancyrana priorem ultra annum CCCLVIII differri non posse. Illud fortasse quis objiciat pro Mansii sententia, quod pro sua perperam adfert Merenda, Hilarium nempe lib. II *ad Constantium*, num. 5 scribentem : « Proximi anni fides quid jam de immutatione non habet? Primum, quæ Homœusium decernit taceri : sequens rursus, quæ Homœusium decernit, et prædicat. Tertium, quæ Usiam simpliciter a Patribus præsumptam per indulgentiam excusat : postremum, quæ non excusat, sed damnat. » Scribebat hæc Hilarius anno CCCLX, proximus ergo annus CCCLIX quatuor ejusmodi formulis insignis fuerat, Sirmiensi nempe secunda, Ancyrana huic contraria, Sirmiensi tertiæ, et Seleuciensi Acacianorum. Dixi Merendam hæc pro sua sententia perperam recitare. Cum enim Hilarius ann. CCCLX ista perscripserit, proximus, quo de agit, annus CCCLVIII esse non potuit, quem tamen Merenda inde extundit. Verum ne Mansianæ quidem sententiæ ista favent. Nam incertum omnino est, quas hic notet fidei confessiones Hilarius, quemadmodum animadvertit in allatum Hilarii locum doctus Benedictinus Constantius; neque enim omnes Arianorum Ectheses ad nos pervenerunt.

XXVI. Sequitur Sirmiensis alius episcoporum conventus, quem synodum cur non appellemus? eodem habitus anno CCCLVII. Hunc ex Sozomeno lib. IV, cap. XV, Valesius in notis ad Græcum illum scriptorem detexit, et Pagius quoque agnovit. Sed uterque deceptus est, cum in eo tertiam Sirmiensem formulam editam fuisse adfirmavit. Nimirum hanc esse uterque censuit, quam Liberius subscripsit. Qua in re a veritate aberrarunt viri hi eruditissimi; quos etiam Sbaralea refellit p. 321. Nulla certe in eo conventu nova formula cusa est, cum illam ignorarint Athanasius et Hilarius hujusmodi hæreticarum ecthesium diligentissimi collectores. Sed Liberium Ariani compulerunt, ut formulæ, quæ contra Photinum Sirmii edita fuerat (primæ scilicet Sirmiensi) in unum cum Antiochensi libellum conjectæ iterum consentiret; quod Sozomenus citato loco testificatur. Dixi *iterum*. Nam Berrhœæ in exilio primum Sirmiensi illi formulæ adsensum præbuisse Liberium valde probabile est, in Sirmiensi vero, de quo sermo nunc est, episcoporum concursu subscriptam antea formulam confirmasse.

XXVII. Restat quinta Sirmiensis synodus. Ea habita fuit Flavio Eusebio et Hypatio viris clarissimis coss. anno scilicet CCCLIX die 11 kal. Junias; atque tertia ibi coram imp. Constantio Sirmiensis Ecthesis proposita fuit, quam Ursacius et Valens Ariminensibus Patribus confirmandam exhibuere, ut Socrates refert lib. II, cap. XXXVII. De hac confer tum lib. I *de Trinit.* cap. IX, tum in *Epiphanianis animadversionibus* Petavium, quem nostra hac qualicumque *Diatriba* suscepimus illustrandum.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE ANGELIS

LIBER PRIMUS

IN QUO UNIVERSE DE ANGELORUM NATURA, ET PROPRIETATIBUS; AC PRÆSERTIM DE BONIS AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

Quæ fuerit de Angelis opinio veterum poetarum ac philosophorum, maxime Platonis; tum Philonis Judæi, item hæreticorum. Omnium consensu Angelos esse aliquos. Sadducæi negantes refelluntur. Rabbi Mosis Maiemonidæ de illis sententia. Angeli cur dicti; et Elohim, id est Dii.

I. In earum rerum genere, quæ ratione, intelligentiaque præditæ sunt, supremum locum Deus, infimum homines tenent, inter ambos interjecti sunt creati, sed immortales spiritus; quod exteri fere *dæmones*, sive *genios*, nostri *Angelos* appellarunt. Horum antiquissimus Ethnicorum theologus, ac poeta meminit Hesiodus in primo libro *Operum*, cujus versus jam citavimus [1].

De dæmonibus istis mentionem non uno loco facit Plato, sed luculentissime omnium *Dæmones et Deos.* in *Timæo*; ubi promiscue illos et δαίμονας et θεοὺς nominat. Tametsi præter summum, et singularem, atque effectorem omnium Deum, inferiores alios recenset cœlestibus illigatos orbibus Deos; imo orbes ipsos, ac stellas Deos arbitratur, secundum quos δαίμονας alios generatione propagatos, infimosque describit, qui, cum natura dissolubiles sint, et mortales, supremi tamen voluntate Dei, quæ naturæ conditione fortior est, immortales erunt, et æterni. Ab his animalia esse procreata, corporaque, in quæ humanas ipse animas infudit.

Hanc Platonis doctrinam exponit Alcinous [2]; qui post sempiternum omnium creatorem Deum, proximos enumerat Deos, cœlestium corporum, siderumque præsides. Tertios deinde Dæmones per elementa distributos, sic ut mundi nulla pars animæ sit expers. Eos porro tam homines, quam animantia omnia finxisse.

Idem vero in *Convivio* Plato sub Diotimæ persona Dæmones secernit a Diis, et inter mortale, et immortale genus, hoc est Deum, *Exponitur opinio Platonis de Angelis.* medios illos constituit [a]; quorum officium ait esse, uti tanquam interpretes, et sequestres, humanas res ad Deos, divinas ad homines transmittant, nimirum preces hominum, et sacrificia Diis offerant, ac Deorum vicissim mandata, et pietatis præmia ad homines reportent. Neque enim misceri per sese cum hominibus Deum, sed per intermedios dæmones amborum commercium, et colloquium omne perfici.

II. Platonis auctoritate freti contra gentiles idipsum Christiani veteres affirmarunt. Tertullianus non negatos a Platone Angelos ait in *Apologetico* [4]. Cyprianus [5] cum a Platone post Socratem Angelos, vel dæmonas esse memoratos asserit; tum ab Magis antiquissimis, et uno eorum imprimis Hostane. « Quorum tamen præcipuus, inquit, Hostanes et formam veri Dei negat conspici posse, et Angelos veros sedi ejus dicit assistere. In quo

a Plato in *Sympos.* Πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξὸ ἐστι θεοῦ τε, καὶ θνητοῦ. τίνα (ἦν δ' ἐγὼ) δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν· τῶν μὲν τὰς δεήσεις, καὶ θυσίας· τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε, καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν. Mox : Θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία; καὶ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους καὶ ἐγρηγορόσι, καὶ καθεύδουσι.

1 Tom. I, libr. VIII, cap. IV. — 2 Cap. XIV et XV. — 3 Alcin. cap. XVII. — 4 Cap. XXII. — 5 Libro *de Idol. vanit.*

et Plato pari ratione consentit, et unum Deum servans; cæteros Angelos, vel dæmonas dicit. »

Quæ quidem ex Minucio Felice Cyprianus expressisse videtur. Hic enim uberius eadem illa de Hostane, quem Sosthenem vulgati ejus codices nominant, ac Platone commemorat cujus e *Symposio* verba describit. Lactantius [1] item dæmonas a Platone descriptos in eodem illo *Symposio* refert. Quanquam non ibi Angelorum nomen usurpat Plato, quod Minucius, ac Cyprianus indicant, sed dæmonum. Verum iidem plane sunt apud nostros Angeli, qui apud ethnicos dæmones vocantur, ut testatur Augustinus [2]; qui et Labeonem, aliosque scribit, « eosdem perhibere, ab aliis Angelos dici, quos ipsi dæmones nuncupant. » Tum ita loquitur: « Nos autem, sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, Angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero bonos dæmones legimus. » Tertullianus item [3] de Socratico dæmone loquens ait, post Deos, et cum Deis dæmonia deputari penes poetas, et philosophos: « Nondum enim Christianæ potestatis documenta processerant, quæ vim istam perniciosissimam, nec unquam bonam, antiqui erroris artificem, omnis veritatis avocatricem sola traducit. »

Ammonius in Commentariis ad librum Aristotelis *de Categoriis*, Angelos a Platone nominatos indicat. « Interrogante, inquit, Timæum Socrate: Quid est Deus; ait ille: Quid non sit, equidem scio; quid autem sit, nescio. Nam non esse corpus, neque colorem, neque Angelum, nec ejusmodi quippiam, sed his omnibus præstare, novi; quid autem sit, ignoro [a]. » Sed Angelorum nomen a Platone usurpari, equidem non memini; verum, ut jam dixi, dæmonum.

Item poetarum. III. Athenagoras vero in oratione *pro Christianis*, Thaletem ait trifariam superiores illas divisisse substantias, « in Deum, ac dæmones et heroas. Ac Deum esse mundi mentem existimat; dæmones vero substantias intelligit animales; heroes denique separatas hominum animas; bonas quidem, esse bonos; malos autem, malas [b]. »

At Platonem refert tum ingenitum Deum constituere, tum ab Ingenito procreata sidera, tam errantia, quam fixa, eosque esse dæmones. Cujusmodi cum se ignorare quinam sint, profiteatur, de his fidem habendam esse Deorum filiis.

Citantur et ex Orphei carminibus isti versus a Clemente Alexandrino, in quibus Angeli nominantur.

Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε, βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.

« Throno tuo ignito adstant laboriosi
Angeli, quibus curæ est, quemadmodum a
[mortalibus omnia gerantur. »

Quæ sunt Hesiodeis supra memoratis consentanea. Jure itaque Psellus in *Quæstionibus* ad Michaelem Ducam imperatorem Græcorum ait, « Græcorum sapientiores in quodam divinitatis stare vestibulo dixisse Angelos, ac mali esse omnis expertes, etc. Angelos autem nominare virtutes omnes post Deum [c]. »

Hierocles vero in commentario ad aurea carmina Pythagoræ, quos *immortales* appellat iste *Deos* his verbis,

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, νόμῳ ὡς διάκεινται,
Τίμα.

Immortales primum Deos, lege ut ordinati sunt,
Honora [4],

« Mundanos interpretatur Deos, quos secundum ordinem unicuique congruentem honorare præcipit, quem creationis lex ipsa una cum illorum substantia condidit; quæ sic illos ordinavit, ut alios in prima sphæra collocaret, alios in secunda, et alios in tertia, et ita deinceps usque ad totum cœlestium orbium complementum [d]. » Hos omnes igitur ita venerari,

a Ammon. in cap. *de Subst.* Ἐρωτῶντος γὰρ Σωκράτους τὸν Τίμαιον, τί ἐστι θεὸς; λέγει ἐκεῖνος, ὅτι τί μὲν οὐκ ἔστιν, οἶδα· τί δέ ἐστιν, οὐκ οἶδα. ὅτι μὲν γὰρ οὔτε σῶμά ἐστιν, οὔτε χρῶμα, οὔτε ἄγγελος, οὔτε τι τῶν τοιούτων, κρείττων δὲ ἢ κατὰ ταῦτα, οἶδα, τί δέ ἐστιν, οὐκ οἶδα.

b Athenag. Πρῶτος Θαλῆς διαιρεῖ, ὡς οἱ τὰ ἐκείνου (διαιροῦντες) ἀκριβοῦντες μνημονεύουσιν, εἰς θεὸν, εἰς δαίμονας, εἰς ἥρωας. ἀλλὰ θεὸν μὲν, τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἄγει· δαίμονας δὲ, οὐσίας νοεῖ ψυχικάς· καὶ τῶν ἀνθρώπων· ἀγαθοὺς μὲν, τὰς ἀγαθὰς, κακοὺς δὲ, τὰς φαύλας.

c Psellus, quæst. lxxxii. Οἱ δὲ σοφώτεροι τῶν Ἑλλήνων, ἐν προθύροις τοῦ θεοῦ τοὺς ἀγγέλους ἑστῶτας οἰόμενοι ἀμετόχους αὐτοὺς τοῦ κακοῦ φασι, etc, Ἀγγέλους δὲ τὰς μετὰ θεὸν πάσας δυνάμεις κατονομάζουσι.

d Hierocl. Ὡς δέοι τοὺς ἐγκοσμίους θεοὺς κατὰ τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτοῖς τάξιν τιμᾶν, ἣν ὁ δημιουργικὸς νό-

1 Lib. II, cap xiv. — 2 Lib. IX *de Civit.* cap. xix. — 3 Lib. *de Ann.* cap. i. — 4 *Pyth. carm.*

carmina illa præcipiunt, ut a Deo constitutum est, hoc est pro cujusque gradu, et ordine; ut « neque dignitatem illorum excedamus, neque infra eam consistamus iis in notionibus, quas de illis informamus [a]. »

Item Philonis Judæi.

IV. Ex illa, quam protuli, theologorum gentilium, præsertim Platonicorum opinione, suam Philo Judæus instruxit. Qui quidem Angelos, sive dæmones, ejusdem atque hominum animos generis esse docuit, et animalium vocabulo, ac natura complexus est. Quippe « naturam animalium in rationalem, et rationis expertem distribuit; priorem rursus in mortalem, et immortalem; mortalem, ut hominum, immortalem, ut animarum corporis expertium, quæ in aere, ac cœlo volitantes pravitate carent omni [b]. »

Idem Philo in libro *de Somniis*, uti dignam gentili, ac Platonico philosopho, ita Scripturarum sacrarum, ac Mosis, et Prophetarum alumno minime congruentem opinionem explicat de quadruplici animarum specie; quarum alias dicit terræ, corporumque captas illecebris in ea descendere, ibique tanquam vinculis attineri; alias certis a natura constitutis terminis, ac temporibus solutas efferri sursum, nec ad corpora amplius reverti; alias iterum in illa relabi. Postremas « esse purissimas, et optimas, quæ altius quiddam, ac divinius sapientes, nulla unquam terrenarum rerum cupiditate tactæ sunt, ac sunt velut præfecti quidam a summo imperatore constituti, velut magni regis oculi, et aures, quæ intuentur, et audiunt omnia. Hos dæmones quidem alii philosophi nominant, at Scriptura sacra Angelos appellare solet [c], » tanquam internuntios, ac sequestres Deum inter patrem, ac filios; quod illius isti metu, ac terrore consternati ad eum aspirare per sese non audent. Sic in libro *de Sacrificiis Abeli et Caini*, « Angeli, inquit, exercitus sunt Dei, corporis expertes, ac beatæ animæ [d]. » In his germanum Platonicum pariter, ac Pharisæum agnoscis. Nam et Pharisæi transitum animarum ex aliis in alia corpora tenuerunt, ut auctor est Josephus [1]. Et Platonem una cum Thalete, Pythagora, et Stoicis, refert Plutarchus, « heroas putasse animas esse corporibus perfunctas; ac bonos quidem esse bonas animas; malos autem, malas; porro dæmones dixisse esse substantias animales [d]. » Cui simile quiddam ex Plotino refert Augustinus in lib. IX *de Civitate Dei*, cap. II.

Item hæreticorum.

V. Ex horum ludo instructi, ac subornati prodierunt antiquiores omnes hæretici; quorum plerique post unicum summumque Deum, Angelos invexere mundi istius, ac rerum omnium, quæ sub sensus cadunt, opifices. Ita hæreticorum princeps omnium Simon; ita Menandriani, Saturniliani, Cerinthiani, Carpocratiani, et illi omnes Æonum architecti commenti sunt; quorum inscitas, et inextricabiles fabulas, Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, aliique scriptis prodiderunt. Seleuciani quoque, ut auctor est Augustinus [2], creatores esse dicebant animarum Angelos.

Peperit et eadem Platonicorum schola commentum aliud eorum, qui inter Deum, et homines medios idcirco Angelos constitutos esse dicebant, quod nonnisi per istos ad illum patere aditus possit. Unde etiam per illos legem esse traditam, et eo nomine divinis propemodum honoribus affici a nobis oportere. Refert hoc Theodoretus in commentario ad caput secundum epistolæ *ad Colossenses* [3]. Quanquam in eo castigando errore nimius quibusdam fuisse videtur, ac reprehendendum nescio quid et ipse dixisse; de quo commodius in secundi libri fine disputabitur, cum de mu-

μος ἅμα τῇ οὐσίᾳ αὐτῶν συμπροήγαγε, τάξας αὐτῶν τοὺς μὲν ἐπὶ τῆς πρώτης σφαίρας, τοὺς δὲ ἐπὶ τῆς δευτέρας, καὶ ἐπὶ τῆς τρίτης ἄλλους, καὶ οὕτως ἐφεξῆς, μέχρι τῆς πάσης τῶν οὐρανίων κύκλων συμπληρώσεως.

a Hierocl. Καὶ μήτε ὑπεραίρειν τὴν ἀξίαν, μήτε ἀπολείπεσθαι ταύτης ἐν ταῖς περὶ αὐτῶν ἐννοίαις.

b Philo lib. *de Confus. ling.* Ἡ μὲν φύσις τῶν ζώων εἴς τε ἄλογον, καὶ λογικὴν μοῖραν ἐναντίας ἀλλήλαις ἐτμήθη τὸ πρῶτον· ἡ δ' αὖ λογικὴ πάλιν εἴς τε τὸ ἄφθαρτον, καὶ ἀθάνατον εἶδος, φθαρτὸν μὲν τὸ ἀνθρώπων, ἄφθαρτον δὲ τὸ ψυχῶν ἀσωμάτων, αἳ κατά τε ἀέρα, καὶ οὐρανὸν περιπολοῦσι, κακίας δὲ ἀμέτοχοι μέν εἰσιν αὗται, etc.

c Philo *de Somn.* Ἄλλαι δέ εἰσι καθαρώταται, καὶ ἄρισται, μειζόνων φρονημάτων, καὶ θειοτέρων ἐπιλαχοῦσαι, μηδενὸς μὲν τῶν περιγείων· ποτὲ ὀρεχθεῖσαι τὸ παράπαν, ὕπαρχοι δὲ τοῦ πανηγεμόνος, ὥσπερ μεγάλου βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ ὦτα, ἀφορῶσαι πάντα, καὶ ἀκούονσαι. ταύτας δαίμονας μὲν οἱ ἄλλοι φιλόσοφοι· ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν.

d Ἄγγελοι γὰρ στρατός εἰσι θεοῦ, ἀσώματοι, καὶ εὐδαίμονες ψυχαί. Vide et in libro *de Mundi opificio.*

e Plut. lib. I *de Plac. Phil.* cap. VIII. Θαλῆς, Πυθαγόρας, Πλάτων, οἱ Στοϊκοὶ δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς· εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων· καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθὰς, κακοὺς δὲ, τὰς φαύλας.

1 Lib. XVIII *Orig.* cap. II et lib. II *de Excid.* cap. VII. — 2 Lib. *de Hær.* cap. LIX. — 3 Vers. XVIII.

tuis Angelorum in nos, et nostris in illos officiis agemus.

Omnium consensu Angelos esse aliquos.

Cæterum ex tanto sapientum virorum, etiam gentilium, consensu id efficitur, rem esse confessam, ac pene naturali instinctu cognitam, Angelos esse aliquos in rerum natura; qui, etsi oculis minime videntur, usu tamen, et officio sentiuntur. Quod eos multo magis agnoscere, ac fateri necesse est, qui sacrarum Litterarum auctoritate moventur. Nam illæ Dei administras, et interpretes commendant cœlestes quasdam substantias, quæ ratione, intelligentiaque præditæ, quocumque libuerit, momento rapiuntur; et per sese minime nobis aspectabiles, simul atque visum iis fuerit, apparent confestim, ac subinde ex oculis evanescunt.

Sadducæi negantes refelluntur.

VI. Quo minus tolerabiles fuere Sadducæi; qui, ut in *Actis*[1] Lucas refert, *neque resurrectionem fore credunt, neque Angelum esse, neque Spiritum*. Nempe πνευματικὴν οὐσίαν funditus abolebant; ideo neque Angelos, neque Spiritum sanctum usquam in rebus esse dicebant. Imo vero, quod alibi significamus, Deum ipsum corporeum esse putabant; quibus cum Samaritanis sentiebant, ut Epiphanius[2], et Leontius, aliique narrant. Mirum vero istud est, negare Angelos quemquam, qui quinque saltem Mosis libros asciscì pateretur, quos solos amplexos esse Sadducæos veteres affirmant, ut in *Epiphanianis Animadversionibus* ostendimus. Nam in libris istis crebra est, et manifesta Angelorum mentio, uti *Geneseos* XIX duo Angeli Sodomam venerunt, et eversis oppidis, Lotum inde liberarunt. Et alibi Angelus Domini Agarem compellat[4], eique reditum persuadet ad herilem domum. Item Abraamus famulum suum in Mesopotamiam mittens[5], *Dominus Deus cœli*, etc., *mittet*, inquit, *Angelum suum coram te*; et ejusdemmodi alia quamplurima. In cæteris Scripturæ libris tam historicis, quam propheticis, longe etiam frequentiora sunt, et evidentiora testimonia, quæ supervacaneum sit adscribere, cum sint ignota nemini. In Novo denique Testamento iisdem de Angelis clarissima fit mentio, uti nemo, qui Christianam teneat fidem, esse Angelos dubitare possit, quod Augustinus docet concione I *in Psalmum* CIII.

Mirum est autem, inter Judæos, hoc est in electo illo genere, Deique populo, repertos esse aliquos, qui tanto minus, quam externi, ac gentiles, divinis, ac cœlestibus in rebus saperent. Etenim tum illi ipsi, quos percensui, præter corpora, spiritus esse corpore, ac materia carentes intellexerunt; tum ad eamdem notitiam via, et ratione pervenit Aristoteles, qui et in octavo *Physicorum* libro, et in duodecimo *Metaphysicorum*[6] id ipsum argumentando colligit; maxime autem cœlestium ex orbium agitatione, quorum conversionibus ad perpetuitatem incitandis, ac gubernandis præesse docuit absolutas a corporum concretione substantias, quas separatas vocant.

Spirituum existentiam agnovit Aristoteles.

Maiemonidis sententia.

VII. Agit de his, ac præsertim de Aristotelis sententia erudite Rabbi Moses Maiemonides in lib. II qui *More Nebochim* inscribitur[7]. Ubi et illud ait, « Minime esse necessarium probare ex lege, Angelos esse, cum plurimis hoc in locis scriptum reperiatur. » Tum Angelos appellari etiam naturales virtutes, et facultates; sed esse nihilominus peculiari quadam ratione nominatas hoc vocabulo separatas, et corpore carentes quasdam substantias; quos Hebræi proprie מלאכים id est ἀγγέλους, et *nuntios* vocant.

Angeli cur dicti et Elohim.

De quo nomine tritum illud est Augustini, et ab Gregorio papa, aliisque passim usurpatum, in quo et Angelorum exstantia, deque ea Christiana fides exprimitur[8]: « Angelos, inquit, novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum vero mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus est, quæris officium? Angelus est. »

Addit Rabbi Moses eosdem in sacris libris *Elohim*, id est *Deos* nuncupari, tanquam divini consilii participes. Quippe « nihil Deum facere, donec illud consideraverit in familia superiori[a]. » Familiam enim Dei vocant Angelos.

Augustinus item libro nono *de Civitate Dei*, capite ultimo, *deos* in Scripturis dici Angelos ostendit, ut cum *Deus deorum* dicitur. In quod et Platonicos consentire ait, nisi quod dæmones illos vocant, quos ad infima ministeria Deus adhibet, quique sunt a diis diversi. De hac opinione Platonicorum, ac reliquis, quæ ad Angelorum officium, et cultum pertinent, latius postea disputabimus.

a Rabbi Moses II *More*, cap. VI. אין ח״כה עושה דבר עד שמסתכל בפמליא שלמעלה.

1 *Act.* XXIII, 8. — 2 *Hær. Samar.* — 3 Lib. *de Sect.* Act. II. — 4 *Gen.* XVI, — 5 *Gen.* XXIV, 7. — 6 Cap. VI et seq. — 7 Cap. VI. — 8 Aug. *in Psal.* CIII.

CAPUT II.

Corpusne habeant Angeli, an incorporei sint. Antiquorum opinio proponitur, qui corporatos existimarunt; ut Justinus, Clemens Alex., Methodius, Origenes, Basilius dubie locutus. De septima Synodo; et Tarasio. Latini, qui idem senserunt, ut Tertullianus, Ambrosius, Augustinus; cujus perplexa ratio de animabus humanis, quas mere spirituales putat, cum Angelos tales esse neget. Sed nec animas habere credit Angelos, cum præter corpus cæteri spiritum iis assignent.

Antiquorum plurimi corporatos existimaverunt Angelos. *Spiritus.*

I. Antiquissimi quique theologi constare corporibus Angelos arbitrati sunt, sed iisdem æthereis, ac subtilibus, quæ nihil, quominus spiritus appellentur, prohibere possent. Etenim non solum ventos, et aerem πνεύματος vocabulo complectimur, sed etiam tenuissimas in humano corpore sanguinis partes, per quas, ceu vehicula quædam, ab iis partibus, quæ principatum tenent, vegetandi, sentiendique vis manat in reliquas. Sic animalis a cerebro spiritus ad motus, ac sensus officia per nervos effunditur; vitalis autem per arterias a corde propagatus, insitum calorem recreat, quo animantis vita continetur.

Igitur Justinus in dialogo *cum Tryphone* [a] adeo corporibus præditos esse putat Angelos, ut ali etiam illos in cœlo, vescique velit ignoto nobis et inusitato ciborum genere; cujusmodi manna fuit, quod Judæis in deserto pluit e cœlo. Id enim *Angelorum panem* in Scriptura nominari [1]. Quippe de tribus illis, qui Abraamo conspecti sunt, cum de evertendis quinque oppidis ageretur, duos tantummodo, qui revera Angeli erant, comedisse videri. Siquidem Angelis suus quidam in cœlo cibus est. Aut si, nullo excepto, cibo usi sunt omnes, comedisse sic eos intelligi, quemadmodum de igne dicere consuevimus, ab illo omnia devorari.

Sic alio in libro Justinus [3] idem Angelos ait inferiori huic mundo præpositos cum mulieribus stupri habuisse consuetudinem, ex eoque satu procreatos fuisse dæmones; quæ res ostendit corporeos ab illo constitutos esse Angelos. Atque hoc posterius de Angelorum commercio cum feminis plures alii tradiderunt, ut Athenagoras [4], Clemens Alex. [5], Methodius in libro *de Resurrectione* apud Epiphanium hær. 64 n. 21, Tertullianus [6], Lactantius [7], Ambrosius [8]; quos suo loco referemus, cum de Angelorum peccato disputabimus.

II. Citra hunc vero falsissimum errorem diserte Angelis attribuere corpora nonnulli priscorum Patrum. Sed quidam ita, ut non propria, veraque illa esse corpora putarent; verum id omne, quod certa regione ac loco definitur, et circumscriptam habet substantiam, eo vocabulo significarent; alii vera, subtilissima, et ætherea illorum corpora finxerunt. Methodius martyr, vir eruditus, Angelis corpus ex aere puro, et igne assignare videtur, cum sic ait; « Quæ puro ex aere, igneque moles est conflata, et ejusdem est cum Angelis substantiæ, non potest habere qualitatem terræ [b]. » Idemque corpus animæ etiam carnis exsolutæ vinculis assignat [9].

Quo sensu nonnulli priscorum Patrum corpora angelis attribuerint

Origines in primo *De principiis*, capite VI « solius Dei proprium esse putat, ut sine materiali substantia, et absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur subsistere. » Et in secundo libro, c. VIII scribit, « non videri absurdum, de sanctis Angelis, cæterisque cœlestibus virtutibus vel dicere, vel sentire, illos animas habere, tametsi id ex nullius auctoritate Scripturæ constet. Siquidem definitio animæ etiam in ipsos videtur incurrere. » Quod ex eo probat, quia mobiles sunt, et sensu rationali præditi. Et sub finem libri quarti, negat posse « naturam rationabilem absque ullo corpore vitam degere. » Quod eo sensu videtur exponere, ut cum « intellectualis natura convertibilis, et commutabilis sit, neque substantialem habeat vel virtutem, vel malitiam, sed accidentem, necesse fuerit, ut, sicut diversitates prænoscebat Deus futuras

[a] Just. *dial.* Εἰ δὲ τοὺς τρεῖς ἀκούσαιμεν λελέχθαι βεβρωκέναι, καὶ μὴ τοὺς δύο μόνους, οἵ τινες ἄγγελοι τῷ ὄντι ἦσαν, καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δῆλόν ἐστιν ἡμῖν, τρεφόμενοι, κἂν μὴ ὁμοίαν τροφὴν, ἥπερ οἱ ἄνθρωποι χρώμεθα, τρέφονται· περὶ γὰρ τῆς τροφῆς τοῦ μάννα, ἣν ἐτράφησαν οἱ πατέρες ὑμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἡ γραφὴ οὕτω λέγει, ὅτι ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγον, εἴποιμ' ἂν ὅτι ὁ λόγος ὁ λέγων βεβρωκέναι οὕτως ἂν λέγοι, ὡς ἂν καὶ αὐτοὶ εἴπομεν ἐπὶ πυρὸς, ὅτι πάντα κατέφαγεν.

[b] Method. apud Phot cod. CCXXXIV. Ὅτι, φησί· πᾶν γὰρ τὸ ἐκ καθαροῦ ἀέρος, καὶ καθαροῦ πυρὸς συνιστάμενον σύγκριμα, καὶ τοῖς ἀγγελικοῖς ὁμοούσιον ὑπάρχον, οὐ δύναται γῆς ἔχειν ποιότητα.

1 *Psal.* LXXVII. — 2 *Gen.* XVIII. — 3 *Apol.* I init. — 4 *Apolog.* — 5 *Strom.* 3. — 6 Lib. *de Virg. vel.* et lib. *de Cui fem.* c. X. — 7 Lib. II, cap. XIV. — 8 In *Apol. Davidis,* cap. I. — 9 Apud Phot. cod.

vel animarum, vel virtutum spiritualium, ita etiam naturam corpoream faceret, » in quam videlicet pro suis meritis compingi possent. Sed oscitantis, ac delirantis ista somnia prætermitto. Quibus tamen subscripsisse Theognostus apud Photium, codice 106 dicitur, ac « subtilia Angelis, et dæmonibus affinxisse corpora [a]. » Quanquam Origenes in libro sexto *contra Celsum*, Angelos corpore carere dicit : « Nos, inquit, incorpoream substantiam non putamus igne conflagrare, neque in ignem resolvi hominis animam, vel Angelorum, sive thronorum, aut dominationum, aut principatuum, aut potestatum substantiam [b]. »

In fine operum Clementis Alexandrini, excerpta quædam ex Theodoti scriptis, et Orientali doctrina leguntur, quæ multis hæresibus scatent. In iis, quod ad institutum nostrum attinet, corporei Angeli constituuntur ; iisque cœlestia, formosa, et intelligibilia tribuuntur corpora. Nam et videntur, inquit, et figuris certis continentur ; dæmones vero etiam pœnis cruciantur. Sed et hominum animas iisdem de causis esse corporeas putat ; imo et ipsum Dei Verbum, ac Filium corpore præditum asserit multo præstantiore, quam sunt Angelorum corpora. Cæterum Clemens ipse in primo *Pædagogici*, capite sexto, *manna Angelorum cibum* esse dicit, τῶν ἀγγέλων ἐπουράνιον τροφήν.

Basilius dubie locutus.

IV. Basilius vero non satis constare sibi videtur. Nam in homilia, in qua Deum auctorem non esse malorum probat, νοητὴν κτίσιν, id est *intelligibilem creaturam* a corporea secernit, et ad priorem Angelos adscribit tam bonos, quam malos. Et in eadem homilia sub finem, Diabolum vocat φύσιν ἀσώματον, id est *naturam corporis expertem*. Item in libro quarto *contra Eunomium*, Angelorum naturam ἀσώματον, καὶ λογικὴν, hoc est *corpore carentem, et ratione præditam*. At in libro *de Spiritu sancto*, capite XVI, constare illos corporibus affirmat : « Substantia quidem ipsarum (cœlestium virtutum) spiritus puta, est aerius, inquit, aut ignis expers materiæ, secundum id quod scriptum est : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*. Ideo et in loco sunt, et fiunt aspectabiles, in specie propriorum corporum iis, qui digni sunt, apparentes [c]. » At eodem capite paulo ante « puras, et intellectu præditas, ac supra mundum sitas virtutes illos vocat [d]. » Porro quid inter νοητὸν et νοερὸν intersit, paulo post dicam.

Rursus auctor commentariorum *ad Isaiam*, qui Basilio solent inscribi, nec sunt tamen illius, videtur etiam corporatos Angelos facere. His enim perinde, atque hominibus, animas affingit : « Angelorum, inquit, animæ non obnoxiæ sunt pavori. Nam perturbatione ipsa superiores sunt. Neque item brutorum animæ ; non enim tangit illas timiditas, cum sit perpessio rationalis potentiæ [e]. »

Macarius homilia IV Angelos, animas, Dæmones corpora esse censet sui generis, hoc est subtilia ; ob idque corpus assumpsisse Deum, ut cum aspectabilibus creaturis, hoc est animabus sanctorum, et Angelorum conjungi posset : « Subtilem, ait, quemdam, ac profundum sermonem pro captu facultatis meæ eloqui volo. Ideo vos prudenter auscultate. Corpus induit infinitus, et inaccessus, et infectus Deus, ob immensam, et superiorem cogitatione omni bonitatem suam ; atque, ut ita dicam, extenuavit se ab inaccessa sua majestate, ut cum aspectabilibus suis creaturis conjungi posset, ut puta sanctorum animabus et Angelorum, ut vitæ Dei participes esse possint. Nam unumquodque pro sua natura corpus est, Angelus, anima, dæmon, quoniam, etsi subtilia sint, nihilominus in subsistentia, et figura, et imagine, secundum tenuitatem naturæ suæ, corpora sunt subtilia, quemadmodum subsistentia corpus istud crassum est [f]. »

a Theogn. apud Phot. cod. CVI. Ἐν δὲ τῷ τετάρτῳ περὶ ἀγγέλων καὶ δαιμόνων ὁμοίως ἐκείνῳ καινολογεῖ, καὶ σώμοτα αὐτοῖς λεπτὰ ἀμφιέννυσι.

b Orig. Ἡμεῖς δὲ ἀσώματον οὐσίαν οὐκ ἴσμεν ἐκπυρουμένην, οὐδὲ εἰς πῦρ ἀναλυομένην τὴν ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ τὴν ἀγγέλων, ἢ θρόνων, ἢ κυριοτήτων, ἢ ἐξουσιῶν ὑπόστασιν.

c Basil. Ἡ μὲν οὐσία αὐτῶν τὸ ἀέριον πνεῦμα, εἰ τύχοι, ἢ πῦρ ἄϋλον, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πῦρ φλέγον. διὸ καὶ ἐν τόπῳ εἰσὶ, καὶ ὁρατοὶ γίνονται, ἐν τῷ εἴδει τῶν οἰκείων αὐτῶν σωμάτων τοῖς ἀξίοις ἐμφανιζόμενοι.

d Idem. Καθαρὰς, καὶ νοερὰς, καὶ ὑπερκοσμίους δύναμεις.

e Basil. in *Esa.* XIII vers. 7. Οὔτε γὰρ ἀγγέλων ψυχαὶ δειλίᾳ ὑπόκεινται, διὰ τὸ ἀνωτέρας εἶναι τοῦ πάθους αὐτοῦ. οὔτε δὲ ἡ τῶν ἀλόγων. οὐ γὰρ ἅπτεται ἡ δειλία πάθος οὖσα τοῦ λογισκοῦ.

f Macar. hom. IV. Λεπτὸν δέ τινα λόγον καὶ βαθὺν κατὰ τὴν προσοῦσάν μοι δύναμιν εἰπεῖν βούλομαι· διὸ συνετῶς ἀκούσατε. ἐσωματοποίησεν ἑαυτὸν ὁ ἄπειρος, καὶ ἀπρόσιτος, καὶ ἀποίητος θεὸς, διὰ τὴν ἄπειρον, καὶ ἀνεννόητον χρηστότητα, καὶ ὡς εἰπεῖν ὡς ἐσμίκρυνεν ἑαυτὸν ἐκ τῆς ἀπροσίτου δόξης, ἵνα συνενωθῆναι δυνηθῇ τοῖς ὁρατοῖς αὐτοῦ κτίσμασιν, οἷον ψυχαῖς ἁγίων, καὶ ἀγγέ-

V. Cyrillus Alexandrinus libro nono *in Joannem*, solum Deum ἀσώματον, id est *incorporeum* esse significat. Ideo enim hunc solum circumscribi non posse, cum circumscribantur cætera, quia corpora sunt, « tametsi non ejusmodi, qualia sunt nostra [a]. »

Ephræm quoque, videtur in sermone *De natura Dei minime scrutanda*, Angelis assignare corpora, et quidem ignea. Severianus Gabalitanus homilia prima *De mundi opificio*, perinde igneos esse Angelos affirmat; nec satis tamen constanter loquitur. Nam primo die lucem creatam esse dicit, et hunc esse ignem: « Non enim, ait, hic solus est ignis, sed cœlestes etiam virtutes sunt ignis, ac superior ille ignis nostro huic, inferiorique cognatus est [b]. » Ac subinde ita scribit, « Angelos Deus fecit spiritus, fecit et animas nostras spiritus; verum animas nostras fecit in corporibus; Angelos extra corpora [c]. » Quod sic intelligendum apparet, ut et animas nostras, et Angelos igneæ esse substantiæ crediderit, sed ex igne cœlesti, non hoc nostro creatos. Nam, etsi ambo cognati sint, tamen hoc differunt, quod cœlestis pabulo, et materia non indiget, ideo est ἄϋλος; at noster sine materia esse non potest. Sic Angeli, quamvis tenuissimum corpus habent, degunt tamen expediti, ac liberi ab crasso, concretoque corpore, cujusmodi nostra sunt, in quibus, et cum quibus animæ procreantur. Sic enim mox Severianus hanc similitudinem declarat.

Idem et in homilia IV. « Quid est, inquit, homo? Nonne terra, et a terra? Nonne pulvis tantum, ac cinis? etc. Quid sunt Angeli? Nonne spiritus? nonne ignis [d]? » Quod Davidis testimonio probat. Tum pergit: « Cum igneæ naturæ intellectu præditos et incorporeos faceret Angelos, consiliario nihil opus habuit. » Ecce Angelos vocat *incorporeos*, et tamen corpus ex igne, ac vento tribuit, et igne quidem nostro huic, inferiorique cognato. Poterat hæc liquidius, et clarius concipere.

VI. Cæsarius ex eadem opinione, « Incorporei quidem, ait, Angeli sunt secundum nos, corpus vero secundum sese, quemadmodum ventus, aut ignis, aut fumus, aut aer; sunt enim tenuia, et immaterialia corpora, ab nostra crassitudine secreta. Quippe corpora cœlestia, et corpora terrestria dicit sanctus Apostolus [e]. » Et alibi ignea corpora iisdem attribuit [1].

Hanc ipsam sententiam Theodoro Mopsuesteno Philoponus impingit ex eo, quod Angelos certo in loco esse vellet [2]. Id enim corporum proprium esse contendit. Sed tam istum, quam cæteros idem sentientes asserit, incorporeos Angelos eo solo nominare, quod crassa, concretaque non sint illorum corpora, qualia sunt arborum, metallorum, et animalium, sed subtiliora, quæ propter tenuitatem contrectari sensibus nequeunt, atque hoc ἀσώματον, *corporis expers* ab illis vocari. Anastasius quoque Sinaita: « Non enim Angelorum, et principatuum, et ipsius etiam animæ naturas a corporibus omnino nudas existimamus [3]. »

In Œcumenica septima synodo Joannis Thessalonicensis lectus est dialogus, in quo cum gentili sanctus quidam disputans inducitur. Ibi vero cum Angelos, et Archangelos, tum animas hominum habere corpora sentit, sed subtilia, et aerea, vel ignea [f]; quamvis νοεροῦς, id est *intelligibiles* illos esse Ecclesia

De septima synodo, et Latinorum opinione Patrum.

λων λέγω, ἵνα δυνηθῶσι ζωῆς θεότητος μετασχεῖν· ἕκαστον γὰρ κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σῶμά ἐστιν, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχὴ, ὁ δαίμων· ὅτι κἂν λεπτὰ ὦσιν, ὅμως ἐν ὑποστάσει, καὶ χαρακτῆρι, καὶ εἰκόνι κατὰ τὴν λεπτότητα τῆς φύσεως αὐτῶν σώματα τυγχάνει λεπτὰ, ὥσπερ ἐν ὑποστάσει τοῦτο τὸ σῶμα παχύ ἐστι.

a Cyril. Ἃ καὶ ἀκινδύνως τε, καὶ ἀληθῶς περιέχεσθαι δώσομεν, σώματα γὰρ, εἰ καὶ μὴ τοιαῦτα τυχὸν, ὁποῖα τὰ ἡμέτερα.

b Sever. Οὐ γὰρ μόνον τοῦτο τὸ πῦρ ἐστιν, ἀλλὰ καὶ αἱ ἄνω δυνάμεις πῦρ εἰσι, καὶ συγγενές ἐστι τὸ ἄνω πῦρ τούτου τοῦ παρ' ἡμῖν.

c Ibid. Ἐπεὶ καὶ τοὺς ἀγγέλους ἐποίησεν ὁ θεὸς πνεῦματα. καὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν πνεύματα· ἀλλὰ τὰς μὲν ψυχὰς ἡμῶν ἐν σώμασιν ἐποίησε· τοὺς δὲ ἀγγέλους ἐκτὸς σωμάτων.

d Idem. Τί ἐστιν ἄνθρωπος; οὐ γῆ, καὶ ἀπὸ γῆς; οὐ κόνις μόνον, καὶ τέφρα, etc. Τί εἰσιν οἱ ἄγγελοι; οὐ πνεῦμα; οὐ πῦρ; Mox: Τὴν τοῦ πυρὸς φύσιν ἐργαζόμενος, τὰ νοερὰ, καὶ ἀσώματα πνεύματα, οὐ χρείαν ἔσχε συμβούλου.

e Cæsar. dial. I, interr. 48. Ἀσώματοι μὲν οἱ Ἄγγελοι καθ' ἡμᾶς, σῶμα δὲ καθ' ἑαυτοῦς, ὡς ἄνεμος, ἢ πῦρ, ἢ καπνὸς, ἢ ἀήρ· σώματα γὰρ ὑπάρχουσι λεπτὰ, καὶ ἄϋλα, ἔξω τῆς ἡμετέρας παχύτητος. σώματα γὰρ ἐπουράνια. καὶ σώματα ἐπίγεια, φησὶν ὁ ἱερὸς Ἀπόστολος.

f In act. v. Νοεροὺς μὲν αὐτοὺς ἡ καθόλικὴ ἐκκλησία γινώσκει, οὐ μὴν ἀσωμάτους πάντη καὶ ἀοράτους, ὡς ὑμεῖς οἱ Ἕλληνές φατε· λεπτοσωμάτους δὲ, καὶ ἀερώδεις, ἢ πυρώδεις, etc.

1 Dial. I Interr. LVIII. — 2 Lib. I *de opis.* cap. XVI. — 3 Qu. in Script. Tom. I *Bibl. Patr.*

catholica defendat. Qua in opinione Basilium, Athanasium, et Methodium esse dicit. Quippe « solus, inquit, revera Deus incorporeus, et incircumscriptus est. Intelligibiles vero creaturæ non penitus incorporeæ sunt, et invisibiles, ut Deus. Ideo in loco sunt, et circumscribuntur. Sicubi autem incorporeos appellari Angelos invenias ; aut dæmones, aut animas ; idcirco sic appellantur, quod ex materialium quatuor elementorum permistione non constent ; nec ejusmodi sint corpora, crassa, et solida, qualia nobis circumfusa sunt. Etenim, ut vere dicam, etsi respectu ad nos habito, invisibiles sint, tamen a plerisque visi sunt, sensuque percepti in specie propriorum corporum, visi, inquam, sunt ab iis, quorum Deus oculos aperuit ; ac, cum loco circumscripti sint, satis ostenditur, non eos omnino incorporeos esse perinde ut est Deus [a]. »

VII. Quod Basilium ait corporeos Angelos asserere, potest ad illa loca referri, quæ paulo ante descripsimus. Athanasius vero nusquam, quod equidem meminerim, idipsum docuit ; nisi quod Angeli naturam definiens, « Angelus, inquit, est animal rationale, materiæ expers, hymnis Deum prædicans, immortale [b]. » Cum igitur *animal rationale* vocetur, corpore præditum videri potest ; sine quo animal est nullum. Verum hæc lacinia non videtur esse Athanasii. sed ex quæst. *ad Antio.* qui liber supposititius est, irrepsisse. Ibi enim quæst. XXX legitur. Deinde vero, ut Athanasii sit, non sic vocabulum animalis intelligendum arbitror, uti cum corpore necessario conjunctum sit, sed ut idem sit, ac *vivens* ; de quo postea pluribus agetur, cum de magni Gregorii sententia disputabimus. Nunc illud admonemus, haud satis accuratam esse quorumdam rationem, qui Athanasium Angelos expertes corporis constituisse, ex eo argumentantur, quod in quæstione XVI *ad Antiochum*, animam hominis incorpoream esse voluit ; unde verisimile sit, multo id magis ipsum de Angelis existimasse. Nam neque liber iste Athanasii est, ut diximus ; et qui animas hominum corporis expertes esse spiritus affirmat, non continuo de Angelis idem sentiat ; ut de Augustino postea docebitur.

Ut ad septimam synodum revertar, cum in ea Joannis Thessalonicensis lectus esset locus, Tarasius Patriarcha, quid inde consequens foret, colligens, « Ostendit, inquit, pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt. Sancta synodus dixit : Etiam Domine [c]. » Quo in loco frustra se nonnulli theologi torquent, quod illam de Angelorum corporibus Joannis sententiam approbasse synodus œcumenica videtur. Itaque variis modis explicare conantur, sed nihil est necesse. Etenim Tarasius ex Joannis oratione id unum arripuit, cui et synodus assentitur : circumscriptos esse Angelos, et humana specie esse conspectos ; ideoque fas illos esse pingere ; de eorumdem corporibus tacuit. Quare nullum ex eo præjudicium ad illam controversiam potest fieri.

VIII. Ex Latinis Patribus Tertullianus imprimis tam humanas animas, quam Angelos corporeos esse credidit. In libro enim *de Carne Christi*, « Constat, inquit, angelos carnem non propriam gestasse, utputa naturæ substantiæ spiritualis ; et si corporis alicujus, sui tamen generis ; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri, et congredi cum hominibus possent [1]. » Neque vero propterea dubia est ejus sententia, quod illos *substantiæ spiritualis* esse dicit, et alibi *substantias spirituales* nominat, et *spiritus* [2]. Nam et animam idem, uti dixi, corpulentam esse sentit ; et nihilominus *spiritum* [3]. Deinde contra Marcionem disputans, non solum iis corpora tribuit, sed etiam concretiora, quam humanis animis [4] : « Nam etsi Angelus, ait, qui seduxit ; sed liber, et suæ potestatis, qui seductus est ; sed imago, et similitudo Dei fortior angelo ; sed adflatus Dei generosior spiritu materiali, quo Angeli constiterunt. Qui

a Ibid. Μόνον γὰρ ὡς ἀληθῶς τὸ θεῖον ἀσώματον, καὶ ἀπερίγραπτον. τὰ δὲ νοερὰ κτίσματα οὐ πάντη ἀσώματα, καὶ ἀόρατα, ὡς τὸ θεῖον. διὸ καὶ ἐν τόπῳ εἰσὶ, καὶ ἐμπερίγραφα τυγχάνουσι. Εἰ δέ που εὕροις ἀσωμάτους καλουμένους τοὺς ἀγγέλους, ἢ δαίμονας, ἢ ψυχὰς, ὡς μὴ ὄντας ἐκ συμμίξεως τῶν ὑλικῶν τεσσάρων στοιχείων, καὶ τοιαῦτα σώματα παχέα, καὶ ἀντίτυπα, οἷα ἡμεῖς περικείμεθα, οὕτως αὐτοὺς προσηγόρευσαν· τῷ ὄντι γὰρ ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀόρατοί εἰσιν. ὡς ὁραθέντες δὲ παρὰ πλειόνων αἰσθητῶς πλεονάκις τῷ εἴδει τῶν οἰκείων αὐτῶν σομάτων· ὡράθησαν δὲ ὑφ' ὧν ἤνοιξεν ὁ θεὸς τοὺς ὀφθαλμούς· καὶ τόπῳ περιγραφόμενοι δείκνυνται μὴ ὄντος πάντη ἀσώματοι, ὡς ἡ θεία φύσις.

b ATHANAS. *de Com. essen. Pat.* etc. Τί ἐστιν ὅρος οὐσίας ἀγγέλου ; ἄγγελος γὰρ ζῶον λογικὸν, ἄϋλον, ὑμνολογικὸν, ἀθάνατον.

c SEPT. *Syn.* act. V. Ἀπέδειξε δὲ ὁ πατὴρ, ὅτι καὶ τοὺς ἀγγέλους δεῖ γράφεσθαι, ἐπειδὴ περιγράπτοί εἰσι, καὶ ὡς ἄνθρωποι ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. Ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· Ναὶ δέσποτα.

1 Cap. VI. — 2 Apol. cap. XXII. — 3 Lib. *de Anima.* — 4 Lib. II *cont. Marcion.* cap. VIII.

facit, inquit, spiritus angelos, et apparitores flammam ignis. » Igitur animas hominum subtiliore ex adflatu, spirituque constare, quam Angelos, existimat; cum illæ ex Dei adspiratione procreatæ sint, ignea istis, flammeaque sint corpora.

Non secus opinari videtur Hilarius ad hunc modum scribens[1]: Nihil est, quod non in substantia sua, et creatione corporeum sit; et omnium sive in cœlo sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt. Nam et animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur; quia omne, quod creatum est, in aliquo sit necesse est. Sed Hilarii mentem paulo post aliter explicandam esse demonstrabimus.

Ambrosius lib. II *de Abraham*, cap. VIII Peripateticorum opinionem refellens, qui cœlum quinta quadam constare substantia, et ab elementis quatuor diversa sentiebant, sic universe præscribit: « Nos autem nihil materialis compositionis immune, atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam; quæ vere pura, et simplex sinceræ, impermistæque naturæ est. » Ita creatas res omnes eadem, qua elementa constant, censeri materia putat Ambrosius, adeoque cœlestes spiritus, et Angelos. Proinde corporeos revera illos esse statuit. Nam quidquid elementorum propriam habet materiam, necesse est esse corporeum. At idem in caput *Lucæ* XII ubi de liliis, et Salomonis cultu sermo fit, « Angeli, inquit, quorum natura divinior, expers manet injuriæ corporalis, recte, licet maximo viro, consideratione tamen nostræ injuriæ præferuntur. » Ubi corpore carere Angelos, significare videtur ideoque Salomoni, qui vestitu opus habebat, anteponi. Verum sic illum interpretari possis, ut etsi corporibus constent, non tamen ea sint ejusmodi, ut ad vitandas aeris injurias vestimento iis opus fuerit.

Augustini sententia expenditur.

IX. Augustinus vero pluribus in locis corporeos esse Angelos affirmat. Velut in secundo *de Trinitate*[2], cum illos ait « corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in species, quas velint, accommodatas, atque aptas actionibus suis mutare, atque vertere secundum attributam sibi a creatore potentiam; » quæ verba sequente libro repetit[3].

Tum *ad Psalmum* LXXXV ad ista verba, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, sic ille scribit: « Adhuc habet vitam utique corpus nostrum; et tamen comparatum corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc habens animam. » Sic in *Psalmum* CXLV. « Sed etiam, ait, cum fuerit tale corpus nostrum, corpus jam cœleste, et spiritale, corpus angelicum in societate Angelorum, nec sic dabit consilium animæ. »

Item epistola CXV respondens interroganti Nebridio, « quomodo fiat, ut a superioribus potestatibus, vel a dæmonibus et cogitationes quædam inferantur, et somnia, » primum ita disputat, « omnem motum animi aliquid facere in corpore, etc. Ex quo, inquit, licet conjicere, cum etiam cogitamus aliquid, neque id nobis in nostro corpore apparet, apparere tamen posse aereis, æthereisve animantibus, quorum et sensus acerrimus, et in cujus comparatione noster ne sensus quidem putandus est. » Mox, nequaquam est absurdum eos, qui aerio, vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majore uti facilitate ad movendum quidquid volunt, » etc. Ubi tam Angelos, quam dæmones corporibus esse præditos asserit, sed illos æthereis, et subtilioribus, istos crassioribus, et aereis. Ita enim existimasse videtur Augustinus, Angelorum corpora dissimili, ac Dæmonum constare substantia; quod in lib. III *de Genesi ad litteram*[4] exponit, ubi « dæmones aerea dici ait animalia; quoniam corporum aereorum natura vigent, et propterea morte non dissolvuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum, quam ad patiendum est aptius. » Et paulo post de aere superiori loquens: « In qua fortassis parte si fuerint ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc diabolo, tunc Archangelo, (nam nonnulli nostri non eos putant cœlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse) non mirum, si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem; ubi tamen et aer sit, et humore tenui contexatur, etc. Si autem transgressores illi, antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant; neque hoc mirum est, si conversa sint ex pœna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris, aliquid pati, » etc.

Et sermone CII *de Diversis*, capite IX « Cum ergo videamus tantam celeritatem cœlestium

1 In *Mat.* can. V. — 2 Cap. VII. — 3 Cap. I. — 4 Cap. X.

corporum, quæ nobis videntur, cum attenduntur, non moveri; cui celeritati comparare possumus corpus angelicum? etc., nihil difficultatis, nihil tarditatis omnino sentiunt. * »

X. At idem Augustinus[1] alio in libro ejusdem operis Angelos appellat *spiritualem creaturam et intellectualem*. Sed *spiritualis* eo modo potest intelligi, quo spirituale corpus post resurrectionem fore dicitur; hoc est, non crassum, atque compactum, sed subtile, et ætherei simile. Siquidem diserte Angelis ætherea corpora Augustinus affingit, ac multo præstantiora purioraque, quam dæmonibus; quos nonnulli quoque, qui expertes corporis Angelos esse volunt, corporeos statuunt, ut, cum privatim de illis agetur, ostendam. Non omittendum tamen arbitror, Augustinum in epistola CLXXIV spiritum ei, quod corpus est, opponere, dum sic scribit: « Nam hoc nomen, quod spiritus dicitur non secundum id, quod refertur ad aliquid, sed secundum id, quod aliqua natura significatur, omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur. Unde non tantum Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sed omni rationali creaturæ, et animæ hoc vocabulum congruit. » Ac subinde affert in exemplum illud e *Psalmo*[2]: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Ex iis concludi potest, perinde incorporeos esse Angelos, ut animas; quoniam utrique spiritus appellantur. Porro animas meros esse spiritus, Augustini est sententia. Nam et spiritum humanum a corporeo, id est vento distinguit in secundo *de Trinitate* cap. XVIII et epist. XXVIII sub initium, incorpoream esse animam apertissime demonstrat. Tum in epistola CLVII non esse corpus ait, sed spiritum. Et in tractatu *ad Psalmum* CXLV. « Semper enim corpus, ait, quoniam corpus est, infra animam est, et quævis anima vilis excellentissimo corpore excellentior invenitur. » Proxime vero ante hæc verba, *corpus angelicum* nominaverat; quem locum paulo superius descripsimus. Rursus in eodem tractatu. « Natura, inquit, animæ præstantior est, quam natura corporis, excellit multum; res spiritualis est; res incorporea est; vicina est substantiæ Dei. » Idem docet et in libro duodecimo *de Genesi ad litteram*, cap. XXXII et XXXIII et in libro VIII *de Civitate Dei*, cap. XVI.

XI. Rursus idem Augustinus Angelos negat animas habere. Ideo in libro secundo *Retractationum*, capite XI quod in calce libri sexti *de Musica*, *animarum beatarum, atque sanctarum* vocabulo Angelos appellarat, reprehendit. « Quandoquidem, inquit, hic nonnisi Angelos sanctos intelligi volui, quos habere animas, nusquam me legisse in divinis eloquiis, canonicisque recolo. » Quod ipsum et in capite XVI repetit*. Quærendum igitur est, cujusmodi Angelos esse crediderit Augustinus. Nam si et corporeos esse, et animas nullas habere putaverit, mera corpora necesse est ex illius esse sententia. Quod in Fausti opinione Claudianus redarguit in tertio libro *de Statu animæ*[3]: « Nullum enim corpus, ait, ipsum sibi vita est. Aliud namque est corpus, aliud vita corporis. Aut igitur in Angelo est vivificans spiritus, aut Angelus est omni vivente deterior. » Sed non est verisimile tanto viro persuaderi potuisse, nihil Angelis inesse, præter corpus. Quare idem de illis existimasse reor, quod et Claudianus Mamertus et alii censuerunt, ut Fulgentius refert, cujus post Claudianum verba describam.

Affirmat ergo Claudianus non ex aliena, sed ex sua sententia, Angelos non secus, atque homines, ex spiritu, corporeque compositos esse. « Duplex ergo est, inquit, angelica, sicut humana substantia, habens corpus totius facilitatis, maximæque pulchritudinis, quod hominibus, cum jubetur, appareat; habens incorporeum, quod Deum semper videat. » Et quibusdam interjectis, « Intelligere nos oportet, constare hominem ex corporeo, et incorporeo, utroque in melius reformando; constare Angelum ex corpore, et spiritu præcipua inter creaturas dignitate formato. Spiritus illi

* Non difficulter intelligemus Augustinum nunc *corporeos* nunc *spiritales* angelos facientem, si reputemus eum existimasse im Angelis duo esse, *mentem*, nimirum spiritalem quæ regit corpus quiddam æthereum, et *corpus* quod ab ea mente regitur. *Corporeos* eos dicit cum respicit ad corpus; *spiritualcs* cum respicit ad mentem, aut etiam ad alia crassiora corpora. Quæ manifesta sunt ex locis allatis a *Petavio*, ut mirum sit doctissimum virum hic dubium hæsisse. Vide tamen quæ habet sub finem capitis. T. AL.

* *Animæ Sanctæ et Beatæ* recte dictæ fuerant ab Augustino *Angeli*, si voce *animæ* intelligamus spiritus, seu νοῦς nec is sensus retractari potuit. Sed forte voce *animæ* intellexerat *vitales* ac *sentientes animas*, quales sunt etiam in brutis, et quarum descriptionem ex M. *Varrone* tradit de *Civ. Dei* lib. VII, cap. XXIII.

Qno sensu merito negat Angelos habere *animas*, cum ex Scriptura colligere duntaxat possimus Angelos corpore indutos apparuisse. Solent vulgo dicere Philosophi et Grammatici *animam esse qua vivimus, animum quo sapimus*. Hic posterior Angelis nobiscum est communis, at non prior, quo similiores brutis esse censemur. T. AL.

1 Lib. VIII *de Gen. ad lit.* cap. XXV. — 2 *Ps.* CIII. — 3 Claud. lib. III,

namque est omni spiritu creato potentior; corpus illi de potissimo omnium elemento sublimius, secundum illud propheticum, ubi angelica substantia duplex sine dubitatione perhibetur, quod dictum est, Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Ignem vero non esse spiritum, et spiritum perinde ignem non esse manifestum est, » etc. Idem et in tertio libro scribit, itaque concludit: « Satis, ut arbitror, patet, beatos Angelos utriusque substantiæ, et incorporeos esse in ea sui parte, qua ipsis visibilis Deus; et in ea itidem parte corporeos, qua hominibus sunt ipsi visibiles. » Atque idem ille Claudianus animas hominum incorporeas esse contra Faustum Regiensem tribus libris disputat; qui et ipse recensendus inter eos venit, qui corporeos esse Angelos opinati sunt, ut et hominis animam. Id enim duabus epistolis fuse demonstrat; quarum altera ad Benedictum Paulinum scripta est ordine tertia[1]; altera Claudiani operi præfigitur: quam tribus hic, ut dixi, libris latissime refellit.

Petrus Chrysologus sermone LII de dæmonibus loquens, « Cum tenuis, ait, et aerea natura carnem nesciat, refutet ossa, velut aura spirans orbem totum temporis transeat in momento. » Ubi ex aere corpus iis affingit.

XII. Cassanius item collatione VII cap. XIII tam Angelos, quam humanas animas habere corpora definit: « Licet enim pronuntiemus, inquit, nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius, quam nos. Nam sunt corpora secundum Apostoli[2] sententiam ita dicentis: *Et corpora cœlestia, et corpora terrestria.* »

Fulgentius in libro *de Trinitate*, « Plane ex duplici, inquit, eos esse substantia adserunt magni, et docti viri, id est ex spiritu incorporeo, quo a Dei contemplatione nunquam recedunt; et ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent: approbantes hoc ex illo loco Psalmi, ubi dicit, *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem;* corpus vero æthereum, id est igneum eos dicunt habere. Angelos vero malos, id est dæmones, corpus aereum. »

Nec abhorrere videtur ab hac eadem opinione Maximus Taurinensis in homilia *de Solemnitate sanc. Michaelis.* Cum enim dixisset, « Nudus Adam incola paradisi fuit; denique post peccatum nuditatem suam pervidens, folio pudenda contexit. Prius enim, quam peccaret, honestatis erat colore vestitus, atque ideo nuditatem inhonestam non natura instituit, sed delicti reatus invenit; » subinde ita de Angelis, « Nam et sancti Angeli, inquit, splendidissimo habitu constituti, numquid tunicinis operiuntur, et palliis? Sed cum sit in illis nativitatis suæ nuda substantia, vestiti videntur esse, quod sancti sunt. » Quæ sermonis series, et consequentia eo nos ducit, ut Angelos credamus ab illo corporeos haberi, ne insulse cum hominum nuditate, ac vestitu nuditas istorum, vestisque comparetur.

XIII. Sic Gennadius in lib. *de Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. XI et XII omnia, solo excepto Deo, corporea esse scribit; qui liber et inter Isidori Hispalensis opera ponitur.

Rupertus in libro primo *de Trinitate*, et ejus operibus in *Genesim* capite XI et libro secundo *de Victoria verbi Dei*, capite XXVIII aerea corpora Angelis affingit; quæ in sanctis ætherea facta, in dæmonibus aerea manserunt. Et alibi[3] Diabolum ait, et angelos ejus, post peccatum, rejectos in aerem istum, de quo creati fuerant; sicut « homo post lapsum in eam terram ejectus est, e qua formatus erat. » Ætherea quoque assignat Angelis corpora Bernardus[4], tametsi de ea re sententiam suspendit. Arnobius præterea in *Disputatione cum Serapione de Deo trino uno*, Angelos, et animas corporeos esse dicit; « Quidquid mensuram habet, inquit, corpus est, non humanis; sed divinis oculis patens. Immensus autem, et incorporeus Deus solus est. Omnes enim Angeli a Deo facti initium habent. » De anima vero subjicit mox: « Quidquid tangit, et tangitur, et in loco aliquo continetur, corpus esse non dubium est. Cum ergo et intrare animam corpus, et habitare in corpore, et exire e corpore doceatur; quomodo non corporea esse dignoscitur? »

Ad hos aggregari recentiores solent duo, Cajetanus, et Eugubinus, ille in annotationibus ad secundum caput epistolæ *ad Ephesios*; iste in octavo libro *De perenni philosophia*, capite XXVI et sequentibus. Verum ambo de solis dæmonibus ita sentiunt, quorum naturam ab Angelorum bonorum conditione secernunt veteres aliqui Patres; quod in tertio libro peculiari tractatione monstrabitur.

1 Tom. II *Bibl. Patr.*— 2 I *Cor.* XXXV.— 3 Lib. I *de Trin.* et oper ejus c. XVII.— 4 Lib. V *de Cons.* c. IV et hom. V in cant.

Vera supra citatorum Patrum sententia.

XIV. Ex his colligi videtur. Patres illos, qui Angelos corporatos esse crediderunt, præter corpus, aliquid corpore præstantius, ac mere spirituale illis attribuisse, ut ex utroque componerentur, corpore, ac spiritu, quem animam nominare religio fuit Augustino, uti paulo ante memoravi. Non enim verisimile est, tantum virum, quod ibidem dixi, tam præpostere judicasse, ut hominibus longe inferiores, ac deteriores Angelos faceret. Essent autem infra illorum conditionem isti nimium abjecti si, toti, quanti sunt, nihil nisi corpus essent, cum homines dimidia sui parte spirituales sint. Quippe animas incorporeas esse eidem visum est Augustino, ut præter illa loca, quæ superius attuli, insigniter in epistola XXVIII his verbis asserit: « Incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. » Mox aperit eo sensu corpoream posse dici, « quo omnis substantia, vel essentia, vel id omne, quod aliquo modo est in seipso, » id est per se subsistit, « corpus est. Item, si eam solam incorpoream placet appelllare naturam, quæ summe incommutabilis, et ubique tota est, corpus est anima: quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro, si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. » Sic igitur Angelos, si in solidum corpora esse crederet Augustinus, non itidem, ut humanas animas definiri tantummodo loco putaret, sed etiam corporum more circumscribi; verum ex utroque compactos illos existimasse probabilius est, corpore, ac spiritu, ac solo animæ vocabulo abstinere voluisse.

XV. Hanc Augustini mentem fuisse persuadet illud, quod de anima rationali scripsit in libro primo *de Anima et ejus origine ad Renatum*, cap. V. Ibi enim Vincentium Victorem redarguit, qui animam corpus esse dicebat; idque esse absurdum judicat, quod consequens inde sit, hominem nihil esse præter corpus. « Quod vero eam, inquit, non spiritum, sed corpus esse contendit, quid aliud vult efficere, quam nos non ex anima, et corpore, sed ex duobus, vel etiam tribus constare corporibus? Cum enim spiritu, anima, et corpore constare nos dicit, et omnia hæc tria corpora essse asserit, profecto ex tribus corporibus nos putat esse compactos. In qua opinione quanta eum sequatur absurditas, illi potius, quam tibi demonstrandum puto. » Atqui non minor, imo etiam major absurditas inde oritur, si Angelos ex solis constare corporibus asseramus. Non igitur verisimile est, tam perverse Augustinum existimasse, ut non, præter corpus, inesse aliquid ipsis voluerit, quod esset corporis conditione præstantius, quod spiritum potius, quam animam appellari oporteat.

CAPUT III.

Recensentur alii Patres, qui Angelos meros esse spiritus arbitrati sunt corporis expertes. Quid sit νοερὸν, *et* νοητὸν, *et quomodo differant. Quo sensu animalia vocentur. Certam videri posteriorem hanc sententiam, simplices esse spiritus, eaque probatur auctoritrte Scripturarnm. Variæ acceptiones corporei, et incorporei, quibus aliquæ Patrum opiniones explicantur.*

I. Nunc antiquos theologos in medium adducam, qui corpore esse præditos Angelos negarunt, ac meros esse spiritus arbitrati sunt. Nam plerique Angelos ἀσωμάτους, id est *incorporeos* appellant. Ignatius in epistola *ad Trallenses* vocat τοὺς οὐρανίους, hoc est *cœlites*, ἀσωματους φύσεις, *incorporeas naturas*.

Gregorius Thaumaturgus, si is auctor homiliæ cujusdam *in Theophania*, ἀσωμάτους δυνάμεις *incorporeas virtutes*. Titus Bostrensis [1] libro primo *contra Manichæos* ait ne Angelos quidem a nobis videri posse, quandiu corpore induti sumus, nedum Deum a nobis, vel ab ipsis; quoniam simile duntaxat a simili videtur, corpus a corpore; quæ autem incorporea sunt, a corporeis videri nequeunt. Didymus [2] quoque libro primo de *Spiritu sancto* corporis expertes Angelos sine dubio facit, dum « spirituales substantias ait non circumscribi loco, et finibus, tamen proprietate substantiæ finiri; » et mox Angelos commemorat. Basilius quoque, licet interdum corporatos Angelos agnoscat, alias tamen corporis expertes facit, ut capite antecedenti aliquot ex illius locis ostendimus. Quibus insignem nunc alium adjungimus ex libro primo *de Spiritu sancto*, capite primo, ubi creaturas omnes

Recensentur Patres qui Angelos meros esse Spiritus arbitrati sunt; et 1° Græci.

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* col 886. — 2 Did. lib. I, col. 4 in opusc. Hier.

mutationis esse participes affirmat; ac cum universa bifariam distribuatur, in corpoream, et incorpoream; quæ corpore constant mutari secundum substantiam: incorporea vero, et ratione prædita mutationem capere actione tenus, animique sententia: cujus rei exemplum ex Angelis affert[a].

Basilii fratrer Gregorius Nyssenus libro XII *contra Ennomium* ἀσώματον κτίσιν, id est *incorpoream creaturam* similiter Angelos nominat. Et in epistola *de Trinitate* ad Eustathium medicum, (quæ inter Basilii epistolas octogesima ponitur, sed Gregorii Nysseni potius esse videtur ex stylo ipso) « Naturam ait hominis ex anima, et corpore esse complexam; angelicam vero, incorpoream naturam esse sortitam[b]. » Et oratione IV in *Dominicam orationem*, « Omnis, inquit, natura rationalis dividitur in incorpoream, et corpoream naturam. Incorporea porro est angelica natura; altera nos sumus homines[c].

Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV eamdem naturam vocet νοητὴν, καὶ ἀσώματον, id est *intelligibilem, et incorpoream;* cujus verba post paulo referam.

Et luculenter Eusebius Cæsariensis, aliique apud Sozomenum, asserentes τὸ ὁμοούσιον, id est *consubstantiale*, dici proprie de corporibus, « ὁμοιούσιον vero, quod est *simile substantia*, de incorporeis, ut de Deo, et Angelis[d]. »

Tum in quarto libro *de Demonstratione Evangelica,* capite primo, Eusebius idem Angelos vocat « incorporeas quasdam, et intelligentes, ac divinas virtutes; Angelos, et Archangelos materia carentes, et puros omnino spiritus[e]. »

Epiphanius item dæmonem appellat « spiritum impurum, et corporis expertem[f]; » ut et Eusebius « invisibiles, et intelligibiles hostes[g] » dæmones eosdem.

II. Joannes vero Chrysostomus inumeris in locis eodem illos nomine designat, ut homilia XXII *in Genesim*, et prima *in Matthæum;* necnon in libro primo *ad Stagirium:* « Fecit, inquit, Angelos, et Archangelos, ac reliquas incorporeorum substantias[h]. »

Theodoretus item quæstione XX *in Genesim*, ubi imaginem Dei probat non in eo consistere, quod in anima sub aspectum non cadit; « Alioquin, ait, potius imagines Dei vocarentur Angeli, et Archangeli, et omnes incorporeæ, sanctæque naturæ, utpote corporibus vacuæ, et sine ulla mistione minime aspectabiles[i]. » Et quæstione XLVII refutans eos, qui Angelos feminarum consuetudine pollutos esse dicebant, ex eo argumentatur, quod corporis expertes substantiæ carnes non habeant. Quod idem et in quinto *Adversus hæreses*, capite VIII docet. Tum quæstione XXIX *in Exodum*, manna panem Angelorum vocari negat ideo, quod eo vescantur Angeli; siquidem « incorporea natura cibo non eget[k]. » Eodem argumento utitur et Cyrillus libro IV *in Joannem*, quod absurdum sit « Angelos, qui incorpoream naturam sortiti sunt, crassiore cibo putare opus habere[l]. » Ergo « spirituali, et intelligibili cibo » uti illos asserit. Vide eumdem et in nono *contra Julianum*, ubi de manna agit, deque filiis Dei, hominumque filiabus.

Est eadem et auctoris quæstionum Græcanicarum sententia, quæ Justino tribuuntur, in responsione ad quæstionem secundam; ubi Angelos, et animas hominum ejusdem ait esse substantiæ[1]. Moses quoque Bar-Cepha Syrus in libro *de Paradiso*, corporis, et materiæ Angelos expertes facit.

a BASIL. Τῆς κτίσεως εἰς δύο διαιρουμένης, εἰς σώματά τε, καὶ ἀσώματα διήρηται ἡ περὶ ταύτην τροπή, etc.

b NYSSEN. Τῆς γὰρ ἀνθρωπίνης φύσεως ἐκ ψυχῆς τε, καὶ σιώματος συγκεκραμένης, τῆς δὲ ἀγγελικῆς ἀσώματον τὴν ζωὴν κεκληρωμένης.

c Idem. Μεμέρισται πᾶσα ἡ λογικὴ κτίσις εἴς τε τὴν ἀσώματον, καὶ τὴν ἐνσώματον φύσιν. ἔστι δὲ ἀγγελικὴ μὲν ἡ ἀσώματος· τὸ δὲ ἕτερον εἶδος ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι.

d SOZOM. lib. III. Τὸ δὲ ὁμοιούσιον, ἐπὶ ἀσωμάτων, οἷον ἐπὶ θεοῦ, καὶ ἀγγέλων.

e EUSEB. Ἀσωμάτους τινὰς ναερὰς, καὶ θείας δυνάμεις, ἀγγέλους τε, καὶ ἀρχαγγέλους, ἄϋλά τε, καὶ πάντη καθαρὰ πνεύματα.

f EPIPH. hær. XXVI, num. 13. Πνεῦμα ἀκάθαρτον, καὶ ἀσώματον.

g EUSEB. VIII *de Demonst.* Τὰς χεῖρας αὐτοῦ κατὰ νώτου τῶν ἀοράτων καὶ νοητῶν ἐχθρῶν ἐπιβαλών.

h CHRYS. I *ad Stag.* Ἐποίησεν ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους. καὶ τὰς ἄλλας τῶν ἀσωμάτων οὐσίας. Vide et hom. XXXII in *Acta*, hom. XXXII in I *ad Cor.*, hom. IV in epist. *ad Eph.*, hom. III *de Incompr.*

i THEOD. Μᾶλλον εἰκόνες τοῦ θεοῦ κληθεῖεν ἄγγελοί τε, καὶ ἀρχάγγελοι, καὶ πᾶσαι αἱ ἀσώματοι, καὶ ἁγίαι φύσεις, ἅτε δὴ παντάπασι σωμάτων ἀπηλλαγμέναι, καὶ ἀμιγὲς τὸ ἀόρατον ἔχουσαι.

k THEODOR. qu. XXIV in *Exod.* Ἡ γὰρ ἀσώματος φύσις οὐ δεῖται τροφῆς. Vide et lib. III et IV *contra Gentil.*

l CYRIL. Ἦ γὰρ οὐκ εὔηθες, καὶ ἀνόητον κομιδῆ τοὺς ὄντας κατὰ τὸν οὐρανὸν ἁγίους ἀγγέλους, καί τοι φύσιν λαχόντας τὴν ἀσώματον, παχυτέρας μετίσχειν οἴεσθαι τροφῆς; Mox: Ὡς ἐπείπερ εἰσὶ πνεύματα, τοιαύτης ἂν δέοιντο καὶ τροφῆς, πνευματικῆς δηλονότι, καὶ νοητῆς.

[1] Par. I, cap. VIII.

III. Procopius in commentario *ad Genesim* « intelligentes substantias, ac penitus incorporeas Angelos appellat [a]. » Joannes item Philoponus [1] libro primo *De mundi opificio* contra Theodorum Mopsuestenum, idipsum longa disputatione adstruit; de quo paulo post agemus.

Idem sensus est et Antiochi homilia CV, Joannis Climaci in *Gradu* primo, qui perinde Angelos substantias vocat νοερὰς, καὶ ἀσωμάτους, *intelligentes et incorporeas*. Tum Sozomenus libro tertio, capite XVIII; Joannes Jejunator in homilia *de Pœnitentia*.

Nam de Dionysio commemorave supervacaneum est; qui in libro *De cœlesti Hierarchia* passim Angelos corporis expertes, et puras, simplicesque mentes esse demonstrat; cui Maximus, aliique Græci enarratores subscribunt.

Nilus apud Photinum in homilia *de Christi Ascensione*, « incorporeum cœlestem populum » Angelos appellat [b].

Joannes Damascenus Angelos definit « substantiam intelligentem, materiæ, atque corporis expertem [c]; » tametsi « cum Deo comparati materiales, et corporei sint habendi. » Et in libro *De duabus Christi voluntatibus*, hominem ait « ratione copulari incorporeis, et intelligentibus virtutibus [d]. » Sophronius item patriarcha Hierosolymitanus in epistola, quæ est in actione XI synodi sextæ. Moses quoque Bar-Cepha, in parte prima *de Paradiso*, capite XXVIII. Ac denique Græci hodie τῶν ἀσωμάτων simpliciter Angelos nominant. Ut in *Horologio* inter τυπικὰ habent Κοντάκιον τῶν ἀσωμάτων, quæ est *oratio ad Angelos*. At Stephanus Gaberus Tritheita apud Photinum [2], de Angelorum, dæmonumque corporibus problematice in utramque partem disputabat. Quid quod et Origenes ipse [3], qui alibi corporeos facit, in sexto libro *contra Celsum* ἀσωμάτους eosdem constituere videtur?

IV. Præter illa Græcorum testimonia, quæ ἀσωμάτους, id est *incorporeos* diserte Angelos nominant, valent etiam, imo expressiora sunt ea, in quibus νόες, id est, *mentes*, sive, ut Latini vocare consueverunt, *intelligentiæ* nuncupantur, aut deflexis ab illo vocabulo nominibus, νοητοὶ, et νοεροὶ; quod Latine vertere possis *intelligibiles*, et *intelligentes*. Ac νόες appellantur quidem ab Gregorio Nazianzeno oratione XXXIV sub finem; et in carmine *de Virginitate* sub initium.

Ἄγγελοι αἰγλήεντες· ἀειδέες, οἵ ῥα θόωκον
Ἀμφὶ μέγαν βεβαῶτες· ἐπεὶ νόες εἰσὶν ἐλαφροί.

« Angeli splendentes, invisibiles, qui solium
« Circum magnum consistunt; quandoquidem
[mentes sunt leves : »

et sæpius ab Dionysio dicuntur in capite primo libri *de Cœlesti Hierarchia*. Et causam appellationis hujus exponit Maximus martyr in *Scholiis* : « Νόας, inquit, id est, *mentes*, appellant etiam Græcorum Philosophi, intelligentes, sive Angelicas virtutes; quoniam ex toto mens est quilibet ipsorum, ac totam substantiam in formam suam veluti substantiatam habet mentem viventem [f]. »

Jam, quod ad duo alia spectat, νοερὸν et νοητὸν, horum discrimen explicat Maximus in *Scholiis* ad caput XV Dionysii *de Cœlesti Hierarchia*; ubi Dionysius τῷ νοητῷ tribuit τὸ ἐλλάμπον, id est illuminans; τῷ νοερῷ vero τὸ ἐλλαμπόμενον, *illuminatum*. Ita τὸ νοητὸν est *veluti pabulum* τοῦ νοεροῦ, ut ait Maximus in caput quartum libri *de Divinis nominibus*. Nam νοητὸν est, quod intelligentia capitur, et *intelligibile* dicitur; τὸ νοερὸν autem, quod intelligit. Hinc Angelorum ordines illi, qui propius ad Deum accedunt, vocantur νοηταὶ δυνάμεις; quæ longius absunt, νοεραὶ, ut ait Dionysius; non quod et priores illæ non sint νοεραὶ, nam et intelligunt ipsæ, imo Deus, qui est τῶν νοητῶν præcipuus, et eorum fons, ac principium, νοερὸς est; sed quatenus intelligitur, est νοητὸς; ut autem intelligit, est νοερός. Quod idem de Angelis dicendum est, « qui, ut ait Maximus, intellectu capiuntur, tanquam immateriales; intelligunt autem entia, tanquam mentes incorporeæ desuper illuminatæ [g]. » Idem docet in *Capitibus Theologicis*; et in fine *Scholiorum* ad

In quo differant νοερὸς et νοητός.

a Procop. Τὰς νοερὰς οὐσίας, καὶ παντελῶς ἀσωμάτους.

b Nilus apud Phot. cod. CCLXXVI. Τῶν ἐν οὐρανοῖς ἀσωμάτων ὁ δῆμος.

c Dam. lib. II *de Fide*, cap. III. Οὐσία νοερὰ, καὶ ἄϋλος, καὶ ἀσώματος. Vide et cap. XII.

d Idem. Συνάπτεται δὲ ταῖς ἀσωμάταις, καὶ νοεραῖς δυνάμεσι διὰ τοῦ λογικοῦ.

e Nazianz. Νοερὰς δυνάμεις, ἢ νόας.

f Maxim. Νόας καλοῦσι καὶ οἱ παρ' Ἕλλησι φιλόσοφοι τὴς νοερὰς, ἤτοι ἀγγελικὰς δυνάμεις· ἐπειδὴ τὸ πᾶν, νοῦς ἐστιν ἕκαστος αὐτῶν, καὶ τὴν οὐσίαν ἅπασαν νοῦν ζῶντα εἰς τὸ εἶδος τὸ ἑαυτῶν οὐσιωμένων ἔχει.

g Maxim. Διὸ νοοῦνται μὲν ὡς ἄϋλοι· νοοῦσι δὲ τὰ ὄντα, ὡς νόες ἀσώματοι, καὶ ὑπερκόσμιοι ἄνωθεν ἐλλαμπόμενον.

1 Cap. XVI et XVII. — 2 Phot. cod. 232. — 3 Lib. VI *eont. cels.*— 4 Max Hecat. v Cap. Theol. cap. LXIII et LXIV.

caput nonum Dionysii *de Divinis nominibus*, « νοητὸν, inquit, est id, quod sub sensus non cadit, etc. νοερὸν vero, quod simplices, et solutas (a materia) habet intellectiones, ut Angeli. Rationale, quod ratione et consideratione rerum cognitiones excipit, ut humana mens. *Sensibile*, quod subjicitur sensibus [a]. » Itaque νοερὸν a Dionysio ibidem non quodcumque intelligens vocatur, sed quod uno intuitu, ac sine ratiocinatione aliquid mente percipit ; ut ab eo, quod λογικὸν, id est *rationale* vocatur, discrepet.

V. Nihilominus alibi Maximus mentes humanas νοερὰς esse dicit ; sic enim disserit : « Virtutes alias esse νοητὰς simul, et νοερὰς, ut sunt Angelici ordines, qui intelligibiles sunt, quatenus ab inferioribus mentibus intelliguntur : intelligentes autem, quatenus et supremæ sunt, et summum omnium Deum, quoad licet, intelligentia nituntur assequi, dum et desuper aluntur intellectione, et eos, qui infra se intelligentes sunt, alunt. Nam animæ nostræ intelligentes tantummodo sunt ; quippe scientiæ modo intelligentes, quod in ipsis situm est, ea, quæ infra se sunt, nihil jam post se habent intellectu præditum, ut intellectu percipiantur. Siquidem ratione, ac mente carens anima proximo a nobis gradu consistit [b]. » Hæc ille, tanquam νοητὴ substantia ea sola dicatur, quæ ab inferiore, et subjecta alia νοερᾷ substantia mente percipi potest. Quod non est necesse. Itaque animus hominis non solum νοερὰ, sed etiam νοητὴ ψυχὴ nominari poterit, quia non sensibus, sed sola mente comprehenditur. Est autem observanda, et ad præsentem sermonem utilis Eliæ adnotatio *ad Orationem* XXXIV Gregorii Nazianzeni ; ubi quod ille νοερὰς δυνάμεις, et νόας separatim dixit, ut paulo ante meminimus, animadvertit, « naturam νοερὰν inferiorem ea putari, quæ νοητὴ dicitur, hoc est quæ mente percipitur. » Ita quidem ex Maximi sententia, atque etiam Dionysii, ut scribit Turrianus in *Scholiis ad Joannem Cyparissiotum* ; qui « animas solet vocare νοερὰς, id est intelligentes, cum eas distinguit ab Angelis, quos vocare solet νοητὰ, id est intellectilia [2]. » Atqui Dionysius, illo loco ad quem commentatur illa Maximus, quæ nos proxime ante descripsimus, nempe c. VII *de Divinis nominibus*; eosdem Angelos appellat « intelligibiles et intelligentes virtutes [c]. »

VI. Quinetiam Maximus alio in loco non solum τὸ νοερὸν, sed etiam τὸ λογικὸν Angelis *Rationale.* attribuit ; cujus verba hic quoque utiliter adscribentur. « Omnis, inquit, rationalis, et intelligens substantia dividitur in angelicam, humanamque naturam. Angelica porro rursus in duo generalia vitæ proposita, gregesque duos tribuitur, in sanctas Virtutes, et impuros dæmones. Item humana dividitur in duo generalia vitæ proposita, et greges duos, videlicet in pios, et impios [d]. » Quo in loco significat, τὸ λογικὸν, et νοερὸν velut genus esse, cujus species sunt Angeli, et homines ; quæ singulæ non jam specie, sed sola qualitate distantes sub se continent bonos, et malos hic Angelos, illic homines. Eusebius vero Cæsariensis in libro tertio *de Demonstratione Evangelica*, « post summum Deum Virtutes esse dicit incorporeas natura, et intelligentes, ac rationales, et omni virtute præditas [e]. » Quod etiam initio libri quarti repetit, ut paulo ante meminimus, et capite sexto. Idem præterea in libro undecimo *de Præparatioue Evangelica* capite nono, substantiam omnem partitus « in intelligibilem, et sensibilem [f] ; » e quibus

a MAXIM. Ἰστέον δὲ, ὅτι νοητὸν μὲν ἐστὶ τὸ τῇ αἰσθήσει, οὐχ ὑποπίπτον, etc. Νοερὸν δὲ τὸ ἁπλᾶς, καὶ ἀπολύτους ἔχοντας νοήσεις, ὡς οἱ ἄγγελοι. λογικὸν δὲ, τὸ διὰ λόγου, καὶ θεωρίας τὰς τῶν ὄντων γνώσεις δεχόμενον ὡς ὁ ἀνθρώπινος νοῦς· αἰσθητὸν δὲ τὸ τῇ αἰσθήσει ὑποπίπτον: Vide eumdem Max. in V *de Div. nom.* et seq. et cap. VII.

b MAX. ad VII cap. *de Div. nom.* Σημείωσαι, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις νοηταί εἰσι, καὶ νοεραὶ δυνάμεις, καὶ εἰκότως ἐν αὐτοῖς εἰσιν οἱ αὐτοὶ καὶ νοητοὶ, καὶ νοεροὶ. ὥστερ αἱ ἄνω τάξεις νοηταὶ μὲν, καθ' ὃ ἐκ τῶν ὑποβεβηκότων νοοῦνται· νοεραὶ δὲ, καθ' ὃ ἀνόταταί εἰσι, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντα θεὸν νοεῖν, ὅσον ἐφικτὸν, ἀνατείνονται, ἄνωθεν μὲν τρεφόμενα τῇ νοήσει, τρέφουσαι δὲ τοὺς ὑφειμένως νοοῦντας. αἱ γὰρ ἡμέτεραι ψυχαὶ, νοεραὶ μόνον· νοοῦσαι γὰρ ἐπιστητῶς, ὅσον οἷόν τε τὰ ὑπερβεβηκότα, οὐκέτι ἔχουσι νοερόν τι μετὰ ταύτας, ἵνα καὶ νοηθῶσιν. ἡ ἄλογος γὰρ, καὶ ἄνους ψυχὴ, μεθ' ἡμᾶς.

c DION. cap. VII *de Div. nom.* Ἐξ αὐτῆς αἱ νοηταὶ, καὶ νοεραὶ τῶν ἀγγελικῶν νοῶν δυνάμεις.

d MAXIM. apud Euth. *Panop.* par. I, tit. VI in fine. Πᾶσα λογικὴ, καὶ νοερὰ οὐσία διῄρηται εἴς τε τὴν ἀγγελικὴν, καὶ ἀνθρωπίνην φύσιν· καὶ ἡ μὲν ἀγγελικὴ, διῄρηται πάλιν εἰς δύο καθολικὰς γνώμας, καὶ ἀγέλας, εἰς ἁγίας τε δυνάμεις, καὶ εἰς ἐναγεῖς δαίμονας· ἡ δὲ ἀνθρωπίνη πάλιν εἰς δύο καθολικὰς γνώμας, καὶ ἀγέλας, εἰς εὐσεβεῖς, καὶ εἰς ἀσεβεῖς.

e EUSEB. Εἶναί τινας μετὰ τὸν ἀνωτάτω θεὸν δυνάμεις ἀσωμάτους τὴν φύσιν, καὶ νοερὰς, λογικάς τε, καὶ παναρέτους.

f Idem, lib. II *de Præp.* Εἴς τε νοητὸν, καὶ αἰσθητόν· καὶ τὸ μὲν νοητὸν, ἀσώματον, καὶ λογικὸν τὴν φύσιν. Vide et lib. XIII, cap. XV.

1 Elias *ad Oration.* III. Naz. num. 82. — 2 *Ad Dec.* V, cap. I.

prior « corporis expers est natura, et rationalis. »

Quocirca, si νοερὸν eo sensu a Patribus usurparetur, quem Maximus tradidit, ut a λογικῷ distet, et sit illud, quod simplicem, ac liberam ab sensibilium imaginibus habet intellectionem, nihil opus addere esset; quo proprie Angelis attribueretur. Sed quia perpetuo fere id simpliciter significat, quod intelligendi vi præditum est, sive conjunctum corpori, sive ab eo separatum sit; idcirco quiddam aliud adjici solet, quo et illorum substantia, cujusmodi sit, explicatur.

VII. Ita Gregorius Nazianzenus oratione XXXVIII νοερὰς φύσεις, et τῷ μόνῳ ληπτὰς appellavit, id est *intelligentes, et quæ sola intelligentia capiuntur*. Alias *simplices, et intelligentes* vocat, ut in carmine primo *de Virginitate*,

· Ἁπλοῖ τε, νοεροί τε, διαυγέες.

« Simplicesque, et intelligentes, pellucidi. »

Ubi quod *simplices* vocat, indicat, secretos esse ab corpore spiritus; quemadmodum in oratione XXXVII eosdem τοῖς συνθέτοις, id est *compositis* opponit.

Idem rursus in oratione XLII, de Angelorum creatione loquens, « Atque ita, inquit, splendores secundi creati sunt primi splendoris administri, sive intelligentes spiritus, sive ignem velut materiæ, et corporis expertem, sive aliam quamdam naturam proxime accedentem ad eas, quas diximus, existimare illos oportet[a]. »

Idem Gregorius sub finem orationis XXXIV νοητὴν τὴν φύσιν appellat, hoc est, quæ sola intelligentia cognoscitur; tum subjicit: « Sed ne hanc quidem, tametsi corporis expertem incorporeo modo videre possumus; quippe quæ ignis, aut ventus appelletur, fiatve. Facere enim dicitur Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis; nisi forte facere sit eodem, quo facti sunt, conservare verbo. Porro spiritus vocantur, et ignis; illud, tanquam intelligibilis natura, hoc, tanquam purgandi vim habens: quandoquidem et primariæ substantiæ eadem nomina tribuuntur. Sed sint sane illi incorporei, aut quamproxime ad hoc accedentes[b]. » Qua sermonis clausula videtur addubitare, revera incorporei sint, an eo corpore præditi, quod ob summam subtilitatem quamproxime accedat ad spiritum. Nisi eam cunctandi causam habuerit, quod *incorporei* vox ita nunnunquam sumitur, uti soli Deo congruat; uti postea declarabitur.

Jam Gregorius Nyssenus distinguendi itidem gratia[c], ad νοεροῦ vocabulum addit τὸ ἄϋλον, id est *expers materiæ*; quod multo aptius, expressiusque est ad meri significationem spiritus, quam τὸ ἀσώματον, ut mox constabit; sicut alias νοητὴν κτίσιν angelicam eamdem naturam, id est *intelligibilem creaturam*. Tum ita scribit: « Intelligibilis natura incorporeum quiddam est, quod neque tangi potest, et forma caret[d]. » Et eodem in capite: « Mundo illa superior, et expers materiæ natura, quæ ab omni corporeo septo libera est, et soluta[e]. » Item in libro *de Trinitate ad Eustathium*, « Hominis naturam, scribit, intelligente et forma carente sui parte copulari cum Angelica, et incorporea natura[f]. » Vide eumdem Gregorium Nyssenum in primo *contra Eunomium* editionis secundæ. Sic Ammonius gentilis philosophus Angelos appellat νοητὰς οὐσίας[3], et multa eodem spectantia tradit. Rursus Gregorius Nyssenus τὸ ἄϋλον Angelis assignat in oratione *De vita sanc. Ephræm*.

Corporis expers

VIII. Ut ad Latinos me conferam, Marius Victorinus libro quarto *adversus Arium*, « Archangelos, Angelos, thronos, glorias, cæteraque, quæ supra mundum sunt, incorporea, atque ἄϋλα » vocat. Ac mox, « ab hyle, et a corporeis nexibus recessisse » ait. Lactantius

a NAZIANZ. Καὶ οὕτως ὑπέστησαν λαμπρότητες δεύτεραι. λειτουργοὶ τῆς πρώτης λαμπρότητος· εἴτε νοερὰ πνεύματα· εἴτε πῦρ οἷον ἄϋλον, καὶ ἀσώματον, εἴτε τινὰ φύσιν ἄλλην, ὅτι ἐγγυτάτω τῶν εἰρημένων ταύτας ὑποληπτέον.

b NAZIANZ. orat. XXXIV. Οὐκ ἔχομεν οὐδὲ ταύτην ἀσωμάτως ἰδεῖν, εἰ καὶ ἀσώματος, πῦρ καὶ πνεῦμα προσαγορευομένην, ἢ γινομένην· ποιεῖν γὰρ λέγεται τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα. εἰ μὴ ποιεῖν μέν ἐστι τὸ συντηρεῖν τῷ λόγῳ καθ' ὃν ἐγένοντο· πνεῦμα δὲ ἀκούει, καὶ πῦρ, τὸ μὲν ὡς νοητὴ φύσις· τὸ δὲ ὡς καθάρσιος. ἐπεὶ καὶ τῆς πρώτης οὐσίας τὰς αὐτὰς οἶδα κλήσεις. πλὴν ἡμῖν γε ἀσώματος ἔστω, ἢ ὅτι ἐγγύτατα.

c GREG. NYSSEN. lib. XII *contra Ennom.* Ἐπὶ γὰρ τῆς ἀΰλου, καὶ νοερᾶς φύσεως, etc.

d Idem, *Cat.* cap. VI. Ἡ μὲν γὰρ νοητὴ φύσις ἀσώματόν τι χρῆμά ἐστι, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀνείδεον.

e Ibid. Ἡ δὲ ὑπερκόσμιος ἐκείνη, καὶ ἄϋλος φύσις τῆς σωματικῆς περιοχῆς ἐλευθέρα οὖσα, καὶ ἄνετος.

f Id. Τῷ δὲ νοερῷ τε, καὶ ἀειδεῖ συνῆπταί πως πρὸς τὴν ἀγγελικήν τε, καὶ ἀσώματον ζωὴν ἡ τῆς ψυχῆς ἡμῶν κατασκευή.

1 Naz. Carm. I *de Virg.* — 2 Nyss. Cat. cap. VI. — 3 In com. ad cap. *de Subst.*

item in lib. VII cap. XXI, Angelis, ac dæmonibus corpus omne detrahit, cum illud quærit, quomodo animæ corporis expertes pati possunt : « Primum igitur dicimus, inquit, tantam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia comprehendat, et quemadmodum voluerit, afficiat. Nam et Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo; et dæmones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. » Quæ ratio sumit id, utrosque incorporales esse, ut ille loquitur. Quamquam de Dæmonibus discrepans nescio quid sentit, ut libro secundo dicetur. Sunt qui Hieronymum in eam sententiam testem citant, quod in epistola *ad Avitum*, inter Origenis errores recenset istud, « quod dæmones ob delicta aereis corporibus sint vestiti ; » quasi inde sequatur, dæmones per sese, ac citra peccatum, carere corporibus; ideoque sanctos Angelos, qui nunquam peccarunt, incorporeos esse. Sed non est necessaria collectio. Siquidem ætherea corpora, ac sinceriora, purioraque tribuebat Origenes Angelis sanctis, quæ in aera mutata in Dæmonibus esse propter peccatum arbitrabatur; quod et Augustino visum est. Id autem refellit Hieronymus. Primus itaque Leo papa commemoranduus est; qui ad Turibium scribens [1], « fidem veram, ait, quæ est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporearum bonam confiteri substantiam. » Tum Junilius Africanus episcopus libro II capite II incorporeos eosdem constituit. Fulgentius libro *de Fide*, capite III Cregorius deinde Magnus in IV dialogo capite XXXIX interroganti Petro de apostatis spiritibus, qui e cœlo dejecti sunt, corporeos, an incorporeos illos esse suspicaretur, ita respondet : « Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit ? » Plane ergo tales esse spiritus dæmones, angelosque putat, qui corporei non sint. Sic in secundo *Mor.* capite V Angelos, ac dæmones « spiritualem appellat naturam quæ ex mente, et corpore composita dupliciter non est. » Et Cyrillus Alexandrinus in libro IV *contra Julianum* Angelos itidem vocat δυνάμεις ἁγίας, καὶ λογικάς, id est *virtutes sanctas, et rationales*. Rursus Gregorius papa in IV *Mor.* c. IX « Angelus namque solummodo spiritus : homo vero et spiritus est, et caro. » Et libro XXVIII capite II scribit, Angelos « assumptis ex aere corporibus videri. » Non igitur naturalia hæc habent corpora.

IX. Nam, quod idem Angelum rationale animal homilia X *in Evangelia* nominat potest sic intelligi, ut idem sit, quod vitæ, cognitionis, intelligentiæque particeps, et ut muto, animæque experti opponitur. Quippe Magos ibidem ait, qnia gentiles erant, mutis signis, non vocibus docendos fuisse; proindeque stellam iis apparuisse, quæ anima, et ratione caret, at pastoribus, qui Judæi erant, tanquam ratione utentibus, rationale animal, hoc est Angelum allegatum esse. Ita enim Cicero libro IV *de Finibus*, animal, *etiamsi sine corpore sit*, quoddam agnoscit. In quo illud animadvertendum est ζῶον, quod est *animal*, ἀπὸ τῆς ζωῆς, id est *vita* derivari, λογικὸν vero ἀπὸ τοῦ λόγου ; utrumque vero non solum Angelis, sed etiam Deo ipsi tribuitur, cum λόγος appelletur secunda Trinitatis persona. Ita nihil necesse est, quod quidam faciunt, Gregorium in eam adscribere sectam, quæ Angelos corporeos esse defendit ; atque hoc eodem sensu Græci quidam Patres explicandi sunt, quos superius attigi. Philippus presbyter meros esse spiritus Angelos indicat his verbis : « Simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentum, perspicuæ sibi sunt.»

At Isidorus Angelos [2] spirituales, dæmones aereo corpore præditos esse confirmat. Idipsum et de incorporea Angelorum natura, æqualis qui fuit sanc. Bernardi, Richardus Victorinus in *quarto de Trinitate* asseruit, argumentisque probavit, quæ subinde referam. Ac demum Lateranensis Concilii Patres, Innocentio tertio præeunte, in Decreto fidei, sine ulla ambiguitate, corporibus carere Angelos, merosque esse spiritus existimarunt his verbis : « Creator omnium invisibilium, et visibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex corpore, et spiritu constitutam. » Ubi, cum spirituale opponat corporeo, et ejusmodi esse velit, qualis hominis est anima ; manifestum est, Angelos neque corpora esse, neque corporibus implicatos.

X. Sed et ex Judæis, qui horum sine controversia doctissimus habetur, Rabbi Moses Maimonides [3], Angelos neque corpore, neque materia constare censet ; sed ab utroque esse separatas substantias. Quod longe ante hunc ex eadem gente docuit Philo in iis libris, quos

1 Cap. VI. — 2 Isid. lib. I *de Diff.* cap. XII. — 3 R. Moses Tr. I *de Fundam leg.* cap. I et II et lib. I *More Neb.* cap. XLIX.

in primo capite citavimus. Et Aben Hezra in caput *Exodi* XXVI. Quam sententiam non solum theologi hodie sequuntur omnes; sed contrariam etiam, quæ vel mera esse corpora, vel illigatos corpori spiritus Angelos putat, aut dæmones, ut non prorsus hæreticam, sic hæresi proximam esse judicant. Nam quominus hæretica plane censeatur, id unum facit, quod nondum ea res liquido ab Ecclesia disceptata sit. Quippe Lateranense decretum illud non ex instituto partem eam definire voluit; sed in hoc unum intenta fuit synodus, ut utriusque conditorem naturæ Deum esse contra Manichæos statueret; cætera vero ex recepta per id tempus opinione obiter intexuit.

Corporatos credere Angelos error hæresi proximus.

Proinde certissimum esse debet, ac nullo modo dubitandum, Angelos naturale corpus habere nullum; quod et sacrarum auctoritate Litterarum, et argumentatione paucis ita colligitur. Etenim Angelos, ac dæmones Scriptura sæpe spiritus, ac spirituales nominat; et has voces ea se usurpare notione significat, quæ corpori ex adverso respondeat. Primum ad Hebræos scribens Apostolus. *Nonne omnes sunt*, inquit, *administratorii spiritus*[1] *?* Et alio in loco[2], *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem; sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus* , Sic dæmones *immundi spiritus* appellantur[3], vel absolute *spiritus*[4]*;* quo vocabulo humanam plerumque animam exprimit, quæ corpore utique caret ex sese. Velut cum dicit: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*[5]. Item, *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Domini*. Et, *corpus sine spiritu mortuum est*[6].

XI. Duo ad idem probandum affert argumenta Richardus, quem supra nominavi; quorum alterum congruam magis, quam necessariam collectionem habet: alterum, hoc majore vi, quod studemus, efficit, idque ex eo sumitur, quod ab uno homine legionem dæmonum pulsam fuisse Scriptura testatur. Porro, « Si tot, inquit, ab uno homine ejecti sunt, tot in eo ante ejectionem fuerunt. Si dæmones corpora habent, ubi quæso in eo fuere? In spiritu, an in corpore? Constat autem, quia omne corpus longitudinem, latitudinem, altitudinem, locales videlicet dimensiones habet, et eo ipso sine locali capacitate subsistere non valet; qualem quidem spiritus omnino non habet. Ergo non in spiritu, sed in corpore fuerunt. Sed quomodo, vel in qua hominis parte tot corpora esse potuerunt? Sed dicis fortassis; quod angelici spiritus tam boni, quam mali subtilia corpora habent. Sed quantumcumque subtilia duo ejusdem præsertim quantitatis corpora, unum, eumdemque locum occupare non valent. Cujus ergo quæso exiguitatis putas angelicum corpus esse, si credas, vel solam hominis pellem corpori detractam tot angelica corpora posse comprehendere? » Quæ posteriora imprimis observanda sunt ne quis existimet, quamlibet subtilia, ac vel ætherea corpora penetrare se invicem posse; quod Augustinus persuasisse sibi videtur epistola CXV ubi de aereis, æthereisve animantibus, qui Angeli sunt, ac dæmones, disputans, « nequaquam, inquit, absurdum est, eos, qui aereo, vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majore uti facilitate ad movendum quidquid volunt, » etc. At hoc est corpus non esse; sed, ut de deorum corporibus Epicurus[7] aiebat, « hominis eos esse specie; nec tamen eam speciem corpus esse, sed quasi corpus, nec habere sanguinem, sed quasi sanguinem, » quod merito Cotta deridet; sic qui naturali ordine penetrari ab corporibus alia corpora dixerit, naturam corporum destruat necesse est. De quo Alexander Aphrodisiensis disputat in secundo *de Anima*, capite XVI.

Guillelmus Parisiensis in secunda Parte *de Universo*, substantias esse mere spirituales, et a corporibus abstractas philosophicis argumentis approbat. Ex quibus plausibile istud est maxime ex Avicenna petitum. Quemadmodum ex eo, quod invenitur oxymeli, quod ex melle, et aceto compositum est, ac mel ipsum per se, ac separatum reperitur; consequens est, acetum etiam a melle sejunctum, ac per se in rerum natura consistere; ita cum et corpora per se, ac sola subsistant, et eadem cum spirituali, et incorporea substantia conjuncta cernantur, ut in homine accidit; necesse videtur, esse quasdam substantias, quæ per sese, ac sine corporibus existant. Quo argumento R. Moses Maiemonides incorpo-

1 *Heb.* I, 14. — 2 *Eph.* VI, 12. — 3 *Luc.* VI, 18. — 4 *Luc.* XI, 26. — 5 *Rom.* VIII, 16. — 6 I *Cor.* II, 11. — 7 Cic. I *de Nat. Deor.*

reum esse Deum ostendit, et Aristotelem citat auctorem [1].

XII Nunc illud operæ pretium est intueri, quibus de causis quidam eorum, qui Angelos habere corpora putarunt, in eam sententiam adducti sunt. Sunt enim, qui ipsam corporei, et incorporei vim *, et significationem aliter usurparunt, ac fert communis usus; atque hoc dici corporeum putarunt, quod utcumque definito in loco continetur, et in eo movetur, aut certe iis ipsis e conditionibus, effectisve corporeum aliquid esse statuerunt. Sic Angelos esse corporeos, Rupertus, ac Bernardus ea ratione probant, quia et locales sunt, et loco moventur. Tum Cassianus [2] solum Deum incorporeum esse dicit, « quia est ubique, et omnia penetrat. » Et Gennadius libro de *Ecclesiasticis dogmatibus* [3] capite undecimo, et duodecimo. Sic etiam Hilarius [4], « omne quidquid est, ait esse corporeum, quia in aliquo sit necesse est. » Sic Elias Gregorii Nazianzeni Scholiastes, « solum Deum ait proprie vacare corpore; circumscriptos autem esse Angelos, quoniam ne incorporei quidem proprie sunt, etiamsi nostri respectu incorporei dicantur. » Quare, qui unum id affirmant, ob id esse corporeos Angelos, vel dæmones, quia certo, ac definito sunt in loco, eumque commutant; nihil a posterioribus discrepant, qui puros esse spiritus illos existimant; quemadmodum de Hilario suspicari licet, quippe verba illius, quæ supra descripsimus, præ se nihil aliud ferunt. Hinc etiam licet illud interpretari, quod idem sub secundi libri *de Trinitate* finem asserit: « Spiritus, inquit, nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturæ suæ virtutem ubique est; neque usquam abest, in omnibus omnis exuberans. » Quod certum soli est, convenire Deo: ideoque solum hunc spiritum ab Hilario illo, quem diximus, sensu constitui. Sed sunt inter eos nonnulli, qui de materia insuper angelicorum corporum diserte pronuntiant, ut Cassianus, Bernardus, Rupertus, aliique: quos proinde propria illis, ac vera corpora censemus affingere.

Quibus de causis plerique veteres corporatos Angelos asseruerint.

Alii corporeum id appellarunt, quod, etsi spirituale proprie sit, non tamen omnino simplex est, sed qualitatibus aliis, atque aliis afficitur, quæ naturæ, ac substantiæ extrinsecus affusæ, ad eam adærescunt. Hoc modo solum esse Deum incorporeum affirmant: cætera, etsi corpore, materiaque carent, et nobiscum comparata, incorporea sunt, tamen, si cum Deo conferantur, esse corporea. Ita Damascenus [5] et Gregorius Magnus qui angelicos spiritus « comparatione quidem nostrorum corporum spiritus esse dicit, sed comparatione summi, et incircumscripti spiritus esse corpus [6]. » Vide Methodium apud Photium, ubi de incorporea anima disserit [7].

XIII. At Origenes in Prooemio librorum *de Principiis*, incorporeum vulgari usu sermonis appellari dicit, quod non est « crassum, solidum, et palpabile; velut si quis aerem istum incorporeum dicat, quandoquidem non est tale corpus, ut comprehendi, ac teneri possit, urgentique resistere. » Quod et Philoponus in libro primo *de Opere sex dierum*, capite XVI refert, et eo sensu ab Theodoro Mopsuesteno dicit, Angelos incorporeos putari: ac tanquam ridicule loquentem illum, ut et Theodoretum ei assentientem refellit. Ipse autem adeo abhorret ab eo, ut corpus Angelis assignet, ut propterea neget, illos definiri loco, aut in eo esse quoquo modo, ne corpora videantur: de quo agemus postea. Sed quod ad Theodoretum saltem attinet, non satis exacte, ac bona fide opinionem hujus interpretatur, dum ex eo, quod in certo loco Angelos esse credidit, arbitratur, ab illo nonnullo corpore præditos ipsos existimari, sed tenui ac subtili adeo, ut cum crassioribus comparati incorporei nominentur. Sed Theodoretus plane corpore carere Angelos opinatus est: non autem eatenus incorporeos esse, quod subtili, ac tenui constent corpore, non nostri, ac terreni simili. Quemadmodum Severianus existimat, et alii, qui, cum Angelos corporibus æthereis, vel igneis esse præditos alioqui sentiant, eosdem tamen interdum ἀσωμάτους appellare non dubi-

Corporis expertes.

* Diligenter observandum *corpus* et *materiam* duplici sensu sumi apud veteres. Aliquando ita nominant quidquid non est per se intelligentia præditum, quantævis sit tenuitatis; sed sæpe etiam his vocibus intelligunt crassiorem tantum materiam, quo sensu negant Angelos esse corporeos aut materiales. Nam cæteroque plerique existimarunt angelos esse tenuissimo corpore indutos. Vide *indicem philologicum philosophiæ Orientalis* Th. Stanleii de voce *materia*. Et de sententia veterum de angelorum natura illustris. Pet. Dan. huetium, episc. Abrincensem in eximio *Origenianorum* opere lib. II, quæst. v. Et in notis in Origenem. Nisi hæc probe observentur, vix poterit intelligi quid velint veteres, et secum etiam sæpe tum videbuntur pugnare, cum sibi quam maxime constant. T. AL.

1 Lib. II *More Neb.* d. I.—2 VII Coll. c. XIII.—3 Can. V in *Mat.*—4 Ad Or. I, n. 16.—5 Lib. II *de Fide.* c. III et II *de Imag.*—6 II *Moral.* cap. III. — 7 Phot. cod 234.

tant, aut *spirituales naturas*, ut Cassianus [1], vel spirituales creaturas, ut Bernardus [2]; cum tamen ambo corporeos esse doceant alibi, ut jam diximus.

CAPUT IV.

Ecquid Angeli materia constent. Augustinus et alii spiritualem nescio quam asserunt, ut Boetius: qui et ipse non satis secum convenit. Genus esse quamdam materiam: Angelos nulla recipere accidentia, quorumdam est Patrum opinio; eaque non probatur. Et adhibetur quædam illorum interpretatio. Accidentium genera duo. Angelos non esse omnino simplices.

I. Ut de reliqua omni Angelorum conditione, ac natura disputemus, illud est nobis consentaneo ordine quærendum: constent ne materiæ aliquo genere, an materia prorsus vacent. De quo Gobarus Tritheita [3] apud Photium utramque in partem disputasse legitur. Tum mortales, an immortales censeri debeant. Sunt enim, qui ita corporis, et materiæ crassioris expertes faciunt Angelos, ut certam quamdam, suique generis materiam iis assignent.

Augustinus quamdam materiam spiritalem asserit.

Sane Augustinus spiritualem nescio quam constituere videtur, e qua hominis anima condita sit; eamque suspicatur initio fabricatum esse Deum, antequam animam, hominemque procrearet. « Non enim credibile est, ait, in primis illis sex dierum operibus Deum condidisse non solum futuri corporis humani causalem rationem, verumetiam materiem, de qua fieret, id est terram, de cujus limo, vel pulvere fingeretur; animæ autem solam ibi condidisse rationem, secundum quam fieret, non etiam quamdam pro suo genere materiam, de qua fieret. Si enim quiddam incommutabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam quærere deberemus. Nunc autem mutabilitas ejus satis indicat, eam interim vitiis, atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus, veritatisque doctrina. Sed in sua jam natura, qua est anima, sicut etiam caro in sua natura, qua jam caro est, et salute decoratur, et morbis, vulneribusque fœdatur. Sed, sicut hæc, excepto quod jam caro est, in qua natura vel proficit, ut pulchra, vel deficit, ut deformis sit, habuit etiam materiem, id est terram, de qua fieret, ut omnino caro esset; sic fortasse potuit et anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cujus vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondum esset anima, sicut terra, de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro [4]. » Hinc apparet, ob illud unum hanc qualemcumque materiem Augustino in mentem venisse, quod mutationem, ac vicissitudinem quamdam natura capiat animæ, cum ad virtutem, aut scientiam ex inscitia, et vitio, vel e contrario ab his ad illa transfertur. Nam materia mutationis omnis sola principium est.

Item Boetius.

II. Quod autem de anima sola tentando, ac dubitando magis quam affirmando, protulit Augustinus, hoc de Angelis etiam asseverat Boetius [5]. Qui de *unitate, et uno* subtilius disputans, rem unamquamque unitate unam esse, imo absolute esse dicit, quia « tandiu est id, quod est, quandiu in se unitas est: cum autem desinit esse unum, desinit esse id, quod est. » Quippe « omne esse ex forma est in rebus creatis. Sed nullum esse ex forma est, nisi cum forma materiæ unita est. Esse enim non est, nisi ex conjunctione formæ cum materia. Unde Philosophi dicunt illud describentes: Esse est existentia formæ in materia. Cum autem forma materiæ unitur, ex conjunctione utriusque necessario aliquid unum constituitur. » Hac unitate, quæ per formam obtinetur, materia indiget; quæ ex natura sua multipliciter spargitur, ac diffunditur. « Contrariorum enim contrarii sunt effectus; et quia unitas facit unum, quæ est forma, ideo materia facit divisionem. » Porro « unitas ejusmodi a prima unitate descendit, quæ creavit eam. Prima enim, et una unitas, quæ est unitas sibiipsi, creavit aliam unitatem, quæ est infra eam. » Pergit vero Boetius et hanc unitatem, ut et materiam, non solum corpore præditis, quæ vel generantur, et occidunt, vel sempiterna, minimeque dissolubilia sunt, uti sunt cœlestes orbes, sed etiam intelligentiis, sive Angelis, et hominum animis assignat. « Quanto enim unaquæque unitas, inquit, propinquior fuerit primæ, et veræ unitati, tanto materia formata per illam abit magis una, et simplex; et e converso, quanto remotior fuerit a prima unitate, tanto erit multiplicior, et compositior. Et ob hoc

1 Lib. VIII, Coll. c. XXI.— 2 Serm. *de SS. Innoc.*— 3 Phot. cod. 232.— 4 VII *de Gen. ad lit.* c. VI.— 5 Lib. *de Unit.* et Uno.

unitas, quæ duxit ad esse materiam intelligentiæ, est magis una, et simplex, et non multiplex, nec divisibilis essentialiter. Sed, si divisibilis est, hoc siquidem accidentaliter est; et ideo hæc unitas simplicior, et magis una est omnibus unitatibus, quæ ducunt ad esse cæteras substantias, eo quod immediate adhæret primæ unitati, quæ creavit eam. Sed quia unitas subsistens in materia intelligentiæ est unitas simplicitatis, ideo necessario unitas subsistens in materia animæ, quia infra eam est, crescit, et multiplicatur, et accidit ei mutatio et diversitas; et sic paulatim descendendo a superiori per unum gradum materiæ inferior unitas augetur, et multiplicatur, quousque pervenietur ad materiam, quæ sustinet quantitatem, » etc.

III. Quocirca materiam eamdem omnino corporatarum rerum, et spirituum, sive intelligentiarum, animarumque censet esse Boetius, atque utrobique sui cujusque generis formæ subjici; quod paucis interjectis disertius explanat: « Quia igitur materia in supremis formata est intelligentiæ forma, et forma rationalis animæ, deinde postea forma animæ sensibilis, deinde forma animæ vegetabilis, deinde forma naturæ, ad ultimum autem finis est forma corporis; hoc non accidit ex diversitate virtutis agentis, sed ex aptitudine materiæ suspicientis. » Ac demum, cum de unius variis generibus agit, inter alia quoddam esse ait « simplicium cognitione unum, ut Angelus, et anima, quorum unumquodque est unum conjunctione materiæ, et formæ. »

Qui nec sibi constat.

Atqui Boetius idem in libro *de duabus naturis, et una persona Christi*, nullam in rebus corpore carentibus esse materiam his verbis asserit: « Omne, inquit, corpus, quod in generatione, et corruptione subsistit, communem videtur habere materiam; sed non omne ab omni, vel in omni vel facere aliquid, vel pati potest. Corporea vero in incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subjecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutram permutetur. Omnis enim natura incorporeæ substantiæ nullo materiæ nititur fundamento. Nullum vero corpus est, cui non sit materia subjecta. » Et mox: « Nec vero fieri potest, ut incorporalia in sese commistione aliqua permutentur. Quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti (ac) permutari queunt. Nulla autem est incorporalibus materia rebus. Non poterunt igitur in se invicem permutari. » Quæ duo ejusdem dogmata non satis cohærere videntur, præsertim si, ut nonnulli Theologi disputant, et quidem auctore nixi Boetio, ejusdemmodi sit corporatarum materia rerum, et corpore carentium. Quod imprimis affirmat Auctor libri *De mirabilibus Scripturæ*, capite primo: « Ex informi, inquit, materia, quam ipse prius ex nihilo condidit, cunctarum visibilium et invisibilium rerum, hoc est sensibilium, et insensibilium, intellectualium, et intellectu carentium species multiformes divisit. » Rupertus quoque in libro secundo *de Victoria Verbi* Dei, c. XII, Angelos de materia creatos existimat. Boetio ex Scholasticis assentitur maxime omnium Bonaventura[1]; qui materiam in corporeis, ac spiritualibus rebus eamdem prorsus esse definit, adeoque numero unam, quoniam non est nisi potentia, nec ullam ex sese formam habet, ac distinctionem perinde nullam. Hanc vero numeralem unitatem non talem constituit, qualis est in individuis, sed diversi cujusdam generis; quod sane obscure, perplexeque declarat, neque est necesse diligentius hoc loco perscrutari. Et in Opusculo secundo, quod inscribit, *Luminaria Ecclesiæ*, serm. IV negat ullam creaturam esse simplicem: « Quia purus esset actus, quod est solius Dei. » Itaque Angelum compositum esse minore dici periculo ait, etiamsi verum non sit, quam quod sit simplex. Sed revera ita se habere probat ex Boetio, qui dicit, « Formam simplicem subjectum esse non posse. » Quare si simplex esset Angelus, nec tristitia, nec lætitia ei posset accidere. Ubi materiam in Angelo esse, etsi non aperte dicit, declarat tamen, dum Boetii ad id testimonium usurpat, quod de materia utique debet intelligi.

Intelligibilibus perinde ac corporeis aliquam inesse materiam, quorumdam Platonicorum fuit opinio.

IV. Cæterum perinde in intelligibilus, ut in corpore præditis inesse materiam, Platonicorum quorumdam fuit opinio; quam fuse Plotinus explicat, qui in Ideis, et intelligibilibus formis, quales ab corporibus abstractas constituebat Plato, materiam esse probat eo argumento, quod in Angelis, animisque valere debet, « Nam cum, inquit, plures in illis sint species, commune sit in iisdem aliquid oportet, sed et proprium, quo aliud ab alio discrepet. Hoc igitur proprium, ac differentia illa discernens, forma est propria. Quod si inest forma, est et formatum; circa quod differentia est. Subest itaque materia, quæ

[1] II Dist. III.

illam formam recipit, perpetuoque subjectum [a]. » Quanquam subinde differentem statuit in νοητοῖς, hoc est *intelligibilibus* materiam ab ea, quæ in αἰσθητοῖς, *sensibilibus* cernitur, quatenus utrique insidens forma diversa est.

Ac Alcinous ex Platonis sententia definit, materiam « neque corpus esse, neque incorpoream, sed potentia corpus, sicut æs potentia est statua [b], » quasi solis in corporibus existat. Sane cujusmodi materiam Plotinus describit intelligibilium rerum, ea non videtur alia, quam quæ *metaphysica* vulgo nominatur, hoc est genus, quod materiæ proportione respondet, ut Porphyrius affirmat [c], qui hominem universe sumptum ex genere, ceu materia, et differentia, tanquam forma compositum esse dicit. Hoc autem, ut proprie dicamus, mate-

Actu. ria non est. Nam est reipsa, et ἐνεργείᾳ quippiam, quod alterius accessione perficitur, ad idque potentiam habet, hoc est similitudinem materiæ. Quemadmodum et humanus animus, etsi forma sit, variis tamen rebus afficitur, quas prius potestate continet ; tum actu recipit, iisque subjecti vicem præbet, quod in virtutibus, ac disciplinis, cæterisque id genus accidit.

V. Etenim, quidquid illud est, quod mutatur, ac forma aliqua perficitur, habet ad eam capiendam nonnullam potentiam, et quandiu illa caret, *informitatem*, ut cum Augustino [1] loquar ; cujus hæc verba sunt : « Et verum est, quod omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quamdam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur, et vertitur. » Ac postea : « Verum est, omne, quod ex informi formatur, prius esse informe, deinde formatum. » Porro duo ista, potentia, et informitas, quorum hoc τὸ ἄμορφον, καὶ ἄποιον, καὶ ἀνείδεον ab Alcinoo vocatur, maxime propria sunt materiæ. Ob id creatæ res omnes, etiam spirituales, et intelligibiles, velut hominis est animus, et Angelus, quiddam habent materiæ simile ; neque meræ sunt, ac simplices formæ, cujusmodi solus est omnium conditor, qui neque partes habet aliquas, neque compositus est, neque adventitia re affici ulla, perficique potest. Itaque solus est id, quod est ; quia merum est esse, meraque forma : « Omne namque esse ex forma est, nihilque secundum marteriam esse dicetur, sed secundum propriam formam, » ut Boetius disserit [2] ; cujus et reliqua est tam erudita, quam ad institutum pertinens oratio, qua Dei simplicitatem explicat, in quo partes nullæ sunt, sed hoc est omne, quod habere a nobis intelligitur. Adjicit etiam illud, ideo *subjectum* non posse fieri Deum, « quia forma est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Nam, quod cæteræ formæ subjectæ accidentibus sint, ut humanitas, non ita accidentia suscipit eo, quod ipsa est, sed eo, quod materiæ ei subjecta est. Dum enim materia subjecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa hoc suscipere videtur humanitas. Forma vero, quæ est sine materia, non poterit esse subjectum, nec inesse materiæ. » Huc spectat articulus quidam a Stephano Parisiensi Episcopo damnatus [3], « Quod substantiæ separatæ sunt sua essentia ; quia in eis idem est, quod est, et per hoc quod est. » Item alius [4], « Quod scientia intelligentiæ non differt a substantia intelligentiæ. »

VI. Redeo ad illud materiæ genus quod ex Porphyrio paulo ante memoravimus, et *genus* ab eo esse dicitur. De hac Maximus in *Scholiis* quinti capitis libri *de Divinis nominibus* agit ex Dionysio. Nam, cum hic ita scripsisset, omnium, quæ ex Deo participantur, primum esse hoc ipsum, *quod est*, idque antiquius esse, quam *ipsam-vitam*, *ipsam-sapientiam*, hoc est αὐτοεῖναι, sive *ideam essendi*, ut ita loquar, priorem essse *idea vitæ*, vel *sapientiæ* ; (quem locum supra declaravimus) Maximus adnotat [5], « invisibiles et supremas mentes primum essentiæ, vel extantiæ fuisse participes, ac deinde vitæ, atque sapientiæ. Ut enim in nobis prima est producta materia, ex qua sumus ; sic in mentibus corpore carentibus instar materiæ intelligitur ea, quæ est uniuscujusque per vitam forma, et per quam subs-

a Plotin. *Enn.* II, lib. IV. Εἰ οὖν πολλὰ τὰ εἴδη, κοινὸν μέν τι ἐν αὐτοῖς ἀνάγκη εἶναι, καὶ δὴ καὶ ἴδιον, ᾧ διαφέρει ἄλλο ἄλλου. τοῦτο δὴ τὸ ἴδιον, καὶ ἡ διαφορὰ ἡ χωρίζουσα, ἡ οἰκεία ἐστὶ μορφή. εἰ δὲ μορφὴ, ἔστι καὶ τὸ μορφούμενον, περὶ ὃ ἡ διαφορά. ἔστιν ἄρα καὶ ὕλη ἡ τὴν μορφὴν δεχομένη, καὶ ἀεὶ τὸ ὑποκείμενον.

b Alcin. *de Doct. Plat.* cap. viii. Τοιαύτη δὲ οὖσα οὔτε σῶμα ἂν εἴη, οὔτε ἀσώματον· δυνάμει δὲ σῶμα, καὶ ὡς καὶ τὸν χαλκὸν ὑπακούομεν δυνάμει ἀνδριάντα.

c Porph. *Isag.* cap. iii. Ὁ ἄνθρωπος ὁ κοινός τε, καὶ εἰδικὸς ἐξ ὕλης μὲν ἀναλόγου συνέστηκε τοῦ γένους, ἐκ μορφῆς δὲ τῆς διαφορᾶς.

1 XII *Conf.* cap. xix. — 2 Libr. *de Trinitat* — 3 Art. 14 capitis I tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 919 et in Calce Mag. sent.— 4 Art. 20 Ibid. — 5 Lib. IV, cap. x, § 4.

tantiatum est ad vitam, et sapientiam, et similitudinem [a]. » Ibi materiæ instar esse spiritibus affirmat formam illam, sive ideam, a qua habent imprimis, ut sint, deinde ut tales sint, hoc est viventes, et sapientes. Cum autem diversæ sint ideæ istæ, harum natura prima intelligitur τοῦ εἶναι, hoc est *essendi* idea; tum vivendi, et sapiendi. Prius est enim esse rem, quam hoc modo esse, sive his qualitatibus, et proprietatibus affici.

Vellem de hoc materiæ genere Boetius, Bonaventura, cæterique loquerentur, qui communem cum rebus corporatis habere materiam dixerunt Angelos. Nemo ab illis hac in re dissideret. Nam genere, quæ est metaphysica materia, constare Angelos, ac differentia, vix erit aliquis, qui non facile consentiat. Verum aliud illorum habere sententia videtur, et cujusmodi jam dixi, ut eadem, quæ est in corporibus, et qua ea constituuntur, in incorporeis illis mentibus insit materia. Cui non modo recentiorum Theologorum pars maxima reclamat, sed etiam omnes antiqui, quibus esse corporis expertes Angelos placuit. Hi enim non minus ἀΰλους, quam ἀσωμάτους illos vocant, ut Eusebius, Gregorii ambo, Nyssenus, et Nazianzenus, Joannes Damascenus, Maximus superiori capite citati. Subscribit his R. Moses Maiemonides in prima parte *Jad*, Tractatu primo de *Fundamentis legis*, ubi Angelos ait esse *formas sine ulla prorsus materia* [b], sive formas separatas. Hoc ipsum præterea significant, qui *simplices* illos esse *substantias* affirmant, ut Gregorius Nazianzenus ibidem laudatus in carmine primo *de Virginitate*.

Materiæ quam corporis expertes.

Qui autem corpore præditos angelos esse sentiunt, eos, consentaneum est, materiam una iis accommodasse corporum propriam. At iidem si paulo elegantius philosophati sunt, Angelicis corporibus consertos esse crediderunt spiritus, quos crassioris illius, et ut vocant, physicæ sine dubio materiæ expertes fecerunt. Absurdissimum enim videtur, citra corpora ullam putare esse materiam, Ut sint invicem ista conjuncta, et quidquid materia præditum est, idem sit corpus, et corpus omne materia constet. Vide sanc. Thomam in prima Parte *Summæ Theologicæ*, quæstione L, articulo secundo, ubi Angelos probat carere materia. Inter articulos a Stephano damnatos iste etiam reperitur: « Quod materia non est in Angelis, contra fratrem Thomam. » Ubi mirum est tam hoc damnari, nullam esse materiam in Angelis, » quam fratri Thomæ, siquidem ille est sanc. Thomas Aquinas, contrarium imputari.

Sententia negans in Angelis esse accidentia non probatur.

VII. Hoc igitur constituto ἀΰλους, id est *materia carentes* esse Angelos, ac formas per se subsistentes, si, ut Boetius paulo ante citatus asserebat, forma sine materia subjectum esse non potest accidentium; sequitur nullum in Angelis accidens inesse, ac ne in anima quidem humana. Quod sane fatetur Ammonius eruditissimus Aristotelis interpres, dum substantiæ definitionem Aristoteleam explicat: « Nullo modo, inquit de intelligibilibus agens substantiis, capaces sunt accidentium. Quanquam quid ego intelligibiles substantias dico, cum ne in animam quidem solam conveniat hæc sententia, cum eam consideramus affectione ad corpus expeditam, ac Deo similem factam, et mundanum bonum contemplantem? Cum autem implicata generatione spectatur, et corporibus admista, tunc ad eam definitio convenit, tanquam accidentibus subjectam. Est enim subjecta philosophiæ, et grammaticæ, et alteri cuipiam disciplinæ, quæ circa ipsam accidit [c]. »

Huic accedit Auctor [1] libri *de Causis* sub initium. Ibi enim triplex esse distinguit; unum, « quod est ante æternitatem, estque causa prima, quoniam est causa ei: (id est æternitati) secundum, quod est cum æternitate, et est intelligentia, quoniam est esse secundum habitudinem unam, unde non patitur, neque destruitur: *tertium* esse, quod

a Maxim. Οἵ γοῦν ἀόρατοι, καὶ ἀνώτατοι νόες πρῶτον τοῦ εἶναι μετέσχον, καὶ οὕτω ζωῆς, καὶ σοφίας. ὥσπερ γὰρ ἐφ' ἡμῶν πρώτη τις ὑπέστη ὕλη, ἀφ' ἧς ἔσμεν· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων νόων, οἱονεὶ ὕλη νοεῖται τὸ ὂν ἑκάστου διὰ ζωῆς εἶδος, καὶ καθ' ὃ οὐσίωται εἰς ζωὴν, καὶ σοφίαν, καὶ ὁμοιότητα.

b Rabbi Moses. *Tract.* I, cap. II. צורה כלא
Et in cap. IV. גולם כלל.

c Ammon. Οὐδὲ γὰρ ὅλως δεκτικαί εἰσι τῶν συμβεβηκότων. καὶ τί λέγω περὶ τῶν νοητῶν οὐσιῶν, ὅπου γε οὐδὲ ἐπὶ ψυχῆς μόνης ἁρμόσει ὁ λόγος, ὅταν θεωρῶμεν αὐτὴν ἀπολελυμένην τῆς σχέσεως τῆς πρὸς τὸ σῶμα, καὶ ἐξομοιωθεῖσαν θεῷ, καὶ τὸ κοσμικὸν ἐπισκοποῦσαν ἀγαθόν; ὁπηνίκα δὲ ἐν γενέσει θεωρεῖται, καὶ τοῖς σώμασι συμπεπλεγμένη, τότε καὶ ἐπ' αὐτῆς ἁρμόσει ὁ ὁρισμὸς, ἅτε ὑποκειμένης συμβεβηκόσιν· ὑπόκειται γὰρ τῇ τε φιλοσοφίᾳ, ἢ γραμματικῇ, ἢ ἄλλῃ τινὶ ἐπιστήμῃ, ἅ τινα περὶ αὐτὴν συμβέβηκε.

1 Lect. II apud Sanct. Thomas tom. IV Oper.

est post æternitatem, et supra tempus, est anima. » Itaque *esse secundum*, vel intelligentia mutationis expers ab illo ponitur; neque patitur quidquam. Ideo statim subjicit, « Et intelligentia opponitur, vel parificatur æternitati quoniam extenditur cum ea, et non alteratur, neque destruitur, » Atqui *alteratur* id, cui aliquid accidit, præsertim si eo accidente sit perfectius. Ita sanctus Thomas in commentario ad hunc locum, verba illius accipit: « Est, inquit, omnino secundum habitudinem unam, ita quod non patiatur aliquam alteritatem nec virtutis, nec operationis. » Sic etiam Scholiastes R. Mosis Maiemonidæ ad caput secundum Tractatus *de Fundamentis legis*, Intelligentias separatas ait a se mutuo distingui « ratione causæ et causati quoniam non sunt illis accidentia, quibus a se mutuo distinguantur [a]. »

Gregorius item Nyssenus in XII lib. *contra Eunomium*, Deum universitatis conditorem asserit patibili et obsequente materia condita: in sensibilibus quidem rebus varias indidisse qualitates, in intelligibilibus vero non qualitates, sed liberi arbitrii appetitiones indidisse; cujus verba postea referam.

VIII. Sed et Marius Victorinus in eadem fuisse sententia videtur, ac Boetius, et cæteri, cum ita scribit in quarto adversus Arium: « Etenim in supernis, æternisque, id est in intellectibus, atque intellectualibus nihil accidens, nihil qualitas, nihil geminum, vel cum altero, sed omnia viventes sunt, intelligentesque substantiæ, puræ, simplices, uniusmodi, hoc ipso, quo sunt, et vivunt, et intelligunt, conversimque quo intelligunt, hoc ipso etiam sunt. » Hic enim non de Deo tantum agit, sed etiam de cœlestibus substantiis, et intelligibilibus, quas æternas ideo vocat, quod nunquam intermorituræ sint.

Verum Maximus Dionysii interpres ac Theologus longe Victorino præstantior, majus addit huic opinioni pondus auctoritatis; dum in Commentariis ad septimum caput Hierarchiæ cœlestis; quas Dionysius θεοειδεῖς ἕξεις appellabat: hoc est *deiformes habitus*, ita declarat: « Quod deiformes habitus in divinis mentibus appellat, non sic existimandum est, magnum Dionysium dicere virtutes illas intelligibiles accidentis instar, ut in nobis ipsis, tanquam aliam in alio subjecto, velut qualitatem illi advenire. Nam accidens, et subjectum illic locum non habent, cum et omnis inde compositio, et informitas materiæ procul excludantur. Si enim aliud in alio foret, velut accidens in subjecto, non per sese illa substantia viveret, neque per se divina fieri posset, quantum assequi licet, propter solum ordinem, qui servatur, cum aliud in alio ponitur. Quocirca habitus ii, qui inesse dicuntur illis, sunt ipsi per se substantiati, non autem ut accidens in subjecto, quia materia carent. Hinc magnus Dionysius infra, in libro de Ecclesiastica Hierarchia capite quarto, substantiales ait esse habitus, qui illis insunt [b]. » Hæc Maximus, qui Angelos nullum accidens, et qualitatem nullam capere posse confirmat, pro eo quod materiæ sunt expertes. Quem sic interpretatur sanc. Thomas[1], ut « de habitibus, et accidentibus materialibus » loquatur.

IX. Sed minime hæc probabilis est ratio. Quippe Maximus de iis ipsis loquitur habitibus, quos Dionysius θεοειδεῖς ἕξεις nominat. At isti mere spirituales sunt, et νοητοί. Nam sunt « illuminationes, et efficientiæ primariæ[c], » quæ ab auctore omnium Deo, nulla interposita creatura, in primos, ac summæ majestati proximos Angelorum ordines manant, ut idem Dionysius affirmat. Itaque puri isti sunt ab omni materiæ commercio. Quare nemo melius, quam se ipse Maximus explicare potest, qui eodem in loco

In Angelis sunt habitus et accidentia. *Deiformes habitus.*

a Schol. Rabbi Moses. צורות נפרדות דו מזו כוצר שבהם עלה ועלול לפי שאין להם מקדים שנפרדו בהם זו מזו.

b Maxim. Ἐπειδὴ θεοειδεῖς ἕξεις φησὶν ἐπὶ τῶν θείων νόων, οὐ χρὴ ὑπολαμβάνειν τὸ μέγαν Διονύσιον τὰς ἀρετὰς ταύτας τὰς νοητὰς ὡς συμβεβηκὸς, ἅτε καὶ ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν προσγίνεσθαι λέγειν, ὡς ἄλλη ἐν ἄλλῳ ὑποκειμένῳ, οἱονεὶ ποιότητα προσγινομένην. τὸ γὰρ συμβεβηκὸς, καὶ ὑποκείμενον ἐκεῖθεν ἀπελήλαται, ὅτε καὶ πᾶσα σύνθεσις, καὶ τὸ τῆς ὕλης ἄμορφον ἐκεῖθεν ἐξώρισται· εἰ γὰρ ἦν ἄλλῳ ἐν ἄλλῳ, οἷον συμβεβηκὸς ἐν ὑποκειμένῳ, οὐκ ἂν ἔζη καθ' ἑαυτὴν ἡ οὐσία ἐκείνη, οὐδὲ θεοῦσθαι καθ' ἑαυτὴν, ὡς ἐφικτὸν, ἠδύνατο, διὰ μόνην τάξιν τὴν ὡς ἄλλο ἐν ἄλλῳ φυλαττομένην. αἱ οὖν ἐν αὐτοῖς εἰρημέναι ἕξεις αὐτοουσιωμέναι εἰσὶν, οὐ μὴν ὡς συμβεβηκὸς ἐν ὑποκειμένῳ, διὰ τὸ ἄϋλον. ὅθεν ὁ μέγας Διονύσιος κάτωθεν ἐν τῷ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας λόγῳ, κεφαλαίῳ, τετάρτῳ, οὐσιώδεις φησὶν εἶναι τὰς ἕξεις τὰς ἐν αὐτοῖς.

c Dionys. cap. VII *cæl. Hierar.* Εἰκότως οὖν ἡ πρώτη τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν πρὸς τῶν ὑπερτάτων οὐσιῶν ἱερουργεῖται, τάξιν ἔχουσα πασῶν ὑψηλοτέραν τῷ περὶ θεὸν ἀμέσως ἱδρῦσθαι, καὶ τὰς πρωτουργοὺς θεοφανείας, καὶ τελειώσεις εἰς αὐτὴν ὡς ἐγγυτάτην ἀρχικωτέραν διαπορθμεύεσθαι.

1 In I, II, q. L, art. 6, ad. 1.

declarat, cujusmodi habitus illos esse velit: « Nota, inquit, divinas virtutes secundum habitum, obtinere deiformem statum. Est autem habitus qualitas permanens. Hinc igitur ostenditur, libero illas arbitrio esse præditas. et virtutes habitu possidere. Hoc latius demonstrat Ammon Hadrianopolitanus in libris, quos *de Resurrectione* adversus Origenem scripsit[a]. » Qui in Angelis tales esse habitus dicit, ut sint permanentes dualitates, non iis tantum simplicitatis tribuit, nullam ut adventitiam formam recipiant, neque accidens: aut compositionem omnem detrahit: verum ejusmodi solum removet accidentia, quæ aboleri, extinguique facile possunt, ut in nobis usuvenit. Nam doctrinarum, et artium, virtutumque habitus sive studio quæsiti, sive divinitus parti, amittuntur interdum, vicissimque recuperantur. Angeli vero sic a prima origine inditas rerum habent species, ut eæ nunquam excidant; virtutum item gratiæque ornamenta, qui in iis obfirmati sunt, constanter obtinent adeo, ut divino beneficio sic, tanquam in naturam ac substantiam illa transierint, ut Pachymeres docet. « Divinæ, inquit, virtutes secundum habitum deiformem possident statum. Est autem habitus qualitas permanens. Ejusmodi porro habitus substantialis factus est ex Dei gratia, non autem tanquam accidens in subjecto; quoniam materiæ sunt et corporis expertes[b]. » Itaque non in aliquo prius altero statu conditos esse dicit, ut illis carerent virtutibus, sed una cum illis creatos; et qui ab eo statu defecerunt, iis amissis virtutibus, in alteram transcriptos esse veluti sortem, conditionemque naturæ. Denique « est ejusmodi, inquit, substantivus Angelorum habitus, qualis est in igne secundum habitum comburendi vis, et ardor[c]. » Sane accidens ita definitur a Porphyrio, ut sit id, « quod est, et abest citra interitum subjecti. » Quare forma illa, qualitasve, quæ a subjecto non divellitur, accidens illo modo non est, sed οὐσία, vel οὐσιώδης appellatur, aut φύσις, quatenus id natura, vel naturale esse dicitur, quod congenitum est alicui, et cum eo nascitur, atque existere incipit. Sic Apostolus *natura* nos ait esse *filios iræ*, quia peccatores, et invisi Deo nascimur. Ad hunc modum habitus illi, qui in Angelis sunt, οὐσιώδεις vocantur a Dionysio, et Maximo[1]. *Substantiales.*

X. Sed, ut ad Boetium revertar, quod is universe asserit, nullam formam posse esse subjectum etiam accidentis, ac solius hoc proprium esse materiæ, adstipulante Mario Victorino, neque philosophis hoc probari, neque Theologis potest. Quippe multa formis accidunt, quæ in ipsis resident, et ad eas adhærescunt; neque insunt per sese materiæ, nisi materiæ vox καταχρηστικῶς, et latius accipiatur, ut id significet, quod non plane est simplex, vel *actus purus*, ut dici solet, sed potentiæ aliquid includit. At ejusmodi sunt creatæ res omnes, ut jam dixi, quæ ex actu, et potentia constituuntur; tametsi cum cæteris comparatæ, formæ simplices appellentur, ac materiæ funditus expertes. Tales profecto sunt hominum animæ, multoque Angeli magis, in quibus compositio est multiplex, velut naturæ ipsius, sive essentiæ, et existentiæ, naturalis item facultatis, et actionis, et aliæ quædam, ut sanc. Thomas asseverat[2]. Sed neque verum est, humanitatem per se nullius accidentis esse subjectnm, sed ratione materiæ, quod putat Boetius. Nisi forte *spirituales*, ut vocant, *qualitates*, velut est virtus, scientia, gratia, charitas, et aliæ hujus generis, in materia, vel corpore insunt, tanquam in subjecto, quod nemo concesserit, qui quid res istæ sint cognoverit. *Per catachresin.*

Sane Basilius non ambigit, quin Angeli qualitates capere possint, idque in epistola CXLI docet[3], ubi creatas res omnes vel ex contrariis constare asserit, vel contraria recipere; quem locum alibi descripsimus, cum de Dei simplicitate disputavimus. Tum vero demonstratum est ex communi Veterum sensu, soli hoc inesse Deo, ut propter summam simplicitatem omni compositione careat tam οὐσιώδει id est *naturæ substantiæ propria*, quam ea, quæ ex substantia, et actione, vel qualitate conflatur.

a MAXIM. ibid. Σημείωσαι, ὅτι αἱ θεῖαι δυνάμεις καθ' ἕξιν ἔχουσι τὸ θεοειδές. ἕξις δέ ἐστι ποιότης ἔμμονος. ἐντεῦθεν οὖν δηλοῦται ὅτι αὐτεξούσιοί εἰσιν, ἕξει τὰς ἀρετὰς κτώμεναι. τοῦτο πλατύτερον παριστᾷ Ἄμμων ὁ Ἀδριανουπολίτης ἐν τοῖς περὶ ἀναστάσεως αὐτῷ κατὰ Ὠριγένους γεγραμμένοις λόγοις.

b PACHYM. Paraph. cap. VII *Div. nom.* Αἱ γὰρ θεῖαι δυνάμεις καθ' ἕξιν ἔχουσι τὸ θεοειδές. ἕξις δέ ἐστι ποιότης ἔμμονος. ἡ δὲ τοιαύτη ἕξις οὐσιωμένη ἐστὶ κατὰ θείαν χάριν· οὐ μὴν ὡς συμβεβηκὸς ἐν ὑποκειμένῳ, διὰ τὸ ἄϋλον, καὶ ἀσώματον.

c Id. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν ἀγγέλων ἕξις οὐσιώδης, οἵα καὶ ἡ τοῦ πυρὸς καθ' ἕξιν καῦσις.

1 In c. IV Eccl. Hier.— 2 I p. p. I, a. 5.— 3 Vide loc. in t. I *de Deo* l. II, c. VI, § 11 Vide et. l. IV *de Trin.* c. XIII, x § 11.

XI. At idem in quinto adversus Eunomium, « Rem omnem creatam ait in duo genera dividi, corporeum, et incorporeum; totidemque mutationis esse species; ac corpora quidem mutari secundum substantiam [a], » ut cum ex mortalibus fiunt immortalia, et incorrupta, vel e contrario corrumpuntur : « Incorporea vero, et ratione prædita mutationem capere secundum actionem, vel voluntatem, » ut cum Angeli peccaverunt.

Cui simile est, quod in duodecimo libro contra Eunomium Gregorius Nyssenus tradidit : « Deum universitatis opificem patibilem, et facile cedentem materiam fundamenti loco jecisse, atque ita actuosam reddidisse operatricem suam substantiam; tum in iis, quæ sub sensus cadunt, varias et multiformes in subjectum qualitates ad uniuscujusque procreatorum effectionem solerter injecisse; at in intelligibilibus aliud instituisse, ut non qualitatibus, sed liberis appetitionibus subjectum formaret [b]. » Videtur ποιότητας, id est *qualitates* abjudicare non a Deo solum, sed etiam ad omnibus spiritualibus, corporeque carentibus substantiis.

Qualitates duplici modo intelliguntur.

Verum dupliciter interpretari istud licet. Primum enim qualitates intelligi possunt, quæ invicem coutligunt seque perimunt; ex quo subjectæ substantiæ corruptela sequitur. Absunt enim ejusmodi non ab incorporeis tantum rebus, sed ab immortalibus quoque, ac sempitermis corporibus, ut sunt cœlestes orbes, qui qualitatibus istis neutiquam afficiuntur, ut sunt calor et frigus, verum iis duntaxat, quibus perficiuntur, quale est lumen. Deinde qualitates eæ possunt accipi, quæ proprie sunt accidentes, hoc est modo insunt, modo extinguuntur, cujusmodi sunt habitus virtutum, ac vitiorum, scientiæ, ac cæteri. Tale enim accidens et a philosophis intelligitur, et a Cyrillo libro XV *Thesauri*, et Maximus supra a nobis citatus istiusmodi habitus virtutum negat inesse Angelis, auctore fretus Dionysio. Vide autem Cyparissiotum in *Decade* X capite secundo, et Turriani ad eum scholia.

XII. Guillelmus Parisiensis in libro *de Virtutibus*, capite IX duo illa complectitur. Scribit enim, « In substantiis nobilibus abstractis, et immaterialibus virtutes hujusmodi naturales esse, et eisdem concretas fuisse; quia perfectæ creatæ sunt, hoc est in ipso actu perfectionis naturalis, non in sola potentia, quemadmodum sensit Aristoteles de animabus humanis. » Addit deinceps, easdem substantias « ab inferioribus nullo modo passibiles esse, » ideo qualitates istas *incontingentes illis esse.* Quod cum Maximi doctrina adamussim congruit; qui præter illa loca, quæ superius attulimus, dissertissime in Scholiis ad caput XIII libri *de Ecclesiastica Hierarchia* rem eamdem explicat. « Sciendum est, inquit, in intelligibilibus virtutes non esse secundum accidens itidem, ut apud nos. Verum Deus quidem est vivens virtus, et ex se ipsa perfecta, nec ullius egens, quoniam supersubstantive substantiatus est, » etc. Tum, « Igitur, non secundum accidens mentes instar nostri, virtutem habent, ut prudentiam exempli causa exercitatione partam, vel disciplina, aut justitiam, aut temperantiam ex continentia, aut fortitudinem ex bona dispositione corporis, atque nervorum. Non enim, tanquam aliud in alio, inest ipsis virtus : verum hoc ipsum, quod, quæ propria sibi sunt, operantur, et sine ulla cessatione ad Deum erectæ convertuntur, et ad se, hoc, inquam, in illis est ad Dei imitationem exacta virtus. Interim tamen ordinem retinent, qui est alterius in altero. Ut exempli gratia, vivit in me anima tua, boc est doctrinæ tuæ communicatio. At vero accidens est in subjecto, cujusmodi ibi nullum est. Sunt enim compositionis, et materiæ expertes illæ substantiæ, earumque formæ vitæ sunt, non tanquam in materia [c]. »

XIII. Qui locus, ut et omnis illa Græcorum

a Basil. V *contra Eunom.* init· Τῆς κτίσεως εἰς δύο διαιρουμένης, εἰς σώματα, καὶ ἀσώματα, διῄρηται καὶ ἡ περὶ ταύτην τροπή· καὶ τὰ μὲν σώματα τὴν κατ' οὐσίαν ἐπιδέχεται τροπὴν, etc. Τὰ δὲ ἀσώματα, καὶ λογικὰ τὴν κατ' ἐνέργειαν, ἤτοι κατὰ γνώμην, ἐπιδέχονται τροπήν.

b Gregor. Nyss. Ὡς γὰρ τὸν τοῦ παντὸς δημιουργόν φαμεν παθητικήν τινα, καὶ εὔεικτον ὕλην ὑποβαλλόμενον, ἐνεργὸν ἑαυτοῦ τὴν δημιουργικὴν οὐσίαν ποιῆσαι, ἐπὶ μὲν τῶν αἰσθητῶν, τὰς ποικίλας τε, καὶ πολυειδεῖς τῷ ὑποκειμένῳ ποιότητας πρὸς τὴν ἑκάστου τῶν γινομένων ἀπεργασίαν τεχνικῶς ἐπιβάλλοντα· ἐπὶ δὲ τῶν νοητῶν, ἕτερον τρόπον οὐχὶ ποιότησιν, ἀλλὰ προαιρετικαῖς ὁρμαῖς διαμορφοῦντα τὸ ὑποκείμενον.

c Maxim. Ἰστέον δὲ, ὅτι ἐν τοῖς νοητοῖς αἱ ἀρεταὶ οὐκ εἰσὶ κατὰ συμβεβηκὸς, ὡς παρ' ἡμῖν, ἀλλ' ὁ θεὸς μέν ἐστι ζῶσα ἀρετὴ, καὶ αὐτοτελὴς, καὶ ἀπροσδεὴς, ὅτι ὑπερουσίως οὐσίωται, etc. Mox : Οὐ κατὰ συμβεβηκὸς οὖν οἱ νόες, ὡς ἡμεῖς, ἔχουσι τὴν ἀρετὴν, τὴν φρόνησιν, ἐξ ἀσκήσεως οἷον, ἢ μαθήσεως, ἢ τὴν δικαιοσύνην δι' ἐγκρατείας, ἢ τὴν ἀνδρείαν ἐξ εὐθεσίας σώματος, καὶ νεύρων. οὐ γὰρ ὡς ἄλλο ἐν ἄλλῳ, ἐν τούτοις ἡ ἀρετή· ἀλλὰ τὸ τὰ οἰκεῖα ἐνεργεῖν, καὶ ἀπαύστως ἀνατετάσθαι πρὸς

disputatio de Angelorum simplicitate compositionem omnem ex accidentibus, et substantia repellente, obscuritate non caret. Tenendum illud est tamen, quod ex Basilio, aliisque didicimus, nulla gratiæ, aut virtutis ornamenta, vel scientiæ, quas ποιότητας, et ἕξεις vocant, hoc est *qualitates*, et *habitus*, idem esse cum Angelorum substantia ; sed esse adveniens quiddam, et eorum substantiæ superfusum. Hoc enim peculiare habet Deus, ut non bonus, justus, sanctus, sciens, sed bonitas, justitia, sanctitas et scientia sit, si proprie loquimur. Creatæ vero res omnes, iis affectæ qualitatibus, denominationem ab illis accipiunt. Quo argumento sæpe utuntur Patres, ut Filii ac Spiritus sancti divinitatem adstruant, nec non Dei simplicitatem, ut alibi demonstravimus [1]. Merito itaque inter articulos a Stephano Parisiensi episcopo damnatos iste numeratur. « Quod in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio; nec sunt in potentia ad aliquam, aut ad aliud, quia æternæ sunt, et immunes a materia [2].» Nec dubium est, accidentia illa in Angelis ab eorum substantia esse distincta. Sed quia, naturalium instar proprietatum, ingenitæ, innatæque sunt ipsis qualitates, eæ, non usu et industria disciplinaque comparatæ, idcirco οὐσιώδεις, id est *substantiales* ab illis nominantur, uti Maximus declarat. Unde non esse dicit easdem tanquam unum in alio, id est velut accidens in subjecto, vel materia, quod ita scilicet inhæret ipsi, ut ab ea divelli queat ; et hac ratione diversissimum sit. Quod hoc exemplo utcumque potest explicari. Humano corpori tam cutis circumfusa est, quam vestis ; sed hæc ita circumponitur, ut exui possit, sine ullo detrimento integritatis, et substantiæ. Cutis autem, etsi absolute potest a corpore separari, est tamen naturalis, et quædam substantiæ portio, quæ si detracta fuerit, nonnulla censetur de illius integritate facta decessio. Ad eumdem modum, habitus et qualitates, velut virtutes, et scientiæ, possunt quidem ab Angelorum substantia distrahi, sed non sine quadam ejus imminutione, quod οὐσιῶδες, et *naturale* sit. Ideo dicuntur accidentia non esse, quia removeri sine subjecti pernicie nequeunt ; neque proprie compositionem faciunt, quasi re diversa ad rem addita. Sicut pellis cum corpore non facit compositum aliquid, cum unum sit cum eo, et pars illius. Quis autem dixerit, corpus ex seipso, et parte sui compositum, utputa ex corpore, et capite ? Non fert hoc communis usus, et dictu est absonum. Sic habitus et qualitates in Angelis ad ipsorum complementum substantiæ pertinent, adeoque numerum ea, et compositionem minime faciunt. Verumtamen, quoniam a seipsis illas non habent qualitates Angeli, vel potius non sunt ipsæ qualitates, sed aliunde communicatas, ac derivatas obtinent ; hinc Maximus *ordinem* inesse dicit *alterius in altero*, quatenus sic in ipsis hærent, ut ab alia causa intelligantur esse profectæ.

Proclus in *Commentariis ad Timæum* Platonis tria genera discernit eorum, quæ bona dicuntur. Primum est τὸ ἐπίκτητον, id est *adventitium*, quod nimirum separabile est; secundum est τὸ καθ' ἕξιν, *secundum habitum*, quod, ut natura est habitus, firmisssime inest, et avelli non potest ; tertium est *primario bonum*. Horum primum « contrario est admistum, quemadmodum adventitium pulchrum nonnihil secum habet turpitudinis; secundum vero totum quidem boniforme est; verum participatione est tale. Denique ipsum bonum est primario bonum [a]. » In prima bonorum classe censentur homines, qui boni sunt, non modo participatione bonitatis, sed hac etiam adventitia, quæ et auferri potest, et quandiu inest habet mali aliquid admistum. At secundam, intelligentiæ quæ dicuntur, et mentes pertinent a corporibus secretæ, quæ et divinitatis, et bonitatis fiunt participatione compotes, « non ex propria substantia, neque ex seipsis. Atque hanc Plato solet appellare participationem [b]. »

θεὸν, καὶ εἰς ἑαυτοὺς, τοῦτο ἐν αὐτοῖς θεομίμητος ἀρετή. τάξιν δὲ ὅμως τὴν ὡς ἄλλου ἐν ἄλλῳ διαφυλάττει. ὡς τὸ, ζῇ ἐν ἐμοὶ ἡ ψυχή σου, ἀντὶ τοῦ, ἡ τῆς διδασκαλίας μετάδοσις. τὸ δὲ συμβεβηκὸς ἐν ὑποκειμένῳ· ὅπερ οὐκ ἐκεῖ· ἀσύνθετα γὰρ, καὶ ἄϋλα ἐκεῖνα, καὶ τὰ εἴδη αὐτῶν ζωαὶ, οὐχ ὡς ἐν ὕλῃ.

a Procl. lib. II in *Tim.* Ἄλλο γὰρ τὸ ἐπίκτητον ἀγαθόν· ἄλλο τὸ καθ' ἕξιν ἀγαθόν· ἄλλο τὸ πρώτως ἀγαθόν. τό μὲν γὰρ σύμμικτόν ἐστι πρὸς τὸ ἐναντίον, ὥσπερ καὶ τὸ ἐπίκτητον καλὸν συμπέφυρται πρὸς τὸ αἰσχρόν· τὸ δὲ ὅλον μέν ἐστιν ἀγαθοειδές, μεθέξει δὲ αὖ τοιοῦτόν ἐστι. τὸ δὲ αὐτοαγαθόν ἐστι πρώτως ἀγαθόν.

b Procl. ibid. Εἰ δέ τι τῶν δευτέρων λέγοιτο ἢ θεὸς, ἢ ἀγαθὸν, τῶν ἐκθεουμένων ἐστὶ, καὶ ἀγαθυνομένων, καὶ διὰ τὴν μετοχὴν θεὸς, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν οἰκείαν οὐσίαν. οὐδὲ ἀφ' ἑαυτῆς. ταύτην οὖν τὴν μέθεξιν εἴωθεν ὁ Πλάτων καλεῖν.

1 Vide lib. II *de Deo* cap. VI et lib. II *de Trin.* cap. XII, § 18 et c. XVI. — 2 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 919.

Dionysius vero in capite XIII *Cœlestis Hierarchiæ*, Deum ait φύσει, id est *natura*, et ex se lumen esse; quod idem et de cæteris proprietatibus accipiendum est; Angelos vero θέσει, et θεομιμήτως, hoc est, ut exponit Pachymeres, κατὰ χάριν *gratuita largitione*. Uti naturalis proprieque dictus filius est ὁ φύσει, adoptivus est ὁ θέσει. Vide quæ in Tomo primo libro V capite secundo de Bonitate diximus.

Diadochus Episcopus Photices in Epiro, quiddam habet ab hoc argumento non alienum: « In naturis, inquit, incorporeis quodcumque operatio acquirit, hoc tanquam naturæ fit, propter summam, ut dixi subtilitatem[a]. »

Colligitur non omnino simplices esse angelos neque compositionis expertes

XV. Ex omnibus his, quæ hucusque disputando confecta sunt, evidens est, non omnino simplices esse Angelos, neque compositionis expertes. Nam et ex illis qualitatibus, atque habitibus, quantumvis insitis, et eorum substantia, fit nonnulla compositio, et διπλόη, de qua alibi dixi[1]. Nam ab ea solum Deum infinita sua simplicitas vindicat. Et præterea ex eadem ipsa substantia, et potentia, ut complures arbitrantur, negantibus aliis, certe, quod omnes fatentur, ex substantia, et actione compositionis aliquid existit. Etenim tria hæc in Angelis discernuntur a Dionysio[2]; οὐσία, δύναμις, ἐνέργεια, *substantia*, *virtus*, sive *potentia*, et *Actio*. « Velut in igne, ait Maximus, inest ipsius natura, quæ est ejus substantia. Potentia vero, uti vis illuminandi. Actio denique potentiæ est operatio, velut illuminare, et urere[b]. » Disputat hac de re in prima parte S. Thomas[3]; ubi tam actionem ipsam intelligendi, quam potentiam ab Angeli substantia distare probat; atque in articulo tertio argumentum illud ex Boetio sibi objicit, quo substantia nihil a potentia differre possit ostendi. Nam Boetius in libro *de Trinitate*, « formam simplicem ait subjectum esse non posse. » Esset autem, si potentiam intelligendi a se diversam reciperet. Hic ille Boetii locus est, de quo supra disseruimus. Ac respondet quidem S. Thomas, formam intelligi simplicem a Boetio, quæ est *actus purus*; hoc est solum Deum; sed ex iis, quæ uberius paulo ante dicta sunt, ipsisque verbis Boetii evidens est, generatim illum de formis omnibus materia carentibus ita loqui. Quæ si de omni genere accidentium interpretemur, falsa erunt. Quare ad eum sensum referenda sunt, qui est a nobis expositus, ut accidentium discrimem aliquod habeatur.

duplicitas.

XVI. At isti Dionysii, Maximi, et S. Thomæ sententiæ intercedere videtur Nicetas in *Oratione de SS. Michaele et Gabriele* nuper edita[c], in qua proxime ad Dei naturam, et simplicitatem Angelos accedere probat ex eo, quod, ut Deus est δύναμις, id est *potentia*, vel potius αὐτοδύναμις, *ipsa-potentia*, simul et ἐνέργεια, quod est *operatio*, sic Angeli. « Potentiæ, inquit, et operationes sunt Michael, et Gabriel, potentiæ, inquam, non qualitates imperfectæ, sive habitus ad operationem tendentes, sed potentiæ viventes, et cum substantia concurrentem habentes actionem. Etenim in materia constantibus, et naturalibus corporibus, separatim videmus inesse rationem substantiæ, qua sunt: separatim item insitam potentiam, quæ est habilitas quædam ad agendum; ac præter hæc omnia inesse operationem, velut effectum quoddam substantiæ per eam potentiam, quæ inest ipsi, ad perfectionem deductum. Verum in intelligentibus, et materia carentibus substantiis ipsa sibi substantia est actuosa facultas. Nam inquantum sunt, possunt, et sempiternam profundunt actionem[c]. »

Quoniam igitur de substantiæ Angelorum, et potentiæ discrimine, libera sunt in Scholis judicia Theologorum, ac Philosophorum, et tum hoc tum illud propugnari solet; habent qui nihil ista differre sentiunt, suffragatorem Nicetam quocum Platonicorum concordat sententia; cæteri Dionysio, et Maximo niti pos-

a Diadoc. apud Turrian. in cap. II. *Dec.* X Cypar. Ἐπὶ γὰρ τῶν ἀσωμάτων φύσεως ὅπερ ἂν κτήσηται ἡ ἐνέργεια, τοῦτο ὥσπερ τῆς φύσεως, διὰ πολλὴν, ὡς ἔφην, λεπτότητα.

b Maxim. in cap. II *de cæl. Hier.* Ὡς ἐν ὑποδείγματι ῥητέον, οὐσίαν μὲν εἰπεῖν, τὴν πυρὸς φύσιν· δύναμιν δὲ ταύτης τὸ φωτιστικόν· ἐνέργειαν δὲ, τὸ τῆς δυνάμεως ἀποτέλεσμα, ἤγουν τὸ φωτίζειν, καὶ καίειν.

c Nicet. Δυνάμεις εἰσὶ, καὶ ἐνέργειαι Μιχαὴλ, καὶ Γαβριὴλ, δυνάμεις, οὐ ποιότητες ἀτελεῖς, εἴτ' οὖν ἕξεις πρὸς ἐνέργειαν ὁδεύουσαι· ἀλλὰ δυνάμεις ζῶσαι, καὶ τῇ οὐσίᾳ σύνδρομον ἔχουσαι καὶ τὴν ἐνέργειαν· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ὑλικῶν σωμάτων καὶ φυσικῶν, ἰδίᾳ μὲν ὁ τῆς οὐσίας, καθ' ὃ ἔστιν, ὁρᾶται λόγος, ἰδίᾳ δὲ ἡ ἔμφυτος δύναμις ἐπιτηδειότης οὖσα πρὸς ἐνέργειαν· καὶ παρὰ ταῦτα ἡ ἐνέργεια, οἷον οὐσίας ἀποτέλεσμα τυγχάνουσα διὰ τῆς ἐνούσης αὐτῇ δυνάμεως εἰς τελειότητα προσαγομένη. ἐπὶ τῶν νοερῶν δὲ, καὶ ἀΰλων οὐσιῶν αὐτὴ αὑτῆς ἡ οὐσία δύναμίς ἐστιν ἐνεργής. καθ' ὃ γάρ εἰσι καὶ δύνανται, καὶ ἀέναον προϊᾶσι τὴν ἐνέργειαν.

1 Tom. I, lib. II, cap. X. — 2 In fine cap. XI *de cælest. Hier.* — 3 Qu. LIV, art. 2 et 3.

sunt. Utrisque tamen commune esse decretum hoc oportet, actionem et ἐνέργειαν in Angelis ab eorum substantia esse diversam; tum mutationis haud expertes illos esse, neque meros actus, aut potentiæ nihil habentes. Quod Stephanus Parisiensis inter damnatos articulos olim retulit. « Item quod in substantiis separatis nulla est possibilis transmutatio [1]; nec sunt in potentia ad aliquam, aut ad aliud, quia æternæ sunt, et immunes a materia. »

CAPUT V.

De Angelorum immortalitate; quam quidam illis detrahunt ita, ut natura sua mortales sint, sed Dei beneficio non moriantur; quomodo nihilominus naturaliter immortales sint: cujus aliquot argumenta proferuntur. Mortale, et immortale tribus modis usurpatur.

Auctores qui Angelos natura mortales, gratia Dei immortales asserunt.

I. Proximum est, ut de Angelorum ἀφθαρσίᾳ, et immortalitate quæratur; de qua simile est judicium. Hos enim natura immortales esse quidam negant, ut sola Dei gratia perseverent, per sese alioquin, ut initium, ita exitum habituri; quippe solius Dei propriam esse immortalitatem, cujus creatæ res omnes, non suapte vi ac natura, sed illius voluntate participes fiunt, quam et tandiu obtinent, quoad visum illi fuerit.

Primum Irenæus in secundo libro, capite LXIV de Angelis pariter, atque animabus hominum ita statuit : « Quemadmodum, inquit, cœlum, quod est super nos firmamentum, et sol, et luna, et reliquæ stellæ, et omnia ornamenta ipsorum, cum ante non essent, facta sunt, et multa tempora perseverant, secundum voluntatem Dei; sic et de animabus, et de spiritibus, et omnino de omnibus his, quæ facta sunt, cogitans quis minime peccabit; quando omnia, quæ facta sunt, initium quidem facturæ suæ habeant, perseverent autem, quoadusque ea Deus et esse, et perseverare voluerit. » Hanc vero perseverantiam, sempiternamque durationem iis tantummodo, qui boni sunt, salvique fiunt, impertiri Deum asserit. Nam « de salvando, inquit, homine sic ait, *Vitam petiit a te* [2], *et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi;* tanquam patre omnium donante, et *in sæculum sæculi* perseverantiam his, qui salvi fiunt. Non enim ex nobis neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo, qui servaverit datum vitæ, et gratias egerit ei, qui præstitit, accipiet et in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, et ingratus extiterit factori, ob hoc, quod factus est, et non cognoverit eum, qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia. Et ideo Dominus dicebat ingratis existentibus in eum : Si in modico fideles non fuistis, quod magnum est, quis dabit vobis? significans nobis, quoniam, qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt ei, qui eam præstitit, juste non percipient ab eo in sæculum sæculi longitudinem dierum. »

II. Hæc Irænus, qui de vita, vitæque perseverantia naturali utique, ac proprie dicta, loquitur, non de spirituali, ac tropica, quæ in Dei amore, et gratia, vel ejus perfruitione consistit, ut ex illius verbis facile constat. Itaque videri posset in ea opinione fuisse, improborum, ac damnatorum animas non perseverare, ac vivere perpetuo, sed aliquando interituras esse, nisi paulo ante capite LXII animarum inmortalitatem plane, ac diserte docuisset, etiam improborum hominum. Qua de re alius erit nobis inquirendi locus. Omnino vero paululum loquendi specie a seipso discrepare videtur Irenæus, atque hoc illius ex oratione licet auferre, neque Angelos, neque spiritus ex se ac natura sua corruptionis, et mortis expertes esse, sed voluntate sola Dei, atque gratia. Quod eadem de causa persuasum habuit, qua et philosophi veteres, imprimisque Plato, minores Deos, et a summo procreatos censuit emori, extinguique posse, nisi eos potioris Dei vis, ac voluntas ab exitio vindicaret. Sic enim apud Platonem Latine [3], Cicerone interprete [4], loquentem summus ille minores compellat Deos : « Hæc vos, qui deorum satu orti estis, attendite, quorum operum ego parens, effectorque sum, quæ per me facta, non sunt dissoluta me invito; quanquam omne colligatum solvi potest; sed haudquaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, et indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam consilium meum; quod majus est vin-

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* col 919. — 2 *Psal.* x. — 3 In Tim. — 4 Lib. *de Univers.*

culum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tum, cum gignebamini, colligati.»

III. Nimirum quidquid ortum habuit, id esse dissolubile, neque sempiternum suapte vi, ac natura judicarunt; posse tamen id a Deo consequi, qui, quibus vellet, immortalitatem concederet. Itaque ex illa Platonis auctoritate, tam Deos, quam humanas animas per se esse mortales Arnobius affirmat [1]; has etiam in impiis, ac sceleratis extinctione perimi; de quo, ut jam dixi, alio in loco plura; nunc de Angelis agimus. Quos quidem interire posse per sese Ambrosius insuper ostendit ita scribens [2] : « Nec Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad præjudicium trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. Et in ipsis enim naturæ capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplinæ (leg. disciplina). Omnis enim rationalis creatura accidentia recipit et subjecta judicio est. In accidentibus autem et pœna judicii, et corruptela est, et profectus. Unde et Ecclesiastes ait : *Quoniam omne opus suum Deus adducet in judicium*. Ergo corruptelæ, et mortis, etiamsi non moriatur, aut peccet, capax tamen est omnis creatura. Nec ex immortali natura habet, sed ex disciplina, vel gratia, si se in aliquibus ad vitia non mutat. Alia ergo immortalitas, quæ donatur; alia quæ sine capacitate mutabilitatis est semper.» Apparet his verbis, Ambrosium de utroque mortis, et immortalitatis loqui genere, tam ejus quod proprie ita dicitur, estque in vitæ vel privatione, vel perpetuitate positum; quod in spirituali statu consistit. Quam duplicem conditionem, munusque vivendi, non Angelorum naturæ, sed gratiæ, ac beneficio conditoris assignat.

Auctor præterea libri *Quæstionum ad Orthodoxos*, qui Justino inscribitur, percontationi huic, quomodo, cum solus immortalis dicatur Deus ab Apostolo, verum sit, quod idem asserit, non omnes esse morituros, sic respondet : « Solus habens immortalitatem dicitur Deus, quia non ex alterius voluntate hanc habet, sicut omnes alii immortales, sed ex suapte essentia [a]. »

Sic Damascenus. « Immortalis est, inquit, Angelus, non natura, sed gratia. Nam quidquid initium habuit, et desinere suapte natura potest [b]. » Et alibi : « Quod enim principio caret, id finem non habet; quod autem gratia ejusmodi est, ut finis sit expers, non omnino principio caret, sicut Angeli [c]. » Et in Dialogo *de Manichæorum hæresi*, « Omne, inquit, quod habet principium, finem etiam habet suapte natura; et quod finem habet, habet et principium. Quare Angeli, qui principium habent, finem etiam habent natura sua tametsi divina gratia rursus esse incipiunt, et instaurantur [d]. » Quod appositis similitudinibus explicat motus circularis, et rotæ, quæ circumagitur, et identidem impressionem a movente accipit. Atque in eo χάρις illa qua immortales dicuntur esse Angeli, consistit, quod a Deo conservantur, cum alioqui in nihilum, unde orti sunt, essent redituri. *Gratia.*

IV. Pulchre hoc Sophronius Hierosolymitanus exprimit in epistola, quæ est in Actis Synodi sextæ, actione XI, ubi et discrimen inter sensibiles et spirituales creaturas commode aperit sic : « Ac principio omnibus temporario constituto, inquit, ea quidem, quæ sub sensum cadunt, finiri voluit in tempore; intelligibilia vero, et invisibilia majori, quam illa, honore voluit afficere. Itaque nullo pacto moriuntur, neque corrumpuntur, uti sensibilibus accidit, quæ in fluxu posita sunt, et facile prætereunt. Neque tamen natura sunt immortalia, aut ad incorruptam substantiam transitum fecerunt; verum gratiam iis indulsit, quæ ab corruptela, et interitu illa vindicat. Sic hominum animæ corruptionis expertes manent. Sic immortales perseverant Angeli; non quod naturam revera incorruptam habeant, ut diximus, aut substantia proprie immortali constent, sed quod gratiam divinitus sortiti sunt, largitricem immortalitatis, et incorruptibilitatis conciliatricem [e]. »

a Justin. qu. LXI. *ad Orth.* Μόνος ἔχων τὴν ἀθανασίαν λέγεται ὁ Θεὸς, ὅτι οὐκ ἐκ θελήματος ἄλλου ταύτην ἔχει, καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες ἀθάνατοι, ἀλλ' ἐκ τῆς οἰκείας οὐσίας.

b Damasc. lib. II, cap. III. Ἀθάνατος οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, πᾶν γὰρ τὸ ἀρξάμενον, καὶ τελευτᾷ κατὰ φύσιν.

c Idem, lib. I, cap. VIII in fire. Τὸ γὰρ ἄναρχον, ἀτελεύτητον· τὸ δὲ χάριτι ἀτελεύτητον, οὐ πάντως ἄναρχον, ὥσπερ οἱ ἄγγελοι.

1 Lib. II. — 2 III *de Fide*, cap. II.

d Damasc. Πᾶν οὖν ἔχον ἀρχὴν καὶ τέλος ἔχει κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν· καὶ πᾶν τέλος ἔχον καὶ ἀρχὴν ἔχει. καὶ οἱ ἄγγελοι γοῦν ἀρχὴν ἔχοντες, καὶ τέλος ἔχουσι κατὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, εἰ καὶ τῇ θείᾳ χάριτι πάλιν ἄρχονται τοῦ εἶναι, καὶ ἀνακαινίζονται.

e Sophron. tom. V *Conc.* Ἀρχήν τε τοῖς πᾶσι χρονικὴν ὁρισάμενος, τὰ μὲν αἰσθητὰ τέλει χρονικῷ καθυπέβαλε, τὰ δὲ νοητὰ καὶ ἀόρατα τούτων ἀξίας ἠξίωσε μείζονος. καὶ θνήσκει μὲν οὐδαμῶς, οὐδὲ φθείρεται κατὰ

Zacharias item Mitylenæus elegans Scriptor, in Disputatione *de Mundi opificio*, mundum hunc, et quæ in eo sunt corpora, brevi intervallo corrumpenda, moxque in integrum restituenda esse dicit : « Ut ex brevi illa corruptione, et transmutatione discant intelligibiles naturæ, non se necessitate naturæ suæ, sed conditoris beneficio, immortales esse factas; neque secundæ conditionis inopia, in prima esse collocatas, ut in primum principium, et solum, ipsum scilicet bonum, et unum intuerentur, nec unquam bene de se meriti contemplandi satietas illos caperet [a]. »

V. Et ante hos Cyrillus Alexandrinus luculenter hoc in *Thesauri* libro vicesimo disserit, ubi Angelis præstare Filium probat, quod illi volente creatore possint in nihilum redigi [b]. Ex mox : « Nam etsi Angelus immortalis quædam res est, propter ita constitutam de eo conditoris voluntatem et gratiam; nihilominus, quoniam exsistendi principium habet, posset utique finem etiam sortiri. Naturales enim prærogativæ habentibus quidem validæ sunt, non autem earum opifici Deo. Quemadmodum ignis urendi vin habet, sed non Deo ; et Angelus immortalis est quidem, sed non Deo [c]. »

Tum in Dialogo tertio de Trinitate, quod immortalitatem non a seipso habet, sed aliunde consecutum est, id « neque natura immortale esse docet, et potentia esse mortale [d]. » Idem et in libro quinto in Joannem tradit.

Dionysius quoque Angelos, « et semper viventes immortalesque dici asserit, et rursus non immortales, eo quod a seipsis non habent, ut sint immortales, et in æternum vivant [e]. »

Hilarius ad eamdem sententiam, *creationes*, id est *creaturas* distinguens duas, dissolubiles, et eas, « quæ in æternitatis sunt substantia constitutæ, » de his ita mox scribit : « Ac ne forte, quod in æternum manerent, naturale illis esse ex substantiæ beatitudine crederetur, subjecit : *Præceptum posuit, et non præteribit*. Ut hoc, quod sunt, id est, ut maneant in æternum, non naturæ suæ esse intelligant, sed præcepti ejus sit, qui potens sit rebus ex nihilo substitutis naturam æternitatis afferre. Non enim, inquit, præteribit præceptum, id est mandati ejus non erit finis, quia in æternum manent, quibus æternitatem virtus æternitatis indulsit [1]. »

VI. Sic Gennadius in catalogo illustrium virorum, de Theophilo Alexandrino scribens, refert eum adversus Antropomorphitas longam edidisse disputationem, qua probavit, « nihil Deo in creaturis simile esse per substantiam, nec cuiquam incorruptibilitatem, aut immutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ, sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles [2], » et cætera, quæ alio in loco descripsimus [3].

Augustinus [4] quoque, « Non ob aliud res deficere ait, vel posse deficere, nisi quod ex nihilo factæ sunt, ut quod in eis est, quod sunt; et manent, etc. ad ejus bonitatem, omnipotentiamque pertineat, qui summe est, et conditor, qui potens est etiam ex nihilo non tantum aliquid, sed etiam magnum aliquid facere. »

Angeli natura immortales.

Verum de hoc argumento nonnulla primo in Tomo dicta sunt, cum egimus de Dei æternitate, et immortalitate, atque illud exposuimus, quemadmodum solus Deus immorta-

τὸ τῶν αἰσθητῶν ῥευστὸν, καὶ εὐπάροιστον· οὐ μὴν ἔστι τὴν φύσιν ἀθάνατα, ἢ πρὸς οὐσίαν μετελήλυθεν ἄφθαρτον· ἀλλὰ χάριν αὐτοῖς ἐχαρίσατο φθορὰς αὐτὰ καὶ θανάτου διείργουσαν. οὕτως ἀνθρώπων ψυχαὶ διαμένουσιν ἄφθαρτοι· οὕτως ἄγγελοι διατελοῦσιν ἀθάνατοι· οὐ φύσιν ἀληθῶς, ὡς ἔφημεν, ἄφθαρτον, ἢ οὐσίαν κυρίως ἀθάνατον ἔχοντες· ἀλλὰ χάριν ἐκ θεοῦ κληρωσάμενοι ἀθανασίας χορηγὸν, καὶ ἀφθαρσίας αὐτοῖς ὑπάρχουσαν πρόξενον.

a Zachar. tom. I *Bibl. PP. Græco-Lat.* Ἅμα δὲ καὶ διὰ τῆς τούτων βραχὺ φθορᾶς, καὶ μετασχηματισμοῦ μανθάνωσιν αἱ νοεραὶ φύσεις, ὅτι μὴ δι' ἀνάγκης τῆς ἑαυτῶν φύσεως· ἀλλὰ κατὰ δωρεὰν τοῦ δημιουργοῦ ἀθάνατοι γεγόνασι, καὶ οὐκ ἀπορίᾳ δευτέρας μοίρας ἐν τῇ πρώτῃ ἐτάχθησαν, ὡς ἂν πρὸς τὴν πρώτην ἀρχὴν, καὶ μόνην, αὐτὸ τἀγαθὸν, καὶ τὸ ἓν βλέποιεν, καὶ μηδέποτε κόρον λάβοιεν τῆς θεωρίας τοῦ εὐεργέτου.

b Cyril. Πᾶν ὅπερ ἂν φαίνηται γεγονὸς κατ' οὐσίαν, καὶ εἰς τὸ μὴ εἶναι καταλήξει ποτὲ θελήσαντος τοῦ δημιουργοῦ.

c Ibid. Εἰ γὰρ καὶ ἀθάνατόν τι χρῆμα ὁ ἄγγελός ἐστι διὰ τὴν οὕτω κειμένην ἐπ' αὐτῷ τοῦ ποιήσαντος βούλησίν τε, καὶ χάριν· ἀλλ' ἐπείπερ ἀρχὴν τοῦ εἶναι ἔχει, δύναιτ' ἂν καὶ εἰς τέλος ἐλθεῖν. φύσεως δὲ πλεονεκτήματα τοῖς ἔχουσίν ἐστιν ἰσχυρὰ, καὶ οὐχὶ τῷ πεποιηκότι θεῷ. ὥσπερ οὖν καὶ τὸ πῦρ ἐστι καυστικὸν, ἀλλ' οὐ τῷ θεῷ. καὶ ὁ ἄγγελος ἀθάνατος μὲν, ἀλλ' οὐ τῷ θεῷ.

d Cyril. III dial. *de Trin.* Τὸ ζωῆς, καὶ ἀθανασίας τητώμενον οἴκοθέν τε τοῦτο οὐκ ἔχον, θνητὸν ἔσται πάντως, καὶ εἰσκεκριμένον ἔχει τὸ ζῆν, ὡς παρ' ἑτέρου δοτόν. Θνητὸν γὰρ ἔσται δυνάμει, τὸ μὴ ἀθάνατον φύσει.

e Dion. cap. VI *de Div. nom* Διὸ καὶ ζῶντες ἀεὶ, καὶ ἀθάνατοι λέγονται, καὶ οὐκ ἀθάνατοι πάλιν, ὅτι μὴ παρ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸ ἀθάνατοι εἶναι, καὶ αἰωνίως ζῆν.

1 In *Ps.* cxlviii. — 2 Tom. I Op. Hier col. 427. — 3 Tom. I, lib. II, cap. i, § 14. — 4 *Epist.* lvi. — 5 Lib. III, cap. iv.

litatem habeat. Quod ipsum tamen impedire non debet, quin Angeli etiam natura sua immortales habeantur; adeo ut, quod illos χάριτι, id est *gratia* tales esse factos, Veteres, quos paulo ante citavimus, affirmant, non sic intelligendum sit, quomodo *inexterminabilem* factum esse hominem Scriptura docet[1]; quod Photius[2], sive Theodorus Abucara χάριτι, id est *gratia* esse factum asseverat, cum natura mortalis esset. Nam Angelus immortalis ideo dicitur, quod nec interiturus est unquam, nec ab ulla creata re potest perimi. Etenim id natura mortale, et corruptibile dicitur, quod etsi reipsa non corrumpitur, quia vis illud quædam major conservat, et continet, habet tamen in se corruptionis principium; quale est matéria infinitarum capax formarum et vicissitudinis, ac mutationis appetens, qua quidquid caret, id æternum natura et indissolubile censetur, quod nullius creatæ rei vis et efficientia interitum illi possit afferre.

Sancti Maximi de anima.

VII. Hanc ipsam rationem reddit Maximus Martyr, cur sit immortalis anima, in Opusculo quodam nondum, ut opinor, edito, quod τοῦ ἁγίου Μαξίμου περὶ ψυχῆς inscribitur. Ibi primum animam probat esse simplicem, utpote corporis expertem, ideoque nullis constantem partibus. Ex quo immortalem, et incorruptam esse demonstrat: « Consequens enim, ait, arbitror esse immortale aliquid ex eo, quod est simplex. Quinam porro id sequatur, accipe. Nulla res omnino seipsam potest corrumpere. Alioqui ne omnino quidem constituta fuisset. Quæ enim corrumpuntur, ex contrariis corrumpuntur. Ideo omne, quod corrumpitur, dissolubile est. Quod autem dissolubile est, plures habet partes. Quod vero ex partibus componitur, nimirum diversis iis constat. Jam quod diversum est, non est idem. Quamobrem anima, cum sit simplex, neque ex differentibus constans partibus, non est composita, neque dissolubilis, ideoque corruptionis erit expers, et immortalis[a]. » Quæ omnia multo in Angelos quadrant magis, quo excellentiore natura constant.

Idem Maximus in Scholiis ad quintum caput Dionysii *de divinis nominibus* rationem habet alteram, qua immortales esse Angelos ostenditur, videlicet quod sub aspectum non cadant. « Observandum, inquit, est, intelligibiles virtutes ab illo vocari sempiternas, tanquam æternitatis participes. Locus autem Scripturæ, qui hoc asserit, est iste: *Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna*[3]. [b] » Ubi videndi sensum pro cæteris etiam usurpat; quasi sensibilia eadem, et temporalia esse dicat. Loquitur autem de iis, quæ per sese subsistunt, ut Maximus ibidem mox significat, exponens, quæ sint *illa, quæ in aliis* existunt[c]. Quod eo dixerim, ne quis opponat esse aliqua corporea, quæ sub sensus non cadunt, ut sunt animæ brutorum. Sic igitur Angeli, quia sub sensus non cadunt, æterni sunt, et immortales.

VIII. Verum, quod invisibiles Angelos esse dicimus, id mihi in memoriam revocat singularem quemdam Chrysostomi locum in Homilia tertia ad Epistolam Pauli ad Colossenses; ubi, postquam illud exposuit, Christum *imaginem esse invisibilem Dei*[4], quærit, cur non etiam Angelus imago sit Dei: « Nam et Angeli, inquit, invisibiles et ipsi sunt, sed non sibiipsis. Et anima invisibilis est; verum quoniam simpliciter invisibilis est, propterea est imago; tametsi non ita est, ut ipse[d]. » Quo in loco mirum hoc videri potest, quod Angelos minus invisibiles esse dicit, quam animam, ob idque non illos, sed hanc imaginem esse

a Max. Ἀκολουθεῖν οἶμαι δεῖν τῷ ἁπλῷ τὸ ἀθάνατον· καὶ ὅλως, ἄκουσον. οὐδὲν τῶν ὄντων αὐτὸ ἑαυτοῦ φθαρτικόν ἐστιν. ἐπεὶ οὐκ ἂν οὔτε ἐξ ἀρχῆς συνέστη. τὰ γὰρ φθειρόμενα ἐκ τῶν ἐναντίων φθείρεται· διὸ πᾶν φθειρόμενον διαλυτόν ἐστι. τὸ δὲ διαλυτὸν, σύνθετον· τὸ δὲ σύνθετον, πολυμερές· τὸ δὲ ἐκ μερῶν συγκείμενον, δῆλον ὅτι ἐκ διαφόρων σύγκειται μερῶν. τὸ δὲ διάφορον, οὐ ταὐτόν. οὐκοῦν ἡ ψυχὴ ἁπλῆ οὖσα, καὶ μὴ ἐκ διαφόρων συγκειμένη μερῶν, ἀσύνθετος, καὶ ἀδιάλυτος οὖσα, διὰ τοῦτο ἄφθαρτος, καὶ ἀθάνατος ἔσται.

b Id. ad cap. V *de Div. nom.* Σημειωτέον δὲ, ὅτι τὰς νοητὰς δυνάμεις, αἰωνίας ἐκάλεσεν, ὡς αἰῶνος μετεχούσας. ἡ δὲ τοῦτο λέγουσα γραφή ἐστι. τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα.

c Ib. etc. Τὰ δ' ἐν ἑτέροις ὑπάρχοντά εἰσιν, οἷον ἁγιασμὸς, ἀθανασία, etc.

d Chrys. Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ ἀόρατοι, ἀλλ' οὐχ ἑαυτοῖς. καὶ ψυχὴ ἀόρατος· ἀλλ' ἐπειδὴ ἀόρατος ἁπλῶς, διὰ τοῦτο εἰκὼν εἰ καὶ μὴ οὕτως ὥσπερ αὐτός.

* Vix intelligi potest quo sensu dicatur Christum esse *imaginem invisibilem Dei*. Corruptissimum sanctis Chrysostomi exemplar præ oculis habuit procul dubio doctissimus Petavius. Nam nihil simile in bene castigatis editionibus sanct. doctoris invenitur, ubi loco citato hæc leguntur: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, *qui est imago Dei invisibilis*. *Invisibilis* scilicet *Dei* ut patet ex Græco.
J.-B. F.

1 Sap. II, 23. — 2 Abuc. Opusc. XL. — 3 II *Cor.* IV, 18. — 4 Col. I, 18.

Dei; porro ideo minus esse invisibiles asserit, quod a seipsis saltem videantur. An hoc dicere voluit Chrysostomus, quoniam Angeli a se ipsi videntur; anima vero, quandiu in corpore degit, neque ab aliis animis, neque a seipsa conspicitur, ideo propius hanc exprimere τὸ ἀόρατον Dei, qui est penitus *invisibilis?* Non alia mens illius loci, ita uti est conceptus, esse potest. Quæ tamen nimis diluta videtur, neque Chrysostomo digna. Ac nescio, an non mendum ibi subsit aliquod; utque ita suspicer, facit Theophylactus, qui, ut solet, Chrysostomum pene verbatim describens, aliam ibi sententiam reddidit, de qua non est hic necesse pluribus agere.

Mortalis et *immortalis* nomina trifariam accepta.

IX. Ad summam *mortalis*, et *immortalis* nomina trifariam apud Patres accipiuntur. Nam quod mutabile est, et alio atque alio modo afficitur, id mortale dicitur, etsi nunquam occidat; itidemque quod divina vi saltem postest in nihilum redigi, tum quod alieno beneficio sempiternum est, hoc per se caducum, et mortale censetur. His tribus modis totidem oppositi sunt, quibus *immortalis* vox sumitur.

Prima de tribus significatio ab Augustino ponitur, cum animam hominis partim immortalem, partim mortalem esse demonstrat, « Anima, inquit [1] hominis immortalis est secundum quemdam modum suum. Non enim omnimodo sicut Deus, de quo dictum est, *quia solus habet immortalitatem* [2]. Nam de animæ mortibus sancta Scriptura multa commemorat. Unde illud est : *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Sed quod ita moritur alienata a vita Dei, ut tamen in natura sua vivere non omnino desistat; ita mortalis ex aliqua causa invenitur, ut etiam immortalis non sine ratione dicatur. » Deinde partem Dei non esse animam probat; quia si hoc esset « nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere, quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectiones pertinet. » Eadem est autem Angelorum, quæ animarum causa, quod ad immortalitatem attinet. Ac rursus alio in loco : « Ipsa, inquit, mutabilitas non inconvenienter mortalis dicitur, secundum quam et anima dicitur mori; non quia in corpus, vel in alteram aliquam substantiam mutatur, et vertitur, sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est, aut fuit, secundum id, quod destitit esse, quod erat, mortale deprehenditur [3]. » Sic Auctor libri de *Cognitione veræ vitæ*, qui inter Augustini opera ponitur, mutabilitatem ait quamdam esse mortalitatem, secundum quam Angeli mortales sunt; « quia de præterito in præsens, de præsenti in futurum moventur. Præteritum quippe habent, futurum nondum habent [4]. » Ad hunc ergo modum immortales Angeli non sunt, quia sunt mutabiles, *solusque* Deus *habet immortalitatem*, ut Apostolus [5] ait.

« Nam quas, ut voluit, rerum sapientia fecit,
Multis vita quidem est præstita perpetua.
Sed quodcumque potest sese amplius, aut [minus esse,
Quodam fine ipsi quod fuerat, moritur.
Sic nihil æternum, quod commutabile fac- [tum est.
Quod cunctis superest, semper idem Deus [est.

ut scribit Prosper [6]. His Gregorius Papa consentit libro XXV *Moralium*, capite v.

X. Ad hæc mortales ideo dici, qui licet ab creata re nulla sic mutari queant, ut moriantur, absolute hoc tamen, ac Dei saltem voluntate perpeti possunt, cum Ambrosius, Justinus, et Damascenus indicant, quos paulo antea citavi, tum Auctor ille de cognitione veræ vitæ; quia « sicut potest, inquit, cogitari, quod aliquando cœperunt; ita etiam potest cogitari, quod finiri possint. » Et in libro *de natura boni*, capite XXXIX S. Augustinus, æternitatem, sive immortalitatem soli Deo tribuit, « quia mutari omnino non potest; » at creata omnia, quamvis reipsa non mutentur sic, ut esse desinant, tamen commutari possunt : « Aliud est enim non mutari, cum tamen possit mutari; aliud autem prorsus non posse mutari. » Atque, ut ait Epiphanius, « quidquid habet principium, finem etiam habebit, si ei libuerit, qui ei, quod initium accepit, ut esset tribuit [a]. »

Quatenus angeli mortales nominentur

Quocirca mortates eatenus Angeli nominantur, quod, nisi Dei ope conserventur, in nihilum redituri sunt, unde initio ortum acceperunt; atque ideo χάριτι, id est *gratia* Dei,

a EPIPH. hær. LXXVI. Ἐπειδή περ πᾶν τὸ ἀρχὴν ἔχον, καὶ τέλος ἕξει, εἰ βούλοιτο ὁ τὸ εἶναι τῷ τὴν ἀρχὴν εἰληφότι παρεσχημένος.

1 Aug. ep. XXVIII.— 2 I *Tim.* VI.— 3 II *Trin.* c. IX Vide et serm. LXXV *de Div.* init. et l. *de Trin.* c. I et III *cont. Max.* c. XII— 4 Lib. *de cogn. ver.* vit. c. XXXI. — 5 I *Timoth.* VI. — 6 Epig. III.

ac beneficio immortales esse dicuntur, non οὐσίᾳ, id est *suapte natura*. Quanquam hæc ipsa, ut paulo ante significavi, immortalis, incorruptaque est, si cum efficiente re creata comparetur, quæ nulla est, a qua possit extingui; mortalis autem, et interitus capax, si ad ipsum, a quo solo perimi potest, conditorem referatur Deum,

Tertius modus, quo mortale quippiam vocatur eo, quod non a se, sed aliunde habet ut intermori non possit, recte est interpretandus. Non enim mortale hoc sensu dicitur, quod utcumque ab alio immortalitatem accepit, sed quod doni, ac beneficii loco illam habuit. Nam et Filius a Patre, et ab utroque Spiritus sanctus immortalitatem, et æternitatem similiter, atque essentiam recipit. Sed ea non voluntate datur, ut gratia sit, sed naturæ necessitate. Quod recte declaravit Hieron. in comment. ad epist. Pauli *ad Titum* sub initium : « Et nisi fallor, inquit, quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum et Angelos, et multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem ; ita et solus dicitur esse verax, non quod et cæteri non immortales, et veritatis sint amatores, sed quod ille solus naturaliter sit et immortalis, et verus ; cæteri vero immortalitatem, et veritatem ex largitionis illius dono consequantur ; et aliud sit verum esse, et quid habere per semet, aliud in potestate donantis esse, quod habeas. »

XI. Ex quo Arianorum, et Eunomianorum improbitas repellitur, qui Dei Filium immortalem negabant esse, quoniam de Patre scripsit Apostolus[1] : *Qui solus habet immortalitatem*, hoc est, ut ipsi interpretabantur, a seipso, non ab altero communicatam, quam et Filio deinceps, ut et creatis omnibus impertiit. Verum ex ea, quam dixi, ratione confutantur ab Ambrosio : « Quomodo enim ait de Filio loquens, immortalitatem non habet, qui vitam habet in semetipso[3]? Habet utique in natura, habet in substantia, et habet non per gratiam temporalem, sed per sempiternam divinitatem; habet non ex dono quasi servus, sed ex generationis proprietate, quasi Filius coæternus. Et habet sicut Pater. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit vitam habere in semetipso.* Sicut habet, inquit, sic dedit. Didicisti supra, quemadmodum dederit, ne putares esse gratiæ largitatem, ubi generationis arcanum est[2]. »

Sic Maximinum Arianum Augustinus redarguit : « Neque enim, inquit, propterea vinculis veritatis elaberis, quoniam dicis : habet quidem Filius immortalitatem, sed accipiens a Patre. Non quæritur, unde habeat, sed utrum habeat. Tu enim de Patre solo vis intelligi, quod scriptum est, *solus habet immortalitatem*. Prorsus a nullo acceptam habet immortalitatem, et a Patre acceptam Filius habet immortalitatem ; tamen et Pater, et Filius habet immortalitatem. Alioquin si tam non habet Filius, Pater eam non dedit Filio, aut acceptam perdidit Filius, etc. » Quæ ad revincendos Arianos non satis idonea sunt, nisi et illud ab Ambrosio commemoratum accesserit, interesse, quo illam modo Filius dicatur accipere ; quo nimirum neque Angeli, neque creata res ulla recepit, qui proinde immortalitatem non habent, quam « solus habet Deus, quod non solus est Pater, quia hoc est et Filius, et uterque adjuncto Spiritu sancto unus est Deus, » ut eodem loco concludit Augustinus.

Alia est metaphorice usurpata mors, quæ tam Angelis, quam humanis animis convenit, cum a Deo disjunguntur, in quo vera est amborum vita posita ; de qua morte Tatianus, et Theodorus Abucara[4], quorum verba expendam postea, cum de dæmonibus agam, et in Tomo primo[5], ubi de Dei æternitate disseruimus, nonnulla jam exposita sunt.

CAPUT VI.

Cujusmodi sit Angelorum cognitio. Duplex illis ab Augustino tributa, et ab aliis, qui cum eo corporatos esse illos putant, altera sensus propria, alia intelligentiæ. Quæ rursus bifariam ab illo dividitur ; et una est vespertina, altera matutina. An sint rationales. Quæ sint species illis inditæ, et an omnium rerum. De hac re nihil certo esse compertum. Explicatur Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera Justini editus.

I. Quidquid intelligentiæ, rationisque est particeps, primarias habet facultates duas ; quarum altera in rerum cognitione, altera in electione consistit ; utraque sui generis, hoc est sensu, materiaque sublimiorem effectionem obtinet. Quamobrem duo hæc

1 I *Tim.* VI. — 2 III *de Fide* cap. I. — 3 *Joan.* V. — 4 Opusc. XLII. — 5 Lib. III, cap. IV, § 13.

in Angelorum substantia, quæ utique intelligibilis est, contemplari debemus. Sed posterius hoc, quod in voluntate et electione situm est, perparvam habet quæstionem. Nemo est enim, qui non Angelos libertate esse præditos putet, et eam, quocumque velint, pro arbitrio suo naturaliter flectere. Quare S. Damascenus[1] Angeli naturam definitione explicans ait, esse « intellectilem substantiam, ac sui juris, et liberam. » Tum ipsa tot Angelorum prolapsio, et in deteriora mutatio nonnisi voluntate suscepta, insitam iis a natura libertatem esse demonstrat, qua similiter, atque homines bene, aut secus uti poterant. Quanquam nonnullorum opinione id interest, quod hominum voluntas ex sese mutabilis est, atque, ut a bono ad malum convertitur, sic a malo redit ad bonum, ac priorem culpam pœnitendo corrigit; Angelorum voluntas, quodcumque semel delegerit, in eo perseverat, nec inde abduci se natura sua patitur; quod Damascenus affirmat, naturam illorum, « quod spiritualis sit, pœnitentiæ esse capacem » negans; in quo assentientes habet quosdam de Schola Theologos. Sed ea res magis idoneo loco tractabitur, cum de Angelorum lapsu sermonem faciemus; itaque nunc de illorum cognitione dicetur.

Duplex Angelis tributa cognitio ab iis qui corporatos autumant, alia sensus, alia intelligentiæ.

II. Cum autem sint veterum Theologorum de natura Angelorum opiniones duæ, quas in primo capite posui; ac nonnullis visum sit, illos esse corpore præditos, alii contra meros esse spiritus existiment, quos Græci νόας, Latini *mentes* vel *intelligentias* appellant; necesse est, de eorum cognitione pari illos inter se modo dissidere. Nam qui corporibus inclusas esse mentes volunt sic, tanquam humanæ corporibus animæ clauduntur, duplex iis cognitionis genus tribuant oportet: nempe ut alteram per corpus exerceant, et qualescumque corporis sensus: altera mentis ipsius sit, intelligentiæque propria. Non enim corporibus illorum mentes, quasi vasis, aut custodiis continentur, sed formæ sunt illorum, eaque vi sua penetrant et afficiunt; quemadmodum rerum cæterarum formæ materiam permeant, eique statum quemdam, ac naturam, et actionem communicant. Quippe unum aliquod per sese fit ex ambarum complexione partium, non ejusmodi, quale ex loco, et locata re conficitur, velut alia sunt, quæ ex accidenti unum esse dicuntur. Idem mutua inter componentes partes qualitatum et efficientiarum est communio; ac quæ præcipua est ambarum, et ἐντελέχεια sive *perfectio*, vel *actus perfectus* a philosophis vocatur, cum origo sit, fonsque vitæ omnis et actionis, per alteram moliri quippiam, atque efficere dicitur. Sic in homine per corpus anima videt, audit ac tangit, et naturalibus cæteris functionibus utitur, quas *vitales* nominant philosophi, quæque necessario ex viventis formæ adhæsione intima, copulationeque sic redundant in materiam, ut non ea patiatur tantum ac recipiat, sed pro se navet et efficiat aliquid; vel potius ut, quod ex ambobus componitur, utriusque partis ad agendum ope, concursuque nitatur. Ad hunc modum Angeli, si corporibus constant, sensibus quoque præditi sunt, per quos sensibilium rerum cognitionem hauriunt, uti remotarum a sensibus, et intelligibilium, acie mentis intelligentiaque percipiunt.

Præsertim ab Augustino.

III. Duplicem hunc illis modum cognitionis, qui corporatos eos facit, Augustinus affingit. De philosophis enim loquens, qui Deum cognoverunt, dicit eos « sive universi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, et elementa disposita a cœlo usque ad terram, et quæcumque corpora in eis sunt, sive omnem vitam, vel quæ nutrit, et continet, qualis est in arboribus, vel quæ et hoc habet, et sentit, qualis est in pecoribus, vel quæ et hæc habet, et intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est[2]. » Sentit ergo Angelus, et intelligit, idque commune habet cum hominibus, eo solo ab iis discrepans, quod alimento non eget, quod vegetabilis animæ proprium est, ex qua id solum Angeli animus accipit, ut subjectum sibi corpus contineat, hoc est constringat ac diffluere dilabique non sinat; quod Græci συνέχειν appellant. Non enim metaphora istic ulla est in *sentiendi* verbo, ut Scholiastes asserit; sed sic, ut in brutis hominibusque inest, intelligitur, tametsi quia longe perfectiora, subtilioraque sunt illorum corpora, perfectiores quoque sensus habere credidit, ac spiritualis prope naturæ. Hinc idem Augustinus duplices sensus constituit: « Sicut inde afficiuntur sensus, inquit, vel carnales animalium, et hominum, vel etiam cœlestes Angelorum[3]. »

Verum in libro secundo *de Genesi ad litte-*

1 II *de Fide* c. III. — 2 Lib. II *de Civ.* cap. VI. — 3 Aug. II *de Trin.* c. VII.

ram, capite VIII, tanquam dubius, utanturne sensibus Angeli, sic loquitur : « Neque enim sicut pecora solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potius, quæ melius noverunt interius in ipso Dei Verbo, » etc. Sed magis est, ut, an corpus haberent, dubitaverit illic Augustinus, quam ut, corpore concesso, sensus illis alimendos putarit. Auctor insuper libri *de Cognitione veræ vitæ*, qui inter Augustini Opera Tomo IX recensetur, Angelum definit « substantiam incorpoream, invisibilem, sensibilem, rationalem, intellectualem, immortalem; » quibus verbis pugnantia secum et absona dicit. Nam quod incorporeum est, sensibile esse non potest, et quidquid sensibile est, id esse comporeum necesse est. Atque hæc omnium, qui quidem corpore præditos Angelos faciunt, opinio esse debet, si, quod est consentaneum, tenere voluerint. Non enim corpus affici spiritu, tanquam forma, potest, nisi vitæ sensusque sit participes; nec unum per se fieri ex ambobus animal, nisi communen ex utroque actionem exprimat, quæ sine sensili aliqua cognitione, et imagine fingi a nobis nulla omnino potest.

Solam intelligentiæ cognitionem angelis tribuunt, qui meros spiritus agnoscunt.

IV. Ad hanc notitiam præstantior ac superior accedit altera, quæ intelligentia dicitur; quam qui meros esse spiritus Angelos agnoscunt, solam in iis constituunt, unde et νοερὰ πνεύματα *intelligentia præditi spiritus* a Græcis Patribus vocantur, ut in primo hujus libri capite jam dixi. Neque vero laborandum est, ut id probemus, esse in Angelis intelligentiam, cognitionemque mentis propriam, cum plenæ sint exemplorum ac testimoniorum ejusmodi sacræ paginæ, ac vel ipsa persuadeat angelicæ naturæ conditionisque dignitas, quæ vel excellentiorem, quam quæ est in homine, cognoscendi vim ac functionem requirit. Qualis autem ea sit, et quomodo ab illis oriatur, neque verbis explicare, neque cogitando consequi licet. Quidam antiquorum illos λογικοὺς[1], *rationales* vocant, tanquam ratione sic utantur, ut nos, dum aliud ex alio, obscurum et ignotum ex cognito ratiocinando colligimus. Sed non id necesse est sequi. Nam *rationis* nomen latius ab illis sumitur, quatenus ei, quod ἄλογον *irrationale*, ac *brutum* est, opponitur; quo sensu Deus etiam λογικὸς habetur, et quidquid est, quod utcumque mente utitur et intelligit, etsi intelligendi modus non unus idemque sit omnium. Sic *rationis* nomen usurpatum est apud Augustinum in primo *Retractationum*, capite VI, ubi quod in libro *de Immortalitate animæ*, capite IV, scripserat, « Non esse vitam cum ratione ulli, nisi animæ, » castigat: « Neque enim Deo sine ratione vita est, ait, cum apud eum et summa vita, et summa sit ratio. » Hoc, inquam, et similibus in locis non ejusmodi ratio intelligitur, a qua ratiocinandi vox deducitur. Nam nulla in Deo potest esse ratiocinatio. Siquidem « est recta ratiocinatio a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio, » ut in eodem libro de Immortalitate animæ, sub initium scribit.

Duplex Angelorum cognitio secundum Augustinum.

V. Ac de Angelorum cognitione longissimum sermonem explicat Augustinus, eamque facit duplicem; quarum altera a Deo illis indita est, per quam productas res in ipso creatore ac productore Deo, hoc est in Verbo contuentur; alteram sumunt ex rebus ipsis, quas in se postea contemplantur : « Quemadmodum ergo ratio, inquit Augustinus[2] qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quam ipsa creatura, quæ conditur; sic et ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa cognitio creaturæ postea in genere proprio. » Atque etiam alio in libro[3] omnem illam creatarum rerum varietatem, quæ per dierum sex intervalla describitur, puncto uno temporis exstitisse demonstrat; dies autem illos singillatim enumeratos ac numero distinctos, Angelorum esse cognitionem, cui singula rerum genera prius objecta sunt, quam a Deo producerentur. Cum autem Scriptura diem identidem commemoret, ejusque matutinum ac vespertinum tempus, diem ille quidem non usitatum ac naturalem intelligit, qui lucis exortu occasuque continetur, sed « spiritualem esse cognitionem[4], putat, cum beata illa societas Angelorum et primitus contemplatur in Verbo Dei, quod dixit Deus, Fiat; porro vesperam, et mane sic explicat: ait, rem[5] quamlibet prius ab Angelo cognitam, hoc est in ejus cognitione productam, quam in se esset; idque demonstrari, cum dicitur : *Et factum est ita;* postea rem eamdem in seipsa cognosci ab Angelo, et eam esse « vesperam, cum ipsum, exempli causa, firmamentum non in verbo Dei, sicut

1 Amb. lib. VII in *Luc.* col. 165 et lib. V *de Fide* cap. I, col. 185.— 2 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. VIII. — 3 Lib. IV *de Gen. ad lit.* cap. XXIV et seq.— 4 Ut sup. cap. XXVI. — 5 Vide cap. XXII.

ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit. Quæ cognitio, quoniam minor est, recte vesperæ nomine significatur. » Mane autem, quod sequitur, tum fieri dicit, cum Angelus ab rei procreatæ cognitione ad laudandum Deum se convertit, et novæ rei percipiendam in Verbo notitiam, quæ condenda est post Firmamentum. Quæ cognitio, quia clarior et præstantior est, matutina vocatur.

VI. Hæc fusius Augustinus capitibus aliquot edisserit, in quibus duplicem Angelis cognitionem attribuit: unam rerum in Deo, sive Verbo; alteram earumdem in sese: « Hoc enim differt inter illorum, et nostram scientiam, ait Auctor libri *de cognitione veræ vitæ*, quod ipsi omnes causas rerum, antequam eveniant, præsciunt; nos autem vix, et cum magno labore investigamus eas, postquam res in actu constant. » Quæ non sic interpretanda sunt, tanquam omnia scire, præscireque Angelos, Auctor ille crediderit, ut putavit Erasmus. Nam de rebus tantum naturalibus ac necessariis agit, de quibus et Augustinus; quarum omnes causas, antequam in seipsis existant, Angeli pervident, ut ex iis constat quæ proxime ante posuit: « Sed et cuncta, quæ in rebus insensibilibus, vel creaturis sensibilibus geruntur, per illos administrari, qui ambigit, multum a luce veritatis desipit. » His vero plane similia docet Augustinus ita scribens: « Mens itaque humana prius hæc, quæ facta sunt per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit, et deinde quærit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter, atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, » etc. Mens vero « angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, postea quam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt; ac sic prius in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura, quæ itidem facta in eisipsis etiam cognovit minore utique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sane præcedebant, quæ fiebant; quia præcedit cognitionem, quiquid cognosci potest[1]. »

VII. Sed hæc Augustinus de solis bonis, ac jam æternam felicitatem adeptis Angelis dicit; quippe quos in Verbo ante contemplatos esse singula, putat, quam in se ipsa cernerent[2]; de quibus etiam Dionysius loquitur, cum illos, ait, « simplices habere, ac beatas intellectiones, non in partibilibus, aut ex partibilibus, sive ex sensibus, fusioribusque sermonibus divinam notitiam colligentes, neque communi aliquo ad ista comprehensos, sed ab eo omni, quod materia implicatum est, et a multiplicitate liberos, sine materia singulariter divinorum intelligibilia percipere[a]. » His, inquam, et similibus verbis non naturalem communemque omnibus Angelorum cognitionem Dionysius explicat, sed beatam, cujus et hominum animi participes erunt. Quare non potest ex eo capi argumentum, cujusmodi natura insita sit Angelis rerum notitia, quæ et ipsis insit dæmonibus. Quam quidem ingenitam omnibus a Deo in ortus sui primordio, plerique de Schola Theologi sentiunt, et ad eam opinionem gravibus de causis adducuntur. Primum, quod, ut postea docebimus, cum justitia Deique gratia procreati sunt, quæ non solum voluntatem decore quodam et ornamento, sed mentem etiam luce, ac splendore perfectæ cognitionis afficit. Deinde quod non deterior illorum, quam primi hominis, esse conditio debuit. Adamus autem inditam ab origine sua rerum scientiam divinitus accepit. Nec enim aliter omnibus animantibus propria imponere nomina potuisset; quam ad rem exquisita opus esse sapientia[3], Plato confirmat. Itaque species, ut vocant, intelligibiles naturalium omnium rerum Deus Angelis infudit, quas alioquin fortassis ex rebus ipsis capere poterant; cujusmodi an dæmones sibi comparaverint, haud plane compertum habemus. Nam eos diuturni temporis experientiâ multa didicisse, Augustinus affirmat; « quibus quædam, inquit, vera de temporalibus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ[4], » etc. Quod de singularibus, et individuis rebus interpretari solent, non generibus, ac formis; quarum species, uti diximus, omnium accepisse creduntur. Etenim quod ad individua ipsa spectat, non omnium

An Angelorum cognitio ipsis sit ab initio ingenita.

a Dion. *de Div. nom.* cap. VII. Ἐξ αὐτῆς αἱ νοηταὶ, καὶ νοεραὶ τῶν ἀγγελικῶν νοῶν δυνάμεις, τὰς ἁπλᾶς, καὶ μακαρίας ἔχουσι νοήσεις, οὐκ ἐν μεριστοῖς, ἢ ἀπὸ μεριστῶν, ἢ αἰσθήσεων, ἢ λόγων διεξοδικῶν συνάγουσαι τὴν θείαν γνῶσιν, οὐδὲ ὑπὸ τινὸς κοινοῦ πρὸς ταῦτα συμπεριχόμεναι, παντὸς δὲ ὑλικοῦ, καὶ πλήθους καθαρεύουσαι, νοερῶς, ἀΰλως, ἑνοειδῶς τὰ νοητὰ τῶν θείων νοοῦσι.

1 Lib. I *de Gen. ad lit.* c. XXXII.— 2 Vide et IX *de Civ.* c. XXII et l. XI c. XXIX.— 3 In Crat.— 4 Lib. II *de Gen. ad lit.* c. XVII.

impressas illis esse species, iisdem Theologis merito placet.

An sint illis species rerum insitæ, et an omnium controvertitur.

VIII. Ac, quemadmodum ex rebus similitudines illæ, quas vocant species, ad eos permanent, atque an similiter ac nobis usuvenit, etiam intelligibiles formæ corporeis ex rebus in illos deriventur; an nihil objectæ res efficiant, sed suapte vi, ac nullis acceptis similitudinibus eorum mentes singula percipiant, non satis convenit. Nam et species ipsas, quibus ex communi aliorum sententia niti illos ad intelligendum diximus, sunt qui in Angelis esse nullas existimant; ut quam hoc facile cognitu est, intelligere ac mente percipere aliquid Angelos, tam quo id modo faciant, assequi conjectura difficile sit. Nam quæ veteres aliqui de propria illorum cognoscendi ratione disputant, ea non ad naturalem eorum statum referenda videntur, sed ad natura sublimiorem, et cum æterna felicitate conjunctum, qualia sunt ea fere testimonia, quæ ex Augustino, ac Dionysio sumuntur, quibus certa illis in Verbo rerum notitia tribuitur. Tum ex Maximo Dionysii interprete, qui in Scholiis ad caput septimum libri *de Divinis nominibus* [a], quod ex Dionysio paulo ante retuli, clarius exponit, Angelorum cognitionem, non, ut nostram, ex divisis et particularibus esse collectam, sed « uniusmodi, ac simplicem intelligentiam habere, quam ex divina illustratione capiunt [b]. » Quamobrem de notitia ista sermo illis est, quæ ex divinæ communicatione lucis in Angelos transfunditur; quam utique non ex particularibus ac divisis haustam, in unumque conflatam obtinent, sed universalem habent, ac simplicem. Utrum vero Angeli ratiocinando itidem, ut nos, quod in Scholis *discurrendo* fieri dicitur, res intelligentia percipiant; atque utrum *divisione*, ac *compositione* tum utantur, inquirendum et disputandum iisdem illis Scholis relinquimus.

Illud singulare apud Maximum occurrit in libro tertio *de Charitate*, « Angelorum proprium esse, nihil ignorare particularium rerum. » Etenim, « Mentis hanc esse ait impuritatem, primum falsam habere notitiam, secundo nescire aliquid universalium; quod de humana mente accipiendum est. Quippe Angelorum est, nihil particularium nescire [c], » etc. Quod sane universe pronuntiatum minime verum est, sed ad ea restringendum, quæ illorum interest scire, quemadmodum neque universalia nosse omnia possunt, aut debent homines, ut, nisi ista sciant, impuræ sint eorum habendæ mentes. Verum de iis interpretandus utrobique Maximus est, quæ ad amborum statum et officium pertinent.

Explicatur auctor quæstionum ad orthodoxos.

IX. Ad extremum minime prætereunda est mirifica quædam de Angelorum cognitione Auctoris illius opinio [1], qui Justini inscriptas nomine *Quæstiones ad Orthodoxos* edidit; quem ab nonnullis Theologis perperam interpretari video [2], tanquam ille scribat, Angelos mutuo sese non intelligere, aut cognoscere, qui etiam addunt idem docere Chrysostomum Homilia V *in Matthæum*, affirmantem, Angelum voluntate sua invisibilem dæmoni fieri. Atqui, quod ad Justinum attinet, etsi Justinus ille non est, ut jam diximus, non absolute is negat, Angelos sese mutuo cognoscere. Sed duplicem in illis, ut et cæteris ratione præditis, cognitionem discernit : alteram quam vocat αἴσθησιν, et ἐννοητικὴν, *sensilem*, et *cogitraticem*, sive *sensitivam*, et *cogitativam*, et in superiori quæstione ἐννοηματικὴν αἴσθησιν *cogitativum sensum* : alteram νοητικὴν, *intellectilem*. Priorem esse dicit eam, qua Angeli, et animæ extra corpus sitæ tam se ipsi quam invicem comprehendunt et vident; posteriorem vero, qua eorum, quæ sunt supra se, notitiam capiunt. Nam, cum inquisitum esset, quid sancti Latronis anima in Paradiso faceret, loco sensibili, ipsa sensus expers; respondet, « eam Paradisum sentire sensu illo, qui ἐννοηματικὸς, cogitativus dicitur, quo animæ tam se mutuo, quam quæ infra se sunt, vident, necnon Angelos et dæmones. Non enim anima intelligentia percipit, aut videt animam, neque Angelus Angelum, neque dæmonem dæmon; sed per eum, quem dixi, cogitativum sensum vident se

a Maxim. Αἱ δὲ νοήσεις τῶν θείων νόων οὐκ ἐν διανοήσεσι ταῖς καθ' ἡμᾶς, εἰς ἃς διανοήσεις κάτεισιν ὁ νοῦς ἐκ τῶν μεριστῶν, τουτέστι τῶν αἰσθητῶν, καὶ διεξοδικῶν λόγων, ἀντὶ τοῦ τῶν εἰδῶν, καὶ τοῦ πλήθους, ὅπερ ἐστὶ τῶν ὑλικῶν συλλέγουσαι τὰς νοήσεις ἀΰλως πάντα ἐν τῷ ἁπλῷ θεωροῦσαι.

b Ib. Ἑνιαίᾳ καὶ ἁπλῇ νοήσει τῆς ἀληθείας τὴν γνῶσιν ἐλλάμπονται.

c Maxim. lib. III *de Char*. num. 34. Νοός ἐστιν ἀκαθαρσία πρῶτον μὲν, τὸ γνῶσιν ἔχειν ψευδῆ· δεύτερον δὲ τὸ ἀγνοεῖν τι τῶν καθόλου ὡς πρὸς ἀνθρώπινον νοῦν λέγω. ἀγγέλου γάρ ἐστι τὸ μηδὲν τῶν ἐπὶ μέρους ἀγνοεῖν.

1 Qnæst. LXXVI. *ad Orth.* — 2 Vasq. in I par. disp cap. I Tann. disp. V *de Ang.* qu. III, dub. III, § 7. — 3 Quæst. LXXVII.

ipsos, et invicem; tum et omnia corpore prædita[a]. »

X. Idem vero qæstioni sequenti, qua interrogatum erat, utrum anima ab corpore sejuncta sentiret aliquid, quandoquidem sentiendi officium omne corpore præstatur, ita respondet: « Naturæ omnes creatæ, ac rationis participes duplicem habent comprehendendi vim, sensilem, et intellectilem[b]; » illam, quæ et « ἐννοητικὴ, id est cogitatrix vocatur, qua se ipsas, et invicem comprehendunt: intellectilem autem, qua ejus, quod supra se est, notitiam capiunt. » Quo in posteriore loco legendum puto, καὶ αἰσθητικὴ μὲν τὴν καὶ ἐννοητικὴν λεγομένην, ut ex superiori quæstione constat. Igitur non negat, Angelos mutuo se cognoscere non magis, quam ipsos sese, ac substantiam suam. Sed id certa cognitione facere definit, quam vocat ἐννοητικὴν, vel ἐννοηματικὴν αἴσθησιν, qua res illæ percipiuntur, quæ cognoscentis modum, ordinemque non superant: ut cum vel ipsa se, vel invicem, vel inferiora cognoscunt. Sic anima, quandiu corpori est affixa, non nisi per sensus videt ea, quæ distincte cognoscit, et intuetur: quæ autem mere spiritualia sunt, et corpore carent, ea non sensu dignoscit, aut videt, sed intelligit, eo quod statum illum, conditionemque, quam habet in corpore, ista superant. Porro ubi evolavit e corpore, et in spiritualem statum transiit; quæ sunt ejusdem ordinis, hoc est seipsam, et alias animas, necnon Angelos, non corporis sensu, sed alio, quem ἐννοητικην αἴσθησιν vocat, intuetur, ac clare percipit; Deum autem, qui creatis omnibus sublimior est, sola vi intelligendi. Quod ipsum de Angelis quoque dici convenit. Ac nescio an non ideo quamcumque αἴσθησιν animis hominum, et Angelis ille Auctor assignet, quod creatas res omnes, atque etiam Angelos in genere corporeorum reponendos existimet, si cum Deo comparentur; quod autem corporeum est, id sensu aliquo percipi debet. Proinde tam animas solutas corporibus, quam Angelos, etsi spiritualis naturæ sunt, tamen, quia quoddam sui generis habent corpus, et materiam, ejusdemmodi sensibus esse præditos putat: Deum autem, quia nihil est in eo corpori affine, vel materiæ, nullus sensus contrectare potest, sed sola utcumque capit intelligentia, quæ est νοητικὴ δύναμις. Hæc mea est de Auctoris illius loco conjectura, neque, ut, opinor, ab mente ejus aliena, quam docti illi, quos dixi, Scholastici minus assequuntur.

[Margin: Cogitativum sensum.]

[Margin: Vis cogitativa.]

Jam vero quod Chrysostomum iidem proferunt, non is est Chrysostomus, sed Imperfecti Operis Auctor in Matthæum[1], qui « Angelum bonum, ait, invisibilem se reddere ante diabolum, quoniam, nisi voluerit, Angelus bonus a diabolo non videtur. » Verum tam Scriptorem istum, quam quod hic ab illo traditur, haud magni pendimus.

CAPUT VII.

De rebus Angelorum cognitioni subjectis; ac primum inquiritur, utrum occultas cordis cogitationes noverint. Ostenditur, non eas ab illis cognosci, tum ex Scripturis, tum ex Patribus. Proprium illud esse Dei. Augustini opinio de signis, quæ cogitationes imprimunt. Philippi Presbyteri opinio expenditur.

Nunc Angelorum intelligentiæ quarum rerum subjecta sit notitia, inquirere nos oportet. In quo tria præsertim in quæstionem adducuntur. Nam aut de liberis, occultisque cogitationibus hominum, vel Angelorum cæterorum agitur; aut de futurorum cognitione; aut de iis rebus, quæ communis naturæ vim et captum superant, qualia sunt, quæ a nostris fidei mysteria nominantur. De his ut singillatim dicatur, primum illud inter Christianos convenit, liberas Angelorum cogitationes, aut hominum, quas arcanas apud se continere, nec ullis indiciis prodere voluerint, ab solo conditore Deo, nec ab ullo altero naturaliter posse cognosci. Testes sunt hujus dogmatis sacræ litteræ, quæ multis in locis

[Margin: Solum Deum angeli hominisque intimas cogitationes nosse probatur ex scripturis.]

a Auct. quæst. *ad Orthod.* qu. lxxvi. Ἔχει τε τοῦ παραδείσου τὴν αἴσθησιν κατὰ τὴν ἐννοηματικὴν λεγομένην αἴσθησιν, καθ' ἣν ὁρῶσιν αἱ ψυχαὶ ἑαυτάς τε, καὶ τὰ ὑπ' αὐτάς· ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἀγγέλους τε, καὶ τοὺς δαίμονας· οὐ γὰρ νοεῖ, οὔτε ὁρᾷ ψυχὴ ψυχὴν, οὔτε ἄγγελος ἄγγελον, οὔτε δαίμων δαίμονα, ἀλλὰ κατὰ τὴν ῥηθεῖσαν ἐννοηματικὴν αἴσθησιν ὁρῶσιν ἑαυτούς τε, καὶ ἀλλήλους, ἔτι δὲ καὶ τὰ σωματικὰ πάντα.

b Id. quæst. lxxvii. Πᾶσαι αἱ κτισταί τε, καὶ λογικαὶ οὐσίαι διπλᾶς ἔχουσι καταληπτικὰς δυνάμεις, αἰσθητικήν τε, καὶ νοητικήν. καὶ ἐννοητικὴν μὲν λεγομένην, καθ' ἣν καταλαμβάνουσιν αὐτάς τε, καὶ ἀλλήλας· νοητικὴν δὲ, καθ' ἣν δέχονται τὴν γνῶσιν τοῦ ὑπὲρ αὐτάς.

1 Hom. v.

tanquam peculiare hoc Deo concedunt, atque ad divinitatis argumentum afferunt, quod abditas in animo cogitationes introspicit.

Testimonia Scripturæ.

Sic in *tertio Regum*[1], *tu nosti solus cor omnium filiorum hominum;* quod et *secundo Paralip.* iisdem verbis reperitur[2]. Tum *Ecclesiastici* XLII, 18. *Abyssum et cor hominum investigavit. Jeremiæ* XVII. *Pravum est cor hominis, et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* Qui locus, ut et superiores duo ex *Regum* et *Paralipomenon* libris, solius hoc esse Dei proprium nos docent, hominum intueri cor, hoc est interiores, ac secretas mentis cogitationes, voluntatisque motus. Quod in primo *Paralipom*[3]. traditur: *Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit;* ubi *cordis* vocabulo voluntas ipsa præcipue significatur; mens autem intelligentiam exprimit. Itaque tam ea, quæ occulte apud nos animo revolvimus, quam quæ sola voluntate interius agitamus, uni Deo perspicua sunt, Deique Verbo, « sive sermoni quem Apostolus[4] discretorem vocat cogitationum, et intentionum cordis. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.* » Tum idem in *Psalmis* non uno loco commendatur; ut in VII. *Scrutans corda, et renes Deus.* Et in XLIII, 22. *Ipse enim novit abscondita cordis.*

Item ex Patribus.

II. Atque hoc, præter Scripturarum testimonia, Patres etiam antiqui nos docent; quorum nonnulli ex eo confirmant, Christum Dominum verum Deum exstitisse, quod secretas mentium cogitationes sæpe in Evangelio cognovisse ac patefecisse monstretur; quod quidem divinitatis esse proprium, vel gentiles ipsi Sapientes intellexerunt.

Testimonia Patrum.

Clemens enim Alexandrinus inter alia fidei nostræ decreta, quæ isti a nobis expresserunt, illud recenset, Deum cognitorem esse cordium; quod Græci καρδιογνώστην appellant: « Et quod a nobis, inquit, cordium appellatur cognitor, aperte interpretatur. Interrogatus enim Thales, quid sit Deus; id, respondit, quod neque principium habet, neque finem. Tum sciscitante altero, ecquid lateret Deum homo quidpiam faciens: Et quinam, inquit, hoc posset, qui ne cogitans quidem latet[a] ? »

Origenes *Homilia* VII *in Genesim* Angelos negat propositum mentis nostræ cognoscere. « Verbi causa, propositum habeo martyrium; non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia nunc cognovi, quod tu times Deum. Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si vero accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quæ inferuntur constanter cuncta suscepero, tunc potest dicere Angelus, velut confirmans me et corroborans, nunc cognovi quod tu times Deum. »

Fulgentius[5] vero contra Arianam hæresim disputans, Christum esse Deum indidem demonstrat, Cypriani utens testimonio, qui, quod Deum inspectorem esse cordium dixerat, id Christo nominatim attribuit. Nam, cum præcepisset, ut in oratione modestia præstetur, neque clamoribus agatur, causam ita reddit[6]: « Quia Deus non vocis, sed cordis auditor est: Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino, et dicente; *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris*[7]? Et alio loco[8]: *et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis, et cordis.* Hæc Cyprianus; ex quibus Fulgentius concludit, Cyprianum asseverare, Deum esse Christum; quippe qui, quod Deum dixerat cogitationes videre, id sibi vindicantem Christum ostendat ex Evangelio Joannis, et Apocalypsi: « Filius igitur, sicut sanctus asserit Cyprianus, ubique præsens est; idem omnes audit et videt, et majestatis suæ plenitudine in abdita quoque, et occulta penetrat; nec clamoribus admonendus est, qui cogitationes videt. Huic sensui Joannis Evangelistæ dicta concordant, qui dicit de quibusdam: *Quia Jesus non credebat semetipsum illis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine*[9]. »

III. Tum in sequenti capite Fulgentius idem ex libro *de Lapsis* hæc Cypriani verba profert: « Videt ille corda, et pectora singulorum, et judicaturus non tantum de factis, sed et verbis, et cogitationibus nostris, omnium mentes, voluntatesque conceptas intra ipsas adhuc clausi pectoris latebras intuetur. » Quæ cum de Christo, cui « omne judicium Pater dedit, » intelligenda sint, merito ex Cypriano colligit Fulgentius, verum illum esse Deum,

a CLEM. ALEX. V *Strom.* Καὶ τὸ καρδιογνώστην λέγεσθαι πρὸς ἡμῶν, ἀντικρὺς ἑρμηνεύει· ἐρωτηθείς γέ τοι ὁ Θαλῆς τί ἐστι τὸ Θεῖον· τὸ μήτε ἀρχὴν, ἔφη, μήτε τέλος ἔχον. πυθομένου δὲ ἑτέρου, εἰ λανθάνει τὸ Θεῖον πράσσων τι ἄνθρωπος; καὶ πῶς, εἶπεν, ὅς γε οὐδὲ διανοούμενος;

1 Cap. VIII, 39. — 2 Cap. VI, 30 — 3 Cap. XXVIII, 9.— 4 *Hebr.* IV, 12.— 5 Lib. II *ad Trasim.* cap. XVI.— 6 Lib. *de or. dom.*— 7 *Luc.* XV. — 8 *Apoc.* II. — 9 *Joan.* II.

qui sit « testis nunc cogitationum et operum, futurus judex retributorque cunctorum; » quod argumentum nullum esset omnino, si non Dei proprium id foret, cogitationes intimas, et corda cognoscere. Sic Novatianus in libro *de Trinitate* c. XIII, Christum esse Deum indidem probat. Atque eodem etiam modo Spiritus sancti divinitatem sancti aliqui Patres contra Macedonianos approbant; et inter alios egregie Paschasius, cujus auctoritate jam usi sumus, in secundo libro *de Trinitate* [1]; hic vero ea referemus, quæ, ibi prætermissa, ad præsens institutum faciunt. « Quælibet autem creatura cœlestis [2], ait, in tantum infundere, vel implere hominem non potest, ut abdita cogitationis humanæ scire non possit. Et ideo de solo Deo legimus : *Qui solus nosti corda hominum* [3]; et iterum : *Ipse enim novit occulta cordis* [4]. Si enim hominis occulta cognoscere, divinitatis est proprium, quanto magis profunda Dei summi, in persona Spiritus sancti majestatis insigne est? Auctori tantum debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. » Hilarius *in Psalmo* CXXXIX. « Cogitationes cordis nosse, non nostrum est, sed ejus, de quo dictum est: *Scrutans corda* [5], *et renes Deus;* ejus quoque, qui dixit sciens cogitationes eorum: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Ille occultos omnes malignorum cordium sensus penetrabili, atque pervio aditu obeunte natura virtutis suæ contuetur. »

IV. Chrysostomus *Homilia* XXIV *in Joannem* hæc verba declarans, *quia opus ei non erat* [6], *ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine*, ita scribit : « Quæ in corde hominum insunt, nosse solius est Dei, qui singillatim corda finxit. Tu enim, inquit, nosti corda solus [a]. » Sic Auctor *Imperfecti Operis in Matthæum* Homilia XLVI. « Non ergo Deus quærit opera propter se, ut sciat, quomodo judicet, sed propter alios, ut omnes intelligant, quia justus est Deus. Nam Deus est qui omnium corda cognoscit, et hominum, et Angelorum, et spirituum cæterorum. »

Rursus Chrysostomus *Homilia* IV *in Matthæum*, ad illa verba, *Hæc eo cogitante* [7], *Angelus in somnis apparuit Joseph;* animadvertit, « hoc signum fuisse certissimum, illum, a Deo missum fuisse Angelum ; quippe cum solius Dei sit arcana cordium nosse [b]. »

Cyrillus Alexandrinus in libro secundo *commentariorum in Joannem*, de Nathanaele agens, qui Christum Dei filium confessus est [8] : « Noverat, inquit, solum Deum scrutatorem esse cordium, nec ulli alteri mentem hominis patere, illud, ut verisimile est, e Psalmis in animo habens : *Scrutans corda, et renes Deus* [9]. Hoc enim, tanquam quod nulli inesset alteri, soli divinæ præcipuum Psaltes attribuit [c]. » Et in libro quinto, enarrans illa, *Ego, quod vidi apud Patrem* [10], *loquor*, Christum inde verum esse confirmat Deum, quod ipsos humanarum motus cogitationum noverit. Tum aliis pluribus in locis, sed insigniter ad caput Joannis tertium, ubi Evangelista scribit : *Ipse enim sciebat, quid esset in homine* [11]. Ad quæ ita Cyrillus: « Hæc quoque dignitas, uti et cæteræ, quæ sunt in Christo, inquit, Deo competit, nec inest ulli rei creatæ. Soli enim vero Deo ipsam tribuit Psalmista, dicens : *Qui finxit sigillatim corda eorum ; qui intelligit omnia opera eorum* [d]. »

V. Didymus apud Joannem Damascenum *in Parallelis* [12]: « Solius est divinitatis, animi cogitationem intueri. »

Titus quoque Bostrensis in *tertio contra Manichæos:* « Nemo cor nostrum novit, inquit, sed solus novit, qui id fecit ; et latet cor nostrum, non potest tamen latere Deum. » In Concilio Constantinopolitano sub Menna habito, Monachi in libello oblato Imperatori,

a CHRYS. hom. XXIV *in Joan.* Τὸ δὲ τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ τῶν ἀνθρώπων εἰδέναι, τοῦ πλάσαντος κατὰ μόνας τὰς καρδίας ἐστὶ θεοῦ, vel μόνου. Σὺ γὰρ, φησὶν, ἐπίστασαι καρδίας μονώτατος.

b CHRYS. Τὸ γὰρ μηδενὶ ἐξειπεῖν· ἀλλ' ἃ κατὰ διάνοιαν ἐνεθυμήθη, ταῦτα ἀκοῦσαι λέγοντος τοῦ ἀγγέλου, ἀναμφισβήτητον αὐτῷ παρεῖχε σημεῖον τοῦ παρὰ θεοῦ λέγοντα ἀφῖχθαι· αὐτοῦ γὰρ μόνου τὰ ἀπόῤῥητα τῆς καρδίας εἰδέναι ἐστίν,

c CYRIL. Οἶδε μόνον ὄντα καρδιῶν ἐρευνητὴν τὸν θεὸν, οὐδενὶ δὲ ἑτέρῳ τὴν ἀνθρώπου δίδωσιν ἐξεπίστασθαι νοῦν, τὸ ἐν ψαλμοῖς ἐκεῖνο κατὰ τὸ εἰκὸς ἐνθυμούμενος· ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροὺς ὁ θεός. ὡς γὰρ οὐδενὶ τῶν ἄλλων προσὸν, μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει καὶ τοῦτο ἐξαίρετον ὁ μελῳδὸς ἀνατέθεικεν. Vide eumdem lib. II *in Joan.* E.

d CYRILL. II *in Joan.* Θεοπρεπὲς καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων ἐν Χριστῷ τὸ ἀξίωμα, καὶ οὐδενὶ τῶν γενητῶν ὑπάρχον· μόνῳ γὰρ αὐτῷ τῷ κατ' ἀλήθειαν ὄντι θεῷ προσάπτει λέγων ὁ ψαλμῳδὸς· ὁ πλάσας κατὰ μόνας τὰς καρδίας αὐτῶν· ὁ συνιεὶς εἰς πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν. Idem habet et lib. III, et lib. *Thes.* XXXII, et lib. II *cont Nestor.*

1 Cap. XVI. — 2 Pasch. lib. II *de Spir. sanc.* cap. I. — 3 III Reg. VIII.— 4 *Psal.* XLIII, 22.— 5 *Psal.* VII.— 6 *Joan.* 2, 25.— 7 *Matth.* I, 20. — 8 *Joan.* I, 49. — 9 *Psal.* VII. — 10 *Joan.* VIII, 38. — 11 *Joan.* II, 25. — 12 Lib. I, cap. II.

« Deus, inquiunt, inspiciens Deo dilectum cor vestræ pietatis, tamquam qui solus cogitationes, quæ in eo sunt, intueri potest[a]. »

Marcus Eremita libro *de Lege Spirituali*, « Occulta cujusvis, ait, novit Deus, et ejus conscientia. Itaque per hæc ipsa emendationem accipiat[b]. »

Ephræm Syrus in *Reprehensione sui ipsius*, « Nemo, inquit, reperitur, qui sanare animæ meæ possit dolorem, nisi ipse, qui novit profunda cordis. »

Anastasius item Sinaita libro IX *in Hexaemeron*, hæc *Geneseos* verba, *Quacumque die ex eo comederitis, morte moriemini*, declarat sic : « Si tentaveritis fieri mei similes, cognoscentes bonum et malum, et tam ea, quæ sunt occulta, quam quæ manifesta, statim moriemini, etc. cum neque Angelus, neque dæmon, sed solus Deus sciat mentem hominum. »

Sic Tertullianus in libro V *contra Marcionem*, capite XV. Deum Marcionis provocaturum se ait ad eam sui faciendam fidem, « ut et futura prænuntiet, et occulta cordis revelet. » Et Ambrosius in caput V. *Lucæ*, « Dominus, inquit, salvos volens facere peccatores, et occultorum cognitione Deum se esse demonstrat, » etc. Loquitur autem de cogitationibus cordium. Tum ad ea *Psalmi* quinquagesimi: *Tibi soli peccavi* « Quem, inquit, solum abscondita cogitationum, et mentis occulta non fallunt. » Auctor commentariorum ad epist. primam *ad Corinthios*, capite secundo, qui Ambrosii operibus inseruntur, « Manifestum est, inquit, cogitationes nostras a nullo sciri, nisi ab animo nostro, quem spiritum dixit. »

VI. Augustinus in sermone VI *de Diversis*, capite V. « Cogitationes, ait, quas modo non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate sanctorum, etc. Cor videre, Dei est ; hominum non est, nisi de iis, quæ manifesta sunt, judicare. » Ubi, quod in æterna illa felicitate Sanctorum unicuique cogitationes alterius manifestas fore dicit, haud scio, an absolute, ac de omnibus intelligendum sit ; quanquam idem etiam in epistola VI et quidem expressius indicat. Sed de hac re non est hujus loci disserere.

Zosimus Papa in epistola tertia *ad Africanos:* « Cum de occultis, ait, animorum solius Dei nostri possit esse judicium, cui non tantum cogitata, sed cogitanda etiam præsto sunt. »

Gaudentius item Brixianus in præfatione *ad Benevolum*, de probatione justorum loquens : « Probat autem, inquit, non sibi, qui ante novit universa quam fiant, sed Angelis, et hominibus ; ut eos ex factis probos noverint, quoniam conscientias intueri non possunt, quas solus novit *scrutans corda*[1], *et renes Deus*. Ipse enim novit occulta cordis, ut Prophetæ sermo testatur. »

Petrus Chrysologus sermone quinquagesimo, Christi divinitatem indidem probat : « Cape, inquit, ejus divinitatis insignia. Audi, eum pectoris tui penetrasse secretum. Aspice, eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse. Intellige, eum cordis tui tacita nudare consilia. » Et sermone XCIV. « Dum Pharisæi cordis patefecit arcanum, ipsum fuisse totius Prophetiæ demonstrat auctorem. »

VII. Sic Eusebius Emissenus in homilia *de Trinitate*, Deum esse Spiritum sanctum probat argumento eodem : « Purificat, inquit, conscientias, quarum solus emundator, solus est cognitor. Deo enim tantum potest illud adscribi, qui solus[2], inquit, nosti corda hominum. Et Apostolus[3] protestatur : *Spiritus scrutatur etiam alta Dei*. Si specialiter Deus creditur, qui occulta hominis intuetur ; quanto magis Deus est, qui profunda paterni pectoris perscrutatur ? » Cassianus in *Collatione* septima[4], soli Deo convenire demonstrat, « ut cogitationes hominum, et internos motus, atque abdita mentis universa inspiciat, atque perlustret. » Quod deinde Apostoli ad Hebræos scribentis testimonio probat[5], quod paulo ante retuli ; tum ista subjicit : Et beatus David, inquit, *Qui fingit sigillatim corda eorum*[6]. Et iterum : *Ipse enim novit occulta cordis*[7]. Job quoque : *Qui solus nosti corda filiorum hominum*[8]. « Sed in Jobo citando hallucinatus est Cassianus. Hæc enim verba non Jobi, sed Salomonis sunt in tertio *Regum*, ac priore *Paralipomenon*. At in libro *Jobi* aliter conceptus est locus, quemadmodum et ab Anastasia Sinaita nono *in Hexaemeron*. Sed in Hebræo, et Vulgata editione non

a In edit. *Zonar*. κατανοήσας τὴν θεοφιλῆ καρδίαν τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, οἷα μόνος τὰ ἐν ταύταις ἐνθύμια ἐρευνᾷν δυνάμενος.

b Num. 70. Τὰ κρυπτὰ ἑκάστου ὁ θεὸς οἶδε, καὶ ἡ συνείδησις· καὶ διὰ τούτων λαμβανέτω διόρθωσιν.

1 *Ps.* VII. — 2 *Act.* I. — 3 I *Cor.* II. — 4 Cap. XI, XII et seq. maxime XIII. — 5 *Hebr.* IV, 12.— 6 *Ps.* XXXII.—7 *Ps.* XLIII.— 8 III *Reg.* VIII, XXXIX et I *Par* VI, 30.

exstat, verum apud LXX. Nam pro eo, quod legimus, *Quid faciam tibi, o custos hominum?*[1] Græca sic habent : *Quid possum tibi facere, qui nosti mentem hominum* [a] ?

VIII. Cum igitur et in Scripturis, et a sanctis Patribus singularis hæc nota divinitatis adhibeatur, quæ eam a creatis rebus separat ac discernit, ab Angelis et dæmonibus abjudicari debet adeo, ut neque suapte vi ad interiora penetrare mentis illorum acies possit, neque divinitus bonis saltem omnia, promiscueque pateant; quod quidem de Angelis inter se Veteres illi Patres, et hodierni Theologi comprobant, qui certo genere locutionis mutuo sibi, quæcumque velint, patefacere eos affirmant; de qua re paulo post. Nunc alia quædam testimonia Patrum adjungemus, quæ nominatim demonstrant, dæmonibus intimas animorum nostrorum cogitationes haud esse perspectas. Quod in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus* Gennadius explicat his verbis[2] : « Internas animæ cogitationes diabolum non videre, certi sumus ; sed motibus eas corporis ab illo, et affectionum indiciis colligi, experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur : *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* »

Augustinus quoque in Sermone quodam[3], de Jobo loquens : « Colebat, inquit, Deum, faciebat eleemosynas ; et quo corde faciebat, nemo sciebat, nec ipse Diabolus, sed Deus noverat. »

Hieronymus in *Psalmum* XVI. « Diabolus, ait, in anima intrinsecus nescit, quod cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat. »

Isidorus quoque Pelusiota libro tertio, *epistola* CLVI. « Ea, quæ cogitatione volvuntur, inquit, minime Diabolo cognita sunt. Hoc enim divinæ duntaxat potentiæ, quæ corda nostra sigillatim finxit, peculiare est ; verum ex corporis motibus animi consilia venatur[b]. »

IX. Disputat de ea re copiose Cassianus *Collatione septima*, capite XV ubi dæmones intimos animi nostri sensus, nec ullis proditos signis neutiquam agnoscere demonstrat : « Nulli dubium est, inquit, quod possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est ex nostris dispositionibus, *aut verbis*, *ac studiis*, in quæ propensius conspexerint nos inclinari. Cæterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierint, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes, quas ingerunt, utrum susceptæ, vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est per illum interiorem motum, qui in abditis ejus absconditur, et ut manifestius aliquid exprimam, in medullis, ut ita dixerim, sæpius latitantem, sed ex motibus, atque indiciis exterioris hominis deprehendunt. » Quamobrem arcanas hominum cogitationes, voluntatesque non vident Angeli; ac ne illas quidem, quarum instinctus eorum mentibus immittunt, utrum susceperint, necne, clare, certoque cognoscunt ; sed ex indiciis ac signis, externisque commotionibus, quæ in corpus ex animo redundant, divinando colligunt. Sic ex pallore subito vultus, aut fervore sanguinis, et calore, formidare aliquem, vel iracundia, aut amore concitari intelligunt; tum externus corporis ac membrorum motus, velut aspectus, et incessus, quid intus deliberatum sit, ostendit; « cum hoc a prudentibus quoque viris sæpissime fieri videamus, ait Cassianus ; ut scilicet interioris hominis statum de figura et vultu, seu qualitate exterioris agnoscant. »

Angeli interiores cogitationes ex signis exterioribus conjectant.

X. Credidit et aliquando S. Augustinus[4]; non solum concitatiores animi motus signa quædam imprimere corpori vel interiora, vel externa, sed etiam leniores cogitationes, minusque vehementes ; ex quibus « Angeli hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt. » Quod deinde retractavit, ac pene damnavit ; certe in ambiguo relinquere maluit : « Rem, inquit, dixi occultissimam audaciore asseveratione, quam debui. Nam pervenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta, compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, et ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. » Quinetiam ex phantasia, et sensibilibus, ac

a *Job.* VII, 20. Τί δυνάμαί σοι πρᾶξαι ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων.

b ISID. PELUS. Οὐ τὰ κατὰ διάνοιαν οἶδεν, ὦ πρᾴτατε, ὁ διάβολος· τῆς γὰρ θείας μόνης ἐστὶ τοῦτο ἐξαίρετον δυνάμεως, τῆς καὶ πλασάσης κατὰ μόνας τὰς καρδίας ἡμῶν· ἀλλ' ἀπὸ τοῦ σώματος κινημάτων τὰ τῆς ψυχῆς θηρεύει βουλεύματα.

1 *Job.* VII, 20.— 2 Cap. LXXXI quod et apud Isid. Hisp. legitur in lib. *de Doc.* et fine n. 48.—3 Serm. 234 *de Temp.* cap. IV.— 4 Ad ver. XX. — 5 Lib. *de Div.* dæm. c. V, tom. III. — 6 II Retract. cap. XXX.

corporeis imaginibus, quas utique pervident, penitusque cognoscunt, intelligunt, quid in interiori mente versemus; quanquam nec utrum assensi sumus, certo deprehendunt, neque quidquid ex imaginibus istis spirituale mens nostra conficit, ac format, clare contuentur. De quo spirituali fetu mentium humanarum, hoc est corporearum imaginum spirituali similitudine, quam ipse animus in seipso facit celeritate mirabili, postquam disseruit Augustinus libro XII *de Genesi ad lit.* c. XVI eamque docuit non ab ipsis imprimi corporibus, ac fieri, sed ab spiritu nostro; mox capite sequenti ista subjicit: « Quæ spirituales corporalium similitudines in animo nostro, quemadmodum innotescant spiritibus etiam immundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, ut eas invicem in nostro spiritu videre nequeamus, intueri, et explicare difficile est. Certissimis tamen indiciis apud nos constitit, enuntiatas dæmonibus cogitationes hominum, » etc.

Sed ea notitia vel sponte eorum, qui occulte cogitabant, ab illis accepta est; vel ex quibusdam indiciis, et internorum sensuum agitatione utcumque collecta. Priorem vero illam Augustini suspicionem de signis quibusdam sensibilibus, quæ ex quacunque cogitatione manant in corpus, refellit Fulgentius in III ad *Monimum cap.* IV, ubi contra Arianos ostendit, verbum mentis, etiam humanæ, non extra mentem exstare, nec in corpus redundare. Non igitur aliunde, quam ex mutis saltem, et interioribus aliquibus indiciis, cogitationes animi intelliguntur a dæmonibus, ut hoc sensu gloriari potuerit *dæmonium oraculi Pythici*, idque jactare, quod Tertullianus libro *de Orat.* refert; « Et mutum intelligo, et non loquentem exaudio. »

Jam, si reconditas cogitationes humanorum animorum intueri Angeli nequeunt, multo minus suas invicem cognoscunt. Nam hæ ita spirituales sunt, nullam ut sensibilem imaginem, vel causam habeant, vel comitem, et sociam, cujusmodi in humanis cogitationibus existunt. Itaque, cum Angeli quidquid est sensibile, clare, ac perspicue videant; mentis nostræ functiones, quæ sensibilibus implicatæ sunt formis, propius assequuntur, quam inter se suas.

Philippi presbyteri opinio expenditur.

XI. Quanquam Philippus Presbyter in Commentariis ad librum Job existimasse videtur, intimas illorum cogitationes, et affectus minime invicem latere posse. Sic enim scribit: « Non enim quidquam affectuum suorum ab invicem latere spiritus possunt. Simplices enim creaturæ, nullum habentes quasi obstaculum corpulentiæ perspicuæ sibi sunt. » Sed hoc illius argumentum leve est, immo nullum. Nam, si spirituales creaturæ ob naturæ simplicitatem, ac subtilitatem nullos veluti sinus ac recessus habent, latebrasque cogitationum, sed palam, et exposita sunt omnia quæ secum interius versant; idem et de Deo sentiendum erit, ut, cum sit ille simplicissimus, quidquid ab eo destinatur ac cogitatur, id, nulla excepta re beati ex æquo omnes intelligant; quod perspicuam absurditatem continet. Quamobrem exploratum illud, ac fixum esse debet, neque suas invicem cogitationes mentis, ac voluntates neque nostras, invitis quorum istæ sunt, naturæ suæ vi Angelos perspicere. Tametsi, quæ sit ejus rei causa, non est investigare facile. Plures autem in Scholis afferuntur, quæ quoniam opinatione sola, non Scripturarum, vel antiquorum Patrum auctoritatibus innituntur, eas tanquam alienas instituto nostro, ac Scholarum proprias omittimus.

Non possum tamen, quin illam hoc loco commemorem, quam S. Thomas affert ad illa Pauli verba I *ad Cor* II, quæ sequenti capite rursus expendemus: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ad quæ ista S. Thomas adnotat: « Nec Angelus bonus, nec malus ea, quæ in corde hominis latent, scire potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur: cujus ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit, ea ratione spiritum hominis cognoscere, quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem neque bonus, neque malus illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit, et intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est. Unde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis, secundum illud Jobi XVI, *Ecce in cœlo testis meus, et in excelsis conscius meus.* » De quo illapsu alias inquirendum erit.

CAPUT VIII.

Ecquid Angeli, quæ dicuntur supernaturalia, *cognoscant, idque qua ratione. Anastasii Sinaitæ singularis de eo sententia. Tum, utrum Angeli ab hominibus aliqua didicerint, maxime an dæmones Incarnationem, Christo in terris degente, perspectam habuerint: de quo variant antiquorum sententiæ. Quidam opinati sunt, Deum secundum se ne ab Angelis quidem visum unquam, viderive posse. Utrum per Ecclesiam aliqua didicerint Angeli; quod Veterum aliqui dixerunt; et quatenus verisimile sit, exponitur. Dæmones multa de Christo nescisse.*

I. Alterum genus cognitarum ab Angelis rerum, quod inquisitionem meretur, communi vocabulo *mysteriorum gratiæ* S. Thomas [1] complectitur. Quo illa omnia pertinent, quæ naturæ vi, et captu superiora, præstanrioris cujusdam ordinis sunt, et a nostris *supernaturalia* dicuntur; qualia sunt ea, quæ nulla ratione investigari possunt, sed soli fidei proposita sunt ad credendum. Verum rursus illa duplici genere constant. Quædam enim naturalis ex sese ordinis sunt, sed extraordinario modo producuntur; velut est vita recuperata post mortem, aut visus, oculorum cæcitate detersa, et ejusdemmodi alia miracula, quæ videri ab Angelis jam facta, nemo dubitat, etsi, quemadmodum facta sint, non semper intelligunt. Alia sunt, quæ naturæ conditionem penitus excedunt; cujusmodi est sacrosanctæ Trinitatis arcanum; tum interior animæ decor, quæ gratia dicitur; necnon charitas, ac virtutes infusæ divinitus; itidemque hominis a Deo suscepta natura, quam *Incarnationem* appellant. De quibus sic universe sentiendum est, neque naturæ vi, ac facultate posse Angelos ista cognoscere, sed solo significante Deo; ab eoque non omnia, nec eodem tempore didicisse, verum quædam esse iis occulta, quædam obscurius indicata primo, clarius deinde perspexisse.

Supernaturalia duplici genere constant.

II. Ac de interioribus quidem gratiæ ornamentis, ac virtutibus, eas naturaliter ab Angelis non videri, demonstrat Augustinus; qui post illa verba, quæ paulo ante posui, in quibus cogitationes hominum enuntiari interdum a dæmonibus dixit, statim hæc addit: « qui tamen, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent. Sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam, procul dubio si posset diabolus cernere, nollet a tentato utique superari. » Tum illud quoque persuadet, quod migrantis e corpore statum animæ, præsertim ejus, cujus anceps vita fuit, atque ex virtutibus, vitiisque temperata, neque perspicue dæmones cognoscunt, neque custodes Angeli; sed utrique pendent ex incerto divini judicii exitu, ac pro se quique causam suam agunt, et reum sibi vendicare student. Id enim et multorum Patrum asseveratione liquet, et per non contemnenda visa, atque idoneis probata testibus sæpe Deus ostendit. At hoc minime contingeret, si cœlestis ille decor animæ, infusæque virtutes, aut e contrario peccatorum maculæ, ac turpitudines ab illis manifeste cernerentur. Denique, cum sic occulta possit esse pœnitudo, et contritio, aut etiam delictum, ut sola cogitatione transigantur, cujusmodi ab Angelo citra divinam significationem perspici nequit; evidens est, ne intimam quidem animæ conditionem illius cognitioni patere.

Gratiæ ornamenta necnon animæ status non videntur naturaliter ab angelis.

Ac Diadochus Photices Episcopus capite LXXIX libri *de Perfectione Spirituali*, « Gratia Dei, inquit, in profundo animæ, id est, in ipsa mente habitat. Omnis namque gloria Filiæ regis intus, ut ait Propheta, dæmonibus inaspectabilis. »

III. Idipsum et de Trinitatis, Incarnationisque mysteriis; et abstrusioribus reliquis multo affirmandum magis est; quæ sic naturæ vim, facultatemque superant, ut ad illa conjectura capienda nihil argumenti suppetat. De his igitur tantum intelligendo adepti sunt Angeli, quantum illis demonstravit Deus; qui nec omnia, nec eodem, ut jam dixi, tempore scire ista concessit; quod de iis intelligi volo, non quæ Deo insunt, et cum ejus natura necessario conjuncta sunt; hæc enim statim ac Deum videre cœperunt, Angeli omnes clare contuiti sunt, sed de iis, quæ extra se Deus roducit, ac libere. Ad hoc enim imprimis referendum est illud Apostoli [1], quo et S. Thomas utitur: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quare, quæ ex sola, et libera Dei voluntate pendent, nullus, nisi illo tribuente, cognoscit. Itaque subinde hæc

1 I Par. q. LVII, art. 5. — 2 XII *de Gen. ad lit.* cap. XVII. — 3 I *Cor.* II, 11. — 4 I Par. q. LVII, art. 5.

Apostolus addit. *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis.* Ubi *Spiritum mundi* recte mihi Theodoretus interpretari videtur de *creato spiritu.* Hoc enim Apostolo propositum est, Christianæ fidei mysteria nullam creatarum rerum intelligentiam, etiam Angelorum, potuisse consequi, sed solo Dei revelante spiritu fuisse cognita. Proinde *Spiritum mundi* Dei spiritui opponit ex adverso. Quam in rem faciunt Ambrosii verba in Commentario ad eum locum : « Sensum Dei nemo novit, nisi qui de Deo est spiritus Dei. Inferiora enim non possunt superiorum scire consilium ; neque creatura conditoris sui dignoscere voluntatem. »

Deus per incarnationem ab Angelis conspectus.

IV. Ad hunc locum revocanda est Veterum illa Patrum opinio neque paucorum, et inter illos principum, qui Filium Dei, postquam humanam carnem induit, demum ab Angelis esse conspectum asserunt, cum antea visus non esset, eo quod divinitas ipsa ne ab illis quidem potest videri. De quo non pauca illorum testimonia collegimus, cum de visione Dei actum est in Tomo primo [1]. Et nunc alia his adjungemus duo, triave, quæ ad Angelos magis proprie attinent.

Athanasius in calce libri quinti, et ultimi contra Arianos, de Christo loquens : « Invisibilis, inquit, antea cœlestibus virtutibus, nunc visibilis propter conjunctionem cum visibili homine. Visibilem porro dico, non invisibili divinitate, sed divinitatis efficientia per humanum corpus [a]. »

Chrysostomus item in homilia XI ad priorem epistolam *ad Timotheum*, verba illa enarrans Apostoli, *Deus apparuit in carne*, *justificatus est in Spiritu, visus est Angelis*[2] : ex iis concludit, « Angelos nobiscum videre cœpisse Dei filium, cum antea non viderent [b]. » Huic consonant Græci omnes Interpretes, dum hunc locum enarrant, quorum verba alibi descripsimus[3].

Gelasius quoque Cyzicenus in præfatione librorum *de Actis Nicænis*, ex illo eodem Apostoli testimonio ita concludit : « Neque enim ab Angelis conspici poterat in divinitatis substantia, nisi esset incarnatus [c]. » Et in libro secundo, iisdem Pauli verbis positis, « Non enim ab Angelis, aut Archangelis, ait, aut ullis cœlestibus Virtutibus videri potest Unigenitus [4]. *Quoniam Deum nemo vidit unquam* [d]. »

V. Anastasius præterea Sinaita idipsum copiose disserit in primo *Anagogicarum Contemplationum ad Hexaemeron*[5], cujus verba jam haud pauca retuli in capite illo VI libri VII tomi primi *de Deo*. Hic de cæteris nonnulla subjungemus. Sic ergo ibidem scribit : Neque Angelos ante hominem a Filio susceptum, eum vidisse ; nec nisi post homines eumdem factum hominem vidisse. « Ante Cherubim, et Seraphim, inquit, magi, et publicani, et latrones, et meretrices, et peccatores facie ad faciem Deum viderunt, eoque se oblectarunt, et fruiti sunt : deinde eum sic transmiserunt videndum supernis Virtutibus. » Addit, duplicem esse Verbi generationem, divinam, et humanam ; quarum illa Angelis prorsus ignota, hæc ante hominibus, quam Angelis, ac per illos istis innotuit. Sic enim loquentes introducit Angelos : « Deum autem nosse, et eloqui, neque ulla genita natura, nec ipsa nostra sufficit ; quandoquidem et quæ inferne per carnem facta est, generationem a nobis quidem abscondit Deus, et pater ; hoc enim, quod a sæculo in omnibus absconsum fuerat, mysterium, vobis filiis hominum dedit primis discendum, et per vestram Ecclesiam hoc nos postea agnovimus. Quod si propter ea, quæ dicuntur, extimescis, o auditor, ab hoc metu te liberat Paulus, dicens : *Nunc enim*, inquit, *ascendit*, *ut appareat Principibus, et Potestatibus per Ecclesiam.* Unde etiam ascendens stupore affecit supernas Potestates in cœlis, quæ dubitabant, rogantes eas, quæ simul cum Domino ascendebant, et dicebant, *Quis est iste rex gloriæ*[5] *?* Papæ, quam admirabilia sunt miracula, et dona, quæ Deus donavit humanæ naturæ in ea habitans ! » Declarat id Petri Apostoli sententia dicentis[6] : *Data sunt dona hominibus, in quæ desiderant Angeli prospicere* [7].

a ATHAN. Ἀόρατος τὸ πρὶν καὶ ταῖς ἐν οὐρανῷ δυνάμεσιν ἁγίαις, ὁρατὸς νυνὶ διὰ τὴν πρὸς τὸν ὁρώμενον ἄνθρωπον ἕνωσιν. ὁρώμενος δὲ φημὶ οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, ἀλλὰ τῇ τῆς θεότητος ἐνεργείᾳ διὰ τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος.

b CHRYS. Ὥστε καὶ ἄγγελοι μεθ' ἡμῶν εἶδον τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, πρότερον οὐχ' ὁρῶντες.

c GELAS. Οὔτε γὰρ ἀγγέλοις θεατὸς ὁ μονογενὴς κατὰ τὴν θεότητος οὐσίαν, εἰ μὴ ἐσαρκώθη.

d Idem, lib. II, cap. XXII. Οὐδὲ γὰρ ἀγγέλοις, ἢ ἀρχαγγέλοις, ἤ τισι τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων θεατὸς ὁ μονογενής· ἐπείπερ θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε.

1 Lib. VII, cap. V et VI. — 2 *Timoth.* III, 16. — 3 Tom. I, lib. VII, cap. VI, — 4 *Joan.* I. — 5 Tom. I *Biblioth. Patrum.* — 6 *Ps.* XXV. — 7 I *Pet.* I, 12.

VI. Verum, quod hic Anastasius affirmat, humanam Christi generationem, et hominem ipsum a Deo susceptum, prius homines didicisse quam Angelos, atque ejus notitiam illorum opera, et interventu istos assecutos, alii ex antiquis significant. Sic Auctor *Homiliæ de SS. Petro et Paulo*[1], quæ inter spuria Chrysostomi legitur; ubi certare ait inter se cœlum, atque terram de Apostolorum præconio, « quod cœlestes virtutes honorificis vocibus laborem ab ipsis in docendo susceptum collaudant; utpote quod per illos Incarnationis mysterium patefactum sibi fuerit, ut Apostolus[2] testatur[a]. »

Angeli accuratiorem Incarnationis notitiam per Ecclesiam accepere.

Sed et verus Chrysostomus non uno in loco idem asserit. Quod equidem non sic acceperim, ut is prius homines scisse crediderit Deum hominem fore, quam Angelos, aut jam factum ab illis istos didicisse. Hoc enim falsum esse Scripturæ ipsæ demonstrant, ut paulo post dicam. Sed de accuratiori, ac pleniore notitia mysterii illius, sive fructus, qui ex eo collectus est, puto illos loqui voluisse. Nam ex divini Verbi Incarnatione multa in homines beneficia derivata sunt, et inusitata, ac miranda quædam effecta consecuta; quæ ex rebus ipsis, ac per homines, hoc est sive usu ipso, et experientia, sive prædicantibus Apostolis didicisse demum Angelos, Patres illi arbitrati sunt. Et, ut certa Chrysostomi loca seligam, in quibus ab hominibus Angelos talia scisse confirmat; primus est in oratione IV de *Incomprehenso* adversus Anomœos, ubi ex Apostoli capite illo ad Ephesios tertio probat, non dæmones ipsos, sed cœlestes Spiritus id, quod antea nesciebant, per Ecclesiam intellexisse: « Vide, inquit, quantus honor humanæ naturæ est habitus, ut nobiscum, et per nos cœlestes Virtutes Regis arcana cognoverint[b]. » Cum enim dixisset Paulus, *Principatus et Potestates*, adjecit mox, *in cœlestibus*, ne quis dæmones significari crederet.

Patrum ea de re sententiæ.

VII. Præterea idipsum luculenter docet *Homil. in Joannis Evangelium prima*: « Nihil inquit de Joanne loquens, humanum nobis eloquetur, sed ex abyssis illis spiritualibus, quodcumque dixerit, depromptum; ex illis, inquam, arcanis, quæ ne Angeli quidem, antequam essent facta, cognorunt. Nam ii nobiscum, ac per nos didicerunt, quæcumque novimus. Idque Apostolus[3] alter ostendit his verbis: *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Jam, si Principatus, et Potestates, et Cherubim, ac Seraphim per Ecclesiam ista didicerunt, manifestum est, ipsos quoque vehementius in illam auditionem incubuisse. Nam et hic nobis haud mediocris honor est habitus, quod una nobiscum, quæ nesciebant, Angeli didicerunt. Quod autem et per nos, nos inquam cujusmodi, et quales demum? nondum dico[c]. » Et in *Commentariis ad Epistolam Pauli ad Ephesios*[5], istum ipsum explicans locum, ubi sibi « omnium infimo, dicit Apostolus, datam hanc esse gratiam, uti illuminaret, (id est instrueret, ac doceret) quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculo in Deo, qui omnia creavit; ut innotescat principatibus, et potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; » hæc, inquam, enarrans Chrysostomus, copiose demonstrat, ab Apostolis arcana illa retegentibus illustratos esse Principatus, et Potestates, hoc est supremos Angelorum ordines, et quæ hactenus ignorabant, hos ab illis didicisse. Id autem potissimum fuit gentium ad Christum fidemque conversio; quam nondum scisse Angelos, demonstrat ex Gabrielis verbis ita S. Josephum alloquentis: *Vocabis nomen ejus Jesum*[6]*; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* » tanquam de solius Judaici populi salute cognoverit. Tum vero gentiles ita in communionem fidei, ac salutis asciscendos, ut in idem corpus, eamdemque spem, ac felicitatis statum adop-

a Chrys. Τῶν μὲν ἐπουρανίων δυνάμεων εὐφημουσῶν ἐντίμοις φωναῖς τοῦ πόνου αὐτῶν τὸ διδασκάλιον· ὡς δι' αὐτῶν γνωρισθὲν αὐτοῖς τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον· καθὼς ὁ Παῦλος βοᾷ.

b Chrysost. hom. IV *de Incomp.* Ὅρα ὅση τιμὴ πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἐγένετο φύσιν, ὅτι καὶ μεθ' ἡμῶν, καὶ δι' ἡμῶν αἱ ἄνω δυνάμεις ἔγνωσαν τὰ ἀπόῤῥητα τοῦ βασιλέως.

c Chrys. hom. I *in Joan.* Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώπινον ἡμῖν ἐρεῖ, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀβύσσων τῶν πνευματικῶν ἅπερ ἂν εἴπῃ, ἀπὸ τῶν ἀποῤῥήτων ἐκείνων, ἃ μηδὲ ἄγγελοι πρὶν ἢ γενέσθαι ᾔδεσαν. μεθ' ἡμῶν γὰρ δὴ καὶ οὗτοι, καὶ δι' ἡμῶν ἔμαθον ἅπερ ἔγνωμεν· καὶ τοῦτο ἐδήλωσεν Ἀπόστολος ἕτερος εἰπών· ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς, καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ· εἰ τοίνυν καὶ ἀρχαὶ, καὶ ἐξουσίαι, καὶ τὰ Χερουβὶμ, καὶ τὰ Σεραφὶμ διὰ τῆς ἐκκλησίας ἔμαθον ταῦτα, εὔδηλον ὅτι καὶ αὐταὶ μετὰ πολλῆς σφοδρότητος περὶ ταύτην ἐσπούδασαν τὴν ἀκρόασιν. καὶ γὰρ καὶ τούτῳ τετιμήμηθα οὐ μικρῶς τῷ μεθ' ἡμῶν τοὺς ἀγγέλους μαθεῖν ἅπερ ἠγνόουν. τὸ δὲ καὶ δι' ἡμῶν τίνων ἢ τοίων ὄντων ἡμῶν, οὔπω τέως φημί.

1 Tom. V Oper. Chrys. — 2 *Eph.* III, 10. — 3 *Eph.* III, 10. — 4 Hom. VII. — 5 *Eph.* III, 8. — 6 *Matth.* I, 21.

tarentur, atque in ipso Dei throno pariter assiderent; id vero Angelos latuisse dicit, idque occultum esse Sacramentum. Sane Hieronymus in Commentariis ad illum locum existimat, Angelos ista nescisse, ac per Ecclesiam intellexisse.

VIII. Atque hoc ipsum Theophylactus eodem modo interpretatur, necnon Œcumenius, quatenus arcanum illud mysterium de salute intelligunt, et singulari gloria gentilium. Verum, quod doctoribus usos Apostolis, atque ipsorum ex ore didicisse istud Angelos Chrysostomus putat, aliter intellexisse, videntur. Non enim ab magistra Ecclesia, sed ex Ecclesia, hoc ex iis, quæ in Ecclesia contigisse usu ipso cernebant, hoc mysterium agnoverunt, « ex dispensatione illa, quæ circa Ecclesiam, et humanum genus est facta[a]. » Quod ante istos Theodoretus docuit in Commentariis ad epistolam Pauli *ad Ephesios*. Qui et alio loco verba hæc enarrans[1], *Attollite portas, principes, vestras*, scribit Angelos de Incarnatione Christi id, quod nondum sciebant, interrogasse; ac testem ejus citat Apostolum in illa ad Ephesios epistola, et ita demum concludit: « Si autem per ea, quæ in Ecclesia gesta sunt, divinam sapientiam accuratius didicerunt, absurdi nihil est, cœlestes potentias ignorare, humanam naturam videntes, et divinitatem in ipsa latentem minime intuentes. » Ita Theodoretus tamdiu Verbum hominem factum ignorasse censet Angelos, quippe ad id temporis, quo Christus ascendit in cœlum, Angelorum ista de Psalmo colloquia retulit, eosdemque negavit divinitatem in carne latentem vidisse; quod nimirum in eadem causa sit, atque Anastasius, Græcique nonnulli Patres, qui divinam essentiam ab nulla creata re cerni possi sentiunt, ut alio loco declaravimus[3].

IX. Ac quod ad Nyssenum attinet, is de hoc argumento, deque loco illo epistolæ ad Ephesios copiosam orationem explicat in octava *Homilia ad Canticum Canticorum*. Ait autem, « revera, *quod dicit Apostolus*, per Ecclesiam innotuisse superioribus illis mundo potestatibus variam, et multiplicem Dei sapientiam[b], (hoc est non solum ποικίλην, sed πολυποίκιλον, ut expendunt Chrysostomus, et Œcumenius, et Hieronymus) quæ magna et admirabilia quædam opera contrariis ex rebus conserta, contextaque protulit. Etenim hactenus simplicem, et uniusmodi potestatem Dei, et efficientiam intelligebant Angeli, qui una et simplici Dei voluntate, ac solo verbo omnem illam conditarum rerum varietatem exstitisse viderant. Varium autem illud, et multiplex genus sapientiæ, quod ex contrariis rebus invicem nexis, aptisque constat, per Ecclesiam manifeste cognoverunt, quemadmodum Verbum caro factum est, utque vita cum morte miscetur, quomodo livore suo nostra vulnera persanat, quomodo crucis infirmitate vires hostis evertit, quemadmodum id, quod aspectabile non est, in carne manifestatur, utque captivos redimit idem ille, qui et emptor est, et pretium, tum quemadmodum mortem sic obiit, ut a vita non redeceret[c], » et hujs generis infinita. Addit et audacius quiddam, ut veniam præfatus ipse fatetur, « fortassis Angelos per sponsam sponsi pulchritudinem contuentes obstupefactos esse; quam quidem pulchritudinem nulla omnino res videre, et comprehendere potest. Quem enim nemo vidit unquam, ut dicit Joannes, nec potest videre quispiam, ut Paulus testatur, ille corpus suum fecit Ecclesiam, et per eorum, qui salvantur, accessionem, in caritate illam ædificat, donec occurramus omnes in virum perfectum[d]. » In hac igitur Ecclesia, velut

a Œcum. Διὰ τῆς εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὸ ἀνθρώπινον γένος οἰκονομία.

b Greg. Nyssen. hom. ix in *Cant.* Τῷ ὄντι γὰρ διὰ τῆς ἐκκλησίας γνωρίζεται ταῖς ὑπερκοσμίαις δυνάμεσιν ἡ ποικίλη τοῦ θεοῦ σοφία, ἡ διὰ τῶν ἐναντίων θαυματουργήσασα τὰ μεγάλα θαυμάσια, etc.

c Ibid. Μόνην γὰρ ἐν τοῖς πρὸ τούτου χρόνοις τὴν ἁπλῆν τε, καὶ μονοειδῆ τοῦ Θεοῦ σοφίαν αἱ ὑπερκόσμιοι δυνάμεις ἐγίνωσκον, καταλλήλως ἐνεργοῦσαν τῇ φύσει τὰ θαύματα, καὶ ποικίλον ἦν ἐν τοῖς ὁρωμένοις οὐδὲν ἐν τῷ δύναμιν ἔχουσαν τὴν θείαν φύσιν πᾶσαν τὴν κτίσιν κατ' ἐξουσίαν ἐργάζεσθαι, ἐν μόνῃ τῇ ὁρμῇ τοῦ θελήματος τὴν τῶν ὄντων φύσιν εἰς γένεσιν ἄγουσαν, καὶ ποιεῖν τὰ πάντα καλὰ λίαν, τὰ ἀπὸ τῆς τοῦ καλοῦ πηγῆς ἀναβρύοντα. τὸ δὲ ποικίλον τοῦτο τῆς σοφίας εἶδος, τὸ ἐκ τῆς πρὸς τὰ ἐναντία διαπλοκῆς συνιστάμενον νῦν διὰ τῆς ἐκκλησίας σαφῶς ἐδείχθησαν, πῶς ὁ λόγος σάρξ γίνεται· πῶς ἡ ζωὴ θανάτῳ μίγνυται· πῶς τῷ ἰδίῳ μώλωπι τὴν ἰδίαν ἐξιᾶται πληγὴν· πῶς τῇ ἀσθενείᾳ τοῦ σταυροῦ καταπαλαίει τοῦ ἀντικειμένου τὴν δύναμιν. πῶς τὸ ἀόρατον ἐν σαρκὶ φανεροῦται· πῶς ἐξωνεῖται τοὺς αἰχμαλώτους αὐτός τε ὢν ὁ ὠνούμενος, καὶ αὐτὸς χρῆμα γενόμενος, etc. Πῶς καὶ ἐν τῷ θανάτῳ γίνεται, καὶ τῆς ζωῆς οὐκ ἐξίσταται.

d Ibid. Εἰ δὲ μὴ τολμηρότερόν ἐστιν εἰπεῖν, τάχα κἀκεῖνοι διὰ τῆς νύμφης τὸ τοῦ νυμφίου κάλλος ἰδόντες ἐθαύμασαν, τὸ πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀόρατόν τε, καὶ ἀκατάληπτον. ὃν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, καθώς φησιν Ἰωάννης, οὐδὲ ἰδεῖν τις δύναται, καθὼς ὁ Παῦλος μαρ-

1 In *Ps.* xxiii. — 2 Tom. I, lib. VII, cap. vi.

sponsi corpore, Angelos ait Nyssenus eum, quem intueri hactenus non poterant, contemplatos esse; quemadmodum qui Solis orbem, in quem dirigere oculos nequent, in aqua respiciunt. Vide Rupertum libro primo *de Victoria Verbi Dei*, capite XXIX.

Ambrosii commentarius in primum caput epistolæ ad Romanos quiddam habet, quod suspicionem afferat, Filium Dei, antequam carnem sumeret, ab Angelis non esse visum. Scribit enim sic: « Qui enim ex æterno Dei Filius erat, ignorabatur a creatura. Dum vult autem manifestari pro humana salute, visibilis debuit, et corporeus fieri. » Verum *creaturæ* nomen pro homine proprie solet accipi, ut illud Marci ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* » Sic Hebræi nomen בריה usurpare solent. Quare potest ibi de sola humana natura dictum intelligi.

X. Duplex ergo loci hujus interpretatio esse potest, ac de Angelorum cognitione sententia duplex. Altera, sic per Ecclesiam ignota illa didicisse ipsos, ut ex Apostolorum, et Ecclesiæ prædicatione, quæ nondum cognorant, primitus intelligerent; quod aperte sentit Chrysostomus. Sed et Anselmus in *Commentariis ad Epistolam Pauli* ubi « per Ecclesiam profecisse in cognitione hujus sapientiæ etiam angelicos spiritus asserit: quia, dum eam Christus vel per se, vel per Apostolos institueret, plurima secreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant. » Imo et Commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in epistolam eamdem, et Glossa. Altera est, non ab Ecclesia, tanquam magistra, ac docente didicisse aliquid Angelos, sed ex ejus conspectu, et eorum omnium, quæ in illam Deus contulerat, plurima usu experientiaque percepisse. Atque hoc uno verbo S. Thomas complexus est[1], dicens, Angelos non ab eis ista didicisse, sed in eis. Qui quidem, cum ambas illas opiniones recensuisset, posteriorem anteponit alteri: « Non est, inquit, conveniens, nec ratio aliqua, ut dicamus Sanctos, qui sunt in patria, doceri a quantumcumque perfectis viatoribus. Nam, licet inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, tamen qui minor est in regno cœlorum, major est illo, ut dicitur Lucæ septimo. Dicere autem, quod dæmones doceantur ab hominibus, hoc absque præjudicio credibile est; sed quod beati, qui immediate Verbum conspiciunt, quod est speculum sine macula, in quo relucent omnia, a viatoribus doceantur, dici non debet, nec conveniens videtur. Dicendum est ergo, quod innotuit Angelis per Ecclesiam, primo per Apostolos prædicantes; non quod Angeli hoc didicerint ab eis, sed per eos. » Hoc vero apposito deinceps exemplo declarat. Ut enim domum, vel exemplar potius domus, quod in mente est artificis, nullus hominum videt; ea vero ubi condita est, quilibet id, quod ante in artificis animo latebat, edocetur, non per domum, sed in domo; sic nonnullæ sunt « rationes mysteriorum gratiæ creaturæ captum excedentes, quæ non sunt inditæ mentibus Angelorum, sed in solo Deo sunt occultæ. Et ideo Angeli non cognoscunt eas in seipsis, nec etiam in Deo, sed cognoscunt eas, secundum quod in effectibus explicantur. »

ensu
clesia
uid
erunt
eli.

XI. Hanc ego posteriorem sententiam multo verisimiliorem judico; neque puto, vel ex Apostolorum sermone didicisse Angelos, quæ hactenus ignorarent, vel tamdiu Christum Deum, hominemque nescisse, ut eo demum tempore, quo in cœlum ascendit, noscere ipsum cœperint; quod præter Theodoretum, et Anastasium, antiquiores alii putarunt, iis Angelorum percontationibus innixi, quæ in *Psalmo* XXIII et *Isaiæ* LXIII contineri creduntur. Illic enim ascendentem Christum obstupescentes Angeli sic invicem loqui feruntur: *Quis est iste rex gloriæ?* etc. hic autem: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* » idque ex dubitatione et inscitia, tanquam, quis esset, hucusque nescirent. « Nam, quia Justinus ait cœlestes principes videbant, ipsum deformem habere, et inhonoram, ac contemptam speciem, non agnoscentes eum, interrogabant[a]. » Ambrosius quoque[2]. « Dubitaverunt etiam Angeli, cum resurgeret Christus; dubitaverunt potestates cœlorum, videntes quod caro in cœlum ascenderet. Denique dicebant: Quis est iste rex gloriæ? Et cum alii dicerent: Tollite portas principis vestri, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ; alii dubitabant, dicentes, Quis est iste rex gloriæ? In Esaia quoque habes, dubitantes virtutes cœlorum dixisse, » etc. Et alio loco[3],

τυρεῖται, οὗτος σῶμα ἑαυτοῦ τὴν ἐκκλησίαν ἐποίησε, καὶ διὰ τῆς προσθήκης τῶν σωζομένων οἰκοδομεῖ αὐτὴν ἐν ἀγάπῃ, μέχρις ἂν καταντήσωμεν εἰς ἄνδρα τέλειον, etc.

a Justin. dial. cum *Tryph.* Ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἐν οὐρανῷ ἄρχοντες ἑώρων ἀειδῆ, καὶ ἄτιμον τὸ εἶδος, καὶ ἄδοξον ἔχοντα αὐτὸν, οὐ γνωρίζοντες αὐτὸν ἐπυνθάνοντο.

1 In com. cap. III *ad Eph.* — 2 IV *de Init.* cap. VII. — 3 IV *de Fide*, cap. I.

« *hæsisse* tunc ait cœlestia opinionis incerto » Quin et Hieronymus *ad Isaiæ* LXIII « interrogasse dicit Angelos rei novitate perterritos. Mysterium enim passionis, et resurrectionis Christi, secundum Apostolum Paulum, cunctis retro generationibus fuerat ignoratum. »

Quibus et Julius Firmicus subscribit in libro *de Erroribus profanarum religionum* capite XXV. Maximus vero in *Scholiis* ad caput IV Dionysii de *Cœlesti Hierarchia*, quosdam putat cœlestis illius arcani conscios fuisse; alios nescisse, qui, et ascendente Christo, de eo percontati sunt.

Angeli ante Ecclesiæ ortum incarnationem cognoverunt.

XII. Verum minime, ut dixi jam, assentior, nondum ante id temporis Angelos ista cognovisse; illa vero, quæ dubitandi, ac percontandi specie ex illorum persona dicuntur, figurate in sacris litteris usurpari arbitror, ut beatarum mentium admiratio, eo, quo ista capi a nobis possunt, modo declaretur. Cæterum longe antea Verbum hominem fore, Angelos scisse, quam reipsa fieret, et sub ipsum saltem incarnationis tempus minime hoc illos latuisse, Paulus indicat ad Hebræos scribens [1], *Et quum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit* : *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Eo itaque momento, quo in terram, id est in carnis consortium inductus est Filius, hunc Pater Angelis suis proposuit adorandum. Deinde non solum Gabriel nasciturum illum Dei, ac Virginis filium nuntiat, sed etiam cæteri. Quod et Cyrillus docet in libro[2] ad Theodosium *de fide recta.* Et de Gabriele sentit Dionysius cap III de *Cœlesti Hierarchia.* Natum eumdem postea frequentia, et festis acclamationibus celebrant apud Lucam, ac Pastoribus ortum illius indicant: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David* [3]. Denique multo ante, quam carnem assumeret, Angelis cognitum esse, persuadet ista ratio, quod, cum Prophetæ Christum Deum, hominemque venturum esse prædixerint, velut Isaias, non sit credibile, hoc Angelos latuisse, qui cœlestium vaticinationum administri fere, atque interpretes erant. Nam Prophetæ, quæ futura pandebant, neutiquam ignorabant. Quippe verum inter, et falsum Prophetam hoc ipsum interesse Patres judicant, quod verus nihil, nisi sciens, intelligensque prædicit; falsus ea garrit, quæ mente non assequitur; ut Epiphanius [4], Augustinus [5], Chrysostomus [6], aliique docent [7]. Ergo et Angelis eadem illa prius ostensa sunt, quæ Prophetis impertiebant.

Verumtamen quædam a beatis illis mentibus ignorari, sacræ litteræ testantur. Nam et *Danielis* X futuri perinde ac divinæ voluntatis incerti altercantur invicem, et apud Zachariam [8] videtur Angelus exitum prædictionis Hieremiæ super annis septuaginta, et liberationis populi nescisse. Quinetiam extremi diem judicii ignotum iis Christus affirmat [9].

Dæmones plura de Christo nescisse.

XIII. Ac de dæmonibus multo id exploratius est, quod et rationi magis est consentaneum, quamplurima eos esse celatos, etiam illa, quæ suapte vi alioqui percipere potuissent. Sic apud Hieronymum B. Ignatius Martyr [10], Christum ideo de conjugata Virgine nasci voluisse dixit, « ut partus ejus celaretur diabolo. » Idemque Leo Papa scripsit in *Sermone secundo de Natali Domini:* « Hoc ipsum, ait, dilectissimi, quod Christus nasci elegit ex virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis; ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spiritali latente conceptu, quem non alium videret quam alios, non aliter crederet natum esse, quam cæteros ? » Quod si verum est, divinitus eos impeditos esse oportet, ne ad illius notitiam pervenirent, quod facile per sese animadvertere potuissent. Igitur Christum initio non agnovere dæmones, neque antequam post baptismum tentationemque prodiret in publicum, ac quis esset, dictis, factisque monstraret. Quin et Ambrosius auctor est [11], ipsum non sivisse loqui discipulos, quia erat Christus « ut mundi principem falleret; » quod et Cyrillus habet libro nono in Joannem [12].

Est ea de re, ut quidam interpretantur, disertum Pauli testimonium in priore ad Corinthios [13], cum de Dei sapientia ita scribit : *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* » Principes enim sæculi dæmones intelligunt aliqui; quod SS. Anselmus, et Thomas in *commentariis* probant; et Auctor *Quæstionum ex Novo Testamento* [14], qui dæmones agnovisse quidem asserit, « ipsum esse, qui per legem fuerat promissus; mysterium autem divinitatis ejus ignorasse. » Nam, cum alias divinæ in eo potestatis indicia, alias humanæ imbecillitatis

1 Cap. I.— 2 Tom. V, par. II.— 3 I *Luc.* II, 1.— 4 Hær. XLVIII, n. 3 et 4.— 5 XII *de Gen. ad lit.* c. IX et *con. Adim.* c. XXVIII.— 6 In Ps. XLIV.— 7 S. Thom. II, II qu. CLXXIII, art. 2.— 8 Cap. I, 12.— 9 *Mar.* XIII, 32.— 10 In *Matth.* — 11 In cap. IV *Luc.*— 12 Cyr. lib. IX *in Joan.* — 13 Cap. II. — 14 Tom. IV Oper. Aug. qu. LXVI.

argumenta cernerent, incerti, atque ancipites hærebant.

XIV. Declarat hoc S. Augustinus in IX *de Civitate Dei*, capite XXI ubi de Angelorum, ac dæmonum scientia, ejusque discrimine loquens: « Tantum, inquit, eis innotuit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis sanctis, qui ejus, secundum id, quod Dei verbum est participata æternitate perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, nimirum per quædam temporalia suæ virtutis effecta, et occultissimæ signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius, quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique, quando ea paululum supprimenda judicavit, et aliquanto altius latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, eumque tentavit, an Christus esset, » etc. Tum, ut idem narrat, deinceps magis ac magis addubitavit, ac demum eum esse Christum ex ejus professione, et miraculis certius comperit. Sed non statim vel ipsum Deum esse verum intellexit, vel quemadmodum humanum genus ab sua tyrannide vindicaturus esset, et in libertatem asserturus.

Quæ ambo S. Leo testatur his verbis: « Qui[1], ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis, et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. » Quibus et Anselmus assentitur in *commentariis* ad I. Epist. ad Corinthios. Gregorius vero Papa in *secundo Moralium*, capite XI malignum spiritum, cum Christum sic alloquereatur, « Scimus[3], quod sis sanctus Dei, » purum nihilominus credidisse hominem putat: « Hæc dicens inquit, cognoscendo Dei filium pertimescit; sed tamen vim supernæ pietatis ignorans, dum passibilem considerat, hominem purum putat. » Vide Maximum Taurinensem, *Homilia* I *de Epiphania*, et *Homilia* III et IV de *Quadragesima*.

XV. Fuit et illa priscorum quorumdam opinio, Satanam ante adventum Domini neque scisse, se in perpetuum esse damnandum, et spem nonnullam habuisse obtinendæ per illum salutis, atque idcirco nondum immanitati suæ, et in Deum protervïæ frena laxasse; postquam autem venisse jam illum animadvertit, ac desperatas esse res suas certo cognovit, tum vero in omne sceleris, ac blasphemiæ genus erupisse. Laudat hoc Justini dictum ex primo, ut videtur, contra Marcionem Irenæus[4], et utriusque meminit Eusebius[5]. « Bene, inquit Irenæus, Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum, nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens suam damnationem; quoniam et in parabolis, et allegoriis, et Prophetis de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini, ex sermonibus Christi, et Apostolorum ejus discens manifeste, quoniam ignis æternus ei preparatus est ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus, qui sine pœnitentia perseverant in apostasia, per hujusmodi homines blasphemat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, et peccatum suæ apostasiæ conditori suo imputat, et non suæ voluntati, et sententiæ[a]. » Atque hoc luculenter explicat Epiphanius *Hæresi* XXX quæ est Sethianorum[6]; et Tertullianus, sive quis alius auctor est carminis contra Marcionem[7]. Mihi vero, qui sic opinati sunt, existimasse videntur, Diabolum nondum damnationis suæ accepisse sententiam, neque sempiternis ignium cruciatibus addictum, sed in extremo judicio id eum esse passurum; de quo alio loco dicetur. Illam porro Justini, et Irenæi sententiam secutus est, ac late declarat Isidorus Pelusiota libro secundo, *epist.* XC et Œcumenius in caput ultimum prioris Petri *Canonicæ*.

a IREN. apud Euseb. Καὶ καλῶς ὁ Ἰουστῖνος ἔφη, ὅτι πρὸ μὲν τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας, οὐδέποτε ἐτόλμησεν ὁ Σατανᾶς βλασφημῆσαι τὸν θεὸν, ἅτε μηδέπω εἰδὼς αὐτοῦ τὴν κατάκρισιν.

1 Serm. XI *de Pass.* — 2 Cap. II. — 3 *Luc.* IV. — 4 V Cont. Hær. cap. XXVI. — 5 Lib. IV hist. XVIII. — 6 Num. VIII. — 7 Lib. I, cap. III.

CAPUT IX.

Angeli, præsertim dæmones, futura cognoscant, necne. Num e cœlo, ac sideribus prævideri ista possint. Ostenditur, neque in voluntate sita, aut fortuita ullo modo, neque naturalia effecta certo prævideri ex illis posse. Expenditur eorum opinio, qui futura in cœlo, velut in libro divinitus esse descripta sentiunt.

Communis hoc semper mortalium omnium consensus habuit, versari quamdam in rebus futurorum præsensionem, eamque divinitatis esse propriam; unde apud Latinos ea res divinationis nomen invenit. Atque hoc non minus profanarum, quam sacrarum litterarum testimonia nos docent; quarum illæ innumeris vatum, ac dæmonum responsis, hæ Dei, ac prophetarum oraculis sunt refertæ. Eam porro veri esse discernendi numinis notam, iisdem ex sacris monimentis intelligitur; e quibus in promptu pene apud omnes ista sunt. Apud Isaiam Dominus æmulos divinitatis suæ ad hanc conditionem provocat[1]: *Accedant, et nuntiunt nobis, quæcumque ventura sunt; priora, quæ fuerunt nuntiate, et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum; et quæ ventura sunt, indicate nobis. Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos.* Et alio loco: *Ego primus*[2], *et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet, et annuntiet et ordinem exponat mihi; ex quo constitui populum antiquum, ventura, et quæ futura sunt annuntient eis.* Sic in XIX capite: *Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.* Nam *sapientes* appellat magos, ac divinos, velut *Exodi* VII qui utique dæmonum instinctu futura præsagire solebant.

Divinitatis nota futura præscire.

II. Atque hic Isaiæ locus firmissimum nobis præbet argumentum, quo futurarum rerum cognitio soli Deo vindicatur. Etenim, cum futura, de quibus hic potissimum agitur, quæ quidem minime necessariis ex causis oriuntur, sola e Dei voluntate, cogitationeque pendeant; ab nullo, præterquam a Deo, sciri possunt. Nam, si Angelorum, hominumque sensus intimos, ac liberos nulla creata res explorare potest, uti supra demonstravimus; multo minus, quæ in divina mente recondita sunt, investigare poterit. Sic enim Paulus ad Corinthios scribens argumentatur his verbis[5]: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Hinc veri Prophetæ discrimen a falso Scripturæ divinæ in eo statuunt, quod, quæ ille prædixit, reipsa, certoque accidant; alterius autem prædicta eventu plerumque careant, ut *Deuteronomii* XVIII 22. *Jeremiæ* XXVIII. At hæc differentia nulla prorsus esset, si dæmones, quorum administri sunt, et interpretes falsi prophetæ, per sese futura sentirent. Atenim iidem illi nefarii spiritus, et, qui instinctu eorum aguntur, vates ac divini futuris de rebus haud dubia responsa hactenus ediderunt; quod non solum ex antiquorum oraculorum historia, sed e sacris etiam libris comperimus; ut ex Pithonum[6], ac Pithonissarum vaticiniis apparet, quæ in illis memorantur. Accedunt prædictionum ejusmodi innumerabilia prorsus exempla, quæ quotidianus usus, communis hominum fama celebrat, futurorum, ac plane liberorum eventuum, certe nullas habentium necessarias causas; de quibus genethliaci aut arioli, atque id genus homines certo pronuntiarunt, quos dæmonum opera, non Dei afflatu scisse ista, ac prædixisse, constat.

Futurorum cognitio solius Dei propria.

III. Sunt autem ad hanc tractandam quæstionem e dæmonibus præsertim argumenta capienda, quod, si qua boni Angeli futura prius sentiunt, ac nuntiant, ea divinitus intellexisse videri possunt; nos autem, quid suapte vi, ac naturæ conditione possint, inquirimus. Hoc autem imprimis convenit, nihil tanto studio procurasse nefarios spiritus quam ut illius scientiæ famam, et auctoritatem apud mortales quærerent, quo divinitatis sibi fidem compararent. Est enim, ut ait Tertullianus[7], « idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis. »

Et Hilarius in libro IX « Proprium Deo quid aliud est, quam cognitio futurorum? » Cyrillus quoque libro IV in Joannem, « Nulli, inquit, alii quam uni, ac soli naturali Deo futura nosse convenit[a]. »

Quamobrem qua ratione dæmones, quia

a CYRIL. Πρέπει γὰρ τῶν ὄντων οὐδενὶ τὸ γινώσκειν τὰ μέλλοντα, πλὴν ἑνὶ τῷ μόνῳ κατὰ φύσιν Θεῷ.

1 *Isa.* IV, 22.— 2 Cap. XLIV, 6.— 3 Vers. 12.— 4 Cap. II.— 5 Ep. I, c. II, 11.— 6 I Reg. 28, Act. XVI.— 7 *Apol.* cap. XX.

« futura nesciunt, ut Anselmus ait, nisi quantum ex transactis colligunt, vel quantum Deus sinit eos scire, » ad illam cognitionem perveniant, ac quibus humano generi artibus illudant, ex antiquorum placitis exponam. Sed ante futurorum distinguenda sunt genera. Nam sunt aliqua, quæ necessariis, et eodem semper modo habentibus causis continentur, ut cœlestium orbium conversiones, Solis, ac Lunæ defectiones, et alia, quæ non solum naturali necessitate, sed etiam rata, et constanti lege nectuntur. Alia naturales quidem causas habent, sed eas multas, ac varias, quæ nec aptæ sunt, ac cohærenres invicem, et earum est fortuita concursio; ex quo illa vel rarius, vel non eodem modo semper existunt, cujusmodi sunt cometæ, terræmotus, pluviæ, siccitates, tempestates, ac venti, item morbi, et elementorum, ac corporum affectiones, tum quæ casu, ac fortuna evenire dicuntur, quæ quidem talia sunt, ut ad hominis libertatem nulla sui parte referantur. Tertii generis sunt, quæ tota ex libera voluntate pendent, vel hujus impulsu geruntur extrinsecus.

Quatuor futurorum genera.

Quarto mista sunt quædam ex libero, ac necessario, quorum efficiens est voluntatis arbitrium, sed cum eo externa quoque concurrunt; velut aeris et corporum qualitates, quæque extrinsecus adjacent, magnamque vim habent ad commutandos, et quodammodo afficiendos hominum animos. Sic bella, seditiones, privati cujusque mores, et publici, ac reliqua hujus generis, quorum origo magna quidem ex parte ad voluntates refertur hominum, sed multum tamen ad ea conferunt habitus corporum, et locorum, ac cœli temperies, et ejusdemmodi alia, quæ in animos ab corporibus redundare solent.

Quænam futurorum in Angelis cognitio.

IV. Hoc velut jacto fundamento, deinceps, quod propositum est, explicabimus. Atque illud imprimis affirmandum est, nullum ex iis generibus quatuor absolute, ac certo sciri ab quoquam Angelorum posse, futurumque prædici. Nam, etsi quædam iis ex causis oriuntur, quæ invicem, hoc est cum creatis rebus aliis comparatæ, necessariæ dicuntur; tamen ita subjectæ sunt omnes potestati conditoris et arbitrio, ut eas, quibus visum est modis, gubernare, immutareque possit. *Omnia enim* [2], *quæcumqme voluit Dominus fecit in cælo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis.* Ideo neque defectiones siderum, neque ratas alioquin, ac sempiterna legs fixas naturæ vicissitudines ita certo fore præsentiunt, ut non secus evenire possint. Nam et solem medio in cursu sistere [3], jussit Josue, et ad Isaiæ Prophetæ, atque Ezechiæ nutum retro idem est actus, et similiter aliis alia temporibus accidisse leguntur, et potuerunt quidem, ac perpetuo possunt; ex quo non plane certus, sed nonnihil dubius redditur futurorum exitus, etiam illorum, quæ necessaria vocantur, quia nihil, præter Deum, absolutam exsistendi necessitatem habet. Verum eatenus ab Angelis certo ista noscuntur, si usitatum, et ordinarium cursum res teneant, ac nisi major aliqua vis, et potestas communem interpellet statum; atque hoc de primo genere dicendum est e positis quatuor. Minus ea liquido cognita sunt, quæ secundo loco recensuimus; quorum naturales quidem, et necessariæ causæ sunt, sed diversæ, nec invicem connexæ, at fortuito concurrentes. Quare, quæ indidem exsistunt, probabili tantum ratione futura colliguntur a dæmonibus; in quo sæpe illos conjectura fallit. Etenim tempestates, pluviæ, siccitates, aliaque publice, vel privatim impendentia mala non raro prohibentur hominum precibus, meritisque Sanctorum, aut contra præter ordinem repente conflantur, ut cum eadem illa castigandis populis a Prophetis immissa sunt. Itaque Augustinus in *lib. de Divinatione dæmonum*, capite IV. « Falluntur, inquit, quia, cum suas dispositiones prænuntiant, ex improviso desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet; velut si aliquid disponant quilibet homines quibuslibet potestatibus subditi, quod non prohibituros suos præpositos, arbitrantur, idque facturos se esse, pronuntiant; at illi, penes quos major potestas est, ex alio superiore consilio, hoc totum dispositum, atque præparatum repente prohibeant. » Vide cætera. Tertium genus prorsus ignotum illis est, ut et cogitationes liberæ, ex quibus solis futura illa proficiscuntur. Sed neque quartum certo præsentiunt; quamvis aliqua, sed minori, quam ea, quæ secundi sunt, probabilitate divinare possint.

V. Nunc quibus modis futurorum eventuum, minimeque necessariorum veras nonnunquam præsagitiones explicent dæmones, quibusve fallaciis irretitas hominum mentes habeant, enarrare pergam. Quo in genere nihil prius occurere, vel ad istam hauriendam

1 Ansel. in Elucid. — 2 *Psal.* CXXXIV. 6. — 3 *Josue* XXX, 12.

notitiam haberi aptius solet, quam siderum contemplatio, cœlestiumque corporum; ex quibus capi futurarum rerum præsensio creditur. Ac Porphyrius quidem in eo Opere[1], quod inscripsit περὶ τῆς ἐκ τῶν λογίων φιλοσοφίας, hoc est *de philosophia, quæ ex oraculis colligitur*, auctor est, omnia, quæ dii per oracula, et responsa, præcinebant, ex astrorum motibus intellexisse. Quod hoc loco sane paucis expendendum est. Etenim plerique persuasissimum id habent, multa e stellis, ac cœlestium orbium agitatione futura conjici, ac prædictionum ejusmodi minime falsarum, sed sane verissimarum, innumera, planeque stupenda passim exempla referuntur, ex quibus constet, fortuitos casus, et eventus, et eos præsertim, quorum effectio ab libera hominum voluntate pendet, ab astrologis, et Chaldæis certissime pronuntiari, cujusmodi sunt mores in utramque partem nascentium hominum, et indoles, instituta vitæ, calamitates, aut prosperitates, subiti et improvisi casus, vulnera, mortes denique per vim aliorum, ac scelus illatæ, tum ejus generis alia, quorum vel ex toto, vel ex parte majore saltem liberæ sunt causæ non naturales, ac necessariæ; quorum etiam divinandorum præcepta traduntur, et ars quædam, disciplinaque confecta est, quam qui profitentur, mathematici, vel astrologi, ac genethliaci nominari solent.

Divinatio e siderum contemplatione ab ipsis ethnicis explosa.

VI. Sed hujus vanitatem artis jam olim convictam habemus a Græcis, Latinisque Scriptoribus non solum christianis, sed etiam ethnicis; a quibus libri exstant adversus astrologos editi, accurati illi quidem, et eruditi; inter quos facile primas obtinet Joannis Pici Mirandulani Comitis opus eximium duodecim in libros partitum, cujus vestigia breviore commentario assectatus est ex eadem familia Picus alter fratris illius filius, libro V, *de Prænotionibus*. Nam recentiores alios omitto; quoniam quidquid illi de eo argumento scripserunt, ex Pici fere commentariis hauserunt. Ex antiquis autem memorandus ante alios venit Sextus Empiricus auctor gentilis, in Opere, quo disciplinas omnes, atque artes oppugnare instituit; idque contra Mathematicos inscripsit, non solos utique astrologos, quos eo præcipue vocabulo censeri, paulo ante monui, sed omnes omnino τῶν μαθημάτων, hoc est *doctrinarum* professores; cujus Operis in quinto libro astrologos, genethliacosque perstrinxit, et eorum ludibria funditus evertit; quod idem perbrevi, sed acuta oratione Phavorinus apud Gellium facit initio libri XIV; et ante hos pari elegentia, ac subtilitate Cicero in secundo *de Divinat.* Legendus etiam Plotinus *Enneadis secundæ* libro tertio. E Christianis autem Origenes, et Bardesanes eosdem scriptis suis refutarunt; hic peculiari libro, in quo contra Fatum disseruit; ille in *commentariis ad Genesim*, quorum fragmenta in sexto libro de *Evangelica præparatione* leguntur apud Eusebium, et in libro VI *contra Celsum*, Gregorius item Nyssenus singularem contra Fatum edidit librum.

VII. Atque ii quidem, et alii, quos enumerare longum est, facile contra istos, quos scriptis suis exagitabant, causam obtinebant suam, homines earum rerum, quarum scientiam venditabant, prorsus ignaros, plusque temeritatis, ac superstitionis ad divinandum, quam certæ, consultæque rationis afferre solitos. Nostra paulo est difficilior inquisitio, qui non de hominibus, sed de Angelis, ac dæmonibus disputamus, in quibus et vis inest acrior intelligendi, et eorum omnium, quæ natura constant, perfecta cognitio, ut et illorum principia, causasque videant, et eorum progressus, effectaque non ignorent; ex quo nimirum præsentibus, aut præteritis rebus annectunt futuras, et quid ex quoque naturaliter consequens sit, longe prospiciunt. Quamobrem pleraque illorum argumentorum, quibus divinandi ex astris peritiam impugnant ii, quos modo retuli, nihil ad nostrum institutum faciunt, ut cum ita concludunt, quoniam omnis ex cœli positu, eoque momento, quo quisque gignitur in matris utero, vel nascitur, illorum divinatio pendet; hæc vero ipsa puncta temporis, et eorum proprias cœli ac stellarum conformationes, nulla ratio consequi potest, omnem iis in rebus pronuntiandis operam inaniter sumi. Siquidem in tanta mundi rapiditate neque ὡροσκόπιον, hoc est *punctum ortivum*, neque, quod isto est prius, potiiusque, concepti fetus in utero momentum, neque διάθεμα, sive συσχηματισμὸς τῶν ἀστέρων, hoc est *genitalis stellarum positus* discerni, et quasi contineri potest, quin, antequam notata ista fuerint, præcipiti cursu transvolent, atque alium, minimeque convenientem et habitum, et significationem offerant. Deinde, quia vix se tueri ars illa potest nisi præter lucem, motumque, quorum nimis

[1] Apud Euseb. VI *de Præp.* cap. I.

vasta, et a singularibus abducta rebus efficientia est, vim quamdam generis alterius cœlo, ac stellis attribuat, cujusmodi sunt, quas *influentias* vulgo nominant, quæ ad singulorum effectorum elaborandam varietatem propius accedant.

VIII. At agendi hæc adminicula, ut inesse revera credantur, (sunt enim qui illas admittendas negent; neque alterutram in partem satis constituta ratio est) tamen, quia prorsus ignota ista sunt hominibus, ne ea quidem perspecta erunt, quæ ab illis effici dicuntur. Hæc igitur, et his similia, quæ contra divinaculos, et astrologos valent, nihil nos adjuvant, qui de dæmonum scientia quærimus. Non enim aut illa, quæ percensui, aut iis etiam subtiliora, et abstrusiora illorum sagacitatem fugiunt; nec est ulla naturæ pars, quam non penitus introspiciant, exploratamque habeant. Quamobrem alio genere opus est argumentorum, ut ne a dæmonibus quidem ex cœli, astrorumque contemplatione sciri ea monstremus, quæ mere fortuita sunt, neque necessarium, sed ex libertate pendentem habent originis suæ contextum; quod hac, opinor, ratione consequemur. Etenim, si qua de cœlo, futurorum ejusmodi cognitio ducitur, id alterutra ex causa fieri necesse est: vel quia eorum, quæ sic eventura sunt, natura sua efficientes sunt stellæ: vel quia signa sunt etiam aliunde manantium. At horum neutrum inest in cœlestibus corporibus; et quamvis utrumque, vel alterutrum tribuatur; non ideo præsentiri illa, certoque divinari poterunt, quæ supra posui. Ex his, quod primum est, non esse futurorum istorum efficientiam in cœlo, stellisve sic ostenditur. Nam, si efficientes causæ sunt ex natura sua, necessariæ definitæque sint oportet, hoc est uniusmodi actione præditæ. Non enim ratione intelligentiaque, tum, quod ex eo sequitur, libertate utuntur in agendo; ex quibus actionum varietas oritur. Quemadmodum ignis, vel Sol ipse, calorem uterque profundens, ac lucem, tum agit necessario, tum simplicem et uniformem efficiendi modum obtinet, qui effectæ rei certo genere circumscribitur, quod etiam in iis, quæ vita sensuque pollent, animadvertitur. Nam hirundines, avesque cæteræ eodem omnes modo nidos construunt, ac reliqua moliuntur, quæ universæ speciei propria sint; in quibus, quantum ex sese est, nulla diversitas incidit. Atqui talia esse nequeunt fortuita, vel libera. Quippe fortuita eo ipso nominantur, quod nullam certam, ac definitam sui causam habeant.

Fortuita et contingentia nequaquam ex cœli cognitione prævideri possunt.

IX. Etenim causarum, ut docet Aristoteles[1], aliæ sunt per se, aliæ ex accidenti; velut ædificationis causa est per sese architectandi peritus; ex accidenti vero albus, aut musicus. Jam, quod per se causa est, id definitum ac terminatum est, quod autem ex accidenti, infinitum. Porro fortuita omnia dicuntur, quæ nullam per se causam habent, sed ex accidenti, proindeque minime definitam. Hæc fere Aristoteles. Quare fortuita in cœlo, tanquam causa naturali, minime continentur, neque ex illius cognitione horum exsistentia colligi potest, cum nullo inter se nexu ambo illa cohæreant. Sic ea, quæ ab libertate ortum accipiunt, neque necessaria sunt, neque definita, quoniam liberi effectus ea natura est, ut ab utroque distet. Non possunt igitur, quæ sunt ejusmodi, certo in causa sua provideri. Huc illa spectant, quæ contra fati necessitatem, ejusque propugnatores Stoicos, aliosque philosophos, necnon Pharisæos, Priscillianistas, et hæreticos cæteros Christiani Scriptores disputant, ut Origenes[2], Bardesanes, Eusebius, Epiphanius[3], Basilius[4], Ambrosius[5], Augustinus[6], Gregorius Nyssenus[7], Prudentius libro secundo *contra Symmachum*, Cyrillus Alexandrinus libro quinto *in Joannem*[8], ac plerique alii, qui, fatali posita necessitate, nihil humanæ libertati reliqui fieri sentiunt; quod ipsum et ad siderum efficientiam, si est ulla, pertinere putandum est; quippe fatum « homines quando audiunt, ait Augustinus[9], usitata loquendi consuetudine, non intelligunt, nisi vim positionis siderum, qualis est, quando quis nascitur, sive concipitur. » Igitur, si ex astris mores hominum, et instituta pendent, quæque ab illis bene, aut male geruntur, causas illic habent, quarum impulsione fiunt, ut, iis animadversis, certo ab Angelis ista præsagiri queant, in id incurritur, quod veteres illi omnes, tanquam impium, et absurdum illa ex opinione concludunt.

Probatur 1° ex absurdis oppositæ sententiæ consectariis

X. Si enim necessario ex astrorum efficientia ista nascuntur, « cur (inquit Ambrosius Basilii[10] propemodum interpres) leges propositæ sunt, jura etiam promulgata, quibus aut pœna improbis decernitur, aut secu-

1 II *Physic.* c. v, Tex. L et LIII. — 2 Ap. Euseb. VI *de Præp.* — 3 Hær. XVI. — 4 Hom. VI in *Hex.* c. IV. — 5 L. IV in *Hex.* c. IV. — 6 V *de Civ.* c. I et seq. — 7 T. I lib. *de fat.* — 8 Cyr. V *in Joan.* — 9 Aug. V *de Civ.* c. I et IX. — 10 L. IV *Hex.* c. IV.

ritas defertur innoxiis? cur non venia datur reis: cum utique, ut ipsi aiunt, non sua voluntate, sed ex necessitate deliquerint? cur laborat agricola, et non magis expectat, ut inelaboratos fructus privilegio suæ nativitatis invehat receptaculis horreorum? Si ita natus est, ut ei divitiæ, atque opes affluant, ut sibi spontaneos reditus sine ullo semine, atque opere terra parturiat; non vomerem arvis imprimat, non curvæ manum falci admoveat, non legendæ vindemiæ subeat expensam, sed ultro ei in omnes serias vina fundantur fluentia, sponte ei oleum nullis inserta caudicibus silvestris oleæ bacca desudet, nec diffusi æquoris transfretaturus periculum, proprie salutis sollicitus mercator horrescat, cui otioso potest, ut aiunt, quadam sorte genitali divitiarum thesaurus illabi [a]. » Hæc Amb. ex Basilii more suo decerpta; quæ ex eo sane consequi necesse est, si sic eorum, quæ cum liberis hominum consiliis implicata sunt, in astris efficientia ponitur, ut ex horum aspectu, quantum in creatis causis, secundisque situm est, certo illa colligantur. Hoc enim Angelus aliquis, vel dæmon obtinere non potest, ut certo, ac sine errore futura ista præsentiat, nisi naturalis sit, ac necessarius cum efficientibus illis effectorum nexus, quem eludere, ac dissolvere creata vis nulla possit. Nam si potest; potest et id non fieri, quod futurum certo ille cognosse fingitur. Id autem secum repugnat, et inepte dicitur; quia tantumdem valet, ac si dicas, certo fore, quod certo non erit. Si enim impedietur, quod impediri posse concedimus, non erit, quod certo futurum, quia certo prædictum est, sumitur.

2° Quia id divinæ bonitati injurium

XI. Quinetiam ad divinæ bonitatis injuriam illa redundat opinio, quæ cœlestibus corporibus vim eam accommodat, uti nos ad vitia perinde ac virtutes, occulta, et inevitabili necessitate rapiant. « Magnam, inquam, qui ita sentiunt, Deo faciunt injuriam, in cujus velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni: qualia si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente fuerat evertenda, » ut scribit Augustinus[1]. Quam vero non solum impia, sed etiam falsa sit, ac ridicula, præclare ab iisdem Patribus hoc argumento conficitur; quod, si quam sidera vim, ac dominatum exercerent in mores, et instituta hominum, et eorum fortunam casusque varios, ac vitæ conditiones, cujusmodi sunt divitiæ, paupertas, sanitas corporis, morbi, et quæ felicitatis, infelicitatisque nominibus appellantur ac postrema denique omnium mors; ex eodem cœli positu, eodemque siderum aspectu eadem effecta prodirent, quæ ἀποτελέσματα dicuntur. Nam cœlestia illa corpora, quocunque tandem agunt modo, hoc est sive lumine duntaxat utuntur, ac motu, sive abditas, secretasque vires habent, et ἀποῤῥοίας, quas nostri *influentias* vocant, naturaliter efficiunt, ac necessario; quare una est in illis agendi ratio, et sui ubique similis, quantum quidem in ipsis est, ac nisi materiæ varia, et multiplex affectio vim illam, quam inde recipit, et efficientiam mutet, ex quo rei effectæ diversitas exsistit. Ut si cujuspiam afflatus sideris, ac certus cœli positus, mites, aut iracundos., vel fortunatos, aut infelices faciat, aut hanc vel illam vitæ, morumque conditionem afferat; necesse est, ubicumque idem est ille cœlestium situs, eadem effecta consequi, ut ex illius notatione certa de his cognitio capiatur. At longe secus res habet.

3° Ex experientia.

XII. Etenim, ut Origenes, et Bardesanes argumentantur, sub eodem puncto temporis et horoscopo, unoque in loco plures sæpe gignuntur, aut nascuntur, corporum, animorumque habitu, moribus, vita, fortuna, exitu dissimiles. Ut, exempli gratia, Judæi omnes, non in Palæstina tantum, sed ubique terrarum, octavo die circumcidi solebant, quod hodieque faciunt; cibis certis abstinebant, aliisque ritibus utebantur; horum vicini Ismaelitæ anno ætatis decimotertio circumcidebantur, pluri-

a Basil. hom. vi. *Hexaem.* Ἔπειτα εἰ καὶ τῶν κατὰ κακίαν, καὶ ἀρετὴν ἐνεργημάτων οὐκ ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἰσιν αἱ ἀρχαὶ, ἀλλ' ἐκ τῆς γενέσεως αἱ ἀνάγκαι, περιττοὶ μὲν οἱ νομοθέται τὰ πρακτέα ἡμῖν, καὶ τὰ φευκτὰ διορίζοντες· περιττοὶ δὲ καὶ οἱ δικασταὶ ἀρετὴν τιμῶντες, καὶ πονηρίαν κολάζοντες· οὐ γὰρ τοῦ κλέπτου τὸ ἀδίκημα, οὐδὲ τοῦ φονέως, ᾧ γε οὐδὲ βουλομένῳ δυνατὸν ἦν κρατεῖν τῆς χειρὸς, διὰ τὸ ἀναπόδραστον τῆς ἐπὶ τὰς πράξεις αὐτὸν κατεπειγούσης. ματαιότατοι δὲ πάντων καὶ οἱ περὶ τὰς τέχνας πονούμενοι. ἀλλ' εὐθηνήσει μὲν ὁ γεωργὸς, μήτε σπέρματα καταβάλλων, μηδὲ δρεπάνην δηξάμενος· ὑπερπλουτήσει δὲ ὁ ἔμπορος, κἂν βούληται, κἂν μὴ τῆς εἱμαρμένης αὐτῷ συναθροιζούσης τὰ χρήματα· αἱ δὲ μεγάλαι τῶν χριστιανῶν ἐλπίδες φροῦδοι ἡμῖν οἰχήσονται, οὔτε δικαιοσύνης τιμωμένης, οὔτε κατακρινομένης τῆς ἁμαρτίας, διὰ τὸ μηδὲν κατὰ προαίρεσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπιτελεῖσθαι. ὅπου γὰρ ἀνάγκη, καὶ εἱμαρμένη κράτει, οὐδεμίαν ἔχει χώραν τὸ πρὸς ἀξίαν, ὃ τῆς δικαιοκρισίας ἐξαίρετόν ἐστι.

1 V *de Civit.* cap. v.

mumque in reliqua vita discrepabant. Idem et in cæteris populis licet animadvertere, partim longo spatio disjunctis, partim eodem sub cœlo positis; quorum qui invicem distant, legibus, ac moribus sæpe consentiunt, propinqui autem, et qui eadem in urbe, vel domo degunt, longe a se mutuo dissident. Quin iidem plerumque populi, pristinis relictis institutis, nova, iisque contraria sectantur; idque etiam apparet in singulis, qui aut naturæ vitia cultu ac studio corrigunt, aut pessimis moribus præclaram indolem, virtutesque corrumpunt; « quod si hæc astro ingenerata et tradita essent, ut ait Cicero [1], nulla res ea mutare posset. » Tum, quod idem objicit, « omnesne, qui Cannensi pugna ceciderunt, uno astro fuerunt? exitus quidem omnium unus et idem fuit. » Ad hæc si natalitius cœli status conditiones hominum, ac dignitates regeret, « quantæ ad diem, inquit Ambrosius ex Basilio, regalium nativitatum exprimerentur figuræ? Quotidie ergo reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio; sed semper ex diverso statu, qui jus imperialis acquirerent potestatis, orirentur [2]. » Quo etiam argumento utitur Gregorius Nyssenus in libro *de Fato*. Vide Titum Bostrensem libro secundo *contra Manichæos*, et Gregorium Nazianzenum cermine V *de Providentia*.

XIII. Jam illud, quod ex geminis fratribus argumentum petitur, magnam omnino vim habet. Etenim si conceptus, atque ortus animantium natalitia sidera moderantur, quid est, quod eodem semine, eodemque momento geniti tam parum similes existunt? ut de Proclo, et Euristhene Lacedæmoniorum regibus, profanæ historiæ referunt [3]; nostræ vero de Jacobo et Esau, quorum « tanta, ut Augustini verbis utar, in vita fuerunt, moribusque diversa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia [4]. » Nam, quod responderi ab astrologis solet, non sic posse nasci geminos, ut eodem puncto temporis maternus illos uterus effundat; porro « momentum illud minimum [5], atque angustissimum, quod illorum partum disterminat, multum valere in rerum natura, atque cœlestium corporum rapidissima velocitate, » nihil ad causam pertinet. Primum, quia nascentium illa, ut ita dixerim, fata magis conceptus in utero cujusque, quam ortus momenta gubernare creduntur. Fit autem eodem puncto temporis geminorum conceptus. Deinde, quod si forte gemini multum inter se similes existant, id illi in astrorum vim constitutionemque referunt. Ut quod Hippocrates, Cicerone teste, « quosdam fratres, cum simul ægrotare cœpissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatus est; eos Possidonius Stoicus multum astrologiæ deditus eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere [6]. » Ex quo quanta sit decretorum illius artis inconstantia, et vanitas apparet.

XIV. Atenim mores hominum, et ea, quæ studio sibi quisque suo, ac voluntate parat, ab astris cœloque derivari, non directe, sed quasi ex obliquo statuunt, qui utcumque Christiani videri volunt. Non enim dubitare possunt, quin et animi spiritualis naturæ sint, et in eos, præsertim sui juris arbitrio præditos, nihil ad cogendum vis illa possit corporeorum orbium, quamlibet cœlestium. Sed, quia corporibus inserti sunt, cum iisque arctissimo nexu copulati, quæ inde corporibus afflantur, ea redundare dicunt in animos. Nam et cum fervefactus igneo calore sanguis fuerit, animosi, et iracundi fiunt homines; aut contra languidi, ac segnes, cum.

« Frigidus obstiterit circum præcordia [sanguis. »

Quod ipsum et in reliquis qualitatibus, earumque temperatione cernitur, in quæ, utpote corporea et infima, principatus est stellarum atque cœli. Ex iis autem rixæ, contentiones, bella, neces hominum, aliæque calamitates oriuntur; quæ proinde saltem dæmones naturalium omnium causarum scientissimi, scire ante ac prænuntiare poterunt. Verum, uti callide, ac solerter hæc ab illis futura conjici non negamus, quæ ex corporum constitutione, causisque, quibus ea constant, sæpe proficiscuntur; ita certo ac liquido præsagiri ista non posse defendimus, quod unum hac in disputatione agitur. Siquidem pravæ nonnunquam indoles in pueris honesta educatione, ac bonorum consuetudine mutantur in melius, vel contrariis rebus corrumpuntur bonæ; tum subito instinctu divinæ

1 II *de Divin*, — 2 Lib. IV *Hexa*. c. IV. — 3 Cic. II *de Divin*. — 4 V *de Civit*. cap. IV Vide et l. II *de Gen. ad lit*. c. XVII. — 5 Aug. lib. II *de Doct. Christ*. cap. XXII. — 6 Apud Aug. V *de Civit*. cap. II.

gratiæ, magnæ, ac repentinæ fiunt conversiones animorum, quas nulla cujusquam conjectura consequi potuit; bella vero ac jurgia, cæteraque id genus, vel ut non oriantur penitus, vel ut orta contrarios ac putabatur habeant exitus, iisdem illis obscuris et improvisis ex causis accidit.

Quidquid siderum fata portinderint eludi posse fatentur ipsi ethnici.

XV. Denique vel gentiles ipsi, qui natalitiis prædictis plurimum tribuunt, et ejus artis principes habentur, evitari, et eludi hominum industria posse dicunt, quidquid siderum fata portenderint. Ptolemæus in eo libello, qui καρπός, vel *Centiloquium* inscribitur, « Potest, inquit, qui sciens est, multos stellarum effectus avertere, quando naturam eorum noverit [a]. » Julius quoque Firmicus libro primo ματαιοτεχνίας istius capite tertio, quamvis fatalem in astris necessitatem agnoscat, huic tamen ab hominibus resisti posse confitetur; imo vero ob id colendos esse deos, « ut confirmati animi nostri divinitate, ex aliqua parte, stellarum violentis decretorum potestatibus resistamus. » Subjicit deinde Socratis exemplum, quo nullum ad id, quod volumus, afferri possit aptius: « Hoc, inquit, debere nos facere, vir divinæ sapientiæ Socrates docuit. Nam, cum quidam ei de moribus suis, cupiditatibusque dixisset, quas ille simili ratione collegerat: Sunt, inquit, ut dicis, agnosco, confiteor; et vir prudentissimus latentia corporis vitia facili confessione detexit. Sed hæc, inquit, omnia a me prudentia, ac virtutum auctoritate superata sunt; et quidquid vitii ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi conscia divinitas temperavit. Hinc intelligi datur, stellarum quidem esse, quod patimur, et quod nos incentivis quibusdam stimulat ignibus; divinitatis vero esse animi, quod repugnamus. » Quamobrem, etsi concedamus, astris eam inesse vim, ut afficiant quodammodo corpora nostra, eaque temperando nonnihil in mores nostros, animosque conferant; non tamen perpetuo corporis statum animorum propensio sequitur, præsertim cum naturalis etiam ipse corporis habitus usu, ac disciplina, vel morbo, vel ætate mutetur; quo fit, ut nec præsentes cujusque animi motus, nedum futuri postea, perspici, ac dijudicari possint.

Vanæ artis.

XVI. Atqui istud ipsum, quod de occultis in corpora siderum viribus a nonnullis dicitur, nec absurdum putat Augustinus[1]; Damascenus[2] vero, ac S. Thomas[3], aliique complures fatentur; hoc eatenus admittunt cæteri, ut et Soli, Lunæque duntaxat vim illam attribuant, adimant reliquis, et hanc ipsam vim sola luce et calore definiant. Nam errantes stellas cæteras, propter aut longinquitatem earum, aut parvitatem nihil efficere putant; multoque id magis de astris illis sentiunt, quæ affixa cœlo, infinito intervallo distant a nobis, nulla uti lux ab iis, aut contagio permanare possit ad terram. Qua de re videnda est omnino longa et erudita Gemini disputatio; qui æstuum ac tempestatum mutationumque aeris nullam prorsus in sideribus reliquis, unicam autem in Sole causam constituit; refellitque, quod doctis pariter indoctisque persuasum est, ex caniculæ sidere vehementiores illos calores exsistere, quos circa illius ortum experimur. Huic sententiæ, quæ Soli, Lunæve omnem in hæc infima efficientiam assignat, eamque sola luce et calore metitur, Pici ambo subscribunt; a quibus dissentit Valesius, qui eas, quas vocant *influentias*, stellis etiam reliquis adscribit; ex quo utcumque præsagiri tempestates, hominumque mores ab astrorum peritis existimat; fortuita vero, et ea, quæ aut nullam, aut naturalem causam non habent, nulla posse divinatione colligi. De quo non est hic inquirendi locus, cum ad propositum nostrum satis illud sit, quod hactenus exposui, nihil certo de iis ne dæmones quidem comperire posse, nedum astrologos, quamvis ab cœlo stellisque, tanquam causis efficientibus, utcunque manare ista credantur; quod in illis potissimum valet, quæ humani sunt arbitrii, de quibus nonnisi cæca, et temeraria judicia esse possunt. « Nam quod in mea potestate situm est, ut eveniat, aut non, et quod antecedentem ab initio causam nullam habet, nullus id prædicere potest, » ait Sextus Empiricus [b].

a Ptol. in *Carpo*, num. 5. Δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέψασθαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων, ὅτε ἐστὶν εἰδήμων τῆς φύσεως αὐτῶν.

b Sextus Empir. lib. V. Τὸ γὰρ ἐπ' ἐμοὶ κείμενον ἐκβῆναι ἢ μή, καὶ τὸ μὴ ἔχον ἀρχῆθεν προκαταβεβλημένην αἰτίαν, οὐκ ἂν δύναιτό τις προλέγειν.

1 V *de Civ.* cap. vi. — 2 Lib. II *de Fide*, cap. vii. — 3 Lib III *cont. Gent.* cap. lxxxiv. — 4 *Joan.* Pic. lib. IV *cont. Astrol* cap. xi; *Joan.* Franc. lib. IV *de Præno.* cap. iv.

CAPUT X.

Expenditur quorumdam opinio qui cœlestia corpora non esse quidem causas eventuum fatentur, sed signa duntaxat, quæ in illis, velut in libro, descripta sunt. Hæc vero confutatur. Prædictiones astrologorum esse fallaces. Esse tamen in inferiore mundo signa quædam futurorum, ut cometas, et defectiones luminarium; idque quatenus tenendum sit. Quanam arte dæmones illudant in futurorum prædictionibus: et quomodo eorum scientiam captent; nonnunquam Angelorum cœtibus immisceri.

Exponitur et rejicitur opinio eorum qui cælestia corpora signa non causas esse volunt futurorum eventuum.

I. Atenim causæ quidem fortuitorum, vel liberorum eventuum non sunt cœlestia corpora, sed signa duntaxat, quibus perspectis provideri ista, prædicique possunt; hoc enim de duobus a me contra fidem astrorum positis alterum fuit. Atque hanc non mediocriter doctorum hominum fuisse sententiam, ait Augustinus[1]; etsi, inquit, « non ita solent loqui mathematici, ut verbi gratia dicant, Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam facit. » His accedit Origenes apud Eusebium pluribus verbis explicans, quemadmodum astra non sint quidem humanarum rerum efficientia, sed signa tantum, quæ tamen ab hominibus intelligi nequeunt, sed a præstantioribus, quam sunt illi, virtutibus, hoc est Angelis. Ita enim libertati hominum nihil decedere asserit, si illa sidera, quæ *in signa posita* dicuntur hominibus[2], quæ his sunt eventura, contineant, ac sint velut liber aliquis Dei, in quo futura ille descripsit. Inde apud Esaiam legi[3]: Complicabuntur sicut liber cœli. Quod et Synesius libro *de Insomniis* affirmat; ubi totum hunc mundum tanquam ingens quoddam esse animal dicit, cujus inter se conspirant, ac consentiunt partes: in eoque, quasi libro, variis descripta litteris eventa feruntur, quæ aliter alii legunt, ex quo varia divinandi genera nascuntur. Neque vero parum ad hanc opinionem facit, quod insignium quarumdam cladium, et vastitatum indicia prodi cœlitus usu ipso docemur; ut cum clarorum virorum obitus, vel calamitates publicas cometæ, aliaque signa portendunt: eique rei Christus ipse fidem adstruit, qui ante occasum mundi signa in Sole, Luna, stellisque fore demonstrat[4].

II. Verum plurimum interest, quænam e sublimibus istis, et quarum rerum, quoque modo signa esse dicantur. Signorum enim, ut Augustinus[5], ac philosophi vulgo tradunt, genera sunt duo: Alia naturalia, « quæ sine voluntate, atque ullo appetitu significandi, præter se aliud ex se cognosci faciunt; sicuti est fumus significans ignem. » Alia sunt *data*, ut Augustinus vocat, nostri ex *instituto* nominant, quæ nullam causam habent significandi præter ejus voluntatem, qui significat. Jam quæ priore modo signa sunt, et sunt corpora, vel causæ sunt rerum quas significant, vel effecta; vel tam signum, quam id, quod significatur, eadem ex causa oritur, ut Joannes Picus Mirandulanus disserit[6]. Posteriora vero infinita sunt, neque cum iis, quibus demonstrandis adhibita sunt, ullo modo nectuntur. Inter prioris generis signa pleraque illa censentur, quæ in aere, ac subjecta Lunæ regione cernimus, et μετέωρα dicuntur a philosophis, velut cometæ, transcurrentes stellæ, cœlestes arcus; tum quæ in terra, vel sub terras accidunt, uti terræ motus, vel mugitus, et id genus cætera, quæ naturalibus ex causis orta, tum harum ipsarum signa sunt, tum eorum quæ iisdem ex causis exsistunt. Nam cometas exhalationum vis parit, quas Græci ἀναθυμιάσεις nominant, eæque calidæ sunt, ac siccæ, fumi similes, ex quibus ventorum materia constat. Quare tam exhalationum istarum signa sunt, ex quibus nascuntur, quam, qui manant indidem, ventorum, tempestatum, ac turbinum, quæque alia sunt naturalia similiter effecta *. Unde illa qui vident,

c Euseb. VI *de Præp.* Οἱ ἀστέρες οὐκ εἰσὶ ποιητικοὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις, σημαντικοὶ δὲ μόνον· καὶ ὅτι ἄνθρωποι τὴν περὶ τούτων γνῶσιν ἀκριβῶς ἔχειν οὐ δύνανται, ἀλλὰ δυνάμεσιν ἀνθρώπων κρείττοσι τὰ σημεῖα ἔκκειται. Vide Sixt. Sen. v. Bibl. Annot. 15.

* Quæ de cometis habet hic Petavius, juxta sententiam Aristotelis, per multa sæcula, continua traditione deductam, edisserit At nunc falsissimam hanc opinionem habent omnis astronomiæ physicarumque scientiarum periti, quibus experimentis multis manifestisque ratiomibns constat, cometas esse corpora solida quæ in reglone Lunæ superiori, perpetuo motu volvuntur. Constat eos esse de genere planetarum, splendoremque suum, a sole quem reflectunt, mutuari. Vide Newtonium; aliosque. J. B. F.

1 Lib. V *de Civit.* cap. I. — 2 *Gen.* I. — 3 Cap. XXXIV. — 4 *Luc.* XXI, *Matth.* XXIV. — 5 Lib. II *de Doct. Christ.* cap. I. — 6 Lib. *cont. Astrol.* cap. XII.

hæc etiam sentire, ac præsagire possunt, sed sic, ut aberrent interdum; quoniam, multis intercurrentibus causis, sæpe aliter eveniunt, quæ inpendere videbantur.

III. Sed alia sunt effecta, quæ, cum iisdem ex causis originem trahant, minus tamen cum iis connexa sunt, quam proxima ista, et ad illas nonnisi ex longinquo respiciunt; cujusmodi sunt corporum morbi, pestilentiæ, annonæ difficultates, aliaque cum publica, tum privata incommoda, quæ ex vaporum copia, et ventorum flatibus, et aliis affectionibus aeris gignuntur. Ea, quo magis ad singulos pertinent, et plurium ex causarum concursione fiunt, eo sunt dæmonibus obscuriora, et incertiorem conjecturam faciunt, atque in iis divinandis non raro falluntur. Alia denique sunt effecta, quæ ex naturalibus istis principiis, non tam efficientia, quam occasione profluunt, quæque liberis ex causis majore sui parte dependent, ut bella, jurgia, illatæ neces, exilia, instituta vivendi, et similia. Possunt enim hæc ad aeris, corporumque temperationes, et ejusdemmodi causas quadamtenus referri, quibus animi hominum, et voluntates excitantur. Sed est temeraria, et plerumque fallax illorum prædictio; quia potiori sui parte ex libertate, ac consilio proficiscuntur. Atque hoc in illis valet, quæ in aere fiunt, et

Meteora. μετέωρα vocantur: quæ si cœlestium ad corporum, stellarumque, præter Solem, ac Lunam, vires aliquas pertinent, quod non omnibus philosophis probari diximus, poterunt eodem modo, hoc est confuse, et universe ex illorum contemplatione cognosci. Etenim cœlum, ac sidera causæ sunt generales infimarum rerum: proinde generalis est illorum efficientia, quam proximæ et particulares modificant, et immutant, interdumque perimunt, aut alio derivant. Quare liquidam nullam, et exactam significationem sese contuentibus, sed dubiam, et incertam objiciunt.

IV. Sequitur genus illud signorum voluntarium, et ex instituto factum; cujusmodi an stellæ, et ista ipsa sint, quæ in aere contingunt, reliqua dubitatio est. Ac sunt aliqui[1], qui non solum astra, sed ne inferiora quidem

Meteora. illa, quæ μετέωρα vocant, rara et admirabilia signa esse sentiant futurarum rerum, ut cometas, et alia, quæ *ostenta* dicuntur, quod ad illa, antequam fiant, ostendenda divinitus immitti videntur. Verum longius, quam res ferat, processisse illos arbitror odio genethliacorum, et astrologorum, omnem ut vim significandi futuri iis, quæ in sublimi accidunt, etiam aeris, adimerent. Nam multa constat ex profanis, sacrisque litteris antequam exstarent, extraordinariis iis indiciis prodita fuisse, non naturali causarum nexu, et ordine, sed Dei nutu, et arbitrio; ut tanto ante admoniti mortales, se ad illa vel avertenda compararent precibus, ac vitæ mutatione, vel fortiter, atque æquo anima tolerenda. Sic non temere creduntur crinita illa sidera certis temporibus ostendi divinitus, velut ex alto signa quædam impendentium malorum; cujus rei plenæ, ut dixi, sunt historiæ. Nec is sensus est mathematicorum tantum, ac divinaculorum, sed etiam piorum et gravissimorum hominum, quos omnes, ut de vulgi tam alte concepta opinione taceam, falli ac decipi, non est asseverare prudentis. Certe Ambrosius ex Basilio non diffitetur, indicia quædam in cœlo dari futurorum, cum sic scribit: « Non possumus negare, quod ex Sole, ac Luna signa aliqua colligantur. Nam et Dominus dicit[3]: *Et erunt signa in Sole, et Luna, et stellis.* Et quærentibus Apostolis signum adventus ejus, respondit, *Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo.* Hæc dixit fore signa futuræ consummationis.»

Censet auctor extraordinaria meteora signa esse futurorum.

V. Damascenus quoque non absurdum putat, non solum pluviarum ac tempestatum, et mutationum aeris in cœlo esse signa, sed etiam bellorum. De cometis porro ita loquitur: « Quinetiam cometæ, inquit, sæpe conflantur, quæ sunt signa quædam, quibus regum indicantur obitus[a]. » Nam et Originem ejusdem esse sententiæ supra demonstravimus; qui mihi tamen hac in re nimius videtur: certe rem affirmat, cujus nullum neque argumentum habet, neque testimonium, Deum in cœlo, et sideribus, quasi libro quodam, futura delineasse. Quod enim ex Isaiæ loco illo, et similibus id evincere conatur, ridicule facit, ac Scripturæ suo more vim affert. Nam hæc cœlos cum volumine confert, hoc est membrana in longum porrecta, et volubili, quæ explicatur, et convolvitur; quemadmodum eosdem cœlos, sub occasum mundi, pallii

a Damasc. lib. II *de Fide*, cap. vii. Ἴσως δι' ἂν τις εἴποι, ὅτι καὶ πολέμων οὐκ αἴτια, ἀλλὰ σημεῖα συνίστανται. Mox: Συνίστανται δὲ πολλάκις καὶ κομῆται, σημεῖά τινα θάνατον δηλοῦντα βασιλέων.

1 Perrer. lib. II *in Gen.* cap. iv. — 2 Lib. IV *Hexa.* cap. iv. — 3 *Luc.* xxi.

instar immutandos, vertendosque alio in loco testatur[1] : *Ipsi peribunt*, inquit, *tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent : Et sicut opertorium mutabis eos.* Græce : καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς : *velut amiculum, vel pallium contorquebis eos.*

VI. Quamobrem ista quidem, quæ rarius eveniunt, neque ratis ac descriptis intervallis existunt, ut cometas, igneas effigies armorum, cujusmodi sub Antiochii grassationem[2], ac templi fœdationem in aere visa sunt, ac reliqua ejusdemmodi arbitror signa esse malorum ingruentium divinitus, et ex alto edita ad perterrendos, et commonendos homines. Sic etiam inusitatæ, et extraordinariæ Solis obscurationes, quarum in historiis frequentia sunt exempla, cladis aliquid portendunt; ut quæ anno illo, quo Cæsar interfectus est, fere perpetua fuit[3]; nec non illa septemdecim dierum caligo, quæ Constantini Irenes filii, quem mater excæcavit, obitum est secuta. Minus hoc asseveranter dixerim de ordinariis siderum defectionibus. Sed nec absurdum existimem, insignes potissimum Solis ita dispositas a Deo, ac suis spatiis definitas, ut in ea temporum momenta caderent, quibus illustrium eventuum indicia dare possent. Nam in stellis reliquis, et earum aspectibus, et si qua sunt alia, quæ geneseon artifices curiosius observant, nullam non modo rerum talium efficientiam inesse arbitror, quod paulo ante docui, sed ne significationem quidem. Quod si ulla in istis est, ut et illa, quam in sole, cometis, ac cæteris concedimus, eam soli Deo distincte, ac perspicue cognitam puto; dæmonibus vero, nisi illo patefaciente, eatenus solum, ut universe, et infinitæ portendi majus aliquid intelligant; quid illud vero sit, nonnisi conjiciendo probabiliter interdum, alias falso prænuntient.

Alii modi quibus indagare futura dæmones satagunt.

VII. Satis de ea parte dictum est, quomodo dæmones de cœlo servare ita possint, ut futura præsagiant; nunc modos reliquos exponamus, quibus indagare ista solent, vel ut scire putentur, suis præstigiis efficere ; quos fere Augustinus attigit[4]. Horum primus est, experientia præteritorum: « Sicut medici, ait idem[5], multa prævidendo, etiam litteris mandaverunt, quæ ipsi experta notaverunt. Sicut denique agricolæ, vel etiam nautæ multa prænuntiant. » Hanc Chaldæi, et astrologi ad prædictionum suarum commendandam fidem falso venditabant, asserentes « quadringenta, et septuagiuta millia annorum in periclitandis, experiundisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse, » ut ait Cicero[6]. At non solum commentitium illud est, sed etiam ipsorum placitis adversum. Nam, ut Sextus Empiricus iis objicit astrorum[7], cœlique conformationes, quos συσχηματισμοὺς appellant, longissimo intervallo redeunt; quare non possunt eædem sæpius observari, quod tamen necesse foret, ut earum experientia et disciplina aliqua confici posset. Verum, quod in cœlestibus corporibus non habent homines, propter rei vanitatem, in cæteris rebus propter vitæ brevitatem perfecte ipsi per sese capere nequeunt, sed superiorum usu temporum adjuti utcumque obtinent, id dæmones adipiscuntur, « partim subtiliori sensus acumine, partim experientia callidiore propter magnam vitæ longitudinem, » ut scribit Augustinus[8]. Quare, cum naturas omnium rerum, et animantium, hominumque propensiones, et indoles accurate calleant, quid ex iis tam singulis, quam invicem aptis, et conjunctis effici, atque oriri consueverit, intelligunt.

Configurationes.

Quanam arte dæmones in futurorum prædictionibus illudant

VIII. Præterea futurorum notitiam non suapte industria dæmones, sed aliunde percipiunt, sive Angelis bonis ea significantibus, sive hominibus Dei instinctu præditis, quales Prophetæ, aut, si forte, Sibyllæ fuerunt: « Audiunt enim ista et aereæ potestates, ait Augustinus[9], sive Angelis ea nuntiantibus, sive hominibus; et tantum audiunt, quantum opus esse ille judicat, cui subjecta sunt omnia; » quæ quem in finem per suos deinde vates explicaverint, idem his verbis docet. « Potestates autem aereæ superbæ, atque fallaces, etiamsi quædam de societate et civitate sanctorum, et de vero mediatore, a sanctis Prophetis, vel Angelis audita, per suos vates dixisse reperiuntur, eo egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent; » quod et alio in libro[10], qui est *de Divinatione dæmonum*, pluribus explicat. Et Tertullianus in *Apologetico :* « Dispositiones etiam Dei, et tunc Prophetis concionantibus exceperunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem. »

Declarat hoc Scriptura exemplis aliquot, dum bonorum Angelorum cœtibus immistum

1 *Ps.* CI. — 2 Lib. II Mach. c. V. — 3 Theoph. Cedr. — 4 Lib. II *de Gen. ad lit.* c. XVII et l. *de Div. dem.* c. VI et IV *de Trin.* c. XVII. — 5 IV *de Trinit.* XVII — 6 II *de Divin.* — 7 Lib. V *cont. Math.* — 8 II *de Gen.* cap. XVII quod et l. *de Div.* dæm. c. III dicit. — 9 IV *de Trinit.* cap. XVII et II *de Gen. ad lit.* — 10 Cap. VI et VII.

esse Satanam refert, et in quoddam de futuris consilium, et colloquium admissum; velut capite primo *Job*, et *Regum* tertio libro, capite XXII. Ac de eo quidem, quod in priore loco scriptum est, affuisse Satanam inter filios Dei, id est Angelos, « qui assistebant coram Domino, » Auctor illius *Commentarii*, qui Origeni tribuitur[a], existimavit Satanam in cœlum ascendere nonnunquam, versarique inter Angelos, quippe non magnum esse, si, cum spiritus sit, corpora transcendat. Sed hoc incredibile est, ut recte Cæsarius animadvertit[1], et auctor quæstionum ad Antiochum, quæ inter Athanasii opera leguntur, Quæst. XII.

IX. Quare sanctus Gregorius Papa[2] nihil significari aliud putat, nisi perinde Satanam, ut et reliquos omnes, Dei non latuisse conspectum: « Ita ergo etiam inter Angelos, ait, in conspectu Domini Satan affuit, quia vis divina, quæ intuendo penetrat omnia, non se videntem immundum spiritum vidit. Quia enim et ipsa, quæ Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda sunt superno conspectui, Satan affuit absens præsenti. » In quo satis mihi non dixisse videtur. Nam ejusmodi est, quod illic factum esse scribitur, ut non perpetuo, continenterque fiat, sed raro, ac certis temporibus. At conspectui divino nunquam non expositus est Satan. Sic igitur arbitror, cum Angeli complures in terris resideant ad hominum, ac provinciarum tutelam gerendam, ut e Daniele potissimum constat, ac nos postea dicemus, eorum aliquos, ut de re quapiam inter se deliberarent, in unum locum congregatos esse, ac tum, permitttente Deo, inter illos adfuisse Satanam; quod similiter et de historia illa sentiendum est, quæ *Regum* tertio describitur. Porro, tametsi Satanam Dominus coram alloquitur, non eum videt ille; quod apposita similitudine Gregorius explicat: « Sicut cæcus, inquit, cum in sole consistit, ipse quidem Solis radiis perfunditur, sed tamen lumen non videt, quo illustratur. » Hinc igitur futurorum intelligentiam arripiunt dæmones, ac per suos, quæ volunt, sive potius quæ Deus permittit, ante denuntiant. Sic per Sibyllas multa prædixisse ab quibusdam putatur, ut Ambrosii commentario[3], «Hic est, inquit, qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere. « At Hieronymus[4] divino instinctas spiritu vaticinatas esse censet, ac virginitatis præmium divinationem habuisse. »

X. Solent interdum et futurorum notitiæ fidem ex eo captare Dæmones, quod ea, quæ procul fiunt, aut jam jam imminere certo sciunt, alio in loco sitis, aperiunt. « Tanquam si quisquam, ait Augustinus, de montis vertice aliquam longe videat venientem, et proxime in campo habitantibus ante nuntiet[5]. » Etenim « omnis spiritus ales, ut Tertullianus scribit[6], hoc est et Angeli, et Dæmones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis locus illis unus est; quid ubi geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant; velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic et auctores interdum videri volunt eorum, quæ annuntiant. » Idem habet et Damascenus. Quem locum uberrime tractat Antonius apud Athanasium in ejus vita, dum suos adversus dæmonum fraudes, et affectationem illum divinationis instruit. Nam illos ait, « ob levitatem naturæ per cuncta discurrentes, » quæ jam cœpta viderint, longinquis nuntiare, « Non enim ea, quæ nondum fieri cœpta sunt, referunt, quia Dominus solus conscius est futurorum; sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquam apud ignaros vendicant de futuris fieri notionem, etc. Ita et de Nili inundatione solemni, cum multas in Æthiopia viderint pluvias, e quibus fluvius intumescens ultra alveum effluere consuevit, præcurrentes ad Ægyptum nuntiant amnis adventum. »

XI. Ad hæc, ut scribit Augustinus[8], « aliquando idem nefandi spiritus, etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt, » quemadmodum et accepta divinitus potestate «lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria; post quæ desinunt lædere, et curasse creduntur; » quod Tertullianus ait[9], itidem et Eusebius[10], atque Augustinus[11].

Postremo, si nihil satis liquido compertum, atque exploratum habeant, responsorum ambiguitate fucum faciunt, et ea dicunt, quæ in utramvis partem congruunt; ut, quemcunque res exitum sortita sit, eum prædixisse videantur; « Fallunt autem etiam studio

a ORIG. Ἐν τῇ συνελεύσει τῶν Ἀγγέλων ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν γεγονώς, etc. Τί γὰρ μέγα εἰ διαβαίνει τὰ σώματα.

1 Dial. III Inter. XLIX.— 2 II Moral. c. III.— 3 Com. in c. II, ep. I *ad Cor.*— 4 Lib. I *cont. Jovin.*— 5 Lib. IV *de Trin.* c. XVII.— 6 Apol. cap. XXII. — 7 Lib. II *de Fide*, cap. IV. — 8 Lib. II *de Gen. ad lit.* cap. XVII. — 9 Apol. — 10 Lib. IX *de Præpar.*— 11 *De Divin dæm.* cap. V.

fallendi, (verba sunt Augustini[1]) et invida voluntate, qua hominum errore lætantur. [Oraculorum ambiguitas.] Sed, ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus suis, signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti. » Tertullianus etiam[2], « In oraculis autem ait, quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. » Hanc [Oraculi.] eorum fraudem, et Apollinis illius λογίου fallaces, et ancipites sortes pluribus persequitur, et illudit Œnomaus Cynicus apud Eusebium[3], atque exemplis quamplurimis traducit. Hieronymus ad caput XLI. *Esaiæ:* Quod si aliquis dixerit, multa ab idolis esse prædicta, hoc sciendum, quod semper mendacium junxerint veritati, et sic sententias temperarint, ut, seu boni, seu mali quid accidisset, utrumque posset intelligi. Ut est illud Pyrrhi regis Epirotarum: *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Et Crœsi: *Crœsus transgressus Halym maxima regna perdet.* » Tot modis miseros mortales illudit Satan, futurorum cognoscendorum illecebra delinitos: « Nihil enim est, cujus tanta cupiditate teneantur homines, ac futurorum scientia[a], » ut ait Chrsostomus.

CAPUT XI.

De Angelorum voluntate. Eorum voluntatem, ubi semel aliquid decreverint, non esse immobilem. Basilius explicatur. Tum variis argumentis ex antiquis Patribus ostenditur, ex sese mutabilem illorum esse voluntatem.

[Angeli voluntate et libertate præditi.] I. De Angelorum cognitione satis multa dixi; altera pars sequitur, quæ in voluntate, ac libertate consistit. Ea vero illos esse præditos, ipsorum casus, ac ruina demonstrat, ait Basilius: « Impiorum, inquit, et adversariorum spirituum defectio id, quod dicimus, approbat, juris sui, ac libertatis esse invisibiles virtutes, et æque in virtutem, ac vitium vergere; ideoque ope sancti Spiritus egere[b].» Hinc enim Spiritus sancti divinitatem asserit, ejusque præstantiam, qua creatis omnibus maximo cœlestibus spiritibus antecellit; quod ii ex sese, ac natura sua neque sanctitatem habeant, et bonum, ac malum suapte libertate propendeant. Itaque ad illorum naturam, et substantiam extrinsecus accedit sanctitas, et perfectio, quam iis Spiritus sanctus impertitur. « Hanc vero dignitatem sua in bono perseverantia conservant, cum quidem in eligendo liberum habeant arbitrium; sed nunquam ab conjunctione cum vero bono excidant[c]. » Quem ad sensum illud interpretatur Augustinus, quod Apostolus ait, solum Deum immortalitatem habere; nimirum « quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio[4]. » Tum, paucis interjectis, « Et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et Angeli peccaverunt, et dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps; et qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ. » Quem locum uberrime pertractat Fulgentius libro *de Fide ad Petrum*, ubi inter alia, « Illos quoque, ait, quos terrenorum corporum gravat nulla lutulenta materies, id est Angelicos spiritus, quis non videat, non unius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo; quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia ejusdem naturæ pars est in deterius permutata[5]? » Deinde postea, cum dixisset, Angelos sanctos in deterius non posse mutari, id unde illis accidat, his verbis exponit: « Sed hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed, postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus, et ejus Angeli cecidissent[6].»

II. Liberum igitur inest illis arbitrium, quod intelligenti, ac rationali naturæ deesse

a CHRYS. hom. LXXVIII *in Joan.* Πρὸς οὐδὲν γὰρ οὕτω λίχνον τὸ ἀνθρώπινον γένος, ὡς πρὸς τὸ μανθάνειν μέλλοντα.

b BASIL. *de Sp. sancto.* cap. XVI. Ὅπερ ἂν εἴποιεν τὰ πονηρὰ, καὶ ἀντικείμενα πνεύματα· ὧν ἡ ἀπόπτωσις συνίστησι τὸν λόγον τοῦ αὐτεξουσίους εἶναι τὰς ἀοράτους δυνάμεις, ἰσοῤῥόπως ἐχούσας πρὸς ἀρετὴν, καὶ κακίαν, καὶ διὰ τοῦτο δεομένας τῆς τοῦ πνεύματος βοηθείας.

c Ibid. Ὁ μέν τοι ἁγιασμὸς ἔξωθεν ὢν τῆς οὐσίας τὴν τελείωσιν αὐτοῖς ἐπάγει διὰ τῆς κοινωνίας τοῦ πνεύματος. φυλάσσουσι δὲ τὴν ἀξίαν τῇ ἐπιμονῇ τοῦ καλοῦ, ἔχουσαι μὲν ἐν προαιρέσει τὸ αὐτεξούσιον. οὐδέ ποτε δὲ ἐκ τῆς τοῦ ὄντος ἀγαθοῦ προσεδρείας ἐκπίπτουσαι.

1 Lib. *de Div. dæm.* cap. VI. — 2 Apol. cap. XXII. — 3 Lib. V *de Præpar.* — 4 III *cont. Max.* cap. XII. — 5 Cap. III. — 6 Cap. XXIII.

non potest; idque in bonum, aut malum, atque in contraria suapte conditione mutabile. In quo tamen Theologorum sententiæ discrepant. Etenim sanctus Thomas [1], ejusque Schola universa, voluntatem Angeli ante electionem ad utrumvis esse liberam existimat; post electionem vero *immobiliter adhærere* ad id, quod amplexa fuerit; atque hanc esse causam, cur dæmones in suscepta pravitate mentem obfirment, nec in melius vertantur; quod ipsum ex cognitionis, sive, ut vocat, *apprehensionis* illius conditione fieri putat: « Differt enim, ait, apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contrario adhærere; voluntas autem Angeli adhæret fixe, et immobiliter. Et ideo, si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic, et opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult. Sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum et ante electionem, et post; liberum autem arbitrium Angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. Sic igitur et boni Angeli semper adhærentes justitiæ, sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati. » Hæc sanc. Thomas, quæ quidem minus Theologis plerisque probantur.

Post electionem natura sua immutabiles Angelos docet S. Thomas.

III. Neque vero propositi nostri est, Scholasticorum hac de re certamina persequi. Antiquorum vero Patrum si, quod proprie hic agitur, auctoritas, et sententia quæritur, non est dubium, quin haud paulo plures contraria pars, quam illa sanc. Thomæ, fautores habeat. Damascenus quidem itidem, ut ille, immobiles in eo ad quod adhæserint, Angelos facere videtur; cum de eorum natura disputans, eam « pœnitentiæ capacem non esse, dicit, quoniam corporis est expers; » tanquam ea sola, quæ corporibus constant, mutare consilium possint, et ad ejus quod adsciverint, contrarium sese transferre. Verum hæc ipsa naturæ conditio eo quidem pertinere potest, ut et res omnes perfectius intelligant, et in id, quod elegerint, rapidius ac sine ulla cunctatione ferantur, nulla corporis mole districti; quod Elias Cretensis in Commentariis ad Gregorium Nazianzenum docet [2], cum ait, liberum arbitrium, sive τὴν αὐτεξουσιότητα, ex homonymorum esse numero, ac « de Deo quidem superesssentiali dici modo; de Angelis autem, quia promptitudo una cum habitu concurrit, nec ullam temporis intercapedinem suscipit. Nam, cum Angelus naturalem arbitrii libertatem habeat, sine ullo impedimento ea utitur, ut qui nec repugnantiam ullam a corporibus habeat, nec aliquid, quod in eum impetum faciat. At in hominibus habitus ante conatum, et aggressionem naturaliter prius cogitatur. » Posse autem Angelos suapte natura ab iis, quæ semel elegerint, ad contraria converti mutarique, veteres fere consentiunt; qui et hoc ipsum, quod Angeli boni in suscepta bonitate constantes immotique persistunt, non eorum naturæ tribuunt, sed divinæ potestati ac gratiæ; itidemque, quod dæmones in nequitia sua voluntatem obfirmarunt, eo factum interpretantur, quod illos divina gratia destituit, non quod ita ferat ipsorum natura.

Paulo plures veteres immutabiles Dei voluntate censent.

IV. Sic enim inter alios copiose disserit Fulgentius [3], qui et Dei consilium de utraque natura Angelica, humanaque commemorat; illa quidem, « ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet. » Unde « Diabolo, et Angelis ejus propria voluntate cadentibus, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmavit; humani vero generis massam, non totam in sempiternum perire permisit; sed quos voluit ejus gratuita bonitas, repulsis tenebris, in quibus omnis humana nativitas peccati originalis condemnatione versatur, reducendos prædestinavit ad lucem. » Tum, paucis interjectis: « Bonæ quoque voluntatis inquit, et cogitationis initium non homini ex seipso nasci, sed divinitus et præparari, et tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset, ut humana natura, postquam a Deo aversa bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset; multo

a Damasc. lib. II, cap. III. Ἀνεπίδεκτον μετανοίας, ὅτι καὶ ἀσώματος.

1 In I p. q. LXIV, art. 2. — 2 *Ad Or.* XXIII, n. 15. — 3 Loco cit. cap. III.

possibilius hoc natura haberet Angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. » Vides, ut eamdem esse causam affirmet Angelorum et hominum, quod ad voluntatis mutationem, et conversionem attinet, neque illorum naturæ id adscribat, quod in suscepto peccato perseverent, sed divinæ justitiæ. Nam, si hoc a natura insitum esset Angelo, ut ab eo quod elegit, nunquam se dimovere posset, hanc dæmonum obstinationem non in subtractam divinitus gratiam, ac Dei voluntatem, et severitatem, sed eorum naturam referret. Quis enim molarem lapidem, ex quo in profundum cecidit, non suapte natura dicat potius in eodem hærere loco, et consistere, quam aliena voluntate ac judicio?

Basilius explicatur.

V. Sensit hoc Basilius ad *Psalmum* XXXII qui Angelos bonos in prima sua origine, et substantiæ constitutione dicit insitam una sanctitatem accepisse. Propterea difficile ad malitiam transferri possunt; quod subinde velut tinctura quadam, ita sanctitate corroborati, et in virtute stabilitatem dono sancti Spiritus adepti sint[a]. » Sed illud in Basilii verbis observa, non eum prorsus immobiles, sed difficile mutabiles a Dei gratia, et bonitate Angelos arbitrari. Id enim de eo statu Angelorum, in quo sunt modo, non de illo, in quo ante obfirmatam, et quasi obsignatam gratiam fuisse dicuntur in Scholis, interpretandum est, ut verbum indicat substantivum εἰσὶ, præsentis utique temporis, non imperfecti, ut male ab interprete Latine redditur in hunc modum: « Quapropter et ad malitiam difficile se poterant transmovere. » Perperam id quidem. Nam Basilius manifeste Angelos hoc ipso tempore difficile ad malitiam converti posse voluit, ut eosdem, quantum in ipsorum est voluntate ac natura, etiam nunc in deterius mutari posse monstraret.

Deinde non vidit interpres, qui imperfectum præteritum pro præsenti posuit, quam absurda inde sententia consequatur. Etenim, si hæc Basilii verba, « ad malitiam difficile se poterant transmovere, » ad illum Angelorum statum referenda sunt, quo nondum mali ceciderant, sed justi erant omnes ac sancti, quasi tunc difficile quidem ad pravitatem desciscere, postea vero nullo id modo facere potuerint, cum ejus difficilis mutationis causam dicat esse Basilius, quod in sanctitate roborati sunt, ac virtutis stabilitatem, et τὸ μόνιμον acceperint, hoc est *confirmati sunt in gratia*, ut recentiores in Scholis loquuntur; sequitur ante Diaboli lapsum, in virtute ac gratia confirmatos esse bonos, quod communibus Theologorum placitis repugnat. Quocirca perspicue Basilius etiamnum difficile ad malitiam transferri posse Angelos credidit, quamvis absolute, et ex sese depravari possint.

Ac, ne quis de hac Basilii interpretatione dubitet, sciat, in eadem esse causa Gregorium Nazianzenum, qui de Angelicis illis, beatisque mentibus agens, « gestio quidem, inquit, dicere ad malum immobiles, atque ad bonum duntaxat agitationem habentes, utpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes, hæc enim inferiora secundariæ illuminationis sunt; verum ut non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus est, et nominatur[b]. » Hic δυσκινήτους, id est *difficile mobiles* ad malum dixit beatos spiritus, non ἀκινήτους eodem sensu, quo Basilius δυσμεταθέτους vocavit. *Immobiles. Ægre mobiles.*

VI. Sane Maximus Interpres Dionysii superiores quidem Angelorum ordines « ab Dei excidere gratia non posse dicit, quod ob vehementem voluntatis affectum, quo bonum complexi sunt, quemdam sibi habitum compararunt. Porro Angelos, hoc est infimos ordines, fortasse in deterius posse converti, quippe cum eos dixerit Dionysius circummundanos esse, quorum e numero puto Diabolum aliquando fuisse, antequam excideret[c]. » De hac Basilii, Gregorii, et Maximi opinione postea. Interim ex illorum hoc mente, quod quæri-

a BASIL. D. Ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει, καὶ τῷ οἱονεὶ φυράματι τῆς οὐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔσχον τὴν ἁγιότητα. διὸ καὶ δυσμετάθετοί εἰσι πρὸς κακίαν, εὐθὺς οἱονεὶ βαφῇ τινι τῷ ἁγιασμῷ στομωθέντες, καὶ τὸ μόνιμον εἰς ἀρετὴν τῇ δωρεᾷ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες.

b NAZIANZ. orat. XXXVIII. Βούλομαι μὲν εἰπεῖν, ὅτι ἀκινήτους πρὸς τὸ κακὸν, καὶ μόνην ἐχούσας τὴν τοῦ καλοῦ κίνησιν, ἅτε περὶ θεὸν οὔσας, καὶ τὰ πρῶτα ἐκ θεοῦ λαμπομένας· τὰ γὰρ ἐνταῦθα δευτέρας ἐλλάμψεως. πείθει δέ με μὴ ἀκινήτους, ἀλλὰ δυσκινήτους καὶ ὑπολαμβάνειν ταύτας, καὶ λέγειν ὁ διὰ τὴν λαμπρότητα ἑωσφόρος σκότος διὰ τὴν ἔπαρσιν καὶ γενόμενος, καὶ λεγόμενος.

c MAXIM. ad cap. II *de Cœl. Hier.* Ἐξ ὧν οὐκ ἂν εἴποι τις αὐτὰς δύνασθαι ἐκπεσεῖν, διὰ τὸ ἕξιν τινὰ κτήσασθαι πρὸς τὸ ἀγαθὸν διὰ τῆς ἄγαν θελήσεως. τοὺς δὲ ἀγγέλους, τουτέστι τοὺς τελευταίους διακόσμους, ἐνδέχεσθαι ἴσως καὶ ἐπὶ τὸ χεῖρον τραπῆναι. εἶπεν αὐτοὺς γὰρ περικοσμίους· ἐξ ὧν οἶμαι καὶ τὸν διάβολόν ποτε εἶναι πρὸ τοῦ μὴ ἐκπεσεῖν.

mus, intelligere licet, longe eos abfuisse, ut Angelos putarent in eo, quod semel elegerint, immobiles hærere, cum eosdem arbitrati sint ex sese in deterius hodieque posse converti. Gregorius Nyssenus de utraque natura humana, et Angelica loquens, parem arbitrii libertatem ambobus attribuit : « Boni, inquit, ac mali cupiditas ex æquo utriusque naturæ essentiæ simul insita, et attributa est ; plenamque item, ac summam in sese potestatem, et ab omni necessitate liberam voluntatem in utrisque parem rerum universarum præses effecit, ut animi libero quodam arbitrio, atque proposito regatur, quidquid ratione pariter ac mente præditum est [a]. »

Voluntatem angelorum ex se esse mutabilem variis Patrum testimoniis et argumentis ostenditur.

Joannes vero Damascenus cum alia plurima de Angelorum libertate tradidit, velut eos esse « naturas ratione, intelligentia, et libertate præditas, ac proposito, et sententia mutabiles, idque ex se et suapte sponte; quippe creatum omne etiam mutabile est ; solum autem id quod increatum est, mutari convertique non potest. Porro rationale omne potestate liberum est. Quare, inquit, eo ipso, quod rationalis est, et intelligens, liberi est arbitrii ; ut autem creata, mutabilis, potestatem habens manendi, et procedendi in bono, et in deterius prolabendi [b] ; » tum hoc statim adjicit : « minime capax pœnitentiæ, quoniam corporis est expers. Nam homo, propter corporis imbecillitatem, pœnitentiam est consecutus [c]. » Ubi, quod Angelum pœnitentiæ haud esse capacem ait, non eo pertinet, ut Angelos ab eo, quod elegerint, digredi non posse velit, sed ut divina gratia, sine qua pœnitentiam agere non poterant, jure destitutos asserat ; quod ut corpore, sic excusatione imbecillitatis carerent, ob idque gravius, quam homines, intolerabiliusque peccassent. Atque idem paulo post, « Difficulter, ait, in malum mobiles, sed non immobiles ; nunc vero et immobiles, non natura, sed gratia, et adhæsione ad id, quod solum bonum est [d]. »

Inconvertibilitatem

VII. Eamdem Angelicæ voluntatis ἀμεταστρεψίαν Faustinus contra Arianos scribens disertis verbis redarguit : « Voluntas, inquit, Dei naturaliter bona est, perfecta est, indemutabilis est, semper eadem existens, et sine initio existens, et sine fine perseverans. Voluntas vero ejus, qui non est Deus, eo quod habeat initium, sicut et ipse, qui non est Deus, potest et mutari, potest et verti, sicuti et ipse, qui non est Deus ; ac per hoc non vere bona, quia non naturaliter bona, nec vere perfecta, quæ potest verti, et minui ita, ut quod hodie voluit, crastino nolit, ut, quod hodie noluit, crastino velit. Dicam exemplo apertius : Angelus iste, qui nunc diabolus est, antequam fieret diabolus, proprii arbitrii agitatione amisit bonam voluntatem, ideo scilicet, quia ex factura subsistit, et non naturaliter Deus est ; hoc et de omni creatura rationabili sentiendum est. Etsi enim quidam eorum non declinaverunt, neque declinant a bona voluntate, tamen in natura habent posse declinare, quia creaturæ sunt, et non Deus. Hoc enim, quod non declinant, ex disciplinæ perpetua observatione obtinent, non ex naturæ indemutabilis veritate [1]. » Sic Gregorius Papa, « Natura, inquit, Angelica, etsi contemplationi auctoris inhærendo in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen, quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet [2]. »

VIII. Nec minus nativæ huic electionis firmitati repugnant illi omnes Patres, qui obfirmationem in suscepta gratia, et stabilitatem bonis Angelis Dei beneficio contigisse volunt, atque in fidelis obsequii præmium cessisse ; ut, præter illa testimonia, quæ superius adduximus, Augustinus aperte asserit libro XXII *de Civitate Dei*, capite primo : « Casum, inquit, Angelorum voluntarium justissima pœna sempiternæ infelicitatis obstrinxit ; atque in eo summo permanentibus cæteris, ut de sua sine fine permansione certi essent,

a Gregor. Nyssen. tom. I, orat. v in *Orat. Dom.* A. Ἡ μέν τοι τοῦ καλοῦ τε, καὶ ἀγαθοῦ ἐπιθυμία ὁμοτίμως ἑκατέρᾳ συνουσιώθη τῇ φύσει, καὶ τὸ αὐτοκρατές τε, καὶ αὐτεξούσιον, καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον ἴσον ἐπ' ἀμφοῖν ὁ τοῦ παντος ἐπιστάτης ἐποίησεν· ὡς αὐτονόμῳ τινὶ προαιρέσει οἰκονομεῖσθαι πᾶν ὅσον λόγῳ τε, καὶ διανοίᾳ τετίμηται.

b Damas. lib. II, cap. iii. Ἔστι τοίνυν φύσις λογικὴ, νοερά τε, καὶ αὐτεξούσιος, τρεπτὴ κατὰ γνώμην, ἤτοι ἐθελότρεπτος. πᾶν γὰρ κτιστὸν, καὶ τρεπτόν· μόνον δὲ τὸ ἄκτιστον, ἄτρεπτον, καὶ πᾶν λογικὸν, αὐτεξούσιον. ὡς μὲν οὖν λογικὴ, καὶ νοερὰ, αὐτεξούσιός ἐστιν. ὡς δὲ κτιστὴ, τρεπτὴ, ἔχουσα ἐξουσίαν καὶ μένειν, καὶ προκόπτειν ἐν τῷ ἀγαθῷ, καὶ ἐπὶ τὸ χεῖρον τρέπεσθαι.

c Ibid. Ἀνεπίδεκτος μετανοίας, ὅτι καὶ ἀσώματος. ὁ γὰρ ἄνθρωπος διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν τῆς μετανοίας ἔτυχεν.

d Damasc. ibid. Δυσκίνητοι πρὸς τὸ κακὸν, ἀλλ' οὐκ ἀκίνητοι. νῦν δὲ καὶ ἀκίνητοι, οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, καὶ τῇ τοῦ μόνου ἀγαθοῦ προσεδρείᾳ.

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* edit. Paris.— 2 Lib. V Moral. cap. xxviii et lib. XXIII, cap. iv.

tanquam præmium ipsius permansionis dedit. »

Prosper in libro primo *de Vita contemplativa*, capite tertio, « Voluntatis, inquit, sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt; et divino, justoque judicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo permanendi voluntas, fieret permanendi voluntaria, felixque necessitas. »

Eucherius libro primo *in Genesim*, « Qui quidem, ait, dum sunt mutabiles natura, facit tamen eos immutabiles, atque incorruptos gratia sempiterna. » Idem docet Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*, capite tertio. Et Gennadius capite LXII *de Ecclesiasticis dogmatibus:* « Virtutes Angelicæ, quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine surripientis culpæ mordeantur, » etc.

Isidorus libro primo *de Summo bono*, capite XII. « Gratia dicimus, non natura esse incommutabiles Angelos. Nam, si natura incommutabiles essent, Diabolus non utique cecidisset. »

Sic Maximus Interpres Dionysii[a], quod hic scribit, Angelos a Deo ἀτρέπτους, id est immutabiles conservari, exponit ita, ut cum liberi arbitrii sint, ex sese mutari posse sentiat, sed a Deo contineri, ac conservari. Anselmus item[1], « Quemadmodum, ait, malus Angelus vituperandus est, quia non potest ad justitiam redire, ita iste laudandus est, quia non potest abire. Sicut enim ille jam redire non potest, quia sola mala voluntate abiit; sic iste jam abire non potest, quia sola bona voluntate permansit. Palam igitur est, quia, sicut illi non posse recuperare, quod deseruit, est pœna peccati ; ita huic non posse deserere, quod tenuit, est præmium justitiæ. » Et Rupertus[2]: « Nam et Angelica natura, inquit, malum potuit facere, et fecit; et humana natura malum potuit facere, et fecit. Et quidem sancti Angeli firmati sunt, et quia malo quidquam a seipso faciente, id est, malum faciente, ipsi Deo principi suo adhærere maluerunt, hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non possint, quia, cum possent, facere noluerunt. Verum hoc non est per naturæ ipsorum potentiam, sed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam. » De quo, cum de Angelorum peccato sermo nobis erit, uberius agemus.

IX. Postremo ad idem probandum assumi possunt pugnæ illæ bonorum inter se Angelorum, et conflictus, qui ex sacris libris colliguntur, uti *Danielis* X. Constat enim eos aliquando dissidere invicem, ac tamdiu in eo, ad quod sua quemque voluntas et sententia fert, hærere, donec Dei super hac re decretum extiterit; ad quod, qui contra nitebantur mutata voluntate, statim sese transferunt. Non igitur ad id, quod intelligentia et voluntate semel arripuerit, immobiliter Angelus adhærescit. Atenim qui contra sentiunt, tum illos sententiam mutare non negant, cum aut non plena ex libertate aliquid susceperint, aut non penitus considerata, perspectaque re, ut in illa Angelorum apud Danielem contentione accidit. Nam utriusque partis in eo fixa erat sententia, ut, quodcumque decrevisset Deus, id statim eligerent; eo vero nondum intellecto, quod cuique melius videbatur, hoc interim tenebat, Cum autem plene, ac perfecte cognitum aliquid, ac proinde deliberatum habuerint, mutare illos posse non putant. Ita illi quidem. Verum sua ipsi oratione convincantur necesse est. Etenim, si cujus rei nondum rationes omnes, et circumstantias prorsus animadverterint, ab ea revocare se poterunt; nihil erit omnino, in quo pari jure libertatis uti nequeant. Quid enim est ex iis, quæ in ipsorum libertatem cadunt, quod illis ita ex omni parte provisum, cognitumque esse possit? Nam multa contingentibus ex causis, vel saltem divinitus incidere possunt, nova iis, et hactenus ignota, quæ consilii mutationem afferunt, Ita contra semper atque ante velle poterunt; quod in Angelorum duorum exemplo cernitur, qui sunt apud Danielem ; de quibus, ut aliorum conjecturas omittam, Isidorus Pelusiota sic scribit : Persarum ait Angelum ægre ferentem, quod Judæi pessimis suis factis iram Dei, ac servitutem perpetuam mereri pergerent, eos liberari noluisse; huic vero Angelum alterum obstitisse, qui justitiæ Dei bonitatem anteponeret, et hunc ad extremum causam obtinuisse, Deo secundum ipsum sententiam ferente, et assentiente deinceps altero. Ergo iste, quod prius elegerat, velle desiit, hoc est voluntatem

a Maxim. ad cap. XIII. Dionys. *de Cœl. Hierar.* Καὶ εἰς τὸ μὴ ἐκτρέπεσθαι εἰς ἐκφαύλους ἐπιθυμίας, ἅτε καὶ αὐτεξουσίους, ὁ θεὸς συνέχει αὐτοὺς, καὶ διατηρεῖ.

1 Lib. *de casu Diab.* cap. XXIV. — 2 Lib. V Com. *in Joan.* cap. V.— 3 Lib. II, ep. LXXXV.

mutavit. Idem et in aliis omnibus, de quibus deliberare Angelis fas est, evenire potest. Non sunt igitur ex eo, quod libere deligunt, in contrarium immutabiles.

Denique inter articulos ab Stephano Parisiensi Episcopo damnatos numeratur ille quartus capituli primi de Deo, vel intelligentiis : « Quod substantiæ separatæ[1], eo quod habent unum appetitum, non mutantur in opere, aut operatione. »

CAPUT XII.

Quomodo Angeli inter se loquantur. Apostoli locus ad Corinthios de illorum linguis exponitur. Bezæ temeraria Patrum suggillatio. Theodori Mopsuesteni opinio discussa ; nullis signis externis prodi necessario locutionem illam. Quomodo personæ divinæ secum, et cum creaturis loquantur. Explicatur Angelicæ locutionis modus ex Patribus, et Theologis.

Quomodo angeli inter se loquantur

Postquam de Angelorum intelligentia, et voluntate, quæ erant dicenda, proposuimus ; de locutione, quæ ex ambobus illis fontibus oritur, pauca nunc explicanda sunt, quam definire ita possumus, ut sit « intelligentis naturæ cogitatio ad notitiam alterius certo indicio perducta. » Eam porro in Angelis versari, tum e Scripturis sanctis, tum ex iis, quæ hactenus exposita sunt, ostenditur. Etenim illæ non solum cum hominibus, sed ipsos etiam inter se loquentes Angelos describunt. Quorum prius externo et sensibili signo, hoc est formata extrinsecus voce fieri necesse est ; alterum spirituali, et ipsorum proprio ; quoniam quidem corporis expertes eos esse, longe communior fert Catholicorum opinio. Hunc Angelorum sermonem *linguæ* vocabulo apud Apostolum intelligi plerique omnes existimant, qui sic ad Corinthios scribit[2] : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans*, etc. Quem ad locum scribit ita Chrysostomus : « Linguam Angelorum hic appellat, non corpus Angelis attribuens, sed ejusmodi est quod ait, Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur [a], » etc. Addunt Œcumenii commentarii, « ex ejus voce, quod nobis cognitum est, mutuum inter se sermonem Angelorum exprimi. Habent enim, inquit, illi significationem aliquam, qua ultro citroque colloquuntur ; quemadmodum alio in loco dicit : omne ipsi genu flectendum cœlestium, et terrenorum [b]. » Theophylactus etiam, « Angelis porro lingua est., inquit, intellectiva ; vis nimirum illa, qua sibi mutuo divinarum rerum intellectum ac divinas cogitationes impertiunt [c]. »

Apostoli locus explicatur.

II. Quocirca non ineptus modo, sed etiam impudens est Theodorus Beza, qui in *Commentariis* ad illum Apostoli locum, » plane ineptos vocat eos, qui hoc loco disputant de Angelorum linguis. » Nam hyperbole usum esse censet Apostolum, quæ interdum assumit ea, quæ neque sunt, nec esse possunt. Ut cum ita scribit : *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Atqui ut hæc sit hujus loci probabilis interpretatio, non tamen inepti judicandi sunt, qui ex eo colligunt, esse quemdam inter Angelos colloquendi modum, quem Apostolus linguam nominet ; neque contemnendus fuit Chrysostomus, ut de aliis taceam, aut Theodoretus, qui in *Commentariis* ad eumdem locum similia disputat : « Angelorum inquit linguas dicit, non quæ sensu, sed quæ intelligentia percipiuntur ; per quas, et universorum Deum laudant, et inter se disserunt. Eos enim laudantes audierunt Esaias, et Ezechiel. Quinetiam Daniel eos inter se loquentes audiit, et Zacharias, et Michæas [d] ; » aut vero Basilius, qui in Homilia ad hæc Joannis « *In principio erat Verbum*, » sic scribit : « Verbum, inquit,

Bezæ inepta et impudens Patrum suggillatio.

a Chrys. Γλῶτταν δὲ ἀγγέλων ἐνταῦθά φησιν, οὐχὶ σῶμα περιτιθεὶς ἀγγέλοις, ἀλλ' ὃ λέγει τοιοῦτόν ἐστι· κἂν οὕτω φθέγγωμαι, ὡς ἀγγέλοις νόμος πρὸς ἀλλήλους διαλέγεσθαι, etc.

b Œcum. Γλώσσαις ἀνθρώπων εἰπὼν οὐ σῶμα τοῖς ἀγγέλοις περιτίθησιν· ἀλλ' ἐκ τῆς φωνῆς τοῦ ἡμῶν ἐγνωσμένου τὴν πρὸς ἑαυτοὺς ἀγγέλων ὁμιλίαν δηλοῖ. ἔχουσι γὰρ κἀκεῖνοι τινὰ σημασίαν, δι' ἣν ἀμφότεροι ὁμιλοῦσι· ὡς καὶ ἀλλαχοῦ φησιν, ὅτι αὐτῷ κάμψει πᾶν γόνυ τῶν οὐρανίων, καὶ ἐπιγείων.

c Theophyl. Ἀγγέλοις δὲ γλῶσσα ἡ νοερὰ πρὸς τὸ ἀλλήλοις διαδιδόναι τὰ θεῖα νοήματα δύναμις.

d Theod. in cap. xiii, ep. i *ad Cor.* Ἀγγέλων δὲ γλώττας οὐκ αἰσθητὰς λέγει, ἀλλὰ νοητάς τινας, δι' ὧν καὶ τῶν ὅλων ὑμνοῦσι θεὸν, καὶ ἀλλήλοις προσδιαλέγονται. ἤκουσε γὰρ αὐτῶν καὶ Ἡσαΐας ὑμνούντων, καὶ Ἰεζεκιὴλ, καὶ μέν τοι Δανιὴλ προσδιαλεγομένων αὐτῶν ἤκουσε, καὶ Ζαχαρίας, καὶ Μιχαίας.

1 Tom. iv *Bibl. Patr.* col. 919.— 2 I *Cor.* xiii. — 3 *Gal.* i, 8.

Quodnam Verbum? humanumne Verbum, an Angelorum? Quippe significavit Apostolus, Angelos propriam habere linguam, ita dicens, *Si linguis hominum loquar, et Angelorum*[a]. » Philippus etiam Presbyter libro II *Comment. in Job*, capite VII de linguis Angelorum ex illo Apostoli testimonio similiter disserit. Nec de illorum lingua, hoc est propria quadam locutione, dubitavit Primasius, aut Sedulius, ut nonnullis placuit; quamvis ambo iisdem verbis hæc adnotent: « Non solum hominum, sed etiam, si quæ sunt, Angelorum. » Hæc enim loquendi ratio, non semper dubitationem indicat, sed idem valet interdum, ac simplex affirmatio. Sic Paulus alibi : « *Nam, Non adulterabis; Non occides; Non furaberis; Non falsum testimonium dices ; Non concupisces, et si quod est aliud mandatum*, *in hoc verbo instauratur*, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* [1]. » Nam sunt revera, præter illa, quorum meminit, alia mandata.

III. Quanquam hyperbolem, et fictionem in illis Apostoli verbis agnoscit Philoponus contra Theodorum Mopsuestenum disputans; quem ait non animadvertisse, « hyperbolem illic esse figuram, et hypothesim, ac si etiam linguam et dialectum haberent Angeli[b] : » quod sic intelligendum esse dicit, ut illa, quæ ex Paulo superius attulimus. Sed de eo sermonis genere loquitur Philoponus, quod externum et corporeum est, ac nostri simile, et lingua proprie dicitur. Id enim in Angelis, ac meris spiritibus nonnisi tropice inest, ac figurate.

Theodori Mopsuesteni opinio discussa.

In quo Theodorum Mopsuestenum reprehendit, qui sensibilem nescio quam locutionem, non solum Angelis, sed etiam Deo visus est adscribere. Etenim Deum initio dicebat, cum ad procreandas res aggrederetur, voce usum esse nulla, sed sola voluntate fecisse; quod nullus tum esset, quo audiente loqueretur. Itaque Scriptura priorum mundi partium molitionem ita designat : « *In principio creavit Deus cœlum et terram;* quoniam sola voluntate illa condidit, sine ulla voce, eo quod nullus existeret, quem ex ejus voce discere aliquid oporteret. In cæteris præcessisse vocem aliquam indicat. Cum enim jam essent illa, quæ creatorem suum, cujus non est aspectabilis substantia, discere deberent ; tunc vox secundum Dei placitum antecedebat, vocem opus ipsum sequebatur. Disciplina porro hæc erat substantiis ratione præditis, et sub aspectum minime cadentibus ab eo proposita, qui creaturam suopte condebat imperio[c]. » Hæc Theodorus; cui quidem more suo Theodoretus assentitur quæstione IX *in Genesim*. Sed Theodorum acriter insectatur, deridetque Philoponus[2]. Sic enim usurpata illa dicit, tanquam vel Deus externa aliqua voce, quæ vellet, Angelis indicaret, vel Angeli aures, ac sensus haberent, quibus illam perciperent. Quod tum de Angelis dici posset, si essent corporei. At esse corporis expertes, Theodorus existimat; qui eorum substantias νοερὰς καὶ ἀοράτους *spirituales*, *et invisibiles* vocat. Quare neque auribus, aut lingua, neque sermone indigent externo, ut invicem sensa sua patefaciant: « Non lingua, et auditu egent illi spiritus, ut ait Damascenus, sed sine prolatitio sermone suas invicem notiones, et consilia communicant [d]. »

IV. Itaque Gregorius Nyssenus commentum illud Theodori Mopsuesteni optime refellit: « Si quis, inquit, illud, *Dixit Deus*, crassius, et secundum carnem interpretetur, ut ex eo articulatum ab illo factum esse sermonem adstruat; idem etiam et illud, *Vidit Deus*, prout sensus noster percipit, per oculorum actionem cognoscere plane suspicabitur[e]. »

a Basil. Ὁ λόγος, φησί. ποῖος λόγος; ὁ ἀνθρώπινος λόγος; ἀλλ' ὁ τῶν ἀγγέλων λόγος; καὶ γὰρ ἠνίξατο ἡμῖν ὁ Ἀπόστολος ὡς καὶ τῶν Ἀγγέλων ἰδίαν ἐχόντων γλῶσσαν, εἰπών· ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ, καὶ τῶν Ἀγγέλων.

b Philop. lib. I *de Mundi opif*. cap. XXII. Οὐκ εἰδὼς ὑπερβολὴν εἶναι τὸ σχῆμα, καὶ ὑπόθεσιν, ὡς εἰ καὶ γλῶσσα, καὶ διάλεκτος ὑπῆρχεν ἀγγέλοις.

c Theod. Mopsuest. apud Philop. lib. I *de Mundi creat*. cap. XXII. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς πρώτης κτίσεως, φησὶν, οὐ λέγει φωνὴν ὁ μακάριος Μοϋσῆς· ἀλλὰ πῶς; Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γήν· ἐπειδὴ βουλῇ παρήγαγεν ἐκεῖνα μόνῃ, οὐδεμιᾷ φωνῇ χρησάμενος ἅτε μὴ ὄντος τοῦ τι μαθεῖν ἐκ τῆς φωνῆς ὀφείλοντος τῆς αὐτοῦ, ἐπὶ δὲ τῶν λοιπῶν φωνὴν προηγῆσθαι λέγει· ὅτε γὰρ ἦν λοιπὸν τὰ τὸν δημιουργὸν ὀφείλοντα μαθεῖν διὰ τῆς φωνῆς, ἀόρατον ὄντα τὴν οὐσίαν, τότε προηγεῖτο μὲν ἡ φωνὴ κατὰ τὸ δοκοῦν τῷ θεῷ· εἵπετο δὲ τῇ φωνῇ τὸ ἔργον. διδασκαλία δὲ τοῦτο ταῖς ἀοράτοις, καὶ λογικαῖς οὐσίαις ἦν τοῦ τὴν κτίσιν προστάγματι δημιουργοῦντος οἰκείῳ.

d Damasc. lib. II, cap. III. Οὐ γλώσσης, καὶ ἀκοῆς δεόμενα· ἀλλ' ἄνευ λόγου προφορικοῦ μεταδιδόντα ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα, καὶ βουλεύματα.

e Nyssen. lib. XII *contra Eunom*. Εἰ δέ τις τὸ, εἶπεν ὁ θεὸς, σαρκικώτερον ἑρμηνεύοι, ὡς διὰ τούτου τὸ ἔναρθρον λόγον παρ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι κατασκευάζειν, ὁ αὐτὸς οὗτος καὶ τὸ, εἶδεν ὁ θεὸς, κατὰ τὴν ἀντιληπτικὴν ἡμῶν αἴσθησιν διὰ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν ἐνεργείας γινώσκειν πάντως ὑπονοήσει.

1 *Rom.* XIII, 9.— 2 *Gal.* I,

Idemque de auditu, et odoratu, et cæteris colligit. Aliud ergo sermonis genus est, eorumque naturæ consentaneum, non modo quo Deus illos, vel ii Deum, sed etiam quo se invicem alloquuntur; quoniam quidem utrumque, quod Theodoretus observat[1], e Scripturis colligitur,

Ac Didymus quidem in libro secundo de *Spiritu sancto*[2], cum de locutione divinarum personarum tum inter se tum ad creaturas agit, generalem formam locutionis rebus corporis expertibus tribuere videtur, ut voluntatem suam quoquomodo inserant aliorum mentibus. Quod præcipua quadam, excellentique ratione Deus facit, de qua personarum divinarum locutione alio in loco disseruimus[3], et videndus Basilius homilia secunda *in Psalmum* XXVIII. Plenissime vero omnium Gregorius Papa libro secundo *Moralium*, capite V de spiritualium omnium rerum inter se locutione universe sic scribit: « Aliter loquitur Deus ad Angelos; aliter Angeli ad Deum; aliter Deus ad sanctorum animas; aliter sanctorum animæ ad Deum; aliter Deus ad Diabolum; aliter Diabolus ad Deum. Nam, quia spirituali naturæ ex corporea appositione nihil obstat, loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso, quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendit, ut, quidquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant, ut velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. » Tum quibusdam interpositis, « Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc, quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. » Nam, ut ante dixerat, « Vox Angelorum est in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est. » Porro sequenti capite[4], « Animarum verba, ipsa sunt desideria. Nan, si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua.* »

V. Sed, ut de Angelorum inter se collocutione dicamus, eam interiorem esse, hoc est in eorum mente consistere, neque signa ejus ulla foras sese profundere, inter illos convenit, qai sine corporibus esse eos existimant. Gregorius Nyssenus libro *adversus Eunomium* duodecimo: « In experte materiæ, et intelligibili natura, inquit, mentis actio, sermo est nequaquam materiali utens organorum ministerio. Etenim in humana natura nihil opus haberemus verborum, ac nominum usu, si nudos animi motus mutuo demonstrare possemus. Nunc, cum interiores mentis nostræ notiones, pro eo, quod carnis involucro natura nostra circumscribitur, palam fieri nequeant, necessario facimus, ut certas nominum impositiones, tanquam signa, rebus affingentès, illarum ope mentis nostræ motus invicem vulgemus [a]. » Hæc Nyssenus; quæ quidem ex Aristotele sumpsisse videtur; qui, « ideo, quod res ipsas per sese, cum disserimus, exhibere non possumus, nomina pro rebus, in usum adhiberi, tanquam signa [b], » dixit.

Atque hunc intimum, et spiritualem Angelorum sermonem ex nobis ipsis utcumque intelligere possumus. Est enim ille duplex in nobis: unus externus, qui corporeis organis efficitur: alter internus, quæ est interior mentis nostræ cogitatio, et *verbum mentis* appellatur. « Quædam enim cogitationes, ut ait Augustinus, locutiones sunt cordis. » Tum has ipsas locutiones visiones esse dicit exortas de notitiæ visionibus. Foris enim, cum per corpus hæc fiunt, aliud est locutio, aliud visio. Intus autem cum cogitamus, utrumque unum est. Sicut auditio, et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud, atque aliud videre, et audire; ac per hoc, cum locutio foris non videatur, sed potius audiatur, locutiones tamen interiores, hoc est

a Greg. Nyss. XII *contra Eunom.* Ἐπὶ γὰρ τῆς ἀΰλου καὶ νοερᾶς φύσεως, ἡ κατὰ νοῦν ἐνέργεια λόγος ἐστὶν οὐδὲν τῇ ὑλικῇ τῶν ὀργάνων ὑπηρεσίᾳ συγχρώμενος. καὶ γὰρ ἐπὶ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, οὐδὲν ἂν ἐδέησεν ἡμῖν τῆς τῶν ῥημάτων τε, καὶ ὀνομάτων χρήσεως, εἶ δυνατὸν ἦν γυμνὰ προδεικνύειν ἀλλήλοις τὰ τῆς διανοίας κινήματα· νυνὶ δὲ τῶν ἐγγινομένων ἡμῖν νοημάτων, διὰ τὸ σαρκίνῃ περιβολῇ τὴν φύσιν ἡμῶν περιάγεσθαι, φανερωθῆναι μὴ δυναμένων, ἀναγκαίως καθάπερ σημεῖα τοῖς πράγμασι, τὰς ποιὰς τῶν ὀνομάτων θέσεις ἐπιβαλόντες δι' ἐκείνων τὰς τοῦ νοῦ κινήσας ἀλλήλοις δημοσιεύομεν.

b Arist. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἔστιν αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας, ἀλλὰ τοῖς ὀνόμασιν, ἀντὶ τῶν πραγμάτων, χρώμεθα συμβόλοις, etc.

1 In com. ad I *ad Cor.* cap. XIII. — 2 Did. col. 19 Opusc. Hieron. — 3 Lib. VI. tom. II, cap. IV. — 4 Cap. VI — 5 Lib. I Elen. cap. I. — 6 Aug. XV *de Trinit.* cap. X,

cogitationes, visas dixit a Domino sanctum Evangelium, non auditas[1]. »

VI. Fulgentius itidem libro tertio *ad Monimum*[2], cogitare nihil esse dicit aliud, quam *apud se*, vel *intra se*, vel *in corde suo dicere:* Et in libro *contra Sermonem Fastidiosi*[3]: « Quid est cogitatio, nisi interna locutio? » Et paulo post: « Manifestum est ergo, hoc esse cogitare, quod est intra se dicere. Ibi ergo invisibiliter cogitatur. Sine strepitu ergo vocis corporeæ unusquisque, quod cogitat, dicit. Quod tamen ad alterius auditum nonnisi corporea locutione perducit. » Verum interior iste sermo, non alterius ad alterum, sed secum ipsius est locutio; præter quam in Angelis inesse aliquid oportet, quo suas invicem cogitationes, hoc est arcanam illam, intimamque locutionem exprimant. Nisi forte cogitationes omnes alter alterius intuetur eo ipso quod, nulla obstante corporis mole, substantias invicem suas mentis acie penetrant. Qua in sententia Philippus presbyter videri potest, cujus de Angelorum sermone locus est insignis in commentariis ad librum *Jobi*: « Collocutionem (Angelorum) æstimo, ait, mobilem quemdam voluntatum fuisse consensum potius, quam sonora colloquia, quoniam spiritus sunt, et non corpora membris composita. Unde fieri potest, ut similes motus per sublimitatem naturæ suæ in se perspexerint, et hoc dictum sit colloquium. Non enim quidquam affectuum suorum ab invicem latere spiritus possunt. Simplices enim creaturæ nullum habentes quasi obstaculum corpulentum perspicuæ sibi sunt. Unde arbitror, quod lingua illa, qua isti per conditionis suæ modum longe dissimili, atque insuspicabili distinctione, sine sono vocis, qui fit verberato aere, quod volunt, illico enuntient, nec sit necesse eos humano more, brevissimi saltem temporis spatio loquelam a cogitatione discernere[4].»

VII. Idem et Joannes Scotus arbitrari videtur, non ille inter Scholasticos acumine ingenii celebris, sed alter longe antiquior, quem in commentariis ad Dionysium de *Cœlesti Hierarchia* Dionysius Carthusianus citat: « Quis, inquit, mortalium digne concipiat modum spiritalis sermocinationis eorum? Noli ergo in eis fingere formam humanorum lineamenta membrorum, linguæ corporalis officium, distinctiones sonorum. Talia enim in eis non sunt, nisi spiritualiter tantum, nec corporali indigent locutione; quoniam conscientias suas spiritualiter invicem contemplantes, ad alterutrum quodammodo sine voce loquuntur, dum alter alterius voluntatem videndo intelligit. Nam et post resurrectionem futuram corda nostra erunt sibi invicem claritate fulgentia, et puritate translucentia. Ipsa quippe eorum claritas sibi mutuo in alternis cordibus patebit. Et, cum uniuscujusque vultus attendetur, simul et conscientia penetrabitur. Ibi namque uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit et corporalibus oculis ipsa corporis harmonia; sicque erit tunc unusquisque conspicabilior alteri, quam nunc sibi. Cum ergo de nobis hoc indubitanter speremus; similia de illis, qui nobilioris et subtilioris nobis substantiæ sunt, intelligamus[5].»

Atqui non posse cogitationes Angelorum, nisi volentibus iis, et significantibus, ab aliis percipi, inter Theologos convenit; idque nos antea demonstravimus, cum ne animorum quidem nostrorum liberas cogitationes invitis nobis intelligant. Quare non potest sola cogitatione, hoc est interiore mentis cogitatione, neque solo voluntatis desiderio, definiri Angelorum locutio. Sed ad utrumque adjungi aliquid oportet, quod ad alterius notitiam cogitationem istam destinet; quam esse voluntatis actionem, Albertus, ac sanctus Thomas interpretantur. Nam uterque « per voluntatem conceptum mentis Angelicæ ordinari ad alterum putat; et sic loqui unum Angelum alteri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare[6]. » Hæc sanctus Thomas.

VIII. Quocirca veteres illi Patres, qui in mentis cogitatione constituere videntur locutionem Angelicam, non sic intelligendi mihi videntur, ut aut sola cogitatione circumscribant, exclusa voluntatis actione, quæ eam ad alterum dirigat, aut omnem cujuslibet cogitationem ab cæteris videri sentiant; sed hoc unum docere voluisse, nullis extrinsecus signis, itidem ut nos, ea repræsentare invicem Angelos, quæ quidem nota esse velint, verum illas ipsas in sese notiones intueri. Hinc Philippus, quem paulo ante citavi, Angelos ait « quod volunt, illico enuntiare; » idque cogitatione sola. Etenim mentis illa notio, etiam ad alterum voluntate directa, mera cogitatio est nulla re nisi intelligibili constans; ad quod unum Patres illi respe-

Veteres Patres explicantur

1 *Marc.* IX. — 2 Cap. IV. — 3 Cap. XV. — 4 Lib. II, cap. XXIX. — 5 Cap. XV, art. 75. — 6 I p. q. CVII, art. 1.

xerunt. Quin Joannes ille Scotus in eo, quem adduximus, loco, id ipsum pro absurdo sibi objicit, quod ex ejus verbis deduci posse diximus. « Si, inquit, dixerimus, quod omnes Angelici spiritus omnes prorsus cogitationes suas invicem conspiciant, necesse est fateamur minores scire omnia, quæ sciunt majores; quod nequaquam verum est. Multa enim sciunt excellentiores, quæ ignorant inferiores. Et cogitationes ergo suas invicem contemplantur, et tamen nonnullas cogitationes majorum nequeunt videre minores. » Hæc ille haud satis explicat. Nam majorum tantum, hoc est superiorum, cogitationes excepit ab inferiorum notitia. Sed utrum vel majores minorum, vel ejusdem quisque ordinis Angelorum cogitationes dispiciat, non aperte definit. Ac dubitare possis, an locutionem omnem illuminatione fieri crediderit ita, ut alter alteri loquens Angelus, ejus intellectum quadam luce perfundat. Unde, cum soli superiores inferiorum mentes illustrare possint, non hi vicissim illos, putaverit eos solum, qui superiores sunt, vera, et Angelorum propria locutione ad inferiores uti; hos vero perinde loqui cum superioribus, ut cum Deo loqui dicuntur, non ut occultum eis aliquid significent, sed ut cogitationes jam illis manifestas, ac desideria sua dirigant.

Scotus explicatur.

IX. Tale quippiam ex illis Scoti verbis suspicari possumus; tum ex iis, quæ subjicit: « Angelus itaque loquitur Angelo, dum aliqua sibi nutibus occultis insinuat. Subtilem enim hanc locutionem mens eorum illuminata intelligit. » Nam *illuminandi* verbum id eum sensisse, quod dixi, suadere videtur. Sed utcumque opinio illius habet, certissimum est, non omnes inferiorum cogitationes ab superioribus Angelis cerni; ob idque vere, ac proprie loqui eos invicem, neque tamen illuminari superiores, cum loquentes illos audiunt. Tum enim illustrant loquendo Angeli, cum ab summo veritatis principio haustam aliquam notitiam in alios derivant; non cum ea solum communicant, quæ ex intelligentis voluntate pendent, ut recte S. Thomas animadvertit.

Jam quod *nutibus occultis*, vel ut aliter legitur, *motibus*, loqui mutuo Angelos Scotus asserit; non est existimandum, signa quædam, ac notas extrinsecus putasse ab Angelo describi; quod frustra divinarunt Theologi quidam. Nihil enim aliud, nisi cogitationes ipsas intelligit, voluntatis ad alterum usu destinatas; quod his verbis explicare pergit: « Et velut quidam sonus est vocis ipsa visio voluntatis. Sermo enim, quem unus Angelus loquitur, et alius audit, signum quoddam est, quod invisibiliter fit ab uno, et cernitur ab alio, nullis in medio currentibus verbis. Possunt namque subtiles illæ essentiæ quodlibet sibi invicem demonstrare sine sensibili verbo, sono, ac signo. Et quasi sermo procedit ex ore, dum demonstratio venit ex occulto. »

X. Quomodo etiam fortasse Bruno intelligendus est, qui in *Scholiis ad prioris ad Corinthios* caput XIII de Angelorum linguis loquens, « quibusdam, inquit, signis alteri alter voluntatem suam significat. »

Est apud veteres quosdam e Platonicorum, ut suspicor, dogmatibus confecta signorum istorum, ac notarum ratio. Aiunt homines, dum intus in animo meditantur aliquid, suis ipsis cogitationibus nescio quid in illo depingere, ac velut in tabella delineare; quod etiam exutus corpore circumferat, ac videndum exhibeat. Ita Basilius in libro *de Vera Virginitate*: « Quemadmodum inquit, pictor aliquis, ita mens nostra in anima, tanquam in tabella, cogitationes pro arbitrio delineat[a]. » Ac subinde: « Ita et mens, sub exitum vitæ corpore exuta, quod velut quoddam velamentum obduxerat illi animæ tabellæ, quam per totum vitæ spatium cogitationibus suis depinxit, ea, quæ occulte ibi exarata sunt in lucem prolata omnibus exhibet[b]. » Ita Synesius tum Platonicus ipse philosophus, tum ex Platonis decretis, animas hominum malefactorum inuri vestigiis asserit *in epist.* XLIV, eaque post mortem superesse, ac tormentis et cruciatibus, velut inhærentes vestibus maculas abstergi. Sed ista commentitia sunt, ut sunt fere Platonicorum dogmata. Maximus vero *in Scholiis* ad caput secundum Dionysii *de Ecclesiastica Hierarchia*, Angelos putat « in se invicem euntes, et recedentes, explicatius, quam ullo sermone, suas mutuo cogitationes inspicere, ac velut inter se collo-

a Basil. Καθάπερ γάρ τις ζωγράφος ἡμῶν ὁ νοῦς, ὥσπερ ἐν πίνακι, τῇ ψυχῇ, τὰς ἐννοίας ὡς θέλει μορφοῖ.

b Mox: Οὕτω καὶ ὁ νοῦς καὶ κατὰ τὴν ἔξοδον τοῦ βίου, ὥσπερ τι προκάλυμμα τοῦ κατὰ ψυχὴν πίνακος, ὃν παρ' ὅλον τὸν βίον ταῖς ἐννοίαις καθεζωγράφησε, τὸ σῶμα ἀφαιρεθεὶς, τὰ ἐν ἀποῤῥήτοις γραφέντα εἰς φῶς τοῖς πᾶσι δεικνύει.

1 In I p. q. CVII. art. 2.

qui, silentio sermonem conferentes[a]. » Quæ verba demonstrare videntur, Angelorum substantias sese mutuo pervadere, ut sic colloquantur; quod minime est verisimile.

Vera locutionis Angelorum ratio exponitur.

XI Redeundum igitur est ad id, quod dixeram, Angelorum locutionem nihil videri esse aliud, quam destinationem, vel directionem cogitationis ad alium voluntate factam. Id vero quemadmodum fiat, atque utrum is, qui loquitur, speciem aliquam, et imaginem in audientem trajiciat; an ab ortu suo species omnes inditas acceperint, nec ullas novas acquirant, disceptandum Scholis relinquimus; quemadmodum neque satis illud convenit, an ex omni intervallo mutuo sibi loqui, seque audire possint Angeli, an potius intra certum, ac definitum spatium id fiat; quorum prius S. Thomas[1] asseverat ideo, quod intellectus actio nullis loci, vel temporis nexibus tenetur; tum quod alterius Angeli substantiam quolibet in loco intueri potest Angelus. At ex adverso pugnant alii, qui hoc ex sacris litteris afferunt, Angelos, uti cum distantibus aliis loquerentur, ad eos advolasse. Ut apud Prophetam Zachariam[2]: *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur; et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum; Curre, loquere ad puerum istum*, etc. Verum non valde hæc ad rem pertinent. Quippe specie tenus, et ad humanum captum accommodata hæc omnia videntur perinde, atque vocibus, et sensibilibus signis, ac formis usi sunt Angeli, ut se ad hominum consuetudinem demitterent.

Solet etiam id in Scholis agitari, ecquid unus alteri ita loqui possit, præsentibus aliis, ut iste solus loquentem audiat, an, quod uni dicitur, audiant cæteri. Ac merito negatur hoc a S. Thoma[3], reliquisque Theologis; quod, cum interior Angeli cogitatio non aliter, quam ex voluntatis ejus destinatione nota fiat alteri; cuivis autem liberum sit ad unum quempiam dirigere, non ad alium; consequens est, ab illo solo, quod cogitatum erit, intelligi.

CAPUT XIII.

Utrum Angeli sint in loco. Variæ antiquorum sententiæ, aliis negantibus, aliis affirmantibus. Qui tamen invicem conciliantur. Duplex existentia in loco; immo, triplex, definitive, circumscriptive, et per habitudinem, *sive* σχέσιν. . *Durandi opinio singularis, et falsa. Moveri loco Angelos, idque in tempore. An plures in eodem loco esse possint, seseque penetrare.*

An Angeli sint in loco, variæ sunt Patrum sententiæ.

I. De Angelorum loco, et motu proxima est inquisitio. Ac de loco quidem diversa sentire Patres videntur. Quidam enim, non solum in loco esse, sed etiam circumscribi loco eos asserunt; alii in loco esse negant; postremo aliqui quemdam iis modum assignant, quo in loco esse dicuntur.

Locum occupare Angelos, eoque circumscribi, omnes illi sentiunt, qui corpore præditos putant. Inter quos diserte Basilius libro de *Spiritu sancto* : « Substantia, inquit, eorum est aerius, si forte, spiritus, aut ignis expers materiæ, quemadmodum scriptum est: *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem*. Ideo et in loco sunt, et aspectabiles fiunt, atque iis, qui digni sunt, apparent in propriorum corporum forma[b]. » Et alio in loco non minus aperte: « Cæterarum porro virtutum singulæ certo circumscriptæ loco esse creduntur. Etenim Angelus ille, qui Cornelio adstitit[4], non erat eodem tempore apud Philippum; neque qui ex altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore propriam in cœlo stationem obibat. At Spiritus sanctus simul et in Abacuc operatus, et in Daniele apud Babylonem creditur[c].» Porro idem Basilius alibi « rem incorpoream loco circumscribi » negat. Et, « Locum præcipue ait esse corporis; animam vero ex consequenti, ac velut accessionis instar esse in loco propter

a Max. Ἀλλ' ἐν ἀσωματίᾳ τυγχάνοντες, καὶ εἰς ἀλλήλους χωροῦντες, καὶ ἀποχωροῦντες παντὸς λόγου τρανότερον τὰς ἀλλήλων νοήσεις κατοπτεύοντες, ἀλλήλοις ὥσπερ διαλέγονται, διὰ σιγῆς τοῦ λόγου μεταδιδόντες ἀλλήλοις.

b Basil. lib. *de Sp. sancti* cap. xvi. Ἡ μὲν οὐσία αὐτῶν τὸ ἀέριον πνεῦμα, εἰ τύχοι, ἢ πῦρ ἄϋλον, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ, πῦρ φλέγον. διὸ καὶ ἐν τόπῳ εἰσὶ, καὶ ὁρατοὶ γίνονται ἐν τῷ εἴδει τῶν οἰκείων αὐτῶν σωμάτων τοῖς ἀξίοις ἐμφανιζόμενοι.

c Idem, cap. xxii. Τῶν μὲν οὖν ἄλλων ἑκάστη δυνάμεων ἐν περιγραπτῷ τόπῳ τυγχάνειν πεπίστευται. ὁ γὰρ τῷ Κορνηλίῳ ἐπιστὰς ἄγγελος, οὐκ ἦν ἐν ταυτῷ καὶ παρὰ τῷ Φιλίππῳ· οὐδὲ ὁ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου τῷ Ζαχαρίᾳ διαλεγόμενος, κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ ἐν οὐρανῷ τὴν οἰκείαν στάσιν ἐπλήρου. τὸ μέντοι πνεῦμα ὁμοῦ τε καὶ ἐν Ἀββακοὺμ ἐνεργεῖν, καὶ ἐν Δανιὴλ ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας πεπίστευται.

1 Art. 4. — 2 Cap. ii. — 3 Art. 5. — 4 Act. 1. — 5 Luc. i.

habitudinem ad corpus, cum ex naturæ suæ proprietate loco minime circumscribatur [a].

II. Gregorius Papa, etsi Angelos corpore carere censeat, ut supra demonstravi, loco tamen circumscribi asserit in libro secundo *Moralium*, capite tertio : « In hoc, inquit, est nunc natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur. Angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt; sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. » Ac deinde : « Et mittuntur igitur, et assistunt, quia per hoc, quod circumscripti sunt, exeunt. »

Athanasius in epist. *ad Serapionem* illud, quod est inter Angelos, et Spiritum sanctum, discrimen afferens, Angelos ait ἐν τόπῳ, id est *in loco* esse; Spiritum sanctum non esse.

Theodoretus quoque quæstione tertia *in Genesim* solum Deum incircumscriptum esse vult; « quæ autem ab initio aliquo esse cœperunt, esse circumscripta. Quare, licet expertem corporum fateamur esse naturam Angelorum, circumscribi tamen asserimus illorum substantiam [b]. » Sed hæc circumscriptio est naturæ determinatio, quia nulla res creata est infinita. Verum de loco mox ita concludit : « Quod si, inquit, verum illud est, ut est profecto, loco utique opus habebunt. Nam sola divinitas, veluti minime circumscripta, non est in loco [c]. » Unde probat, neutiquam creatos esse ante mundum conditum. Leontius item libro primo contra Nestorium, humanas animas circumscriptas esse loco censet. Itidemque Gennadius capite XII de *Ecclesiasticis dogmatibus;* quemadmodum et Faustus in epistola, quam Claudianus Mamertus refutavit.

III. Damascenus insuper, qui corpus, ac materiam ab Angelorum natura removet, locum nihilominus iis attribuit : « Circumscripti sunt, inquit, quoniam, cum in cœlo sunt, non sunt in terra, cum in terram a Deo mittuntur, non manent in cœlo [d] » Ac deinde : « Cum autem intelligentiæ sint, etiam intelligibilibus in locis sunt, non corporum more circumscripti. Non enim ut corpora secundum naturam figurantur, neque triplici dimensione constant; sed eo ipso sunt in loco, quod intelligibiliter præsentes sint, et agant, ubicumque esse jussi sunt, nec possint eodem momento simul hic esse et illic, et agere [e]. »

Atque idem in primo libro locum duplicem constituit : unum corporeum, qui est terminus ambientis corporis, velut aer corpus amplectitur : alterum νοητὸν, « intelligibilem, ubi intelligitur, et est intelligibilis, expersque corporis natura; in quod adest, et agit, nec more corporum ambitur, sed intelligibiliter. Non enim habet figuram, ut tamquam corpus contineatur. Cæterum Deus, ut qui materia caret, neque circumscribitur, in loco non est. Nam ipse sibi locus est, implens omnia, etc [f].»

IV. Duplici ergo ratione Angelos in loco esse, Damascenus affirmat, quod alicubi sunt, et adsunt, præsentesque sunt; et quod ibidem agunt, quamvis non eos locus contineat. Id esse circumscribi loco, tam Damascenus, quam paulo ante citati Basilius, et Gregorius putant; quod vulgo in Scholis dicitur *definiri loco*. Nam *circumscribi*, corporum eædem esse proprium arbitrantur; ideoque negant Angelos circumscribi loco, quia partibus carent, quas metitur locus, qui rem collocatam ita complectitur, ut pars parti respondeat.

Quod Augustinus in epist. XXVIII *ad Hiero-*

a Basil. hom. XXX *de Parad.* Τὸ δὲ ἀσώματον τόπῳ οὐ περιγράφεται. Mox : Ἀλλὰ προηγούμενος μὲν τῶν σωράτων ὁ τόπος· ἡ δὲ ψυχὴ κατ' ἐπακολούθημά ἐστιν ἐν τόπῳ διὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα σχέσεως, οὐκ ἐκ τῆς οἰκείας φύσεως ἐμπεριγραφομένη τόποις : ubi legendum puto προηγουμένως.

b Theodoret. Τὰ δέ γε ἀρξάμενα τοῦ εἶναι, περιγεγραμμένον ἔχει δηλονότι τὸ εἶναι. οὐκοῦν καὶ ἀσώματον λέγοντες εἶναι τῶν ἀγγέλων τὴν φύσιν, περιγεγράφθαι φαμὲν αὐτῶν τὴν ὑπόστασιν.

c Ibid. Εἰ δὲ τοῦτο γοῦν ἀληθὲς, ὥσπερ καὶ ἀληθὲς, τόπου ἄρα προσδέονται. μόνον γὰρ τὸ θεῖον, ὡς ἀπερίγραφον, οὐκ ἐν τόπῳ.

d Damasc. lib. II *de Fide,* cap. III. Περιγραπτοί· ὅτε γὰρ εἰσὶν ἐν οὐρανῷ, οὐκ εἰσὶν ἐν τῇ γῇ, καὶ εἰς τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀποστελλόμενοι, οὐκ ἐναπομένουσιν ἐν τῷ οὐρανῷ.

e Ibid. Νόες δὲ ὄντες, ἐν νοητοῖς καὶ τόποις εἰσὶν, οὐ σωματικῶς περιγραφόμενοι. οὐ γὰρ σωματικῶς κατὰ φύσιν σχηματίζονται. οὐδὲ τριχῇ διαστατοί εἰσιν, ἀλλὰ τῷ νοητῶς παρεῖναι. καὶ ἐνεργεῖν, ἔνθα ἂν προσταχθῶσι, καὶ μὴ δύνασθαι κατὰ ταὐτὸν ὧδε κἀκεῖσε εἶναι, καὶ ἐνεργεῖν.

f Damasc. lib. I, cap. XVI. Ἔστι δὲ καὶ νοητὸς τόπος, ἔνθα νοεῖται, καὶ ἔστιν ἡ νοητὴ, καὶ ἀσώματος φύσις· ἔνθαπερ πάρεστι, καὶ ἐνεργεῖ, καὶ οὐ σωματικῶς περιέχεται, ἀλλὰ νοητῶς, οὐ γὰρ ἔχει σχῆμα, ἵνα σωματικῶς περισχεθῇ. ὁ μὲν οὖν θεὸς, ἄϋλος ὤν, καὶ ἀπερίγραπτος ἐν τόπῳ οὐκ ἔστιν. αὐτὸς γὰρ ἑαυτοῦ τόπος ἐστὶ, τὰ πάντα πληρῶν.

1 Tom. I. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* col. 962.

nymum declarat sic : « Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest ; nec minor in minoribus, et in majoribus major, sed alicubi intentius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et in singulis tota est. » Quo in loco utrumque modum exsistendi in loco complexus est. Verum animam quidem rationalem posteriore hoc modo in loco esse merito judicavit, ut qui corporis eam expertem esse credidit ; Angelis vero, quos corporatos putavit, priorem assignare debuit.

V. Complures antiquorum in loco esse Angelos negasse videntur ; sed dextre intelligendi sunt. Gregorius Nyssenus in primo libro contra Eunomium editionis secundæ : « Nemo adeo puerili est, ait, ingenio, qui in natura intelligente, et incorporea differentiam loci reperiri existimet. Loci enim positio propria est corporum. Quod autem natura est intelligens, et materia caret, longe ab omni notione loci est, ut omnes confitentur[a]. » Idipsum et alibi Macrinam sororem dicentem introduxit[1].

Didymus in libro primo de *Spiritu sancto*[2], spirituales creaturas *circumscribi* negat *loco et finibus*, tametsi *proprietate substantiæ finiuntur*. Ac mox Angelos cum Spiritu sancto comparans, eo differre scribit, quod hic ubique est, et omnibus, qui ubicumque sunt, eodem adest tempore ; « Angelus vero, qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis. » Et in libro secundo, « Loca, inquit, et commutationes locorum ab incorporalibus separamus. » Nimirum illud ipsum est, quod in Scholis vulgo dicitur, definiri loco, id est in certo esse loco, non ubique Angelos ; non tamen circumscribi, ut instar corporum in eo constituti sint.

VI Nemesius Christianus philosophus humanam animam loco minime circumscribi asserit, quod sit spiritus ; ex quo et de Angelis idem est consequens. « Anima, inquit, corporis expers, neque loco circumscripta, tota per totum et lumen suum, et corpus permeat, nec est aliqua pars ab ea collustrata, in qua non insit toto. Non enim a corpore continetur, sed corpus ipsa continet ; nec in corpore tanquam in vase, vel utre residet, quin potius in ipsa corpus est. Etenim, quæ sunt intelligibilia, cum a corporibus minime prohibeantur, sed per totum corpus meantia, et transeuntia, et pervadentia sint, non possunt a corporeo contineri. Ut enim intelligibilia sunt, sic intelligibilibus in locis insunt : nimirum vel in seipsis, vel in superioribus intelligibilibus. Velut anima interdum in seipsa est, dum ratiocinatur ; interdum intellectu, dum intelligit. Quare, cum in corpore esse dicitur, non sic, ut in loco, esse in corpore dicitur, sed tanquam habitudine quadam, et eo ipso, quod adest, quemadmodum Deum in nobis esse dicimus. Etenim habitudine, et propensione ad aliquid, affectioneque alligari dicimus animam ab corpore, non secus ac vinctus amator ab amasia sua dicitur, non corpore, aut loco, sed habitudine. Quod enim magnitudinis, molis, et partium est expers, nulla loci parte circumscribi potest. Nam cui pars nulla est, quonam circumscribi loco potest ? Cum mole enim locus exsistit. Quippe locus est terminus corporis ambientis, quo id, quod continetur, amplectitur[b]. » Hæc Neme-

a Nyss. a *Grets.* edit. Οὐδεὶς γὰρ οὕτω παῖς τὴν διάνοιαν. ὡς ἐπὶ τῆς νοερᾶς τε, καὶ ἀσωμάτου φύσεως τὴν κατὰ τόπον διαφορὰν ἐννοεῖν. ἴδιον γὰρ σωμάτων ἡ ἐπὶ τόπου θέσις τὸ δὲ τῇ φύσει νοερόν τε, καὶ ἄϋλον, πόῤῥω τῆς κατὰ τόπον ἐννοίας ὁμολογεῖται.

b Nemes. lib. *de Nat. hom.* cap. III. Ἡ δὲ ψυχὴ ἀσώματος οὖσα, καὶ μὴ περιγεγραμμένη τόπῳ, ὅλη δι' ὅλου χωρεῖ καὶ τοῦ φωτὸς ἑαυτῆς, καὶ τοῦ σώματος· καὶ οὐκ ἔστι μέρος φωτιζόμενον ὑπ' αὐτῆς, ἐν ᾧ μὴ ὅλη πάρεστιν. οὐ γὰρ κρατεῖται ὑπὸ τοῦ σώματος, ἀλλ' αὐτὴ κρατεῖ τὸ σῶμα· οὐδὲ ἐν τῷ σώματί ἐστιν, ὡς ἐν ἀγγείῳ, ἢ ἀσκῷ· ἀλλὰ μᾶλλον τὸ σῶμα ἐν αὐτῇ. μὴ κωλυόμενα γὰρ ὑπὸ τῶν σωμάτων τὰ νοητὰ, ἀλλὰ διὰ παντὸς σώματος χωροῦντα, καὶ διαφοιτῶντα, καὶ διεξιόντα, οὐχ οἷά τε ἐστὶν ὑπὸ τόπου σωματικοῦ κατέχεσθαι. νοητὰ γὰρ ὄντα ἐν νοητοῖς καὶ τόποις ἐστίν· ἢ γὰρ ἐν ἑαυτοῖς, ἢ ἐν τοῖς ὑπερκειμένοις νοητοῖς ὡς ἡ ψυχὴ ποτὲ μὲν ἐν ἑαυτῇ ἐστιν, ὅταν λογίζεται· ποτὲ δὲ ἐν τῷ νῷ, ὅταν νοῇ. ἐπὰν οὖν ἐν σώματι λέγηται εἶναι, οὐχ' ὡς ἐν τῷ σώματι λέγεται εἶναι, ἀλλ' ὡς ἐν σχέσει, καὶ τῷ παρεῖναι, ὡς λέγεται ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν. καὶ γὰρ τῇ σχέσει, καὶ τῇ πρός τι ῥοπῇ, καὶ διαθέσει δεδέσθαι φαμὲν ὑπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχήν· ὡς λέγομεν ὑπὸ τῆς ἐρωμένης δεδέσθαι τὸν ἐραστὴν, οὐ σωματικῶς, οὐδὲ τοπικῶς, ἀλλὰ κατὰ σχέσιν. ἀμέγεθες γὰρ ὂν, καὶ ἄογκον, καὶ ἀμερὲς, τῆς κατὰ μέρος τοπικῆς περιγράφεσθαι κρεῖττόν ἐστι· τὸ γὰρ μὴ ἔχον μέρος,

1 Lib. *de An. et Res.* tom. II. — 2 Inter Opusc. Hier. jam citatus tom. II, lib. II, cap. XVI, § 9.

sius, qui substantiam corpore carentem non alio modo in loco esse docet, quam σχέσει, et ἐνέργεια, id est *habitudine*, et *actione*, tum etiam præsentia ; atque ob id unum in loco proprie non esse, quod nulla sit moles, quam corporis terminus ambiendo contineat, nullaque pars, quæ loci parte circumscribi queat. Nam quocumque in corpore sit, totum illud pervadit, et penetrat : neque *cum mole ejus pariter* extenditur, ut de anima hominis Chrysostomus asserit[a]. Eadem est Gregorii Nazianzeni sententia, qui adversus Apollinarem agens, « res spirituales ait incorporeo, et indivisibili modo, et invicem, et cum corporibus misceri [b]. »

VII. At Philoponus contra Theodorum Mopsuestenum, et Theodoretum disputans, ambos hos refellit, sed illum præcipue, quod Angelos certo loco circumscribi dicerent ; non enim esse nusquam. sed cœlum inter, ac terram, unde nec ante universitatem hanc esse procreatos, cum ante id, quod continet, quod continetur, esse nequeat. Philoponus vero negat[c], eos in loco esse, sive per sese, sive ex accidenti. Illud enim proprium esse corporum, quæ triplici dimensione constant, hoc animæ rationali tribui, quæ cum corpore conjungitur ; ideoque, dum hoc loco movetur, etiam illa moveri loco ex accidenti dicitur ; at substantiæ, quæ plane corporibus exemptæ sunt, neque in loco sunt ex accidenti, neque loco moveri ratione ulla possunt ; cujusmodi esse Angelos Theodorus, ac Theodoretus existimant. Ad hæc, circumscriptam esse Angelorum hypostasim, uterque pugnabat hoc argumento, quod, nisi ita foret, non possent Angelorum millia, vel decies centena millia numerari. Quod enim numeratur, id finitum, ac circumscriptum est. Contra quos Philoponus contendit, circumscriptos esse, non loco, id enim corporum est, sed κατὰ δύναμιν *virtute*, ac *potentia ;* ambos autem istos ait nullam aliam περιγραφὴν agnoscere, nisi loci, ac spatii. Sed enim, « quia magnitudine, ac dimensione carent, neque circumscriptos esse secundum magnitudinem, neque incircumscriptos ; hoc est neque finitam habere magnitudinem ; neque infinitam, neque secundum locum extra esse, nec intra cœlum[d] ? » Nam quod certo numero comprehenduntur, non ideo circumscribi loco ; quippe sanctissimæ quoque Trinitatis personæ numerantur, neque tamen circumscriptæ sunt.

Circumscriptionem.

VIII. Quocirca duplici ratione spirituales in loco esse substantias Philoponus affirmat, nimirum aut κατὰ συμβεβηκὸς, quia corporibus affixæ sunt, ut anima rationalis, quod et σχετικῶς Nemesius vocat : aut κατὰ δύναμιν, vel ἐνέργειαν ; ut et Nemesius, et Damascenus sentiunt. Quibus et S. Thomas accedit ; qui Angelum in loco esse putat , « per applicationem virtutis [2]. » Addit vero « neque commensurari loco, » nec ab eo contineri. Quippe substantiam corporis expertem, quæ vi sua rem corpoream attingit, continere ipsam, non ab ea contineri ; velut est anima, quæ corpus continet, non ab eo continetur. Sic igitur « et Angelus, inquit, dicitur esse in loco corporeo, non ut contentum, sed ut continens aliquo modo ; » quod ipsum Nemesius paulo ante citatus docuit. Qui cum spiritus in loco esse tantummodo κατὰ σχέσιν, et ἐνέργειαν asserit ; tum, ut clarius hoc ipsum explicet, statim objicit sibi : « Igitur eodem tempore Alexandriæ simul, et Romæ, immo ubique erit anima mea ; » cui sic occurrit : « hoc qui dicat, non animadvertere, locum se tacite significare. Nam, quod ita concipitur, in urbe Alexandrina esse, vel omnino hic, locus est. At in loco nullo modo est, sed in habitudine. Ostendimus enim, non posse comprehendi loco. Cum ergo in habitudine quadam fuerit intelligibilis res ad locum, vel rem aliquam, quæ sit in loco, per abusionem

Per accidens

Per habitudinem aut virtutem.

Per habitudinem et actionem.

ποίῳ δύναται τρόπῳ περιγράφεσθαι; ὄγκῳ γὰρ τόπος συνυφίσταται. τόπος γάρ ἐστι πέρας τοῦ περιέχοντος, καθ' ὃ περιέχει τὸ περιεχόμενον.

a Chrys. Orat. v *de Incomp.* Ὅτι παρεκτείνεται τῷ τοῦ σώματος ὄγκῳ; ἀλλὰ τοῦτο ἄλογον.

b Greg. Nazianz. epist. i *ad Cledon.* Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν νοητῶν φύσις, ἀσωμάτως, καὶ ἀμερίστως, καὶ ἀλλήλοις, καὶ σώματι μίγνυσθαι.

c Philop. lib. I, cap. xvi. Τὸ γὰρ ἐν τόπῳ εἶναι, μόνων ἐστὶ σωμάτων, ἅπερ τριχῆ διέστηκε. καὶ γὰρ ὁ τόπος ἐστὶ διάστημα. δεδείχαμεν δὲ ὅτι μηδὲ σώματά εἰσιν ἐκεῖναι, μηδὲ ἀσωμάτοις οὔσαις ὀργανικὰ σώματα ἐξῆπται, ὡς ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς. δι' ὅπερ οὐ καθ' αὐτὰς ἐν τόπῳ, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, τοπικῶς κινουμένων ἐκείνων. αἱ δὲ παντελῶς ἐξῃρημέναι σωμάτων, οὐδὲ κατὰ συμβεβηκός εἰσιν ἐν τόπῳ, οὐδὲ κινεῖσθαι κατὰ τόπον αὐτὰς τῶν ἐνδεχομένων ἐστί. καί τοιγε καὶ αὐτοὶ τοὺς Ἀγγέλους ἀσωμάτους εἶναί φασι.

d Philop. lib. I *de Opif.*, cap. xvii. Εἰ δὲ ἀσώματοι, καὶ πάσης ἐκτὸς διαστάσεως αἱ οὐσίαι τῶν ἀγγέλων ἐδείχθησαν, οὐδ' ἄρα περιγεγραμμέναι κατὰ μέγεθός εἰσιν, οὐδὲ ἀπερίγραφοι· τουτέστιν οὐδὲ πεπερασμένον ἔχουσι μέγεθος, οὐδὲ ἄπειρον , οὔτε ἔξω τοπικῶς τοῦ κόσμου εἰσὶν, οὔτε ἐντός.

1 Philop. lib. I, cap. xvi ibid. — 2 In I Par. q. lii, art. i.

ibi illam esse dicimus, propter actionem, quam illic efficit; adeo ut pro habitudine, et actione locum usurpemus [a] *. »

Honorius Augustodunensis libro *de Prædestinatione, et libero arbitrio*, qui est tomo IX. Bibliothecæ Patrum, sciscitanti de diabolo, « cum sit illocalis, ut puta incorporeus, unde, et quomodo cecidit; » respondet ita : « Sicut aliquis in luce solis tam subito visu (for. casu) visum amitteret, diceretur in tenebras incidisse, cum locum non mutaverit, præsertim cum in nullo fuerit. » Quibus verbis illud indicat, spirituales res nusquam esse.

Quo sensu intelligendi qui Angelos loco esse negant.

IX. Sed videntur omnes illi veteres, qui vel Angelos in loco esse non putarunt, vel actione sola in illo esse dixerunt, nihil aliud spectasse, quam ut eum modum ab illis abjudicarent, quo in loco sunt corpora, quorum partibus partes spatii respondent: cæterum non eos dubitasse arbitror, quin per se, ac nihil etiam agentes alicubi essent sola præsentia sua. Hoc enim Damascenus indicat, cum ait, *intelligibilia*, hoc est spiritualia, esse *intelligibilibus* in locis; cæteri fere nihil aliud, quam περιγραφὴν, hoc est *circumscriptionem*, commensumque loci detrahere voluerunt. Etenim certo in loco esse Angelos arbitrati sunt, nec eodem ubique tempore*:* tametsi nihil prorsus agerent, neque loco circumscriberentur; quod in Scholis passim sic explicant, ut *diffinitive* sint in loco, quoniam ita sunt in uno, ut in alio non sint; non autem « circumscriptive, quia non commensurantur loco, » ut S. Thomas loquitur. Neque aliter Boetii intelligenda sententia est, cum ait, communem hanc esse notionem, « incorporalia non esse in loco. » Basilius oratione in illa verba, « Attende tibiipsi, » præire mihi videtur ad probabilem sensum illius opinionis, quæ Angelos in loco per solam ἐνέργειαν

Actionem.

constituit. Nam de mente, sive hominis animo disserens, ita loquitur : « Incorporeum namque, et incomprehensibilem (loco) intelligis (intellige) Deum ex ipsa anima, quæ in te immortalis (incorporea) est; quoniam quidem neque tua mens principaliter in loco aliquo continetur, sed tantum ex consortio corporis invenitur in loco. Invisibilem esse Deum credis animæ tuæ substantia contemplata; quia ne ipsam quidem potes carnalibus oculis intueri. Neque enim color ei ullus, aut habitus est, vel forma ei aliqua corporeæ descriptionis exprimitur; sed ex virtutibus tantum, et operationibus innotescit [b].» Hæc Basilius interprete Zenone Veronensi. Ubi animum nostrum non per se in loco esse dicit, sed ex accidenti; idque ex virtutibus, et actionibus cognosci. Hoc igitur modo *per operationem* esse in loco res spirituales dicuntur, quia non aliter intelliguntur esse in loco, quam ex earum actione. Inter articulos a Stephano Parisiensi damnatos iste refertur XXIV capitis I de Deo, etc. « Quod substantiæ separatæ sunt alicubi per operationem, et non possunt moveri ab extremo in extremum, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis. Error, si intelligatur, sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco in locum *. »

X. Non ingratum confido fore Theologiæ studiosis, si de Angelorum, rerumque adeo spiritualium omnium loco, Græci cujusdam sententiam adscribam, haud adeo veteris, sed eruditi. Is est Psellus, cujus *Quæstionum physicarum* librum penes me habui, e quibus octogesima quarta est ejusmodi : « An res incorporea sit in loco. » Huic respondit sic ; « Contraria sunt invicem corpus, et incorporeum. Quare si corpus est in loco, incorporeum non est in loco. Si enim contrarium

a Nemes. ibid. Εἰ δέ τις λέγοι, οὐκοῦν καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐν Ῥώμῃ ἐστὶ, καὶ πανταχοῦ ἡ ἐμὴ ψυχὴ, λανθάνει ἑαυτὸν πάλιν τόπον λέγων. καὶ γὰρ τὸ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ὅλως τὸ ἐν τῷδε, τόπος ἐστίν· ἐν τόπῳ δὲ ὅλως οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἐν σχέσει. δέδεικται γὰρ μὴ δύνασθαι περιληφθῆναι τόπῳ. ὅταν οὖν ἐν σχέσει γένηται τὸ νοητὸν τόπου τινὸς, ἢ πράγματος ἐν τόπῳ ὄντος, καταχρηστικώτερον λέγωμεν ἐκεῖ αὐτὸ εἶναι, διὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐκεῖ, τὸν τόπον ἀντὶ τῆς σχέσεως, καὶ τῆς ἐνεργείας λαμβάνοντες.

b Basil. A. Ἀσώματον νόει τὸ θεὸν ἐκ τῆς ἐνυπαρχούσης σοι ψυχῆς ἀσωμάτου, μὴ περιγραφόμενον ἐν τόπῳ, ἐπειδὴ οὐδὲ ὁ σὸς νοῦς προηγουμένην ἔχει τὴν ἐν τόπῳ διατριβήν. ἀλλὰ διὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα συναφείας ἐν τόπῳ γίνεται, etc.

Mox : Οὔτε τινὶ σωματικῷ χαρακτῆρι περιείληπται, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐνεργειῶν γνωρίζεται μόνον.

* Ex his, aliisque antea memoratis, colligere est, non Renatum Cartesium primum, ejusque discipulos, ita sensisse de spirituum præsentia, quemadmodum sentiunt. Quæ tamen an a se inventa crediderint, quod sibi meditantibus occurrerint, an vero apud alios lecta, sub nomine suo venditaverint, nolim definire. Verum hinc discere possent utilia esse opera, quale hoc est Petavii, in quibus traditur historia sententiarum antiquiorum. Utinam talia de rebus philosophicis extarent. T. A. L.

* De hoc articulo vide disserentem P. de Rubeis Diss. XXVI. de gestis, etc. Thomæ Aquinatis cap. 2. F. A. Z.

contrario convenit, etiam contrario inerit contrarium. Exempli causa, si corpus, quod est contrarium incorporeo, consentaneum est esse in loco, incorporeo consentaneum erit non esse in loco. Quæ enim vere incorporea sunt, loco omni præstantiora sunt; neque localiter adsunt corporibus, sed habitudine iis adsunt. Verbi gratia: Anima, etiam postquam soluta est corpore, si pura est, cum ab eo digreditur, et passionis expers, non habet habitudinem ad corpus, quod reliquit. Si passionem habet, amat ipsum, etiam cum est dissolutum. Et amor ipse habitudo est ad illud. Ac substantia quidem, et essentia, quod est incorporeum, non adest corpori; inclinatur autem in istud, quando vult [a]. » Hæc Psellus, quæ ex superioribus explicanda sunt.

XI. At ex Scholasticorum numero Durandus, neque definiri loco ullo censet Angelos [1], neque per actionem in eo esse, sed quadam, ut ipse dicit, *præsentia ordinis*, præsens adest Angelus cuilibet corpori, quod movere potest; nec uni potius, quam alteri. Quemadmodum cœleste corpus, quia in inferiora omnia vim suam diffundit, præsens omnibus adesse dicitur, etsi, quia corpus est, non omnibus

Falsa Durandi opinio.

proxime, sed propinquorum interventu longinquioribus adest. Angelus vero intime, proximeque adest iis corporibus, quæ quidem movere potest, hoc est, ut ipse docet, omnibus. Nam ubique, id est in corporibus omnibus esse Angelum ait, si quis est, qui loco movere potest omni; quamvis hoc inter ipsum, ac Deum interesse ait, quod Deus ubique sit, tanquam causa ubique agens, et conservans, et quæ corpus, locumve non facta requirit, ut in iis sit, sed ea ipsa facit. Sed hæc Durandi opinio jampridem explosa est in Scholis; ex qua consequens est, non solum ubique, hoc est in corporibus omnibus, quæ in tota universitate sunt, esse præsentem Angelum, sed, si mundi alii plures exsistant, similiter in omnibus fore; quod ultro ipse confitetur, etsi non tam affirmandi gratia hanc se sententiam explicare dicit, quam inquirendi, ac peritiores alios excitandi.

Verum jure ab omnibus contempta, defensorem hodie nullum habet. Etenim in nullo proprie loco esset Angelus; quod creatarum rerum conditionem superat. Ideo Gregorius Nyssenus in primo *contra Eunonium*, Æones ante creatos esse dicebat, et quemdam in iis locum, quam Angelos, quos mundo aspectabili priores esse credidit. « Non enim, inquit, fieri potest, ut, quæ creatione producta sunt, aut fiunt, non omnino in loco, vel in tempore habeant, ut exsistant. Sola nullius egens, et æterna, ac res omnes complexa natura neque in loco est, neque in tempore [b]. » De quo Gregorii loco dicimus in capite v. libri tertii tomi primi.

Inter Articulos Parisiis damnatos ab Stephano Episcopo, qui cum Magistro Sententiarum editi sunt,. et in tomo IV Bibliothecæ Patrum, tertius iste ponitur in capite primo. « Itemque quod intelligentia, Angelus, vel anima separata nusquam est. » Et ab Guillelmo ejusdem urbis Episcopo [2], damnatus est hic: « Quod Angelus in eodem instanti potest esse in diversis locis, et est ubique, si vult esse ubique. » Quo decreto Durandi potissimum notatur opiuio.

XII. Ad quam evertendam illud insuper valet, quod motum omnem, qui in loco fit, Angelis eripit; propterea quod in omnibus simul corporibus esse illos existimat, ea præsentia, qua in loco constitui dicuntur.

Atqui movere se loco Angelos, ut non eodem momento simul in pluribus existant, e Scripturis sanctis exploratissimum est; quæ non solum ad homines, regionesque locorum, ab quibus aberant antea, illos appellere docet, sed etiam ad sese invicem accedere, ut ex Danielis præsertim, aliisque Propheticis libris constat. De diabolo certe negari non potest, quin absit a cœlo, unde primum dejectus est, et in infima detrusus; de quo ita Christus

a Psel. qu. lxxxiv. Εἰ ἐν τόπῳ τὸ ἀσώματον. Ἐναντία εἰσὶ τὸ σῶμα, καὶ τὸ ἀσώματον. εἰ οὖν τὸ σῶμα ἐν τόπῳ, τὸ ἀσώματον οὐκ ἐν τόπῳ. εἰ γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ, καὶ τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον. οἷον εἰ τῷ σώματι ἐναντίῳ ὄντι τῷ ἀσωμάτῳ ἕπεται τὸ ἐν τόπῳ εἶναι, ἀκολουθεῖ πάντως τῷ ἀσωμάτῳ τὸ μὴ ἐν τόπῳ εἶναι. τὰ γὰρ κυρίως ἀσώματα, κρείττονα παντός εἰσι τόπου· καὶ τοπικῶς οὐ πάρεισι τοῖς σώμασι, τῇ δὲ σχέσι πάρεισιν αὐτοῖς· οἷον τί λέγω; ἡ ψυχὴ καὶ μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος, εἰ μὲν καθαρῶς ἀπαλλαγῇ, καὶ ἀπαθῶς, οὐχ ἔχει σχέσιν πρὸς τὸ σῶμα, ὃ ἀπολέλοιπεν. εἰ δὲ ἐμπαθῶς, ἀγαπᾷ αὐτὸ καὶ διαλυθέν. καὶ ἡ ἀγάπη σχέσις ἐστὶ πρὸς αὐτό· καὶ ὑποστάσις μὲν καὶ οὐσία οὐ πάρεστι τὸ ἀσώματον (for. ὑποστάσει μὲν καὶ οὐσίᾳ) τῷ σώματι· ῥέπει δὲ πρὸς αὐτὸ ὅταν βούληται.

b Greg. Nyss. lib. I *contra Eunom.* Οὐ γὰρ ἐνδέχεταί τι τῶν διὰ κτίσεως γεγονότων, ἢ γινομένων μὴ πάντως ἢ ἐν χρόνῳ τὸ εἶναι ἔχειν· ἡ δὲ ἀπροσδεὴς, καὶ ἀΐδιος, καὶ τῶν ὄντων ἐμπεριεκτικὴ φύσις, οὔτ' ἐν τόπῳ ἐστὶν, οὔτε ἐν χρόνῳ.

1 In I Disp. xxxvii, qu. i. — 2 Ibidem col. 927.

ipsemet : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* [1]. Locum itaque mutant, et moventur Angeli. Quod et Didymus in libro primo de *Spiritu sancto* supra commemoratus a nobis observat.

Diadochus apud Damascenum in *Eclogis* titulo XLVII. « Solius, inquit, divini Verbi, quod hominem suscepit, proprium est, (ubique esse) quod et in terra hac vere, et non sola specie visum est, et cœlum non reliquit, sed omnia semper comprehendentis, uti semper, propter incircumscriptam immensitatem naturæ divinæ. Quod quidem Angeli non possunt. Quod enim tempore mittuntur in mundum, impossibile est eos in eodem esse loco, et supra cœlum [a]. »

Chrysostomus *Homilia tertia in epistolam ad Hebræos*, differentiam missionum Filii, et Angelorum explicat : « Hi vero, inquit, et loca mutant, et prioribus relictis, in quibus sunt, ita ad alia pergunt in quibus non erant [b]. »

Ut modus ilocandorum ngelorum nobis notus, ita et motus orumdem.

XIII. Sed, ut modus ipse collocandorum Angelorum ignotus est nobis, et in summa opinionum ambiguitate positus ; ita et motus eorumdem ex loco, et in locum. Sunt qui momento temporis ubique illos esse, hoc est moveri, quocumque velint, existimant. Tertullianus in *Apologetico* [2], « Omnis, inquit, spiritus ales ; hoc est Angeli, et dæmones. Igitur momento ubique sunt ; totus orbis illis locus unus est ; quid ubi geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant. » Sic de Pythio dæmone, qui, quod Crœsus agebat in Lydia, eodem tempore renuntiavit, « Momento, inquit, apud Lydiam fuerat. »

Augustinus [3] vero motum Angelorum in tempore fieri sentit, etsi illorum immortalitas non transit in tempore. « Tempus, inquit, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc, etsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est, quas jam non sit, nec futura, quasi nondum sit, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt ; et ideo creatori, in cujus motu, dicendum non est vel fuisse, quod jam non sit, vel futurum esse, quod nondum sit, coæterni esse non possunt. » Ideo, si ante mundum procreati sunt, tempus cum illis fuisse dicit, quia temporaliter movebantur. Accedit eodem et Bernard. [4] qui sic loquitur : « Angelus non absque motu operatur tam locali, quam temporali. » Sed istorum trium consentanea de motu Angelorum est opinio priori illi, quam capite primo retuli : quæ Angelos esse corporeos asserit, etsi Bernardus minus, quam alii duo id asseverat ; verum non sine corpore, saltem assumpto, moveri loco posse statuit. Petrus item Chrysologus [5], qui dæmones « tenui, et aerea esse natura putat ; velut auram spirantem, orbem totum, ait, temporis transire in momento, » similiter ac Tertullianus loquitur.

XIV. Quod vero ad sanc. Bernardum attinet, is, si Angelos nullum omnino corpus habere, neque naturale, neque assumptum crederet, moveri utique loco non existimasset ; quippe ob id saltem assumptis uti corporibus affirmat, ut e loco in locum transeant. « Denique non est, inquit, discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum ; quod frequenter et Angelos facere, tam indubitata, quam nota probat auctoritas [6]. » Sed, etsi Angeli corpus habeant nullum, moventur tamen loco ; neque id puncto temporis faciunt, ne in pluribus locis simul esse credantur ; quam minimo tamen spatio ad quælibet intervalla raptim feruntur, et eo quidem modo, quem ne adumbrare quidem cogitando possumus, nedum oratione, aut argumentis assequi. Sed neque sic ab uno in alterum tendere illos existimo, ut non per interjectum transeant ; quod Guillelmus Parisiensis [7] arbitratur, hoc maxime fretus argumento, quod spirituales mutationes, velut intellectus, ac voluntatis actiones, sic ab uno in aliud ferantur, ut interposita non transmittant. Verum alia est veri, proprieque dicti motus, et quidem localis ratio, quam tropici illius, qui ab spatio, locoque non pendet. Neque enim res ordinem, ac situm eum habent inter se, dum intelligentiæ, ac voluntati objiciuntur, quem

De loco in locum medium trajicientes se movent Angeli.

a Diadochus. Μόνου τοῦ ἐνανθρωπήσαντος θεοῦ λόγου ὑπάρχει ἴδιον, τοῦ καὶ ἐν τῇ γῇ ταύτῃ φαινομένου ἀφαντάστως, καὶ τῶν οὐρανῶν μὴ ἀπολιπομένου, ἀλλὰ πάντα ὡς ἀεὶ περιέχοντος διὰ τὸ τῆς θείας φύσεως ἀπερίγραπτον. ἥκιστα δὲ καὶ ἄγγελοι. ἐν ᾧ γὰρ χρόνῳ ἐν τῷ κόσμῳ ἀποστελλόμενοι ὦσιν, οὐ δύνατον εἶναι αὐτοὺς ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ, καὶ ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ.

b Chrys. hom. III in epist. *ad Heb.* Οὗτοί δὲ τόπους ἀμείβουσι, καὶ τοὺς προτέρους ἀφέντες ἐν οἷς εἰσιν, οὕτως εἰς ἑτέρους ἔρχονται, ἐν οἷς οὐκ ἦσαν.

1 *Luc.* x — 2 Cap. XXII. — 3 Lib. XII *de Civit.* c. XV. — 4 Bernar. ser. LXXVIII. in Cant. — 5 Serm. LII. — 6 Serm. v in Cant. — 7 In II p. primæ *de Univer.*

ni loco retinent: sed eas omni σχέσει, ac situ spoliatas et absolutas versamus animo, vel appetimus. Ideo unam sine altera, quamvis adhæreat, interjectaque sit, amplecti, et ad eam aliunde trahi possumus, dissimulatis reliquis; quod in eo motu, qui in loco fit, evenire non posse ipsa loci conditio, ac motus ostendit.

XV. Postremo nec illa prætereunda est quæstio, utrumnam Angeli plures in eodem loco esse possint ita, ut substantias suas pervadant invicem, ac penetrent, quemadmodum ab illis corpora penetrantur. Nam Veterum de eo diversæ sunt sententiæ; ac qui corporibus esse præditos Angelos putarunt, ii penetrare se mutuo ipsos negare debuerunt, si quod opinioni isti consentaneum est, tenere vellent; quia corpora certum est simul duo esse non posse. Ita Cassianus affirmat[1]; qui « nihil esse incorporeum, nisi solum Deum » ait, et idcirco « ipsi tantummodo penetrabiles omnes spirituales, atque intellectuales esse substantias *eo quod* solus totus, et ubique, et in omnibus sit ita ut cogitationes hominum, et internos motus, atque abdita mentis universa inspiciat, atque perlustret. » Quanquam Tertullianus[2], qui corpora et ipse Angelis affingit, ut et hominum animis, utrosque in eodem posse loco plures esse defendit; Platonemque secus opinantem redarguit: « Quod si qui, ut Plato, inquit. non putat, duas animas in unum convenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in unum congestas ostendissem, sicut et corpora in fetibus, verum et alia multa cum anima conserta, dæmones scilicet, nec unius, ut in Socrate ipso, verum et septenarii spiritus, ut in Magdalena, et legionarii numeri, ut in Geraseno; quo facilius anima cum anima conferetur, ex societate substantiæ, quam spiritus nequam ex diversitate naturæ. »

An plures Angeli in eodem loco simul esse possint.

Quæ oratio Tertulliani seipsam evertit. Nam, si corporeæ animæ sunt, et Angeli, simul, id est in eodem esse loco nequeunt, ac se mutuo pervadere. Gregorius vero Nazianzenus in epistola prima *ad Cledonium*, uti corpora penetrare se non posse, ita posse spiritus, et intelligibiles substantias ait Apollinarem refutans; qui ideo mentem hominis, ac perfectum ipsum hominem fuisse negabat in Christo, quoniam duo perfecta simul esse nequeunt; cui ille sic respondet: « Non sane, siquidem corporeo modo rem expendas. Vas enim unius modii capax, duos modios minime continebit; nec corporis unius locus duo, aut plura corpora. Si autem ut intelligibilia, et incorporea ea consideres, illud animadverte, quod idem ipse et animam, et rationem, et mentem, et Spiritum sanctum continui, etc. Hæc enim intelligibilium natura est, ut incorporeo, et indivisibili modo, et inter se, et cum corporibus misceantur[a]. »

An possint se invicem penetrare.

Atque hoc ipsum docuit Dionysius[3], capite IV *De divinis nominibus*, et post eum Maximus martyr, et Pachymeres.

XVI. Celebris est apud plerosque Patres sententia quædam, quæ huic Nazianzeni decreto videtur obsistere. Etenim nullam rem creatam, quamlibet corporis expertem, cum re altera spirituali misceri, infundique putant posse, atque hoc Dei proprium esse defendunt, « cui tantum debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare secretam. Anima vero animæ, aut Angelus Angelo conjungi potest, infundi non potest, » ait Paschasius[4], Qui idcirco dæmones hominum insessores solas « corporis latebras intrare posse dicit; animæ vero interiora adire non posse, » neque se in illam infundere, aut « penetrare animarum substantias; » quod eo argumento probat, quia « conscientias scire non possunt. » Idemque docet et Didymus in primo *de Spiritu sancto;* cujus, ut et Paschasii loca in secundo *de Trinitate* libro retulimus. Sed illi nòn tam de ea penetratione, et infusione, quæ per loci conjunctionem fit, intelligendi sunt, quam de efficientia, et instinctu, quo per sese, nullaque re interjecta Deus agit, ac movet, quod Angeli nequeunt. Ita Bernardus interpretari videtur Sermone V *in Cantica*: « Illud, inquit, scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari; ut videlicet nullo mediante, nostri, suive corporis instrumento, ita nobis immisceatur, et infundatur, quo ejus participatione docti, sive doctiores, vel boni, sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec

a GREGOR. NAZIANZ. orat. XLI. Οὐδὲ γὰρ, εἴπερ σωματικῶς σκοπεῖς. ἀγγεῖον γὰρ μεδιμναῖον οὐ χωρήσει διμέδιμνον· οὐδὲ σώματος ἑνὸς τόπος δύο, ἢ πλείω σώματα. εἰ δὲ ὡς νοητὰ, καὶ ἀσώματα, σκόπει ὅτι καὶ ψυχὴν, καὶ λόγον, καὶ νοῦν, καὶ πνεῦμα ἅγιον ὁ αὐτὸς ἐχώρησα.

MOX : Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν νοητῶν φύσις, ἀσωμάτως, καὶ ἀμερίστως, καὶ ἀλλήλοις, καὶ σώμασι μίγνυσθαι

1 Col. cap. III. — 2 Lib. *de An.* cap. XXV. — 3 Sub. init. cap. IV.— 4 Lib. II *de Sp. sanc.* cap. I. — 5 Cap. XV.

ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo, ac incircumscripto Spiritui, qui solus, cum docet Angelum, sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur; per se innotescit; purus capitur a puris. » Cui consonat Hesychius Presbyter in capitulis *Antirrheticis*, c. XVI ubi ait, « non posse Satanam sine phantasia cogitationes efficere, et ostendere menti ad falsam deceptionem [a].» Accedat et Rupertus, qui in libro *De voluntate Dei* capite X. « Nihilo quippe angelicus spiritus, inquit, humana anima subtilior est; unde nec alter alteri, scilicet angelicus spiritus humano spiritui capabilis est, nec alter alterius capax. Solus denique Deus spiritus increatus, spiritus incircumscriptus, cum nullius ipse sit capax, omni rationali spiritui, sive angelico, sive humano capabilis est. Proinde, cum quis diabolico plenus dicitur spiritu, non hoc existimandum est, quod substantiam humanæ animæ substantia diabolici spiritus ingressa sit; sed quod in occultas corporis cavernas irrepserit, animamque in suis sedibus deprehensam tartareis diverberet flagellis, interficiat venenis, inflammet incendiis. »

Verum aliud est de hac intima *efficientia*, et ἐνεργείᾳ loqui, aliud de præsentia eodem in loco, mutuaque penetratione substantiæ, quam plerique Theologi Angelis, ac spiritibus denegandam non putant; tametsi cujusmodi revera sit, ne conjectura quidem consequi possumus, quoniam penetratio ista, infusioque substantiarum non aliter a nobis intelligitur, per quam sibi invicem applicentur.

CAPUT XIV.

Differantne Angeli invicem specie, an solum numero. Methodius specie discernere videtur, plerisque dissentientibus. Tum de illorum multitudine, quum esse maximam constat; sed quanta sit, pro certo non habetur. Explicantur SS. Dionysius, et Thomas. An tanta sit electorum multitudo, quanta Angelorum cecidit.

I. Quoniam eo res quæque ab alia discernitur, quo in se constituitur, ut philosophi nos docent, tam ignota nobis est Angelorum inter se distinctio, quam eorum a nobis intelligi natura non potest. Itaque totus hic locus in conjectura et opinatione positus est; isque dupliciter patet. Nam aut ita quæritur, sitne essentia, et specie diversus Angelus unus ab alio, an individuo duntaxat; aut de eorum numero, ac multitudine dubitatur. De utroque nos breviter, ac de specie primum.

Angelos qui essentia invicem, et specie differre putaverint, haud multos ex antiquis Patribus invenies. Methodius modo nobis occurrit, qui hoc diserte, et illustri sententia comprobare videtur apud Epiphanium. Cum enim adversus Origenem disputat, qui post resurrectionem sine corporibus solas victuras animas asserebat, id ex eo redarguit, quod, etsi Angelorum similes futuri sunt homines, non tamen Angeli; neque in alienam transituri sunt naturam ac speciem : « Non animadvertit, inquit, eum, qui ex nihilo mundum fabricavit, et ordinavit, immortalium naturam non in Angelos, administroque tantum, sed etiam in principatus, et thronos, et potestates distribuisse. Aliud enim est Principatuum genus, aliud Potestatum, eo quod non unus ordo, nec unum veluti corpus, ac tribus immortalium, ac velut familia sit; sed genera, et tribus, et differentiæ sint. Ac neque Cherubim ab natura sua desciscunt, ut in Angelorum speciem transformentur, neque in aliorum Angeli. Oportet enim illa hoc esse, quod sunt, et quod facta sunt [b]. » Addit hominis

[a] HESYCH. Διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὸν Σατανὰν χωρὶς φαντασίας λογισμοὺς δημιουργεῖν, καὶ παραδεικνύειν τῷ νῷ πρὸς ἀπάτην ψευδῆ.

[b] METHOD. apud Epiph. hær. LX, num. 33. Οὐκ ἐπιστήσας ὦ ἄριστε, ὡς ὁ ποιήσας, καὶ διακοσμήσας ἐξ οὐκ ὄντων τὸ πᾶν, τὴν τῶν ἀθανάτων φύσιν οὐ μόνον εἰς ἀγγέλους, καὶ λειτουργοὺς διανείμας διεκόσμησεν, ἀλλὰ καὶ εἰς ἀρχὰς, καὶ θρόνους, καὶ ἐξουσίας· ἄλλο γὰρ γένος τὸ τῶν ἀρχῶν, καὶ ἄλλο τὸ τῶν ἐξουσιῶν, ὅτι μὴ τάγμα ἓν, καὶ μία σύστασις, καὶ φυλὴ, καὶ πατριὰ τῶν ἀθανάτων· ἀλλὰ γένη, καὶ φυλαὶ, καὶ διαφοραί. καὶ οὔτε τὰ Χερουβὶμ τῆς ἰδίας ἐξιστάμενα φύσεως εἰς τὴν τῶν ἀγγέλων ἰδέαν μετασκευάζονται· οὔτε εἰς ἑτέρων πάλιν οἱ ἄγγελοι.

similitudinem, qui ab natura sua non recedit, nec homo esse desinit. Igitur manifeste specie invicem distare Angelos existimavit. Potest et Athanasius adjungi, cujus verba referam, cum de Angelicis ordinibus agetur.

Angelos unius esse naturæ major pars veterum affirmant.

II. At vero Maximus martyr [a], et Dionysii interpres Ecclesiæ totius hanc esse sententiam ait, Angelos omnes unius esse naturæ, vel essentiæ. Nam, cum B. Dionysius inquirendum ita proposuisset, qua de causa Theologi cœlestes simul οὐσίας omnes Angelos nominent, cum iidem infimum ordinem eo vocabulo proprie designent; ad hæc verba Maximus addubitat, cur, cum Ecclesia unam omnium sanctorum Angelorum οὐσίαν esse dicat, Dionysius tamen plures numero οὐσίας appellet, respondetque ex Dionysii Alexandrini Episcopi Scholiis ad eumdem Dionysium, οὐσίαν pro ὑποστάσει ab illo accipi, ut in Scholis philosophorum solet. Quod vero Ecclesiæ communem hanc esse vocem asserit, ita intelligendum est, id a sanctis Patribus, et Ecclesiæ magistris vulgo esse traditum. Ita enim imprimis Basil. in tertio *contra Eunomium*, ubi hæreticum istum redarguit, naturæ in Patre, Filioque diversitatem inde colligentem, quod ille dignitate huic antecellat, tamquam principium, et origo : « Angeli, inquit, omnes, ut appellationis unius, sic et naturæ omnino sunt ejusdem invicem ; et tamen eorum alii gentibus præsunt, alii fidelium singulis comites assistunt. Porro quanto gens universa uni homini præstat ; tanto utique majorem esse necesse est dignitatem Angeli ejus, qui toti genti præsidet, quam illius, cui unius tutela committitur [b]. » Ac demum ita concludit : « Quorsum hæc oratio ? ut intelligamus, non prorsus, ut aliquid ordine, ac dignitate secundum est, ac tertium, hoc et naturam habere alteram. Nam ut in Angelis, alius est princeps, alius est subjectus, et tamen natura Angeli sunt omnes, et in dignitate quidem est differentia, in natura vero communio. Nam et stella a stella differt in gloria; natura vero stellarum omnium est una. »

Substantias.

Hypostasi.

III. Gregorius item Nyssenus sub finem libri sexti, tam animas hominum, quam intelligibiles omnes substantias ejusdem naturæ esse docet : « Non enim, ut Eunomio placet illa, quæ a Paulo recensita sunt, superiorum mundo virtutum nomina, naturas aliquas inter se differentes significant; sed appellationum significatio ipsa perspicue demonstrat, non naturarum differentias, sed cœlestis militiæ varias functionum proprietates oratione exprimi. *Principatus enim*, inquit, et *Throni*, *et Potestates*, *et Virtutes*, *et Dominationes*. Hæc vero nomina talia sunt, ut statim cuivis manifestum sit, ea quæ significantur, ad actionem aliquam ordinari. Etenim principatum tenere, potestatem habere, dominari, et esse thronum alicujus, hæc omnia nemo prudens ad naturarum discrimina referat, cum perspicue sola operatio unicuique vocabulo subjecta sit. Quamobrem qui dicit, naturarum differentias in enumeratis illis a Paulo nominibus indicari, seipsum seducit, ut loquitur Apostolus [2], neque sciens, quæ dicit, neque de quibus affirmat, cum aperte nominum significatio ipsa declaret, Apostolum dignitatum quarumdam differentias in intelligibilibus virtutibus agnoscere, non essentiarum proprietates hisce nominibus ostendere [c]. » Hæc Gregorius Nyssenus, qui et alio

a Max. in cap. v *de Cæles. Hier.* Τί δήποτε μιᾶς οὐσίας εἶναι πάντας τοὺς ἁγίους ἀγγέλους λεγούσης τῆς ἐκκλησίας, ὁ θεῖος Διονύσιος πολλὰς ὀνομάζει δυνάμεις; ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος ὁ ἀπὸ Ῥητόρων ἐν τοῖς σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας τὰς ὑποστάσεις· κἂν τούτου φησὶν, ὅτι κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς.

b Basil. Ἄγγελοι πάντες ὥσπερ προσηγορίας μιᾶς, οὕτω καὶ φύσεως πάντως τῆς αὐτῆς ἀλλήλοις τυγχάνουσιν· ἀλλ' ὅμως οἱ μὲν αὐτῶν ἐθνῶν προεστήκασιν· οἱ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν πιστῶν εἰσι παρεπόμενοι· ὅσῳ μέντοι προτιμότερον ἔθνος ὅλον ἑνὸς ἀνδρὸς, τοσούτῳ δήπου μεῖζον ὑπάρχειν ἀνάγκη τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐθνάρχου ἀγγέλου παρὰ τὸ τοῦ ἑνὸς ἑκάστου τὴν προστασίαν πεπιστευμένου· Ibid. Πρὸς τί οὖν ὁ λόγος ἡμῖν φέρει; ὅτι οὐ πάντως εἴ τι τῇ τάξει, καὶ τῷ ἀξιώματι δεύτερόν ἐστι, καὶ τρίτον, τοῦτο καὶ τὴν φύσιν ἑτέραν ἔχει. ὡς γὰρ ἐπὶ τῶν ἀγγέλων ὁ μέν τις αὐτῶν ἄρχων, ὁ δ' ὑπήκοος· ἄγγελοι δ' ὅμως τῇ φύσει πάντες. καὶ κατὰ μὲν τὸ ἀξίωμα ἡ διαφορὰ, κατὰ δὲ τὴν φύσιν ἡ κοινωνία. καὶ γὰρ ἀστὴρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ, φύσις δὲ πάντων ἀστέρων μία.

c Gregor. Nyssen. Οὐ γὰρ, καθὼς Εὐνόμιος βούλεται, αἱ παρὰ τοῦ Παύλου κατειλεγμέναι φωναὶ τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων φύσεις τινὰς ἀλλήλων παρηλλαγμένας σημαίνουσιν· ἀλλ' ἡ τῶν προσηγορίων σημασία σαφῶς ἐνδείκνυται τὸ μὴ φύσεων διαφορὰς, ἀλλὰ τῆς ἐπουρανίου στρατιᾶς τὰς ποικίλας τῶν ἐνεργειῶν ἰδιότητας τῷ λόγῳ παρίστασθαι. ἀρχαὶ γὰρ, φησὶ, καὶ θρόνοι, καὶ ἐξουσίαι, καὶ δυνάμεις, καὶ κυριότητες. ταῦτα δὲ τὰ ὀνόματα τοιαῦτά ἐστιν, ὡς αὐτόθεν παντὶ πρόδηλον εἶναι, τὸ κατ' ἐνεργείας τινὸς τετάχθαι τὰ σημαινόμενα. τὸ γὰρ ἄρχειν, καὶ τὸ ἐξουσιάζειν, καὶ τὸ κυριεύειν, καὶ τὸ θρόνον εἶναί τινος, ταῦτα πάντα οὐκ ἂν ὁ λελογισμένος εἰς

1 Col. 2. — 2 I *Tim.* I.

Naturæ. in loco[1] Angelos itidem omnes esse unius οὐσίας affirmat. Quem locum citat auctor quæstionum *ad Antiochum,* quæ inter Athanasii opera leguntur. Atque idem neque ab Angelis dæmones, neque ipsos inter se Angelos οὐσίᾳ differre scribit, ut nec homines.

IV. Gregorius Nazianzenus in *Carmine de laudibus virginitatis*, idipsum innuit his verbis,

Αὐτῷ τ' αὐτὸς ἕκαστος, ἴη φύσις, ἕν τε νόημα.

Cum ipso singuli iidem sunt[2], una natura, et una intellectio.

At idem in calce orationis XXXIV indicare videtur, esse aliquam inter illos naturæ differentiam. Nam de illustratione agens beatarum illarum mentium, quam divinitus accipiunt, scribit eas « aliter alias luce illa perfundi pro ratione naturæ, ordinisque sui[a]. »

Didymus in primo *de Spiritu sancto*, ejusdem, et æqualis substantiæ omnes esse Angelos asseverat. Nam et inde probat natura omnes esse mutabiles, quod eorum aliqui simili natura præditi mutati fuerint: « Neque enim potest coæqualium diversa esse natura. Nam, quia omne genus hominum mortale est, et singuli homines mortales sunt, ut e diverso quoque, si qua de superioribus immortalia sunt, haud dubium, quin omnia in eodem genere, et specie constituta sint immortalia[3].» Et paulo post mitti posse Angelos omnes ait, tametsi quidam reipsa missi non fuerint, quoniam ii « missorum consortes sunt, æqualisque substantiæ. »

Cyrillus item Alexandrinus libro secundo *Commentariorum in Joannem*, cum adversus Eunomianos probaret Filium divinitate non esse inferiorem Patre, hominis id exemplo, tum Angelorum adstruit. Nam nec homo unus, qua homo est, major est altero, et « Angelus ab altero Angelo nulla re differt, secundum id, quod sunt Angeli, nempe pro eo quod, cum sint ejusdem omnes speciei, in unam naturam colligantur[b]. » Quod idem repetit et in libro quarto operis ejusdem. Item in dialogo primo de *Trinitate,* « An non similis est, inquit, natura Angelus Angelo, et homo cuivis alteri homini[c]? »

V. At idem in libro XV *Thesaurorum*, videtur diversam specie naturam inesse Angelis putare. Ubi contra Anomœos Filium excellentiorem quidem creatis cæteris, sed nihilominus creatum et ipsum asserentes disputans, « Quid, inquit, solem adjuvat, quominus creatura sit, quod longe astris cæteris antecellit? Eadem vero ratio est etiam earum Virtutum, quæ in cœlo sunt ratione præditæ, quibus commune id quidem est, quod creatæ sunt; ratio autem essentiæ uniuscujusque diversa[d]. »

Ad hæc in libro XXXI ejusdem operis, videtur Angelorum diversis gradibus naturam specie discrepantem tribuere, cum sic scribit: « In omni rationali substantia cognitionem, quæ inest, pro cujusque generis ratione differre, eique proportione respondere adeo, ut alia credenda sit inesse Angelis, alia Archangellis, tum hac ipsa major in superioribus Virtutibus. Commensurata est igitur et hominis notitia, quæ videlicet minor iis est, quas diximus[e].» Naturalem ecce cognitionem pro uniuscujusque genere, id est specie, diversam constituit, et ut quælibet præstantior est species, ita excellentiorem sortiri notitiam; quo fit, ut, quoniam omnium infima est humana natura, ideo cognitio sit illi data omnium postrema. Inter Angelos vero sublimioribus ordinibus majorem vim cognitionis

οὐσιῶν διαφορὰς ἐπαγάγῃ, προδήλως τῆς ἐνεργείας ὑφ' ἑκάστου τῶν ὀνομάτων σημαινομένης. ὥστε ὁ λέγων φύσεων διαφορᾶς ἐν τοῖς κατειλεγμένοις ὀνόμασι παρὰ τοῦ Παύλου σημαίνεσθαι, φρεναπατᾷ ἑαυτὸν, καθὼς φησὶν ὁ Ἀπόστολος, μὴ εἰδὼς μήτε ἃ λέγει, μήτε περὶ ὧν διαβεβαιοῦται· σαφῶς ἐνδεικνυμένης τῆς τῶν ὀνομάτων σημασίας, ὅτι ἀξιωμάτων τινῶν διαφορὰς ὁ Ἀπόστολος ἐν ταῖς νοηταῖς δυνάμεσιν οἶδεν, οὐκ οὐσιῶν ἰδιότητα διὰ τῶν ὀνομάτων ἐνδείκνυται.

a NAZIANZ. Ἢ ἄλλως (ἐλλαμπομένην) κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς φύσεως, καὶ τῆς τάξεως.

b CYRILL. lib. II *in Joan.* Ἀγγέλου δὲ, οἶμαι, διοίσει κατ' οὐδὲν ἕτερος ἄγγελος, κατά γε τὸ εἶναι τοῦθ' ὅπερ εἰσὶν ἄγγελοι· δηλαδὴ διὰ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμοειδίας εἰς μίαν ἅπαντες ἀναδεσμούμενοι φύσιν.

c Idem, dial. I. Ἦ γὰρ οὐχ' ὅμοιος κατὰ φύσιν ἄγγελος μὲν ἀγγέλῳ τυχὸν, ἄνθρωπος δὲ ἑτέρῳ τῷ τῶν καθ' ἑαυτόν;

d CYRIL. Τι γὰρ ὠφελήσει τὸν ἥλιον εἰς τὸ μὴ εἶναι ποίημα τὸ πολὺ τῶν ἀστέρων ὑπερέχειν; ὁ δὲ αὐτὸς οὗτος κρατήσει λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἐν οὐρανῷ λογικῶν δυνάμεων, αἷς πάλιν τὸ μὲν πεποιῆσθαι κοινόν ἐστιν· ὁ δὲ τοῦ τί ἕκαστον εἴη λόγος, ἐξηλλαγμένος.

e CYRILL. lib. XXXI. *Thes.* Ἐν παντὶ λογικῷ τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ γνῶσιν ὁρῶμεν τῇ τοῦ γένους διαφορᾷ συμμεμετρημένην. ὡς ἑτέραν μὲν εἶναι πιστεύειν ἐν ἀγγέλοις, μειζόνα δὲ ἐν ἀρχαγγέλοις, καὶ ἔτι ταύτης ὑπερεχοῦσαν ἐν ταῖς ἀνωτέρω δυνάμεσι. συμμεμέτρηται τοίνυν καὶ ἀνθρώπου γνῶσις ἐλάττων οὖσα τῆς τῶν εἰρημένων.

1 Lib. *de opif. hom.* cap. XVII. — 2 Greg. Naz. — 3 Didym. inter. Opusc. Hier.

competere. Quæ argumentatio ex eo procedere videtur, ut sint in Angelorum gradibus differentes specie naturæ. Quem locum Cyrilli Michael Glycas sic accepit[1], ut de beata, et cœlesti Angelorum illuminatione loqui illum existimet; sed videtur potius de naturali intelligendus notitia; idque verba ipsa demonstrant.

VI. Maximus martyr in dialogo primo *de sancta Trinitate*, (hunc enim *Dialogorum* auctorem illorum esse constat, qui inter Athanasii opera editi sunt) quærenti Anomæo, quidnam esset τὸ ὁμοούσιον, id est *consubstantiale*, respondet, « Id esse, quod eamdem essentiæ rationem recipit; quemadmodum homo nihil ab homine differt, qua homo est, et Angelus nihil differt ab Angelo, quatenus Angelus est; sic et Deus nihil differt a Deo, qua Deus est[a]. »

Theorianus etiam in *Legatione ad Armenos* unam esse censet Angelorum omnium φύσιν, id est *naturam*, ut est unica Divinitas, quæ de Patre, ac Filio, et Spiritu sancto dicitur, unica hominum, quæ de Socrate, Platone, aliisque individuis prædicantur; similiterque bovis, equi, et aliarum formarum est una natura, quæ singulis convenit; eodem modo una est, inquit, Angelorum natura, quæ de Michaele, Gabriele, ac cæteris pronuntiatur[b].

Damascenus vero ea de re ambiguus est. Nam in secundo libro *de Fide Orthodoxa*, « nescire nos, ait, utrum æquales sint essentia, an ab invicem discrepent[c]. » At in libro *De primis institutionibus* animam, Angelum, dæmonem, singulas ait esse species infimas[d]. Denique in libro *De duabus voluntatibus*, « Angeli autem, inquit, et homines, suam quisque divisam, et distinctam habet hypostasim, etsi ejusdem naturæ sint[e]. »

Ex Latinis Augustinus[2] nihil certi habere se de eo profitetur : « Et esse itaque sedes, ait, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sunt, et quid inter se differant, nescio. » Gelasius vero libro *Contra Pelagianam hæresim*, naturam in eis negat esse diversam. Paschasius quoque libro secundo *de Spiritu sancto*[3] natura nihil differre significat: « Excellentior creatura, inquit, de Archangelis forsan dicere potes, licet cæteris ordine magis præemineant, quam natura. » Tum Anselmus[4] « omnes Angelos unius ait esse naturæ, » etsi non sint ejusdem generis, id est originis, quia « non sic sunt omnes Angeli de uno Angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine. » At Petrus Lombardus essentiæ diversitatem videtur agnoscere, hoc est « differentem essentiæ tenuitatem, sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam, ac formam, et pondus[5]. » Sanctus vero Thomas idipsum clarius propugnat[6], qui nullum cujusvis ordinis Angelum ejusdem cum altero esse speciei putat, sed neque esse posse; quod quæcunque numero distant sub eadem specie, ea constare materia necesse sit, quam esse principium differentiæ putat, qua ab sese individua separantur. Sed huic firmamento plerique de schola theologi reclamant; idque fuse refellit Guillelmus Parisiensis[7]. Et idem tamen aliunde postea diversitatem illam[8], quæ secundum speciem est, in Angelis partim adstruit, partim evertit[9], ac dubius nutat; cujus quidem, ut et Scholasticorum, argumenta, quibus invicem confligunt, missa facimus. Nam neque momenti multum habent, neque nos scholasticas disputationes instituimus, sed veterum Patrum decreta, et placita potius inquirimus. Ii vero, quod e superioribus liquet, in eam partem majorem

a Maxim. Ὁμοούσιόν ἐστιν, ὅ τὸν αὐτὸν ἐπιδέχεται λόγον τῆς οὐσίας. οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπου οὐδὲν διαφέρει, καθὸ ἄνθρωπός ἐστιν· ἄγγελος ἀγγέλου οὐδὲν διαφέρει, ᾗ ἄγγελός ἐστιν. οὕτω καὶ Θεὸς Θεοῦ οὐδὲν διαφέρει ᾗ Θεός ἐστιν.

b Theorianus. Εὐθὺς γὰρ ἡ θεία φύσις κατηγορεῖται κατὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ ἡ τῶν ἀγγέλων φύσις κατὰ Μιχαὴλ, καὶ Γαβριὴλ, καὶ τῶν λοιπῶν· καὶ ἡ τῶν ἀνθρώπων κατὰ Σωκράτους, καὶ Πλάτωνος, καὶ τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων. ὁμοίως καὶ βοῦς, καὶ ἵππος, καὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ πάντων τῶν ὑπ' αὐτὰ ἀτόμων.

c Damasc. lib. II, cap. iii. Εἴτε ἴσοι κατ' οὐσίαν, εἴτε διαφέροντες ἀλλήλων, οὐκ ἴσμεν· μόνος δὲ ὁ ποιήσας αὐτοὺς Θεὸς ἐπίσταται, ὁ καὶ τὰ πάντα εἰδώς.

d Idem, lib. *de Prim. instit.* cap vii. Ἀσώματον δὲ ἐνταῦθα λέγω οὐσίαν, οἷον ψυχὴν, ἄγγελον, δαίμονα, ἕκαστον τούτων εἰδικώτατον εἶδός ἐστιν.

e Idem, in lib. *de Duab. volunt.* Οἱ δὲ ἄγγελοι, καὶ ἄνθρωποι ἕκαστος ἀποτετμημένην, καὶ διῃρημένην ἔχει τὴν ἑαυτοῦ ὑπόστασιν, εἰ καὶ μιᾶς εἰσὶ φύσεως.

1 Glyc. *Annal.* Par. i. — 2 Lib. *ad Oros. cen. Prisc. et Orig.* — 3 Pasch. lib. II. cap. iii, tom. IV *Biblioth. Patr.* — 4 Ansel. lib. II, *Cur Deus homo.* cap. xxi. — 5 Mag. Sent. in II Disp. iii. — 6 Sanct. Thomas. in I par. qu. l, art. 4. — 7 In II Par. cap. liv et seq. — 8 Cap. lxvi. — 9 Cap. lxvii.

numero consentiunt, ut ejusdem omnes esse speciei dicant Angelos, ac solis dignitatis gradibus, et qualitatibus differre invicem. Itaque hoc potius amplectamur, siquidem in istis, quæ adeo semota sunt ab usu nostro, ac sensibus, plus auctoritate, quam ratione, quæ vix ulla satis firma suppetit, moveri consuevimus. Sane inter damnatos a Stephano Parisiensi articulos unus iste est : « Quod Deus non potest individua multiplicare sub una specie, sine materia. »

De numero Angelorum.

VIII. Superest Angelorum numerus, ac multitudo; de qua, ut in obscura re, conjecturæ sunt variæ. Quanquam de vocabulo ipso *numeri manus* injiciunt nobis auctores aliqui, qui numerum in Angelis esse non putant, quod rerum tantummodo corpore constantium proprie sit numerus, ut docet R. Moses in libr. XI *More Nevoch.* cap. IV. Sed nihil istud nos movet. Nam numerus etiam spiritibus convenit, iisque omnibus, quæ vel circumscripta sunt, ut indicat Theodorus Mopsuestenus apud Philoponum in primo *de mundi Opif.* cap. XVI, vel ab aliis differentia aliqua separantur, ut vel in sanctæ Trinitatis personis evidens est, quod eodem loco Philoponus ait. Quod discrimen Fulgentius agnoscit his verbis[2]: « Inest tamen singulis naturalis terminus, quo a se invicem discernuntur, quia nullus eorum in alio est. Et, cum uni eorum opus quodlibet injungitur, alius quoque alteri operi implendo divinæ potestatis deputatur arbitrio. »

Magno igitur illos esse numero sacræ litteræ passim nos docent, velut *Danielis* VII 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei ;* » cui et Joannes in *Apocalypsi* consonat[3] : *Et erat numerus eorum* μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων; quibus verbis innumerabilis multitudo significatur, quam Latinus Interpres ita concipit: *Et erat numerus eorum millia millium ;* sic enim incertus numerus, et propemodum infinitus exprimitur. Sed et in *Psalmo* LXVII 18. *Currus Dei decem millibus multiplex.* Ubi Hebraica vox שנאן a Chaldæo, et plerisque Hebræorum interpretibus *Angelorum* vocabulo redditur, pro qua Vulgatus noster *multiplicem* posuit.

Neque tamen infiniti sunt Angeli; quod multis argumentis probat Guillelmus Parisiensis episcopus[4]. Et inter articulos Parisiis damnatos a Stephano Episcopo, recensetur iste: « Item quod substantiæ separatæ sunt in actu infinitæ. Infinitas enim non est impossibilis, nisi in rebus materialibus. »

IX. Igitur nonnullis veterum placet, eam esse rationem multitudinis hominum ad Angelorum numerum, quæ est unius ad nonaginta novem; quoniam id suadere parabola illa videtur hominis[5], qui centum oves habens, unam amisit, quam, relictis nonaginta novem, quæsitum abit, et inventam humeris reportat. Nam ovis illa unica humana esse natura vulgo creditur; Angeli vero undecentenæ reliquæ. Ita S. Hilar. *in Mat.* can. XVIII. « Ovis, inquit, una, homo intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda est; sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit. Ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum cœlestium opinanda est, quibus in cœlo est lætitia, et cura salutis humanæ. » Tum Ambrosius[6] : « Dives igitur pastor, inquit, cujus omnes nos centesima portio sumus, habet angelorum, habet archangelorum, dominationum, potestatum, thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit; qui, quoniam sunt rationabiles, non immerito hominum redemptione lætantur. » Gregorius item Nyssen. « Ideo, inquit, qui omnem creaturam rationalem pascit, relicto in excelsis non errante, ac supermundano grege, ad errantem ovem, nostram videlicet naturam, præ amore hominum accedit. Est enim multesima, minimaque portio natura humana si cum universo comparetur; quæ sola, ut est in parabola, rationalis centuriæ per malitiam aberravit[a]. » Cyrillus quoque Hierosolymitanus non solum ex illa parabola idem colligit, sed hoc insuper argumento utitur, quod « ex loci magnitudine, incolarum multitudo æstimari solet; est autem universa terra puncti instar in unius cœli medio[b]. » Sed

a Gregor. Nyss. lib. II *contra Eunom.* Διὰ τοῦτο δ πᾶσαν τὴν κτίσιν τὴν λογικὴν ποιμαίνων, καταλιπὼν ἐν τοῖς ὑψηλοῖς τὴν ἀπλανῆ τε, καὶ ὑπερκόσμιον ποίμνην, τὸ πεπλανημένον πρόβατον, τὴν ἡμετέραν λέγω φύσιν, ὑπὸ φιλανθρωπίας μετέρχεται. πολλοστὸν γὰρ, καὶ ἐλάχιστον μέρος, εἰ πρὸς τὸ πᾶν κρίνοιτο, ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ἡ μόνη κατὰ τὸ τῆς παραβολῆς αἴνιγμα, τῆς λογικῆς ἑκατόνταδος διὰ τῆς κακίας ἀποφοιτήσασα.

b Cyril. *Cat.* XV. Πρὸς γὰρ μέγεθος τῶν τόπων ἁπάντων, οὕτω καὶ τὸ πλῆθος τῶν οἰκητόρων λογίζεσθαι δεῖ. ἡ δὲ οἰκουμενικὴ γῆ κέντρον ὥσπερ ἐστὶν ἐν μέσῳ τοῦ ἑνὸς οὐρανοῦ.

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 918. — 2 Lib. *de Fide ad Pet.* cap. III. — 3 Cap. V. 11. — 4 In 1 par. II *de Univers.* cap. LVIII. — 5 *Mat.* XVIII, 12 et *Luc.* XV, 4. — 6 Libr. VII in *Luc.* ad cap. XV.

hæc ratio multo majorem esse Angelorum copiam efficit, quam ut proportionem ad homines habeat, cujusmodi est nonaginta novem ad unum; quam agnovit etiam Didymus cæcus, ut notat Maximus Martyr in *Comment. ad Dionysii* caput XIV *de cœlesti Hierarchia*. Longe enim excessu majore terra superatur a cœlo illo, quod Angelis attributum est, quam unitas a centenario.

X. Cujusmodi proportionem in Angelorum, hominumque numero Titus etiam Bostrensis adhibet in *Commentario* ad caput *Lucæ* duodecimum; ubi illud explicat, cur Christus *pusillum* gregem nominet, atque inter cætera causam hanc refert, « quod unius instar habeat ad centum grex ille, qui in terris est, si cum cœlestium spirituum innumerabili grege comparetur [a]. » Quæ tamen verba plus aliquid exprimunt, nempe majori longe proportione superari multitudinem hominum ab Angelis, quam unitas a centum; sed Scripturæ more centenarium pro immenso aliquo numero positum fuisse. Ac, ne quis cum electis tantum conferri putet Angelos, quod gregem suum pusillum Christus appellet, idem Titus proxime ante demonstrat, se totum genus hominum *pusilli gregis* voce, atque ambitu complecti, cum *pusillum* dici propterea scribit, « cum quod ab Angelorum multitudine immensa, et sine ulla comparatione nos excedente superetur [b]. » Ex quo etiam prior nostra conjectura firmatur, Titum Bostrensem, non modo vinci homines ab Angelis putare, quemadmodum unitas centenario minor est, sed eo etiam amplius ita, ut nulla possit esse comparatio.

Sane Cyrillus *Paschali Oratione* XII Angelorum multitudinem ἀναρίθμιον, id est *innumerabilem* esse dicit. Et Severianus Gabalitanus ait, illos « omnem numerorum naturam excedere [c]. »

Dionysius explicatur. XI. Cui consentiens Dionysius innumerabiles esse scribit Angelos, ac numerum omnem transcendere, qui in rebus materia constantibus inest, et a nobis computari potest: « Multi sunt enim, inquit, superiorum mundo mentium beati exercitus; qui imbecillam, et contractam eorum, qui in materia cernuntur et in usu nostro sunt, numerorum rationem excedunt, quique cognitione certa definiuntur ab sola mundo superiore, ac cœlesti illarum intelligentia, et scientia, quam iis divina, princepsque, et infinita sapientiæ efficientia feliciter impertitur [d]. » Tantam ait esse multitudinem beatarum mentium, ut eam nullus comprehendat numerus, quo res materiæ affixas numerando percensemus, ita ut sola eam complectatur illarum scientia; illarum, inquam, mentium, non Dei solius notitia, ut falso interpretatus est Hugo Victorinus, contra quam Linconiensis, Joannes Scotus, Albertus, aliique omnes intellexerunt, ut Dionysius Carthusianus observat [1]. Neque vero Maximus hic audiendus Dionysii Interpres, qui solam hominum multitudinem conferri cum Angelis existimat. Siquidem universe de omni corporearum, et materia constantium rerum numero loquitur Dionysius; quem S. Thomas sequitur [2], qui ejusdem Dionysii auctoritate fretus « Angelos ait secundum quod sunt immateriales substantiæ, in quadam multitudine esse maxima omne materialem multitudinem excedentes. »

Item Thomas. XII. Perperam vero, meo quidem judicio faciunt, qui S. Thomam de numero *specierum* corporearum, non individuorum, ita sensisse putant [3]. Etenim, ut omittam alia, certe vel ipsum Dionysii testimonium, quod affert, de individuis sermonem esse demonstrat. Dionysius enim, ut ex ejus oratione constare potest, de nulla alia multitudine, quam individuorum locutus est, ut qui speciem omnium Angelorum unam esse, cum antiquis omnibus, immo cum Ecclesia judicarit, ut scribit Maximus. Quare neque S. Thomas aliam, præterquam individuorum corporum multitudinem intellexit, cum se S. Dionysium sequi profiteatur.

Atenim Dionysius non significat, majorem esse multitudinem Angelorum numero cor-

a Titus Bostr. tom. I *Bibl. PP. Græco.-Lat.* Ἔδειξεν ὅτι ὡς ἓν ἐν τοῖς ἑκατὸν τὰ ἐπὶ γῆς ἐστι ποίμνιον πρὸς τὰς ἀμετρήτους τῶν πνευμάτων ἀγέλας.

b Ibid. Ἢ διὰ τὸ ἡττᾶσθαι τῆς τῶν ἀγγέλων πληθύος ἀμετρήτου οὔσης, καὶ ἀσυγκρίτως πλεονεκτούσης τὰ καθ' ἡμᾶς.

c Sever. orat. IV *de Opif. mundi.* Καὶ τοσοῦτοί εἰσιν, ὅτι τὴν τῶν ἀριθμῶν ὑπερβεβήκασι φύσιν.

d Dion. cap. XIV *de Cæl. Hierar.* Πολλαὶ γὰρ εἰσίν αἱ μακάριαι στρατιαὶ τῶν ὑπερκοσμίων νοῶν τὴν ἀσθενῆ, καὶ συνεσταλμένην ὑπερβεβηκυῖαι τῶν καθ' ἡμᾶς ὑλαίων ἀριθμῶν συμμετρίαν, καὶ πρὸς μόνης γνωστικῶς ὁριζόμεναι τῆς καθ' αὐτὰς ὑπερκοσμίου, καὶ οὐρανίας νοήσεως, καὶ ἐπιστήμης τῆς πανολβίως αὐταῖς δωρουμένης ὑπὸ τῆς θεαρχικῆς, καὶ ἀπειρογνώστου σοφοποιΐας.

1 Dion. Carth. ad cap. XIV *de Cæl. Hier.* art. 63. — 2 In I Par. q. 50, art. 3.— 3 Cajet. Ferrar. et vasq.

porum, sed eam numerari a nobis non posse quavis numeri multiplicatione, qua in rebus corporeis numerandis uti consuevimus, ut centenario, millenario numero. Ita enim Vasquezius disputat[1], ac de numero ipso, non de rebus numeratis Dionysium loqui asserit. Sed hoc nihil est. Nam, etsi pauca sint nomina singularia, quibus summæ numerales exprimuntur, possunt tamen in infinitum revolvi in se, ac replicari numeri omnes, aut etiam arithmeticæ notæ adeo, ut quantamcumque multitudinem corporum exhauriant, non modo quæ reipsa continetur mundi ambitu, sed etiam quæ plures mundos replere posset. Nam et pulveris, arenæque molem omnem, quæ toti huic universo implendo sufficiat, docti Mathematici certo numero dimensi sunt, Itaque nihil interest, sive cum rerum corporearum numero, sive cum rebus ipsis Angelorum multitudo comparetur.

XIII. Ad hanc sententiam respexisse videtur Æneas Gazæus, cujus in Theophrasto verba sunt ejusmodi : « Atqui intelligibilibus virtutibus plenum est cœlum universum ; plenus est æther Angelis, et dæmonibus plenus aer est; plena sunt terra, mare, et quæ sub terra sunt omnia, et, quod quidam e nostris Sapientibus dixit, nihil est vacuum, ne tantillum quidem, ut vel arista , et pilus immitti possit, adeo ut, etsi velit Deus ad decem annorum millia hominum propagare vitam, non tamen æquales numero futuras putem hominum animas Angelorum, dæmonumque multitudini. »

Chrysostomus item, « Dena sunt, inquit, millia myriadum Angelorum supra, et decies centena millia Archangelorum; item Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates, et infiniti populi corpore carentium Virtutum, ac gentes innumerabiles; et tamen has omnes virtutes tanta facilitate condidit, quantam sermo nullus assequi potest. » Ad hæc Commentarius ille in Apocalypsim, qui Ambrosio inscribitur, quod ejus libri capite septimo Angeli, nullo definito numero, thronum Dei circumstetisse dicuntur, superius autem millia millium numerantur[2], sic exponit, ut « per superiores Angelos, qui numero comprehenduntur, eos intelligat, qui ad diversa officia in mundo destinantur; eos autem, qui sine numero ponuntur, illos, qui in cœlestibus cum Domino conversantur. »

XIV. Verum utrobique innumerabilis multitudo, neque certo comprehensa numero significatur; præsertim cum in Græco non solum *millia millium*, sed etiam μυριάδες μυριάδων habeas, ut antea scripsi.

Incertus numerus Angelorum.

Postremo Auctor *Quæstionum ad Antiochum*, quæ inter Athanasii opera extant, cum interrogasset, utrum Angelorum numerus major sit, quam hominum, respondet, quosdam existimare, Angelos ita habere ad homines, ut nonaginta novem ad unum, ex Parabola centum ovium ; alios sic, ut novem ad unum, secundum alteram parabolam drachmarum decem; alios denique, ut æquali ambos esse numero putent, illis verbis induci, *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelornm Dei*[3]. Sed de hoc *Deuteronomii* loco dicetur postea. Sunt qui electos ad æternam felicitatem homines totidem fore censent, quot Angeli prolapsi sunt. Atque ita Moses Barcepha in parte prima libri *de Paradiso* ex Gregorii Nazianzeni auctoritate. Angelorum porro tertiam partem cecidisse , *Apocalypseos* liber quibusdam videtur ostendere. Siquidem ad instaurandam illam ruinam Angelicæ naturæ assumptos esse homines, gravissimi Scriptores asserunt, ut Augustinus[4], et Anselmus; quasi tot ex hominum genere ad æternam vitam destinati sint, quot Angeli dejecti sunt : ut hac ratione multo hominum major

An tanta sit electorum multitudo, quanta angelorum cecidit.

a ÆNEAS GAZ. tom. II *Bibl. Græco-Lat.* Καὶ μὴν νοερῶν δυνάμεων μεστὸς ὅλος ὁ οὐρανός. μεστὸς δὲ ὁ αἰθὴρ ἀγγέλων τε, καὶ δαιμόνων πλήρης μὲν ὁ ἀὴρ· πλήρης δὲ καὶ ἡ γῆ, καὶ ἡ θάλασσα, καὶ τὰ ὑπὸ γῆν πάντα· καὶ ὡς ἔφη τις τῶν παρ' ἡμῖν σοφῶν, κενὸν οὐδὲν οὐδ ὅσον αἰθέρα, καὶ τρίχα βάλλειν· ὥστε κἂν εἰ θελήσειεν εἰς μύρια ἔτη τὸν αἰσθητὸν βίον ἀνθρώποις ἐπεκτείνειν, οὐκ ἂν οἶμαι τῇ τῶν ἀγγέλων, καὶ δαιμόνων πολυπληθείᾳ τῶν ἀνθρώπων αἱ ψυχαὶ γένοιντ' ἂν ἰσάριθμοι.

Suspicor. legendum ἀθέρα pro αἰθέρα.

b CHRYS. hom. *de Incompr.* Μύριαι μυριάδες εἰσὶν ἀγγέλων ἄνω, καὶ χίλιαι χιλιάδες εἰσὶν ἀρχαγγέλων, καὶ θρόνοι, καὶ κυριότητες, καὶ ἀρχαὶ, καὶ ἐξουσίαι, καὶ ἄπειροι δῆμοι ἀσωμάτων δυνάμεων, καὶ φῦλα ἀμύθητα· καὶ ὅμως ταύτας ἁπάσας τὰς δυνάμεις μετὰ τοσαύτης εὐκολίας ἐποίησε, μεθ' ὅσης οὐδεὶς λόγος παραστῆσαι δύναται.

c ATHAN. *ad Ant.* QU. VI. Οἱ μέν φασιν ἐννενήκοντα ἐννέα μέρη εἶναι τοὺς ἀγγέλους πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῆς ἀνθρωπότητος, κατὰ τὴν παραβολὴν τοῦ κυρίου τῶν ἑκατὸν προβάτων· ἄλλοι δὲ ἐννέα κατὰ τὴν παραβολὴν τῶν δέκα δραχμῶν· ἕτεροι δὲ ἰσαρίθμους λέγουσι τοὺς ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἀνθρώπους, φέροντες εἰς μαρτυρίαν τὸ· ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ.

1 Vasq. disp. CLXXXIX, cap. II. — 2 Cap. V, 11. — 3 *Deut.* XXXII. — 4 August. Enchir. XXIX et lib. XXII *de Civ.* cap. I Ansel. lib. I Cur Deus homo, cap. XVIII. Isidor. I de Sum bono cap. XII.

sit, quam Angelorum numerus. Neque enim tertia pars hominum æternam vitam assequetur.

XV. Quanquam Augustinus in *Enchiridio* dubitat, num plures homines prædestinati, quam dæmones, sint futuri. « Itaque superna, inquit, illa Hierusalem mater nostra civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur ; sed uberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebit. » Quare tanto majorem hominum, quam Angelorum multitudinem facit Augustinus ; siquidem communi illa fuit in sententia, tertiam Angelorum corruisse partem. Ac multo etiam ampliorem statuit Gregorius Papa [1], qui tot salvos fore censet homines, quot in officio steterunt Angeli ; quod ipsum Magistro sententiarum probatur [2]; et Guillelmo Parisiensi [3]. Verum neque hoc, neque aliud omnino quidquam, quod de Angelorum numero conjectura hominum adstruit, momenti multum habet. Quare una hæc theologo homine, cum ea de re inquiritur, digna responsio est : incertum id esse, plures sint Angeli, an homines ; ac multo magis, quanto alterutri alteros excedant. Nam, quod tertia pars illa stellarum ad Angelorum, qui ceciderunt, partem tertiam pertinere dicitur, id minime constare suo loco docebitur.

CAPUT XV.

Quandonam Angeli creati sint. Ante mundum conditos fuisse, complures Veterum existimarunt, maxime Græci ; sed et Latini. Horum plerique prima die productos volunt. Theodori Mopsuesteni cum Basilio conflictus. Expenduntur momenta utriusque partis. Lateranensis explicata Synodus. Item Basilii locus. Declaratur ratio, propter quam Deus voce usus dicatur in rerum creatione, ex mente Theodori Mopsuesteni.

Angelos a Deo fuisse creatos, non solum Christiana religio, sed etiam philosophorum opinio profitetur, maxime Platonicorum ; quorum princeps in *Timæo* minores a summo deos esse conditos refert ; ab hisque facta deinceps, ac perpolita reliqua. Sed de procreationis illorum ordine, ac tempore, in sacris libris vel incerta est et obscura, vel, quod pluribus placet et probabilius mihi videtur, nulla prorsus mentio. Quod ipsum reprehendebat Apostata Julianus apud Cyrillum, quod scilicet tantum « de cœlis, ac terrenis corporibus locutus sit Moses, ita ut Deus, secundum ipsum, nullius incorporei sit conditor, sed materiæ subjectæ ornator [a]. » At veteres aliqui procreationis Angelorum meminisse Mosem putarunt, vel sub cœli nomine, ut Origenes [4], Beda, Strabus ; vel lucis, quod Augustinus [5] non improbat, neque Petrus Lombardus [6]. Melius alii fatentur prætermissam a Mose ; idque duplici de causa. Primum quod, ut ait Cyrillus libro tertio *contra Julianum* quæ ab sensu remota sunt, difficile a nobis intelliguntur, immo vero ne ea quidem, quæ in manibus sunt, facile capimus ; idcirco non debuit Moses ea scriptis committere quæ a nobis percipi non possent. Quæ ratio præsertim in Judæis valet, ut Chrysostomus observat : « Nihil, inquit, de his virtutibus loquitur, quæ sub aspectum non cadunt ; neque dicit : In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos ; quam doctrinæ viam non temere, ac sine causa tenuit. Cum enim ad

Angelorum creatio a Moyse prætermissa

a Julianius apud Cyr. II *contra Jul.* Πρὸς τούτοις οὔτε τῆς τῶν ἀγγέλων μέμνηται γενέσεως, ἢ ποιήσεως, οὐδ' ὃν τινα τρόπον παρήχθησαν· ἀλλὰ τῶν περὶ τὸν οὐρανὸν μόνον, καὶ περὶ τὴν γῆν σωμάτων, ὡς εἶναι τὸν θεὸν, κατὰ τὸν Μωσέα, ἀσωμάτων μὲν οὐδενὸς ποιητήν· ὕλης δὲ ὑποκειμένης κοσμήτορα. Et lib. III.

1 Hom. XXXIV. — 2 In II, Dist. IX. — 3 In II Par. sec. Par. *de Univers.* cap. XVIII. — 4 Hom. I in *Gen.* — 5 Aug. I *de Gen. ad lit.* cap. IX et XI *de Civ.* cap. IX. — 6 Mag. in 2, dist. XIII.

Judæos verba faceret, qui præsentibus rebus inhiabant, neque intelligibile quidquam imaginatione capere poterant, ex iis, quæ sensu percipiuntur, interim ipsos attollit ad universorum conditorem[a]. » Quod idem et alio in loco uberius explicat[1]. Nec non Severianus Gabalitanus homilia prima *de mundi opificio*[2]. Altera causa est, quod Moses non omnium rerum procreationem, sed aspectabilium duntaxat, et corporearum instituebat scribere, ut Basilius asserit[3], et post eum Philoponus; quam ego verissimam esse rationem, arbitror. Etenim Moses narrationem suam ita temperavit, ut se ad popularem intelligentiam demitteret; neque abstrusiora, et ab usu, sensuque communi secreta vellet attingere. Quocirca solius corporei mundi productionem exposuit, ac rerum omnium, quæ cœli terræque circumscriptæ sunt ambitu, de Angelorum ortu tacuit omnino; quem tamen ignorari a nobis, neque Mosis, neque alii Scripturæ libri patiuntur, ut Cyrillus ait[5], cum passim servi esse ac ministri, et Dei nutui, et voluntati obsequi dicantur.

Duplex sententia de tempore quo creati sunt angeli.

II. Verum, quando illi producti fuerint, hoc est utrum ante res omnes aspectabiles, totumque illud opificium, quod initio *Geneseos* traditur, an cœlo posteriores sint, perantiqua est ac celebris quæstio, quam, uti necesse est, hoc loco disceptabimus; quamque Gobarus Tritheita apud Photium in partem utramque disputabat. In hac porro versantur opiniones duæ veterum. Nam alii ante cœlum, corporaque omnia conditos esse volunt Angelos; alii post cœlum, et in cœlo ipso. Priorem sententiam antiquissimi quique Patrum amplexi sunt, maxime Græci, et, qui Græcos sequi solent, Latini.

Græcus quidam scriptor in vetusto codice, qui varii argumenti tractatus continet, cum de Angelis ait, ita loquitur : « Omnes propemodum per orbem Ecclesiæ magistri intelligibilem omnem, et angelicam naturam ex nihilo ante hunc mundum exstitisse docent[b]. » Ita censet Origenes, qui quidem in libro primo *Periarchon*, capite primo fatetur non satis manifeste proditum esse, quando Angeli creati sint; verum alibi cœli nomine, « quod in principio et ante omnia dicitur factum, omnem spiritualem substantiam intelligit, super quam, velut in throno quodam, et sede Deus requiescit. » Idque alio in loco Jobi[7] testimonio probat[8]; apud quem « quando factæ sunt stellæ laudaverunt Deum omnes Angeli ejus, quasi antiquiores non solum homine post creato, sed et omni creatura propter eum creata. »

Veterum sententiæ qui Angelos ante mundum creatos asserunt.

III. Basilius Homilia prima *in Hexaemeron*, « Erat enim inquit ut apparet, aliquid etiam ante hoc universum, quod mente quidem nostra contemplari possumus; non est tamen litteris ullis proditum, quod rudibus, et cognitione adhuc infantibus nequaquam congruere videbatur. Erat quidam mundi productione status antiquior, mundo superioribus illis consentaneus virtutibus, tempore anterior, sempiternus, perpetuus. Creaturas autem in ipso creator omnium, et opifex effecit, intelligibile lumen eorum, qui Deum amant, felicitate dignum; nempe rationales, neque aspectabiles naturas, et omnem intelligibilium ordinem, quæcumque mentem nostram superant, quorum ne nomina quidem investigari possunt. Hæc enim invisibilis mundi substantiam complent, ut nos Paulus his verbis docet: *quoniam in ipso creata sunt omnia, sive visibilia, sive invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates sive virtutes, sive Angelorum exercitus, sive Archangelorum præfecturæ* [c]. » De quo Basilii loco mox agetur [c].

Subscribit huic opinioni Gregorius Nazian-

a Chrys. hom. II *in Gen.* Οὐδὲν περὶ τῶν ἀοράτων δυνάμεων διαλέγεται, οὐδὲ λέγει, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τοὺς ἀγγέλους, ἢ τοὺς ἀρχαγγέλους. οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ εἰκῇ ταύτην ἡμῖν ἔτεμε τῆς διδασκαλίας τὴν ὁδόν· ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαίοις διελέγετο τοῖς περὶ τὰ παρόντα ἐπτοημένοις, καὶ οὐδὲν νοητὸν φαντασθῆναι δυναμένοις, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν τέως αὐτοὺς ἀνάγει πρὸς τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν.

b Græcus Scriptor MS. Πάντες σχεδὸν οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην τῆς ἐκκλησίας διδάσκαλοι πᾶσαν τὴν νοερᾶν, καὶ ἀγγελικὴν φύσιν, ἐκ μὴ ὄντων προϋφεστάναι τοῦδε τοῦ κόσμου διδάσκουσι.

c Basil. Ἦν γάρ τι ὡς ἔοικεν καὶ πρὸ τοῦ κόσμου τούτου, ὃ τῇ μὲν διανοίᾳ ἡμῶν ἐστι θεωρητὸν, ἀνιστόρητον δὲ κατελείφθη, διὰ τὸ τοῖς εἰσαγομένοις ἔτι καὶ νηπίοις κατὰ τὴν γνῶσιν ἀνεπιτήδειον. ἦν τις πρεσβυτέρα τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως κατάστασις ταῖς ὑπερκοσμίοις δυνάμεσι πρέπουσα, ἡ ὑπέρχρονος, ἡ αἰωνία, ἡ ἀΐδιος. δημιουργήματα δὲ ἐν αὐτῇ, ὁ τῶν ὅλων κτίστης, καὶ δημιουργὸς ἀπετέλεσε, φῶς νοητὸν πρέτον τῇ μακαριότητι τῶν φιλούντων τὸν κύριον, τὰς λογικὰς, καὶ ἀοράτους φύσεις, καὶ πᾶσαν τὴν τῶν νοητῶν διακόσμησιν, ὅσα τὴν ἡμετέραν διάνοιαν ὑπερβαίνει, ὧν οὐδὲ τὰς ὀνομασίας ἐξευρεῖν δυνατόν. ταῦτα γὰρ τοῦ ἀοράτου κόσμου συμπλη-

1 Tom. V, Hom. I. — 2 Tom. VII. — 3 Basil. lib. *de Spir. sanct.* cap. XVI. — 4 Philop. lib. *de muncreat.* I, cap. VIII. — 5 Cyr. lib. III *cont. Jul.* — 6 Hom. I in *Gen.* — 7 Homo x in *Matth.* — 8 Cap. XXXVII. — 9 Col. 1, 6.

zenus oratione XXXVIII quæ est *de Natali Christi*, et oratione XLII in qua eadem repetit totidem verbis, quibus spiritualem, et intelligibilem mundum primum omnium procreatum esse demonstrat, hoc est Angelorum ordines, secundum quos molem hanc universitatis condidit Deus. Chrysostomus etiam illa *Geneseos* verba declarans, *Faciamus hominem ad imaginem* etc. significat, Angelos ante cœlum esse productos. Nam Judæos, aliosque refellens, qui ad Angelos illa dici a Deo volebant, hoc utitur argumento: « Quid causæ est, cur, cum cœlum fecit, non dixit Angelo, et Archangelo, sed per se produxit; cum autem cœlo, ac mundo universo præstantius edidit animal, hominem, tunc famulos opificii participes adsciscit[a]? » Igitur tacite hoc sumit, Angelos jam tum exstitisse, quando cœlum molitus est Deus. Et in primo libro *ad Stagirium*, « Fecit, inquit, Angelos, Archangelos, cæterasque incorporeorum substantias. Fecit autem nullius alterius gratia, sed bonitatis solius, etc. Post horum procreationem, etiam hominem fecit, ob eamdem ipsam causam, nec non totum hunc mundum[b]. » Citatur et ab Eugubino, in libro de incorporeis, et invisibilibus, Chrysostomi locus ille, neque unde sit sumptus, adnotatur. Propter te, inquit, fecit Deus universa. Propter te, ait, hæc omnis carporea est creatura. « Non enim Angeli ejus indigebant. Qui enim opus habebant, qui antea exstiterant? Nam quod multo sint priores Angeli creatura corporea, audi, quid dicat is, qui cum Job loquebatur: *Quando facta sunt astra, laudaverunt me Angeli mei voce magna*[c], » etc. Possunt igitur Αἰῶνες illi ante mundum a Deo procreati intelligi cœlestes spiritus, qui domicilii instar sunt. Nam et Philippus Abbas Bonæ Spei in epistola prima, « eosdem Angelos domum æternam ab Apostolo nominari putat, cum ad sperandam cœlestem mansionem fidelium animos invitavit. *Habemus*, inquit, *domum non manufactam æternam in cœlis.* »

IV. Damascenus vero, « Quidam, ait, asseverant Angelos ante omnem creaturam esse factos, ut Gregorius Theologus his verbis ait: Primum quidem excogitavit Angelicas virtutes, ac cœlestes, et cogitatio ipsa opus erat. At alter creatos illos putat, postquam primum cœlum fabricatum est. Nam ante formatum hominem illos exstitisse consentiunt omnes. Ego vero Gregorio subscribo, Decebat enim, primum intelligibilem substantiam creari; tum sensibilem; ac demum ex utroque compositum hominem[d]. » Et libro quarto, capite XIV. « Fecit primum intelligentes cœlestesque Virtutes; deinde visibilem et sensibilem mundum; tum ex intelligente, et sensibili, hominem[e]. »

In eamdem cum Damasceno sententiam longe ante eum scripsit Zacharias Mitylenæus; sed ejus in cusis vestigium prope abolitum est. Cujus proinde verba vel emendandi gratia hic adscribam. « Mundum hunc ait sensibilem, et aspectabilem factum esse post intelligibilium procreationem. Etenim Opifex ordine, et consecutione opere sua molitur, ne quid perturbatum in rebus exsistat[f]. » Tum addit, tanto illo temporis intervallo, quod sensibilis mundi antecessit ortum, « non in otio mansisse Deum, utpote qui intelligibilia

ροῖ τὴν οὐσίαν, ὡς διδάσκει ἡμᾶς ὁ Παῦλος λέγων· ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, εἴτε ὁρατὰ, εἴτε ἀοράτα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴται ἐξουσίαι, εἴτε δυνάμεις, εἴτε ἀγγέλων στρατιαὶ, εἴτε ἀρχαγγέλων ἐπιστασίαι.

a Chrys. Τίνος δὲ ἕνεκεν, ὅτε μὲν τὸν οὐρανὸν ἐποίησεν, αὐκ εἶπεν ἀγγέλῳ, καὶ ἀρχαγγέλῳ, ἀλλὰ δι' ἑαυτοῦ παρήγαγεν; ὅτε δὲ τὸ τιμιώτερον οὐρανοῦ καὶ παντὸς κόσμου παρήγαγε ζῶον, τὸν ἄνθρωπον, τότε τοὺς δούλους κοινωνοὺς λαμβάνει τῆς δημιουργίας;

b Chrys. 'Εποίησεν ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τὰς ἄλλας τῶν ἀσωμάτων οὐσίας. ἐποίησε δὲ δι' ἕτερον μὲν οὐδὲν, δι' ἀγαθότητα δὲ μόνην, etc. Μετὰ δὲ τὴν τούτων δημιουργίαν ποιεῖ καὶ τὸν ἄνθρωπον. διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην πάλιν αἰτίαν καὶ τὸν κόσμον ἅπαντα τοῦτον.

c Chrys. Διά σε· οὐδὲ γὰρ ἄγγελοι ταύτης ἐδέοντο. πῶς γὰρ οἱ καὶ πρὶν ἢ γενέσθαι αὐτὴν ὄντες; ὅτι γὰρ ἐκεῖνοι πολλῷ ταύτης πρεσβύτεροι, ἄκουσόν τί φησιν τῷ 'Ιὼβ ὁ διαλεγόμενος· ὅτε ἐγένετο ἄστρα, ᾔνεσάν με πάντες ἄγγελοί μου φωνῇ μεγάλῃ.

d Damasc. lib. II, cap. III. Τινὲς μὲν οὖν, φασίν, ὅτι πρὸ πάσης κτίσεως ἐγένοντο, ὡς ὁ θεολόγος λέγει Γρηγόριος· πρῶτον μὲν ἐννοεῖ τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις, καὶ οὐρανίους· καὶ τὸ ἐννόημα ἔργον ἦν. ἕτερος δὲ ὅτι μετὰ τὸ γενέσθαι τὸν πρώτον οὐρανόν. ὅτι δὲ πρὸ τῆς ἀνθρώπου πλάσεως, πάντες ὁμολογοῦσιν. ἐγὼ δὲ τῷ θεολόγῳ Γρηγορίῳ συντίθεμαι. ἔπρεπε γὰρ πρῶτον τὴν νοερὰν οὐσίαν κτισθῆναι, καὶ οὕτω τὴν αἰσθητὴν. καὶ τότε ἐξ ἀμφοτέρων τὸν ἄνθρωπον.

e Damasc. 'Εποίησε πρῶτον μὲν τὰς νοερὰς, καὶ οὐρανίους δυνάμεις, εἶτα τὸν ὁρατὸν, καὶ αἰσθητὸν κόσμον· εἶτα ἐκ νοεροῦ καὶ αἰσθητοῦ τὸν ἄνθρωπον.

f Zachar. sub. fin. lib. *de mun. Opif.* Τὸν δὲ κόσμον τοῦτον τὸν αἰσθητὸν, καὶ ὁρώμενον γεγενῆσθαι μετὰ τὴν τῶν νοητῶν δημιουργίαν· τάξει γὰρ καὶ ἀκολουθίᾳ δημιουργεῖ ὁ δημιουργὸς, ἵνα μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄτακτον εἴη. In editis libris τῶν ὄντων legitur, pro quo νοῆτῶν restituimus.

produxerit, neque tamen necessitate ad ea, quæ sunt, procreanda venerit[a]. »

Dionysius item in calce capitis V libri *de Divinis nominibus*, significat Angelos ante tempus, adeoque temporis causam, id est mundum hunc, cœlumque productos esse; quod illius Interpres Maximus clarius exponit. Quippe ἐν τῷ αἰῶνι, hoc est *ævo* procreatos, non in tempore, ut et Nicetas indicat in oratione *de SS. Michaele, et Gabriele.*

Severianus quoque Gabalitanus [1] in oratione IV *de mundi opificio*, Angelos ait ante cœlum ac terram exortos, singula Dei opera, cum e nihilo proferrentur, admiratos esse, et artificem collaudasse, ex illo celebri Jobi loco [2], cujus supra meminimus. Assentitur et Cæsarius dialogo primo, interrogatione LXI et dialogo tertio interrogatione CXXIII. Quamquam ad interrogationem CXLVIII Angelos e cœlo decidisse asserit. Sic et Clemens Romanus in octavo *Constitutionum*, capite XII.

Joannes vero Philoponus contra Theodorum Mopsuestenum, ejusque fautorem Theodoretum, hanc eamdem antiquorum Patrum opinionem, maxime Basilii propugnat, de quibus mox agam. Ac denique Anastasius Sinaita [3].

V. E Latinis S. Ambrosius imprimis idem cum Basilio, aliisque Græcis asserit; ut in libro primo *ad Hexaemeron:* quo in opere Basilium non imitatur solum, sed verbum plerumque vertit. Proinde « Angeli, inquit, dominationes, et potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam, quando hic mundus est factus [4]. » Et in præfatione *ad Psalmos*: Ante ipsum initium mundi Cherubin, et Seraphin cum suavitate canoræ vocis suæ dicunt : Sanctus, Ssnctus, Sanctus, » Sic Hilarius ln libro XII, « Quid enim magnum est, ut ante terram Deus Dominum Christum genuerit, cum Angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior? » Et in libro *contra Auxentium*, « Ante tempora, et sæcula confitentur (esse Dei Filium,) quod de Angelis, atque diabolo est non negandum. » Hieronymus item ad caput primum epistolæ *ad Titum*, « Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus, atque mensuris Deo jubente substiterint; » Cassianus etiam [5] : apud quem Serenus Abbas idipsum affirmat ex eo, quod Jobus illos siderum creationi interfuisse refert [6]. Isid. Hispalensis, « Ante omnem creaturam Angeli facti sunt [7], dum dictum est. *Fiat lux.* De ipsis enim dicit Scriptura : *Prior omnium creata est sapientia.* Lux enim dicuntur participando luci æternæ. » Verum, cum hæc verba, *Fiat lux*, a Deo prima die dicta sint, post terram saltem, et abyssum conditam, videri potest Isidorus existimasse, Angelos prima die factos esse. Tametsi mox ita scribit: « Ante omnem creaturam mundi, creati sunt Angeli, et ante omnem creationem Angelorum diabolus conditus est, sicut scriptum est, *Ipse est principium viarum Dei.* » Sed ne his quidem satis probari potest, ante cœlum terramque diabolum, aut ullum Angelum ex Isidori mente procreatum esse, nisi quod pugnare secum videtur, dum absolute *ante omnem creaturam mundi* Angelos esse factos ait, quos primo die conditos significat.

Beda in libro *Quæstionum*, quæstione IX « Angeli, inquit, ante creationem mundi creati sunt, » quæ sunt ipsius Isidori verba ex quibus tota illa constat quæstio.

VI. At vero nequaquam ante corpoream omnem, et aspectabilem creaturam exstitisse Angelos, quidam e Græcis, plures autem e Latinis Patribus affirmant.

Inter Græcos diserta id oratione docet Epiphanius, qui in hæresi LXV scribit illos una cum cœlo, terraque productos esse : « Illud enim, ait, evidenter divinus sermo declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante cœlum, terramque constitutos. Est enim certa illa, et immutabilis sententia, ante cœlum. ac terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam in principio creavit Deus cœlum, ac terram; ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit[b]. » Sententiæ veterum qui angelos ante mundum aspectabilem creatos negant.

a Ibid. Μὴ διαμένειν δὲ ἐν ἀργίᾳ πρὸ τῆς τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου δημιουργίας φαμὲν, ὡς ἐργαζόμενον τὰ νοητὰ, καὶ οὐκ ἀνάγκῃ ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων δημιουργίαν ἐλθόντα.

b EPIPHAN. hær. LXV, num. 4 et 5. Τηλαυγῶς γὰρ σημαίνει ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, ὅτι οὐδὲ μετὰ τὰ ἄστρα γεγόνασιν ἄγγελοι, οὔτε πρὸ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, σαφῶς ἀμεταθέτου ὄντος τοῦ ῥητοῦ τοῦ, ὅτι πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐδὲν ἦν τῶν κεκτισμένων· ὅτι ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. ὡς ἀρχῆς οὔσης κτίσεως, καὶ οὐδὲν πρὸ αὐτῆς τῶν κεκτισμένων.

1 Inter opera Chrys.—2 *Job.* XXXIII, 7.—3 Lib, VI Hex., et c. IV ὁδηγοῦ.— 4 Amb. I Hex. c. V.— 5 Cass. col. 8, cap. VII.— 6 *Job.* XXXVII. — 7 Isid. I de Sum. bono, cap. XII.

Theodorus Mopsuestenus apud Philoponum non solum ita sentit, sed in contrariam etiam opinionem acrius invehitur, Basiliumque, ut Philoponus interpretatur, tacito nomine reprehendit : « Non minus aiebat Theodorus libro primo *in Genesim* stultum est, quando aliqui etiam eorum, qui censentur pii, et divinis scripturis credere se profitentur, Angelos, et invisibiles aliquas virtutes ante res visibiles exstitisse arbitrantur, cum ex divina Scriptura nullam hujus probationem afferre possint [a].»

VII. Theodoretus Mopsuesteni illius admirator ac discipulus, cum eam quæstionem proposuisset, « Præceduntne Angeli creationem cœli, et terræ, an una cum eis creati sunt [b] ? » eadem plane cum illo ipso respondet, Angelosque negat, ante cœlum, et corpoream creaturam esse productos; quippe qui certo loco circumscripti sunt, cujusmodi extra cœlum, terrramque nullus esse potest. « Nam, si non sit in rerum natura quod ferat, quomodo esse possit quippiam, quod feratur [c]? » Deinde quod [1], ut Apostolus ait [2], Angeli *omnes administratorii sunt Spiritus*, et ad hominum ministerium addicti ; quare « quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant, quum nullus esset, qui indigeret, ut adjuvaretur eorum opera [d] ? » Mox tamen idem Theodoretus fatetur, dummodo naturam Angelorum creatam fuisse concedat quispiam, nihil contra fidem ac pietatem facere, qui eos ante cœlum ac terram conditos esse dixerit.

Basilius itidem Seleuciensis oratione prima, cœli terræque conditu posteriores Angelos facit; quin addit, idcirco Deum in cœli terræque molitione nulla usum esse voce, quod nullus tum esset, qui eam perciperet; deinceps autem in producendis singulorum dierum operibus, ut in luce, ac reliquis, vocem adhibuisse, quæ ad sensum, et admirationem eorum quæ fiebant, Angelos excitaret : « Nam quia nuper creata infinita millia Angelorum ita quæ fiebant, intuebantur, ut opificem ipsum videre non possent, quippe Angelorum etiam oculos excedit invisibilis Dei substantia ; jure nunc vocem adhibet, quæ ad sensum, et admirationem ejus, quod fiebat, Angelorum cœtus excitaret, ut cum mandato ipso concurrentem effectum operis videntes, et eo spectaculo perculsi, ad notitiam, laudemque se creatoris transferrent [e]. » Hæc Basilius ; quæ ex Theodoro Mopsuesteno sumpsit; e cujus libro primo *in Genesim* similem adducit locum Philoponus, ac pluribus refellit, præsertim quod ex eo sequatur, Angelos corpore, et audiendi sensu præditos esse ; id vero sit falsum.

VIII. Verum potest illius defendi ratio, etsi meros illos esse spiritus, uti revera sunt, putaverit. Nam et Theodoretus, qui, ut supra demonstravi, extra communionem corporum Angelos collocat, eamdem, cur Deus voce sit usus, causam attulit : « Quod si, inquit, creando voce quadam usus est, certum est, hoc non elementorum inanimatorum causa, sed invisibilium virtutum gratia factum esse, ut sciant, quod, ipso jubente ea, quæ non sunt, subsistunt [f].» Neque enim vox illa Dei *Fiat lux*, et cæteræ, externæ ac sensibiles erant, quæ cum sono aliquo, ac strepitu ad aures acciderent ; sed cujusmodi Dei esse sermo potest ad Angelos, ac meros spiritus, qualem esse aliquem nemo negare potest, qui sacris litteris fidem habeat ; hunc igitur

a THEOD. MOPSUEST. lib. I *in Gen.* apud Philop. lib. I, cap. VIII. Εὔηθες δὲ οὐχ ἧττον, ὅταν καὶ τῶν εὐσεβεῖν ἐπαγγελλομένων, καὶ ταῖς θείαις πείθεσθαι προσποιουμένων γραφαῖς ἀγγέλους, ἤ τινας ἀοράτους δυνάμεις ἔνιοι πρὸ τῶν ὁρωμένων νομίζωσιν εἶναι, οἱ μηδέμιαν ἐκ τῆς θείας γραφῆς ἀπόδειξιν παρασχέσθαι τούτου δυνάμενοι.

b THEOD. qu. III. Προϋπάρχουσιν οὐρανοῦ καὶ γῆς ἄγγελοι, ἢ σὺν αὐτοῖς ἐγένοντο.

c Ibid. Εὔδηλον ὡς περιγεγραμμένην ἔχουσι τὴν οὐσίαν. Εἰ δὲ τοῦτο γοῦν ἀληθὲς, ὥσπερ καὶ ἀληθὲς; τόπου ἄρα προσδέονται. μόνον γὰρ τὸ θεῖον, ὡς ἀπερίγραφον οὐκ ἐν τόπῳ. Εἰ δὲ τὸ περιγεγραμμένον ἐν τόπῳ, πῶς οἷόν τε προϋπάρχειν οὐρανοῦ, καὶ γῆς τοὺς ἀγγέλους; οὐ γὰρ ὄντος τοῦ φέροντος, πῶς ἔνεστι τὸ φερόμενον εἶναι;

d THEOD. qu. IV. Ποίαν δὲ καὶ λειτουργίαν εἶχον πρὸ τῆς κτίσεως ὄντες, οὐδενὸς ὄντος τοῦ τῆς τούτων ὠφελείας προσδεομένου;

e BASIL. SELEUC. Ἐπειδὴ γὰρ ἄρτι πλασθεῖσαι τῶν ἀγγέλων αἱ μυριάδες ἑώρων μὲν τὰ γινόμενα, τὸν δὲ ποιοῦντα βλέπειν οὐκ ἴσχυον· ὑπερβαίνει γὰρ καὶ ἀγγέλων ὀφθαλμοὺς τὸ τῆς θείας οὐσίας ἀθέατον· εἰκότως νῦν προλαμβάνει (προσλαμβάνει) φωνὴν πρὸς αἴσθησιν καὶ θαῦμα τοῦ γινομένου κινοῦσαν τῶν ἀγγέλων τοὺς δήμους, ἵνα τῷ προστάγματι συνοδεύον τὸ δημιουργούμενον βλεπόντες, καὶ τὴν θέαν καταπληττόμενοι, πρὸς γνῶσιν, καὶ ὕμνον τραπῶσι τοῦ κτίσαντος.

f THEOD. qu. VI. Εἰ δὲ καὶ φωνῇ τινι δημιουργῶν ἐχρήσατο, δῆλον ὡς οὐ τῶν ἀψύχων ἕνεκα στοιχείων, ἀλλὰ τῶν ἀοράτων χάριν δυνάμεων· ἵνα γνῶσιν, ὡς αὐτοῦ κελεύοντες τὰ μὴ ὄντα συνίσταται.

1 Qu. IV. — 2 *Heb.* I. — 3 Lib. I *De muncreat.* cap. XXII.

eorum naturæ consentaneum emittere poterat Deus, ut quæ facienda erant, et a quo fierent, qui soli tum ista cognoscere possent, intelligerent Angeli. Quanquam scio, aliter hæc ab Interpretibus accipi, et illam Dei locutionem pro intima illius cogitatione, ac designatione sumi. Nec absurde Severianus Gabalitanus [1], ante sex dierum opera, horum omnium materiam a Deo fabricatam esse dicit, nihil ut novi deinceps per illos sex dies procrearit, sed conditis jam cultum, ornatumque dederit ideo, ut Dei potestatem, et agendi efficacitatem omni celeriorem sermone monstraret; in eo, quod majus erat, hoc est in rerum e nihilo productione, solum creandi verbum adhibuisse Mosem, sine ulla mentione vocis; in elaborandis autem, et ornandis iis, quæ jam erant facta, sermocinantem introduxisse Deum.

Ante primum diem omnia creata asserit Severianus Gabalitanus

Quocirca placet superior illa Theodori, et aliorum interpretatio, si ad hunc modum intelligatur, Deum, hoc est sanctissimam Trinitatem, cum primum res omnes, vel earum materiam condidit, nullo usum esse sermone, quod nondum existerent Angeli. Iis vero subinde productis, inter se locutas esse personas divinas, hoc est sermonem aliquem, cujusmodi ab Angelis percipi potest, extrinsecus fudisse, et Angelorum insinuasse mentibus. Sic enim Dei ad illos sermonem explicat Gregorius Papa, cujus locum adduximus supra, ubi de locutione Angelorum egimus; nec abhorret ab illo sensu, et interpretatione S. Augustinus libro secundo *de Genesi ad litteram*, capite VIII.

Auctor *Quæstionum ad Antiochum*, quæ inter Athanasii opera leguntur [2], quæstione tertia, huic interrogationi, quandonam facti sint Angeli, respondet, alios prima die creatos putare, alios ante primam diem; prioribus deinde Epiphanium annumerat, qui in hæresi *Pauli Samosateni* fusius edisserat, una cum cœlo, terraque esse conditos, idemque et in alio loco demonstrat. Procopius Gazæus in commentariis *in Genesim*, cum utramque commemorasset sententiam, in posteriorem tamen pronior est, ut cum cœlo Angelorum sede etiam Angeli conditi sint. » Itaque, licet nominatim Angelorum non meminit, eorum creationem existimat tacite sub cœli nomine significari.

IX. E Latinis autem sunt, qui auctorem eum qui *de Trinit.* scripsit, quique falso Novatiano tribuitur, ad eos adscribant, qui ante cœlum, terramqne creatos Angelos asserunt, ut Pamelius. Sed eum arbitror non cœlo, terraque priores illos facere, verum solo firmamento, quod die secunda molitus est Deus. Cum enim librum suum sic exorsus esset [3]: « Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum Patrem, et Dominum omnipotentem, id est rerum omnium perfectissimum conditorem, qui cœlum alta sublimitate suspenderit, terram dejecta mole solidaverit, maria soluto liquore diffuderit; » mox ait, omnia hæc « propriis, et condignis instrumentis ornata » fuisse. « Nam et in solidamento cœli luciferos solis ortus excitavit, lunæ cadentem globum ad solatium noctis mensurnis incrementis orbis implevit, » etc. tum reliquorum operum creatione descripta, postremaque hominis, et hujus exposito lapsu, demum ista subjicit: « Quanquam etiam superioribus, id est super ipsum quoque solidamentum partibus, quæ non sunt hodie nostris contemplabiles oculis, Angelos prius instituerit, spirituales virtutes digesserit, thronos, potestatesque præfecerit, et alia multa cœlorum immensa spatia, et sacramentorum infinita opera condiderit; ut immensus hic licet mundus pene novissimum magis Dei corporalium rerum appareat opus esse, quam solum. » Ex his verbis apparet, non cœlo terraque, vel corporea omni creatura priores dici Angelos, sed *solidamento*, quod est στερέωμα vulgo firmamentum; præsertim cum ante hoc et reliqua deinceps opera sex dierum, cœlos ipsos, et corporalia quædam fabricasse Deum adstruat, quorum novissimum sit opus adspectabile hoc universum. Quippe corpora alia mundo isto, id est Firmamenti ambitu, superiora constituit, quæ « non sunt hodie contemplabilia oculis nostris, » sed aliquando utique futura sunt.

X. Augustinus in libro unico, et imperfecto *de Genesi ad litteram* capite tertio, dubius videtur, an ante corpora omnia exstiterint Angeli; et utrimque disputat. Sed in libro XXII *contra Faustum*, capite X et XI *de Genesi ad littéram*, capite VIII, primo die factos illos putat, ut et sermone CLI *de Tempore;* et lucis etiam nomine comprehendi, ut et libro XI *de Civitate*, capite XIX. Idem tamen capite XXXII rem in dubio relinquit, ac potestatem cuique facit, quod velit sequendi; dummodo creatos a Deo constet Angelos. Rupertus [4] vero priorem

1 Orat. I *de mund. opis.* — 2 Tom. II Athan. — 3 Novat. *de Trin.* c. I. — 4 Lib. I *de Trin.* c. X et III *de glorif. Trin.* c. II.

illam Augustini opinionem amplectitur, quam et « magnos, et nominatissimos Patres secutos asserit, naturam angelicam lucis nomine significatam. » At rursus Augustinus libro XI. *Confessionum* capite XV diserte Angelos ante omne tempus, omnemque temporalem creaturam exstitisse vult. Ad eamdem sententiam et Gregorius M. adscribi potest [1]; apud quem, « quia prima in tempore condito natura rationabilium spirituum creditur non immerito *matutina astra* Angeli vocantur [2]. » Verum non prima die una cum luce, sed ante hanc productos indicat, dum hæc subjicit : « Quod si ita est, dum terra esset invisibilis, et incomposita, dum tenebræ essent super abyssum, venturum diem subsequentis sæculi per lucem sapientiæ exsistendo prævenerunt. » Quanquam ex eo, quod in tempore conditos esse ait Angelos, non necessario sequitur, ante cœlum, terramque non extitisse, si verum est, quod dubitando ponit Augustinus, « præter motum corporum, esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima, vel ipsa mens : quæ utique in cogitationibus movetur, et ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest.

Junilius autem Africanus perspicue ante primam diem simul cum cœlo [4], ac terra productos ait : « in principio conditionis, inquit, facta sunt cœlum, terra, Angeli, aer, et aqua. » At mox idem ante corporea omnia creatos esse dicit Angelos, « dum in laudibus et benedictionibus creaturis cæteris præponuntur ; et ratio id postulat. Oportuit enim, ut terrenas cœlestis creatura præcederet. » Sed sic intelligendus videtur, ut ante creaturas omnes, quæ sex diebus effectæ sunt, productos esse velit, cum cœlo autem, terra, aqua, et aere simul exstitisse ; quemadmodum et Eucherius libro primo *in Genesim*, cum dixisset : « Nil mirum enim, si in operibus sex dierum Angeli lucis significatione creati intelliguntur : » mox ait, « ante omnem enim creaturam facti sunt ; quia prior omnium creata est sapientia, qui propterea dicuntur sapientia, inhærendo scilicet æternæ sapientiæ. » Et interjectis paucis : « Oportebat enim, ut creatura inconcusse adhærens, etsi non suo creatori æqualis, omni saltem creatura prior esset, et melior. »

Gennadius Massiliensis libro *de dogmatibus Ecclesiasticis*, capite X. « In principio creavit Deus, inquit, cœlum et terram, et aquam ex nihilo. Et cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, et aqua terram absconderet, facti sunt Angeli, et omnes cælestes virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, » etc. Alii prima die conditos malunt, ut auctor Commentariorum *in Psalmos* [5], qui inter Hieronymi opera ponuntur : et Ansbertus *in Apocalypsim.* Hugo demum Victorinus post cœlum [7], atque terram factos esse censet, quippe in cœlo ipso procreatos ; quæ pese iisdem verbis apud Magistrum Sententiarum leges [8].

XI. Cum hæ sint duæ, contrariæque veterum opiniones de tempore, quo conditi sunt Angeli ; neutri tamen certa vel auctoritas Scripturæ, vel ratio præscribit. Etsi posterioris fautores partis *Ecclesiastici* loco illo nitantur [9] : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Verum nihil hic ad rem facit ; et mirum est, hoc uti testimonio Theologos nonnullos, ut Angelos probent ante mundum non fuisse. Nam, si *simul* omnia condita esse sic interpretantur, ut eodem tempore, vel momento creata sint, absurde faciunt. Non enim eodem puncto temporis a Deo facta sunt omnia, ut Augustino visum est, sed diebus sex. Quod si de creationis voce, ac notione velint excipere ; et, quod Severianus Gabalitanus vere scripsit, ante primum diem creata esse dicant omnia, quæ deinde sex diebus effecta, elaborataque sunt ita, ut novi nihil per eos dies creatum sit ; non tamen, quod volunt, efficient. Quippe *creandi* verbum late illic sumitur, ut et *Geneseos* primo, et quodlibet productionis genus significat, ut cum Deus hominem, ac *masculum, et feminam creasse* legitur. Quod enim hoc sensu in illo Ecclesiastici loco accipi debeat, ex contextu sermonis liquet. Ibi enim de sole, cœlo, et hominibus, ac tota ipsa universitate disputat ; quæ omnia creata dicit a Deo ejusque voluntati, ac potestati subjecta. Non igitur ad subtilem, et exactam illam significationem *creationis* respicit.

XII. Cæterum variis modis enarrare *Ecclesiastici* verba illa student, qui inde colligi negant, Angelos una cum rebus corporeis esse factos. Sed in eo frustra laborant. Nam Ecclesiasticus non de creaturis omnibus, adeoque spiritualibus illic loquitur ; sed de iis solum, quarum Moses in *Genesi* meminit, quæ cœlo,

1 Lib. XXVIII, Mor. cap. XIV.— 2 *Job.* XXXVIII.— 3 Lib. imperf. *de Gen. ad lit.* cap. III. — 4 Junil. lib. II, cap. II. — 5 In *Ps.* CXXVII. — 6 Ans. lib. V, cap. XII. — 7 Hugo. tract. II Sum. Sent. — 8 Mag. in II, dist. II. — Eccl. VIII.

terraque continentur. Propositum enim illi est homines imbecillitatis admonere suæ ; uti se divinæ opis egere sciant, quæ suprema pariter, et infima complectitur, hoc est tam cœlum, et cœlestia omnia, quam homines, qui terra sunt et cinis, quibus ex æquo Deus prospicit, quoniam « qui vivit in æternum, κοινῇ, » id est *ex æquo*, et *communiter* omnia condidit. Similis est locus in libro *Sapientiæ : quoniam*, inquit, *pusillum, et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Certe Gregorius M. in libro XXXII *Moralium* capite decimo, de solis materia et corpore constantibus sermonem esse illic indicat, dum omnia idcirco simul dici creata vult, quoniam omnium materiam in terra, et elementis condidit Deus, ex qua singulis deinde diebus singula opera fabricatus est.

Concilii Lateranensis sensus expenditur.

XIII. Solet ad idem probandum afferri Lateranensis synodi et Innocentii tertii decretum, quo « Deus creator omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium dicitur ; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam. » Quæ verba ex libro *Soliloquiorum*, quæ falso Augustino tribui solent, capite XXXII sumpta sunt. Itaque post hujus Concilii sanctionem rem ad fidem pertinere putant aliqui, ut qui priscam illam de Angelis ante mundum creatis sententiam tueri jam audeat, pro hæretico sit habendus. Sed falso, ac temere ita judicant. Nam in isto canone vox *simul* eodem sensu, atque in illo *Ecclesiastici* loco ponitur, ut sit *æqualiter*. At sanctus Thomas in opusculo, quo Decretalem illam exposuit, censet ita decrevisse synodum adversus Origenis errorem, qui spirituales creaturas solas, ac per se ab initio conditas asserebat ; corporeas vero ex accidenti, non autem ex primaria destinatione, ut eo velut carcere spirituum delicta plecteret ; contra quos Innocentius ita sanxit, utramque simul, hoc est pari consilio, et primario constitutam a Deo, idque ab initio temporis, hoc est non ex omni æternitate. Tempus enim pro omni creata duratione non raro sumitur, quæ divinæ æternitati ex opposito respondet.

Marius Victor libro primo *Carminum in Genesim* eadem usus est voce *simul* iis in versibus ;

« Utque istum faceret dives sapientia mun- [dum,
Cuncta simul genuit : Sed post hæc semina [rerum
Ornavit superinductis informia formis. »

At de solis rebus corporeis loquitur ; quarum materiam, ac velut semina Deus ante produxit, quam ea dierum sex spatio deinceps elaboraret.

XIV. Restant duo quædam Scripturæ loca quibus in cœlo peccasse, indeque præcipites ejectos esse Angelos ostenditur ; alter *Lucæ* X ubi Christus, « *Videbam*, inquit, *Satanam, quasi fulgur, e cœlo cadentem ;* » alter *Apocalysis* XII, in quo Michaelis in cœlo cum diabolo conflictus, et hujus e cœlo profligatio describitur. Sed neuter satis firmum argumentum suppeditat. Nam plerique de primo illo, et antiquissimo dæmonum lapsu sermonem utrobique esse negant. Sed posteriorem quidem ad extrema mundi pertinere tempora, priorem vero ad illud ipsum, quo vivente Christo ex aere præcipites interdum agebantur aut ex obsessis etiam corporibus, ut ita constituatur oratio. *Videbam Satanam cadentem, sicut fulgur e cœlo cadere solet*; quæ omnia copiose, et accurate[2] Vasquezius exponit[3], qui et recte contra rigidos illos veteris opinionis censores asserit, neque hæresis, neque temeritatis posse illam hac etiam ætate convinci ; ac ne definiri quidem hac de re posse quicquam ab Ecclesia, quia neque ex auctoritate sacrorum codicum, neque ex traditione, neque idoneo alio ex loco constare potest, utra sit opinio verior. Porro quæ a Philopono[4], aliisque ad corroborandam antiquam illam sententiam in medium adducta sunt, facile prætermittimus ; quia neque explicationem habent difficilem, et in quæstione sane facili, et a plerisque vexata diutius immorari piget.

Utraque opinio tute teneri potest.

Sane Genebrardus in libro primo *de Trinitate*, veriorem putat Græcorum, et Hilarii, atque Hieronymi sententiam, « quæ Angelos nescio quot sæculis antecessisse rerum corporearum originem » docet. Ac S. Thomas[5], tametsi contrariam sequitur, illam ipsam tamen ab errore tutam esse defendit. Rupertus porro negat Angelos in cœlo creatos esse[6]. « Non magis, inquit, Angeli facti sunt in cœlo, quam homo plasmatus in Paradiso, etc. Ita nimirum et Angeli extra Paradisum

1 Cap. VI, 8.— 2 Disp. CCXXV in Par.— 3 Disp. CCXXIV, c. III. — 4 Cap. præs. X, l. I *de mundi opif.* — 5 In I P. q. LXI, art. 3.— 6 Lib. I Com. in *Gen.* cap. XI.

conditi, et in cœlum translati, non natura, sed gratia cœlum inhabitant. » Quod si verum est, non potest illis ex Scripturæ locis, quæ paulo ante citavimus, certo colligi Angelos cœlo jam condito procreatos esse.

XV. Sed Basilii locus ille, quem ex homilia prima ad *Hexaemeron* supra commemoravimus, revocat nos ad sese. Nam nescio quem statum anteriorem omni tempore, et ipsum æternum adstruit, congruentem cœlestibus substantiis, quod ævum, immo æternitatem, sive potius intelligibilis mundi capedinem interpretor. Nam statim creaturas in illo spirituales esse factas ait, nempe lucem intelligibilem, quæ sunt ratione præditæ, nec adspectabiles naturæ, id est Angeli. Quibus verbis significari putat Vasquez [1], intervallum quoddam imaginarium anterius omni tempore. Mihi vero divinitas ipsa potius, vel Dei Verbum indicari videtur, a quo conditi, et in quo, ceu loco, et spatio, comprehensi sunt cœlestes Spiritus, antequam hic mundus, ac tempus exsisteret. Neque enim sempiternum aliquid, et ὑπέρχρονον, atque ἀΐδιον et αἰώνιον Basilius esse credidit, præter Deum, Deique Verbum. Etsi posset aliquis ὑπέρχρονον et ἀΐδιον mundum spiritualem, et angelicum dicere, quatenus et omne tempus antecedit, et nullo desiturum est, ut ἀΐδιον ad consequentem durationem referas ; tum αἰώνιον hoc est, ut philosophi nominant, *æviternum*, præsertim cum αἰῶνας a Deo creatos esse Paulus affirmet [2] ; quod spatium intelligibilis, et ut initium habentis, sic fine carentis est mensura mundi. Utrovis sensu probabilis est Basilii ratio ; illa vero Augustini Eugubini non absurda solum, sed etiam detestanda, qui cœlum nescio quod empyreum a Deo distinctum ex æterno cum ipso fuisse statuit, et quidem increatum ; quam esse dicit « claritatem divinam a Deo manantem circumquaque extra mundum, extra rerum creatarum, corruptibiliumque regnum. » Et alio in loco cum eadem illa fusius tradit, tum dubitat, corporeumne sit hoc, an expers corporis, Hæc « lux, inquit, quam *circumflammantem*, et *ipsam nunquam creatam* paulo ante dixerat an corporea sit, an incorporea quædam, non facile dixerim ; arbitrarer tamen, talem esse, ut hæc corporea, et nostra possit esse; et dici quasi simulacrum ejus, ut illa sit divinissima lux, nota, visibilisque et animo et oculis, qualem Christus ostendit in monte, cum vestimenta ejus facta sunt alba ut nix, et facies ut sol enituit, et qualem ostendit Mosi in rubo. Hæc lux manat duntaxat a Deo, quæ cum sit lux divinitatis ejus, semper eam cum eo fuisse necesse est. Et hæc si cœlum empyrium est, semper ab æterno fuit cœlum empyrium. » Hæc Eugubinus, quæ Basilii superiore illo testimonio probat. Sed hoc portentum erroris in homine Christiano tolerabile non est, nedum in Theologo ; in quod misere ille prolapsus videtur, dum plus æquo gentilibus philosophis indulget, præsertim Platonicis ; quorum capitales, et impias plerumque sententias quodam fuco Christianæ pietatis illitas stulte miratur, ut in primo hujus Operis libro jam animadvertimus. Inter articulos a Stephano Parisiensi damnatos iste est : « Quod omnia separata coæterna sunt primo principio [5]. » Cujusmodi sunt et articuli quintus, et septimus.

Tempore anterius, æternum æviternum.

CAPUT XVI.

Quonam modo producti sint Angeli ; *ubi Veterum aliquot de Angelorum propagatione sententia repudiatur*, *ac creatos simul esse omnes a Deo ; et uti gratia donatos*, *ita nondum fuisse beatos ostenditur. Veterum de ea re diversæ proponuntur*, *et expenduntur opiniones. Utrum majorem*, *quam homines*, *aut alii aliis acceperint. Augustinus expositus*, *et alii qui Angelos in beatitudine creatos videntur dicere. Quomodo illam meruerint.*

Uti duplex Angelorum est status : alter naturalis, quo in spiritualium rerum genere suum ordinem tenent : alter natura sublimior, ac divinitati propinquior, qui gratia continetur et gloria ; ita duplex productio fuit, ac veluti via, qua ad utrumque pervenerunt ; de qua nobis hoc in capite est agendum, ac de priore paucis. Non enim controversiam habet ; quia certum illud apud Theologos est, Angelos omnes simul a Deo procreatos esse.

De propagatione Angelorum sententia repudiatur.

Sed antiquorum quidam opinati sunt, nescio quem apud illos esse propagationis modum, quo alii ab aliis producti sunt, ac geniti. Gregorius enim Nyssenus in libro de hominis opificio, cum de humani propagatione generis agit, affirmat, nisi primus homo peccasset,

1 Disp. ccxxiv, cap. I. — 2 *Hebr.* I. — 3 In Cosmograph. ad cap. I *Gen.* — 4 Lib. *de reb. in corp.* et invisib. sub. fin.— 5 Cap. I *de Deo*. etc. ar. 1, tom. IV *Biblioth. Patrum*. et in calce Mag. Sent.

absque nuptiis, et sexuum conjunctione multiplicandos homines fuisse, quippe similem statum Angelorum homo tunc obtinebat, quem post resurrectionem iterum adepturus est. « Quare si ab ea vitæ conditione, in qua Angelis æquales eramus, per peccatum non excidissemus; nihil neque nos ad multiplicationem nuptiis opus habuissemus, sed quæcunque tanta in Angelorum natura multiplicationis est ratio, quæ quidem neque verbis explicari, neque conjecturis hominum comprehendi potest, et est in illis tamen aliqua, eadem et in iis, qui paululum ab Angelis minorati sunt, hominibus valeret, quæ ad præfinitum usque voluntate conditoris modum humani generis incrementa perduceret. Quod si cujus intelligentia laborat in inquirendo propagationis hominum modo, nisi nuptiarum adjumento opus habuissent, vicissim et de ipso percontabimur, quonam pacto infinita sint illorum millia, qui et unam habent essentiam, et multi sunt numero. Hoc enim aptissime respondebimus roganti, quomodo sine conjugio esse homo potuisset, si dicamus, hoc in nobis perinde fieri potuisse, atque in Angelis, qui et ipsi conjugii sunt expertes [a]. » Eadem de Angelorum propagatione leges apud Cæsarium in *Dialogo tertio:* et apud Moysem Bar-cepha libro *de Paradiso.*

Angeli omnes simul a Deo creati.

II. Verum hæc obsoleta, et ab nullo jam recepta est opinio, idque certo inter omnes constat, universam Angelorum multitudinem eodem momento procreatam a Deo exstitisse; quod Theodoretus confirmat, qui cum Angelos ait non similiter atque homines differentia sexuum opus habere, ut ab invicem propagentur; tum hoc addit: « Angelos enim non binos ab initio, velut homines, solos condidit, sed quotcumque voluit millia produxit. Nam quæ corruptionis expers est natura, incremento non eget [b]. » Et in sermone tertio contra Græcos perinde scribit non indigere sexuum diversitate Angelos, quia non ab se mutuo gignuntur: « Naturam autem corpore carentium sic condidit, ut non binos faceret, sed confertim universos ederet. Quot enim ipsorum millia procreanda constituit, totidem initio produxit [c]. » Et Chrysostomus, qui passim a Deo procreatos Angelos indicat, nominatim unum ab altero minime ortum esse confirmat Homil. septima in epistolam ad Ephesios; ubi illud explicans, quod Apostolus ait, a Deo Patre omnem πατρίαν, id est, ut ille interpretatur, *cognationem* in cœlo nominari: « Quinam, inquit, in cœlo, ubi nemo ex altero productus est [d]? » Huic sententiæ suffragantur omnes illi Græci Patres, ac Latini, quos antecedenti capite recensuimus, tam qui ante corporeum hunc mundum Angelos a Deo constitutos volunt, quam qui primo die, vel initio conditi orbis. Omnes enim creatos eodem momento significant ab ipsomet Deo.

III. Nunc quales ii facti sint, inquiramus: quæ quæstio dupliciter patet. Nam et illud videndum, utrum gratiam et sanctitatem acceperint a prima origine, an mero in statu naturæ procreati sint; tum utrum beati, an secus fuerint.

Hugo Victorinus [3] « bonos omnes in primo exordio creationis fuisse censet, id est sine vitio. Non enim creator optimus auctor mali poterat esse. Sed nec justi, nec injusti tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc habueruut. Sed nec justitiam, ut mox ait, nisi acciperemus virtutem naturalem, ut ratio, et ingenium, et hujusmodi. » Igitur sine gratia, ac justitia procreatos existimat, solis natura-

Auctores qui Angelos sine gratia creatos asserunt.

a Greg. Nyssen. lib. *de Homin. Opif.* cap. xvii. Οὐκοῦν κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, εἴπερ μηδεμία παρατροπή τε, καὶ ἔκστασις ἀπὸ τῆς ἀγγελικῆς ὁμοτιμίας ἐξ ἁμαρτίας ἡμῖν ἐγένετο, οὐκ ἂν οὐδὲ ἡμεῖς τοῦ γάμου πρὸς τὸν πληθυσμὸν ἐδεήθημεν. ἀλλ' ὅς τις ἐστὶν ἐν τῇ φύσει τῶν ἀγγέλων τοῦ πλεονασμοῦ τρόπος, ἄῤῥητος μὲν, καὶ ἀνεπινόητος στοχασμοῖς ἀνθρωπίνοις, πλὴν ἀλλὰ πάντως ἐστίν· οὗτος ἂν καὶ ἐπὶ τῶν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένων ἀνθρώπων ἐνήργησεν, εἰς τὸ ὡρισμένον ὑπὸ τῆς βουλῆς τοῦ πεποιηκότος μέτρον τὸ ἀνθρώπινον αὔξων. εἰ δὲ στενοχωρεῖταί τις ἐπιζητῶν τὸν τῆς γενέσεως τῶν ἀνθρώπων τρόπον, εἰ μὴ προσεδεήθη τῆς διὰ τοῦ γάμου συνεργίας ὁ ἄνθρωπος, ἀντερωτήσομεν καὶ ἡμεῖς τὸν τῆς ἀγγελικῆς ὑποστάσεως τρόπον· πῶς ἐν ἀπείροις μυριάσιν ἐκεῖνοι, καὶ μία οὐσία ὄντες καὶ ἐν πολλοις ἀριθμούμενοι, τοῦτο γὰρ προσφόρως ἀποκρινούμεθα τῷ προφέροντι, πῶς ἂν ἦν διχὰ τοῦ γάμου ὁ ἄνθρωπος, εἰπόντες ὅτι καθώς εἰσι γάμου χωρὶς οἱ ἄγγελοι.

b Theodor. lib. V *cont. Hær.* cap. vii. Ἀγγέλους μὲν γὰρ οὐ δύο κατ' ἀρχῆς, καθάπερ τοὺς ἀνθρώπους ἐδημιούργησε μόνους, ἀλλ' ὅσας ἠθέλησε μυριάδας ἐπήγαγεν· ἡ γὰρ φθορᾶς ἐλευθέρα φύσις αὔξησις (αὐξήσεως) ἀπροσδεής.

c Id. serm. iii. *cont. Græc.* Τῶν ἀσωμάτων δὲ τὴν φύσιν οὐ κατὰ δύο πεποίκεν, ἀλλ' ἀθρόαν ἐδημιούργησεν. ὅσας γάρ τοι εἶναι αὐτῶν ἐδοκίμασε μυριάδες, ἐξ ἀρχῆς ταύτας παρήγαγε.

d Chrys. Ἐν δὲ οὐρανῷ πῶς, ἔνθα οὐδεὶς ἐξ οὐδενὸς γέγονε;

1 Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* — 2 Tom. I *Biblioth. Padr*, Par. I, cap. xxv, — 3 In Sum. Sentent. tract. ii, cap. ii.

libus ornamentis præditos. In eadem opinione est Rupertus, qui tam hominem[1], quam Angelum, *purum et innocentem* creatum esse dicit; « sic videlicet, ut de ipsa innocentia vel proficere ad summa, vel deficere ad ima possit; » ac subinde profectum hunc sic explicat, ut *et adhuc proficere sanctos Angelos* asserat, Apostolo ad Ephesios id testante, cum ait, « *Ut innotescat principatibus, et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*[2]. Itaque in eo statu factis omnibus Angelis, ut proficiendo in Deo perficerentur, vel deficiendo in idipsum, unde facti fuerant, id est in tenebras ejicerentur, alii quidem dilectionem creatoris recipientes, confessione, et decore illum induerunt, » etc. Ac sequenti capite de lapsu, ac peccato diaboli disputans, quod apud Ezechielem, sub regis Tyri figura legitur, de illius pristino splendore, ac gratia, ornamentisque virtutum, quæ pretiosorum lapidum, ac metallorum adumbrantur specie, ea sic declarat, non ut revera cœlestibus iis donis ornatus fuerit, sed quod opinione excæcatus sui sibi hæc inesse putaverit; tum ista subjicit: « Durum est hic asserere, illum non fuisse perfectum; durius autem affirmare, illum habuisse unquam in se creatoris dilectionem, sine qua nulla est perfectio viarum. Nam, etsi Propheta prædictus dixit: aurum opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt; non tamen et hoc dicit, vel ullo modo significat, quod ejusdem foraminibus auri ligaturam recepit, qui videlicet, cum sit rationalis creatura, utique ingenium, intellectum, et memoriam habuit, quibus quasi foraminibus spiritum amoris Dei, quod est aurum optimum, recipere cum debuisset, superbe recusavit. » Si dilectionem non habuit creatoris initio diabolus, ne gratiam quidem habuit, quæ aut caritas est, aut a caritate separari non potest.

IV. Atque ita procul dubio sensit Petrus Lombardus: qui « initio bonos exstitisse ait Angelos, id est sine vitio, justosque fuisse, id est innocentes, sed non justos, id est virtutum exercitium habentes[4]. » Ac statim addit: « Poterant enim peccare, et non peccare; sed non poterant proficere ad meritum vitæ, nisi gratia superadderetur quæ addita est quibusdam in confirmatione. » Quod Augustini testimonio probari putat asserentis[5], spiritalem creaturam primo informem esse conditam, postea formatam, lucemque esse dictam. Hanc enim opinionem, quam a nonnullis asseverari dicit, probabilem ait, et eam sequitur, atque ita concludit: « Hoc modo probatur, quod boni erant omnes Angeli, quando primo facti sunt, sed ea bonitate, quam natura incipiens acceperat. » Et in fine *Distinctionis* illius, cum quæsisset, an aliquam Dei, vel sui invicem dilectionem habuissent Angeli; respondet, « Naturalem dilectionem habuisse, ut memoriam, intellectum, et ingenium, qua Deum, et se aliquatenus diligebant, per quam tamen non merebantur. » Idem etiam in *Distinctione* quinta, « Non indigebat inquit, Angelus gratia, per quam justificaretur, quia malus non erat, sed qua ad diligendum Deum perfecte, et obediendum adjuvaretur: » quam posteriorem gratiam tum bonis Angelis tributam asserit, quando, cadentibus aliis, isti confirmati sunt, sive ut ejus ope beatitudinem mererentur, sive ut ea nullo adhuc suo merito fruerentur; de qua re postea.

Eadem et Guillelmi Parisiensis opinio est, dæmones nunquam Dei gratia præditos fuisse, ut in prima Parte *Secundæ* principalis, capite CXCI declarat.

Potest et ejusdem sententiæ, quod ad dæmones attinet, videri Basilius; certe id ex ejus verbis deducitur, quæ in *Homilia ad Psalmum* XXXII leguntur. Nam Angelos ait cum sanctitate ipsa procreatos esse; sed bonos duntaxat, quippe eadem sanctitate et justos, ac perfectos esse redditos, et stabilitatem adeptos. « Non enim, ait, velut infantes creati primum Angeli, deinde consummati, procedente paulatim exercitatione, digni facti sunt, qui Spiritum reciperent. Sed in prima constitutione, ac velut massa substantiæ ipsorum una insitam habuere sanctitatem. Propterea ad pravitatem difficile transferri possunt, ut qui sanctitate tanquam tinctura quadam statim roborati sunt, et stabilitatem in virtute Spiritus sancti dono consecuti[a]. » Vides, ut ideo sanctos Angelos ad pravita-

a Basil. in *Psal.* XXXII. Οὐ γὰρ νήπιοι κτισθέντες οἱ ἄγγελοι, εἶτα τελειωθέντες τῇ κατ' ὀλίγον μελέτῃ, οὕτως ἄξιοι τῆς τοῦ πνεύματος ὑποδοχῆς γεγόνασι· ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει, καὶ τῷ οἱονεὶ φυράματι τῆς οὐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔσχον τὴν ἁγιότητα. διὸ καὶ δυσμετάθετοί εἰσι πρὸς κακίαν, εὐθὺς οἱονεὶ βαφῇ τινι τῷ ἁγιασμῷ στομωθέντες, καὶ τὸ μόνιμον εἰς ἀρετὴν τῇ δωρεᾷ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες.

1 Lib. I *de Oper. Trinit.* cap. XV.— 2 *Eph.* III, 10.— 3 Cap. XXVIII.— 4 In II, dist. III.— 5 Lib. I *de Gen. ad lit.* c. IV et VI.

tem ægre flecti, atque in deterius transferri posse dicat, quod ab initio sanctitatem adepti sunt, quæ illos roboravit, et obfirmavit in justitia. Quare qui in ea confirmati non sunt, sed exciderunt dæmones, nullam sanctitatem acceperunt. Sic in libro *de Spiritu sancto*, Angelos ait, voluntate Patris conditos, at efficientia Filii ; Spiritus vero sancti præsentia perfici : « Perfectio autem Angelorum, ait, est sanctificatio, et in ea permanendi constantia[a]. » Soli ergo, qui in gratia, et sanctitate perseverarunt Angeli, eam acceperunt, quia soli perfectione illa donati sunt.

Didymus quoque in libro contra Manichæos[1], Diabolum mediæ cujusdam conditionis esse factum asserit, « ut virtutem suscipere posset, ut eam haberet ; et vitium item suscipere, ut ab eo abstineret. » Rupertus item existimat[2], Diabolum « non habuisse unquam in se Creatoris dilectionem. »

lii omnes Angelos ipsosque emones in gratia eatos asserunt.

V. Verum alii Angelos omnes, et ipsos adeo dæmones ab initio conditus sui, gratia, et virtute præditos fuisse censent. Ita Basilius ipse in *epistola* CXLI in qua de Spiritu sancto disputans, non ejusdem illum esse cum Angelis naturæ, conditionisque sic ostendit : « At neque mutabilem illius substantiam unquam audebis dicere, si ad naturam respicias contrariæ Virtutis, quæ sicut fulgur cecidit de cœlo, atque ab vera vita excidit ; propterea quod adventitiam virtutem habuit, et malam vitam consecuta mutatio est. Itaque, cum ab unitate recessisset, et Angelicam dignitatem abjecisset, Diabolus ab moribus appellatus est, postquam prior ille, ac beatus habitus extinctus est, et huic opposita vis accensa[b]. » Quo eodem argumento utitur Cyrillus[3] ad probandam Filii divinitatem. Titus item Bostrensis libro primo contra Manichæos[4], Diabolum, quem sub Luciferi nomine descripsit Propheta, divinis ormanentis decoratum fuisse colligit ex eo, quod alioqui cecidisse minime diceretur.

Gregorius Nazianzenus manifestius id expressit *Oratione* XXXVIII cum de lapsu Angelorum loquitur : « Velim, inquit, dicere eos immobiles ad malum, atque ad bonum duntaxat agitationem habentes, utpote Deum circumstantes, ac primas a Deo illustrationes haurientes. Hæc enim infima secundariæ sunt illuminationis. Verum, ut non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus est et nominatur, ac subjectæ illi rebelles potestates, quæ per boni fugam vitium effecerunt, ac nobis contraxerunt[c]. »

Cum per boni fugam, quocum perinde ac princeps ille conditi erant, tenebrosos esse factos dæmones ait, satis ostendit, utrosque bonos ac justos initio exstitisse. Theodoretus idipsum sentit in *quæstione* XXXVI *in Genesim ;* et libro V *contra Hæreses*, capite VIII. Itidemque de bonis Angelis Græcos illos existimasse consentaneum est, qui nullum in Angelis esse accidens dixerunt, sed ἕξιν ἔμμονον, καὶ οὐσιώδη, id est, *habitum constantem*, *qui in ipsam transierit substantiam*, ex Maximo, et Pachymere Dionysii interpretibus supra meminimus. Qui et similitudine utuntur ignis, a quo abesse calor non potest, qui cum ipso in eamdem convenit substantiam. Hoc autem necessario exigit, ut ab exordio procreationis suæ gratiam, et ornamenta illa perceperint. Ex quo adeo contrarium de dæmonibus consequens est, uti et nonnullos antiquorum putasse supra demonstravimus.

VI. Clarius, quod de Angelis in gratia conditis dixi, ac disertius affirmat Augustinus sub lucis similitudine[5]. Nam Angelos ait primo die creatos esse, ac lucis nomine significari. « Lumen quippe verum, quod illumi-

a Basil. *de Sp. sancto*, cap. XVI. Ὥστε βουλήματι μὲν τοῦ πατρὸς, τὰ λειτουργικὰ πνεύματα ὑπάρχειν, ἐνεργείᾳ δὲ τοῦ υἱοῦ· εἰς τὸ εἶναι παράγεσθαι, παρουσίᾳ δὲ τοῦ πνεύματος τελειοῦσθαι. τελείωσις δὲ ἀγγέλων, ἁγιασμὸς, καὶ ἐν τούτῳ διαμονή.

b Basil. Ἀλλ' οὐδὲ τρεπτὴν αὐτοῦ πότε τὴν οὐσίαν τολμήσεις εἰπεῖν, ἀφορῶν εἰς τὴν φύσιν τῆς ἀντικειμένης δυνάμεως, ἥτις ὡς ἀστραπὴ πέπτωκεν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἐξέπεσε τῆς ὄντως ζωῆς, διὰ τὸ ἐπίκτητον ἐσχηκέναι τὴν ἀρετὴν, καὶ ἐπηκολουθηκέναι τῇ κακῇ τὴν ἀλλοίωσιν. τοιγαροῦν καὶ ἐκπεσὼν τῆς μονάδος, καὶ τὸ ἀγγελικὸν ἀποῤῥίψας ἀξίωμα, ἀπὸ τοῦ τρόπου ὠνομάσθη διάβολος· ἀποβεσθείσης μὲν αυτοῦ τῆς προτέρας καὶ μακαρίας ἕξεως, τῆς δὲ ἀντικειμένης ταύτης (for. ταύτῃ) δυνάμεως ἀναφθείσης.

c Nazianz. Βούλομαι μὲν εἰπεῖν, ὅτι ἀκινήτους πρὸς τὸ κακὸν καὶ μόνην ἐχούσας τὴν τοῦ καλοῦ κίνησιν, ἅτε περὶ Θεὸν οὔσας, καὶ τὰ πρῶτα ἐκ Θεοῦ λαμπομένας. τὰ γὰρ ἐνταῦθα δευτέρας ἐλλάμψεως. πείθει δέ με μὴ ἀκινήτους, ἀλλὰ δυσκινήτους καὶ ὑπολαμβάνειν ταύτας, καὶ λέγειν, ὁ διὰ τὴν λαμπρότητα ἑωσφόρος, σκότος διὰ τὴν ἔπαρσιν καὶ γενόμενος, καὶ λεγόμενος, αἵ τε ὑπ' αὐτὸν ἀποστατικαὶ δυνάμεις δημιουργοὶ τῆς κακίας τῇ τοῦ καλοῦ φυγῇ, καὶ ἡμῖν πρόξενοι.

1 Tom. IV *Bibl. Patr.* col. 871.— 2 Lib. I *Com. in Gen.* c. XVI.— 3 Cyr. dial. *de Trin.* sexto.— 4 Tom. IV *Bibl. Pat.* col. 897.— 5 Lib. XI *de Civit.* cap. IX.

nat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat et omnem Angelum mundum, ut sit lux non in seipso, sed in Deo; a qua si avertitur Angelus fit immundus: sicut sunt omnes, qui vocantur immundi spiritus; nec jam lux in Domino, sed in seipsis tenebræ, privati participatione lucis æternæ. Mali enim nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit. » Tum in duodecimo operis ejusdem: « Simul ut facti sunt, ei, a quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhæserunt; eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso, quod a bono defecerunt. » Hanc porro bonam voluntatem, amoremque Dei, ne forte naturalem interpretetur aliquis, ut Magister Sententiarum facit, quæ apud eumdem Augustinum sequuntur, legat; sciet utique de amore ac voluntate illa loqui, « quam nisi operante adjutorio creatoris, habere non possent. » Nam statim ita subjicit: « Et istam bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam? » Vide insuper Augustinum libro *de Correptione et gratia*, cap. XI et X *Tractatu in Psalmum* CXXXIV ubi idem asseverat. Quocirca sanc. Thomas hanc sententiam anteponit alteri, cui et nos subscribimus.

Gratiam uberiorem quam homines acceperunt.

VII. Hanc vero gratiam pro naturæ, conditionisque suæ dignitate uberiorem, quam homines, acceperunt, ut ait Ambrosius, qui « plus illos recipere gratiæ spiritualis dicit, quam homines, et gratia sanctificari. » Et in capite septimo, « Si qui putant, ait, non esse spiritalem in Angelis sanctitatem, sed aliam quamdam gratiam suæ proprietate naturæ, hi inferiores profecto Angelos hominibus judicabunt. Cum enim et ipsi fateantur, quod Spiritui sancto Angelos conferre non audeant, nec possint negare, quod hominibus infundatur Spiritus sanctus; sanctificatio enim Spiritus donum, munusque divinum sit; invenientur utique homines, qui meliorem sanctificationem habent, Angelis præferendi. Sed, cum Angeli hominibus in adjumentum descendant, intelligendum est, quod creatura quidem superior Angelorum sit, quæ plus recipit gratiæ spiritualis, ejusdem tamen et erga nos, et illos munus auctoris sit. » Qui Ambrosii locus huic etiam adstipulatur, quod paulo ante dixi, Angelos cum gratia esse conditos, ne deterior hac in parte conditio sit illorum, quam humani generis; cujus primus sator non prius corporis, quam animi vita, hoc est Dei gratia, et caritate donatus est.

Cyrillus Alexandrinus libro secundo *in Joannem*, similiter Angelos propter excellentiam naturæ, uberiori, quam homines, gratia perfusos esse docet. Nam Christum inter creaturas, et adoratores Dei neutiquam censeri ait, ne ab illis non aliter distet « quam ut hominibus antecellit Michael, aut alia quæpiam sancta, et rationalis Virtus; cui hoc substantive inditum videtur, ut terrestribus præstet, sive ratione sanctitatis, sive abundantia quadam gloriæ; quod ita visum est optimo omnium artifici Deo. »

VIII. Sed et ipsi inter se alii aliis affluentiore gratia ditati sunt, pro eo atque naturæ præstantioris erant, si Magistro Sententiarum credimus; qui « Angelos differentem essentiæ tenuitatem et differentem arbitrii libertatem, et habilitatem habuisse sentit; sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam, ac formam, et pondus. Quædam enim aliis meliorem, ac digniorem essentiam, et formam habent, etc. ac qui natura magis subtiles, et sapientia amplius perspicaces creati sunt, hi etiam majoribus gratiæ muneribus prædititi sunt, et dignitate excellentiores aliis constituti; qui vero natura minus subtiles, et sapientia minus perspicaces conditi sunt, minora gratiæ dona habuerunt. » Cui et sanctus Thomas adstipulatur, pro gradus cujusque dignitate, dona gratiarum, ac perfectionem beatitudinis collata esse docens. Etenim uti Angelorum natura ad gratiam, et gloriam a Deo facta est; ita diversi naturæ angelicæ gradus ad diversos itidem gratiæ, gloriæque gradus ordinati sunt; quemadmodum architectus ex eo quod certos lapides aliis elegantius accuratiusque perpolit, videtur eos ad digniorem aliquam ædium partem destinare.

a CYRIL. II *in Joan.* Διοίσει δὲ τῶν κτισμάτων κατὰ μὲν τὸ εἶναι γεννητῶς οὐδαμῶς, ὑπεροχαῖς δὲ μόνον ταῖς ἄλλαις, ὥσπερ ἀνθρώπων ὁ Μιχαὴλ, ἢ καὶ ἑτέρα τις τῶν ἁγίων, καί λογικὴ δύναμις· ᾗ τὸ μὲν προύχειν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς οὐσιωδῶς ὁρᾶται προσπεφυκὸς, ἢ κατὰ τὸν ἁγιότητος λόγον, ἢ καί τινι δόξης πλεονασμῷ, δόξαν οὕτω τῷ πάντων ἀριστοτέχνῃ.

1 Cap. IX.— 2 In I Par. qu. LXII, art. 3.— 3 Lib. I *de Spir. sanct.* c. I. -- 4 In II dist. III, n. 2.— 5 I Par. qu. LXII, a. 6.

Sive gratiæ inæqualis illa distributio ad ordinis, et functionis varietatem in eadem specie, naturaque pertinuerit, uti Basilius opinatur; qui quidem Angelos ejusdem omnes esse naturæ sentiens, ut suo loco diximus, « pro excellentiæ ratione, quà se mutuo superant, mensuram a spiritu habere sanctificationis asserit [a]. » De quo dubitat Gregorius Nazianzenus *Oratione* XL. « Sive, inquit, pro gradu stationis illuminationem participet (angelica natura,) sive pro mensura illuminationis gradum accipiat [b]. »

Qnamobrem Angeli, siquidem eadem specie, ac natura continentur. ut plerisque antiquorum placet, eo perfectiorem adepti sunt gratiam, quo excellentiorem ad functionem, ac munus a Deo destinati erant; quoniam illa nobis visa probabilior est Augustini, ac ferme cæterorum opinio, illos ortus sui initio gratiam accepisse, non eam adventitiam, ac superfusam iis advenisse, proindeque nulla ex meritorum varietate majorem, minoremve esse quæsitam. Nunc, quod reliquum est, de illorum beatitudine, ac statu disputandum est*.

ugustinus et alii, ıi Angelos in beatitudine eatos videntur asserere, ponuntur.

IX. Quidam Angelos ab initio conditus sui beatos fuisse arbitrari videntur; ut Gennadius [1], quem S. Thomas [2] citat ita scribentem : « Tales creati sunt Angeli, ut, si vellent, in beatitudinis luce persisterent. Si autem vellent, etiam labi potuissent. » Quod et Fulgentius indicat libro *de Fide ad Petrum*, capite tertio : « Angeli, inquit, atque homines, pro eo, quia rationales sunt facti, æterninitatis, ac beatitudinis donum in se a naturæ spiritualis creatore divinitus acceperunt; ita scilicet, ut, si dilectioni creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni, beatique mansissent. Si vero propriæ voluntatis arbitrio, contra summum creatoris imperium, suam niterentur facere voluntatem, protinus a contumacibus beatitudo discederet. » Sic et Gelasius Papa in Epistola adversus Pelagianam hæresim, « Beati, inquit, et sublimes Angeli de perceptis grati. piæ devotionis officio, et non seipsos, sed ipsis præferendo convenienter auctorem, ad ejus perpetuitatem proficere, provehique meruerunt. » Ad quos et Isidorus Hispalensis accedit, qui bonos Angelos ait, « postquam apostatæ Angeli ceciderunt, in perseverantia æternæ beatitudinis esse solidatos [3]. « Ac subinde, « post ruinam Angelorum malorum, inquit, hi, qui permanserunt, firmitatem æternæ perseverantiæ consecuti sunt. » Et ante hunc Gregorius Papa *Homilia* VII *in Ezechielem,* « Angelos sanctos, cadentibus aliis, in sua beatitudine perstitisse ait, atque hoc accepisse in munere, ut jam cadere omnino non possent; » quasi jam tum initio eadem felicitate potiti sint, quam nunc obtinent, ac sola ei perpetuitas accesserit post lapsum aliorum ; quod sane Augustinus in locis aliquot expressisse videtur.

Nam capite XIV libri X *de Genesi ad litteram*, inquirendum proponit de diabolo, « an aliquo tempore in sancto cœtu fuerit Angelorum, etiam ipse pariter justus, et pariter beatus. » Idemque capite VI repetit, cum ait, « Nec frustra putari potest, ab initio temporis diabolum superbia cecidisse, nec fuisse ullum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit, ac beatus. »

X. Ac tota deinceps consequens illius hæsitatio hoc velut fundamenti loco sumere videtur [4], Angelos ante casum diaboli plenam habuisse felicitatem, quæ nullum incrementum postea, nisi securitatis et stabilitatis, acceperit. Quippe diu, multumque dubitat, an diabolus eamdem cum sanctis Angelis habuerit aliquando, atque utrum illi quidem perpetuæ suæ felicitatis certam præscientiam acceperint; diabolus vero cum sociis suis ab cæteris Angelis discretus fuerit, nec ei tributa sit; aut « utrum omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beatus cum suis Angelis diabolus vixit, nondum habuerint etiam ipsi certam præscientiam perpetuæ felicitatis suæ, sed eam post casum ejus acceperint. » Ac nihil omnino de perfectiore aliquo genere felicitatis loquitur, sed tantum de perpetuitate, ejusque certa notitia.

Sed et in libro XI *de Civitate Dei* [5] eodem pertinentia multa disputat capitibus aliquot, maxime autem in XIII in eam partem propendet, ut Angeli sancti « veritate certissima æternitatem suæ beatitudinis noverint; »

a Basil. *de Sp. sancto,* cap. VI. Ἀλλὰ κατὰ ἀναλογίαν τῆς πρὸς ἀλλήλας ὑπεροχῆς, τοῦ ἁγιασμοῦ τὸ μέτρον παρὰ τοῦ πνεύματος ἔχουσαι.

b Gregor. Nazianz. Οὐκ οἶδα εἴτε τάξει τῆς στάσεως μεριζομένη τὸν φωτισμὸν, εἴτε τοῖς μέτροις τοῦ φωτισμοῦ τὴν τάξιν λαμβάνουσα.

1 Consule sis P. de Rubeis dist. XXVI, *de gestis,* etc. S. Thomæ Aquinatis cap. VII, n. 1.

1 Lib. *de Eccles. Dogm.* c. LXII. — 2 In I Par. qu. LXII, art. 1. — 3 Lib. VII Orig. — 4 Cap, XVII, XVIII et seq. præs. XXVI.— 5 Cap. XI, 12.

peccatores autem Angeli, etsi *non præsciam beatitudinem* habuerint, habuerint tamen aliquam, unde concludi possit, summam initio beatitudinis Angelos percepisse.

XI. Verum mihi videtur Augustinus non præcise de supremo illo gradu felicitatis intelligendus, qui in Dei aspectu situs est; sed communi, et confusa notione beatitudinem usurpasse pro vitæ genere læto, ac tranquillo, ac bonis omnibus affluente, sive cum Dei contuitu jungatur, sive nondum eo pervenerit. Quippe primis hominibus beatitudinem similiter attribuit[1]; quos constat plene beatos minime fuisse, etsi, quia doloris, ac sollicitudinis omnis expertem in summa voluptate, ac bona Dei gratia ætatem agebant, beati nominentur. Sic et diabolum initio beatum ob solam justitiam, quacum est conditus, existimare possumus; idque Gelasius Papa loco jam allato significat: « Quadam, inquit, spirituali fornicatione motus Angelus, a divina, qua illustrabatur, gratia, et participatione delapsus est. »

Quod sic explicandum esse, ex alio quoque ejusdem Augustini loco colligitur, qui est in libro *de Grat. et corrept.* cap. X ubi, postquam Angelos sanctos de suo statu securos esse dixit, ita loquitur: « Diabolus vero, et Angeli ejus etsi beati erant, antequam caderent, et se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est ut, magna per Spiritum sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent. » Ac paulo post primum hominem beatum asserit fuisse. Quare de genere beatitudinis loquitur Augustinus, quatenus gratia Dei saltem, ac justitia continetur, adjuncto felici aliquo tranquilloque vitæ statu.

XII. Ut autem errasse constat eos, qui Angelos etiam bonos statim, atque conditi sunt, veræ summæque compotes fuisse felicitatis opinati sunt; sic multo majori in errore versatos esse convenit, qui eosdem vel incertos salutis adhuc pendere suæ, vel in statu, atque cursu promerendæ uberioris esse statuerunt, Ex quibus prior Origenis fuit opinio, qui custodiæ hominum appositos Angelos commentus est, pro eo atque officio suo recte, aut secus fungerentur, ita compensandos esse. De quo postea, cum agemus de Angelorum tutela.

At vero mereri etiamnum majus quoddam posse præmium, docuit Moses Bar-cepha in prima Parte libri *de Paradiso*, capite XXII. « Angeli, inquit, jussa peragunt, divinæque voluntati obsequentes sunt, non absque spe præmii, quod ipsis dabitur, post generalem mortalium resurrectionem. » Quod, si de accidente quadam mercede hoc est gaudio intelligitur, quod ex perfecta, consummataque salute suæ olim curæ commissorum tum capient, non absurde dicitur; de ea vero beatitate, quam οὐσιώδη hoc est *essentialem* vulgo nominant, ferri omnino non potest. Hanc enim sub ipsum mundi conditum meruisse, adeptosque esse Angelos constat e sacris litteris, communique Theologorum sensu. Qui Augustinum, aliosque Patres auctores habent, a quibus ita traditum est, Angelos ab ortu suo liberum habuisse voluntatis arbitrium; tametsi nescio quid ad eam sententiam implicatum habet Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi secunda*, ubi Angelos etiamnum aliquid delinquere significat, quod illis condonet Deus; de quo postea.

XII. Verum Augustinus, et Patres deinceps alii, ut dixi, eosque secuti Theologi, Angelos ab ortu suo liberum habuisse voluntatis arbitrium asserunt, quo alii bene usi sunt, alii male, et utrique pro diverso merito diversum exitum habuerunt. « Angeli sancti, ait Augustinus[2], cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; et hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. » Et alibi[3] de iisdem Angelis, « Qui, diabolo cum suis, inquit, cadente, in veritate steterunt, et ad securitatem perpetuam non cadendi in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. »

Atqui ita passim aliis in libris, ut in undecimo, ac duodecimo *de Civitate Dei*, e quibus paulo ante nonnulla descripsimus; nec aliter veteres omnes, præsertim qui post Augustinum floruerunt. Quorum in eo consensus est, Angelos eo ipso, quod in fide, officioque manserunt, deficientibus aliis, hoc est *principatum suum*, ut Judas Apostolus loquitur[4], *non deseruerunt*, beatum illum, perennemque

1 Cap. XII, lib. II *Civit.* — 2 Aug. lib. *de Corrept.* et grat. cap. XI. — 3 Lib. *de dono persev.* cap. VII.— 4 Judæ ver. 6.

felicitatis statum meritos, adeptosque esse. Ut illa Lombardi[1] minime sit probanda ratio: tum quidem, cadentibus aliis, obfirmatos in gratia, et felicitate sempiterna donatos esse sanctos Angelos putat, sed ea lege, ut quod « tunc in præmium acceperunt, per obsequia nobis exhibita ex Dei obedientia, et reverentia mererentur. Et ita præmium præcessit meritum. » Quod commentum Origenis lucernam olet; ac, tametsi patronos habet aliquos ex Patribus, communi tamen fere judicio cæterorum refellitur. Sed hoc scholæ ipsæ plenius, diligentiusque disceptabunt.

1 In II, dist. v, in fine.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

LIBER QUARTUS

(Sequentia.)

LIBER QUINTUS

IN QUO PERSONÆ PRIMÆ, ID EST, PATRIS, PROPRIÆ NOTIONES ET VOCABULA DECLARANTUR.

LIBER SEXTUS

IN QUO SECUNDÆ PERSONÆ TRINITATIS QUÆ EST FILIUS, PROPRIÆ NOTIONES AC VOCABULA DECLARANTUR.

LIBER SEPTIMUS

IN QUO DE PROCESSIONE SANCTI SPIRITUS AGITUR.

LIBER OCTAVUS

QUI EST DE MISSIONE PERSONARUM.

DE PHOTINO HÆRETICO, ETC.

DISSERTATIO.

JACOBI SIRMONDI, ETC.

DIATRIBA SECUNDA SIRMITANA.

DIONYSII PETAVII ELENCHUS

DIATRIBÆ UTRIUSQUE DE PHOTINO ET SIRMIENSI SYNODO.

DISSERTATIO

DE COMMENTITIO LIBERII LAPSU.

LIBER PRIMUS

IN QUO UNIVERSE DE ANGELORUM NATURA, ET PROPRIETATIBUS; AC PRÆSERTIM DE BONIS AGITUR.

SAINT-QUENTIN. — IMPRIMERIE JULES MOUREAU.